C. 584
D.C.-1.

VETERUM SCRIPTORUM ET MONUMENTORUM HISTORICORUM, DOGMATICORUM, MORALIUM, AMPLISSIMA COLLECTIO.

TOMUS IV.

COMPLECTENS PLURES SCRIPTORES HISTORICOS DE REBUS PRÆSERTIM GERMANICIS.

Prodit nunc primùm studiò & opera Domni EDMUNDI MARTENE, *& Domni* URSINI DURAND, *Presbyterorum & Monachorum Benedictinorum è Congregatione S. Mauri.*



Hervé gde
4173

PARISIIS,
Apud MONTALANT, ad Ripam PP. Augustinianorum, prope Pontem S. Michaëlis.

MDCCXXIX.

CUM PRIVILEGIO REGIS ET SUPERIORUM PERMISSU.

PRÆFATIO

IN TOMUM QUARTUM ET QUINTUM.

1.  AM quatuor & amplius elapſi ſunt anni, cum primam hujus ampliſſimæ collectionis partem emiſimus in lucem, ceteras deinceps, ſi cœptis adfuiſſet Deus, nulla intermiſſione edituri. Obſtitit vero temporum iniquitas, qua ſublato fere omni commercio, ſic apud nos elanguit res libraria, ut mirum ſit vel ſecundam hanc partem prodire modo potuiſſe. Quid vero cunctatione hac collectioni noſtræ acceſſerit, quidve detractum ſit, dici vix poteſt. Dum enim ſic apud nos jacent litteræ, ita e contrario apud exteros nobili quadam æmulatione eriguntur, ut muſæ apud eos ſolos tranſmigraſſe videantur. Id certe teſtantur vulgati toto hoc intervallo in Italia & in Germania libri, quibus mirum in modum litterarius orbis exultat. Interim namque antiquarii plerique, exploratis undique bibliothecarum ſuarum forulis, certatim nos præoccupant, eximiaque opera non mediocri labore noſtro conquiſita jam dudum & quam potuimus ſtudioſiſſime adornata nobis velut e manibus eripiunt. Hæc inter non infimum locum obtinebat auctoris Anonymi chronicon vetus Saxonicon ſeu Annales Saxonici ab anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo ad milleſimum centeſimum trigeſimum nonum, quos notis & obſervationibus illuſtratos editioni paraveramus, quoſque clariſſimus Georgius Eckardus vir cum multimoda eruditione, tum pluribus aliis titulis, atque in primis ejurata hæreſi Lutherana percelebris, ſuo Corpori hiſtorico inſeruit, ſincera tamen fide inſinuans in præfatione, præcipuum hoc monimentum nobis quodammodo deberi, utpote quod poſtulante illuſtriſſimo principe Ferdinando Furſtembergio Monaſterienſi & Paterbornenſi epiſcopo, ex ipſo noſtro autographo, quod apud nos olim viderat, deſcriptum, & a Mabillonio tranſmiſſum fuerat doctiſſimo Libnitio, data prius mittenti ab eodem Libnitio fide, fore ut numquam illud ederet. Verum hoc amici ſui ſacramento teneri ſe non exiſtimavit Eckardus, cui moriens ille editionem hanc commendaverat.

2. De auctore, quem non indicat codex noſter, vir ſagaciſſimus & in hiſtoria, ſuæ præſertim gentis, verſatiſſimus, incunctanter pronunciat, ſtatuitque *audacter*, ut ipſius verbis utar, *Annaliſtam Saxonem ab Eggehardo Uraugienſienſi inſigni ſui temporis hiſtorum magiſtro diverſum non eſſe.* At pace tanti viri auſim confidentius aſſerere; Chronicon Saxonicum non magis aſcribi poſſe Eggehardo Uraugienſi abbati, quam Witichindo, aut Dit-

maro, & Adamo Bremenſi, Coſmæ Pragenſi, Brunoni monacho, Lamberto Schafnaburgenſi, aut ceteris hujuſmodi ſcriptoribus, quos chronographus Saxo plerumque ſequitur, quorum mentem ſæpe exprimit, atque ipſiſſima etiam verba uſurpat. An vero ideo cenſendi hi omnes hujus operis auctores? Nec ipſe dixerit Eckardus, præſertim ſi genuinam aliquando legat Eggehardi hiſtoriam, quinque digeſtam libris atque Erkemberto Corbeienſi abbati nuncupatam, non vero, ut perperam aſſerit Browerus, Ecberto Fuldenſi, qui longe ante e vivis exceſſerat, quam naſceretur Eggehardus. Hanc autem hiſtoriam in pervetuſto codice bibliothecæ regiæ ante annos quingentos exarato reperimus, cujus ad calcem conſequenter extat ejuſdem auctoris libellus *de oppreſſione, liberatione & reſtauratione Jeroſolymitanæ eccleſiæ*, ubi in præfatione ſeipſum prodit Eggehardus, uti ſuo loco dicemus, cum hunc ſequenti tomo libellum edemus. Sed juvat hic obiter obſervare, prædictam hiſtoriam non diſcrepare a percelebri chronico Conradi abbatis Urſpergenſis, qui centum minimum poſt annis opus Eggehardi audaci furto ſibi attribuere non eſt veritus. Nam ſi pauciſſimas initio pagellas, & brevia quædam eaque rariſſima aſſumenta excipias, purum putum repræſentat Eggehardum.

3. Quis ergo Annalium Saxonicorum ab erudito viro editorum auctor cenſendus erit? Hunc quidem diligenter ac curioſe perquiſitum hactenus nos latere fatemur, at Corbeiæ novæ monachum fuiſſe ideo ſuſpicamur, quod de celeberrimi monaſterii rebus ſæpius agens, accuratam ſatis abbatum ejus ſeriem proferat. Non deerunt forte qui inſigne hoc opus Magdeburgenſi monacho attribuant, eo quod a Baronio & Langio citetur nomine Chronici Magdeburgenſis: quamquam ex eo ſolum quod Magdeburgenſi in monaſterio repertum ſit, abſque ulla alia ratione, nuncupari ſic poterat, quemadmodum Bertiniani dicuntur Annales illi Francorum, quos e S. Bertini bibliotheca, & Metenſes quos e Metenſi S. Arnulfi evulgavit clariſſimus vir Andreas Cheſnius.

4. Nec temere etiam quiſquam aſſereret, plures eidem operi ſcriptores, qui ſibi per temporum vices ſucceſſerint, incubuiſſe. Nam & illud paulo attentius percurrentes, tres ſaltem deprehendimus non leviter indicari. Horum primus, qui ſub finem ſæculi x. florebat, frater Brunonis monachi Corbeienſis ac poſtea epiſcopi ex his innoteſcit, quæ ad annum DCCCCXC. ſcripta ſunt, ubi nonnulla divinitus prodita Luidolfo abbati piiſſimo narrantur. *Quorum*, inquit auctor, *unum proferam, quod frater meus Bruno epiſcopus, in nova Corbeia educatus, & ejuſdem altaris ſervus, indicavit.* Cujus autem ſedis epiſcopus extiterit Bruno, diſcimus ex brevioribus Annalibus Corbeienſibus, in quibus ad annum DCCCCXC. hæc lego: *Bruno Ferdenſis epiſcopus olim commonachus noſter fundat monaſterium virginum Ulſen.* Fuit vero Bruno genere illuſtris, Ottonis Saxoniæ & Sueviæ ducis filius, anno DCCCCXCVI. ſummus pontifex creatus Gregorius V. Ætatem iterum ſuam idem auctor deſignat ad annum DCCCCXC I. ubi relato Theophanu imperatricis obitu: *Eadem*, inquit, *imperatrix talia mihi poſt Meinſvit retulit, ſicut ipſa percepit.* Et ad annum DCCCCXCIX. agens de Mathilde Quintiliburgenſi abbatiſſa, Ottonis magni filia, quæ agente in Italia Ottone III. Cæſare, imperii habenas regebat, ſcribit eam *hujuſce pacis fundamenta, qua* NUNC *ſancta Dei eccleſia pro parte fruitur, poſuiſſe.* Denique ad annum milleſimum, *meminiſſe etiam volo*, ait, *cujuſdam fratris noſtri Huivardi conſtantiam, ad quem juxta me dormientem, &c.* Secundus auctor paulo poſt medium ſæculum XI. viviſſe dicendus eſt. Nam ad annum MLXXIV. Henrici IV. imperatoris depravatos mores & ſcelera deſcribens, inter alia hæc habet: *Per quemdam falſarium monachum Wernhero Magdeburgenſi archiepiſcopo pulverem pigmentarium miſit, quem*

contra multas ægritudines ſalubrem ab Italia ſibi a matre miſſum eſſe mandavit: cujus partem cruſtæ panis inſertam catulo dari, eumque ſine mora mori VIDIMUS; *& quod epiſcopus talem medicinam non guſtaverit* LÆTATI SUMUS. Tertius denique auctor ſupremam chronico manum appoſuit anno MCXXXIX. Et hæc quidem ſufficere deberent ad demonſtrandum Eggehardum abbatem Uraugienſem, qui anno MCXVII. ſcribebat, Chronici Saxonici parentem non eſſe, etiam ſi hiſtoriam ejus præ manibus non haberemus.

5. Neque vero ſolus nos Eckardus præoccupavit in editione Chronici Saxonici. Simili prorſus modo labores noſtros eluſit clariſſimus vir Ludovicus Antonius Muratorius, primum cum Acta archiepiſcoporum Neapolitanorum auctore Johanne ejuſdem eccleſiæ diacono in lucem protulit tomo 1. Scriptorum rerum Italicarum: quæ ſane Acta cum olim Romæ exſcribi curaſſet Mabillonius ex pervetuſto codice Vaticano, partim antiquis litteris Romanis partim Longobardicis exarato, ſuum hic locum habuiſſent. Deinde tomo 7. ubi Romualdi Salernitati Chronicon, quod ex mſ. codice bibliothecæ regiæ accurate deſcriptum, ut typis mandaremus, hortati nos fuerant viri apud Romanos eruditi, ipſe edidit. Præfuere autem eccleſiæ Salernitanæ Romualdi duo, prior ex diacono cardinali S. Mariæ in Via-lata a Calixto II. papa Salerni ordinatus archiepiſcopus menſe Septembri anno 1121. rexit ad annum uſque 1138. quo e vivis exceſſit, ſucceſſorem ſortitus Guillelmum ab Innocentio II. anno 1137. creatum archiepiſcopum. Alter, Romualdus Guarna dictus, nobili genere natus, anno 1153. electus, & multis nominibus commendandus.

6. Huic uni Chronicon attribuit Muratorius, cum conſtet utrumque operi manum admoviſſe. Id ſane clarum eſt ex manuſcripto codice bibliothecæ regiæ, in quo ad annum 1125. relata Honorii II. electione & traditione ducatus Apuliæ facta per vexillum Guillelmo duci, hic ſequitur titulus

ADDITIO CHRONICÆ.

tum ſubditur. *Ab hoc loco additum eſt huic Chronicæ per Romualdum II. Salernitanum archiepiſcopum.* Quibus ex verbis patet, quid cuique Romualdo ſit attribuendum. Priori nimirum id omne quod additionem præcedit, alteri ſolam additionem.

7. Ceteros omittimus auctores, nobis longiori temporis intervallo forte elapſos; ſi tamen elapſum illud dicendum ſit, quod maximo omnium gaudio & gratulatione videmus ſuæ luci reſtitutum. Sed ne quis inde detractum aliquid noſtræ collectioni cauſetur, ne quid damni illi acceſſiſſe putet, monemus eruditos lectores, interim nos alios diverſis ex locis auctores accepiſſe & numero & gravitate præſtantiſſimos, & rerum quas tractant varietate non inferiores, ut jam neminem noſtræ in exſolvenda fide tarditatis pœnitere debeat. Nam præter Annales Noveſienſes, nobis ab urbe Duſſeltorpio tranſmiſſos, miſit etiam nobis e Leodio clariſſimus & eruditiſſimus vir dominus *de Louvrex*, ſereniſſimi principis Leodienſis ab intimis conſiliis, Cornelii *Zantfliet* auctoris graviſſimi Chronicon Leodienſe. Huic acceſſere Eckehardi abbatis Uraugienſis libellus de ſacra expeditione Jeroſolymitana, Radulfi Coggeshale abbatis Chronicon Terræ Sanctæ, ejuſdem auctoris Annales Anglicanos, aliaque opuſcula, ut cum ceterarum ferme gentium totius occidentis hiſtoria hic aliqua ex parte illuſtretur, queri non poſſint Angli, ſe ſolos relinqui. Nec enim de noſtratibus ſolum Gallis, ſed de Germanis, Italis, aliiſque circumvicinis populis frequentiſſime hic agetur, eorum deſcribentur mores, res geſtæ, victoriæ, triumphi, quantum quiſque de Chriſtiana republica ſit promeritus in ſacris illis expeditionibus adverſus paganos, adverſus Turcas & Sarracenos, aliaque hujuſmodi monſtra.

8. Jam vero quantum utilitatis ex huiuſmodi monimentis antiquis quiſque poſſit colligere, quantum lucis hiſtoriæ ac diſciplinæ eccleſiaſticæ hæc conferant, explicari nullo modo poteſt. Pauca tantum hic ex pluribus quæ poſſent obſervari, leviſſime attingemus, ut ex hoc tantillo ſpecimine, æquus lector judicet.

§. I.

Obſervationes quædam ad regum Franciæ hiſtoriam ſpectantes.

9. Secundæ regum Francorum ſtirpi principium dediſſe Pipinum cognomento Brevem, notum eſt omnibus. Is major palatii, cum regnum annis aliquot animo regio ſolus adminiſtraſſet, tandem ſuadente Zacharia ſummo pontifice, favente Franciæ procerum ſolemni conventu, plaudentibuſque omnibus rex renuntiatus, unctione regia Sueſſionis primum a S. Bonifacio archiepiſcopo Moguntino delibutus eſt, ac deinde a Stephano III. papa, qui tum in Franciam acceſſerat. Regnum vero ita ſtrenue gubernavit dilatavitque, ut ſi Carolum Magnum ejus filium excipias, vix parem poſt ſe habuerit. Ex Bertrada conjuge tres genuit filios; Pipinum, qui puer fato functus eſt; Carolum virtute & nomine Magnum & Carlomannum, quos regni ſui reliquit heredes. Genuit & filias ſaltem tres aut quatuor, licet unicam ei tribuere videatur Eginardus in vita Caroli Magni, ubi hæc habet: *Erat ei unica ſoror, nomine Giſla, a puellaribus annis religioſæ converſationi mancipata, quam ſimiliter, ut matrem, magna pietate coluit.* At præter Giſlam quæ parthenonis Calenſis abbatiſſa fuit, fuerunt Pipino & aliæ filiæ duæ, *Rothaïs* & *Adeleid* in Metenſi baſilica S. Arnulfi una cum Hildegarde regina ſepultæ, quarum epitaphia refert Cheſnius tom. 2. Hiſt. Franc. pag. 102. Quartam addunt Trevirenſis S. Maximini antiqua monimenta; primo Necrologium, in quo hæc lego: v. *idus Maii obiit Ada ancilla Chriſti piæ memoriæ, filia Pipini regis, ſoror Caroli Magni imperatoris, quæ multa bona circa & infra Maguntiam & Wormatiam, in loco Nachouve S. Maximino contulit, & poſt finem vitæ hic ſepulta quievit.* Deinde cenotaphium ejus, quod ante nobilis baſilicæ everſionem extremis bellis factam, marmori albo inſculptum, medio in choro his verbis expreſſum habebatur: *Ada ancilla Chriſti ſoror Caroli Magni.* Præterea cernitur hactenus apud S. Maximinum antiquiſſimus evangeliorum codex, aureis litteris elegantiſſime ſcriptus, ac infinitis prope lapillis exornatus, ſed pretioſiſſima præſertim achate, in qua eadem Ada cum Carolo Magno & tribus filiis repreſentari creditur.

Pipinus an plures habuerit filias.

Apud Cheſn. to. 2. p. 100.

10. Quod ſpectat ad Giſlam Calenſem abbatiſſam, quæ in Actis tranſlationis S. Baltildis legitur moniales e ſanctæ Crucis baſilica, in illam auguſtiorem B. Mariæ quam conſtruxerat tranſtuliſſe, id unum obſervamus ex chronico noſtro Turonico, hic tom. 5. edito, religioſiſſimam abbatiſſam, exactis vitæ ſuæ diebus, in percelebri S. Dionyſii monaſterio, cui inſignem ante fecerat donationem, depoſitam, ac prope patrem ſuum Pipinum collocatam fuiſſe: quod nemini hactenus, nec Mabillonio quidem noſtro, aut Michaeli Felibiano hiſtoriæ ejuſdem cœnobii ſcriptori, nec cuivis alii notum fuit. Pag. 959. En verba ipſa proferimus prædicti Chronici: *Mater quoque ejus* (Caroli Magni) *domna Bertrada magno apud eum honore conſenuit, quam defunctam Carolus juxta patrem ſuum apud S. Dionyſium ſepeliri fecit, & ſimiliter Giſlam ſororem ſuam, quæ religioſe vivebat.* Nec ſane id mirum videri debet cuilibet conſideranti Carolum ſororem ſuam Giſlam veneratum fuiſſe, ut matrem, tantoque amore proſecutum, ut allato ſibrin Cariſiaco palatio de morbo ejus nuntio, ſtatim, relicto ibi Leone ſummo pontifice, quem

Giſla Caroli-Magni ſoror apud S. Dionyſium ſepulta.

ipſe

ipſe advocaverat, ſtatim ad eam viſitandam properaverit.

11. De Carolo-Magno Pipini ſucceſſore cum plura poſſint obſervari, unum dumtaxat hic mihi propono diſquirendum, qua ſcilicet ratione coronam imperii ſit conſecutus. Si vulgato Anaſtaſio credimus, ipſum inſcium & tale nihil cogitantem Leo III. ſummus pontifex, natalis Dominici die, in eccleſia S. Petri exiſtentem, infra miſſarum ſolemnia, proprio motu pretioſiſſima corona redimivit, univerſo populo Romano acclamante: *Carolo piiſſimo auguſto a Deo coronato magno & pacifico imperatori vita & victoria.* Idem aſſerunt Annales Francorum Bertiniani & Metenſes, Eginardus & alii plures. Immo Eginardus in ejus vita, affirmat Carolum imperatoris & Auguſti nomen *averſatum* fuiſſe. *Romam*, inquit, *veniens propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, eccleſiæ ſtatum, ibi totum hiemis tempus protraxit: quo tempore Imperatoris & Auguſti nomen accepit. Quod primo tantum averſatus eſt, ut affirmaret, ſe eo die, quamvis præcipua ſolemnitas eſſet, eccleſiam non intraturum fuiſſe, ſi conſilium pontificis præſcire potuiſſet.* Verum de ſermonis hujus ſinceritate dubitant nonnulli, aſſerentes Carolum honoris & gloriæ fuiſſe cupidiſſimum. Et certe Johannes diaconus in Hiſtoria archiepiſcoporum Neapolitanorum, quam editioni paraveramus, contrarium docet, nam ubi narravit, quam male a Romanis Leo pontifex affectus fuiſſet, ſubdit: *Hic autem fugiens ad Carolum regem, ſpopondit ei, ſi de ſuis illum defenderet inimicis, auguſtali eum diademate coronaret.* Non ergo rex inſcius, aut ignarus futurorum ad S. Petri baſilicam acceſſit, ſed ex condicto pacto cum pontifice coronam imperii lubentiſſime accepturus. Id confirmant Annales veteres Francorum a nobis editi his verbis: *Cum apud Romam tunc præfatus imperator moraretur, delati quidam ſunt ad eum, dicentes, quod apud Græcos nomen imperatoris ceſſaſſet, & finem apud eos nomen imperii teneret..... quo audito, Leo papa & omnis conventus epiſcoporum & ſacerdotum, ſeu abbatum, & ſenatus Francorum, & omnes majores natu Romanorum, cum reliquo Chriſtiano populo, conſilium habuerunt, ut ipſum Carolum regem Francorum imperatorem nominare deberent, qui Romam matrem imperii teneret, ubi ſemper cæſares & imperatores ſedere ſoliti fuerant, & ne pagani inſultarent Chriſtianis, ſi imperatoris nomen apud Chriſtianos ceſſaſſet. Ideo juſtum viſum eſt omnibus, ut prædictus rex cum Dei adjutorio, & univerſo Chriſtiano populo petente, ipſum nomen imperatoris haberet: quorum petitionem ipſe rex Carolus negare noluit; ſed cum omni humilitate ſubjectus Deo, & petitione ſacerdotum, univerſalique populo Chriſtiano in ipſa nativitate Domini noſtri* JESU CHRISTI, *nomen imperatoris cum conſecratione domni Leonis papæ ſuſcepit.* Nihil clarius aut dilucidius afferri poterat. Nam ex his patet ſolemnem hanc Caroli-Magni inaugurationem, approbante in primis ſenatu Francorum, & petentibus Romanorum proceribus, cum univerſo populo Chriſtiano conſtitutam fuiſſe in publico epiſcoporum & abbatum conventu, quibus modeſte quidem aſſenſus ſit, ſed valde lubens, nec ſane invitus.

Quomodo Carolus-Magnus imperii coronam aſſequutus ſit.

Tom. 5. p. 907.

12. Et quia Leonis III. mentio hic incidit, obiter inveſtigare juvat, quas a Romanis, præſertim a Paſchali primicerio, Campulo ſacellario, Mauro Nepeſino, aliiſque paſſus ſit injurias. Baronius auctoritate vulgati Anaſtaſii nixus, contendit erutos ipſi fuiſſe oculos & linguam præciſam, ac ſemimortuum ab impiis & ſceleratis hominibus fuiſſe relictum; ſed B. Petro cooperante, eidem divinitus & oculos reſtitutos fuiſſe & linguam. Suffragatur antiquus auctor incertus vitæ Caroli-Magni apud Cheſnium. *Romani*, inquit, *Leonem papam Letania majore captum excœcaverunt, linguamque amputaverunt.* Et Eginardus: *Romani Leonem papam multis affectum injuriis, erutis videlicet oculis, linguaque amputata, fidem regis implorare compule-*

Leoni III. papæ an eruerint oculos Romani.

Hiſt. Franc. tom. 2.

runt. Idem asserunt monachus Engolismensis S. Eparchii, Annales Bertiniani & Metenses. At longe aliter rem narrat Johannes diaconus in Actis archiepiscoporum Neapolitanorum: *Sub eodem tempore*, inquit, *conspirantes viri iniqui contra Leonem sanctæ Romanæ ecclesiæ antistitem, comprehenderunt eum, cujus cum vellent oculos eruere, inter ipsos tumultus, sicut fieri solet, unus ei oculus paulatim est læsus.* Neque ab hac sententia recedere videntur Annales veteres Francorum hic a nobis editi, in quibus hæc leguntur: *Hunc Romani voluerunt occidere, & in ipsa letania majore quod est* VII. *calendas Madii, insiluerunt in eo subito, captumque linguam ejus abscinderunt, & conati sunt oculos ejus abstrahere.* Quibus verbis innuitur Romanos quidem oculos pontifici effodere voluisse, at non revera effodisse, quod valde discrepat. Clarius Chronicon Moisiacense apud Chesnium: *Instigante diabolo Romani comprehenderunt Leonem apostolicum in ipsas letanias, quod est* VII. *calendas Maias, & absciderunt linguam ejus, & voluerunt eruere oculos ejus & eum morti tradere; sed juxta Dei dispensationem, malum quod inchoaverunt non perfecerunt.* Atque hæc obiter de Leone III. pontifice maximo, cujus matris nomen hactenus ignotum produnt etiam persæpe laudati prædicti Annales veteres Francorum his verbis: *Natus Romæ ex patre Asupio matre Elizabeth.*

Tom. 3. Hist. Franc.

Ludovicus Balbus an fuerit imperator.

13. Jam venio ad Carolum Calvum imperatorem, qui nondum expleto biennio, imperium, quod ardentissime quæsierat, atque infinito, ut aiunt, pretio coëmerat, cum vita reliquit, extinctus veneno; quod illi Sedecias medicus Judæus porrexerat. Regni sui heredem habuit Ludovicum filium, propter linguæ impedimentum, cognomine Balbum, quem etiam imperii successorem fuisse tradit Cæsar Baronius ad annum 877. his verbis: *Carolus imperator veneno potatus a Sedecia medico Hebræo moritur.... successit ei in imperium ejus filius Ludovicus, cognomento Balbus.* Idem etiam asserunt nonnulli recentiores, sed nulla veterum scriptorum auctoritate fulti. Nam etsi voluerit Johannes papa *imperium transferre ad Ludovicum Balbum filium Caroli Calvi*, ut scribit Chronicon Turonense, propter quod & *incarceratus est a Romanis*: constat tamen omnes ejus conatus irritos fuisse. Romani quippe proceres omnino propendebant in Carolomannum Ludovici regis filium, cui & fidelitatem juraverunt, quemadmodum tradunt Annales Fuldenses his verbis: *Lambertus Witonis filius, & Adalbertus Bonifacii filius Romam cum manu valida ingressi sunt, & Johanne Romano pontifice in custodia retento, optimates Romanorum fidelitatem Carlmanno sacramento firmare fecerunt.* Quin & ipse Lambertus, quamvis Carolomanno favere videretur, imperium sibimetipsi affectabat: quod quidem disertis verbis adstruit Johannes papa epistola 88. ad Ludovicum Bajoariorum regis filium: *Lambertus*, inquit, *Spoletanus perfidus dux, Widonis quondam stirps, perditionis filius, in quantam superbiam* PRO CUPIDITATE, *ut fama vera se habet,* ROMANI IMPERII *eruperit, in nostris tribulationibus atque angustiis proculdubio cognoscetis ad liquidum.* Sed & ipse Carolomannus audita imperatoris morte, statim Romam proficisci statuit, non aliam ob causam, uti existimamus, quam ut imperator coronaretur, idque Johanni pontifici significavit, quem & promissionibus oneravit immensis: saltem id videntur innuere hæc Johannis verba ad eumdem Carolomannum scripta: *De causa sane vestri ad nos adventus, vestraque sublimissima promissione, de Romana ecclesia supra omnes qui fuerunt ante vos ejusdem exultatione: cum hoc opere compleveritis, aderit ille vestri retributor, qui per controversiam juramenti confirmans modulos humanæ locutionis ait: Vivo ego, dicit Dominus, quia glorificantes me glorificabo.* Interim Johannes has redactus in angustias *altare S. Petri cilicio cooperuit, & cuncta ostia ejusdem ecclesiæ clausit, nullum-*

Epist. 63.

que ibi officium ad Dei cultum pertinens, per plures dies celebratum eſt, ut pergunt Annales Fuldenſes, elapſuſque e carcere, conſcenſa navi transfretavit, confugitque in Gallias, ubi honorifice a Ludovico exceptus, regiam ei, non imperialem, coronam Trecis in celeberrimo concilio impoſuit, uti colligere eſt vel ex prolata tum a pontifice ſuper eumdem Ludovicum oratione ſingulari, quam hic ex vetutiſſimo codice monaſterii S. Theoderici prope Remos, ab annis circiter 800. exarato repræſentare juvat.

Oratio, qua benedixit domnus apoſtolicus Johannes REGEM NOSTRUM LUDOVICUM *junioris Karoli imperatoris filium, Trecas civitatis.*

Spiritum ſanctificationis, quæſumus Domine, LUDOVICO REGI NOSTRO propitiatus infunde, & cor ejus, quod manu contines, virtute tuæ benedictionis inluſtra, quatenus S. Spiritus rore fœcundatus, ubertate donorum percepta, ſic exterius REGNI gubernacula teneat, ut intimæ contemplationis tuæ interiora gaudia conſequatur. Per.

15. His adſtipulatur illorum temporum ſcriptor anonymus S. Vedaſti Atrebatenſis monachus, in Chronico nondum edito, in quo relata Caroli imperatoris morte, ait Francorum proceres *Ludovicum filium ejus in regnum* ſtatuiſſe, ne minima quidem imperii facta mentione. Similiter & Chronicon Turonenſe, *Succeſſit*, inquit, *in regno Francorum Ludovicus Balbus filius ejus*. Adde quod ipſe pontifex Johannes, qui plures ad eum ſcripſit epiſtolas, conſtanter in omnibus eum regem, non imperatorem appellat epiſtol. 87. 125.

16. Longe majorem patitur difficultatem id quod de Lothario Francorum rege, Ludovici Ultramarini ſucceſſore, narratur in Chronico Turonenſi ad annum regni ejuſdem Lotharii VIII. his verbis: *Eodem anno Lotharius rex Francorum Romam profectus, honorifice a Romanis ſuſcipitur, & imperiali honore ſublimatur*. Et non multo poſt relata Ottonis I. imperatoris morte, ait: *Cui ſucceſſit Otto II. ejus filius. Ab iſto inantea imperare incipiunt Alemanni: tamen Lotharius rex Francorum, qui a Romanis fuerat receptus in imperium, Ottonem multis præliis impulſavit, quoniam mater ſua erat filia primi Ottonis & ſoror ſecundi Ottonis*. De hac Lotharii ad imperium aſſumtione altum apud omnes auctores ſilentium: neque tamen exiſtimandum, eam temere & abſque ullo fundamento ab auctore Chronici Turonenſis commemoratam fuiſſe. Si quam Lotharii vitam ab aliquo diligenti & accurato ſcriptore in commentaria redactam haberemus, lucem forte huic difficultati poſſet afferre. Interim noſtras hic conjecturas damus, quas aliis permittimus.

An Lotharius rex Franc. imperiali diademate fuerit redimitus.

17. Eo tempore Romæ perturbata erant omnia, ſedem apoſtolicam occupabat Octavianus clericus, qui ex concubina natus, annos vix quindecim, aut ad ſummum octodecim attigerat, cum in pontificatum illicite irrepſit, primuſque, ut aiunt, mutato nomine, Johannes appellari voluit: vir, ſi quis umquam fuit, cùm defectu ætatis a ſacris canonibus requiſitæ, tum natalium vitio, & turpiſſimis facinoribus, quibus ſeſe maculaverat, tanto culmine indignus. Et tamen ab iſto pontifice Otto I. cognomento Magnus, Romam veniens imperiali diademate redimiri non renuit: quin & ipſi omnia a tyrannis olim ſedi apoſtolicæ ablata, perhumaniter reſtituit. Verum Johannes, qua erat perfidia, horum omnium immemor, & juramenti quod *ſancto imperatori* pepigerat, ut loquitur Luitprandus, oblitus, advocato per nuntios Adalberto Berengarii filio, promiſſoque ei adverſus Ottonem Romæ adhuc agentem auxilio, ipſum Adalbertum in Urbem venientem, contra pactum ſuſcepit, quibus irritatus imperator epiſcoporum conventum in eccleſia ſancti Petri coëgit, in quo omnium tam epiſcopo-

rum quam Romanorum procerum conſenſu exauctorato Johanni ſubrogatus eſt Leo VIII.

18. At Johannes corruptos pecunia & promiſſionibus Romanos, anno ſequenti in Ottonem ejuſque pontificem Leonem commovit. His Leo tumultibus fugatus, collecta a Johanne ſynodo deponitur, ac diris devovetur: nec multo poſt defuncto Johanni Benedictus V. ſucceſſor datur a Romanis. Verum Otto qui Leoni inviolate totiſque viribus adhærebat, Benedictum prius depoſitum, ſecum exulem duxit in Saxoniam. Leo uſurpata dignitate non diu eſt potitus. Nam eodem anno fato functus eſt, ejuſque in locum Johannes Narnienſis epiſcopus inthronizatur.

19. In tanta igitur rerum perturbatione, mirum forte non videbitur, ſi Johannes, qui Adalbertum adverſus Ottonem præter datam ipſi fidem concitarat, Lotharii etiam regis Francorum patrocinium imploraverit, eique tam ipſe quam Romanorum populus imperium obtulerit, ut Francorum vires viribus Saxonum opponeret, quamvis, ſi bellorum ſemina excipias, abſque ullo prorſus fructu. Nam Otto ſemper ejuſque filius pro imperatoribus habiti ſunt. Non defuerunt tamen his temporibus viri religioſi & docti, qui eorum in res ſacras temerarios auſus improbaverint, ac divinitus punitos cenſuerint: unde & Humbertus cardinalis libro 3. adverſus Simoniacos cap. 15. obſervat *Ottones præ omnibus ante ſe regibus ſacerdotalis officii præſumtores vix attigiſſe tertiam generationem.* Anecdot. tom. 5.

20. Defuncto anno 986. Lothario ſucceſſit Ludovicus filius ejus cognomento *Qui nihil fecit*, in quo defecit ſtirps illuſtris Caroli-Magni. Nam Hugo Capetus, capto per fraudem Carolo Ludovici regis defuncti patruo ac legitimo herede, Francorum uſurpavit coronam, quam poſt annos circiter decem morte reſignavit Roberto filio. Is in Henricum Cæſarem arma movere coactus eſt. Cum enim Balduinus Barbatus Flandriæ comes, contra Godefridum Arduennenſem patruum ſuum, Valentianas aliaſque civitates occupaſſet, Henricus Cæſar Godefridi vaſalli ſui defenſionem ſuſcipere e re ſua exiſtimavit, collectiſque copiis Valencenas obſidione cinxit. Tunc Robertus rex Francorum, una cum Richardo Normannorum duce, Flandro in auxilium advolat, ac Cæſarem ad ſolvendam obſidionem compellit. Hanc ulturus injuriam Henricus ſequenti anno Gandavum adoritur, ac ſumma vi oppugnat: ſed Balduinus cum delectiſſimo præſidio, hoſtem ſemel atque iterum a mœnibus repellit: qui expugnandi oppidi omni ſpe amiſſa, agros, villas, pagos, caſtella, vicoſque diripuit, incendit ac delevit. Rem ita narrant auctores Flandrici, at longe aliter Sigebertus: *Caſtrum Valentianas*, inquit, *ſitum in marchia Franciæ & Lotharingiæ, quod Balduinus comes Flandrenſium invaſerat, imperator Henricus obſidet, occurrente ad auxilium ejus Roberto rege Francorum & Richardo comite Normannorum. Henricus imperator, quia de obſidione Valentianenſi ineffica redierat, contra Balduinum profectus, caſtrum Gandavum invadit, & depopulata terra, aliquot primores Flandrenſium capit: unde Balduinus perterritus imperatori ſatisfacit, &c.* Igitur juxta Sigebertum, non Balduino, ſed Henrico imperatori, Robertus rex & Richardus dux Normannorum venerunt in auxilium, nec Cæſar a Gandavi mœnibus pulſus eſt, ſed e contrario oppidum ipſum expugnavit. Si vero Ditmarum conſulas lib. VI. Chronici, ubi hæc eadem exequitur, invenies quidem imperatorem Scaldim fluvium, nequicquam prohibente Balduino, pertranſiſſe, vicinitatemque contiguam populatum fuiſſe; cetera vero, vel de præſtito ei a Roberto rege auxilio, vel de expugnato ab ipſo auguſto Gandavo reperire nuſquam poteris. Sed haſce ambages plane extricaſſe videntur, quæ hoc tomo edita ſunt Geſta epiſcoporum Leodienſium cap. 26. in quo legimus, *Notkerum epiſcopum, ut conciliaret amicitias inter Robertum* De bello inter Henricum Cæſarem & Robertum Francorum regem. In Chron.

regem

regem & Henricum imperatorem Pariſius deveniſſe. Quibus ex verbis patet, diſſidium inter utrumque principem ante fuiſſe, & vel erraſſe Sigebertum, vel certe textum ejus corruptum fuiſſe.

21. De Henrico Roberti regis filio & ſucceſſore, aliud non minoris momenti, quod tacent omnes Hiſtoriæ Francorum ſcriptores, ex eiſdem geſtis epiſcoporum Leodienſium en proferimus. Cum Henricus III. rex Romanorum profectus eſſet in Urbem, benedictionem apoſtolicam cum imperii inſignibus percepturus, Henrico Francorum regi, qui Lotharingiam uſurpare jamdudum ſtatuerat, peropportune viſum eſt, ejus abſentiæ occaſione, invadere Aquiſgranum, ſuggerentibus regni proceribus *Aquiſgrani palatium jiuri ſuo, ut aiunt, appenditium eſſe, Germanum regem & principes abeſſe, raros hic milites, nihil contra moliri poſſe, poſtremo nihil obſtare, quin poſſeſſa principali ſede, in partem regni ſui cetera deinceps cedat Lotharingia.* Quomodo Henricum regem Francorum ab invadendo Aquiſgrano averterit Wazo epiſcopus Leod.

22. Ut tantam ab imperio tempeſtatem averteret Wazo Leodienſis eccleſiæ ſanctiſſimus antiſtes, aculeatas ac ſimul commiſerationis ſale reſperſas litteras ad Francorum principem dedit, in quibus hæc inter alia: *Penſate igitur, quæſo, quam ſit execrabile & indignum veſtræ regiæ liberalitati, longiſſime abſentis comparis ſedem & regnum velle furari, & ab iſtiuſmodi, quæſo, intentione animum revocate, quæ manifeſte repugnat veſtræ dignitati. Quin potius ſi quid fortiter, ſi quid potenter contra nos animo veſtro ſedet actitandum, expectetur reditus regis noſtri, ut quod expediat tunc a vobis fiat decentius. Sed eſto ſedes regni anteceſſoribus dolo circumventis ſublata tibi eſt jure hereditario repetenda: numquid interjecta tot terrarum ſpatia ſolus es aut ſine multitudine iturus? Minime: immo vero infinita militia, miſeris parcere neſcia comitaberis, qui etiam te nolente & fruſtra prohibente, mille hominum millia conſumere habebant incredibili vaſtitate. Unde certus eſto, ſi manus a clade innocentium, quam mente incœpiſti, non continueris, tot homicidiorum reus in oculis Altiſſimi teneris, quot hominum corpora vita carebunt, ſi hoc perfeceris.*

23. His rex commotus litteris, immo *ſubito immutatus mente, jubet epiſcoporum adeſſe cœtum, epiſtolam mandat viri Dei coram ſe recitari: recitata, hunc recte dici ſacerdotem, hunc vere proteſtatur eſſe epiſcopum, qui extraneus extraneo ſibi præ cunctis ex debito fidelibus ſanum dediſſet conſilium.* Addunt Geſta Wazonis epiſcopi, ejus epiſtolam *eo uſque pacis amorem in regis reformaſſe pectore, ut nihil tale ultra concipiens animo, imperatori mox ex Italia reverſo in reliquum dexteram cum ſacramento dederit & receperit.* Et revera anno MXLVIII. *Henricus imperator & Henricus Galliæ rex convenientes pactum inter ſe confirmant*, ut habet Chronicon Auguſtenſe. Quo autem convenerint non tradunt ſcriptores, una dumtaxat Andaginenſis monaſterii hiſtoria a nobis hic edita, locum deſignat, Ivodium diœceſis Trevirenſis oppidum haud ignobile, duabus tantum leucis a Moſomo diſſitum. Pag. 922.

Non eadem uſus eſt animi moderatione Godefridus dux Bullonius, cum anno ſequenti in odium Henrici imperatoris urbem Virdunum ſuccendit: cujus facti poſtea pœnitens, ſub vitæ finem *Virdunum ſe devehendum ſtatuit, ubi olim ſe condixerat ſepeliri gratia ſatisfactionis, ex quo eamdem civitatem ſuccenderat in contumelia Henrici imperatoris*, uti habet laudata Hiſtoria Andaginenſis.

24. De Philippo I. Henrici filio tria nos potiſſimum docebit Chronicon Turonenſe, quæ fruſtra quærentur in geſtis regum Francorum. Primum, caſtellum Juliodunum, quod tum ditionis erat Fulconis *Richin* comitis Andegavenſis, cum fratrem ſuum Gaufridum Barbatum graviſſimo bello ſuperavit, nulla alia cauſa ipſi ceſſiſſe, quam victoris Richini intemperantia Philippo regi Loſdunum cedit Fulco Andegavenſis comes.

quæ tanta fuit, ut captum fratrem ac ditione ſua ſpoliatum, apud Cainonem caſtrum munitiſſimum conjecerit in carcerem, trigintaque ibidem annis detinuerit. Hac quippe feritate commotis principibus vicinis, & Gaufridum in libertatem aſſerere meditantibus, caſtellum prædictum Richinus Philippo regi, cujus unius vires formidabat, tradidit ac dimiſit, ut videlicet a ſeſe ejus arma averteret. Sed ipſius Chronici Turonenſis verba proferre juvat: *Dedit Fulco* Richin *comes Andegavenſis Philippo regi Franciæ caſtrum Laudunenſe* ſeu Loſdunenſe, Gallice *Loudun, fratre ſuo vivente, quem tenebat in carcere, ea conditione, quod non cogeret eum fratrem ſuum a carcere liberare.* Si veteri fragmento Hiſtoriæ Francorum ex mſ. Floriacenſi edito apud Cheſnium credimus, Fulco *formidans ne rex pro perpetrata fraude ſibi adverſaretur, comitatum Vaſtinenſem, quem Andegavenſes comites ante eum tenuerant, eidem regi conceſſit.* Verum Chronico Turonenſi concinunt Geſta conſulum Andegavenſium, in quibus legitur: *Sed Fulco.... regem Francorum adiit, & cum eo fœderatus, Philippo regi Landonenſe caſtrum conceſſit.*

Tom. 4.

Spicil. tom. 10.

Qui etiam ejus juſſu Radulfum archiepiſc. Turonenſem a ſede ſua dejicit.

25. Secundo, ut regis ſibi gratiam amplius conciliaret Fulco, Radulfum archiepiſcopum Turonenſem, legatis apoſtolicis inveſtituras beneficiorum eccleſiaſticorum regi auferre molientibus faventem, juſſu ejuſdem Philippi a ſuo deturbavit archiepiſcopatu. Id certe diſertis verbis adſtruit Chronicon Turonenſe: *Anno Domini* 1081. *ejectus eſt Radulfus inimicus Dei ab archiepiſcopatu Turonenſi a Fulcone* Richin *comite Andegavenſi, de mandato Philippi regis Franciæ, eo quod idem Radulfus fœvebat Amato & Hugoni Dienſi epiſcopo, legatis Romanæ eccleſiæ, qui auferre epiſcopatus regni ſui ſubdole præſumebant, & ſuper hoc ſtare juri in curia regis, ſicut juraverat, renuebat.*

In pœnam ſuperductæ Bertradæ electione epiſcoporum privatur.

26. Dum vero ſic penderet ex regis arbitrio illuſtris Andegavenſium comes, omnique officio gratiam ejus ſibi promereri conaretur, contra Philippus res comitis magis ac magis appetebat, Bertradamque ipſam uxorem ejus abducere ac multos annos, maxima omnium offenſione, ſibi uſurpare non eſt veritus, neque ullis precibus aut minis, ac ne vix quidem eccleſiaſticis cenſuris ad eam reſtituendam cogi potuit, ut plerique ſcriptores fuſius exequuntur: ſed quod ad noſtram rem attinet, eorum nullus præter chronographum noſtrum obſervavit, Philippum regem, ubi ad meliorem frugem eſt converſus, ac ſacræ communioni redditus, eccleſiarum inveſtituris, quas tanto ardore ambierat, hac occaſione exutum & ſpoliatum fuiſſe. Verba ejus hic proferre non pigebit: *Philippus rex Franciæ dimiſſa uxore comitis Andegavenſis, pro pœna amiſit omnes electiones epiſcopatuum regni ſui: comes vero pro recompenſatione uxoris ſuæ, habuit electionem epiſcopi Andegavenſis.* Addit denique Gaufridum Martellum, qui pro Fulcone patre ſene comitatum Andegavenſem adminiſtrabat, Gaufridum patruum, qui ei comitatum conceſſerat, e carcere liberaſſe.

Obſervationes de Philippo Auguſto.

27. Si fides ſit Radulfo abbati Coggeshale, defuncto Henrico VI. imperatore, Friderici I. filio, *facta eſt diſſenſio inter epiſcopos & proceres imperii de imperatoria electione. Nonnulli ſiquidem elegerunt Philippum regem Galliæ, alii regem Angliæ, qui dudum captivus inter eos extiterat.* De hac vero utriuſque regis electione altum apud omnes auctores ſilentium, qui Philippum Suaviæ ducem Henrici defuncti fratrem, atque Ottonem ducis Saxoniæ filium de imperio tunc decertaſſe docent. Neque etiam id diffitetur Coggeshalenſis abbas, qui ſubdit: *At aliqui ducem Suaviæ, atque aliqui ducem Saxoniæ, qui tunc erat in expeditione Jeroſolymitana* elegerunt. *Sed rex Richardus divitiis & conſiliis callens, tantum egit muneribus & xeniis erga archiepiſcopum Coloniæ & erga proceres imperii, quod omnibus aliis omiſſis,*

Othonem nepotem ſuum ex ſorore, filium Henrici ducis Saxoniæ, miræ ſtrenuitatis & elegantis corporis adoleſcentem eligerent, atque hunc in ſolio regni Teutonici apud Aquiſgrani ſublimarent, expulſo duce Suaviæ, &c. Longe æquiora ac veritati magis conſona videntur ea quæ ſcribit Guillelmus Armoricus: *Philippus dux Suaviæ frater Henrici imperatoris, conſilio & auxilio regis Francorum innixus, maximam imperii partem obtinet: Otto vero filius ducis Saxoniæ non minorem eo partem evincit, fretus, auxilio regis Angliæ avunculi ſui: quorum uterque coronatus eſt in regem ſuper Germaniam contentioſe, & multa inter ſe prælia commiſerunt.* Et certe prævalebat jam pars Philippi, omnibus fere imperii principibus ei adhærentibus, & reconciliato illi ſummo pontifice, cum in civitate Bambergenſi a comite Palatino proditione indigna eſt peremtus.

Quantum Philippo regi debuit Richardus rex Angliæ.

28. Verum ex his abbatis Coggeshalenſis & Guillelmi Armoricenſis verbis colligere quis poſſet, quantum ſibi adverſarentur Philippus Francorum & Richardus Anglorum rex: quamvis alias hic illi maxime eſſet obnoxius. Nam cum pater ejus Henricus, accepta cruce, adverſus infideles eſſet profecturus, Angliæ coronam Johanni minori filio, excluſo Richardo, deferre voluit, detuliſſetque haud dubie, niſi ad has redactus anguſtias Richardus Philippi regis auxilium imploraſſet: qui junctis ſtatim cum eo copiis, atque expugnatis Cenomanis & Turonibus, Henrici patris animum flexit, atque in Richardum facile inclinavit, ut docet continuata Guillelmi Tyrii hiſtoria hic edita.

Richardi ingratitudo & odium in Philippum regem.

29. At tanti beneficii immemor fuit Richardus, vixque, erepto e vivis Henrico, paternum regnum adeptus eſt, cum ſtatim Philippo regi adverſari cœpit, omnibuſque ejus conſiliis obſiſtere, atque eo ſenſim progredi, quod ſane mali animi indicium eſt, ut infeſto eum odio proſequeretur. Teſtem ejus odii habemus Radulfum abbatem Coggeshalenſem, auctorem Anglum, & in ſuum regem proclivem, qui Richardi mortem in Chronico ſuo Anglicano deſcribens, ſic loquitur: *Rex autem de ſoſpitate conſequenda nimis incertus, matrem quæ apud Fontem-Ebraldi morabatur, litteris accerſivit, exitum ſuum vivifico ſacramento Dominici corporis munivit, confeſſione præmiſſa a quodam ſuo capellano, a cujus ſacramenti perceptione, ob tanti myſterii reverentiam, fere ſeptennium, ut dicunt, abſtinuerat, eo quod mortale odium erga regem Galliæ in cor de geſtaverat.* Quod quidem odium an vel moriens depoſuiſſet neſcio, niſi Milo abbas de Pinu, qui eleemoſynis ejus præerat, eum de *confeſſione criminum* pie & ex officio monuiſſet. Verum non hoc ſolum ingrati animi vitio Richardum putes infectum fuiſſe. Nullum avaritiæ, nullum feminarum libidini modum ponebat: tanta vero morum aſperitate & immanitate naturæ agitabatur, *ut quoſlibet de negotiis ſuis eum interpellantes minaci oculo transfigeret, proterva ac feroci voce reverberaret, leoninam feritatem in vultu & in geſtu prætenderet, niſi pro libitu ſuo pecuniis & promiſſis tumidum animum delinire ſatageret.* Attamen longe crudelior fuit Johannes frater ejus & ſucceſſor, de quo hæc Chronicon Turonenſe, quæ ſane horrorem incutiunt: *Cognoverat omnibus ſe exoſum, tum propter vitam impuram qua ſeipſum polluerat, tum propter ſævitiam inauditam, quam exercuerat in ſubjectos. Nam quaſi alter Herodes a bimatu & infra pueros occidebat, alios excoriabat, alios in aquis mergebat, alios ſuſpendebat, alios in aquis calentibus ebullire faciebat, alios fame afflictos ſocios & etiam ſeipſos devorare & comedere faciebat.*

Duo captivi reges per duos abbates Cluniacenſes libertate donati.

30. Dum res Anglicas hic expendimus, in mentem venit Eduardus VI. de cujus pactis cum Johanne Francorum rege, acta varia olim edidimus, obſervamuſque ex noſtro Cornelio *Zantfliet*. Androïnum abbatem Cluniacenſem, virum in rebus gerendis ſtrenuum, pacem inter utrumque regem

diu & fruſtra tentatam feliciter perfeciſſe. Nam cum regis Franciæ filii & proceres tractatum Londonienſem, ut regi regnoque iniquum, merito reprobaſſent, atque ideo Eduardus excandeſcens, vaſtitatem Galliæ intenderet,

Pag. 270. *Venerabilis vir dominus abbas Cluniacenſis, ex intimis cordis medullis compatiens deſolationi regni Francorum, venit ad Eduardum regem Anglorum pro tunc reſidentem & exercitum refocillantem in Carnoto civitate, ubi ex inſtinctu & gratia Spiritus-ſancti & beatæ Mariæ Virginis, quæ eſt patrona Carnotenſis eccleſiæ, pacis formam inter reges Francorum & Anglorum tractavit, quæ confeſtim ab omnibus gratanter & jocunde tam Anglicis quam Francorum proceribus acceptata eſt & approbata.* Hæc pacis compoſitio adeo regis Eduardi gratiam & favorem abbati conciliavit, ut eum ſtatim ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalem ab Innocentio papa VI. creari procuraverit, uti ex ejuſdem papæ epiſtola 199. ſecundo Anecdotorum noſtrorum tomo edita colligitur.

31. Conſimile jam olim officium Richardo Anglorum regi contulerat alter Cluniacenſis abbas, Hugo de Claromonte, alto regum & Cæſarum ſanguine genitus. Cum enim ab expeditione Jeroſolymitana per Germaniam ille rediret, ab Henrico VI. imperatore captus tamdiuque detentus fuit, donec libertatem, *mediantibus amicis & præcipue abbate Cluniacenſi & cancellario regis, obtinuit,* inquit Radulfus Coggeshale, & ſic quod nullus ante nos obſervavit, duos potentiſſimos reges captivos abbates duo Cluniacenſes in ſceptra ſua repoſuere.

32. Qui Johanni regi ſucceſſit Carolus V. Franciæ regnum patris captivitate deſolatum tam ſapienter adminiſtravit, ut *Sapiens* haberi & appellari meruerit, cumque, favente ejus conſiliis Deo optimo, novam faciem reſpublica, ſuum provinciæ omnes decorem induere viderentur, tot inter proſpera, regni heredem rex deſiderabat, & longo mœrore tabeſcens, reginam ſterilem, renunciato ipſi repudio, dimittere cogitabat. Tum vero, ut ſcribit Cornelius *Zantfliet* hic editus, quæſivit Urbani V. conſenſum, miſſo Avenionem ipſomet fratre ſuo, qui de negotio tractaret; verum non annuit pontifex, qui ſumma præditus ſanctitate, prophetico ſpiritu regi denunciavit, ante præfixum breviſſimum terminum naſciturum reginæ filium, qui olim in patris ſolio ſederet, & ſceptris ejus potiretur: quæ cum non meminerim me uſquam legiſſe, Cornelii verba cum ipſa Urbani epiſtola hic referre non gravabor.

33. *Eo tempore Carolus rex nimium mœſtus ſuper ſterilitate uxoris ſuæ, poſtulabat ab Urbano papa celebrari divortium inter ipſum & reginam, proſpiciens, ut aiebat, ſaluti regni: quod cum vir ſanctus nullis cauſis divortii ſubſtantibus, præter ſterilitatem, omnimode recuſaret: rurſum miſit fratrem ſuum Philippum juniorem, humillimis ac ſedulis precibus idipſum requirens: adjungens quod niſi exaudiretur ad votum, etiam nolente papa, reginam a ſuo thoro repelleret. Cujus importunitati papa condeſcendens, tam clero quam populo Avenionis injunxit, ut intente Deum deprecarentur, quatenus votum Francorum regis, ſi ſibi expediens foret, exaudire dignaretur. Ipſe etiam ſummus pontifex ob eamdem cauſam, ad miſſam celebrandam ſe mox accinxit, qua devote peracta, fratrem regis blande allocutus, remiſit ad fratrem, cum epiſtola continente hæc verba: „Carole fili ſincere dilecte, eo „die quo uxorem tuam deſponſaveras, omnem ei fidelitatem & amorem in„tegerrimum ſpopondiſti, & illa tibi: ita quod nullo ſuccreſcente caſu, demta „cauſa fornicationis, diſjungi poſſetis ab alterutro. Ea propter, fili cariſſime, „poſt hæc uxorem tuam omni qua potes & debes affectione cordis amplectere, „ei quæ juſta ſunt exhibe, & carnis debitum juxta Pauli apoſtoli monitum ex„ſolve. Deum time, eccleſiam ejuſque miniſtros venerare. Quod ſi feceris,*

indubie

indubie tibi promitto, confisus de misericordia Dei, quod infra spatium sep- «
tem mensium, uxor tua filium concipiet, qui tuus erit successor & heres. «

Addit Cornelius Carolum, his acceptis litteris, animum deinceps reginæ adjunxisse, quæ tandem XII. Martii juxta verba viri Dei conceptum filium cum ingenti Francorum tripudio edidit quarta Decembris, *qui ab omnibus regnicolis Filius Urbani agnominabatur, & in baptismate Carolus dictus est, patrique successit in regno.*

§. III.

OBSERVATIONES.

De episcopis Leodiensibus.

34. Cum potiorem hujus voluminis partem occupent gesta episcoporum, & rerum Leodiensium scriptores, duo mihi hic paucis investiganda proposui, quæ a scopo nostro aberrare minime videntur. Quantum ordini S. Benedicti debeat nobilis ecclesia Leodiensis, quantum huic vicissim ordo Benedictinus. Quocumque enim oculos injiciam, sive sanctitatem ejus ecclesiæ, sive doctrinam considerem, aliaque id genus ornamenta, quibus passim enituit, hæc fere omnia a patribus nostris prodiisse reperio: quorum vicissim mater fuit optima, quos gratia sua fovit, quos titulis & honoribus exornavit, quos divitiis suis auxit, cumulavitque.

Episcopi Leodienses ex ordine S. Benedicti assumti.

35. Primum ut exequar, observo insigniores seu Trajectenses seu Leodienses episcopos Benedictinos fuisse: quorum videlicet dux S. Amandus multorum monasteriorum pater & fundator, disseminato apud Belgas evangelio, unde & Belgarum apostoli nomen retulit, jubente Sigeberto rege, concurrente cleri populique suffragio, raptus, tres annos omnem regionem cœlesti doctrina illustravit, ut pluribus verbis exequitur vitæ ejus scriptor Baudemundus: *Adveniente*, inquit, *obitus sui die Trajectensium episcopus feliciter migravit ad Dominum. Rex igitur hujus venerabilis viri comperiens obitum, sanctum accersire fecit Amandum, congregataque multitudine sacerdotum, populi turba non modica, ad regendam Trajectensium ecclesiam eum proposuit. Illo vero renuente, atque se indignum vociferante, omnes una voce clamabant, dignum eum esse sacerdotio, atque ob animarum sollicitudinem, ecclesiam magis quam pecunia quæstum debere suscipere. Coactus igitur a rege ac sacerdotibus pontificalem suscepit cathedram, sicque per triennium fere vicos vel castra circumiens, verbum Domini constanter predicavit.* Exacto autem summa cum laude triennio, vix impetrata a Martino papa licentia, abdicata dignitate, in solitudinem secessit.

I. S. Amandus.

36. Hunc proxime sequutus est S. Remaclus, vir vere apostolicus, abbas primum Solemniacensis monasterii, deinde Casegongeduni, ac demum Stabulensis & episcopus regionarius, uti alias demonstratum est, magna ubique edens specimina sanctitatis eximiæ: de cujus præclara administratione hæc pauca leguntur in ejus vita ab auctore gravi & antiquo: *Quis vero enarrare sufficiat, quanta illi fuerit cura pauperum victus, cum sit factus orphanorum pater, viduarum pius adjutor, infirmorum benignissimus consolator, omniumque necessitatibus largissimus procurator. Virtus itaque humilitatis tanta in eo refulsit, ut cunctis inferiorem se cuperet esse mari, quo fieret juxta Apostolum forma omnibus, ne incideret in illius sententia opprobrium, ne forte aliis predicans, ipse reprobus efficiatur.* Et certe hujus maxime virtutis studio, deposito post aliquot annos onere pontificali, in vastissima eremo Stabulensi sese abdidit, Deo soli procul ab humanarum rerum splendore vacaturus, ibique quod vitæ reliquum fuit, exegit.

II. S. Remaclus.

37. Suffectus est ei, ut desideraverat, S. Theodardus e Gallia oriundus

III. Sanctus Theodardus. & abbas Stabulenſis, qui ab eccleſiæ ſuæ prædonibus, quos apud Childericum regem inſequebatur, in ſaltu *Bevalt* prope Nemetum occupatus & interemtus, ſedem Trajectenſem glorioſo martyrio decoravit, corpore ejus in fruſta comminuto.

IV. S. Lambertus. 38. Is ſanctum Lambertum, qui ſubſequutus eſt, & patronus fuit deinceps tutorque civitatis Leodienſis, traditum a parentibus *divinis dogmatibus & monaſticis diſciplinis* erudiendum ſuſceperat, eoque provexerat, *ut ſi ſecundum inſtitutionem canonicam licitum ei fuiſſet*, ait Godeſcalcus canonicus Leodienſis, *eum quaſi filium heredem & ſucceſſarem ſibi elegiſſet*. Neque vero inane fuit omnino S. Theodardi votum, nam ipſo, uti diximus, a ſicariis peremto, ſummo omnium plauſu Trajectenſium pontifex declaratus eſt S. Lambertus, qui Deo, cum eſſet acceptiſſimus, neceſſe fuit ut tentatio probaret eum. A viris itaque iniquis exagitatus, & a ſede deturbatus, cedere coactus eſt, intruſo ejus in locum Faramundo. Tunc electus Dei pontifex ad Stabulenſe monaſterium perrexit, *ac vera ac profunda humiliatione, jugum obedientiæ & ſubjectionis ab abbate ſibi imponi petiit & obtinuit, ibidemque per ſeptem annos ſanctam & angelicam vitam in omni virtutum obſervantia exegit*, ut ſcribit Nicolaus canonicus Leodienſis. Sed mortuo poſt ſeptennium Ebroino, Pipinus, qui tunc Auſtraſiam gubernabat, ejecto Faramundo, Lambertum ſuæ reſtituit ſedi, quam deinceps digne occupavit ad annum uſque ſeptingenteſimum octavum, quò martyrii palmam conſecutus eſt.

V. Agilfridus. 39. Ei poſt S. Hubertum, Frorbertum & Fulcarium, ſucceſſit Agilfridus, qui ex monacho Elnonenſi, abbas Gandavenſis S. Bavonis, deinde Elnonenſis, ac demum Leodienſis epiſcopus, Deſiderium regem Longobardorum juſſu Caroli-Magni adduxit in Franciam, relegandum in Corbeienſe monaſterium.

VI. Richarius. 40. His acceſſit ſæculo x. ineunte Richarius abbas Prumienſis, Romæ ordinatus epiſcopus a Johanne papa, qui deſtructam a Normannis Leodienſem S. Petri eccleſiam inſtaurare aggreſſus, *ampliavit & in honore apoſtolorum principis conſecravit, deputans illic tantum prædiorum, ut triginta canonicis ad victum & veſtitum ſufficeret.*

VII. Ogo, ſive Hugo. 41. Defuncto autem Richario anno DCCCCXLV. ſubrogatus eſt Ogo, ſeu Hugo, abbas & reformator Trevirenſis S. Maximini monaſterii, vir ſagacis ingenii, & in rebus eccleſiaſticis apprime verſatus, de quo hæc habet Flodoardus in ſuo Chronico: *Richario Tungrenſi epiſcopo defuncto, idem epiſcopium rex Otto Hugoni abbati monaſterii S. Maximini, nolenti atque refugienti dedit, eumque ordinari fecit epiſcopum.*

VIII. Farabertus. 42. Poſt Hugonem eccleſiæ Leodienſis regimen ſuſcepit Farabertus, quem Ægidius Aureæ-vallis monachus, *virum religioſum* appellat. Is ex comitibus S. Pauli de palatio prognatus, ſpretis blandientis ſæculi deliciis, Prumiam ſeceſſerat, & Ruodfrido abbati datus ſucceſſor, ea ſapientia adminiſtrarat, ut ſub eo & monachorum numerus accreviſſe, & diſciplinæ regularis obſervantia mire floruiſſe dicatur. Præfuit Leodienſi eccleſiæ ab anno DCCCCXLVII. ad DCCCCLIII. quo exuta mortalitate epiſcopatum cum vita dimiſit.

IX. Ratherius. 43. Ei ſucceſſit Ratherius monachus Lobienſis, vir pro illa ætate doctiſſimus, epiſcopus olim Veronenſis eccleſiæ, ab eaque ſede jam ſecunda vice ejectus. Deligitur autem conſilio & auctoritate Brunonis Colonienſis archiepiſcopi, fratris Ottonis magni imperatoris, tamquam vir doctrina & probis moribus præditus, & ad emendandam clericorum liberiorem vivendi rationem idoneus. Sed dum acrius ſolito, mordaciuſque tam verbis quam ſcriptis invehitur in depravatos hominum mores, nemini prorſus,

nec potenti, nec humili indulgens, adeo gravem in ſe concitavit perſecutionem, ut cedere compulſus fuerit. De quo plura Mabillonius cum in Annalibus Benedictinis, tum in Actorum ſanctorum ordinis S. Benedicti tom. 5. ubi egregium ipſius elogium conſcripſit.

X. Everaclus a Ratherio inſtitutus.

44. Cum vero plures Ratherius diſcipulos ſub ſua inſtituerit diſciplina, non ultimo loco habendus videtur Everaclus poſt eum & Baldericum Leodienſis epiſcopus, qui ſcripta ad ipſum Ratherium *epiſcopum Veronenſem*, epiſtola, *indignum* ſe ejus *filium* vocat, ſuamque ipſi educationem acceptam referens, *Priſtinam*, inquit, *ſæpe ſoleo ante oculos dulcedinem ponere.... quo modo me foviſti, ut commanducandum cibum, ſicut nutrices infantibus edentulis, in os meum projeciſtis.* Quo etiam nomine bene de eccleſia Leodienſi meruiſſe dicendus ordo Benedictinus, qui tantum ipſi formavit pontificem. Hic quippe eſt inſignis ille Everaclus, de quo legitur, quod cum apud Leodios *funditus litterarum ſtudium cum memoria obſoleviſſet, ſcholas per clauſtra ſtabilire curavit*, idque, ut æſtimare licet, conſilio & hortatu Ratherii. Apud Chapeav. t. 1. p. 190.

XI. Notkerus.

45. Everaclo ſuffectus eſt in ſede Leodienſi Notkerus, monaſterii S. Galli præpoſitus, doctrina, pietate ac rebus præclare geſtis inter Eburonum antiſtites maxime commendandus: cui tria canonicorum collegia, S. Dionyſii, S. Johannis, & S. Crucis Legia debet. Huic in educandis pueris atque ad diſciplinas eccleſiaſticas ſtudio inſtruendis, tanta fuit cura ac ſollicitudo, ut ſi quando ad remotiora ſibi loca pergendum foret, *ſcholares adoleſcentes, qui uni ex capellanis ſub arctiſſima, non aliter quam in ſcholis, parerent diſciplina, ſecum duceret, cumque his librorum copiam ceteraque arma ſcholaria circumferri faceret.* Adeoque ſub ipſo floruerunt ſcholæ Leodienſes, ut ad ipſas ex longinquis etiam provinciis undique advenirent. Teſtis hujus rei locupletiſſimus eſſe poteſt Maurilius Rothomagenſis archiepiſcopus, qui Leodii litterarum ſtudiis vacavit, ut videre eſt in ejus epitaphio apud Ordericum Vitalem, in quo hæc inter alia,

Hunc Remis genuit, ſtudiorum Legia nutrix
Potavit trifido fonte philoſophico.

Maurilio Rothomagenſi accenſendi ſunt Guntherus Salisburgenſis, Rothardus & Herluinus Cameracenſes, Haimo Virdunenſis, Hezelo Tullenſis, Adeboldus Trajectenſis antiſtites, qui omnes e Notkeri ſcholis ad eccleſias cathedrales regendas aſſumti ſunt. Plures etiam taceo magiſtros, qui eam quam Leodii ſub Notkero epiſcopo hauſerant doctrinam, ad exteros tranſmiſerunt; quos inter Durandus, qui Leodienſis poſtea fuit epiſcopus, *Bavembergenſem eccleſiam religionis & artium liberalium diſciplina* illuſtravit, & Hubalbus qui poſtquam Pariſienſes S. Genovefæ canonicos varia imbuit doctrina, Pragam Bohemiæ civitatem tranſmiſſus, præclara Chriſtianæ religionis documenta ibidem tradidit.

XII. S. Wolbodo.

46. Denique ſuum etiam ordini S. Benedicti Wolbodonem debet eccleſia Leodienſis, quidquid in contrarium reclamet Godefridus Henſchenius. Nam quod ex ejus vita a Renero S. Laurentii monacho conſcripta obſervat, Wolbodonem eccleſiæ Ultrajectinæ canonicum a puero inſtitutum, ac variis deinde muniis & dignitatibus eadem in eccleſia perfunctum, Leodienſi ſtatim præfectum fuiſſe, tantum abeſt ut aliquid nobis faceſſat negotii, ut vix validius argumentum ad aſſerendum ordini noſtro Wolbodonem proferri queat. Conſtat ſiquidem monachos, quos S. Wilbrordus primus Ultrajecti epiſcopus in eccleſia ſua inſtituerat, Wolbodonis adhuc tempore ibidem perſeveraſſe: id quod non obſcure innuit Anſelmus canonicus ſeu Alexander, cum de Wolbodone ſic loquitur: Baldrico *vir Domini Wolbodo ſucceſſit, qui apud Ulterius Trajectum ſub* RELIGIOSIS ADMODUM PATRIBUS

in eccleſiaſticis CLAUSTRALIS VITÆ *adolevit diſciplinis*. Et paulo poſt ait, *eumdem* INVITUM AB CLAUSTRALI QUIETE *abductum* fuiſſe ab Henrico imperatore. Nec obſtat quod Renerius ipſum vocet canonicum. Eo enim nomine appellatos fuiſſe monachos, qui in eccleſiis cathedralibus inſtituti erant, multis exemplis poteſt oſtendi, idque ipſe Renerius videtur innuere, cum ait Wolbodonem factum Ultrajecti præpoſitum, ſuos hortari ſolitum, *tam moribus quam* HABITU *eſſe regulares*.

47. Ex his patet quantum eccleſiæ Leodienſi acceſſerit ornamenti ex ordine Benedictino, a quo tot epiſcopos tamque inſignes recepit, inter quos Amandus, Remaclus, Theodardus, Lambertus, Wolbodo, ſacris eccleſiæ faſtis inſcripti, præcipuo honore coluntur: alii vero pietate, doctrina, ac rebus præclare geſtis æternam apud poſteros ſibi laudem peperierunt.

Præcipui rerum Leodienſium ſcriptores fuere Benedictini.

48. Neque vero ſolo hoc nomine Benedictino ordini devinctam putes eccleſiam Leodienſem. Quantum ei decus noſtri ſcriptis ſuis contulerint quis ignorat? Nonne his unis referendum ſi modo pluribus lætatur monumentis, ſi horum laudat ſanctitatem, ſi doctrinam illorum miratur, ſi hujus conſtantiam, ſi ceterorum virtutes alias enumerat? Hæc omnia a noſtris fere unis edita, a noſtris unis bibliothecis prodierunt. Quis acta S. Amandi edidit? Nonne Baudemundus & Milo Elnonenſes monachi? Quis Remacli vitam conſcripſit? Nonne Anonymus Stabulenſis & Notkerus S. Galli monachus? Quis acta S. Theodardi? Nonne Sigebertus Gemblacenſis? Quis S. Lamberti? Nonne Galfridus monachus Elnonenſis? Quis Wolbodonis? Nonne Renerius S. Laurentii monachus? His adde ceterorum antiſtitum ſeries & geſta, continuataſque hiſtorias noſtrorum plerumque ſtudio collectas, digeſtas, adornataſque, ut merito Benedictinos hiſtoriæ Leodienſis parentes appellaveris. Atqui hoc nomine laudandus in primis venit Notkerus, qui primus hanc ipſe provinciam ſuſcepit: id quod ipſe teſtatur in epiſtola ad Werinfridum abbatem Stabulenſem his verbis: *Non ejus modo, cujus meminimus S. Remacli, verum ceterorum noſtræ ſedis pontificum tempora & geſta, quæ undecumque potuere corradi, ad noſtra uſque tempora collegi, & cujus potiſſimum anhelabas deſiderio, vitam inde exceptam votis tuis porrexi.* Hoc Notkeri opus diſtinguendum exiſtimamus, ab eo quod eodem de argumento Herigerus abbas Lobienſis conſcripſit, a Johanne Chapeavilla editum, cum quia Notkero dicenti ſe geſta pontificum ſuæ ſedis ad ſua uſque tempora collegiſſe credendum eſt, tum quia S. Remacli vita, quam Werinhario abbati Stabulenſi nuncupavit, quamque ex ſuo majori opere excerpſiſſe ſe aſſerit, ab ea diverſa eſt, quam edidit Herigerus: quæ duæ rationes prævalere debent ſilentio Anſelmi & Ægidii, qui Herigeri quidem meminerunt, non Notkeri. Nec obſtat quod in S. Martini Leodienſis codice mſ. de geſtis pontificum ab Herigero collectis præponatur Notkeri nomen, cum hic qualiſcumque error librario, ſimile opus a Notkero editum haud ignoranti, excidere facile potuerit.

Notkerus, & Herigerus.

Rupertus, &c.

49. Notkero & Herigero accenſendus eſt Rupertus S. Laurentii in Montepublico monachus, & poſtea abbas Tuitienſis, qui geſta etiam pontificum Leodienſium monaſterii ſui hiſtoriæ præmiſit, quinque libris digeſta, ex quibus vix duo ſuperſunt hodie, uti ſuo loco diximus, licet eos ſanos & integros ad ſua uſque tempora ſuperſtites viderit Adrianus de Veteri-Buſco. Poſt Rupertum vero Renerius, Lambertus ſeu quivis alius auctor anonymus, Adrianus de Veteri-Buſco, Johannes Stabulaus & alii S. Laurentii monachi incœptam a Ruperto monaſterii ſui hiſtoriam continuantes, ſubſequentium etiam epiſcoporum geſta perſtrinxerunt. His adde Ægidium Aureæ-vallis monachum pium perinde ac doctum, cujus non ſpernendum opus de Leodienſibus epiſcopis edidit Johannes Chapeavilla.

50. Verum

50. Verum præter hæc noſtrorum Benedictinorum commentaria, quæ Leodienſes ſive Tungrenſes Trajectenſeſque antiſtites unice tangunt, ſi ceterorum jam ſcripta enumerare pergam, vix aliquis erit præfationi modus, cum nullum ſit in ampliſſima illa diœceſi monaſterium, quod non ſuis doctiſſimis ſcriptoribus illuſtretur. Utque a Stabulenſi, quod omnium eſt antiquiſſimum in ipiam, præter prædictum anonymum, qui librum unum de vita S. Remacli & alterum de ejus miraculis, hortante Ainrico abbate Indenſi, edidit, duos etiam de triumpho S. Remacli libros graviſſima oratione conſcripſit alter anonymus, nuncupato priore libro Stabulenſibus ſuis, poſteriore Theoderico abbati. Quibus accedunt præclaræ illæ Wibaldi ejuſdem loci abbatis epiſtolæ, ſecundo hujus collectionis tomo editæ, quæ quanti ſint pretii, quantum hiſtoriæ cum civili tum eccleſiaſticæ conferant jam alibi oſtenſum eſt. Scriptores Stabulenſes.

51. In monaſterio S. Trudonis in Hasbania floruit in primis Rodulfus abbas, qui geſta abbatum Trudonenſium libris XIII. conſcripſit, ab Acherio noſtro tomo IX. Spicilegii publici juris facta, quibus breve hoc Rodulfi præmittit elogium: *Rodulfus abbas vir inſignis religione, doctrina, prudentia & conſtantia, qui non ineleganti ſtilo deſcribit nude ac ſincere, nec ſtudio partium indulgens, quæ vel a probatis & optimæ notæ ſcriptoribus edoctus erat, vel, ex antiquis monumentis, quantum ipſi fas fuit, eruerat, quæve ab oculatis teſtibus hauſit, aut ipſemet perſpexit.* Scripſit præterea idem Rodulfus libros VII. adverſus Simoniacos, quorum meminit Trithemius in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis, quoſque vidit olim Mabillonius in mſ. codice Gemblacenſi, qui poſtea in generali monaſterii conflagratione igne conſumtus eſt. Et in primo quidem libro primam & maximam hæreſim eſſe ſimoniam oſtendebat. In ſecundo deplorabat, quod nihil maximum aut minimum tunc eſſet in domo Dei, quod qualicumque modo non eſſet venale. In tertio ab agris incipiens, id eſt a presbyteris villarum, progrediebatur uſque ad rectores & magiſtratus eccleſiarum, oſtendens quomodo clerici fieri, & eccleſias ſuſcipere ſolerent. In quarto ab agris tranſit ad urbes, agens de venditionibus præbendarum, & omnium officiorum quæ ſunt in eccleſia. In quinto ſibi objiciebat, quod de monachis loquens ſimonias eorum diſſimulabat. In duobus poſterioribus libris purgabat ſe de hujuſmodi objectis. Hoc opus Lieberto canonico Inſulenſi inſcripſerat, cujus in nuncupatoria epiſtola alterius mentionem faciebat opuſculi eodem de argumento a ſe compoſiti. *Nuper tibi frater Lieberte*, inquit, *ſcripſeram libellum, quem Labyrinthum primæ ſimoniæ intitulaveram.* His adde egregiam epiſtolam ad Sibertum priorem S. Pantaleonis Colonienſis, de puerorum in monaſteriis receptione, a Mabillonio editam tomo 2. Analectorum; & aliam ſcriptam ad Alexandrum eccleſiæ Leodienſis invaſorem, aliamque ad eos qui illi favebant, *redarguens eos cum magna libertate animi & conſtantia, & auctoritate, de illicita ejus invaſione, & de tyrannide, quam in eccleſia exercebant quotidie, & inſtruens eos quæ eſſet canonica electio, & ad epiſcopatum eccleſiaſtica promotio, & de imperatoris dono.* Præterea Voſſius, Mabillonius & alii tribuunt ei vitam Lieberti epiſcopi Cameracenſis, quam Spicilegii tom. IX. vulgavit noſter Acherius. Scriptores Trudoniani. Rodulfus abbas. Chron. S. Trud. lib. XI.

52. In ejuſdem Rodulfi Chronici libro III. memorantur *duo magnarum & pulcherrimarum perſonarum viri, litterarum artibus & uſu eccleſiæ noſtræ*, inquit, *apprime eruditi, alter Liebertus, cujus ſtudio multi & optimi adhuc hodie habentur in bibliotheca noſtra libri, &c. Alter vero Stepelinus, cujus nos diu poſt ſepulturæ interfuimus.* Is duos de miraculis S. Trudonis libros conſcripſit, a Mabillonio editos ſæculo VI. Benedictino. Liebertus & Stepelinus Trudonienſes monachi.

53. Theodericum vero S. Trudonis abbatem ita commemorat Sigebertus Theodericus abbas.

Gemblacenſis: *Theodericus monachus & abbas S. Trudonis, vitas SS. Bavonis Trudonis & Rumoldi urbaniore ſtilo meliorávit, & eleganti ingenio multa breviter quidem, ſed laudabiliter metrice ſcripſit.*

Lobienſes ſcriptores. Fulcuinus & Rather. 54. Sæculo x. duo ſplendidiſſima lumina Lobienſi monaſterio illuxere, qui tum doctrinæ ſuæ radios longe lateque diſperſerunt, Fulcuinus abbas, auctor chronici de geſtis abbatum Lobienſium, vitæ S. Urſmari, & S. Fulcuini epiſcopi Tarvanenſis. Et Ratherius Veronenſis poſtmodum antiſtes, deinde Leodienſis, cujus opuſcula varia & epiſtolas aliquas edidit noſter Acherius, præmiſſis in præfatione quamplurimis antiquorum auctorum de Ratherio teſtimoniis egregiis.

Spicil. tom. 2.

Herigerus. 55. His acceſſit alterum ordinis noſtri decus, Herigerus poſt Fulcuinum abbas Lobienſis, de quo Sigebertus: *Herigerus abbas Lobienſis, litterali ſcientia clarus, ſcripſit Geſta pontificum Leodienſium, ſcripſit metrice ſtilo laudabiliter vitam S. Urſmari. Scripſit ad Hugonem epiſtolam de quibuſdam quæſtionibus. Scripſit ſub ſua & Adeboldi epiſcopi perſona dialogum de diſſonantia de adventu Domini. Congeſſit etiam contra Ratbertum multa catholicorum patrum ſcripta de corpore & ſanguine Domini.* Scripſit præterea vitam S. Berlindis virginis, vulgatam a Mabillonio inter acta ſanctorum ordinis S. Benedicti tomo 3. Et vitam S. Landoaldi apud Surium.

Stephanus. Annal. to. 3. p. 315. 56. Neque hic ommittendus eſt Stephanus poſt Franconem epiſcopus Tungrenſis & abbas Lobienſis, *vir litteratus & religioſus*, qui teſte Mabillonio, *Paſſionem B. Lamberti epiſcopi expolivit, & cantum ad ejus officium compoſuit, ſimulque de S. Trinitate & de inventione S. Stephani. Edidit etiam libellum de ſingulis anni feſtivitatibus, in cujus præfatione teſte Fulcuino Lobienſi chronographo, ſe Mediomatricæ, quæ nunc Mettis dicitur, a puero educatum fuiſſe tradit, ob idque Roberto ejuſdem ſedis epiſcopo eumdem libellum legendum miſit ab eo approbandum.*

Andaginenſes ſcriptores. 57. Suos etiam ſcriptores monaſterium Andaginenſe habuit, in quibus non ultimo ponendus loco Cantatorii, ſeu hiſtoriæ ejuſdem loci auctor hic editus, vir ſane exquiſiti judicii, nec pro ſua ætate mediocriter doctus, ſed & valde pius, cujus opus eximium miramur hactenus delituiſſe in percelebri monaſterio. Nec minori laude dignus videtur alter anonymus, qui exorante Lamberto monacho Andaginenſi, S. Theoderici abbatis ſui vitam & acta graviſſimo ſtilo compoſuit. Tertio denique ejuſdem loci auctori, & quæ eſt monachorum Andaginenſium modeſtia, æque ignoto, S. Beregiſi abbatis primi Andaginenſis vitam debemus: quibus merito adjungendus eſt R. P. Adulfus *Happart*, qui monaſterii ſui hiſtoriam nobiſcum olim communicatam diligentiſſime contexuit ſub annum Chriſti MDXXXV.

Walciodorenſes ſcriptores. 58. Ex Walciodorenſi monaſterio, ab Elberto comite ad Moſam condito, aſſumtus eſt Wibaldus ſcholarum magiſter, ut Stabulenſium ſcholas regeret, mox futurus abbas ejuſdem cœnobii, deinde Caſinenſis & Corbeienſis, cujus epiſtolas præmiſſa ejus vita edidimus tom. 2. hujus collectionis.

Richerius. Mabill. Annal. t. 5. 59. Eodem tempore inſignis erat in Walciodoro & pietate & ſcientia Richerius monachus, qui ibidem beato fine quievit, *relictis quibuſdam ingenii ſui monimentis, ſcilicet libello de tranſlatione corporum ſanctorum martyrum Candidi & Victoris, & ſanctarum virginum Colonienſium, quorum omnium corpora Walciodorum tranſlata ſunt tempore Theoderici abbatis.*

Robertus. Eodem etiam fere tempore Robertus Walciodorenſis monachus ſcripſit vitam Forannani abbatis. His adde chronographum ejuſdem Aſceterii, auctorem gravem & accuratum, editum ab Acherio noſtro Spicilegii tom. 7.

60. Percelebre fuit in Brabantia Gemmelacenſe ſeu Gemblacenſe cœ-

nobium, a S. Guiberto viro divitiis, nobilitate & potentia clariſſimo fundatum, in quo cum pietate & accurata regulæ obſervatione adeo floruerunt litterarum ſtudia, ut quamplures inde prodierint viri doctrina illuſtres, qui ex ea academia ad alias regendas eccleſias aſſumti fuere. Hos inter annumerandus eſt Olbertus abbas Gemblacenſis ſimul & Leodienſis S. Jacobi, quem Sigebertus inter ſcriptores eccleſiaſticos recenſet his verbis: *Olbertus ex monacho Lobienſi abbas Gemblacenſis, humana & eccleſiaſtica ſcientia ſtudio & religionis fervore inſignis, nomen ſuum æternavit, vitas patrum deſcribendo, cantus in honore ſanctorum componendo, & eo maxime quod Burchardus epiſcopus Wormatienſis ejus magiſterio ad hoc eſt provectus, ut vitam eccleſiaſticæ utilitati intenderet, & ejus ſtudio, ore, manu, illud magnum volumen, ad commnnem omnium utilitatem ederet.* Scriptores Gemblacenſes. Olbertus abbas.

61. De Sigeberto ipſo cum plura dici poſſint, hic ea ſolum referam, quæ ad ejus chronici calcem leguntur in codice Joliano: *Domnus Sigebertus venerabilis monachus Gemblacenſis cœnobii, vir in omni ſcientia litterarum incomparabilis ingenii, deſcriptor præcedentium in hoc libro temporum, III. nonas Octobris obiit, & ſuis graviſſimum mœrorem ſuæ abſentiæ reliquit, qui etiam librum illuſtrium virorum, & multa utilia doctrinæ ſuæ, & librorum monimenta nobis reliquit.* Horum librorum copioſiſſimum ipſe indicem contexuit, in fine libri de Viris illuſtribus, ſive de Scriptoribus eccleſiaſticis. Eum etiam egregie laudat auctor libelli de Geſtis abbatum Gemblacenſium anonymus, & Sigeberti diſcipulus: cujus hic verba apponere non pigebit: *In cœnobio Gemblacenſi, me qui hæc deſcripſi, & multo meliores erudivit, quorum multos ante ſe præmiſit, paucos, proh dolor! poſt ſe dimiſit. At vir prudens cum eſſet multæ gravitatis, non erat indiſcretæ auſteritatis, ſed erat ad omnes, ut res poſcebat, diſcretæ mediocritatis: Scripturarum maxime divinarum lectio & meditatio eum occupabat; ſed tamen quotidiana miſſarum celebratio, & devota ad eum oratio ſemper eum præoccupabat. Longa defectus ſenectute cum decubuiſſet extrema ægritudine, nihil amittens ſuæ prudentiæ, fratrumque voluntas eſſet, ut cum obiret, intra monaſterium ſepulturæ locum acciperet, at ita vir altioris conſilii malens in conſpectu Dei humilis quam præſumtuoſus inveniri, obnixe petiit, in cœmeterio noſtro fratribus noſtris conſepeliri. Obiit III. nonas Octobris, tempore domni Lietardi abbatis.* Sigebertus.

62. Sigeberti Chronicon, quod in annum MCXII. deſinit, continuavit Anſelmus abbas Gemblacenſis ad annum MCXXXVI. ab Auberto Miræo editum Antuerpiæ anno 1608. Anſelmus.

63. Neque hic prætereundus eſt Guibertus cognomento Martinus abbas Gemblacenſis & Florinenſis, vir eximiæ ſanctitatis & doctrinæ, cujus epiſtolas duobus majoris formæ voluminibus digeſtas in monaſterio Gemblacenſi vidimus, e luctuoſa illa bibliothecæ conflagratione, quæ tot abſumſit codices mſſ. & rariſſimos eoſdem, ereptas ſervataſque, e quibus nonnullas primo Anecdotorum tomo edidimus, & primo hujus collectionis, quas ex Leodienſi S. Jacobi codice eruimus: atque utinam ceteras Gemblacenſes noſtri eruditis viris non diutius invideant. Guibertus abbas.

64. Celeberrima duo Leodii extant ordinis noſtri aſceteria, alterum S. Jacobi in Inſula, alterum S. Laurentii in Monte-publico, utrumque etiam ſuis nobilitatum ſcriptoribus. Nam præter Lambertum parvum, Reinerium & Cornelium Zantflietum S. Jacobi monachos, quorum chronica collectionis hujus tomo v. habes. Ejuſdem cœnobii abbas Stephanus hiſtoriam tranſlationis reliquiarum S. Modoaldi Trevirenſis archiepiſcopi in Saxoniam uberius deſcripſit, & nuncupavit Thietmaro abbati & fratribus Helmwardeshuſenſis monaſterii, editam a Papebrochio ad Maii diem XII. Scriptores Leodienſes S. Jacobi.

Scripſit etiam commentarium in regulam S. Benedicti Euſtachius a Straax prior ejuſdem loci.

Et S. Laurentii. Rupertus.

65. In monaſterio vero S. Laurentii claruit præ ceteris Robertus ſeu Rupertus monachus, poſtea abbas Tuitienſis, ſcientia ſibi divinitus infuſa inſignis, cujus opera Coloniæ tribus tomis prodierunt in lucem anno 1577. & poſtea duobus majoris formæ voluminibus Pariſiis anno 1638. quibus addendus eſt dialogus Chriſtianum inter & Judæum tribus libris, & geſta epiſcoporum Leodienſium cum hiſtoria monaſterii S. Laurentii.

Renerius, &c.

66. Renerii ejuſdem cœnobii monachi varia opuſcula edidit noſter Bernardus *Pez*, Mellicenſis monaſterii aſceta doctiſſimus tom. 4. Anecdotorum. Hæc inter extat libellus de claris ſcriptoribus S. Laurentii, in quibus recenſet Lambertum ſecundum monaſterii ſui abbatem, Ludovicum ſeniorem monachum & diaconum, Falchalinum ejus diſcipulum, Heribrandum abbatem v. Davidem monachum, Hugelbertum, Rupertum Tuitienſem abbatem, Wazelinum abbatem VIII. Lambertum monachum, Gislebertum monachum, Johannem fratrem ejus & Nizonem: his adjiciendi Adsianus de Veteri-Buſco & Johannes Stabulaus, qui monaſterii ſui hiſtoriam continuarunt.

67. Neque vero hic prætereundus eſt Algerus Leodienſis eccleſiæ S. Bartholomæi diaconus & ſcholaſticus, deinde ab Alberto epiſcopo ad ſanctum Lambertum tranſlatus, poſtmodum vero monachus Cluniacenſis, qui ſcripſit *libros* III. *de ſacramento corporis & ſanguinis Domini noſtri adverſus Berengarium*, editos in Bibliotheca Patrum: librum *de Miſericordia & juſtitia*, a nobis vulgatum tom. v. Anecdotorum. Eidem etiam tribuit Caveus librum *de dignitate & antiquitate eccleſiæ Leodienſis*, qui excidit Trithemius, qui Corbienſem in Saxonia monachum cum facit, ei etiam tribuit librum *de Gratia & Libero arbitrio*, & plures epiſtolas.

68. Ex dictis hactenus ſatis patet, quantum eccleſia Leodienſis ordini Benedictino debeat, qui tot ei, nec vulgaris nominis ſcriptores genuit informavitque, adeo ut præter Benedictinos, vix alios olim in ſuo ſinu foverit auctores. Et certe in ſolis monaſteriis vigebant divinarum humanarumque litterarum ſtudia: aut ſi quando in eccleſiis cathedralibus inſtituerentur ſcholæ, eas plerumque aſſumti ex monaſteriis noſtris magiſtri regebant.

Ordini Benedictino ſuos debent Leodienſes mſſ. codices.

69. Inter maxima vero officia eccleſiæ Leodienſi a noſtris exhibita, non ultimo loco reponendi videntur codices manuſcripti, qui hactenus in monaſteriis aſſervantur. Teſtes ſunt S. Laurentii & S. Jacobi bibliothecæ, quæ optimæ notæ mſſ. abundant: teſtis Gemblacenſis, cujus generalis conflagratio nec omnes manu exaratos libros abſumſit, teſtes Stabulenſis, Trudoniana, & Andaginenſis, quæ omnes in conficienda ampliſſima hac collectione nobis adjumento fuerunt.

Quantum eccleſiæ Leodienſi debeat ordo Bened.

70. Verum hæc noſtrorum officia quanta quanta ſint, inſigni eccleſia Leodienſis gratiis & beneficiis prope infinitis abunde compenſavit. Et primo ampliſſima illa monaſteria, de quibus modo loquebamur, cui debemus niſi epiſcopis Leodienſibus? Haud equidem ignoro antiquiſſimum omnium Stabulenſe a Sigeberto rege fundatum fuiſſe, verum hortante atque impellente S. Remaclo, qui ejus rei cauſa regem adiiſſe fertur, atque ſuggeſſiſſe, plures circum regiones & provincias cum plurimis ſervorum Dei monaſteriis florerent atque illuſtrarentur, ſolam Arduennam, quæ ditionis ejus erat, hiſce ornamentis deſtitui, quibus tamen regna & imperia veluti munitiſſimis præſidiis defendi ac protegi conſtaret: cujus quidem rei periculum, Dei benignitate facere facile poſſet regia majeſtas, cum nec facultas deeſſet, nec aptior ullus locus videretur. Atque his motum regem puſſimum,

Stabulenſe monaſterium.

libenter

libenter annuiſſe, conditis Stabulenſi & Malmundarienſi monaſteriis, præfectoque utriſque S. Remaclo. Quod ſi qui forte putent ſolam S. Columbani regulam his in monaſteriis obſervatam fuiſſe, næ illi in ordinis S. Benedicti hiſtoria peregrini valde ſunt. At quo tandem fundamento id aſſererent? Eam certe regulam ſuis in monaſteriis inſtituit S. Remaclus, quam ipſe in Solemniacenſi Lemovicenſis territorii cœnobio a S. Eligio fundato obſervaverat. Hanc autem regulam indicat ipſe Eligius, S. Remaclum fratreſque ejus alloquens his verbis in diplomate dato pro dicto monaſterio: *Vos vel ſucceſſores veſtri tramitem religionis ſanctiſſimorum virorum Luxovienſis monaſterii conſequamini, & regulam beatiſſimorum patrum Benedicti & Columbani firmiter teneatis.* Idem confirmat vitæ S. Tillonis auctor, quem S. Eligius, inquit, *S. Remaclo Solemniacenſis ſui monaſterii abbati tradidit nutriendum*, cumque aſceticam vitam profiteri voluiſſet *tirocinio Chriſti inſignitus, ardentiſſimo amore ſolum Chriſtum deſiderans, ſub ſanctorum patrum Columbani atque Benedicti regula inter fratres habitari cœpit.* Idemque docet Mabillonius in præfatione ad ſæculum IV. Benedictinum, n. 115. p. 79.

Gall. Chriſt. to. 2. inſt. p. 186.

Sæcul. 2. Bened.

71. Erectum etiam fuit S. Remacli conſilio & auctoritate inſigne S. Trudonis in Hasbania monaſterium, quod brevi accreſcens in oppidum haud ignobile, floruit hactenus ſub regula S. Benedicti. Ejus quippe fundator S. Trudo, nobilis Hasbanienſis, generis ſplendorem & opes prope immenſas ab ineunte ætate deſpiciens pro Chriſto, cum Deo voviſſet ſeſe adepta hereditate ædem ſacram paterno in ſolo ædificaturum, S. Remaclum ab Angelo admonitus adiit, eoque hortante, Metas progrediens, litteris ſacris imbuendus, ſeſe ſuaque omnia S. Stephano dedit & conſecravit in manu Clodulfi ejus urbis epiſcopi, eo tamen pacto, ut ibi ſacris litteris eruditetur. Cum autem hoc in ſtudio non mediocriter profeciſſet, per omnes gradus eccleſiaſticos deductus, eo tandem pervenit, ut ſacerdotio initiaretur. Deinde a S. Clodulfo in Hasbaniam remiſſus, ut res jam non ſuas, ſed S. Stephani adminiſtraret, prophetico hoc eum ſermone allocutus eſt: *Neceſſe eſt enim, ut tuis exigentibus meritis, plurimi religioſi viri in tua hereditate, quam ſancto Stephano tradidiſti, Deo deſerviant.* Eo cum acceſſiſſet, Remaclum pontificem iterum convenit, qui facta ipſi poteſtate miſſas celebrandi, & diſpenſandi verbi Dei, perſuaſit ut vota tandem ſua Domino redderet, condito in paterno ſolo monaſterio.

S. Trudonis monaſterium.

72. Eo in cœnobio Beregiſus *parentum traditione ſub religionis habitu* eruditus, poſtmodum Andaginenſis monaſterii primus abbas fuit: quod a Pipino Heriſtallio majore domus fundatum, cum centum poſt annos habitatoribus careret, Walcandus epiſcopus Leodienſis, hortante Ludovico Pio, reſtauravit monachiſque Benedictinis cum fundis ampliſſimis attribuit. Communis hodie fert opinio Beregiſum atque Pipinum non monachos, ſed clericos ſeu canonicos in monaſterio Andaginenſi inſtituiſſe, idque diſertis verbis adſtruit vitæ S. Beregiſi auctor monachus Andaginenſis, qui anno DCCCCXXXVII. ſcribebat. *Ibi*, inquit, *monaſterium ſtatuit, baſilicam conſtructam beati principis Apoſtolorum nomine & reliquiis conſecrat, clericorum officia delegat, quibus clericis canonico ordine militantibus ipſe pater in eodem habitu ſociatus eſt.* Sed & Jonas Aurelianenſis in hiſtoria tranſlationis S. Huberti, Andagium cellam *olim quidem inhabitatoribus habitus canonici* floruiſſe affirmat. Nec repugnare videtur Mabillonius in Annalibus Benedictinis, eademque eſt ſententia Johannis Molani doctoris Lovanienſis in Natalibus ſanctorum Belgii, & Caroli Cointii in Annalibus eccleſiaſticis Francorum.

Andaginenſe.

73. Verum haud levia rationum momenta ab hac eruditorum virorum aſſertione nos revocant. Primo enim conſtat S. Beregiſum apud Trudo-

nianos regulæ S. Benedicti ab initio addictos, uti probat Mabillonius, *ſub religionis habitu* educatum inſtitutumque fuiſſe. Deinde monaſterium Andaginenſe in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis, qualis monachos decet, erexiſſe. Inauditum vero eſt atque inſolens in omni memoria, canonicos qui urbes amant & hominum frequentia delectantur, in hujuſmodi receſſus, a quibus ſemper abhoruerunt, cogi umquam potuiſſe. Præterea Jonas monaſterium Andaginenſe cellam appellat, quod nomen monachorum ſemper ſtationem, nuſquam vero canonicorum collegium deſignare reperitur. Tandem Molanus addit alicubi ſe legiſſe, quod *beatus Beregiſus abbas clericos ſuos diſciplinis inſtruxerit regularibus*. Porro apud antiquos ſcriptores, ut optime monuit Mabillonius, *diſciplina regularis* opponitur *diſciplinæ canonicæ*, nec uſquam de canonicis dictum reperitur quod *regulariter*, ſed quod *canonice* viverent. Poſtremo in vitæ S. Beregiſi ſynopſi idem Molanus hæc habet: *Beregiſus ultro ſe offerens locum ſuſcipit, ſtirpat, monaſterium conſtruit, & multos ad bene vivendum ibi colligit*, quæ verba canonicis aptari non poſſunt, ſed monachis qui maximam vitæ ſuæ partem, ex regulæ præſcripto, extricandis agris aut excolendis terris, aut certe aliis gravioribus operibus debent inſumere.

74. Sed auctoritatem vitæ S. Beregiſi & Jonæ Aurelianenſis qua ratione poterimus elevare? Nam utraque clara eſt, nec videtur poſſe interpretationem admittere. Neutra tamen nos movet: nec tanti ponderis eſt vita S. Beregiſi, ut ad ſuam inclinare nos debeat ſententiam. Scripta eſt auctore nullius nominis, qui poſt ducentos ab obitu Beregiſi annos, ad fratrum ſuorum petitionem opus hoc aggreſſus eſt: ſed quam parum accurate, vel ex uno exemplo quiſque judicare poterit. Scribit quippe Andaginenſe monaſterium a Pipino Heriſtallio fundatum fuiſſe anno v. Theoderici regis Francorum; quod ſive de Theoderico Clodovei II. filio, ſive de Theoderico Calenſi intelligatur, ſtare nullo modo poteſt. Nam primi Theoderici anno v. necdum major palatii conſtitutus erat Pipinus, anno vero v. Theoderici Calenſis obierat jam ab annis decem.

75. Major eſt difficultas in verbis Jonæ, auctoris certe gravis, nec facile ſpernendi. Verum vitam S. Trudonis a Donato diacono conſcriptam cum legiſſet, in eaque nec clare monachos in ejus cœnobio primum inſtitutos fuiſſe deprehendiſſet, facile adduci potuit, ut crederet Trudonianum monaſterium a canonicis primum inhabitatum fuiſſe: nec ſane mirum, cum poſt Jonam anceps etiam fuerit Radulfus Trudonienſis chronographus & abbas, an monachi aut canonici ibidem fuerint primum admiſſi. Cum ergo ſciret aliunde Beregiſum in Trudonienſi monaſterio educatum fuiſſe, canonico illum ordini adſcribere non dubitavit. Hæ ſunt conjecturæ noſtræ, quas eruditorum judicio libenter ſubjicimus. Sed ut ut eſt, certe non admodum clara videntur initia cœnobii Andaginenſis, quod vix centum a ſui fundatione annis perduravit: cujus rei teſtem habemus Jonam, in hiſtoria tranſlationis S. Huberti ſic loquentem. *Inter cetera quæ emendationem poſtulabant, obtulit ſe ejus* (Walcandi) *munificentiæ cella quædam antiquo nomine Andagium vocata, quæ olim quidem inhabitatoribus habitus canonici floruit; ſed per exceſſum temporis vetuſtate nimia collapſa, & deficientibus habitatoribus pene fuerat annullata.* Hæc cum animadverteret Walcandus, anno DCCCX. creatus epiſcopus Leodienſis, *liberalitatis ſuæ laxatis habenis*; monaſterium a fundamentis erectum & meliorem in formam inſtauratum præclaris ædificiis exornavit, noviſque prædiis & poſſeſſionibus auxit ditavitque, & S. Alveum, Prumienſem, ut conjiciunt, monachum præfecit abbatem circa annum DCCCXVII. quo creditur Aquiſgranenſi concilio interfuiſſe. Et ne quid ejus munificentiæ & liberalitati deeſſet, novis cœnobii ſui incolis, annuente

Adebaldo Colonienſi archiepiſcopo & Ludovico Pio imperatore, corpus S. Huberti Leodienſis antiſtitis conceſſit anno Chriſti DCCCXXV. ſicque Andaginenſes monachi, atque adeo ſacer ordo Benedictinus, & monaſterii ſui inſtaurationem, & theſaurum tam pretioſum eccleſiæ Leodienſi debent.

Lobienſis monaſterii reformatio.

76. Lobienſis monaſterii reformationem, quæ multis longe theſauris anteponenda eſt, debemus Everaclo Leodienſi epiſcopo. Sub Erluino intruſo ſeu pſeudo-abbate adeo collapſa erat eo in cœnobio regularis diſciplina, ut vix a ſæcularium vivendi ratione diſcreparent monachorum mores. Hanc in loco ſancto abominationem ubi animadvertit Everaclus epiſcopus, *vir ingenuarum artium litteratus, Aletrannum virum undequaque doctiſſimum, & in lege Dei exercitatum ac eloquentem Lobiis præfecit abbatem, ubi ita vixit ut ſervum decuit Domini*, ablatoque monachis peculio & *tricliniorum* uſu, inſtituit ut deinceps compoſitis ad honeſtatem moribus, communitatem vitæ haberent, *omnia denique ad regulam correxit, ad cujus ſupplementum domnus Everaclus juvit plurimum, ei reſtituens villas ante id abalienatas.* Geſt. abb. Lob. c. 27.

Ejus privilegia & prærogativæ.

77. Qui Everaclo ſucceſſit Notkerus Lobienſium obſervantia recreatus, novellam reformationem non modo laudavit, ſed & paterne fovit, roboravitque ampliſſimis privilegiis. Is ipſe Ottoni II. imperatori & Johanni ſummo pontifici auctor fuit, ut diſtracta a ſede Leodienſi dignitate abbatiali, ex propria ſibi deinceps congregatione abbatem aſſumerent, juſque haberent advocatum ſibi ex voto conſtituendi. Præterea hanc Lobienſi eccleſiæ conceſſit prærogativam, ut reliquas totius diœceſis eccleſias præcelleret, primatumque præ omnibus haberet ubique. Hinc factum eſt, quod ait Fiſenius, ut *feſtis ſolemnibus, ſi quando abeſſet epiſcopus*, ejus *vices exequerentur* abbates Lobienſes, *tam ſacris operando, quam doctrinam evangelicam ad concionem explanando.* Lib. 6. n. 32.

S. Jacobi Leodienſe, monaſterium.

78. Ineunte ſæculo X. ſurrexerunt apud Leodios celeberrima duo ordinis noſtri monaſteria, ab epiſcopis Leodienſibus erecta: alterum in honorem S. Jacobi, alterum in Monte-publico in honorem S. Laurentii martyris. Prius a Baldrico antiſtite inchoatum, & a Wolbodone conſummatum: cujus quidem fundationem ad annum MXIV. refert Sigebertus in chronico, at Lamberto Parvo auctori domeſtico eam in annum MXVI. rejicienti potior fides eſt adhibenda. Novo adminiſtrando monaſterio accerſitus e Gemblaco Olbertus utrique monaſterio præfuit ad annum MXXXVIII. quo octavo poſt S. Wolbodonem die ad ſuperos evolavit. Ceterum non in ſola cœnobii S. Jacobi fundatione ſtetit Baldrici pontificis pietas & munificentia, ſi Ruperto credimus, *nulla in ſuo epiſcopio fuit baſilica, quam non aliquo juverit commodo, ſive eccleſiarum ſive poſſeſſionum largitione multimoda.* In his Florinenſi monaſterio, quod tum Gerardus epiſcopus Cameracenſis una cum fratre Godefrido conſtruxerat, *duas addidit eccleſias, ne quid illic famulantibus deeſſe videretur.*

S. Laurentii in Monte-publico.

79. S. Laurentii in Monte-publico monaſterium ſua debet principia Everaclo Leodienſi epiſcopo, qui poſt jam fundatas duas canonicorum eccleſias, S. Pauli & S. Martini, tertiam jam ſenex in honore S. Laurentii eo in loco cœpit, quo S. Lamberti interfectores mutua ſe cæde peremiſſe feruntur. At vix a fundamento paries aſſurgebat, cum ab æquiſſimo remuneratore bonorum operum Deo mercedem recepturus, migravit a ſæculo, *eccleſia dotata quidem tenuiter, ſed, ut dictum eſt, imperfecta*, cujus *nuditatem* Notkerus ejus ſucceſſor *omnium oculis patentem, completis tantum & æquatis parietibus, tecto cooperuit.* Poſt Notkerum Baldricus pontifex, hortante Hezelone Godefridi ducis fratre, S. Laurentio *prædia cum eccleſiis obtulit, & ad ordinandam in integrum eccleſiam animum intendit.* Verum cum ad conſtructionem cœnobii ſancti Jacobi totum ſe convertiſſet, hujus

provinciam ſucceſſoribus ſuis reliquit. Qui eum in epiſcopatu Leodienſi excepit S. Wolbodo nova ad futuros monachos alendos adjecit prædia, morienſque Popponi Stabulenſi abbati ordinationem monaſterii commiſit, in quo & ſepeliri voluit. At Durandus qui eum in epiſcopatu proxime ſecutus eſt, poſthabita Wolbodonis ceterorumque deceſſorum ſuorum religione, prædia, agros & cetera omnia S. Laurentio collata, ſibi ſuiſque militibus attribuere non erubuit. Nec tarda fuit pœna tanti ſacrilegii, nam ulciſcente Deo martyris ſui injuriam, de repente percuſſus, e vivis ſubtractus eſt, pluribus editis haud impœnitentis animi ſignis, interque alia lacrymabundus petebat dies ſibi prorogari ad reſarcienda damna quæ ſancto loco intulerat, legatoque prædio de Waſega, ſeſe extra eccleſiam, veluti excommunicatum, e regione Wolbodonis projici ac ſepeliri juſſit. Hæc fuſius Rupertus in S. Laurentii hiſtoria hic a nobis edita, qui commemoratis deinde Reginardi, qui Durando ſucceſſerat, meritis in ſanctum Laurentium, dubitare non ſinit, quin omnes ſimul deceſſores ſuos longe ſuperaverit. Hic itaque Reginardus monaſterium toties inchoatum, totieſque abruptum, ac tum, ut diximus, miſere devaſtatum, hortante Hezelone comite, ſuſcepit reparandum, tantoque ardore promovit, ut parvo temporis intervallo, ſuis omnibus numeris abſolverit, dotarit fundis ampliſſimis, atque evocatis e Virdunenſi S. Vitoni cœnobio ſex monachis inhabitandum conceſſerit. Crevitque deinceps & divitiis & pietate ac viris illuſtribus pleriſque, floretque hactenus regulari obſervantia, uti & S. Jacobi cœnobium, cujus paulo ante mentionem fecimus.

Inſignes ordinis Benedictini viri in eccleſia Leodienſi informati.

80. Dum vero Leodienſes epiſcopi ſic animum monaſteriis aut erigendis aut reparandis intendebant, ſæpe maxima eccleſiæ ſuæ decora e manibus elabi, noſtroque ordini vindicari ſinebant, & quæ erat in noſtros caritas & benevolentia, nuntiari ſibi amabant, e ſcholis ſuis monachorum cœtus maxime propagari, id magno lucro ponentes, quod nobis, vel damno ſuo, accedebat. Hujus rei teſtes ſunt canonici illi S. Lamberti *viri nobiles*, qui, ut ait Jonas, *vitæ apoſtolicæ deſiderio* in inſtauratum a Walcando epiſcopo monaſterium Andaginenſe convolarunt, atque humeris ſuavi Chriſti jugo alacriter ſuppoſitis, inenarrabiles ac veras vitæ auſterioris ſuavitates voluptatum terrenarum deliciis longe antepoſuerunt, quorum maxime precibus tranſlatum eſt S. Huberti corpus in illud cœnobium.

81. Neque hic repetere juvat, quod jam ſuperius obſervavimus, Maurilium monachum Fiſcannenſem & poſtea Rothomagenſem archiepiſcopum, virum cum pietate tum doctrina præſtantiſſimum, in ſcholis Leodienſibus ſacris litteris informatum fuiſſe. Eaſdem etiam ſcholas frequentaſſe conſtat Wibaldum, illum abbatem Stabulenſem, ordinis noſtri decus & imperii; atque eam ibi hauſiſſe doctrinam, quam ad alios poſtea tranſmiſit: quique magno ſibi exinde parato nomine, eo demum eſt evectus, ut arbiter factus reipublicæ, incertum reliquerit, an majora eccleſiæ præſtiterit officia quam imperio, quod difficillimis temporibus ſub quatuor cæſaribus ſapientiſſime procuravit.

Lib. 3. epiſt. 2.

82. Petrus Venerabilis celeberrimi Cluniacenſis monaſterii abbas, *magnificos viros & ſumma cum laude ac dulcedine recolendos* prædicat, qui ſuam in congregationem a Leodienſi eccleſia admiſſi, monaſticum ordinem mirum in modum illuſtrarant, atque in primis *Hezelonem, Tezelinum & Algerum canonicos, magnoſque ſui temporis magiſtros, humilitatis diſcipulos* recenſet, quibus quantum debeat Cluniacenſis atque adeo monaſticus ordo declarat his verbis: *Primus*, ſcilicet Hezelo, *multo tempore pro eccleſia ad quam venerat, laborans ſingulari ſcientia & prædicabili lingua, non ſolum audientium mores inſtruxit, ſed corporalem novæ eccleſiæ fabricam, quam*

aliqui

aliqui veſtrorum viderunt, plus cunctis mortalibus, poſt reges Hiſpanos & Anglos, conſtruxit. Sequens ſpiritualibus tantum ſtudiis totum ſuum hominem occupans, in ſancto propoſito longævus conſenuit, & prius Cluniaci ſub ſancto patre Hugone, dehinc Vizeliaci, cum domino Raynaldo abbate ejus nepote, ac demum Lugdunenſi archiepiſcopo, degens, laudabilem vitam ſancto fine concluſit. Tertius, cujus vix memoriam ſine lacrymis facio, humilitate, puritate, vitæ totius ſinceritate, ſecundum meum judicium, longe præcedentes exſuperans, ita meo tempore apud nos vixit, in tantum benigne & ſancte converſatus eſt, ut licet a nobis carne receſſerit, ſpiritu tamen & memoria ſingulari nobiſcum ſemper, dum vivimus, non eſſe non poſſit. Qui librum de ſacramento altaris auctoritatibus ſanctorum patrum invincibiliter communitum nobis & fidei ſuæ inſigne teſtimonium, & contra quorumdam modernorum vel imperitiam vel errorem ſingulare præſidium dereliquit.

Obſervationes de quibuſdam epiſcopis Leodienſibus. De Evraclo.

83. Ad illuſtrandam amplius Leodienſium epiſcoporum hiſtoriam, juvat hic breviter elucidare nonnulla eorum acta, & primo de Evraclo ſeu Everaclo, quem contra omnium mſſ. fidem Eraclium vulgo appellant, expendendum quod narrat Ægidius Aureæ-vallis monachus, eum morbo turpiſſimo & inſanabili, Lupo communiter dicto, carnes ejus lupino more devorante, pene conſumtum, cum ad Deum unum, abjecta omni ſpe humani auxilii, recurriſſet, ac voto facto, B. Martini Turonenſis limina, cujus meritis potiſſimum confidebat, adiiſſet, ibi a ſanctiſſimo pontifice, dum vigilias ad ejus tumulum agebat, & a ſancto Briccio viſitatum, de repente ſanatum eſſe; atque inde reverſum Leodium, baſilicam ſancto Martino, fundato ibi xxx. canonicorum collegio, erexiſſe in monumentum perpetuum. Hæc fere Ægidius, inſertis etiam ad majorem fidem litteris Evracli manu conſcriptis, quæ & hiſtoriæ ſeriem continent, & mox confecutam & ab eo inſtitutam cum canonicis S. Martini Turonenſis ſocietatem. Nec Ægidio repugnat Johannes Chapeavilla, non Bartholomæus Fiſenius, neque alii auctores celeberrimi, qui poſt eum de rebus Leodienſibus ſcripſerunt.

84. Verum tria potiſſimum obſtant, ne huic narrationi fidem adhibeam: primo ſilentium antiquorum omnium ſcriptorum, Herigeri abbatis Lobienſis, Anſelmi ſeu Alexandri canonici Leodienſis, Ruperti ex monacho S. Laurentii abbatis Tuitienſis, qui geſta epiſcoporum Leodienſium litteris conſignarunt, atque etiam Renerii monachi, qui dedita opera ſcripſit de Evraclo epiſcopo. Omnes quidem S. Martini, ceterarumque eccleſiarum fundationem referunt, at nullus fundationis cauſam Evracli ſanationi attribuit, cujus morbi ne meminerunt quidem. Deinde ſi quis ſcriptam Evracli epiſtolam ad Ratherium epiſcopum Veronenſem ab erudito viro Johanne Chapeavilla primo editam, cum dictis ejuſdem litteris de impetrata ſibi divinitus, & meritis S. Martini ſanitate conferat; is facile ex ſola ſtili diſcrepantia judicabit eas litteras ex eodem fonte prodire non potuiſſe. Nec minor eſt difficultas in notis chronicis earumdem litterarum quæ datæ feruntur *anno ſecundo poſt reditum B. Martini* ab urbe Autiſſiodoro. Nam hic reditus, teſte Odone abbate Cluniacenſi, cui ſuffragantur Geſta conſulum Andegavenſium & alii auctores, contigit anno DCCCLXXVII. at vero Everacli epiſcopi ordinatio anno ſolum DCCCCLIX. aut DCCCCLX. conſignatur, octogeſimo nimirum anno poſt dictum reditum: quæ quidem difficultas adeo torſit eruditum virum Bartholomæum Fiſenum, ut nulla alia ratione putaverit ab hoc ſe nodo expedire poſſe, quam S. Martini reditum ſubmovendo ad annum DCCCCLXI. verum id levioribus adſtruit argumentis, quam ut præponderare debeant domeſticis ſcriptoribus, Odoni abbati, qui fuerat olim S. Martini canonicus, & Johanni monacho Majoris-monaſterii, qui Geſta conſulum Andegavenſium in commentaria retuliſſe dicitur, aliiſque ſcriptoribus Turonicis.

Præterea S. Odo abbas Gluniacenſis, qui reverſionis S. Martini hiſtoriam contexuit, e vivis jam exceſſerat anno DCCCCXLII. octo videlicet annis antequam Evraclus ad epiſcopatum Leodienſem eveheretur. Denique Adalaudus archiepiſcopus Turonenſis, qui relatum S. Martini corpus excepit, exceptioniſque feſtum in ſynodo inſtituit, ſedebat anno DCCCLXVII. atque huic ſucceſſit Hebernus abbas Majoris-monaſterii, revertentis S. Martini comes individuus, quorum ætas cum Evracli ætate conciliari non poteſt.

De Durando. 85. De Durando epiſcopo notanda ſunt in primis Alberici verba in chronico ad annum MXXI. *Durandus imperatoris cancellarius, ſit Leodienſium epiſcopus, quod quaſi fabula in theatro mundi fuit, quia vir ex humillimo & pauperrimo ſervilis conditionis genere, dominis ſuis dominatur carnalibus, maxime ſupradicto Godeſcalco fundatori S. Bartholomæi, qui filius caſtellani* de Marelmeiz, *electus fuerat a capitulo ad epiſcopatum, qui cum ad imperatorem pro regalibus ſuis feſtinaret, obviam habuit dictum Durandum jam epiſcopatu donatum. Cumque Durandus vidiſſet dominum ſuum Godeſcalcum prædictum, voluit ei donum quod ab imperatore receperat, reſignare, ſed per eumdem Godeſcalcum fuimus ad epiſcopatum promotus. Erat enim uterque religioſus, ſed Durandus in utraque litterarum ſcientia longe ſatis expeditus.* Hanc Durandus dignitatem debuit Wolbodoni, *qui propter vitæ modeſtiam & ſcientiæ prærogativam..... Henrico imperatori clericum quærenti, ſcientiam litterarum, aſſignaverat & ſummopere commendaverat eum*, ut ait Ægidius. Cum ergo ſingulari Durandus polleret doctrina, non mirum ſi Baronius & poſt eum Chapeavilla ac Fiſenius, egregiam ei attribuerunt ad Henricum Francorum regem epiſtolam adverſus Berengarium & Brunonem epiſcopum Andegavenſem *de Corpore & Sanguine Domini*, cujus auctor in mſſ. primo duntaxat nominis elemento D. deſignatur. Verum non attenderunt eruditi illi viri, longe ante obiiſſe Durandum epiſcopum, quam ad regale ſolium Henricus eveheretur. Rectius ergo Mabillonius, qui epiſtolam a Baronio & Chapeavilla mutilam primo vulgatam edidit integram in Analectorum tom. 4. Deoduinoque vero auctori reſtituit.

De Nithardo. 86. In ſerie epiſcoporum Leodienſium Reginardo ſubjicitur Nithardus ejus ſororis filius, & huic vir ſanctiſſimus Wazo, ſancto Popponi ſingulari familiaritate conjunctus, *quem etiam a Leodio olim invidia pulſum ipſe ſuſcepit, peneſque ſe eum adprime acceptare cœpit, tum etiam aliquantis ſibi ſuccedentibus diebus, illo unde exſulaverat revocavit, conſultoque ſui & favore poſtmodum ad pontificium delegavit.* Sed inquirunt nonnulli aliuſne præter Nithardum epiſcopus ſit conſtituendus inter Reginaldum & Waſonem, dictus Nizo ſeu Nicho vel etiam Nitzo, de quo Geſta abbatum Lobienſium, Acta Popponis abbatis Stabulenſis, & Miræus. Hanc difficultatem ſolvit Albericus in chronico ad annum MXXXVI. *Obit Reginardus Leodienſium epiſcopus fundator abbatiæ S. Laurentii, ſuccedit Nizo cuſtos, qui & Richardus*, vel potius Nithardus, ut habet chronicon magnum Belgicum, *Reginardo ſuccedit Nizo qui & Nitardus.* Itaque binominis fuit Nithardus.

Vita S. Popp. n. 43.

De Henrico Pacifico. 87. Manaſſes archiepiſcopus Remenſis in Apologia ſua, quam Mabillonius Muſei Italici tom. 1. edidit, ſeſe excuſans, quod ad indictum a legato apoſtolico concilium Lugdunenſe citatus non paruiſſet, cauſatuſque inter alia, loci ab eccleſia ſua diſtantiam, & itinerum pericula, nonnullos epiſcopos in hujuſmodi itineribus male a ſceleratis hominibus affectos fuiſſe recenſet, interque eos epiſcopum Leodienſem, *ſicut in epiſcopo Leodienſi*, inquit, *cernitur factum, quem nuper in vigilia Natalis Domini novimus captum.* Quod de Henrico I. epiſcopo Leodienſi conſtat eſſe intelligendum:

quem Arnulfus comes Romam ad ſanctorum apoſtolorum limina euntem anno MLXXIX. intercepit, ac rebus ſuis exutum, eo ſolum pacto, interpoſito etiam jurejurando, dimiſit, ut ne deinceps oblata repetere auderet, uti colligitur ex Gregorii VII. epiſt. 13. & 14. lib. 7. Quod quidem flagitium, coadunato epiſcoporum, abbatum, ſacerdotum & aliorum concilio, Gregorius jubet debita pœna puniri. Henricum vero epiſcopum a juramento abſolutum hortatur, ut illatam ſibi contumeliam ulciſcatur, ne forte tanti ſceleris impunitas improbos quoſque ad audendum talia provocaret.

§. III.

OBSERVATIONES.

De Leodienſi ſancti Laurentii monaſterio.

88. Ab epiſcopis Leodienſibus tranſeo ad abbates monaſterii S. Laurentii, de cujus primordiis jam multa, quantumque ad ejus fundationem quinque præſtiterint epiſcopi, fuſius diſſeruimus. Ad illuſtrandam tamen tam inſignis monaſterii, quam hoc tomo edidimus, hiſtoriam, nonnulla ſuperſunt obſervanda. Atque ante omnia de primo illius abbate nobis inquirendum videtur quis ille fuerit. Nam in omnibus antiquis indicibus primo loco recenſetur Stephanus Virdunenſis S. Vitoni monachus, a Reginaldo epiſcopo aſſumtus; idemque omnes tam veteres, quam recentes rerum Leodienſium ſcriptores uno ore atteſtantur. Contra vero nonnulli hac ætate Popponem Stabulenſem abbatem, multorumque cœnobiorum reformatorem & patrem, ei præponendum putant, nec deeſt huic eorum opinioni haud ſpernendum fundamentum. Nam cum S. Wolbodo ageret in extremis, ſuſceptis ea qua par erat pietate & fide viatici & extremæ-unctionis ſacramentis, *Popponi*, inquit Reinerius monachus ac domeſticus ſcriptor, *eccleſiæ Stabulenſis opinatiſſimo tunc abbati, hujus loci commiſit providentiam, quia nulli adhuc fuerant ad ſerviendum Deo inſtituti, vel abbas vel monachus.* Nec vero diſſentit Rupertus in ſua ſancti Laurentii hiſtoria, cujus hæc ſunt verba: *Interim vocat abbatem* S. Remacli Popponem, *eique ordinandi hujus monaſterii curam commiſit.* Verum cum ſtatim ſubjungat Popponem hanc provinciam non obiiſſe, conſequens eſt ut nec S. Laurentii cenſendus ſit abbas. En ipſa Ruperti verba: *Abbas Poppo commiſſam ſibi hujus eccleſiolæ curam fideliter executus fuiſſet, ſed ſatan, qui ſemper, ut dictum eſt, huic loco ſteiit ex adverſo, invenit quomodo & per quos adverſari poſſet.* Agente igitur ſatana, commiſſam ſibi curam non eſt exſecutus. Et certe Durandus S. Wolbodonis ſucceſſor, conceſſa a ſuis prædeceſſoribus ſancto Laurentio prædia *partim militibus ſuis, partim ad menſam epiſcopii retinuit.* Et licet poſtea facti pœnitens, ablata reſtituere propoſuerit, atque in ſinceræ pœnitentiæ teſtimonium, contulerit prædium in Waſega, tamen omiſſo Poppone, monachos a Richardo S. Vitoni abbate petiit, quibus præeſſet Stephanus abbas, teſte Hugone Flavigniacenſi in chronico, *Durandus*, inquit, *epiſcopus Leodienſis, qui Wolbodoni ſucceſſerat, Stephanum ad ſe evocatum, ut loco abbatis præeſſet officio monuit, & admonendo petivit.* Hinc ſubrogato in Durandi ſede Rainaldo, *abbas Poppo cura hujus loci, quam a ſancto patre Wolbodone ſuſceperat, quia jam de illa deſperare cœperat, ſe abſolvit, & prædicto epiſcopo in manum remittit*, ut ait Rupertus. Ex quibus patet Popponem, etſi deſtinatum, reipſa tamen nuſquam abbatis nomine præfuiſſe monaſterio S. Laurentii: multo minus Richardum Virdunenſem S. Vitoni abbatem, qui tum peregrinus in Terra-ſancta verſabatur. Scio equidem eruditum virum Johannem Mabillonium Richardi ad ſacra loca peregrinatio-

Quis fuerit primus abbas S. Laurentii.

Non Poppo.

In ejus vita ſæcul. 6. Bened.

Non Richardus.

nem ad annum MXXVII. rejicere, auctoritate Ademari S. Eparchii Engolismenſis monachi, qui id in chronico diſertis verbis aſſerit. Verum ab hac me opinione revocat Hugo Flavigniacenſis auctor domeſticus & fere coætaneus, qui expreſſe tradit expenſas vitæ omnes ei attribuiſſe Richardum Normannorum ducem, qui anno præcedenti diem obierat ſuum, ut colligitur cum ex ipſo Hugone, tum ex brevi chronico monaſterii Cadomenſis S. Stephani, in quo hæc leguntur: *Anno* MXXVI. *obiit Richardus II. dux Normannorum, ſuccedit Richardus III. qui eodem anno mortuus eſt. Robertus frater ejus ſuccedit.* Præterea cum Stephanus abbas S. Laurentii e vivis exceſſerit anno MLVIII. regiminis ſui trigeſimo tertio, ut fert ejus epitaphium his verbis: *Præfuit annos* XXXIII. *menſes* II. *dies* XI. *migravit anno* MLVIII. II. *idus Januarii*; cui concinunt Bollandus & Mabillonius in notis ad vitam S. Wolbodonis, Stephani obitum anno MLIX. conſignantes, annum ſcilicet incipiendo a calendis Januarii; neceſſe eſt ut monaſterii curam ſuſceperit anno ſaltem MXXV. Hæ ſunt conjecturæ noſtræ quas ultro eruditorum virorum judicio ſubjicimus.

Chron. Vird.

Sed Stephanus.

89. Verum ut hæc noſtra ſententia amplius elucoſcat, juvat altius rem repetere, atque in primis audiendus eſt Hugo Flavigniacenſis in Chronico Virdunenſi: *Baldricus*, inquit, *Leodienſis epiſcopus cum beatum virum* Richardum *unice dilegeret, cœnobium Lobienſe divitiis opulentiſſimum ei tradidit regendum, ut induſtria ejus religionis in eo reformaret propoſitum, quod videbatur a priſtino rigore immutatum. Cujus exemplo delectabili provocatus, cum videret religioſam ejus converſationem in bonis & ſanctis moribus, & incrementum religionis & monaſticæ perfectionis in cœnobio eodem excreſcere, gaudens miraretur, cœpit jam majora meditari, & in ſuburbio Leodienſi in honore S. Laurentii martyris monaſterium ædificari conſtituit. Evocato ergo ad ſe eodem abbate, deſiderium ſuum ei aperuit, & ut deſiderii ſui cooperator accederet monuit & obteſtatus eſt, adjiciens multum perfectioni ejus poſſe proficere, ſi ejus ſtudio & induſtria domus Dei devote die noctuque celebraretur.* Hæc ſi conſtant, ut revera conſtare credimus, certum eſt ea ſub Baldrici epiſcopi exitum contigiſſe, atque adeo nec potuiſſe, eo vivente, confici aut ad effectum perduci; ſed ſub Wolbodone ejus ſucceſſore, qui etiam cœptum ac dotatum a Baldrico S. Jacobi cœnobium abſolvit, præfecto ipſi Olberto abbate Gemblacenſi, viro tum ſanctiſſimo & magnæ auctoritatis.

Quomodo factus fuerit abbas.

90. Et certe Richardum Lobienſibus a Wolbodone datum fuiſſe abbatem aperte docet auctor chronici Lobienſis his verbis: *Tertio decimo ordinationis ſuæ anno Ingobrandus de abbatia a Wolbodone ſanctæ memoriæ viro Leodienſi epiſcopo, ejicitur, in cujus locum Richardus venerabilis Virdunenſis abbas Lobienſem abbatiam regere conſtituitur.* Quin & B. Richardi biographus antiquior tradit ei S. Laurentii curam a Wolbodone commiſſam fuiſſe. Sed brevior fuit ejus epiſcopatus, quam ut ea quæ mente conceperat omnia perficeret, cumque ageret in extremis, accerſito Popponi abbati Stabulenſi, B. Richardi olim diſcipulo, ordinandi ejuſdem S. Laurentii monaſterii curam commiſit, ut ſupra vidimus. Quod arripiens Eiſenius, ipſam revera adminiſtrationem Richardo & Popponi a ſancto pontifice datam aſſerere non dubitavit.

91. Mortuo Wolbodone & in crypta S. Laurentii ſepulturæ tradito, de perficiendo monaſterio ne cogitavit quidem Durandus ejus ſucceſſor, immo donata eidem eccleſiæ prædia ſibi ſuiſque uſurpavit, ut jam ſæpe dictum eſt; at paulo ante mortem facti pœnitens, Stephanum e Virdunenſi S. Vitoni cœnobio abſtrahere tentavit, quem ſucceſſor ejus Regnardus cum ægre admodum impetraſſet, demum *agente eniam* [illegible] *Hezelone comite ut abbatem*

batem loco præficeret, ejus voluntati obſecutus eſt. Atque adeo primus S. Laurentii abbas merito dicitur.

92. Fuerat is olim Leodienſis eccleſiæ S. Dionyſii canonicus & cellerarius, eoque nomine apud Leodios valde notus. Agebat vero tunc in peregrinatione Richardus ejus pater, cujus injuſſu Stephanus, qui eo tempore in Virdunenſi cœnobio cellerarii etiam munus exercebat, ea cedere obedientia, ut vocant, & abbatiale onus ſuſcipere religioni ducebat, aſſerens patris ſibi deeſſe imperium. At cum ſtatim rumor percrebuiſſet, Richardum e vivis exceſſiſſe, continuo reſpondit epiſcopus, nihil jam obeſſe quin obſequeretur. Ceterum ipſum patri quem modo lugebat, magis quam ſibi obſecuturum. Nam cum ſemper Richardus in S. Laurentium valde propenſus fuiſſet, in ipſo itineris procinctu tam ſibi quam prædeceſſoribus ſuis promiſerat, eorum ſe poſt reditum, quem brevi futurum ſperabat, voluntatem adimpleturum. His victus rationum momentis, Stephanus, Leodium cum ſex fratribus accedens, ſubiit loci præfecturam & benedictionem abbatis. Verum audito non multo poſt Richardi reditu, venienti occurrere non audens, ad feſtum S. Vitoni Virdunum acceſſit, ſoluſque ſine comite clauſtrum ingreſſus, & culpam confeſſus, præfecturam abdicavit, ac cum ceteris communibus exercitiis vacavit. Tum adductus ad patris præſentiam, quo pacto ſuæ conſenſiſſet promotioni, ſincere expoſuit. His intererat Leodienſis archidiaconus, errati veniam epiſcopi ſui nomine deprecaturus. Cui Richardus, *Petitioni*, inquit, *domni epiſcopi adquieſcere honorificum eſt, & fratrem qui publice peccavit publica ſatisfactione corripere bonum.* Hæc locutus, Stephanum in fratrum collegio ultimum interim ſedere jubet, uſque dum res in capitulo diligentius diſcuti ac mature tractari poſſet.

93. Porro hoc veluti fulmine tacti omnes cùm epiſcopi & abbates, tum optimates urbis & provinciæ, qui ad feſtum pro more convenerant, mirantur hominem, ut videbatur, innoxium, ea mentis æqualitate tuliſſe abbatis ſui indignationem, ut coactus in ordinem in cœtu percelebri ultimus omnium ſederit, *nec vultus ejus ſint mutati in diverſa.* Tum Richardum placare aggrediuntur & ad mitiores ſenſus revocare; ſed quæ erat ſancti abbatis ſeveritas, non recipitur in gratiam Stephanus, nec priſtinos adipiſcitur honores, niſi confeſſa iterum culpa veniam ſupplex deprecaretur. Tanta victus eſt humilitate Richardus, ex ultimo loco Stephanus in ſuperiorem promovetur ſtatum, abbatis honores in miſſa ſolemni conſequitur *ac cuſtodia gregis Dominici deputatur.*

94. Interim archidiaconus hoc ſeveritatis exemplo offenſus, Leodium ſine Stephano reverſus, cum rem geſtam alio quam par erat colore cum retuliſſet epiſcopo, indignatus ille Lobienſem abbatiam Richardo abſtulit, aliumque abbatem in locum, non Stephani, ut opinatur Mabillonius, ſed Richardi ſubſtituit. Nam paucis poſt diebus, quibus cum optimo patre Virduni remoratus eſt, Leodium reverſus omnia abbatis munia religioſe adimplevit. Sed nec diſcipulo defuit Richardus abbas, ſed opem maxime contulit in perficiendis ædificiis; unde & *columnas clauſtri, ſeu tabulas ejuſdem materiei ab abbatia S. Amandi, cui Deo auctore tunc præſidebat, per varios itineris anfractus, perque Scaldum fluvium Moſæ tenus devehi fecit*, ut ſcribit primarius auctor vitæ S. Richardi. De quo etiam hoc mirabile dictu narrat Hugo Flavigniacenſis, quod *cum turres eccleſiæ S. Laurentii in altum jam porrectæ, & uſque ad cacumen elevatæ, poſtmodum reclines viderentur, & in ruina earum certa eſſet dejectio eccleſiæ, vir Dei adveniens, dolorem fratrum, quem ex tædio dejiciendæ & iterum reparandæ turris habebant, blande conſolatus eſt, & nocturno tempore eccleſiam ingreſſus, cum diutius in oratione pernoctaſſet, januis patefactis egreſſus eſt, & iterum*

Sæc. 6. Bened. part. 1. p. 526.

Chron. Vird.

orationi incumbens, cum surrexisset, signum crucis edidit, & confestim turres, quæ reclines videbantur, dato maximo strepitu, in seſe resilientes subsederunt, &c. Et hæc quidem quæ apud auctores domesticos, rerum scilicet Leodiensium scriptores, desiderantur, hic observare duximus operæ pretium.

Lambertus abbas II. an scripserit vitam S. Heriberti. Martii XVI.

95. Qui post Stephanum monasterii regimen suscepit Lambertus abbas, vitam S. Heriberti Colonienſis archiepiscopi scripsisse dicitur. Duas habemus S. Heriberti vitas apud Bollandum, primam a Lamberto Tuitiensi monacho, imperante Henrico, Herimanno archiepiscopo Colonienſem ecclesiam regente, Werimbaldo Tuitiense monasterium administrante, scriptam ante annum MLV. quo obiit Herimannus. Alteram a Ruperto Tuitiensi abbate & a Laurentio Surio editam. Si primam vitam Lamberto abbati S. Laurentii attribuas, eumdem ad regendum Leodiense S. Laurentii cœnobium e Tuitiensi assumtum fuisse agnoscendum est, ab eoque ante conscriptam quam Leodios accederet: nisi quis malit tertiam S. Heriberti vitam a Lamberto S. Laurentii abbate litteris consignatam. Cui opinioni favere videtur Trithemius in chronico Hirsaugiensi, ad annum MXLVIII. his verbis: *Lampertus monachus noſtri ordinis, S. Laurentii Leodienſis, Adelmi Grammatici, Brixienſis episcopi quondam auditor, vir certe omni scientia magnifice doctus, hac quoque tempestate ordinem noſtrum eruditione ſua mirifice illuſtravit, scripsit vitam S. Heriberti Colonienſis episcopi, & multa alia de quibus, alibi diximus*, scilicet in catalogo virorum illustrium. Et certe Adelmus seu Adelmannus Brixiensis episcopus, *Grammaticus Leodienſis* dicitur apud Ughellum, quem proinde facile potuit audire Lambertus noster. Ejus opus ut ab opere Tuitiensis monachi distinguamus movet nos, quod hic *ſe virtutes ſancti & miracula, quæ per eum Deus poſt obitum ejus operatus eſt intacta* deseruisse profitetur, cum tamen abbas S. Laurentii vitam *& miracula* conscripsisse dicatur, quod etiam Baronius asserit in notis ad martyrologium Romanum: *S. Heriberti*, inquit, *ſcripſit res præclare geſtas Rupertus abbas Tuitienſis, quas retulit Surius tom. 2. porro egregia ſancti viri miracula Lambertus Leodienſis ſcriptis mandavit.* Quod quidem opus interiisse dolemus.

Ital. sacr. tom. 4.

De Beringero sancti Laurentii abbate sanctissimo.

96. Lamberto abbati post Everardum, qui ne uno quidem anno præfuit, successit Wolbodo. Hic cum generis splendorem variis vitiis obscuraret, Beringero priori S. Huberti, viro sanctissimo loco cedere coactus est. De eo plura cum in Leodiensi S. Laurentii historia a nobis edita, tum in Andaginensi, ubi res ab eo præclare gestæ referuntur. Invictam ejus in perferendis Simoniacorum injuriis constantiam commendat Urbanus II. scripta ad eum epistola, in qua hæc in primis observanda: *Gratias agimus Deo pro vobis in gratia quæ data eſt vobis, qui in hoc malo tempore, cum omnis pene Gallia erroris caligine jacet immerſa, oculos mentis veſtræ ad cognitionem veritatis illuminavit, ut ad amorem juſtitiæ & Catholicæ fidei defenſionem, igne ſui Spiritus cor veſtrum accendat. Gratias illi, qui vos præclaro calice gratiæ ſuæ inebriavit, & Spiritum Domini in ratione veſtra ferventem, ad tolerantiam multiplicis injuriæ paratum reddidit, & ad perferendos labores & pericula, pro defenſione veritatis excitavit.* Et paulo post: *Pro certo compertum habemus, quod aliis pro defenſione veritatis & juſtitiæ laborantibus, cum omni officio caritatis ſubvenire ſolebatis, & cum magna cordis lætitia & vultus hilaritate, ſanctorum neceſſitati ſupra vires veſtras miniſtrare, Simoniacos & Wibertiſtas, novos eccleſiæ hoſtes, validis verborum jaculis impetere, & nutantem rationis eorum murum ariete fidei pulſare, & athletas Dei, qui in acie Chriſtianæ religionis defecerant, confortare, &c.*

Tom. I. hujus coll. p. 553.

97. Inter alia vero præclara Beringerii facinora, duo in primis hic veniunt commemoranda, collegiatæ ſcilicet eccleſiæ S. Petri Ayuncurtis erectio, & fundatio abbatiæ S. Ægidii in Monte-publico: quæ quidem quam parum ſuis commodis & utilitati ſerviret, immo quam atrentus foret alienæ rei procurandæ demonſtrant. Anno nimirum MXXXVI. quidam Brabantiæ nobiles viri, è clariſſima ſanctæ virginis Ragenulfæ progenie orti, acceſſerunt ad Reginaldum Leodienſem antiſtitem, *poſſeſſiones ſuas ad ipſius providentiam & diſpoſitionem offerentes*; ſimulque orantes, ut cum bona ſua venia, *in ipſa eccleſia erigerent collegium* XII. *canonicorum*, Qui accepta donatione eorum ſe votis ſatisfacturum ſpopondit. At morte præventus nihil prorſus aggredi potuit. Mortuo Reginardo, defunctis etiam viris illis nobilibus, Nithardus Reginardi nepos, adepto epiſcopatu Leodienſi, eaſdem poſſeſſiones eccleſiæ ſuæ attribuit, eoque nomine tam ipſe poſſedit, quam ſucceſſores ejus Vazo & Theoduinus. Qui vero poſt eos ſedit Henricus Pacificus, deceſſorum ſuorum exemplo motus, qui aut novas condebant eccleſias, aut jam fundatas reditibus & fundis amplioribus exornabant, attendens inclytum S. Laurentii monaſterium perplura a Wolbodone nequiſſimo abbate damna pertuliſſe, ejuſque bona & prædia *in ſæculares pompas* ab eo expenſa; ut jacturam illam pro modulo ſuo reſarciret, prædictas poſſeſſiones, *ut ſuæ diſpoſitioni fuerant ſubditæ*, quaſque per annos XLII. jure epiſcopali tenuerant Leodienſes antiſtites, facta ſolemni donatione, S. Laurentio obtulit. At Beringerus abbas æqui bonique obſervantiſſimus, poſt Henrici mortem Otberto ejus ſucceſſori injectum animo ſcrupulum aperuit, ſupplicavitque, *ut votum præſcriptorum nobilium dignaretur implere, quia videretur ſibi quod monaſterium S. Laurentii illas poſſeſſiones non deberet retinere.* Annuit Otberus, *& ſic prædictus abbas ibidem collegium canonicorum inſtituit, prædictas poſſeſſiones, quæ circa locum ipſum erant, eis pro prebendis aſſignando.* Inſtitutum a Beringero abbate collegium approbavit, ac ſingulari diplomate confirmavit Otbertus, quo canonicos Ayuncurtenſes alteri nulli præter quam abbati S. Laurentii tam *de corporali ſubſidio ſuo*, quam *de ſpiritali animarum ſuarum ſalute* reſpondere conſtituit. Hoc poſtea collegium ad petitionem Philippi Burgundionum ducis, in Lovanienſem S. Jacobi eccleſiam, ſervatis abbati S. Laurentii ſuis juribus & prærogativis, anno MCCCCLIV. tranſtulit Nicolaus papa V.

Eccleſiam collegiatam de Ayuncurte fundat.

98. Quid vero præſtiterit in fundatione canonicorum regularium ſancti Ægidii in Monte-publico idem Beringerus, diſcimus ex Wibaldi abbatis Stabulenſis & Corbeienſis epiſtola 371. ad Eugenium papa III. quam hic ut ſuo maxime loco exſcribere non gravabor. *De controverſia quæ eſt inter abbatem monaſterii S. Laurentii & abbatem de Monte-publico, celſitudini veſtræ ea in his litteris ſuggerere ſtudebimus, quæ ſuper his in veritate didicimus. Ante annos ferme* XXXVII. *cum eſſemus pueri ſub ſcholari diſciplina in prædicta civitate conſtituti: non quod ad conſilium vel actionem talium rerum admiſſi, hujuſmodi conventiones ſeu pactiones inſpicere in teſtimonium rogaremur, ſed quod fama inter clerum & ſcholares collationes, qualiter inter prædictos abbates fuerit contractum, nobis ex celebri relatione non poterat eſſe omnino ignotum. Eccleſiam B. Ægidii quæ eſt in Monte-publico prænominatæ civitatis, Beringerus abbas S. Laurentii dedit cuidam Gerico regulari canonico, cum quibuſdam fratribus ejuſdem profeſſionis ad inhabitandum & amplificandum ſecundum ordinem S. Auguſtini, ea ſcilicet conditionis ratione, ut ſi prænominatus locus eo uſque per divinam largitatem creſcendo proficeret, quod paſtorem ſibi fratres regulariter deberent eligere, idem electus corporalem inveſtituram a prædicto abbate ſuſciperet, a quo etiam ad ſuſcipiendam epiſcopalem benedictionem præſentaretur, hac conſtitutione per omnes ſucceſſores valitura.*

Et Abbatiam ſancti Ægidii in Monte-publico.

De Wazelino II. abbate.

99. Denique prædictus Wibaldus abbas eadem epiſtola Wazelinum II. S. Laurentii abbatem ſummo pontifici commendat his verbis: *Porro de innocentia abbatis monaſterii S. Laurentii nihil veſtræ diſcretioni dubitandum fore credimus, cum in eodem monaſterio, cui nunc, Deo auctore, præeſt, a parvulo ſit non ſolum in regularibus, ſed etiam in liberalibus diſciplinis apprime eruditus, qui etiam & prædictis conventionibus interfuit, & nunc in lege Dei ſui die ac nocte meditatur, & horam vocationis ſuæ lampade accenſa expectat, quem & diligere & honorare dignemini devote ſupplicamus.*

100. Atque hæc obſervata ſint ad illuſtrandam S. Laurentii Leodienſis hiſtoriam. Jam vero eſſet forte aliquod operæ pretium de aliis ejuſdem civitatis & provinciæ monaſteriis æque agere, ac ea ſaltem revocare quæ variis in locis de unoquoque monaſterio ſparſa & veluti projecta reperiuntur. Sed quo tandem nos abduceret hæc qualiſcumque inveſtigatio? Conſultius ea domeſticis relinquetur ſcriptoribus, quibus & numero multis, & rerum ſuarum ſtudioſiſſimis floruit hactenus hodieque floret & exultat nobilis civitas Leodienſis. His itaque prætermiſſis, ad alia non minus neceſſaria ſtilum convertamus.

§. IV.

OBSERVATIONES ECCLESIASTICÆ.

De diſciplina.

101. Inter varia quæ ex editis hic monimentis provenire poſſunt commoda, illud in primis conſurgit, quod res eccleſiaſticæ, præſertim quæ ad diſciplinam pertinent, exinde melius illuſtrentur. Quamobrem ut ſtudioſorum hominum labori nonnihil accedat adjumenti, non incongruum viſum eſt ſuper ea re hic aliquid adnotare.

Obſervatio I. de relaxatione abſtinentiæ in quadrageſima.

102. Et primo de relaxatione jejunii quadrageſimalis, cujus olim omnis ratio, uti alias obſervavimus, in carnis & vini abſtinentia atque unica ad veſperam refectione conſiſtebat, quamquam nec deerant qui a piſcibus etiam atque aliis quibuſlibet obſoniis temperarent, ſolis contenti aridis cibis. At refrigeſcente ſenſim caritate adeo paſſim elanguit auſterior hæc diſciplina, ut ſola demum carnis abſtinentia, pro quadrageſimalis jejunii lege ſit habita, quam tanta religione retinuere quique fideles, ut nec imperatores, nec reges, etiam cum vitæ periculo, ab ea diſpenſarentur. Unum nobis apud antiquos ſub finem ſæculi VIII. occurrit exemplum, quo ſæviſſima fame graſſante, deficientibus aliis cibis, carnium eſus in quadrageſima permiſſus videtur. Id certe diſertis verbis adſtruunt veteres Annales Francorum a nobis editi: *Anno* DCCXCII. *in ipſa hieme tranſmiſit rex Carolus duos filios ſuos Pippinum & Ludovicum cum exercitu magno in terra Beneventana, & facta eſt ibi fames valida ſuper populum & ſuper exercitum qui advenerat, ita ut aliquanti nec ipſa quadrageſima ab eſu carnium abſtinere potuiſſent.* Addit horumce Annalium auctor, non in regis ſolum exercitu, ſed in Italia, Burgundia, Gothia, Provincia ac Francia ita famem invaluiſſe, *ut multi in ipſa fame mortui eſſent.* Idem legere eſt in illis Francorum Annalibus, quos poſt Caniſium, ex mſ. Antonii Loiſelii edidit Andreas Cheſnius.

Tom. 5. p. 901.

Hiſt. Franc. to. 2. p. 38.

In ipſa hieme tranſivit rex cum filiis ſuis Pipino & Ludovico contra hoſtes, & facta eſt ibi fames validiſſima ſuper populum, qui ibi advenerat, ita ut in ipſa quadrageſima aliquando a carnibus non abſtinerent. Concinit etiam Chronicon Saxonicum ad annum DCCXCIII. *Eodem anno miſit filios Pippinum & Ludovicum in Beneventum cum exercitu, fuitque fames valida, ita ut nec in quadrageſima carnibus abſtinerent.* In hac autem abſtinentiæ

Apud Eccard. Corp. hiſt. tom. 1.

relaxatione

relaxatione convenit obſervare, eam minime univerſalem fuiſſe, ſed *ſolis militibus* permiſſam; neque omnibus, ſed *aliquantis*; nec ſemper, ſed *aliquando*, & forte invitis pontificibus, qui quod emendare nequeunt, plerumque coguntur tolerare. Eadem diſcretionis ratione poſt medium ſæculum XI. Anno Colonienſis epiſcopus ſanctiſſimus, diœceſis ſuæ barbaros trans Rhenum degentes lacticiniis in quadrageſima veſci ac refici patienter tulit, unde *cum interloquendum familiari jocunditate* eum aliquando percontatus eſſet S. Theodericus abbas Andaginenſis, *cur eos auctoritate pontificali non compeſceret*, reſpondit beatus pontifex *abſtinentiam & religionem eccleſiaſticam ſe quidem omnino approbare, atteſtari & laudare. Differentiam vero ciborum firmis in fide non obeſſe, cum Dominus in deſerto per corvum Eliam paverit, non piſcibus, ſed carne. Sæpius id prohibuiſſe, nec prævaluiſſe: quod Chriſtiani dici paterentur multum ſe gaudere, ne dum aliqua violentia abſterreret, eoſdem a Chriſtiana fide elongaret.* Hanc S. Annonis indulgentiam nullus jure non probaverit, qui Germanos norit. *Germania*, inquit Æneas epiſcopus Pariſienſis, *etiam a lactis & butyri ac caſei & ovorum eſu per totam quadrageſimam non abſtinet, excepto quem ſpontanea abſtrahit voluntas.* Hæc dum remiſſioris diſciplinæ teſtimonia referimus, Ludovici Junioris Francorum regis religionem non poſſumus non mirari atque prædicare, qui ut uno piſcium ferculo ſextis per annum feriis veſci ſibi liceret, ab Alexandro papa III. petiit & exoravit. Non ſunt hic prætereunda ſummi pontificis regi ſcribentis verba. *Accepimus autem ex litteris tuis regiæ celſitudini per alia ſcripta non fuiſſe expreſſum, utrum in quarentenis ſexta feria illam relaxationem, quam in ſexta feria aliorum temporum tibi fecimus debeas obſervare: unde nos eamdem relaxationem taliter duximus diſtinguendam, ut ſcilicet in quadrageſima quæ dicitur S. Martini uſque ad adventum Domini, in ſexta feria uno ferculo piſcium & vino temperate ſumto utaris. In adventu vero & in majori quadrageſima conſuetam abſtinentiam ſemper ſexta feria obſervabis. Si autem debilitas corporis non poterit abſque gravi detrimento illam abſtinentiam ſuſtinere; volumus & per apoſtolica ſcripta magnificentiæ tuæ præcipimus, ut hic ſicut in aliis temporibus ſexta feria ferculo uno piſcium & vino modice ſumto utaris.* Addit Alexander, ut his temporibus aliorum temporum eleemoſynas augeat.

Hiſt. Andag. monaſt. pag. 927.

Epiſt. 114. apud Cheſnium hiſt. Franc. t. 4.

103. Redeo ad lacticiniorum abſtinentiam in quadrageſima, quæ ſic tandem apud Germanos alioſque populos Chriſtianos invaluit, ut nulla alia ratione ſolvi potuiſſet, niſi impetrata a ſummo pontifice facultate: quam etiam facultatem pro ſextis feriis & aliis per annum jejuniis indulgere debebat. Certe cum anno MCCCXLIV. crucem adverſus Turcas prædicari juſſiſſet Clemens VI. pecunias conferentes ſacræ expeditioni his gratiis impertivit, *ut liceret eis, excepta quadrageſima, ovis & lacticiniis uti ſextis feriis, in vigiliis quoque Apoſtolorum, feſti B. Mariæ Virginis, Nativitatis Domini, omnium Sanctorum, diebus etiam quatuor temporum & aliis jejuniorum diebus quibuſcumque per anni circulum, in quibus talium eſus, vel ab eccleſia de jure vel conſuetudine prohibetur.* Promulgata hac indulgentia, infinitas collegere pecunias archiepiſcopi Trevirenſis & Colonienſis per ſuas provincias, ut tanto privilegio gauderent: contra vero archiepiſcopus Moguntinus cum ſimilem collectam neglexiſſet, *neque in diœceſi Moguntina*, pergit Trithemius, *neque in aliis diœceſibus illius metropoli ſubjectis lacticiniorum uſus alicui permittitur ſano & fideli Chriſtiano, niſi de ſpeciali gratia uſque in præſentem diem.* Memini etiam me aliquando legiſſe in tabulis publicis inſignis eccleſiæ Turonenſis S. Martini, conceſſas anno MCCCCLXXXI. ſenibus infirmis & pauperibus indulgentias lactis ac butyri in quadrageſima

Trith. hiſt. Hirſ. to. 2.

Veyag. litt. 2. part. pag. 188. comedendi. Denique anno MDXLIX. abbas ſeu præpoſitus Evershamenſis monaſterii in Belgio facultatem a ſummo pontifice obtinuit, domeſticis miniſtrandi lacticinia tempore quadrageſimæ.

Obſervatio II. de hymno angelico. 104. Ex Chronico Turonenſi hymnus angelicus auctorem habet Hilarium epiſcopum Pictavienſem, quem aliunde conſtat plures hymnos compoſuiſſe. *Anno Valentini IV.* inquit Chronici auctor, *B. Hilarius Pictavienſis migravit ad Dominum. Hic compoſuit Gloria in excelſis Deo & in terra*

Pag. 924. Pag. 932. *pax hominibus.* Idem tradit auctor prædictum hymnum *olim in nocte Natalis Domini tantummodo decantatum fuiſſe.* At S. Gregorius illum a preſbyteris ſolo Reſurrectionis feſto decantari permittit. Sic enim ille in libro Sacramentorum: *Dicitur* Gloria in excelſis Deo, *ſi epiſcopus fuerit, tantummodo die dominico, ſive diebus feſtis: a presbyteris vero minime dicitur*, niſi in ſolo Paſcha. *Quando vero letania agitur, neque* Gloria in excelſis, *neque* Alleluia *canitur.* Quapropter quod in prædicto Chronico Turonenſi legitur, Symmachum papam conſtituiſſe *in dominica & feſtis martyrum* Gloria in excelſis cantari, id de ſolis epiſcopis intelligendum videtur, non de presbyteris. Neque vero liturgicis tantum in precibus, ſed in aliis quoque officiis eccleſiaſticis adhibebatur hymnus angelicus. Nam S. Cæſarius Arelatenſis illum in regula monachorum cap. 21. ad matutinas laudes decantari præcipit. Similiter & S. Aurelianus ejuſdem ſedis antiſtes in ordine pſallendi: quin & Alexander Acœmetus abbas inſtituiſſe dicitur *hymnologiam ſanctorum angelorum nocte ac die ſeptuagies ſepties decantari, ſcilicet* Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus, bona voluntas.

Apud Boll. 15. Januar.

Obſervatio III. de ſymbolo ad miſſam decantando. 105. Ex prædicto etiam Chronico Turonenſi diſcimus Damaſum papam in odium Macedonii epiſcopi Conſtantinopolitani, qui Spiritum-ſanctum Patri Filioque conſubſtantialem negabat, inſtituiſſe, ut ſymbolum CP. infra miſſarum ſolemnia diceretur. *Secunda*, inquit, *ſynodus jubente Theodoſio CP. celebratur, ubi Macedonius negans Spiritum-ſanctum Deum eſſe, & conſubſtantialem Patri & Filio, condemnatur, & ab hoc inſtituit ſymbolum in miſſa celebrari.* Chronico Turonenſi concinit Albericus in hæc verba: *Damaſus papa primus* Credo in unum Deum *ſolemnibus diebus decantari inſtituit, ex decreto univerſalis ſynodi a centum quinquaginta epiſcopis Conſtantinopoli celebrata.* Et tamen plerique exiſtimant Romanam eccleſiam in ſacra liturgia ſymbolum non recitaſſe ante tempora Henrici II. imperatoris; atque ad id probandum, Bernonis abbatis Augienſis & teſtis oculati, qui id revera aſſerit, afferunt auctoritatem. Addit Berno Romanos hujus rei cauſam ab imperatore, ſe præſente, interrogatos reſpondiſſe, *quod Romana eccleſia non fuiſſet aliquando ulla hæreſeos fece infecta.* Henricum vero a Benedicto papa id obtinuiſſe, ut ſymbolum deinceps *ad publicam miſſam decantaretur:* id quod anno MXIV. contigit. Aſt huic Bernonis teſtimonio repugnant antiquiſſimi ordines Romani a Mabillonio vulgati. Nam in ſecundo ordine, quem Onufrius Panvinus Gelaſianum eſſe cenſet a S. Gregorio emendatum, hæc leguntur: *Poſt lectum evangelium, candelæ in ſuo loco extinguntur, & ab epiſcopo* Credo in unum Deum *cantatur.* Similiter ordo V. & ipſe multæ antiquitatis: *Perlecto evangelio, dicat epiſcopus* Pax tibi, *& elevat*, Credo in unum Deum. Et ordo VI. *Sin autem epiſcopus prædicare noluerit, alta voce incipiat canere* Credo in unum Deum; *& ita omnis chorus incipiens* Patrem omnipotentem, *ad finem uſque perducant.* Nec deſunt etiam graviſſimi ſcriptores, qui idem confirment, Johannes papa VIII. Leo III. Amalarius & Walfridus Strabo. His perculſi auctoritatibus cenſent nonnulli, per illud intervallum quod a medio ſæculo IX. effluxit ad initium ſæculi XI. Symboli in miſſa recitationem fuiſſe intermiſſam, quod vix credi poteſt. Et certe ſi Bernonis verba ſedulo diſcutiamus, non omnino negare

videtur ſymbolum a Romanis in miſſa recitatum fuiſſe, ſed tantummodo decantatum: quia revera non ſolemni vocis modulatione decantabatur, ſed tantum recitabatur, ad eum fere modum, quo etiam nunc ſubdiaconus in eccleſia Lugdunenſi, præter aliarum eccleſiarum morem, epiſtolam abſque ulla cantus inflectione recitat. Et ne quis gratis id a nobis aſſertum objiciat, ſententiæ noſtræ vadem afferimus Leonem papam III. qui in Aquiſgranenſi cum Carolo Magno collatione clariſſimis id ac perſpicuis verbis affirmat: *Quod vero*, inquit, *aſſeritis ideo vos ita cantare ſymbolum, quoniam aliquos in iſtis partibus vobis priores audiſtis decantaſſe, quid ad nos? Nos idipſum non cantamus, ſed legimus, &c.* Unica ſupereſt difficultas. Nam antiqui ordines Romani non ſimpliciter legi ſymbolum præcipiunt, ſed cantari & quidem *alta voce*. Difficultatem ſolvimus reſpondendo, decantatum quidem fuiſſe Symbolum in miſſa pontificia, at vero ſolummodo recitatum in qualibet alia miſſa ſacerdote non pontifice celebrante.

Obſervatio IV. de probatione reliquiarum per ignem.

106. Ad vitandum omnem abuſum, qui ex falſarum reliquiarum veneratione poſſet ſuboriri, eas de quibus legitimum aliquod dubium inceſſiſſet, igne aliquando probatas fuiſſe conſtat. Ex paucis vero ſingularis hujus ritus exemplis non leviter prætereundum eſt, quod in Salmurienſis S. Florentii hiſtoria hic edita, factum legitur, cum allatum fuit ex generali Normannorum vaſtitate S. Pauli Lehonenſis apud Armoricos epiſcopi caput, tempore Roberti abbatis, qui anno 988. obiiſſe creditur, tum inquit, hujus hiſtoriæ ſcriptor, *Thoarcenſis & Namurcenſis princeps, conſultu S. Florentii cœnobitarum, terno igne terniſque ſarmenti combuſtionibus illud examinavit.* Quod quidem factum in mentem revocat id quod refert Guillelmus abbas in ſuo Andrenſi Chronico, de Baldrico Andrenſis pagi domino, qui felle livoris commotus, vitæ S. Rotrudis libellum concidit, ejuſque detrahens miraculis, eo uſque tandem prorupit, *ut religioſum comitem ad hoc induxerit, ut per ignis judicium ſanctum feminæ Dei Rotrudis corpus examinaretur. Et die ſtatuto ad hoc ſpectaculum totius populi univerſitas per edictum publicum convocaretur: quod & factum eſt. Sed quidquid livor hoſtilis B. Rotrudi præcogitavit ad contumeliam, totum ei ceſſit ad gloriam, quia ignis ſacrum os in ſe projectum glorificavit, &c.* Duobus hiſce exemplis addo & tertium quod refert Mabillonius in Annalibus Benedictinis, Egbertum ſcilicet archiepiſcopum Trevirenſem, cum reſtaurando S. Eucharii templo incumberet, corpus S. Celſi fodiendo reperiſſe, *Ne qua vero*, inquit, *ſuſpicio de ſacrarum reliquiarum ſanctitate ſuboriri poſſet, intra miſſarum ſolemnia, decantato offertorio, articulum digiti S. Celſi panniculo involutum in thuribulum, ardentibus prunis plenum, injecit, qui per totum canonis ſpatium illæſus atque ab igne intactus permanſit.* Eamdem praxim confirmat Guibertus abbas Noviginti in lib. 3. de vita ſua capite 19. his verbis: *Brachium B. Arnulfi martyris in oppido unde eram oriundus habebatur, quod a quodam locis illis illatum, cum oppidanos reddidiſſet ambiguos, ad probationem ignibus eſt injectum; ſed exinde ſaltu ſubito eſt ereptum.* Et ne quis hujuſmodi probationes vitio verſat, aut notet irreverentiæ, præſto eſt celebratum anno DXCII. concilium Cæſar-Auguſtanum canone 2. ſtatuens: *Ut reliquiæ, in quibuſcumque locis de Ariana hæreſi inventæ fuerint, probatæ a ſacerdotibus, in quorum eccleſiis reperiuntur, pontificibus præſentatæ igne probentur.*

Ad ann. 979. n. 92. tom. 3.

Obſervatio V. de funere epiſcoporum ad varias eccleſias circumferendo.

107. Obſervavimus alias, cum de epiſcoporum exſequiis ageremus, eorum funus ad varias olim urbis ſuæ eccleſias efferri conſueviſſe, ibique ſupplicationes illas publicas, quas vulgo abſolutiones vocant, defuncti ſubſidio ac levamini ante perſolvi, quam tumulo deponeretur: quod quidem duplici probatum eſt exemplo, S. Wolfgangi Ratiſponenſis epiſcopi, & ſancti Annonis Colonienſis archipræſulis, cujus corpus ad pleraſque ſacras ædes

civitatis Colonienſis totis VII. diebus ſolemni pompa delatum ferunt. Ejus quoque ritus aliud extat exemplum inſigne in vita Adalberonis Trevirenſis archiepiſcopi, qui cum anno MCIII. Confluentiæ fato functus fuiſſet, & corpus ejus aromatibus conditum Treviros allatum, *clerus & populus ad pontem proceſſit illi obviam, & per ſingula monaſteria ſingulis diebus deportatum eſt, donec dierum numerus monaſteriorum complevit numerum, &c.* Æque celebres fuere, teſte Ægidio Aureæ-vallis monacho, Notkeri epiſcopi Leodienſis exequiæ. *Prima dies*, inquit, *luctuoſa celebritatis in eccleſia S. Lamberti deducta eſt, ſecunda in eccleſia S. Crucis, tertia in eccleſia S. Martini, quarta in eccleſia S. Pauli, quinta in eccleſia S. Johannis, ubi in angulo cryptæ humilioris in oratorio S. Hilarii ſe ſepeliri conſtituit.* Neque vero epiſcoporum ſolum, ſed & abbatum exſequias his aliquando officiis cohoneſtatas fuiſſe, colligitur ex Hugone Flavigniacenſi in ſuo Chronico Virdunenſi, ubi Richardi S. Vitoni abbatis ſanctiſſimi funus his exſequitur verbis: *Adveſperaſcente die corpus beatiſſimum ad principalem eccleſiam beatæ Mariæ cum fratribus delatum, debitis vigiliarum & pſalmodiæ officiis nocte ipſa ab exſcubitoribus honoratum eſt. In craſtino miſſa ſolemniter celebrata a canonicis, per reliquas urbis monaſteria deportatum eſt, & vigiliis miſſarumque ſolemniis debita officioſitate percelebratis, tandem ad monaſterium ſuum delatum eſt.* His etiam dignati honoribus Chriſtianiſſimi Francorum reges, quorum funus olim primum deportabatur in S. Mariæ de Campis eccleſiam, quam hodie poſſident ſtrictioris obſervantiæ ſanctimoniales de Monte-Carmelo, conceſſam ſibi a Majoris-monaſterii monachis; deinde ad cathedralem B. Mariæ baſilicam, ac demum in templum S. Dionyſii. Ita in funebri officio Caroli VII. Caroli VIII. Annæ reginæ, Franciſci I. obſervatum fuiſſe demonſtrat noſter Michaël *Felibien.* Denique Godefrido duce Lotharingiæ a quibuſdam Roberti comitis Flandriæ neceſſariis apud Caſtellum Flardingas occiſo, cum cadaver ejus prius Leodium, quam Virdunum, ubi ſepeliendum erat, honorificentiſſime deportaretur, Henricus epiſcopus Leodienſis cum clero & populo obviam proceſſit, *perque ſingulas congregationes præſens ipſe circumferri juſſit.*

Hiſt. S. Denis pag. 557. 570. 575. 588.

Hiſt. Andag. mon.

108. Sed quia regum Francorum hic aliqua mentio incidit, pauca etiam & quaſi obiter de eorum anniverſariis ſubnectere videtur non eſſe incongruum. Et primo obſervamus in nocturnis eorum vigiliis tres poſteriores lectiones de ipſorum vita recitatas fuiſſe: quod maxime colligitur ex veteri S. Dionyſii in Francia ordinario, in quo inter varios ritus anniverſarii Dagoberti regis hæc leguntur: *Ad unumquemque nocturnum provideat theſaurarius duos ſacerdotes, qui thuriſicent altaria & ſepulturam regis & conventum, tres extremas lectiones de vita ipſius.* In pervetuſto etiam ejuſdem cœnobii codice mſ. Ludovici VI. cognomento Graſſi, abbreviata vita die ejus anniverſaria ad tertium nocturnum legenda cum hoc titulo reperitur: *Incipit lectio* VII. *in anniverſario Ludovici regis.* Qui ſane ritus etſi hodie inſolens videtur & plane inuſitatus, non minus tum conveniebat, quam hodie funebres illæ principum orationes quæ inter ipſiſſima ſacra myſteria pronunciari ſolent, quæque eo ſolum ordinantur conſilio, ut aſtantium quiſque excitetur ad exorandam pro defuncto principe divinam clementiam.

109. Secundo die anniverſaria Dagoberti regis non ſolas pro more veſperas cum nocturnis vigiliis & laudibus decantabant monachi S. Dionyſii, ſed alias etiam diurnas horas, primam, tertiam, ſextam, nonam, ſecundas veſperas & completorium, quam hactenus conſuetudinem, & multas alias non ſine laude retinent. Ne quis autem gratis nos aſſeruiſſe exiſtimet id quod de lecta in anniverſario Ludovici VI. regis ejus vita modo dicebamus, juvat hic ex mſ. codice S. Dionyſii ipſas ejus lectiones ſubjicere.

INCIPIT

INCIPIT VII. LECTIO IN ANNIVERSARIO *Ludovici regis.*

110. Glorioſus igitur & famoſus rex Francorum Ludovicus, regis magnifici Philippi filius, altus puerulus antiqua regum Caroli-Magni & aliorum excellentiorum, hoc ipſum teſtamentis imperialibus teſtificantium, conſuetudine apud ſanctum Dionyſium, tanta & quaſi nativa dulcedine ipſis ſanctis martyribus ſuiſque adhæſit uſque adeo, ut innatam a puero eorum eccleſiæ amicitiam toto tempore vitæ ſuæ multa liberalitate & honorificentia continuaret, & in fine ſumme poſt Deum ſperans ab eis, ſeipſum & corpore & anima, ut ſi fieri poſſet, ibidem monachus efficeretur, devotiſſime deliberando contraderet. Qui poſt tricenariam glorioſi regni Francorum adminiſtrationem, illuſtrem eccleſiarum defenſionem, continuam pauperum & orphanorum tuitionem, ut humanæ complexionis mos eſt, corporeæ gravitatis mole, & laborum continuato ſudore aliquantiſper fractus, corpore non animo deficiebat: cum tamen, ſi quid regiæ majeſtati importunum per univerſum regnum emergeret, inultum nullo modo præterire ſuſtineret. tantæ enim ſcientiæ & induſtriæ ſexagenarius erat, ut ſi impinguati corporis moleſtia jugis non reſiſteret, omnem univerſaliter hoſtem ſuperando contereret. Unde ſæpe intimis ingemiſcendo querebatur: heu! inquit, miſeræ conditioni, quæ ſcire & poſſe inſimul aut vix aut numquam admittit. Si enim juvenis ſciſſem, aut modo ſenex poſſem, efficaciſſime multa regna perdomaſſem. Ea tamen corporis debilitati gravitate etiam lectulo rigidiſſimus uſque adeo & regi Angliæ, comitique Theobaldo & omnibus reſiſtebat, ut quicumque eum viderent, & præclara opera audirent, animi nobilitatem prædicarent, corporis debilitatem deplangerent. Ea etiam moleſtatus angaria, cum contra Theobaldum comitem læſo crure ac vix deportato Bonevallis, præter clauſtra monachorum quæ defendebat, igne concremare feciſſet, ſed & alia vice cum caſtellum Renardi de feodo comitis Theobaldi per homines etiam abſens deſtruxiſſet, ea, quam extremam fecit, expeditione, nobiliſſimo exercitu caſtrum ſancti Brictionis ſuper fluvium Ligerim, ob ſui rapacitatem & mercatorum deprædationem, & incendio diſſolvit & turrim & dominum ad deditionem coëgit. Qua regreſſus expeditione, apud caſtellum novum Montis-Eherii, gravi diarria ventris profluvio ſicut aliquando conſueverat graviter cœpit anxiari. Qui ut erat in conſiliis providus, ſibi ipſi conſulens, & miſeratus animæ ſuæ, Deo placens, frequentatæ confeſſionis & orationum ſibi devotione providebat, hoc unum toto animi affectu peroptans, apud ſanctos martyres protectores ſuos Dionyſium ſocioſque ejus ſe quomodocumque deferri, & ante ſacratiſſima eorum corpora regni & coronæ depoſitione, coronam pro corona, pro regalibus inſignibus & imperialibus ornamentis humilem beati Benedicti habitum commutando, monaſticum ordinem profiteri. Videant qui monaſticæ paupertati derogant, quomodo non ſolum archiepiſcopi, ſed & ipſi reges tranſitoriæ vitam æternam præferentes, ad ſingularem monaſtici ordinis tutelam ſecuriſſime confugiunt.

LECTIO VIII.

111. Cum autem de die in diem gravi diarriæ turbaretur motu, tantis & tam moleſtis medicorum potionibus, diverſorum & amariſſimorum pulverum ſuſceptionibus ad reſtringendum infeſtabatur, ut nec etiam ipſi incolumes & virtuoſi ſuſtinere prævalerent. Qui inter has & hujuſmodi moleſtias innata dulcedine benivolus omnibus ita blandiebatur, omnes admittebat, omnes demulcebat ac ſi nihil moleſtiæ pateretur. Aſperrimo itaque pro-

fluvii motu, & longo macerati corporis defectu, dedignatus viliter aut inopinate mori, convocat religiosos viros, episcopos & abbates, & multos ecclesiæ sacerdotes: quærit, rejecto pudore omni, ob reverentiam divinitatis & sanctorum angelorum coram devotissime confiteri, & securissimo Dominici corporis & sanguinis viatico, exitum suum muniri. Cumque idipsum præparare festinant, rex ipse inopinate se levans & præparans, vestitus cameram cunctis admirantibus obviam corpori Domini Jesu Christi exit, devotissimus assistit, ubi videntibus tam clericis quam laicis, regem exuens, regnum deponit, peccando regnum administrasse confitetur, filium suum Ludovicum annulo investit, ecclesiam Dei, pauperes & orphanos tueri, jus suum unicuique custodire, neminem in curia sua capere, si non præsentialiter ibidem delinquat, fide obligat, ubi etiam aurum & argentum & vasa concupiscibilia & pallia & palliatas culcitras, & omne mobile quod possidebat, & quo ei serviebatur, ecclesiis & pauperibus & egenis pro amore Dei distribuens, nec chlamidibus nec regiis indumentis usque ad camisiam pepercit. Capellam autem suam pretiosam, textum pretiosissimum auro & gemmis, thuribulum aureum quadraginta unciarum, candelabra centum sexaginta auri unciarum, calicem auro & pretiosissimis gemmis carissimum, cappas de pallio pretiosas decem, pretiosissimum iacinctum atavæ regis Ruthenorum filiæ, quod de sua in manu nostra reddens, ut coronæ spineæ Domini infigeretur præcepit, sanctis martyribus per nos destinavit, & si quocumque modo subsequi posset, devotissime spopondit. His igitur exoneratus & Dei misericordia perfusus, humillime flexis genibus ante sacratissimum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, (qui enim mox missam celebraverant, illuc ei cum processione devote attulerant,) in hanc oris & cordis veræ & catholicæ confessionis vocem, non tamquam illitteratus, sed tamquam litteratissimus theologus erumpit: Ego peccator Ludovicus confiteor unum & verum Deum, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unam ex hac sancta Trinitate personam, videlicet unigenitum & consubstantialem, & coæternum Dei Patris Filium, de sacratissima Virgine incarnatum, passum, mortuum, & sepultum, tertia die resurrexisse, cœlos ascendisse, ad dexteram Dei Patris consedere, vivos & mortuos extremo & magno judicio judicare. Hanc autem sacratissimi Corporis ejus Eucharistiam, illud idem credimus corpus quod assumtum est de Virgine, quod discipulis suis ad confœderandum & uniendum & in se commanendum contradidit: Hunc sacratissimum Sanguinem illum eumdem, qui de latere ejus in cruce pendentis defluxit, & firmissime credimus, & ore & corde confitemur: hoc que securissimo viatico decessum nostrum muniri, & contra omnem aëriam potestatem certissima protectione defendi peroptamus. Cum autem cunctis admirantibus, facta primum peccatorum confessione, devotissime corpori & sanguini Jesu Christi communicasset, tamquam illico convalescere incipiens, ad cameram rediit, omnique sæcularis superbiæ rejecta pompa, sola linea culcitra decubuit. Cumque eum de tanto tantillum, de tam alto tam humilem, humano more me deflere conspicaretur: Noli, inquit, carissime amice, super me deflere, quin potius exultando gaudere quod Dei misericordia præstitit me in ejus occursum sicut vides præparasse.

LECTIO IX.

112. Cum autem paulatim ad incolumitatem respiraret, quo potuit vehiculo prope Milidunum ad fluvium Sequanæ, occurrentibus & concurrentibus per viam ei obviam, & Deo personam ejus commendantibus, a castellis & vicis, & relictis aratris, devotissimis populis, quibus pacem confer-

vaverat, deſcendit; ſicque ob amorem ſanctorum martyrum, quos viſitare & grates redderé deſiderabat, deveniens citiſſime, Deo donante, eques ad eos pervenit. Qui a fratribus & pene tota patria tamquam piiſſimus eccleſiæ pater & nobilis defenſor, ſolemniter & devotiſſime ſuſceptus, ſanctiſſimis martyribus humillime proſtratus votivas pro impenſis beneficiis & devotas gratiarum actiones lacrymando perſolvit, & ut deinceps ei provideant, humillime interpellavit. Cumque caſtrum Beſtiſiacum perveniſſet, celeriter ſubſecuti ſunt eum nuntii Guillelmi ducis Aquitaniæ, denuntiantes eumdem ducem ad ſanctum Jacobum peregre profectum in via demigraſſe, ſed antequam iter aggrederetur, & etiam in itinere moriens, filiam nobiliſſimam puellam nomine Aanor deſponſandam, totamque terram ſuam eidem retinendam, & deliberaſſe & dimiſiſſe. Qui communicato cum familiaribus conſilio, ſolita magnanimitate gratanter oblata ſuſcipiens, cariſſimo filio Ludovico eam copulari promittit, necnon & deinceps nobilem apparatum, ad deſtinandum illuc componit, nobiliſſimum virorum exercitum quingentos & eo amplius militum de melioribus regni colligit, cui etiam Palatinum comitem Theobaldum, & egregium Viromandenſem comitem & conſanguineum Radulfum præeſſe conſtituit. Nos autem familiares ejus, & quoſcumque ſanioris conſilii reperire potuit, ei concopulavit, ſic in ejus exitu filio valedicens, Protegat te, inquit, & tuos, fili cariſſime, omnipotentis Dei per quem reges regnant, validiſſima dextera, quia ſi te & quos tecum tranſmitto, quocumque infortunio amitterem, nec me præſentialiter, nec regnum curarem. Copioſas etiam gazas & theſaurorum ſufficientiam deliberans, ne quid in toto ducatu Aquitaniæ rapiant, ne terram aut terræ pauperes lædant, ne amicos inimicos faciant, regia majeſtate interminat, ut gratam exercitui de proprio ærario quotidianam exhibeant deliberationem imperare non dubitat. Qui cum per Limovicenſium partes ad Burdegalenſium fines perveniſſemus, ante civitatem interpoſito magno fluvio Garona, tentoria defiximus, ibidem præſtolantes, & navali ſubſidio ad urbem tranſeuntes, donec die Dominica collectis Gaſconiæ, Sanctoniæ, Pictaviæ optimatibus, præfatam puellam cum eo diademate regni coronatam ſibi conjugio copulavit. Redeuntes igitur per pagum Sanctonicum, & ſi qui erant hoſtes proſternentes, Pictavorum civitatem cum exultatione totius terræ pervenimus. Æſtuabant eo tempore æſtivi calores, ſolito nociviores, quorum conſumtione aliquantiſper ſoluti & valde contriti defatigabamur. Quorum intolerabili ſolutione cum dominus rex Ludovicus Pariſius récidiva profluvii diſſenteria graviſſime fatigaretur, omnino deficiebat. Qui numquam ſuper his improvidus, accito venerabili Pariſienſi epiſcopo Stephano, & religioſo ſancti Victoris abbate Gilduino, cui familiarius confitebatur, eo quod monaſterium ejus a fundamine conſtruxerat, & confeſſionem repetit, & exitum ſuum viatico Dominici corporis muniri devotiſſime ſatagit. Cumque ſe deferri ad eccleſiam ſanctorum martyrum faceret, ut quod votum ſæpius ſpoponderat humillime perſolveret, ægritudinis anticipatus anguſtiis, quod opere non potuit, corde & animo & voluntate complevit. Præcipiens ergo tapetum terræ & cineres tapeto in modum crucis deponi, ibidem manibus ſuorum depoſitus, ſigno ſanctæ crucis præſentiam ſuam muniens, triceſimo regni adminiſtrationis, ætatis vero ferme ſexageſimo anno, calendis Auguſti ſpiritum emiſit. Cum autem eadem hora corpus ejus pretioſo pallio involutum, ad eccleſiam ſanctorum martyrum ſepulturæ deportaretur, & præceſſiſſent qui ſepulturæ locum adaptarent, unum contigit quod ſilentio præterire dignum non videtur. Cum enim præfatus rex nobiſcum conferendo de ſepulturis regum aliquando aut ſæpius ageret, felicem fore aſſerebat, qui inter ſacratiſſima

ſanctæ Trinitatis & ſanctorum martyrum altaria ſepeliri mereretur, quoniam & ſanctorum ſuffragio, & adventantium orationibus peccatorum veniam obtineret: ex hoc ipſo voluntatem ſuam tacite ſignificans. Cum autem antequam cum filio exiſſemus, cum venerabili eccleſiæ priore Herveo, ſepulturam ejus ante altare ſanctæ Trinitatis, ex oppoſito tumuli Karoli imperatoris mediante altari providiſſemus, occupato loco Karlomanni Francorum regis, (quia nec fas nec conſuetudo permittit reges exhoſpitari) quod propoſueramus fieri non potuit. Ubi autem ipſe quaſi quadam pronoſtica peroptaverat, attentantes contra omnium opinionem, omnes enim impeditum locum æſtimabant, quantum nec plus nec minus longitudini & latitudini corporis ejus conveniebat locum reſervatum invenerunt, ubi cum orationum & hymnorum frequentia, & celeberrimo devotoque exequiarum officio, more regio depoſitus, reſurrectionis futuræ conſortium expectat, tanto ſanctorum ſpirituum collegio ſpiritu propinquior, quanto corpore ſanctis martyribus ad ſuffragandum proxime ſepultus aſſiſtit. Felix qui potuit mundi nutante ruina, quo jaceat præſciſſe loco. Cujus devotiſſimam ſanctis martyribus animam, ipſis intercedentibus ipſe redemtor reſuſcitet, & in parte ſanctorum collocare dignetur, qui poſuit animam ſuam pro ſalute mundi Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui vivit & regnat Rex regum & Dominus dominantium per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

INDEX OPUSCULORUM
IN HOC TOMO CONTENTORUM.

ACTA varia de exauctoratione Wenceslai imperatoris & Ruperti itidem imperatoris electione, Pag. 1.

Observationes previæ, 1

I. *Qualiter electores fœdus inierint ad negotia sanctæ ecclesiæ & sacri Romani imperii fideliter & concorditer tractanda*, 7

II. *Qualiter electores se aliis principibus obstrinxerint*, 9

III. *Qualiter alii principes se principibus electoribus obstrinxerint*, 10

IV. *Qualiter marchio Willelmus caverit pro suis tribus consanguineis*, 12

V. *Qualiter principes electores regi Wenceslao ultimo scripserint, eumque ad diætam in* Lanstein *invitaverint*, 13

VI. *Qualiter principes electores ducem Saxoniæ ad diætam apud oppidum* Lanstein *invitaverint*, 14

VII. *Quomodo electores marchionem Brandeburgiæ ad conditum diem versus oppidum* Lanstein *invitaverint*, 15

VIII. *Sententia qua rex Wenceslaus depositus est ab imperio Romano*, 16

IX. *Juramentum quod præstiterunt principes electores quando volebant novum regem eligere*, 21

X. *Qualiter principes electores nostri domini regis electionem publicarint omni populo & ad ipsi obedientiam præstandam commonuerint*, 21

XI. *Qualiter principes electores se obstrinxerint ad subsidium domino regi præstandum*, 22

XII. *Qualiter dominus meus rex quædam puncta & articulos hic infra positos principibus electoribus observare spoponderit*, 24

XIII. *Quomodo principes electores magnatibus & civitatibus scripserint de depositione regis Wenceslai, & quod illi ultra obedientiam tamquam regi Romanorum præstare non debeant*, 26

XIV. *Qualiter principes electores ad Status & magnates scripserint, quod dominum nostrum regem in Romanorum regem elegerint, utque ipsi obedientiam præstent*, 27

XV. *Epistola Ruperti Romanorum regis ad Aquisgranenses*, 28

XVI. *Epistola Aquensium ad Rupertum regem*, 29

XVII. *Epistola electorum ad margravium Misniæ & landgravium Hassiæ, ut domino regi homagium præstent*, 30

XVIII. *Negotiatio cum magnatibus & civitatibus Longobardiæ domino Alberico* de Tanheim *commissa*, 31

XIX. *Negotiatio cum dominis Austriacis in diæta apud S. Vitum*, 33

XX. *Epistola Ruperti regis Romanorum ad electores aliosque principes ratione Aquensium*, 35

XXI. *Sententia prolata inter episcopum Bambergensem & Conradum marescallum* de Papenheim, *ejusque filium Arnoldum a* Sechendorff, 36

XXII. *Epistola Ruperti regis Romanorum serenissimæ principissæ dominæ Elizabethæ reginæ Galliæ, dilectæ amitæ nostræ*, 37

XXIII. *Epistola Ruperti regis Romanorum dilecto nostro devoto & fideli magistro Alberto parocho ad S. Sebaldum Norimbergæ*, 38

XXIV. *Negotiatio cum Helvetis*, 39

XXV. *Negotiatio cum comite Alberto de Montesancto*, 40

XXVI. *Negotiatio cum duce Johanne electo Leodiensi*, 41

XXVII. *Epistola Ruperti Romanorum regis illustri Ludovico duci Bavariæ & comiti Palatino Rheni, dilecto nostro nepoti & principi*, 43

XXVIII. *Memoriale ad negotiandum cum Austriacis*, 44

XXIX. *Negotiatio cum regina Galliarum*, 45

XXX. *Qualiter dominus meus quædam puncta composuerit inter dominum Moguntinum & landgravium Hassiæ, Norimbergæ, die veneris post inventionem S. Crucis anno* 1401. 48

XXXI. *Instructiones domini mei regis qualiter consiliarii sui in diæta Metensi se gerere debeant die S. Johannis-Baptistæ anni* 1401. 49

XXXII. *Memoriale ad margrav. Procopium circa negotiationem domini Hechesii*, 50

XXXIII. *Memoriale ratione regis Bohemiæ*, 52

XXXIV. *Negotiatio cum comite Sabaudiæ*, 52

XXXV. *Memoriale pro Leopoldo duce Austriæ*, 54

XXXVI. *Negotiatio qualiter Jacobus* de Cube *& Fridericus* Hucben *cum Colonienſibus debeant tractare*, 55

XXXVII. *Negotiatio qualiter Everhardus* Orlenhaups *cum litteris credentialibus apud*

epiſcopum Leodienſem, comitem de Oſtervan, *comitem Clivenſem & Adolfum comitem Bergenſem tractare debeat, ut cum domino meo montes tranſeant*, 56

XXXVIII. *Memoriale qualiter cum ducibus Brunſvvicenſi & Luneburgenſi tractandum ſit*, 56

XXXIX. *Negotiatio cum landgravio Haſſie*, 57

XL. *Negotiatio ad Leopoldum ducem Auſtrie per Johannem* Winheim *Dominica poſt Kiliani*, 58

XLI. *Negotiatio cum rege Aragonie*, 60

XLII. *Negotiatio cum rege Aragonie ratione cujuſdam matrimonii*, 61

XLIII. *Negotiatio cum Leopoldo duce Auſtrie demandata domino Conrado* de Triedberg *& Johanni* de Millenberg, 62

XLIV. *Negotiatio cum Venetis*, 64

XLV. *Negotiatio ad epiſcopum & civitatem Baſileenſem & Helvetos per dominos* Schwartzburg, Sichingen *& alios*, 65

XLVI. *Memoriale ratione negotiationis cum rege Gallie circa matrimonium ducis Johannis regis filii cum filia regis Gallie*, 67

XLVII. *Memoriale de Metenſi negotiatione*, 69

XLVIII. *Epiſtola regis Ruperti ad ſuos fideles de Aquiſgranenſibus*, 70

XLIX. *Negotiatio quam dominus noſter demandavit Udalrico de* Albech *& Johanni de* Mittelburch *cum illos mitteret in Longobardiam*, 71

L. *Negotiatio cum Florentinis*, 72

LI. *Negotiatio cum principibus electoribus domino Nicolao* Buman *demandata*, 72

LII. *Negotiatio cum domino Colonienſi ſolo facienda, ita ut nullus adſit niſi unus aut duo, quibus ſingulariter fidat*, 75

LIII. *Negotiatio ad Leopoldum ducem Auſtrie demandata D. Ulrico de* Albeik, 76

LIV. *Negotiatio cum domino archiepiſcopo Salisburgenſi, domino Ulrico de* Albeik *demandata*, 78

LV. *Negotiatio cum Landgravio Haſſie Johanni de* Hano *commendatario ordinis Teutonici Francofurtenſi deputata*, 81

LVI. *Epiſtola Ruperti regis dilecto noſtro cognato & nobili principi Erneſto comiti Palatino Rheni & Bavarie*, 83

LVII. *Epiſtola Ruperti regis illuſtris noſtro dilecto filio & duci Ludovico comiti Palatino Rheni & duci Bavarie, noſtro & imperii per Germaniam legato*, 84

LVIII. *Negotiatio cum Erneſto principe duce Bavarie*, 85

LIX. *Negotiatio Scribe provincialis Ambergenſis cum domino meo duce Ludovico feria tertia poſt Dominicam* Oculi *Padue*, 87

LX. *Littere ad civitates directe quando dominus meus ex Italia in Germaniam rediit*, 92

LXI. *Epiſtola ad principes*, 92

LXII. *Epiſtola Ruperti regis Romanorum ad Landgravium Haſſie*, 93

LXIII. *Negotiatio qualiter comes Gunterus* de Swartzbergh *& dominus Hartungus* de Egloffitein *ſenior cum marchione Willelmo Miſnie tractare debeant*, 94

LXIV. *Epiſtola Ruperti regis Romanorum ſereniſſime principi domine Elizabethe regine Gallie dilecte amite noſtre*, 96

LXV. *Scedula incluſa*, 97

LXVI. *Littere Ruperti Romanorum regis ad principes & civitates imperii*, 97

LXVII. *Negotiatio cum Landgravio Haſſie, ducibus Bruſvvicenſi & Luneburgenſi*, 99

LXVIII. *Negotiatio ad epiſcopum Salisburgenſem*, 100

LXIX. *Negotiatio cum Leopoldo duce Auſtrie*, 101

LXX. *Memoriale ad Margravium Jodocum Morevie*, 102

LXXI. *De duce Saxonie*, 103

LXXII. *Inſtructio negotiandi cum Gallia*, 104

LXXIII. *Negotiatio cum regina Gallie*, 106

LXXIV. *Negotiatio cum rege Anglie*, 107

LXXV. *Memoriale ratione diete Clivenſis*, 110

LXXVI. *Memoriale ad ducem Albertum Auſtriacum*, 112

LXXVII. *Negotiatio ad capitulum Trevirenſe*, 114

LXXVIII. *Negotiatio cum domino* de Walchenſtein, 117

LXXIX. *Reſponſum ad negotiationem quam dominus Fredericus ducis Lotharingie ſacellanus fecit*, 118

LXXX. *Epiſtola Ruperti ad quoddam canonicorum collegium*, 120

LXXXI. *Epiſtola Stephani Bavarie ducis, Stephani marchionis Miſnie & Friderici Burgravii Norembergenſis ad Johannem archiepiſcopum Moguntinum*, 121

LXXXII. *Littere Ruperti Romanorum regis ad ducem Lotharingie*, 121

LXXXIII. *Negotiatio ad regem Anglie, Friderico* de Huben *demandata Laurentii feſto anno* 1403. 123

LXXXIV. *Inſtructio ſecundum quam noſtri domini regis familiares ſe dirigere debent in diete Solodurenſi cum conſiliariis ducis Sabaudie*, 125

LXXXV. *Memoriale ad Helvetios*, 127

LXXXVI. *Inſtructio ſecundum quam noſtri domini regis familiares in diete Auguſtana ſe dirigere debent cum familiaribus Salisburgenſis*, 127

LXXXVII. *Articuli quos dominus meus rex cum ſuis conſiliariis concluſit contra regem Bohemie*, 129

LXXXVIII. *Epiſtola Ruperti regis Romanorum illuſtri Carolo duci Lotharingie & marchio, noſtro dilecto filio & principi*, 130

LXXXIX. *Inſtructio ſecundum quam domini*

noſtri regis familiares ſe dirigere debent in dicta Wilpiogenſi. 130
XC. *Epiſtola Ruperti regis illuſtriſſimæ principi dominæ Elizabethæ Dei gratia reginæ Galliæ dilectæ amitæ,* 132
XCI. *Epiſtola Ruperti regis ſereniſſimæ principi dominæ Margaritæ Dei gratia reginæ Sueciæ, Daniæ & Norvegiæ, dilectæ amitæ noſtræ,* 133
XCII. *Litteræ Ruperti regis & Johannis ducis Bavariæ de matrimonio cum Catharina ſorore regis Sueciæ, Daniæ & Norvegiæ,* 134
XCIII. *Inſtructio ſecundum quam dominus in* Laber, *dominus Johannes Truchſeſius & ſcriba provinciæ Ambergenſis ſe dirigere debent & negotiari cum regina Daniæ,* 135
XCIV. *Negotiatio ad dominum meum Lotharingiæ,* 136
XCV. *Epiſtola Ruperti Regis ſereniſſimæ principi dominæ Margaritæ Dei gratia reginæ Sueciæ, Daniæ & Norvegiæ, dilectæ amitæ noſtræ,* 137
Geſta Trevirenſium archiepiſcoporum ab anno Chriſti DCCCLXXX. *ad annum* MCCCCLV. 140
Appendix ad Geſta archiepiſcoporum Trevirenſium. 453
Libellus de propugnata adverſus archiepiſcopum Trevirenſem libertate Epternacenſis monaſterii, deque inſtitutione feſti commemorationis S. Willibrordi, 453
Declaratoria contra Henricum Trevirenſem electum, qui pallio non habito archiepiſcopum ſe in litteris nominavit & ſacris immiſcuit, 468
Fragmentum Chronici S. Matthiæ, 505
Breve Chronicon Epternacenſe, 505
Aliud breve Chronicon Epternacenſe ſeu prioris continuatio, 509
Breve Chronicon ex mſ. Prumienſi, 517
Annales Noveſienſes, 521
Excerpta ex Amelgardi presbyteri Leodienſis libro 2. de Geſtis Ludovici XI. Francorum regis, 741
Geſta pontificum Trajectenſium & Leodienſium a S. Remaclo ad Vazonem, 837
Hiſtoria Andaginenſis monaſterii ſancti Huberti ſcripta ineunte ſæculo XII. *ab auctore anonymo,* 913
Vita S. Friderici epiſcopi Leodienſis, 1023
Hiſtoria inſignis monaſterii S. Laurentii Leodienſis, 1033
Appendix ad hiſtoriam S. Laurentii Leodienſis, 1164
Inſtrumentum venerabilis domini Reginaldi Leodienſis epiſcopi, 1164
Diploma Reginaldi epiſcopi, 1166
Inſtrumentum Reginaldi Leodienſis epiſcopi de dono Lamberti de Alta-ripa, 1168
Item, aliud de Molendino de Warlege, 1169
Item, ejuſdem de quinque Manſis in Baldineis, ibid.
Item, ejuſdem de dono prædii de Jeſt, 1171
Item, ejuſdem de manſis de Moſmale, 1173
Charta Henrici Leodienſis epiſcopi de villula Mareis, 1174
Diploma Henrici V. Romanorum imperatoris pro Leodienſi S. Laurentii monaſterio. 1176
Litteræ Eugenii papæ III. 1177
Concordia inter Everelmum abbatem S. Laurentii & Marſilium S. Ægidii, 1178
Inſtitutio domni Ottonis abbatis de numero monachorum, 1179
Litteræ Guidonis legati de S. Nicolao de Glano, 1181
De S. Nicolao de Glano, ibid.
Confirmatio & acceptatio donationis S. Nicolai de Glano ex parte abbatis & conventus S. Laurentii, 1182
Brevis hiſtoria collegiatæ S. Petri Eyencurtenſis eccleſiæ Lovanium tranſlatæ auctore Adriano de Veteri-Buſco monacho S. Laurentii, 1183
Rerum Leodienſium ſub Johanne Heinsbergio & Ludovico Borbonio epiſcopis opus Adriani de Veteri-Buſco monachi S. Laurentii, 1200
Angeli de Curribus Sabinis poëtæ laureati de excidio urbis Leodienſis libri ſex, 1370

ACTA VARIA

DE EXAUCTORATIONE WENCESLAI IMPERATORIS ET RUPERTI ITIDEM IMPERATORIS ELECTIONE.

Ex MS. codice Germanico in Latinam linguam converſo.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

CUM ampliſſimæ huic collectioni occaſionem dederit iter noſtrum Germanicum, claſſem hanc ſecundam, quæ ſcriptores exhibet hiſtoricos, à rebus germanicis incipere viſum eſt, actaque varia de Wenceſlai imperatoris exauctoratione, deque Ruperti etiam imperatoris creatione ipſo in limine collocare, ut pote quæ & ipſa eventus inſolentia, & gravitate argumenti longe præſtent ceteris omnibus monumentis.

Fuit autem Wenceſlaüs Caroli IV. imperatoris & Bohemiæ regis filius, ſed à paterna virtute & moribus longe degenerans. Cum annum ætatis decimum quintum attigiſſet, Carolus amore nati abreptus nihil antiquius habuit, quam ut illum imperii conſortem adſciſceret, nullumque non movit lapidem ut ſupremam hanc ei conciliaret dignitatem. Verum obſtabant in filio ſtudia prorſus diſſimilia, quæ Wenceſlaum imperio indignum conclamabant. Cum nullis ergo precibus & obſecrationibus electores principes ad voluntatem ſuam poſſet inclinare; hanc tandem illuſtri nomini ſuo maculam inurere haud quaquam erubuit, ut quod jure aut prece non valebat, ſaltem precio compararet, promiſſis electorum cuique centum florenorum millibus. Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames? Deterriti primo Wenceſlai vitiis & ſocordia principes ad quos Romanorum regis ſpectabat creatio, his tandem illecti illecebris reſiſtere non valuere, tantoque pecuniarum pondere preſſi, ſponte ſuccumbentes, in virum indigniſſimum vota contulerunt ſua. Sic promoto in regnum Wenceſlao, cum pater ſolvendo quod promiſerat par non eſſet, urgerentque principes ut promiſſis ſtaret, metuens ille rem in diſſidium verti, *inquit Trithemius*, obligavit illis quam plurima telonia, vectigalia, oppida, caſtra, proprietates, & jura regni Germanici, quæ ſic alienata permanent in præſentem diem per annos jam centum quadraginta duos, in damnum regni manifeſtum & magnam deſolationem. Trith. hiſt. Hirſaug. tom. 2.

Octo cum patre, duodecim poſt ejus mortem annis regnavit Wenceſlaüs, male partum male adminiſtrans imperium: ſpurciſſimis deditiſſimus voluptatibus, vino ciboque continuo ingurgitatus, lucem dormiendo nocti conjungens, graviſſima reipublicæ negotia negligebat, diſſipatis etiam imperii juribus & dominiis. Nec defuit in eo crudelitas in ſubditos, maxime in viros Deo conſecratos. His acceſſit principum ſuorum contemtus, quorum ſaluberrima monita nihili faciebat.

Contigit autem ut anno 1398. *Remis conveniret Wenceſlaüs cum Francorum rege tractaturus de ſchiſmatis extinguendi viis opportunis, nec aptior ulla viſa eſt, quam ut uterque de papatu contendens abdicare cogeretur. Deliberationem non latuit Bonifacium IX. qui de ſupremo Eccleſiæ throno deturbari pertimeſcens, principibus electoribus inſinuavit occulte indignum prorſus imperio Wenceſlaum, nec morbis ejus ullum aliud afferri poſſe remedium, quam præciſo tam nefando capite. Offenſos jam multis nominibus in hanc inflectere ſententiam haudquaquam difficile fuit; congregatique in oppido* Lonſtein *diœceſis Trevirenſis, pronunciato judicio, Wenceſlaum ex imperiali faſtigio dejiciunt, Ruperto Bavariæ duce ei ſubſtituto.*

Accuſationum capita præcipua in ſua ſententia enuntiant electores, ſed ſingula hic juvat referre, ex Trithemii chronico Hirſaugienſi ſecundæ editionis, in qua hæc recenſentur.

Prima cauſa ſive articulus fuit, quod civitatem Genuenſem juxta mare in Liguria ſitam, quæ ſemper ad Romanum imperium pertinebat, accepta pecunia, regi donavit Gallorum, ſine conſenſu principum regni, in grave detrimentum regni Germanici, ſimul & imperii Romani.

Secundus articulus, ſive cauſa depoſitionis ejus fuit, quod Vicecomitem Johannem Galeatium Mediolani creavit in ducem, aſſignando ei totam Lombardiam in titulum & perpetuam poſſeſſionem, ſine ſcitu & voluntate principum, pro centum millibus ducatorum, quod ei non licuit.

Articulus tertius, ſive cauſa fuit, quod plura dominia ſive territoria feudalia imperii per mortem poſſeſſorum quæ ad jus tam regni quam imperii devoluta erant, ſine conſenſu principum alineavit, & accepta hinc inde pecunia, in proprietatem & perpetuam poſſeſſionem alienis tradidit.

Articulus quartus fuit ejus in innocentes nimia crudelitas. Plurimorum conſtat relatione, quod magiſtrum quemdam in theologia, vitia ejus inter prædicandum Pragæ arguentem occidit, & plures alios tam clericos quam laïcos ſine cauſa rationabili necari mandavit.

Articulus quintus ſive cauſa depoſitionis eſt, quod non ſolum fovit raptores, latrones, & ſpoliatores mercatorum & quorumlibet itinerantium, ſed impunitatem malefactoribus omnimodam indulſit: opprimens & puniens ſolum innocentes, unde plenum fuit ſub eo latronibus regnum.

Articulus ſextus fuit, quod membranas dedit perſonis levibus, nequitioſis & vilibus, hoc eſt cartas non ſcriptas, appendente ſigillo regiæ majeſtatis, & hoc ex avaritia, pecuniarum dumtaxat amore, per quas membranas homines nequitias multas, dolos, & fraudes commiſerunt.

Articulus ſeptimus, ſive depoſitionis ejus cauſa fuit, quod cum rege Poloniæ Tartaros & paganos contra milites ordinis Teutonicorum in Pruſſia vocante, ſe univit & confœderavit in contemtum fidei catholicæ, & detrimentum totius regni, quod regiam minime decuit majeſtatem, propter quod paganos tenebatur expugnare, Chriſtianos autem defendere.

Articulus octavus, quod avaritia & nimia cupiditate pecuniarum ſeductus, multos diverſæ conditionis homines ad curiam ſuam fecit citari ſine rationabili cauſa, ut vel metu vel injuſtis accuſationibus fatigati, ſeſe pecunia redimerent, alioquin militum vexationibus ſubjacerent.

Articulus nonus, quia oſor & perſecutor cleri fuit & omnium eccleſiaſticarum perſonarum, laïcos omnes ruſticos, cives ſimul & nobiles, quantum potuit, contra miniſtrantes eccleſiæ concitans & fovens & defendens, quemadmodum Herbipolenſibus factum jam diximus.

Articulus decimus, inſigne illud gymnaſium litterarium generale, ſeu univerſitatem Pragenſem, quam pater imperator Carolus IV. paulo ante fundaverat, ſua tyrannide annihilavit atque deſtruxit, doctores atque magiſtros inde capiens, expellens, pluresque interficiens, quorum hoſtis, inimicus, & perſecutor fuit omnium, maxime bonorum virorum atque doctorum.

Articulus undecimus fuit, ſive depoſitionis cauſa non ultima, quod ſubditos principum, epiſcoporum, abbatum, ducum, comitum, atque nobilium occultis litteris, nunciis, promiſſis, & ſuggeſtionibus contra ſuperiores ſuos in rebellionem concitavit, fovit & animavit, ut patuit in Herbipolenſibus.

Articulus duodecimus, quod oſor pacis regnum litibus, contentionibus, latrociniis & infinitis turbationibus implevit, cives contra principes animavit, metuens propter ſcelera deponi à regno, ſi pax in terra permiſſa principes electores inter ſe faceret omnino concordes.

Articulus decimus tertius fuit, quod eccleſiarum immunitatem contemnens, omnia temere pro ſua voluntate præſumſit, bona eccleſiarum, aut militibus diſtribuit, aut ſibi uſurpavit. Moliebatur enim regalia & juriſdictiones temporales epiſcopis auferre, & ſuis nebulonibus diſtribuere.

Articulus decimus quartus fuit, quod otio, commeſſationibus, potationibus, ebrietatibus & luxuriæ die noctuque intentus, negotia regni omnia penitus neglexit, ſeditiones civium & bella fovit, in Bohemia cum ſuis meretricibus ſe continuit, ad regni cauſas non venit, libidini & avaritiæ vacavit.

Articulus decimus quintus fuit, quod admonitus ſæpius à Romano pontifice, atque crebrius à principibus requiſitus & rogatus, ut pro ſuſcipienda imperii corona expeditionem faceret in Italiam, renuit, ſprevit, atque contemſit, & de negotiis tam regni quam imperii nihil omnino curavit.

Articulus decimus ſextus, quod ſuper his & aliis multis negligentiis, atque ſceleribus ſuis admonitus, aviſatus, ſæpiuſque rogatus, ut emendationis vitæ propoſitum dignaretur aſſumere, & regni negotia curare, non ſolum nihil advertit, ſed monentes, ſi potuit, perſecutus fuit. Multos enim venerabiles doctos & honeſtos viros, prælatos, monachos, presbyteros, magiſtros & ſtudentes vel occidit, vel ſubmergi præcepit, aut ignibus concremavit, ſine cauſa, ſine juſtitia, ſine ordine æquitatis.

Hæc neceſſario præmittenda duximus variis de Wenceſlai depoſitione, deque Ruperti electione, eamque ſecutis actis, quæ ex manuſcripto noſtro codice Germanico in Latinum convertit religioſiſſimus vir R. P. Ambroſius monachus ſtrictioris obſervantiæ Ordinis Ciſtercienſis prope Duſſeldorpium, annuente Reverendiſſimo ejuſdem Monaſterii Abbate, cujus in nos beneficia nulla delebit oblivio.

HIC INCIPIT CODEX GERMANICUS ACTORUM, IN QUO continentur Epiſtolæ & Acta, quæ in depoſitione Wenceſlai regis Bohemiæ, & electione Sereniſſimi & Nobiliſſimi Principis & D.D. Ruperti Romanorum Regis emanarunt, ac demum aliæ præſtantes miſſivæ & negotiationes, quæ ab eodem rege Ruperto poſt electionem ſuam emiſſæ ſunt, & præterea plurimæ formatæ & inſtrumenta, uti hic benè poſtea invenientur & videbuntur. Hæcque fieri incœperunt, cum computaretur annus poſt Chriſti Nativitatem milleſimus quadringenteſimus, vel haud diu ante.

I.

QUALITER ELECTORES FOEDUS inierint, ad negotia ſanctæ eccleſiæ & ſacri Romani imperii fideliter & concorditer tractanda.

NOS Dei gratia JOHANNES ſanctæ ſedis Moguntinæ archiepiſcopus S. R. Imp. per Germaniam archicancellarius, FRIDERICUS ſanctæ eccleſiæ Colonienſis archiepiſcopus S. R. Imp. per Italiam archicancellarius, dux Weſtphaliæ; WERNERUS archiepiſcopus Trevirenſis S. R. Imp. per Galliam archicancellarius, RUPERTUS comes Palatinus Rheni, B S. R. Imp. archipincerna, dux Bavariæ, & RUDOLPHUS Saxoniæ & Luneburgi dux, Burgravius Magdeburgenſis, comes Bremenſis, comes Palatinus Saxoniæ, & ejudem S. R. Imp. archimareſchallus. Omnes ſupra memorati S. R. Imp. principes electores, agnoſcimus & notum facimus hoc præſenti ſcripto quod nos, ad Dei laudem, ſanctæ eccleſiæ & S. R. Imp. honorem & proſperitatem, noſtramque ac communis patriæ utilitatem & conſolationem, firmiter invicem obſtrinxerimus, quamdiu vixerimus in rebus & articulis hîc infra ſcriptis ſimul cohærere. Primo quod nos Domini ſupradicti in omnibus rebus & negotiis quæ ſanctam eccleſiam & ſanctam ſedem Romanam ratione papatus, & quæ S. R. Imp. & nos principes electores, ſacrumque Rom. Imp. & noſtros electoratus concernunt, firmiter & in omni fidelitate ſimul permanere ac concorditer tractare debeamus, neque noſtrum aliquis, aut alius quiſcumque ejus nomine aliquid in hoc negotio tractabit, aut proprium aliquod commodum quæret abſque aliis, neque ullo modo abſque illorum ſcitu voluntate & approbatione. Et ſi quis eſſet qui ſacrum imperium ambiret & prætenſurus eſſet, hocque vellet attentare, abſque omnium noſtrûm D ſupradictorum DD. unanimi ſcitu, voluntate, & permiſſione; ſive eſſet prætextu vicariatus, vel aliter quocumque modo hoc eſſet, nos ſupra memorati DD. unanimiter, fideliter ac firmiter contra id nos opponemus. Inſuper nullus noſtrûm abſque aliorum voluntate, favore & permiſſione aliquid faciet aut dabit, quocumque demum modo & abſque omni dolo, niſi A ita res eſſet, quod vacaret imperium; tunc nos omnes DD. & unuſquiſque noſtrûm partialiter jus ſuum & eligendi ſortem retinebit & poſſidebit, prout ipſi competit.

Et ſi cuicumque noſtrûm DD. ſupradictorum fieret aliqua motio, ſermo vel tractatus, circa ſupraſcriptos articulos & puncta, Dominus ille inter nos, cui hoc contigerit, nullum finale reſponſum deſuper dabit, neque aliquid hac in re facere tentabit, abſque aliorum noſtrûm omnium ſcitu & voluntate. Et quod tunc unanimiter in hoc negotio concluſum fuerit, conjunctim executioni mandabimus, neque ullus ſine aliis aliquid aget, & hoc abſque omni dolo. Si etiam dominus noſter Romanorum rex vel alius ejus nomine vel quiſcumque demum alius, Rom. Imperium vel quædam eidem pertinentia attentaverit diminuere, reſcindere, aut ab imperio auferre, aut imperium dimembrare, unanimiter nos opponemus, neque ad hoc voluntatem, favorem, vel permiſſionem noſtram quocumque modo dabimus; & ſi forte aliquid tale ante hujus ſcripti datum, actum fuerit, abſque noſtro ſcitu, voluntate aut permiſſione, neque nos ſupradicti DD. neque etiam aliquis noſtrûm illi dabimus noſtram ratificationem; & ſpecialiter negotio Mediolanenſis, neque ei C territorium Mediolanenſe confirmabimus.

In omnibus hiſce ſupraſcriptis punctis, & articulis, nos ſupra memorati DD. concordes & unanimes, ut ante dictum eſt, permanebimus; & ſi contingeret quod propterea aliquis quicumque demum odium, offenſam aut pravam voluntatem, ſive per hoſtilitatem, ſive alio quocumque modo in nos omnes ſimul vel ſeparatim aliquem, gerere aut convertere voluerit, hoc nos omnes dominos conjunctim tanget, neque aliquis noſtrûm ſe ab altero ſeparabit; verum potius quiſque noſtrûm DD. alteri ſine mora hoc caſu contra adverſantem conſilio & auxilio, arcibus, terris & populis, omnique potentia, fideliter, quamdiu neceſſitas requiret, gratis, ſine contradictione vel impedimento & abſque omni dolo aderit.

Omnes & ſingulos articulos & puncta ſupraſcripta, nos ſupradicti DD. & quiſque noſtrûm obſervare viciſſim nos obſtrinximus per noſtram principalem fidem & honorem. Et hæc corporaliter ad ſanctos juravimus, alter,

ter alteri, hæc veraciter, firmiter, conſtan-
ter & inviolabiliter obſervare facere, & exe-
qui, nec quidquam in oppoſitum quærere,
ſive illud ſpirituale, ſive temporale illud
quovis modo fuerit, abſque omni dolo &
fraude. In cujus rei fidem & plenum robur,
unuſquiſque noſtrûm DD. ſupra nominato-
rum, ſigillum ſuum præſenti ſcripto appo-
ſuit. Datum Moguntiæ die lunæ poſt feſtum
ſanctæ Crucis, Latinè Exaltationis dictum,
anno poſt Nativitatem Chriſti milleſimo tri-
centeſimo nonageſimo nono.

II.

QUALITER ELECTORES SE ALIIS principibus obſtrinxerint.

NOS Dei gratia JOHANNES ſanctæ ſedis Moguntinæ archiepiſcopus, S. R. Imp. per Germaniam archicancellarius. FRIDERICUS ſanctæ eccleſiæ Colonienſis archiepiſcopus S. R. Imp. per Italiam archicancellarius, dux Weſtphaliæ. WERNERUS archiepiſcopus Trevirenſis S. R. Imp. per Galliam & regnum Arelatenſe archicancellarius RUPERTUS D. G. comes palatinus Rheni, prædicti S. R. Imp. archipincerna & dux Bavariæ. Et RUDOLPHUS Saxoniæ & Luneburgi dux, Burgravius Magdeburgenſis, comes Bremenſis, comes palatinus Saxoniæ, & S. R. Imp. archimareſchallus, omnes electores ſupramemorati S. R. Imperii, agnoſcimus notumque facimus hoc præſenti ſcripto, cum à longo tempore in S. R. Imperio multi magni & notabiles exorti ſint defectus, diſcordiæ & errores: quibus ut obvietur & ut ſacrum Romanum Imperium in ſua dignitate, honore, ſuoque jure manuteneatur & perſiſtat, nobiliſſimi principes D. STHEPHANUS comes palatinus Rheni & Bavariæ dux, BALTHASAR & WILHELMUS fratres marchiones Miſniæ & Landtgravii Thuringiæ, LUDOVICUS comes palatinus Rheni & dux Bavariæ, HERMANNUS Landgravius Haſſiæ, FRIDERICUS Burgravius Norimbergæ, FRIDERICUS, WILHELMUS, & GEORGIUS fratres & FRIDERICUS margravius ſupradicti Balthaſari filii, omnes marchiones Miſniæ & Landgravii Thuringiæ; nobis ſupra memoratis principibus electoribus ſe obſtrinxerunt, ad alium regem Romanorum eligendum & conſtituendum, & in aliis punctis & articulis obſervandis nobis ſupradictis principibus electoribus adhæſuros, nobiſque fideliter & conſtanter in iſtis negotiis ſe auxilio adfuturos. omnia juxta tenorem litterarum ſuarum, quibus illi ſupradicti principes, nobis ſupramemoratis principibus electoribus ſe conjunctim & ſeparatim ad Dei laudem, ſanctæ eccleſiæ & S. R. Imperii honorem, & utilitatem, noſtrique & communis patriæ emolumentum & ſolatium. Et nos viciſſim prædictis principibus conjunctim, & unicuique ſeparatim nos obſtrinximus, & obſtringimus præſentibus litteris omnimodè prout poſtea ſcriptum habetur. Primo, ſi quis, quiſcumque demum is fuerit, ratione præſentis confœderationis & auxilii præſtandi, offenſum animum, odium & malam voluntatem hoſtiliter aut alio quocumque modo, gerere vel oſtendere voluerit, conjunctim vel ſeparatim; tunc nos antememorati principes electores illis, illorumque ſingulis, ex adverſo fideliter, cum corporibus, bonis, terris & populis noſtris, conſilio & auxilio aſſiſtemus, & milites noſtros ad bellum quotidianum quantum poſſibile & neceſſe fuerit, abſque omni dolo, mittemus. Si quis, vero, quiſcumque demum conatus fuerit ſupradictos principes conjunctim vel ſeparatim invadere vel ſubjugare ob ſupra memoratum fœdus & auxilium; hoc caſu nos ſupradicti principes electores ſimul vel ſeparatim prædictos principes omni noſtrâ potentia adjuvabimus, & auxiliabimur, ſine mora & abſque dolo: neque in prædicto negotio ab illis dividemur, ſeparabimur, nec reconciliationem inibimus. firmiter enim & fideliter in hoc illis adhærebimus, excluſa omni aſtutia & dolo. Omnia & ſingula hæc ſupraſcripta puncta & articulos, nos ſuperius nominati principes electores & unuſquiſque noſtrûm ſupra memoratis principibus, & unicuique illorum promiſimus per noſtram principalem fidem & honorem, illaque corporaliter ad ſanctos juravimus, promittimus, affirmamus, & juramus vi præſentium litterarum hoc verè, conſtanter, & inviolabiliter obſervare facere & exequis neç in contrarium aliquid agere aut quærere ſive illud ſpirituale ſive temporale quocumque modo abſque fraude & dolo. In cujus rei fidem & plenum robur, unuſquiſque noſtrûm ſupradictorum principum electorum proprium hiſce litteris ſigillum apponi fecit. Datum Moguntiæ dum computaretur poſt Chriſti Nativitatem annus milleſimus trecenteſimus nonageſimus nonus.

III.

QUALITER ALII PRINCIPES SE principibus electoribus obſtrinxerint.

NOS Dei gratia STEPHANUS Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ, BALTHASAR & WILHELMUS fratres, Marchiones Miſniæ & Landgravii Thuringiæ, LUDOVICUS Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ, HERMANNUS Landgravius Haſſiæ, FRIDERICUS Burgravius Norimbergæ, & FRIDERICUS prius nominati Balthaſari Marchionis filius Marchio Miſniæ & Landgravius Turingiæ, hiſce litteris agnoſcimus & notum facimus, poſtquam in ſacro Romano Imperio a longo tempore multi magni & notabiles defectus, diſcor-

viæ, & errores exorti ſunt & irrepſerunt; ut his obvietur, atque S. R. Imperium in ſua dignitate & honore, & in ſuo jure manuteneri & perſiſtere queat; Nos ad Dei laudem, ſanctæ eccleſiæ, & ſacri Romani Imperii honorem & emolumentum, ad noſtram & univerſæ patriæ utilitatem & ſolatium, Nos conjunctim & unuſquiſque noſtrûm ſeparatim obſtrinximus, & harum litterarum vigore nos obſtringimus reverendiſſimis & nobiliſſimis D. Principi JOHANNI Dei gratia ſanctæ ſedis Moguntinæ archiepiſcopo S. R. Imp. per Germaniam archicancellario, D. FRIDERICO ſanctæ eccleſiæ Colonenſis archiepiſcopo, S. R. Imp. per Italiam archicancellario, Duci Weſtphaliæ, D. WERNERO archiepiſcopo Trevirenſi, S. R. Imperii per Galliam archicancellario, D. RUPERTO comiti palatino Rheni S. R. Imp. archipincernæ & Bavariæ duci, & D. RUDOLPHO duci Saxoniæ & Luneburgi, S. R. Imperii archimareſchallo, omnibus S. R. Imp. principibus electoribus, dilectis noſtris DD. conſanguineis, avunculis & nepotibus in articulis & punctis hic ſubjunctis. Primo ad alium regem Romanorum eligendum & conſtituendum, & ſi tum aliquem in regem Romanorum elegerint, ex genere & familia ſtirpis Bavariæ, Saxoniæ, Miſniæ, Haſſiæ, Burgraviorum Norimbergæ, vel comitum Wirtembergiæ; tunc nos & ſinguli noſtrûm prædictorum DD. electioni ab ipſis factæ, & illi quem ita nominaverint, & in regem Romanorum elegerint, fideliter & firmiter adhærebimus, illumque etiam & nullum alium pro vero & legitimo rege Romanorum, & pro vero noſtro Domino, acceptabimus, tenebimus, & habebimus, cum omni jure, honore & dignitate; prout legitimo & vero regi Romanorum de jure & conſuetudine competit & debetur; ac inſuper cum illo, & prædictis noſtris dominis principibus electoribus perſiſtemus, atque ad illum in Imperio tamquam regem Romanorum retinendum & manu tenendum, perſonis & bonis, omnique noſtra potentia, illis fideliter auxiliabimur, nec ab inde reſiliemus, aut ab illo recedemus, ullo quocunque modo, vel ob quamcumque cauſam quæ facta ſit, aut fieri poſſet, abſque omni dolo & fraude. Ac ſi deſuper, vel è contra, aliquis quiſcumque demum ſacrum Imperium prætenderet aut arrogaret, ſive ſub nomine vicariatus, ſive alio quocumque demum modo; Nos ſupradicti DD. & unuſquiſque noſtrûm ſeorſim, ſimul cum ſupranominatis DD. noſtris principibus electoribus fideliter & firmiter huic obſtabimus, illoſque juvabimus ad iſtud negotium impediendum & avertendum, corporibus & bonis, arcibus, terris & populis, totaque noſtra potentia, ne illud ullo modo contingat aut ſucceſſum habeat abſque omni fraude & dolo. Et ſi quis ob prædictam cauſam, quiſcumque demum is fuerit, averſionem, odium vel malam voluntatem, ſive hoſtiliter, ſive quocumque alio modo hoc fieret, in prædictos DD. principes electores conjunctim vel ſeparatim gerere vellet vel convertere; tunc nos ſupra memorati DD. conjunctim vel ſeparatim cum ipſis pariter conjunctim vel ſeparatim cauſam communem faciemus, neque à prædictis DD. principibus electoribus vel aliquoquecumque illorum in hac cauſa nos ſeparabimus, & unuſquiſque noſtrûm cum prædictis DD. electoribus & illorum unoquoque ſeparatim permanebimus, illiſque è contra abſque mora in hac re conſilio & auxilio, corporibus, bonis, arcibus, terris, & populis, ac tota noſtra potentia firmiter & fideliter, quamdiu neceſſe fuerit, abſque omni præjudicio, contradictione, impedimento & dolo, aſſiſtemus. Si autem contingeret quod prædicti DD. principes electores alium aliquem in regem Romanorum nominarent, ſuſciperent & eligerent; qui non eſſet ex progenie & ſtirpe illorum ſupra memoratorum, tunc non tenebimur vi hujus fœderis illi, quem non ex prædictis familiis elegerint, ut ſupra dictum eſt, adhærere, niſi ſponte hoc faciamus, aut ab ipſo amicè requiſiti fuerimus, nobiſque talia exhibuerit amoris ſigna, ut libenter id faciamus. Omnes & ſingulos hoſce prædictos articulos & puncta, nos ſupra ſcripti DD. & ſinguli noſtrûm ſupra memoratis DD. principibus electoribus & eorum ſingulis ſeparatim, ſub fide & honore principum, promiſimus, & hæc corporaliter ad ſanctos juravimus, & vi præſentium litterarum promittimus, affirmamus & juramus hæc verè, firmiter, conſtanter & inviolabiliter obſervare facere & exequi, nec contra agere aut quærere, ſive ſpirituale ſive temporale ullo modo & abſque omni fraude & dolo. In cujus rei fidem & plenum robur unuſquiſque noſtrûm ſupradictorum DD. ſigillum ſuum ſcienter & voluntariè hiſce litteris apponi fecit. Datum Francofurti ad Mœnum poſt Chriſti Nativitatem milleſimo quadringenteſimo in vigilia feſti Dominæ noſtræ, Latinè Purificationis dicti.

IV.

QUALITER MARCHIO WILHELMUS caverit pro ſuis tribus conſanguineis.

NOS WILHELMUS Dei gratia Marchio Miſniæ & Landgravius Turingiæ palam profitemur & notum facimus omnibus haſce litteras viſuris vel legi audituris, qualiter cum reverendiſſimis in Domino patribus D. JOHANNI ſanctæ ſedis Moguntinæ, D. FRIDERICO ſanctæ eccleſiæ Colonienſis, & D. WERNERO ſanctæ eccleſiæ Trevirenſis archiepiſcopis dilectis noſtris dominis & amicis, & illuſtribus principibus D. RUPERTO comiti palatino Rheni & duci Bavariæ, &

D. RUDOLPHO duci Saxoniæ & Luneburgi S. R. Imp. electoribus dilectis noſtris avunculis & aliis noſtris amicis ad alium regem Romanorum eligendum fœdus inierimus, noſque unierimus, prout talis confœderationis inſtrumentum quod invicem tradidimus propriè demonſtrat, quod nos prædictis dilectis noſtris DD. & avunculis, principibus electoribus aſſeruimus & promiſimus, aſſerimus & promittimus virtute præſentis inſtrumenti, pro nobiliſſimis principibus, pro D. FRIDERICO, WILHELMO & GEORGIO fratribus, marchionibus Miſniæ, dilectis noſtris conſanguineis, quod ipſi etiam in hoc negotio, cum DD. illis dilectis noſtris & avunculis electoribus, noſtriſque amicis, ac nobiſcum firmiter velint permanere, nobiſque conſtanter & fideliter conſulendo & adjuvando adeſſe, in omni modo & ſecundum iſtius inſtrumenti tenorem, quod principes electores præſcripſerunt, & amici noſtri & nos invicem mutuo tradidimus ſine omni dolo; & quod noſtri ſupramemorati dilecti domini conſanguinei D. FRIDERICUS, WILHELMUS, & GEORGIUS hiſce aſſenſuri ſint. Et hoc proximo paſchate ſequenti DD. noſtris avunculis electoribus inſtrumenta porrecturi ſint ſigillis propriis munita, quod nobiſcum cum illis ſint permanſuri in iſto negotio, illudque ita obſervaturi & executuri, prout inter nos verbo & ſcripto conventum eſt, noſtrique DD. & avunculi principes electores tale etiam illis ſcriptum tradent, quale amicis noſtris, nobiſque dederunt. Et quando noſtri DD. conſanguinei ſcriptum illud dederint, erimus nos ab hac cautione liberi, & tunc hoc inſtrumentum amplius nec vim, nec robur habebit. In cujus rei fidem huic inſtrumento ſigillum noſtrum ſcienter appendi permiſimus. Datum Francofurti poſt Nativitatem Domini quadringenteſimo ſupra milleſimum, die Purificationis Dominæ noſtræ.

Nota quod Marchio Fridericus proprias in hoc negotio litteras, ſicut alii principes, principibus electoribus dederit.

V.

QUALITER PRINCIPES ELECTORES regi Wenceſlao ultimo ſcripſerint, eumque ad dietam apud *Lanſtein* invitarint.

SEreniſſime princeps Dux Wenceſlae rex Romanorum & Bohemiæ rex, Quandoquidem nos, Dei gratia JOHANNES ſanctæ ſedis Moguntinæ archiepiſcopus S. R. Imp. per Germaniam archicancellarius, FRIDERICUS ſanctæ eccleſiæ Colonienſis archiepiſcopus, S. R. Imperii archicancellarius per Italiam dux Weſtphaliæ, WERNERUS archiepiſcopus Trevirenſis, S. R. Imp. per Galliam & regnum Arelatenſe archicancellarius, & RUPERTUS comes palatinus Rheni, S. R. Imp. archipincerna, dux Bavariæ. Propter varios defectus, qui in ſancta eccleſia, & Romano Imperio diu damnoſe & flebiliter extiterunt, & adhuc quotidie, proh dolor! augentur, ſæpe & frequenter ſcripſerimus, monuerimus, & rogaverimus, ut hoſce judicaretis, emendaretis, & ceſſare faceretis; Vos interea tamen hâctenus quod ſanctæ eccleſiæ vel ſacro Romano Imperio utile & conſolatorium erat, quod merito & de jure facere debueratis, præſtare neglexiſtis & omiſiſtis: hinc vos requirimus & monemus, ut die poſt ſanctum Laurentium proximè ſequentem ad oppidum *Oberlanſtein* ſupra Rhenum, & ex oppoſito *Rens* ſitum, ad nos principes electores, alioſque principes, qui ibidem ad nos venturi ſunt, accedatis, ad ante memoratos defectus componendos, judicandos, & etiam corrigendos, Imperiumque reſtituendum, ſicuti neceſſitas ſanctæ eccleſiæ, S. R. Imperii, totiuſque Chriſtianitatis exigit.

Quod ſi autem non veneritis ad præfatam civitatem, & diem, illa præſtare modo quo ante dictum eſt, debemus nos, ad univerſæ patriæ inſtantiam & vi juramenti, quo erga S. R. Imperium adſtringimur, intendere, agere, & ordinare, quatenus ſacrum Imperium utilius & honeſtius tractetur, & gubernetur; Et propterea volumus à tali juramento, quod nominatæ perſonæ præſtitimus liberi eſſe, nec ulterius ad id obligari; juramentum tamen, quo ſacro Romano Imper. devincimur, retinebimus, illiſque adhærebimus. Datum Francofurti, feria ſexta ante feſtum Pentecoſtes, noſtris ſub ſigillis præſentibus appreſſis, anno Domini milleſimo quadringenteſimo.

VI.

QUALITER PRINCIPES ELECTORES, ducem Saxoniæ ad dietam apud oppidum *Lanſtein* invitaverint.

ILluſtriſſime princeps dux RUDOLPHE dux Saxoniæ & Luneburgi, burgravius, magdeburgi, comes Bremenſis, comes palatine Saxoniæ, & S. R. Imp. archimareſchalle; Nos Dei gratia Stæ ſedis Moguntinæ archiepiſcopus, S. R. Imp. per Germaniam archicancellarius, FRIDERICUS S. eccleſiæ Colonienſis archiepiſcopus, S. R. Imp. per Italiam archicancellarius, Weſtphaliæ dux; WERNERUS archiepiſcopus Trevirenſis S. R. Imp. per Galliam & regnum Arelatenſe archicancellarius, & RUPERTUS comes palatinus Rheni, S. R. Imp. archipincerna & dux Bavariæ. Poſtquam nos ob miſeranda damna & defectus, qui dudum in ſancta eccleſia & Romano Imperio extiterunt, & quotidie exſurgunt dominum noſtrum regem Romanorum frequenter & multum admonuiſſemus, requiſiſſemus, & ſollicitaſſemus, prout vos bene ſcitis; ille ta-

men hiſce auditum præbere noluerit, unde ſpecialis ſacri Imperii ruina contingit; de qua & vos nobiſcum, ac nos vobiſcum hoc tempore Francofurti diſcurſus varios ac conſilia multa inter nos habuimus, qualiter ad communem utilitatem, & pacem hæc emendaremus, prout nobis incumbit, officiique noſtri eſt facere. Ita convenimus ut dominum noſtrum regem prædictum iterum iterumque monetemus, requireremus, eique ſcriberemus, ut ad oppidum *Oberlanſtein* ad Rhenum, ad nos alioſque principes poſtridie feſti S. Laurentii proximè ſequentis veniret, modo ac forma, qualiter in ſcriptura continetur, quam hîc vobis mittimus, & per quam petimus & vos requirimus, ut ad nos veniatis, die ac loco conſtitutis, & negotium hoc quod nobiſcum incœpiſtis adjuvare, tractare, & manutenere, & ad finem uſque proſequi, prout nos & vos cum aliis principibus mutuo obligavimus & obſtrinximus, & caſu quo ad prædictum & locum non veniretis, nos nihilominus negotium hoc perſequemur, ſacroque Imperio meliori quo poterimus modo adjutrices porrigemus manus, prout nobis competit & tenemur. Datum Francofurti feria ſexta ante feſtum Pentecoſtes ſub ſigillis noſtris appreſſis anno Domini milleſimo quadringenteſimo.

VII.

QUOMODO ELECTORES, Marchionem Brandeburgiæ ad conditum diem verſus oppidum *Lanſtein* invitarunt.

NObiliſſime princeps IODOCE Marchio Moraviæ, Nos Dei gratia ſanctæ ſedis Moguntinæ archiepiſcopus, S. R. Imp. per Germaniam archicancellarius; FRIDERICUS ſanctæ eccleſiæ Colonienſis archiepiſcopus; S. R. Imp. per Italiam archicancellarius, dux Weſtphaliæ; WERNERUS archiepiſcopus Trevirenſis S. R. Imp. per Galliam & regnum Arelatenſe archicancellarius, & RUPERTUS comes palatinus Rheni, S. R. Imperii archipincerna, & Bavariæ dux, notum vobis facimus, cum nos ob miſerabiles defectus & damna quæ dudum in ſancta Eccleſia & Romano Imperio extiterunt, & quotidie adhuc cum gravi damno oriuntur, vobis tamquam conprincipi electori noſtro perſcripſiſſemus & requiſiſſemus, quatenus hoc tempore Francofurtum ad nos veniretis; Vos autem uti ſperabamus non veniſtis; nunc autem ratione iſtorum defectuum & damnorum convenimus, ut D. noſtrum regem WENCESLAUM moneremus, requireremus, ſcriptoque vocaremus, ut ad nos alioſque principes in oppido *Oberlanſtein* ad Rhenum poſtridiè feſti Sancti Laurentii proximè venturi veniret, eo modo ac forma uti continetur in copia quam vobis mittimus: Hæc igitur vobis ſignificamus, utpote coëlectori noſtro, ratione marchiæ Brandeburgicæ, & petimus ut condicto die & loco ad nos veniatis, & nobiſcum negotia iſta tractetis, præſertim ut ſacrum Imperium utilius diſponatur, prout nobis competit, ac officii noſtri eſt facere. Quod ſi vero in perſona non poſſitis venire, tunc mittite modo ſupradicto aliquem ex amicis veſtris, cum procuratorio & plena potentia in ſcriptis; quod ſi nec hoc feceritis, nos nihilominus ſupradicta negotia, uti ad nos ſpectat & tenemur, procurabimus facere, volumuſque hiſce te rogatum & admonitum eſſe. Datum Francofurdiæ feria ſexta ante feſtum Pentecoſtes noſtris ſub ſigillis pendentibus appreſſis, anno Domini milleſimo quadringenteſimo.

VIII.

SENTENTIA QUA REX WENCESLAUS depoſitus eſt ab Imperio Romano.

IN nomine Domini amen. Nos JOHANNES Dei gratia ſanctæ eccleſiæ Moguntinæ archiepiſcopus, S. R. Imperii per Germaniam archicancellarius. Omnibus hominibus tam præſentibus quam futuris, hiſce notum facimus, qualiter multi & varii, magni & lamentabiles defectus, errores & abuſus à longis temporibus & annis in eccleſia ſancta exorti fuerint, ac etiam num quotidie cum damno oriantur; & à quo ſacrum Imperium Romanum, ſancta eccleſia, totaque Chriſtianitas ſolatium, protectionem, & adjutorium habere deberet: ab illo, proh dolor! pernicioſe dilaceratur, diminuitur, & negligenter gubernatur, quod non ſolum hoc ſcriptum noſtrum, ſed etiam ipſa notoria & manifeſta facta, quotidianæ peſſimæ ſequelæ clariſſimè demonſtrant. Quapropter cum noſtri Domini & coëlectores S. R. Imperii ſicut & nos, ad requiſitionem inſtantiſſimam ſanctæ eccleſiæ, quæ principum, dominorum, civitatum, terrarum, ac populorum ſacri Imperii protectorem & providum defenſorem enixiſſimè petierat, ſereniſſimum principem D. WENCESLAUM regem Romanorum ac Bohemiæ regem à longo jam tempore ſæpe & ſerio exhortati ſumus, rogaverimus per noſmetipſos, amicos noſtros, & per epiſtolas, ac eidem particulariter expoſuerimus privatim & publicè indecentem ac horribilem ipſius vitam, & ſacri Imperii regimen, ſicut etiam defectus, errores & abuſus, in ſancta eccleſia & Chriſtianitate, graviſſimas dimembrationes & diminutiones ſacri Imperii, quas nocivè, & contra tituli ſui dignitatem fecerit & permiſerit, ſcilicet quod numquam adjuverit ſanctam eccleſiam ad pacem habendam, quæ Chriſtianitati

Chriſtianitati ſummopere neceſſaria fuerat & etiamnum eſt, quod ei utpote ſanctæ eccleſiæ advocato & protectori facere competebat; & nos propterea ſæpe & multum illum oravimus, monuimus & requiſivimus; attamen ſacrum Rom. Imperium graviter & nocive dimembravit, & dimembrari permiſit, ſcilicet Mediolanum & terram Longobardiæ, quæ ad ſacrum Imperium ſpectabat, & ex qua Imperium magnam habuit utilitatem, & emolumentum, & in qua iſte Mediolanenſis ſervus & ſatrapa ſacri Imperii fuerat, quem illius ducem & Papiæ comitem creavit, ac propterea contra proprium titulum & æquitatem, pecuniam accepit; plures etiam civitates & terras, tam in Italia quam Germania ad Imperium ſpectantes, & quarum pars jure caducitatis imperio reciderat, tradidit, nec illas curavit, nec Imperio ſacro retinuit. Sic etiam ad pecunias habendas ſæpe ſæpius legatos ſuos miſit cum chartis ubi nihil erat ſcriptum, quas membranas vocant, quæ tamen majeſtatis ſuæ ſigillo ſignabantur; & poterant legati, vel alii qui tales membranas habebant, ſub regio ſigillo quidquid lubebat ſcribere. Ex quo ſummopere timendum eſt, ne ſacrum Imperium dimembrationes, & dignitatis utilitatiſque ſuæ jacturam pernicioſe patiatur. Præterea nullam curam habet abuſuum, & bellorum quæ, proh dolor! frequenter tam in Germania quam aliis terris ſacri Imperii gravia & calamitoſa fuerunt, & adhuc durant, ac proinde ſæpe rapinæ ac incendia exorta ſunt & in dies majora conſurgunt, & neque clerici nec laici, neque agricolæ, nec mercatores, nec viri, nec feminæ, terra marique pacem habent. Eccleſiæ etiam, monaſteria & ceteræ domus Dei, quas ſacrum Imperium manutenere & protegere deberet, exſpoliatæ & combuſtæ, & abſque Dei timore penitus devaſtatæ, ſummo cum damno dejectæ ſunt: ac propterea unuſquiſque pro libitu ſuo, contra jus & fas ſuam petulantiam contra alios exercuit, & adhuc exercet; abſque cura vel conſideratione ſacri Imperii, quod tam negligenter adminiſtrabatur. Neque nunc ullus novit, coram quo jus quærere debeat, ut ab illo ex parte ſacri Imperii manutencatur, & protegatur. Quod etiam horribile & inhumanum auditu eſt, propria manu & etiam ſimul cum aliis malefactoribus quos ſecum habebat venerabiles prælatos, clericos, & alias perſonas religioſas, & etiam alios multos honeſtos viros nefarie occidit, ſubmerſit, facibus ardentibus aduſſit, illoſque miſerabili, iniquo & inhumano modo necavit: quod omnino regem Romanorum dedecet & peſſime ſonat, ſuntque hi prædicti, multique alii majores malefactorum & delictorum ſuorum articuli adeo publici & manifeſti, ut nullo valeant modo occultari aut palliari; atque ideo ſæpenumero maximâ diligentiâ, ut ſupradictum eſt, eum oravimus, monuimus, & requiſivimus, ut a tali inhoneſta vita abſtineret, & ad id unum tenderet, ut eccleſia ſancta quæ illum tamquam regem Romanorum ſuumque advocatum frequenter, & multum imploraverat, ad pacem & unitatem, & ſacrum Imperium ad dignitatem ſuam bona & terras reduceret, & utiliter & diligenter manuteneret, in ſubſidium & ſolamen Chriſtianitatis, quæ etiam inde graviter enervata & depreſſa eſt, prout quoque antedicto Domino WENCESLAO tamquam Romanorum regi hos & alios graviores defectus ipſummet & ſacrum Imperium concernentes, ut cohiberet, diſtincte & in ſcriptis dedimus; nihilominus neque reſponſum ab illo accepimus, neque poſt noſtram contradictionem & ſeriam monitionem, immo poſtquam hæc omnia ipſius facta, ſanctæ ſedi Romanæ detuliſſemus, nondum tamen experimur quod ipſe ſe, prout regem Romanorum decet, gerat, & procuret ut ſanctæ eccleſiæ, quod toti Chriſtianitati per quam neceſſarium foret, pax tribueretur, ſacrumque Romanum Imperium ad priſtinam dignitatem, terras & bona reſtitueretur, ac utilius manuteneretur, prout hoc omnes ſacri Romani Imperii provinciæ manifeſte indigent. Et cum nos hoſce prædictos, ſicut & plures alios, ſanctam eccleſiam & Imperium graviter, noxie & lamentabiliter prementes defectus, ex ante memorata requiſitione, nec non vi juramenti præſtiti, quo nos ſpecialiter, tamquam ſupremum & proximum membrum eidem Imperio obligamur, ulterius hoc ſilentio præterire aut amplius pati non poſſemus; propterea debemus, quemadmodum nos decet, atque officii noſtri ratio poſtulat, intendere, collaborare, & facere, ut ſacrum Imperium, ex cujus inutili & negligenti regimine, hi defectus nati ſunt, deinceps in ſubſidium & conſolationem ſanctæ Chriſtianitatis, melius & utilius adminiſtretur. Hinc in poſtrema noſtra negotiatione, prædicto D. WENCESLAO tamquam regi Romanorum ſcripſimus, illum requirentes, monentes, rogantes, & jubentes, ut ad nos veniret ad oppidum *Oberlanſtein* ſupra Rhenum, & nobis adeſſet poſtridie feſti S. Laurentii proxime elapſi, ad ſacrum Imperium cum majori emolumento gubernandum, talesque graves defectus tollendos; & quia hoc libenter vidiſſemus, unanimiter & ſerio illum monuimus, ſi ad prædictum locum & diem venire negligeret, quod tunc nos, tam ex requiſitione communis patriæ, quam vi juramenti noſtri, omni ſtudio, in id incumbere deberemus, ut ſacrum Imperium de utiliori regimine provideatur, prout etiam id in litteris noſtris clarius continetur. Quare ad prænominatum locum diemque condictum convenimus, alioſque coëlectores noſtros

ac principes & ſtatus ſacri Imperii illuc invitavimus, ſupradicti D. WENCESLAI adventum de die in diem exſpectantes, ad ſupra memoratos defectus tollendos, ſacrumque imperium utilius adminiſtrandum: hiſque omnibus non obſtantibus, ad nos non venit, neque aliquem ex parte ſua ablegavit, qui nobis quidquam proponeret; noſque ipſum multoties de prædictis pernitioſis & lamentabilibus deſectibus ſoli, & ſine arbitris, in omni bonitate commonuimus, nec quidquam proſecimus.

Propterea per principes, magnates, ac ſtatus ſacri Imperii, in plurimis conventibus, quos in hunc finem cum multo labore & magnis expenſis habuimus, ſæpius monitus & reprehenſus fuit, & cum nec hoc aliquid juverit, rem ad ſanctam. ſedem apoſtolicam detulimus, prout ſupra narratum eſt, quæ omnia ſprevitsunde nec aliud conjicere potuimus, quam quod ſanctæ eccleſiæ, & Chriſtianitatis præcipue vero ſacri Imperii curam & ſollicitudinem gerere amplius nollet: Et cum hoc abſque exitiabili damno totius Chriſtianitatis diutius tolerari nequeat; Nos præmeditato animo, nec non poſt multos & varios tractatus ac conſilia hac de cauſa tam apud nos, quam etiam alios principes & ſtatus Imperii ſerio habitos, ad ſanctæ eccleſiæ auxilium, Chriſtianitatis ſolatium, ſacri Imperii utilitatem & honorem, omnimode ſtatuimus prædictum D. WENCESLAUM veluti negligentem, dimembratorem, & ſacri Imperii indignum, ab eodem ſacro Imperio omnibuſque dignitatibus illi annexis, nunc removere, & deponere. Nos igitur JOHANNES archiepiſcopus ſupradictus, Dei prius nomine invocato, pro tribunali ſedentes, & ex parte & nomine ſupramemoratorum dominorum noſtrorum coëlectorum ſacri Romani Imperii, & etiam ex noſtro proprio, ob ſupra recenſitos multoſque alios graviores defectus & cauſas, nos ad hoc moventes, hac noſtra ſententia, quam in hoc ſcripto ferimus & damus; prædictum D. WENCESLAUM tamquam inutilem, negligentem, ac turpem diſmembratorem & indignum rectorem S. R. Imperii, ab eodem ſacro Romano Imperio omnibuſque honoribus dignitatibus & dominiis ad illud ſpectantibus, removemus & deponimus; notumque facimus omnibus principibus, magnatibus, equitibus & militibus, civitatibus, terris & populis ſacri Romani Imperii, quod in poſterum à juramento & homagio perſonæ WENCESLAI præſtito ratione ſacri Imperii penitus ſint abſoluti, illoſque monemus ac requirimus, virtute juramenti quo ſacro Romano Imperio ſunt obſtricti, ne deinceps antedicto WENCESLAO tamquam Romanorum regi obediant aut obſequantur quocumque modo, neve ei jus aliquod, ſervitium, pecuniam, bona vel quoſcumque alios reditus quocumque dominii nomine vocentur, tamquam Romanorum regi, tribuant aut ſubminiſtrent; verum ea reſervent pro illo qui per Dei gratiam in utiliorem & aptiorem regem Romanorum ſit eligendus. In cujus fidem & teſtimonium nos JOHANNES archiepiſcopus Moguntinus hoc præſens noſtrum inſtrumentum, deſuper per hunc infra ſcriptum publicum notarium confici, eique majus noſtrum ſigillum appendi juſſimus.

Hæc prædicta ſententia fuit lecta & pronunciata à nobis JOHANNE archiepiſcopo Moguntino ſupra nominato, tamquam ex noſtra, & ſupramemoratorum dominorum noſtrorum coëlectorum parte, ad Rhenum prope oppidum *Oberlanſtein* dictum, Trevirenſis epiſcopatus, exregione *Braubach*, ſupra ſedem ibidem in judicii ſedem erectam, ſedentibus pro tribunali ſupra memoratis dominis & coëlectoribus noſtris anno poſt nativitatem Chriſti milleſimo quadringenteſimo, indictione octava, die Veneris vigeſimo Auguſti, parum ante tempus nonæ, anno undecimo pontificatus in Chriſto patris ac domini noſtri divina providentia Bonifacii papæ noni, in præſentia nobiliſſimi principis domini JOHANNIS, nobiliſſimi principis RUPERTI ducis Bavariæ & comitis palatini ad Rhenum, filii D. FRIDERICI burgravii Norimbergenſis, nobilis PHILIPPI de NASSAU & SUARBRUCH, GEORGII de LEININGEN, JOHANNIS de ZIGENSTIM, CONRADI comitis Rhenani, canonici eccleſiæ noſtræ metropolitanæ Moguntinæ, comitis RHEINARDI de WESTERBURG, JOHANNIS de LIMBURG, JOHANNIS de ISENBURG, RHENARDI de HANAIO, & dominorum, domini NICOLAI profeſſoris ſacræ ſcripturæ JOHANNIS de WITTEMBERG, & NICOLAI BURGMAN juris canonici doctoris, ſtrenui militis SOIFREDI de LINDEAU noſtri vicedomini in Rhingovia, JOHANNIS BOSCHEN de WALDECH noſtri burgravii in BUCHOLENHEIM, & dilecti fidelis HENRICI KULMANS de DATTENBERG, GERARDI de KENNENBERG D. in LANDSERON, FRIDERICI de SAXENHAUSEN, CUMELIANI de COLEREN, JOHANNIS de DALBURG, RUDOLPHI de SINTZINHEIM, & aliorum plurimorum dominorum equitum, militum, hominum eccleſiaſticorum & laicorum, in magno & innumerabili numero teſtium, ad prædictum actum requiſitorum & mandatorum rogatorum.

Et ego Nicolaus Bertholdi de *Fridburg* clericus Moguntinæ diœceſis pontificia & cæſarea auctoritate notarius publicus, & ſupra nominati clementiſſimi D. mei D. Johannis archiepiſcopi Moguntini ſcriba juratus, dum ſupradicta ſententia data, lecta &

pronuntiata fuit, uti ſupra ſonat & ſcripta eſt, cum infra ſcriptis notariis publicis & ante nominatis teſtibus corporaliter præſens adfui, & ita vidi & audivi, ac propterea ex juſſu & mandato ſupradicti clementiſſimi domini mei Moguntini, hoc publicum inſtrumentum ab alio fideliter conſcriptum, in formam probatam redegi, meoque conſueto ſigneto & nomine, cum appenſione maioris ſigilli ante memorati clementiſſimi domini mei Moguntini ſignavi in fidem & teſtimonium omnium articulorum prædictorum vocatus & requiſitus.

Et ego Johannes *Axier* junior de *Graſterfeld* clericus Moguntinæ diœceſis, & pontificiæ &c.

Et ego Conradus de *Liberen* clericus Paderbornenſis diœceſis de pontificia.

Et ego Henricus *Stahlberg* de *Rodenberg* clericus Moguntinæ diœceſis.

Et ego Tillmanus de *Homberg* Moguntinæ diœceſis clericus.

Et ego Conradus *Coler de Saſt* clericus Colonienſis diœceſis.

IX.

JURAMENTUM QUOD PRÆSTITERUNT principes electores quando volebant novum regem eligere.

EGO Johannes archiepiſcopus Moguntinus S.R. Imperii per Germaniam archicancellarius & princeps elector, juro ad ſancta Dei evangelia, quæ hic palam ante me jacent, quod per fidelitatem, qua Deo & ſacro R. Imperio obſtrictus ſum, juxta quod ſcio & cognoſco, velim per Dei auxilium populo Chriſtiano caput ſæculare conſtituere, nimirum regem Romanorum eligere, qui imperator fiat, talem qui huic officio aptus ſit, in quantum notitia & ſenſus mei mihi dictant, & per prædictam meam fidelitatem do votum meum, & eligo abſque omni promiſſione, pecunia, pacto, aut quomodocumque nominari poteſt; ita me Deus adjuvet, & omnes ſancti.

X.

QUALITER PRINCIPES ELECTORES noſtri D. regis electionem publicarint omni populo, & ad ipſi obedientiam præſtandam commonuerint.

OMnibus & ſingulis principibus, comitibus, magnatibus, civitatibus, equitibus, ſervientibus, omnibuſque aliis tam eccleſiaſticis quam ſecularibus, qui ad ſacrum pertinent Imperium, dilectis dominis & amicis ſuis ſalutem. Quemadmodum nos Dei gratia JOHANNES Moguntiæ, FRIDERICUS Coloniæ, & WERNERUS Treveris archiepiſcopi, per Germaniam, Italiam & Galliam archicancellarii, & S. R. Imperii principes electores, ad vos perſcripſimus, quod nos nobilem principem D. WENCESLAUM Bohemiæ regem, ob notorios & lamentabiles defectus & facinora, quibus ſe ſacro Romano Imperio reddiderat indignum ab eodem Imperio Romano amoviſſemus, & depoſuiſſemus: ita hodie ad Dei laudem, ſanctæ eccleſiæ & Chriſtianitatis ſolatium, & ſacri Imperii honorem & utilitatem, ad alium regem Romanorum, qui ſacro Romano Imperio utilius aptiuſque præſit eligendum, atque coram nobis ibidem ſacrificio Miſſæ & divino officio laudabiliter peracto, in vim juriſjurandi, quod corporaliter ſupra ſacra evangelia præſtitimus, ſecundum meliorem noſtram ſcientiam, & ſacri Romani, imperii majus bonum ad electionem acceſſimus, & unanimiter elegimus ſereniſſimum principem & dominum D. RUPERTUM pro tunc comitem palatinum Rheni, & ducem Bavariæ in regem Romanorum, & per Dei gratiam in futurum Imperatorem, dilectum clementiſſimum D. noſtrum: omnino confidentes fore ut ſua ſapientia, virtute, & potentia ſacro Romano Imperio fidelius & utilius conſulat, & pacem tam in ſancta eccleſia, quam ſacro Imperio omni meliori diligentia procuret. Propterea ſerio à vobis poſtulamus, requirimus, omnibuſque univerſim, & ſingulis ſeorſim mandamus, per juramentum quo ſacro Imperio obligamini, ut ante nominatum dominum noſtrum nobiſcum pro vero, legitimo, Romanorum rege: & futuro Imperatore teneatis, omnia etiam feuda & dignitates, quas habetis à ſacro Imperio, ab illo recipiatis, illique omnimode obediatis & obſecundetis cum homagio & juramento, & cum omni honore, utilitate, ſervitio & reditibus ad ſacrum Imperium ſpectantibus, ei adhærentes ſicut de vobis ratione ſacri Imperii, honoris & utilitatis, prout nobis videtur eidem expedire, ſatis ſuperque confidimus. In cujus rei fidem, haſce litteras appendentibus noſtris ſigillis confirmavimus. Datum in ſede regali prope civitatem *Rens* ſabbato proximo ante feſtum Aſſumptionis B. Mariæ Virginis anno Domini milleſimo quadringenteſimo.

XI.

QUALITER PRINCIPES ELECTORES ſe obſtrinxerint ad ſubſidium domino noſtro regi præſtandum.

NOS Dei gratia JOHANNES ſanctæ ſedis Moguntinæ archiepiſcopus, ſacri Rom. Imperii per Germaniam archicancellarius, FRIDERICUS Colonienſis archiepiſcopus, S. R. Imperii per Italiam archicancellarius, & Weſtphaliæ dux, WERNERUS Trevirenſis archiepiſcopus, S. R. Imperii per Galliam

archicancellarius, & nos RUPERTUS comes palatinus Rheni ſacri Rom. Imperii archipincerna & Bavariæ dux, hiſce litteris profitemur & notum facimus, quod cum in ſancta eccleſia & ſacro Rom. Imperio à longo tempore graviſſimi errores & defectus multiplices non ſine ingenti damno extiterint, & nos propterea illuſtrem principem dominum WENCESLAUM Romanorum quondam regem, & regem Bohem' ſæpe numero interpellaverimus, requiſiverimus, & ſerio admonuerimus, ut ejuſmodi erroribus & defectibus obviaret, ſanctamque eccleſiam & ſacrum imperium protegeret, prout facere teneretur, & prout advocato eccleſiæ & Romanorum regi de jure & æquitate competeret; ille tamen hoc numquam fecerit, nec faciendi animum ullo umquam tempore habuerit: ideo ſtantibus ſupra memoratis gravibus erroribus, ac variis defectibus, & ruinis, & ne ſacrum imperium omnino deperiret, quod nobis tamquam ſacri imperii principibus electoribus de jure, & ex officio competit, aliter ordinare illique providere ſtatuimus. Hinc unanimiter ac præmeditato conſilio & animo, juſtitia ſic exigente, prædictum dominum regem WENCESLAUM ab imperio Romano, ejuſdemque regali dignitate depoſuimus & amovimus; & nos JOHANNES, FRIDERICUS, & WERNERUS illuſtriſſimi electores ſupra nominati, una cum ſuffragio ſereniſſimi & nobiliſſimi principis domini RUPERTI ſupra dicti, tamquam noſtri veri comprincipes electores, eumdem dominum RUPERTUM in nomine SS. Trinitatis & ex ſpeciali dono & manifeſta inſpiratione Spiritus-ſancti, ad Dei omnipotentis laudem, ſanctæ eccleſiæ & ſacri imperii emendationem, ſeu majus bonum, in legitimum regem Romanorum devote, recte, & ſincere elegimus, ſtatuimus, & creavimus; eligimus, ſtatuimus, & creamus, vi hujus præſentis inſtrumenti; ac proinde Nos JOHANNES, FRIDERICUS & WERNERUS archiepiſcopi & electores antedicti, & unuſquiſque noſtrum ſpecialiter, eidem domino RUPERTO Romanorum regi dilecto & clementiſſimo domino noſtro, cum plena ſcientia & voluntate, ac præmaturo conſilio & animo nos obligavimus & obligamus tenore hujus inſtrumenti, omni eo modo quo infra habetur. Primo debemus ac volumus omnes ac ſinguli prædictum dominum Rupertum pro vero Romanorum rege & noſtro vero domino fideliter agnoſcere, illique fideliter adhærere, illumque in poſſeſſione imperii manutenere & tueri, omni fraude doloque excluſis: imo ſi quis, quiſcumque demum, nemine excepto, fuerit, qui prædictum D. noſtrum regem RUPERTUM conaretur in Romano Imp. turbare, moleſtare, vel gravare, illumque in hunc finem niteretur aggredi, lædere, vel oppugnare, quocumque demum modo hoc fieret; tunc nos archiepiſcopi JOHANNES, FRIDERICUS, & WERNERUS ſupra memorati, & quiſque noſtrum *in particulari*, illi fideliter, fortiter, & incunctanter contra omnes illos vel illum, omneſque illorum fautores, aſſiſtemus, & auxiliabimur cum arcibus noſtris, terris, populis, corporibuſque & bonis, omnibuſque viribus noſtris quoties opus fuerit, & quamdiu duraverint inimicitiæ inter dominum Wenceſlaum, vel aliquem ex parte ejus, & ante nominatum dominum regem noſtrum Rupertum, ſine omni fraude & dolo. Tenemur & volumus nos omnes, etiam & quiſque noſtrûm in particulari, in cunctis imperii negotiis & neceſſitatibus fideliter conſilio & ope aderimus, quemadmodum principes electores regi Romanorum de jure & æquitate facere tenentur, omni fraude & dolo excluſo. Et omnia quæ hic ſupra memorata ſunt, Nos JOHANNES, FRIDERICUS, & WERNERUS ſupraſcripti archiepiſcopi, omnes & ſinguli & quilibet noſtrûm in particulari, ante nominato domino noſtro regi RUPERTO per noſtram fidem noſtrumque principalem honorem recte & ſincere promiſimus & promittimus, virtute præſentis inſtrumenti firmiter, conſtanter, & inviolabiliter, numquam non præſtare & obſervare, ac immooiliter in illo perſiſtere, nec aliquid contra agere vel quærere, nec præſtitum, actum, aut quæſitum iri, ſive per civilia ſive eccleſiaſtica media, quocumque tandem modo, omni dolo, fraude, & contradictione excluſis. In quorum omnium fidem & plenum robur, unuſquiſque noſtrûm huic inſtrumento ſuum proprium ſigillum appendit. Datum in *Lanſtein* poſt Chriſti nativitatem anno milleſimo quadringenteſimo, ſabbato poſt feſtum Aſſumptionis Dominæ noſtræ.

XII.

QUALITER DOMINUS MEUS REX quædam puncta & articulos hinc infra poſitos principibus electoribus obſervare ſpoponderit.

NOS RUPERTUS Dei gratia &c. hoc præſenti inſtrumento profitemur, & notum facimus, quod nos dominis noſtris & comprincipibus electoribus omnibus & ſingulis, domino JOHANNI Moguntino, D. FRIDERICO Colonienſi, & D. WERNERO Trevirenſi archiepiſcopis, ſacri Rom. imperii archicancellariis, dilectis dominis noſtris avunculis & intimis amicis, promiſerimus, addixerimus, & ſpoponderimus, promittimus & ſpondemus vigore hujus inſtrumenti,

ri, quod ſi ex divina providentia nos eligi contingat in regem Romanorum, illis, illorumque eccleſiis, abſque omni impedimento vel contradictione obſervaturi ſimus, & in ſcriptis nos obligemus obſervare omnia puncta & articulos infra poſitos; & quamprimum regiam noſtram coronam ſuſceperimus, quod tunc omnibus & ſingulis illorum, ſuper illis punctis & articulis regium noſtrum diploma in optima forma, regiæque noſtræ majeſtatis ſigillo munitum daturi ſimus. Quæ puncta & articuli iſti ſunt, ac ita ſonant: primo, noſtris illis comprincipibus electoribus omnibus & ſingulis confirmabimus, rata habebimus, & renovabimus omnes illorum litteras continentes conceſſiones, confirmationes, permiſſiones, indulta, privilegia, libertates, & conſuetudines, juxta tenorem aureæ bullæ; neque illis aut eorum cuipiam bonis propriis, vel quacumque alia ratione alicujus juris, quod nos & imperium deſuper habere poſſimus ullo impedimento erimus: & negotia ſanctæ eccleſiæ nobis majorem in modum commendata erunt, eaque pie juſteque tractabimus cum conſilio & voluntate prædictorum noſtrorum dominorum comprincipum electorum. Similiter cum WENCESLAUS rex Bohemiæ, dum erat rex Romanorum, Mediolanenſem territorii Mediolanenſis ducem & Papiæ comitem creaverit, hoc ex regia Romana poteſtate revocabimus & plane annihilabimus, & iſtas aliaſque terras ſacri imperii in Longobardia & Italia ſitas, omnibus viribus & ſine fraude conabimur imperio reunire, juxta conſilium prædictorum noſtrorum comprincipum electorum, illaſque fideliter in Imperio conſervare. Expenſas vero & damna quæ inde orientur, ac propterea fient, ab ipſismet iſtis terris exigemus, & repetemus, indeque eaquæ opus erunt impendemus, cum conſilio principum electorum. Inſuper quando Brabantia cum ſuis appertinentiis poſt mortem illuſtriſſimi JOHANNIS nunc ducis Brabantiæ imperio iterum vacaverit, & jure caducitatis reciderit, conabimur etiam pro viribus noſtris, quantum poſſibile eſt, terram iſtam cum ſuis appertinentiis ad imperium reducere, in eodemque conſervare; ac ſimiliter expenſas & damna, quæ exinde orientur ac propterea fient, ab eiſdem terris requiremus, repetemus, omniaque exſequemur cum conſilio principum electorum. Similiter etiam omnia nova telonia & pedagia quæ prædictus rex WENCESLAUS tamquam rex Romanorum, & ex parte imperii in Rheno poſuerat, eiſque quibus favere voluit, contulerat aut oppignoraverat, quique ad hæc jus nullum habebant, revocabimus, neque in poſterum ulla nova vectigalia, exactiones, aut certas ſupra merces Rheni impoſitiones locabimus, dabimus, nec imponemus, nec imponi ſinemus, abſque ſcitu, voluntate, vel conſilio ſupradictorum principum electorum; atque ſi imperator CAROLUS aut rex WENCESLAUS prædictus, quædam telonia ſupra Rhenum revocaverint, exceptis teloniis ſupranominatorum principum electorum, hæc nos etiam pro revocatis habebimus, neque de novo illa locabimus, oppignorabimus aut confirmabimus. Præterea prædictos principes electores, illorumque epiſcopatus conjunctim & ſeparatim, & quæ illorum ſunt, ſine fraude, fideliter manutenebimus, tuebimur, protegemus illiſque aſſiſtemus, prout regem Romanorum decet, præſertim ſi quidà nobis ſupplicando petierint: neque conjunctim aut diviſim illos contra jus prememus, ſine fraude, atque etiam hæc puncta & articulos ſupradictos illorumque ſingulos ut primum imperator facti fuerimus, prædictis DD. principibus electoribus & illorum epiſcopatibus renovabimus, & cum Cæſareæ majeſtatis noſtræ ſigillo ſignabimus & ſigillabimus, abſque omni contradictione & exceptione. Omnia ſupra ſcripta puncta & articulos, illorumque ſingulos ante memoratis principibus electoribus, illorumque ſingulis vovimus & promiſimus, & inpræſentiarum, virtute hujus inſtrumenti vovemus & promittimus bona fide, principalique noſtro honore rata, firma & inviolabilia tenere, nec contra aliquid attentare aut agere, ſive eccleſiaſticis ſive ſecularibus mediis, quomodocumque hoc eſſe aut fieri ullo modo poſſet, abſque omni fraude & dolo, in cujus rei fidem, &c.

XIII.

QUEMADMODUM PRINCIPES ELECTORES, magnatibus & civitatibus ſcripſerint de depoſitione regis Wenceſlai, & quod illi ultra obedientiam tamquam regi Romanorum præſtare non debeant.

NOS JOHANNES Moguntinus, FRIDERICUS Colonienſis, WERNERUS Trevirenſis archiepiſcopi, per Germaniam, Italiam, & Galliam archicancellarii, & RUPERTUS comes palatinus Rheni, archipincerna, dux Bavariæ, S. R. imperii electores, conſuli, ſenatui, & civibus univerſis civitatis Mogunrinæ, dilectis amicis noſtris ſalutem. Notum vobis facimus, quod nos à multis annis & longo tempore ſæpe ſæpius, cum magno labore multiſque expenſis, ut bene noſtis, ad ſanctæ eccleſiæ unitatem & ſacri imperii pacem conciliandam congregati fuerimus, ac proinde nobilem principem dominum WENCESLAUM Bohemiæ regem, tunc temporis Romanorum regem ſæpiſſime requiſierimus & admonuerimus, quatenus ille ut rex Romanorum, hæc ordinare, & in hoc allaborare dignaretur, ſicut etiam ad plurimos alios graves & deflendos defectus S. R. imperium concernentes corrigendos

ſe applicaret. Verum hæc ille numquam attendere voluit ; quapropter nos cum principum conſilio & magnatum , qui de ſacro imperio ſunt, illum ob prædictos , multoſque alios notorios graves defectus , & malefacta , quibus ſe ſacro Rom. imperio reddiderat indignum depoſuimus & amovimus. Ideoque ſerio à vobis petimus, voſque requirimus per juramentum & homagium , quo ſacro Romano imperio obſtricti eſtis , ut prædictum dominum WENCESLAUM amplius pro rege Romanorum non agnoſcatis, neque illi in quacumque re tamquam regi Romanorum obediatis ; verum ut illum , quem per Dei gratiam electuri ſumus in regem Romanorum, pro legitimo Romanorum rege nobiſcum teneatis ac ſuſcipiatis , eique tamquam regi Romanorum obedientiam præſtetis & obſequium , cum omni honore , utilitate, ſervitio, & reditibus, prout regi Romanorum facere tenemini, quemadmodum & nos etiam ex parte ſacri imperii, cujus honorem & utilitatem, ut ſperamus , libenter videtis , ſingulariter futurum confidimus. Datum Francofurti poſt Aſſumptionem beatæ Mariæ Virginis.

XIV.

QUALITER PRINCIPES ELECTORES, ad ſtatus & magnates ſcripſerint , quod dominum noſtrum regem, in Romanorum regem elegerint, utque ipſi obedientiam præſtent.

NOS JOHANNES Dei gratia Moguntiæ, &c. conſuli, ſenatui & civibus univerſis civitatis Moguntinæ, noſtram ſalutem. Dilecti amici, vobis ante ſcripſeramus quod nobilem principem D. Wenceſlaum Bohemiæ regem ob notoria lamentabilia vitia & maleſacta, quibus ſe ſacro Romano imperio indignum reddiderat , ab eodem Romano imperio amoviſſemus & depoſuiſſemus : eam ob rem hodie ad Dei laudem, ſanctæ eccleſiæ & Chriſtianitatis ſolatium , ſacri imperii honorem & utilitatem congregati ſuimus, ad alium regem Romanorum eligendum, qui ſacro Romano imperio utilius & aptius præſit ; & poſtquam in illum finem divinum miſſæ ſacrificium laudabili more, coram nobis celebratum fuiſſet , in virtute juramenti, quod corporaliter ſupra ſacra evangelia præſtitimus , pro meliori noſtro judicio, & majori ſacri imperii bono, ad eligendum convenimus, unanimiterque elegimus ſereniſſimum principem & dominum RUPERTUM, tunc temporis comitem palatinum Rheni & Bavariæ ducem , in regem Romanorum, & per Dei gratiam futurum imperatorem, dilectum clementiſſimum D. noſtrum ; plane confidentes fore, ut ille ſua ſapientia, virtute, & potentia ſacro Romano imperio fideliter utiliterque præſit ; pacemque in ſancta eccleſia & ſacro imperio omni diligentia procuret. Quare ſerio à vobis petimus , voſque requirimus , mediante juramento, quo ſacro Imp. obligamini , ut ante memoratum dominum noſtrum nobiſcum pro legitimo & vero Romanorum rege agnoſcatis , illique obedientiam ac fidelitatis juramentum præſtetis, cum omni honore , utilitate , ſervitio, & reditibus ad imperium ſpectantibus. Quemadmodum & nos etiam ex parte ſacri Romani imperii, cujus honorem & utilitatem, ut ſperamus, libenter videtis , ſingulariter futurum confidimus. Datum in ſede regali juxta civitatem RENSE, ſabbato proximo poſt feſtum Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis glorioſæ, anno Domini milleſimo quadringenteſimo.

XV.

EPISTOLA RUPERTI ROMANORUM REGIS ad Aquiſgranenſes.

Qualiter meus Dominus Rex ad Aquiſgranenſes ſcripſerit.

RUPERTUS, &c. Noſtri & imperii dilecti fideles, mittimus ad vos dilectum noſtrum amicum, vobiſque notum facimus, qualiter illuſtris WENCESLAUS Bohemiæ rex propter varias negligentias & defectus contra ſacrum imperium commiſſos à Romana regia dignitate publice & per ſententiam depoſitus ſit, noſque in legittimum Romanorum regem electi ſimus ; & per eumdem hunc amicum noſtrum vos requirimus, & poſtulamus ut nobis obedientiam præſtetis uti regi Romanorum, nos introducendo in noſtram & imperii civitatem Aquenſem, ut in ea regiam noſtram Romanam coronam accipiamus ; præſertim cum Reverendus D. FRIDERICUS archiepiſcopus Colonienſis dilectus noſter nepos & elector , pro nobis ejuſmodi obedientiam & introductionem per amicos ſuos à vobis petierit ; id tamen non præſtitiſtis , ſed refractarii manſiſtis, quod à vobis ægre tulimus ; quare inſtantiſſime & ſerio vos requirimus, & petimus, ut adhuc nobis obediatis , noſque introducatis modo prædicto : ſi autem id detrectare nobiſque reſiſtere velitis , quod tamen de vobis judicare æquum non eſt, ſciatis volumus, quod pro tali noſtra introductione & coronatione Aquiſgrani facienda ulterius non inſtabimus ; verum eamdem , uti jam tum cum archiepiſcopo noſtro convenimus, Coloniæ in eccleſia metropolitana coram SS. tribus regibus per Dei gratiam ſuſcipiemus. Nam præfatus archiepiſcopus FRIDERICUS nepos noſter & elector id habet privilegii & poteſtatis, quod tamquam archiepiſcopus Colonienſis regem Romanorum in eodem epiſcopatu ac in ſua provincia coronare poſſit & valeat ubi velit : modoque cum electorum conſilio convenimus ſtatue-

re, ne in posterum umquam Aquisgrani fiat coronatio regis Romanorum, vosque tam honorifica prærogativa æternum privabimini, omnibusque aliis gratiis, libertatibus, privilegiis, honoribus, & dignitatibus quas à sacro imperio habetis, spoliemini & exuemini. Ac deinde, uti æquum est, nobis nostrisque electoribus incumbit, & in id intendemus, ut ejusmodi inobedientiam & rebellionem, quam erga nos, nostros electores & sacrum imperium adeo temerarie patrastis, puniamus; ac proinde mittimus ad vos nostrum dilectum, devotum, & fidelem Jacobum à LANDENBERG canonicum ecclesiæ cathedralis Wormatiensis, qui vobis nostram mentem in prædicta causa plenius exponet, vos requirentes ut cum eodem Jacobo absque ulla dilatione remittatis responsum secundum quod nos nostrique electores res nostras possimus dirigere. Datum Moguntiæ dominica post festum sancti Nicolai anno post Christi Nativitatem millesimo & quadringentesimo, regni nostri anno primo.

XVI.

EPISTOLA AQUENSIUM ad Rupertum regem.

Quomodo Aquenses Domino meo regi responderint.

Nobili, illustri principi & gratiosissimo Domino D. RUPERTO duci Rheni, electo in regem Romanorum, dilecto domino nostro.

NOstra prompta & paratissima obsequia & quidquid honoris & boni possumus, semper offerimus, perillustris & gratiosissime domine. Quod vestra serenitas suum fidelem amicum ad nos miserit, & per ipsum nobis cum litteris significavit, quod nobilis WENCESLAUS rex Bohemiæ propter varias negligentias & defectus ab ipso contra sacrum imperium commissos à Romana regia dignitate publice per sententiam depositus sit, & vos in legitimum Romanorum regem electi sitis prout plenius in iisdem litteris continetur, atque propterea vestra serenitas nos instanter requirit, & postulat ut vobis obedientiam præstemus, & introducamus pro suscipienda regia vestra corona, & desuper serenitas vestra à nobis petit responsum; quamobrem sciat serenitas vestra, quod quondam homagium & juramentum præstiterimus illustri principi & gratiosissimo domino nostro WENCESLAO regi Romanorum, idque scripto confirmaverimus, & sigillo munierimus; contra quod homagium, juramentum, & scriptum nihil nobis licet attentare, nec serenitatem vestram introducere, nisi prius sex septimanis & tribus diebus ante civitatem Aquensem quiete commoremini; atque si interea recte doceamur ab illis qui causam debite cognituri sunt, quod de jure & æquitate simus obligati vos introducere, tunc serenitatem vestram introducemus & faciemus, quod gratiæ vestræ facere tenemur, dummodo quoque serenitas vestra vicissim tunc nobis præstet, quod nobis præstare obligatur: quod etiam serenitati vestræ per amicos nostros ante fecimus significari; quare confidimus fore ut serenitas vestra omne damnum à nobis avertat. Dominus Deus noster vos semper conservet. Scriptæ in vigilia Nativitatis Domini.

Consul, Scabini, & Senatus Regiæ sedis civitatis Aquensis.

XVII.

EPISTOLA ELECTORUM ad Margravium Misniæ & Landgravium Hassiæ.

Qualiter principes electores ad Margravium Misniæ & Landgravium Hassiæ scripserint, ut Domino nostro homagium præstent.

ILlustris princeps dilecte & observande amice, dilectioni vestræ notum facimus, quod serenissimus nobilissimus princeps & dominus D. RUPERTUS rex Romanorum semper Augustus, clementissimus dominus noster ipso sanctorum trium regum die, latine dicto, in Epiphania Domini, novissime præterita, Coloniæ sit coronatus; & quod nos & aliqui nostrorum comprincipum electorum, aliorumque principum eidem clementissimo domino nostro Coloniæ homagium præstiterimus, juxta quod obligamur, ipsique facere tenemur; ac proinde postulamus amicissime & instantissime dilectionem vestram, ut & vos ante dicto clementissimo nostro RUPERTO Romanorum regi omni mora remota homagium præstetis, & confidimus fore ut vobis, nobis, omnibusque qui se illi nobisque obstrinxerint utile sit futurum: cumque alii qui nobiscum non sunt conjuncti, viderint quod illi fideliter adhæreamus, eique ea præstemus quæ Romanorum regi de jure præstare tenemur, eo citius ad ipsum & ad nos se convertent, ut ille & nobis magis corroboremur; unde ante dicto Romanorum regi nobisque omnibus multum utilitatis oriri poterit; nam & vitam & bona, D. nostro Romanorum regi, uti tenemur, indissolubiliter obstringimus; beneque speramus dilectionem vestram illud præstiturum esse juxta amicabilem conventionem qua mutuo ad invicem uniti & constricti sumus. Datum Coloniæ sabbato post Epiphaniam Domini, anno ejusdem millesimo quadringentesimo primo.

F. Archiepiscopus Colonienſis, Westphaliæ dux.

In hac forma & data D. meus Moguntinus quoque scripsit ad supradictos dominos.

XVIII.

NEGOTIATIO CUM MAGNATIBUS & civitatibus Longobardiæ Domino Alberico *de Tanheim* commiſſa.

I. NArrabitis illis primo, quomodo DD. noſtri principes electores regem Bohemiæ, priuſquam à regno fuiſſet depoſitus, multoties requiſiverint ac admonuerint, ut graves ſanctæ eccleſiæ ac ſacro imperio pernicioſos defectus, qui etiam illi fuerant verbo & ſcripto expoſiti, conaretur corrigere & abrogare, in quo etiam ipſi, conſilio & ope libenter adeſſe pro viribus ſuis vellent.

II. Item. Quando nuper rex Bohemiæ erat Francofurti, quod tunc DD. electores ad ipſum miſerint honoratos amicos ſuos, qui iſtos defectus & errores coram expoſuerint, & deſcriptos tradiderint, ipſumque rogaverint, requiſiverint, & monuerint, quatenus laboraret & attenderet, ne ſancta eccleſia, ſacrum imperium, & tota Chriſtianitas tam miſere deſtrueretur, cum hæc omnia præcavere & impedire officii ejus eſſet, ad quod etiam omnibus viribus, conſilio & auxilio aſſiſtere libentiſſime velint.

III. Item. Ad hæc autem nihil reſponſi potuerunt obtinere domini electores, unde colligere poſſent, an ea præſtare voluiſſet quæ ſanctæ eccleſiæ, ſacro imperio, & toti Chriſtianitati neceſſaria eſſent.

IV. Item. Quod poſtea noſtri domini principes electores tam diſpendioſas Francofurti inſtituerint diætas, quod vos utique intellexeritis, ad quas etiam ceteros ſacri imperii principes invitarint, cum quibus ſuper prædictis defectibus mutuo conſultarint; & cum in feſto ſancti Urbani ante Pentecoſten proxime præteritam, in ultima diæta Francofurti ſimul fuiſſent congregati, quod tunc ſcripſerint ad ſupradictum regem Bohemiæ, uti regem Romanorum, eumque requiſiverint, monuerintque prout etiam ante ſæpe monuerant & requiſiverant, ipſimetque præſenti dixerant, ut procuraret & allaboraret, quatenus tales & tanti errores & defectus qui in ſancta eccleſia ſacro imperio, & tota Chriſtianitate irrepſerant, tollerentur, ne ſacrum imperium & univerſa patria adeo miſerabiliter deſtrueretur; atque ut poſtridie ſancti Laurentii ipſis adeſſe velit in oppido *Lanſtein* prope Rhenum, & cum illis deliberaret, qualiter hiſce eſſet occurrendum: quod niſi faceret, tunc illi ad totius patriæ requiſitionem, necnon vi juramenti, quo ſacro imperio forent obſtricti deberent in id incumbere, ut ſacro imperio aliter conſuleretur & provideretur.

V. Item. Quod ſupradicta die poſt feſtum S^ti Laurentii principes electores in *Lanſtein* una cum aliis principibus, magnatibus, & civitatibus ſacri imperii convenerint, manſerintque ſimul ibidem diebus decem, exſpectantes num etiam præfatus rex WENCESLAUS venire vellet, ut hos prædictos defectus tolleret, ſtatueretque ea quæ forent de re ſacri imperii: hiſce omnibus non obſtantibus, non tamen comparuerit, nec ullum ad eos deſtinarit, qui ſuo nomine quidquam proponeret.

VI. Item. Quod principes electores regem Bohemiæ ſuper his prædictis defectibus ſæpe & multum, privatim, ſecreto & benigne, atque his nihil juvantibus coram principibus, magnatibus & civitatibus ſacri imperii in variis conventionibus, quas deſuper diſpendioſe habuerunt, ſerio requiſiverint & reprehenderint; & cum illud etiam fruſtraneum fuiſſet, exinde demum hæc de ipſo ad ſanctam Romanam ſedem detulerint; cum neque hæc omnia curaret, quod principes electores aliud non collegerint, quam quod ipſius ſanctæ eccleſiæ, ac Chriſtianitatis, & præſertim ſacri imperii nullam rationem aut curam habere vellet.

VII. Item. Cum hæc abſque extrema totius Chriſtianitatis ruina diutius nec tolerari, nec videri potuiſſent; ideo, ac propter ſummas negligentias & diſmembrationes, quas imperio intulerat, & ob plura etiam horribilia & inhumana ab eo patrata crimina, toti patriæ nota, principes electores, ſano & maturo deſuper habito conſilio, cum multis aliis ſacri imperii principibus, magnis & potentibus, magnatibus, & cum illorum ſcitu, voluntate & auxilio per legitimam ſententiam ſupradictum regem WENCESLAUM à ſacro Romano imperio, omnique dignitate, honore, ac domino ad illud pertinente depoſuerint.

VIII. Item. Quod principes electores poſt præſtitum coram omni populo ſolemne juramentum, quod poſtea fuit ſcriptis mandatum, unanimi conſenſu rite & ſincere elegerint ſereniſſimum principem & dominum D. RUPERTUM, tunc temporis comitem palatinum Rheni & Bavariæ ducem, meum gratioſiſſimum dominum, ſuum comprincipem electorem, in legitimum & verum Romanorum regem ac futurum imperatorem; atque principes, magnates & civitates ſe juramento devinxerint, quod illi veluti Romanorum regi obedientiam conſilium & auxilium ſint præſtituri: ac finita hac negotiatione, quinam fuerint illi principes, magnates, & civitates, uti illos deſignatos habetis, illis narretis.

IX. Item. Quod dominus noſter rex Romanorum poſtquam ſex ſeptimanis & tribus diebus ante Francofurtum ſubſtitiſſet, eamdem civitatem uti & alias ſacri imperii civitates eques intraverit, & quod Francofurtenſis, aliæque ſacri imperii civitates obedienter ſuſceperint, homagium præſtiterint, illique tamquam Romanorum regi obedientiam & fidelitatem

fidelitatem jurarint, quodque modo ſpectet ad dominum noſtrum regem, ut reliquas civitates ad ſacrum imperium pertinentes requirat & moneat, quatenus ipſum veluti Romanorum regem obſervent, eique morem gerant.

X. Item. Deſuper quod clementiſſimus dominus meus rex Romanorum me miſerit ad vos, mihique mandaverit, ut vobis hæc omnia exponerem, ſimulque vos rogarem & monerem, ut ipſi tamquam Romanorum regi obedientes ſitis, & efficiatis, ut ille cum veſtro & aliorum ad ſacrum imperium ſpectantium auxilio, gravibus illis erroribus & defectibus, qui, proh dolor! longo tempore in ſacroſancta eccleſia, ſacro imperio & tota Chriſtianitate graſſati fuerunt, tanto citius occurrere & reſiſtere cumque divina gratia eoſdem corrigere, & omnia ad meliorem conditionem & ſtatum reducere queat, quemadmodum etiam ipſe credit ſe penitus effecturum.

XI. Item. Dicite illis, quod neceſſarium eſt, quod dominus noſter rex ipſorum libertates & privilegia quæ ab imperio acceperunt, ſicut huc uſque ab aliis regibus quoque factum eſt, ſit confirmaturus, ſe clementem erga illos exhibiturum, illoſque ſit defenſurus, & pro poſſe protecturus, illaque facturus, quæ decent Romanorum regem.

XII. Item. His omnibus ita expoſitis, rogate illos, nomine domini noſtri regis, ut ei benevolum reſponſum per vos reddere velint.

XIII. Item. Atque ſi benignum aliquod ſint daturi reſponſum, tunc loquamini illis, ut ad certum diem ad D. noſtrum regem honorifice & cum poteſtate mittant deputatos ſuos, qui deliberent qualiter domini noſtri regis & ſacri imperii negotia pro majori utilitate tractari, ac ad optatum finem cito deduci poſſint.

XIV. Item. Si vero deputatos ſuos ad D. noſtrum regem extra Italiam ablegare nolint, tractate tunc cum ipſis ut dieta conſtituatur Venetiis, Bononiæ, vel alibi intra Longobardiam, modo domino Paduano commodum videatur; mittetque ibidem dominus meus rex conſiliarios ſuos, ubi & ſuos quoque deputatos mittere poſſint, qui & negotiorum curam gerant, & deliberationibus, uti præſcriptum eſt, intereſſe queant.

XIX.

NEGOTIATIO CUM DOMINIS AUSTRIACIS in dieta apud ſanctum Vitum.

CLementiſſimus dominus noſter rex in conſilio ſuo ſtatuit mittere quoſdam conſiliarios ſuos, ad dominos Auſtriacos die dominica ante feſtum Dominæ noſtræ, latine Purificationis dictum, proxime venturum verſus ſanctum Vitum.

I. Tractandum eſt ratione nuptiarum, & num poſtulaturi ſint, ut D. noſter rex propterea Sueviæ præfecturam pro quadraginta millibus florenorum illis oppignorare debeat.

II. Item. Deſuper D. noſtri regis conſiliarii reſpondebunt, quod filiæ ſuæ libenter daturus ſit quadraginta millia florenorum, & duci Auſtriaco filiam ſuam ducturo Sueviæ præfecturam pignoris loco; ſub hac tamen conditione, quod ex prædicta præfectura, tria aut ad ſummum quatuor florenorum millia annuatim accepturus ſit, atque prædictam præfecturam tamdiu poſſeſſurus dum ei ſolvantur quadraginta florenorum millia; quod ſupererit vero de præfatæ præfecturæ proventibus, ad dominum meum regem ſpectare eique ſolvi debeant.

III. Item. Ut principes electores, qui domino noſtro adhærent, id ſcripto confirmare debeant.

IV. Item. Recordandum ut filiæ domini mei regis pro dote ſua aſſignentur caſtra *Rottenburg* & *Harvve*, cum comitatu Homburgenſi, ſunt enim D. meo regi ejuſque ditionibus opportuna.

V. It. Tractandum, quod caſu quo civitates imperiales Sueviæ, quæcumque demum ſint, D. noſtro regi nollent obedire, ut tunc duces Auſtriæ D. meo regi ad illos ſubjugandos fidelem operam præſtent, quatenus præſcripto modo præfecturæ poſſeſſionem accipere poſſit.

VI. It. Si forte ratione præfecturæ convenire nequeant, proponendum tunc erit, quod dominus noſter rex proprias ſuas arces *Wiltperg*, *Bulach* & *Verherbach* cum ſuis appertinentiis D. Auſtriaco poſſidendas traditurus ſit, pro quadraginta millibus florenorum cauſa nuptiarum, ſub pacto tamen relevationis.

VII. It. Si forte poſtulent ratione auxilii D. noſtro regi præſtandi, putentque ſe ideo juvandos, ut hereditas illa, quæ per mortem domini Mediolanenſis duci Leopoldo ejuſque fratribus obvenit, ipſis concedatur, adque ejus poſſeſſionem capiendam juventur, ſimiliter quoque Berna & Padua feuda ſua, quæ vigore litterarum ſuarum ab imperio ſe habere prætendant, ipſis relinquantur.

VIII. It. Ad hæc reſpondendum quod D. meus rex libenter illis ſit quædam allodia conceſſurus ex relictis a domino Mediolanenſi bonæ memoriæ, & quæ ad imperium non pertinent: quantum vero ad Bernam & Paduam, quod nullatenus abalienare poſſit abſque principum electorum conſenſu & permiſſione; & ſi etiam illi hoc permitterent, quod tamen id facere dedeceret dominum noſtrum, ut pote cujus partes ſunt imperium augere: quod omni meliori modo illis poteſt exponi & narrari, & quod D. noſter de illis talem habeat opinionem & fiduciam, ut putet, quod ipſi quoque non ſuadebunt ei, ut quidquam moliretur, quod

ſibi probrum foret.

IX. Item. Si per hoc reſponſum illis nondum ſit ſatisfactum, ut tunc conveniatur ſuper pecuniæ ſumma, pro qua una, duæ, vel tres arces ex his, quas in Longobardia dominus meus expugnavit, oppignorari poſſent, cum pacto redimendi.

X. Item. Si prætendant ſibi à Domino noſtro auxilium præſtari contra Helvetos; tunc reſpondendum erit, quod, cum pro auxilio D. noſtro regi præſtando de certa pecuniæ ſumma, aut condigno pignore quod tum D. meo regi concedendum ſit pro prædicto adjutorio contra Helvetos.

XI. Item. Si quantum ad auxilium præſtandum convenire nequeant, tunc tractetur de matrimonio abſque tali auxilio incundo modo præſcripto; ita tamen ut D. noſtro regi omnes Auſtriacorum viæ, montium fauces, urbes & arces quas vel in Germania vel Italia habent, pateant, ut per eas libere tranſire poſſint, ipſiſque ibidem victus ſubminiſtretur pro ſua pecunia ac pretio currente, idque abſque dolo.

XII. Item. Ut dominum noſtrum regem pro Romanorum rege agnoſcant, eique homagium præſtent.

XIII. Item. Memor ſit, cum conſiliariis colloqui, quatenus poſſit D. meo regi ſcribere, an iſta negotia felicem ſint habitura ſucceſſum.

XIV. Item. Caſu quo illa non ſuccederent juxta mentem domini noſtri, uti ſcriptum eſt, quod conſiliarii nihilominus tractatum non abrumpant: ſed dicant, ſe velle omnia deferre ad dominum noſtrum, aliumque deſignare diem.

XV. Item. Nota quod ſi domini Auſtriaci velint D. meo regi auxilium præſtare contra regem Bohemiæ, Mediolanenſem, alioſque qui ei in imperio reſiſtunt, utque D. meus viciſſim illis auxilium ferat contra Helvetos: hoc ratum habeant conſiliarii regis; non tamen pro tali auxilio pecuniam dabit dominus meus.

XX.

EPISTOLA RUPERTI REGIS ROMANORUM ad electores alioſque principes.

Qualiter Dominus meus principibus electoribus aliiſque principibus, comitibus & civitatibus ſcripſerit ratione Aquenſium.

RUPERTUS &c. reverende dilecte princeps & fidelis, novit dilectio tua, uti tibi etiam ſcripſimus, quod nos & noſtri principes electores, poſtquam in regem Romanorum electi fuimus, Aquenſes multoties per legatos noſtros, & litteras requiſiverimus & poſtulaverimus, ut nobis tamquam Romanorum regi obedirent, noſque in noſtram & imperii civitatem Aquenſem, pro regia noſtra corona ibidem ſuſcipienda introducere vellent: ad ejuſmodi obedientiam ſe ſubmittere noluerunt, nobiſque ſibi, & principibus electoribus noſtris, ac ſacro imperio temerarie ac proterve facti ſunt rebelles, quemadmodum notorium ac manifeſtum eſt: unde ſufficienter colligere & animadvertere licet, quod conentur ſe à ſacro imperio ſubtrahere; ac proinde prædictis civibus Aquenſibus, mercatoribus, eorumque bonis & mercibus nullum in cunctis noſtris & imperii terris ac dominiis conſtituimus ſecurum dare commeatum in illis, ſive per illa proficiſcendi, per eadem vehendi aut ducendi: ſed illos, illorumque bona, ſive panni ſint vel alia, ubicumque illa inveniuntur, ſive ſeparatim, ſive aliis bonis mixta, unâ cum bonis, quibus mixta erunt, arreſtari & deteneri.

Hinc petimus & rogamus amice, inſtanter, & ſerio dilectionem tuam, ut tuis officialibus, thelonariis, & ſubditis in terris & dominio tuo mandes, ut civibus Aquenſibus, illorumque mercatoribus, eorumque mercibus, nominatim pannis, aut aliis eorumdem bonis nullus præbeatur commeatus; atque ut tui nihil ab illis emant, nullum cum eis habeant commercium, nihilque importari, aut per vias tuas tranſire juvent; quod de dilectione tua, ſicut & omne bonum, credimus & confidimus. Datum Norimbergæ ſabbato ante ſanctum Valentinum epiſcopum. Anno Domini 1401 regni vero noſtri anno primo.

Hoc ſuprascripto modo mutatis mutandis ſcriptum eſt tribus principibus electoribus eccleſiaſticis. Item duci Hollandiæ, comiti Friſiæ Orientalis, epiſcopo Leodienſi, ducis Montenſis filio, comiti Cliviæ, & epiſcopo Argentoratenſi. Item etiam civitatibus Colonienſi, Moguntinenſi, Francofurtenſi, Wormatienſi, Spirenſi & Argentinenſi.

Similiter etiam rex ſuis officialibus & thelonariis mandavit, ut Aquenſium bona, ſicut ſuprascriptum, arreſtarent.

XXI.

SENTENTIA PROLATA INTER EPISCOPUM Bambergenſem, & Conradum mareſchallum de *Pappenheim* ejuſque filium Arnoldum à *Sechendorff*.

NOS RUPERTUS Dei gratia rex Romanorum ſemper Auguſtus pronunciavimus hac die Martis, feſto ſancti Petri latine Cathedra dicto, hîc Norimbergæ inter reverendum ALBERICUM epiſcopum Bambergenſem dilectum affinem noſtrum & principem, ejus civitates, ſuoſque ex una, nec non CONRADUM mareſchallum de *Pappenheim*, ejuſque filium Arnoldum a *Sechendorff*, JOHANNEM & FRIDERICUM de

MEIENTHAL fratres, & JOHANNEM STERPERGER ex altera partibus, tenoris ſequentis. Primo ut quantum ad omnia quæ inter illos ex utraque parte uſque in hodiernum præfatum diem geſta ſunt, plene terminata & compoſita ſint, bonique fiant amici, acquieſcentes ſententiæ quam inter illos laturi ſunt illuſtres JOHANNES & FRIDERICUS burgravii Norimbergenſes dilecti noſtri affines & principes, quibus commiſimus, ut cauſam ex utraque parte examinent, & prout juris decidant, quodque deciſum fuerit, id utraque pars ratum habeat, & ita obſervetur; atque mox hinc inde omnes exactiones pro avertendis incendiis, aliaſque etiam exactiones quæ nondum ſunt ſolutæ, mutuo ſibi remittant, ſicut & omnes captivos abſolvant: deſuperque ſigillatas dent litteras illis, qui ſibi propterea obſtricti erant. Datum & actum Norimbergæ die qua ſupra anno Domini 1401. regni vero noſtri anno primo.

XXII.

EPISTOLA RUPERTI REGIS ROMANORUM Sereniſſimæ principiſſæ dominæ Elizabethæ reginæ Galliæ, dilectæ noſtræ amitæ.

Mittit ad eam, Albericum parochum ad Sanctum Sebaldum Norimbergæ, cui fidem in dicendis adhiberi rogat.

RUPERTUS Dei gratia rex Romanorum ſemper Auguſtus ſereniſſimæ principiſſæ dominæ ELIZABETHAE per eamdem gratiam reginæ Galliæ, noſtræ dilectæ amitæ noſtram amicitiam, & quidquid boni valemus.

Notum facimus dilectioni veſtræ quod gratia omnipotentis Dei, nos, dilecta noſtra conjux, liberique noſtri bene valeant; idem quoque de dilectione veſtra ac omnibus veſtris intelligere numquam non deſideramus. Mittimus ad dilectionem veſtram magiſtrum ALBERICUM parochum ad ſanctum Sebaldum Norimbergæ, præſentem ſecretarium noſtrum & dilectum devotum, qui quædam, nos, ſacrum imperium, & communem domum Bavaricam concernentia dilectioni veſtræ proponet; eſtque de noſtra mente plene inſtructus. quamobrem dilectionem veſtram amice, inſtanterque rogamus, ut dicto magiſtro Alberico ſecretario noſtro fidem habeatis in eis quæ eidem dilectioni veſtræ, noſtri cauſa, eſt dicturus; eique tantum exhibeatis favoris & amicitiæ, quantum de innato veſtro amore & amicitia confidimus; quam Deus omnipotens conſervet in felici augmento ſalutis & ſanitatis animæ & corporis. Datum Norimbergæ undecimo die Maii anno Domini 1401. regni vero noſtri anno primo.

Ad mandatum domini regis
Nicolaus *Bumam*.

XXIII.

EPISTOLA RUPERTI REGIS ROMANORUM Dilecto noſtro, devoto & fideli magiſtro Alberto parocho ad ſanctum Sebaldum Norimbergæ.

Ut opera reginæ Galliæ inducatur comes Sabaudiæ ad præſtandum hominium, liberumque ei ad Italiam tranſeunti tranſitum dandum, &c.

RUPERTUS &c. dilecte, devote, & fidelis. Hodie venerunt ad nos, dilecti noſtri fideles Berchtoldus de *Croffsberg* eques, & magiſter Job *Vener*, quos tamquam legatos miſeramus ad comitem Sabaudiæ, ut cum ipſo negotiarentur, quatenus nobis obedientiam præſtaret & homagium uti regi Romanorum, atque in noſtris & ſacri imperii negotiis conſtanter conſilio & auxilio adeſſe vellet. Ille vero noſtris dictis legatis reſpondit, quod in animo haberet proficiſci in Galliam, atque ibidem cum ſuo proavo duce Bituricenſi, & ſocero ſuo duce Burgundiæ deliberare ſuper dicto negotio. Cum credamus quod antedictum comitem Sabaudiæ Pariſiis ſitis reperturi, hinc vobis ſerio mandamus, ut inter illa quæ vobis commiſimus, cum regina Galliæ tractetis, illique nomine noſtro exponatis præfatum reſponſum comitis Sabaudiæ, & agatis cum illa enixeque illam rogetis ex parte noſtra, quatenus duci Bituricenſi; ducique Burgundiæ ante memoratis loquatur, illoſque ſedulo precetur, ut cum comite Sabaudiæ tractent, illumque inſtanter rogare, eique perſuadere velint, ut nobis homagium præſtet veluti Romanorum regi, atque de aperiendo nobis vias & tranſitus in terris ſuis verſus Longobardiam, ut poſſimus per illos tranſire, nec non de ſubminiſtrando nobis populoque noſtro victum ſumptibus noſtris: & rogate reginam Galliarum quatenus efficiat, ut hi dicti ambo duces rem apud comitem Sabaudiæ eo deducant, ut optatum ſortiatur exitum, atque ut illa deſuper finale urgeat reſponſum, illudque nobis per vos communicet: atque admonete illum ſæpius, ut inſtanter negotium promoveant: quod ſi inde nobis venerit favorabile reſponſum, id magnam nobis pariet utilitatem: ſi autem comes Sabaudiæ plenum non daret reſponſum, tunc dicite reginæ, ut ergo efficiat, quatenus comes propter dictam cauſam legatos ſuos mittat cum reginæ, & prædictorum ducum legatis ad diætam Metenſem, uti in prima inſtructione ſua habet, modo illi viſum fuerit legatos ſuos eo deſtinare: & de omni hac re alteri non loquamini quam reginæ, aut cui illa duxerit eſſe loquendum; atque ſi regina vos interrogaret, quare propter matrimonium prolis noſtræ non conjunxerimus cum rege Angliæ; ad hoc reſpondebitis, quod propterea

ſæpius interpellaverimus & requiſiverimus regem Galliæ, & malluiſſemus proli noſtræ, ex regio Galliæ ſanguine conjugem accipere, quam ex quocumque alio, uti ipſamet optime novit; ſed quod nobis a quibuſdam regis Galliæ conſiliariis id negatum fuerit, neque adhuc vobis conſtet de ſucceſſu matrimonii in Anglia: & licet ſuccederet, non tamen propterea libenter aliquid contra Galliæ regem & ipſam acturi ſimus, verum illa potius quæ ipſis placita ſunt & accepta. Datum Norimbergæ ſabbato ante Dominicam *Vocem jucunditatis* (a) anno milleſimo quadringenteſimo primo, regni vero noſtri anno primo.

Ad mandatum domini regis
Nicolaus *Buman.*

XXIV.

NEGOTIATIO CUM HELVETIS.

PRimo exponito illis qualiter noſtri DD. principes electores jampridem & *reliqua omnia prout continentur in negotiatione ad DD. Longobardos uſque ad decimum articulum.*

II. Item. Poſtea dicito quod clementiſſimus dominus noſter rex Romanorum nos ad vos ablegaverit, & juſſerit hæc omnia vobis exponere, ſimulque vos rogare & monere, ut illi obedientiam præſtetis tamquam regi Romanorum, illique amicitiam & benevolentiam exhibeatis. Pertinetis enim ad imperium, cui obedientiam & fidelitatem ſemper præſtitiſtis, quatenus veſtro & aliorum ad ſacrum imperium ſpectantium auxilio, tot & tantis erroribus ac defectibus, qui, proh dolor! in ſancta eccleſia, ſacro imperio, & univerſa Chriſtianitate longo tempore extiterunt, tanto melius obviari poſſit & provideri, illique divina mediante gratia corrigi, & ad meliorem ſtatum reduci queant, prout ipſe etiam ſe facturum penitus confidit.

III. Item. Dicito illis quod dominus noſter rex illorum libertates, jura, privilegia & diplomata, quæ a ſacro imperio habent, velit confirmare: ſeque illis benevolum monſtrare, illos tueri, protegere, & in juribus ſuis manutenere contra quoſcumque, prout convenit: ſpecialiter vero contra illos à quibus forte ob talem obedientiam præſtitam invadi poſſent, prout etiam officii ſui eſt, quódque ita ſe erga illos ſit exhibiturus, ut ei gratias ſint acturi.

IV. Item. Hiſce omnibus modo prædicto narratis, dicito quod dominus noſter rex petat ſibi per vos benevolum dari reſponſum.

V. Item. Si quid benevoli reſponderint, ex quo poſſitis intelligere, quod domini noſtri regis partes amplecti, eique adhærere velint: Tunc dicito: chariſſimi amici cum adeo benevole reſpondeatis, ſcitote, quod dominus noſter rex ad id unice tendat, ut ſanctam eccleſiam, ſacrum imperium & totam Chriſtianitatem veſtro & aliorum ad imperium ſpectantium auxilio ad meliorem formam ac ſtatum intra breve tempus reformaturus ſit; & ſi contingeret quod propterea montes tranſire neceſſe foret, tunc illi velitis vias veſtras publicas & tranſitus Longobardiam verſus ad tranſeundum aperire, victumque ei ſuppeditare pro juſto pretio.

V. Item. Si ad hoc reſponderent & propterea forte aliquid à domino noſtro rege poſtulent & exigant, aut conſilium deſuper capere velint: tunc cum illis tractetis, ut ſuper omnibus ſupraſcriptis, & ratione viarum ac victus deliberent, deputatoſque ſuos cum plena potentia mittant verſus Argentoratum aut Baſileam; quod dominus noſter rex quoque legatos ſuos cum ſimili plenaria poteſtate illuc ſit miſſurus, quatenus dictæ res omnes ad optatum finem deducantur penituſque terminentur. De die convenite nunc inter vos, qui quo citius ſtatuetur, eo utilius & commodius id erit domino noſtro regi: qui tamen ita ponatur, ut nos prius de hac re certiores reddere poſſitis, noſque legatos noſtros viciſſim ad determinatum diem mittere poſſimus.

XXV.

NEGOTIATIO CUM COMITE ALBERTO de Monte-ſancto.

PRimo ei tradas credentiales domini noſtri regis, dicaſque: clementiſſimus dominus meus rex me ad vos miſit tamquam ad unum ex ſpecialibus ſuis amicis, in quo propter antiquam conſuetudinem & amicitiam ſingularem ſemper habuit & adhuc habet fiduciam, mihique mandavit, ut vobis exponerem & narrarem quædam, quæ ipſum & ſacrum imperium tangunt.

II. Item. Quod libenter ſibi vellet concedi viam per quam cum exercitu ſuo haud modico poſſet tranſire verſus Longobardiam, & ut ibidem ei ſubminiſtretur victus pro currente pretio.

III. Item. Propterea dominus meus rex duos legatos ſuos, nempe dominum Theodorum à *Loenygen* commendatarium equeſtris Teutonici ordinis de *Wißenburg*, & Volmarum à *Wichersheim* ſuum prætorem in Hagenaic nomine ſuo verſus Tigurum, Lucernam, Solodurum, necnon ad conjuratos Helvetios vallium *Suitz* & *Undervvald*, alioſque ad illos ſpectantes populos, cum ſuis litteris credentialibus, juxta quas negotiari juſſit, & quarum copiam penes me habeo, in qua contenta videre poterit.

IV. Item. Poſtquam vero ille negotiationem

(a) Id eſt ante dominicam quintam poſt Paſcha, qua miſſæ introitus incipit *Vocem jucunditatis.*

nem iſtam audiverit, dicite illi: chariſſime domine, dominus meus rex quemadmodum modo ex hac negotiatione percepiſtis vos rogat, ut ex parte ſua eatis ad prædictos conjuratos, cauſam iſtam illis quoque exponatis, prout id vobis magis congruum & opportunum videbitur, illoſque ſerio rogetis, quammaxime poteſtis, ut domino meo regi præſtent obedientiam, eique faciant ea, quæ Romano regi de jure facere tenentur, & præſertim illi vias & tranſitus ſuos verſus Longobardiam aperiant, per quos iter ſuum proſequi poſſit, atque ut ei militibuſque victum pro pretio ordinario ſubminiſtrent, ac conſilio & ope adſint.

V. Item. Quod dominus meus illis ſit confirmaturus omnes gratias, libertates, privilegia, & diplomata quæ acceperunt à Romanis imperatoribus & regibus glorioſæ memoriæ, illoſque tuiturus, protecturus, & manutenturus in juribus ſuis contra quoſcumque, ita ut ei gratias ſint acturi. Et petite deſuper benevolum reſponſum.

VI. Item. Si vellent ſe in hoc negotio benevolos exhibere; & forte à domino meo rege propterea plus aliquid poſtulaturi ſint, conemini indagare in quo proprie illud conſiſtat; rem denique cum omni poſſibili diligentia diſcutite, & ſi juxta veſtram prudentiam, veſtrumque propriùm judicium credatis tale quid eſſe, quod dominus meus facere poſſit, dicito illis: In hoc negotio vos potius ſequantur quam alium: prius tamen domino meo iſta annuntiabitis.

VII Item. Si in cauſa hac nullum cum ipſis finem habere poſſitis, tunc ordinate diætam, quanto citius fieri poſſit, & in quo loco id vobis & illis magis placuerit; atque ut illi illuc mittant deputatos ſuos cum plena potentia ad negotium hoc terminandum & concludendum, quod viciſſim dominus meus rex legatos ſuos cum ſimili plena poteſtate illuc ſit miſſurus: adeſtote quoque ipſimet in illa diæta & juvate ad felicem cauſæ finem obtinendum.

VIII. Item. Dominus meus rex vos rogari ac vobis dici juſſit, ut in hoc negotio ſerio vos impendatis, illudque fideliter tractetis, ut brevi ad bonum finem & exitum perducatur; & quod hujus beneficii ſemper memor ſit futurus, ac ita compenſaturus, ut gratias illi ſitis acturi.

IX. Item. Dicas comiti Alberto, ſi petat ut tu cum illo proficiſcaris, dictiſque negotiationibus nomine noſtro interſis, te hoc libenter facturum.

XXVI.

NEGOTIATIO CUM DUCE JOHANNE Electo Leodienſi.

PRimo dicas illi, cum pater ejus dux ALBERTUS ejuſque frater comes de *Oſter-*

vant, & ipſemet clericos ſuos ad dominum noſtrum Romanorum regem miſerit, ut illi exponerent quædam Gallorum facta, ab illo hæc optime fuiſſe intellecta, atque immenſas propterea illis agat gratias de illorum zelo & fidelitate, quam in illo & aliis negotiis adeo benevole demonſtrant. Et cum petiiſſent ut dominus noſter rex Romanorum ſecretam ſuam legationem mitteret ad Galliæ Reginam, te electum eſſe ut eo proficiſcaris, & cum illa negotieris juxta ſignatam vobis traditam inſtructionem, in qua quid agendum ſit videre poterit. Deinde vobis commiſſum eſt, ut ex parte domini noſtri Romanorum regis cum quibuſdam Galliæ regis conſiliariis tractetis de diæta inſtituenda Metis, die ſancti Johannis-Baptiſtæ proxime ventura, prout ex eadem quoque inſtructione percipietis.

II. Item. Præterea, quod dominus Leodienſis domino noſtro Romanorum regi ſcripſerit ratione negotii quod habet cum civitate & patria Leodienſi, circa hoc dicatis illi, quod dominus noſter Romanorum rex ſummas illi gratias referat de ejus tanta fidelitate & amicitia, quam in hoc aliiſque negotiis tam promte & ſollicite erga illum exhibet, quod illius ſemper memor ſit futurus, vitamque & bona pro eo expoſiturus.

III. Item. Et quantum ad duo illa florenorum Rhenanorum millia, quæ per litteras cambiales dominus noſter rex Romanorum Coloniam remittere debet, ipſum ordinaturum eſſe, ut in proximis feſtivis diebus Penteceſtes illa ibidem deponantur, & quod tunc domino Leodienſi ſignificabit, apud quem ibidem illa ſit reperturus: atque ut interim negotium cum civitate & patria Leodienſi ſedulo promoveat & ad finem perducat, etiamſi de dicta pecunia nihil ipſi ſignificaretur, prout ante dictum eſt.

IV. Item. Dicito quoque domino Leodienſi, ut procuret quatenus inſtrumentum quod civitas & patria Leodienſis domino noſtro regi Romanorum datura eſt, in bona forma, per quam domino noſtro regi bene ſit proviſum, concipiatur; utque etiam à Leodienſi conſervetur, & quando pecuniæ fuerint Coloniæ exſolutæ, ut tunc Leodienſis domino noſtro regi inſtrumentum tradat, de quo penitus illi confidit.

V. Item. Dicito illi, quod ſi domini noſtri regis res ita ſuccederent, ut brevi poſſet tranſeundo montes proficiſci verſus Longobardiam & Romam, ad quod iter faciendum eſt promtiſſimus, tunc petit dominus noſter rex Romanorum, rogatque quantum poteſt amiciſſime, ut ipſe in propria perſona cum centum commilitonibus ipſum ſequi velit, , foretque domino noſtro regi ſingulare ſolatium & gaudium, ſi ipſe cum ſuis conſanguineis, affinibus & amicis in hiſce

ſuis negotiis ipſi adeſſet, ut illa eorum conſilio & ope dirigere poſſit.

VI. Item. Quod dominus noſter rex ipſi populoque ſuo quem ſecum ducturus eſſet, omnia illa facturus ſit, quæ aliis amicis præſtare intendit.

VII. Item. Quod demum dominus noſter rex Romanorum ipſum certiorem redditurus ſit, quando tempus erit ſe ad hoc præparandi.

XXVII.

EPISTOLA RUPERTI ROMANORUM REGIS illuſtri Ludovico duci Bavariæ & comiti Palatino Rheni, dilecto noſtro nepoti & principi.

Ut nomine ſuo tractaturus cum duce Auſtriaco, ad eum verſus Hallam proficiſcatur.

RUPERTUS Dei gratia, &c.

Illuſtris dilecte nepos & princeps, ex litteris tuis quas ad nos ſcripſiſti, atque etiam ex epiſtolis LEOPOLDI ducis Auſtriæ, & CONRADI de FRIBURG & SIGISMUNDI mareſchalli tibi miſſis, quas nobis exhibuiſti, omnia optime intelleximus: petimus proinde, teque rogamus amice, & inſtanter requirimus, ut ad prædictum noſtrum avunculum de Auſtria quam primum verſus Hallam proficiſcaris, nominequeque noſtro cum illo agas & negotieris, quam poteris optime, quemadmodum id ſpecialiter & penitus de te confidimus; & ſi forte ſtatim negotiatio iſta difficilis appareat, juxta hujus incluſi memorialis tenorem, in illa te gerere & dirigere poteris juxtà quod tibi hiſce tranſmittimus; & caſu quo cum duce Auſtriæ ex parte noſtra convenire non poſſes, allabora & tenta, an poſſis invenire modum, quo nos cum Auſtriaco in aliqua commoda civitate convenire poſſimus, & quanto id citius fieri poſſit, tanto nobis gratius foret: ſi autem non obſtante omni tua adhibita induſtria hoc fieri nequeat, dicito illi, quod velis hoc ad nos perferre, & alium diem ſtatuere; proinde, cognate dilectiſſime, dilectionem tuam amiciſſime & enixiſſime rogamus & petimus, ut omnem tibi poſſibilem in hoc noſtro negotio impendas operam, prout id de tua dilectione particulariter & plene confidimus: in quo nobis tam gratum amoris ſignum, & amicitiam exhibebitis, quod ejus æterna & indelebilis ſit futura apud nos memoria, uti juſtum & æquum eſt. Datum Norimbergæ feria ſecunda poſt Dominicam dictam *Vocem jucunditatis*, anno Domini milleſimo quadringenteſimo primo, regni vero noſtri anno primo.

Etiam dilecte nepos, nepotem noſtrum ducem STEPHANUM, patrem tuum libenter apud nos retinebimus, uti nobis ſcripſiſti & petiviſti, ſi quocumque modo poterimus.

Ad mandatum domini regis
Johannes *Winheim.*

XXVIII.

MEMORIALE AD NEGOTIANDUM cum DD. Auſtriacis.

Dilecte nepos, ſi avunculus noſter dux LEOPOLDUS Auſtriæ tecum loquatur circa puncta illa quæ tibi miniſter tuus Sigiſmundus mareſchallus perſcripſit, ipſeque ab epiſcopo Auguſtano cognovit; primo, quod nos filiam noſtram ejuſdem fratri duci FRIDERICO eſſemus nuptui collocaturi, illique aſſignaturi dotem ratione nuptiarum, pro qua oppignoraturi eſſemus civitates *Hagenavv*, *Colmar*, & *Schleſtat*, & *Mulhauſen* uti conventum fuit; & libenter quidem duci Friderico Auſtriæ daturi ſumus filiam noſtram cum ſufficienti pecuniarum ſubſidio, videlicet quadraginta millium florenorum, & credimus id à parte noſtra ſufficere, pro qua illis oppignoraturi ſumus Sueviæ præfecturam, ita ut ex illa quotannis accipiat tria vel quatuor florenorum millia; & licet pro ſecuritate dotis illi oppignoraremus civitates *Hagenavv*, *Colmar*, *Schleſtat*, & *Mulhauſen*, certi tamen ſumus civitates iſtas ſe pignoris loco poni minime paſſuras, neque deſuper domino noſtro regi principes electores conſenſum aut placitum ſuum umquam daturos.

II. Item. Quod Auſtriaci filiæ noſtræ ratione dotis aſſignabunt *Rottenburg Horwve*, nec non comitatum Hombergenſem: hæ enim arces nobis noſtriſque terris convenienter adjacent.

III Item Si poſtulaverit, ut illi præfecturæ Sueviæ & Alſatiæ oppignorentur pro illa pecuniæ ſumma pro qua eædem præfecturæ ejus quondam progenitoribus oppignoratæ fuerunt: dilecte nepos reſpondendum, quod DD. Auſtriaci tali inſtrumento & oppignoratione prædictæ præfecturæ hactenus non ſint uſi, nec illam umquam poſſederint; deinde nobis quoque admodum grave foret hoc tempore, tam cito imperii bona oppignorare & transferre: nam firmiter ſtatuimus quod à noſtro avunculo Auſtriaco nec vita nec bona umquam nos elongabunt aut ſeparabunt, ſed quidquid nobis Deus largiturus eſt, cum ipſo ſemper amice & fideliter partituri ſimus.

IV. Item. Si petiturus ſit ut eum juvemus contra Helvetos, hoc libenter faciemus: ita tamen, ut ille viciſſim nos contra magnates & civitates quæ nobis obedire nolunt adjuvet.

V. Item. Si res noſtræ ita ſuccederent, ut verſus Longobardiam tendere poſſimus, ut tunc avunculus noſter dux LEOPOL-

dus etiam nobis aperiat ſuas montium fauces & arces, nobiſque & noſtris ſubminiſtrari curet victum pro juſta currente pecunia. Quapropter ſperamus, nos conſilio tuo cum ipſo concordiam inituros; ſin autem ille aliter ſentiret, tu operam tuam in hoc impende, ut tandem inter nos conveniamus.

XXIX.

NEGOTIATIO CUM REGINA GALLIARUM.

I. PRimo, reginæ Galliarum credentiales litteras domini noſtri regis Romanorum tradatis, & poſtea ſecreto dicatis ei, quæ hic ſequuntur. Clementiſſima domina, illuſtres principes dux ALBERTUS Hollandiæ, ejuſdemque filius comes de *Oſtervant*, nec non electus Leodienſis, clementiſſimo domino meo regi Romanorum nunciarunt, quod poſtquam filius veſter primogenitus Delphinus, divina ita diſponente voluntate ex hoc mundo tranſiiſſet, dux Aurelianenſis à rege Galliarum petiiſſet & obtinuiſſet, ipſique promiſſum eſſet, quod Delphinus nunc filiorum tuorum natu maximus, in uxorem ducturus eſſet primam filiam, quam idem dux ex conjuge ſua, quæ modo gravida eſt, habiturus ſit.

II. Item. Proinde clementiſſimus dominus meus rex Romanorum me ad veſtram ſerenitatem ablegavit, mihique in mandatis dedit vobis in ſecreto dicere, ſe non poſſe ex ſupradicto negotio aliud colligere, quam quod dux Aurelianenſis hæc propoſuerit, ad debilitandam & imminuendam domum Bavaricam, cui contrarius eſt, in quantum poteſt, quod & ſerenitas veſtra optime novit.

III. Item. Propterea clementiſſimus dominus meus rex Romanorum rogat ſerenitatem veſtram, quatenus dignetur omnibus viribus inſtare apud regem Franciæ, ut talem, uti dictum eſt, matrimonii declarationem annihilet, penituſque revocet; nam dominus meus rex Romanorum etiam credit, quod ſupra memoratum matrimonium inhoneſtum ſit ex tribus potiſſimum cauſis.

IV. Item. Prima cauſa eſt quod promiſſio de matrimonio ineundo facta ſit à parentibus de una prole necdum nata, nec forte umquam naſcitura. Secunda cauſa eſt, quod Delphinus & ducis Aurelianenſis filia, poſito quod uxor ejus unam pareret, duorum ſorent fratrum liberi, qui merito matrimonio jungi non deberent, quamvis papæ accederet conſenſus. Tertia cauſa eſt, quod dux Aurelianenſis Delphinum è fonte baptiſmali levavit, atque ita Delphinus & ducis Aurelianenſis filia cognationem mutuam ſpiritualem in primo gradu contraxerint.

V. Item. Dominus meus rex Romanorum judicat, quòd ſi Delphino filio veſtro uxorem dare velitis, quæ ſit de regio Franciæ ſanguine, melius ſoret præferre filiam filii ducis Burgundiæ, filiæ ducis Aurelianenſis, inde enim magis roboraretur domus Bavarica.

VI. Item. Dominus meus rex Romanorum juſſit vobis dici, quod dominus meus dux STEPHANUS, ex parte ſerenitatis veſtræ cum illo tractaverit, ut caſu quo dominus meus rex vellet Mediolanenſem aggredi, propter imperii bona quæ retinet, quod tunc ſerenitas veſtra, dux Burgundiæ, dux Bituricenſis & Armag. ſint ſe cum ipſo conjuncturi contra dominum Mediolanenſem, ſimulque invaſuri, auxilioque contra ipſum futuri.

VII. Item. Deſuper dominus meus clementiſſimus rex Romanorum juſſit vobis dici, quod tale fœdus cum veſtra ſerenitate & dictis dominis contra dominum Mediolanenſem contentus ſit inire, rogarque ſerenitatem veſtram, ut cum memoratis dominis ordinet, quomodo & qualiter fœdus illud eſſe debeat, atque ut inſtituatur diæta Metis feſto ſancti Joannis-Baptiſtæ proxime venturi, ad quam utræque partes legatos ſuos mittant ad cauſam terminandam & concludendam.

VIII. Item. Si ſerenitati veſtræ videatur expedire, ut hunc articulum ex parte domini mei regis ipſemet exponam duci Burgundiæ, ut illud juxta conſilium veſtrum facerem mandavit dominus, cum etiam ad ipſum credentiales habeam.

IX. Item. Dicito reginæ, quod dominus noſter rex Romanorum vobis commiſerit quædam tractare cum aliquibus conſiliariis regis Franciæ, ratione diætæ Metis inſtituendæ feſto proximo ſancti Johannis-Baptiſtæ, ob negotia ſanctæ eccleſiæ, & rogate illam nomine domini noſtri regis, quatenus ordinet quoſdam conſiliarios regis Galliæ qui ei videbuntur ad hoc idonei, ut vos velint in eadem cauſa audire.

X. Item. Iiſdem conſiliariis referatis ex parte domini noſtri regis uti poſtea ſequitur: chariſſimi domini, clementiſſimo domino meo Romanorum regi nuntiatum eſt, quod dominus rex Galliæ omnino perſuaſum haberet, voluiſſe dominum meum ante diætam Metenſem legationem ſuam in Galliam mittere, prout pridem dominus meus rex Romanorum ſcripſiſſe fertur.

XI. Item. Ad hoc clementiſſimus dominus meus rex Romanorum per me vobis juſſit dici, quod ex integro ea adimpleviſſet, quæ regi Galliæ ſignificaverat. Nam quando epiſcopus atque ejuſdem legati domino meo Romanorum regi aderant Moguntiæ, quod tunc dixerit illis, ſe ad illa quæ ex parte regis Galliæ proponerent, pro tunc non poſſe reſpondere, eo quod vellet in feſto ſanctorum trium regum Epiphaniæ Do-

mini latine dicto, noviſſime præterito coronam imperii Coloniæ ſuſcipere, ubi plures principes & magnates imperii eſſent venturi, quos deſuper conſulere vellet: & ſi rex Galliarum legatos ſuos eo tempore Coloniam mittere vellet, quod ibidem illis reſponſum redditurus eſſet: ſi autem legatos ſuos iſto tempore non mitteret, quod tunc per proprios ſuos legatos regi Galliarum reſponſurus eſſet.

XI. Item. Quando dominus meus rex Coloniæ coronabatur, rex Galliæ legatos ſuos illuc miſerat: domino tamen meo Romanorum regi circa hoc negotium prædictum nihil ſcribebat aut ſignificabat, ſed ſolummodo epiſcopo Colonienſi & duci STEPHANO,

XII. Item. Ideo clementiſſimus dominus meus Romanorum rex cogitabat, cum rex Galliæ nihil ipſi ſcripſiſſet, ſolum dictis duobus, ſufficere & congruere ut iidem duo ipſi reſponderent; itaque epiſcopo Colonienſi & duci STEPHANO mandavit, ut regi Galliarum reſcriberent, quod quoſdam ex ſuis conſiliariis & eccleſiaſticis verſus Metim aut Argentoratum miſſurus ſit, ut cum conſiliariis regis Galliæ, in diæta proximo die feſto Johannis-Baptiſtæ futuro, deliberare poſſint circa negotia ſanctæ eccleſiæ annon forte opportunum aliquod & congruum remedium invenire poſſent ad ſanctæ eccleſiæ unitatem procurandam, cui etiam ſe dominus meus rex conformabit.

XIII. Item. Judicat dominus meus rex Romanorum, quod non ſit neceſſarium, ut ipſe & rex Galliarum, principes, magnates, & prælatos regnorum ſuorum, convocent ad ſupradictam diætam, niſi prius ex utraque parte conſiliarii intimi de cauſa conſultent, & opportuna & rationabilia quædam media inveniant, & præmanibus habeant utrique parti congruentia; deinde putat ſi rex Galliæ & rex Romanorum, tales principes, magnates & prælatos in tanta multitudine convenire facerent, ob negotia ſanctæ eccleſiæ, illique inter ſe concordare non poſſent, & re infecta ab invicem diſcederent, quod utrique probro & dedecori foret; propterea æſtimat dominus meus rex Romanorum melius eſſe, ut intimos conſiliarios ſuos prius ad prædictam diætam feſto ſancti Johannis-Baptiſtæ Metim mittant, & convenire faciant ſuper hoc negotio deliberaturos, ut ſupra dictum eſt.

XIV. Item. Ut talis conferentia & deliberatio tanto ſecretius peragatur & commodius, dominus meus rex principes, magnates, & prælatos imperii ſui ob hanc cauſam non convocabit, ſed ex ſuis conſiliariis unum epiſcopum & ſex vel octo doctores mittet ad prædictam diætam Metenſem, putatque poſſe regem Galliæ ſimili modo & numero ſuos eo deſtinare, & ut iidem conſiliarii intimi, prout ſupra ſcriptum, de cauſa deliberent.

XV. Item. Atque dominus meus rex Romanorum ſuis, quos ad ſæpe dictam diætam mittet, mandabit, ne cum aliis, quicunque demum fuerint qui ad ſupradictam diætam venturi ſunt, tamquam legati eo miſſi, ullum habeant colloquium de hoc negotio, verum ſolum cum illis, quos rex Galliarum eo quo recenſuimus modo & numero ad diætam miſſurus eſt, tractent, ut ſupra ſcriptum eſt: hæcque dominus meus rex Romanorum exponere juſſit, quatenus rex Galliæ ſciat conformiter ſe dirigere.

XXX.

QUALITER DOMINUS MEUS quædam puncta compoſuerit inter Dominum Moguntinum & Landgravium Haſſiæ Norimbergæ, die Veneris poſt Inventionem ſanctæ Crucis, anno 1401.

I. QUOD dominus meus rex modo convenerit cum domino Moguntino ſimul cum ipſo Norimbergæ exiſtente, & dominus Moguntinus contentus eſt, amore domini mei regis, ipſum ſequi in articulis hic infra poſitis. Primo quod dominus meus Moguntinus & nobilis Landgravius Haſſiæ ſimultates & diſcordias, quæ inter ipſos vigent, amice deponere & relinquere velint uſque ad octavam diem poſt feſtum ſancti Johannis-Baptiſtæ proxime ſequturam, eo modo quo dominus meus rex Marpurgi cum illis convenerat.

II. Item. Ratione Geiſmarenſium, quos Landgravius captivos tenet, quod dominus meus rex ſerio apud ipſum agat, quatenus mandet eos dimitti, quod ſi hoc fieri nequeat, pro certa pecuniæ ſumma tradantur uſque ad dictam diem octavam ſancti Johannis; vel quod iidem Geiſmarenſes dent Landgravio litteras ſuas, & cautionem præſtent, redituros ſe ad captivitatem illa ipſa octava die.

III. Item. Quod dominus Moguntinus & Landgravius, ratione diſcordiarum ſuarum certum præfigant diem, quo coram domino meo rege perſonaliter compareant Norimbergæ die lunæ poſt feſtum corporis Chriſti proxime venturum, poſt octidnum, qui incidit in feſtum SS. Viti & Modeſti.

IV. Item. Cum Landgravio ſerio tractandum, ut ſinat libere agere dominum Moguntinum cum eccleſiaſticis, qui in Landgravii territorio habitant, neque illos contra dominum Moguntinum ſupportet; ſi vero Landgravius id præſtare nolit, dicendum tum eſt, quod dominus meus Moguntinus tempore ſupra ſcriptarum amicabiliam induciarum poſſet eccleſiaſticos & dominum Landgravium hortari, & ſubſidia ſua per viam juris quærere, neque ante diem ſupradictum,

dictum, alia quacumque indignatione illos premere, quæ quoque dominus Landgravius impedire non debeat.

V. Item. Quod nobilis Landgravius litteras reconciliatorias & condonatorias comitem de *Waldech* concernentes, quæ illi traditæ ſunt ratione ducis Brunſwicenſis, apud ſe retineat, illaſque die ſupradicto domino meo regi tradat.

VI. Item. Dominus meus rex convenit cum domino Moguntino, quod dominus meus comitem de *Waldech* vocabit, ut ad ipſius colloquium veniat, & litteras quæ huic negotio anſam præbuerunt, juxta mandatum domini mei regis, domino meo regi mittat; & ut tunc dominus meus rex cum iſtis ex utraque parte litteris faciat, uti ſupra conventum eſt.

VII. Item. Ut nobilis Landgravius ſuam legationem incontinenter mittat ad ducem Brunſwicenſem, illique notificet, ut ſupra dictum eſt, & efficiat quatenus dux BERNARDUS veniat, vel ut ipſe ejuſque frater ſuos mittant legatos cum ſumma poteſtate Norimbergam ad diætam coram domino meo rege ipſo die feſto ſanctorum Viti & Modeſti proxime venturo, ratione ſententiæ ferendæ ob homicidium FRIDERICI ducis Brunſwicenſis bonæ memoriæ.

VIII. Item. Ut dominus meus Moguntinus loquatur cum comite de *Waldech*, ut ipſe quoque Norimbergæ perſonaliter compareat coram domino meo rege, dicto die SS. Viti & Modeſti propter eamdem homicidii ſententiam.

IX. Item. Si Landgravius prædictam diætam & articulos ſupraſcriptos accipiat, dominus meus Moguntinus illos ſuſcipiet: ſi vero Landgravius illos acceptare detrectet, illos quoque rejiciet dominus Moguntinus.

XXXI.

INSTRUCTIONES DOMINI MEI REGIS quemadmodum conſiliarii ſui in diæta Metenſi ſe gerere debeant, die ſancti Johannis-Baptiſtæ, anno milleſimo quadringenteſimo primo.

PRimo pro unitate ſanctæ eccleſiæ procuranda, proponant hoſce infra ſcriptos modo. Primus, qui & in jure fundatus eſt, ut dominus noſter papa plenariæ poſſeſſioni ſanctæ eccleſiæ reſtituatur, eo modo, quo immediatus ipſius anteceſſor illam poſſederat; & ut tunc convocetur concilium coram antipapa, & ad domini noſtri papæ colloquium ſiſtatur, & quod tunc concilium decreverit, ratum habeatur.

III. Et caſu quo hic modus non ſuccedat, ut tunc dicti papæ compareant coram concilio, neuterque illorum pro tribunali ſedeat, ſed utriuſque rationes pro & contra excipiantur, & quod concilium deſuper decreverit illud obſervetur.

III. Si vero horum modorum neuter placeat; ut tunc dominus meus rex, reges Galliæ, Angliæ, & Arragoniæ paciſcantur, quatenus dominus meus rex prælatos & clerum Chriſtianitatis ad concilium convocet, & ut ceteri reges allaborent, ut prælati & clerus ſuorum reſpective regnorum ad illud conveniant; & modus, quem concilium invenerit, teneatur, quatenus ſancta eccleſia ad unitatem redeat, eumque reges ſupradicti approbent, fideliterque ut talis modus debitum ſortiatur exitum & finem adjuvent, in eoque firmiter permaneant.

IV. Quod ſi vero Galli in hac congregatione, hoſce ſequi detrectent, quod tunc in hac diæta, unum, duos vel tres alios modos eligant aptiores, in quem vel quos ex utraque parte convenire poſſint. Quod ſi autem concilium horum modorum unum acceptaverit aut approbaverit, tunc ſupradicti reges illud quoque ratum habituri ſint. Si autem horum modorum concilium nullum acceptaverit, in quemcumque concilium convenerit modum, hunc ante nominati reges acceptent & ſequantur modo ſupradicto.

XXXII.

MEMORIALE AD MARGRAV. PROCOPIUM circa negotiationem Domini Hechelii.

I. QUantum ad primum articulum de quo egit Hechelius, ſcilicet, quod dominus meus permanſurus ſit rex Romanorum, rex autem Bohemiæ imperatoriam retenturus dignitatem: hoc illi bono modo negabitis, cum fieri nequeat; nam ſi rex Bohemiæ Romanorum imperator fieret nunc, ſtatim dominus meus rex Romanorum dignitati ſuæ cedere deberet, & principes electores de novo deberent regem Bohemiæ in regem Romanorum eligere, quo tunc poſtea imperator fieri poſſet: nunc facile poſſunt comprehendere, quod licet dominus meus rex regno vellet renuntiare, quod tamen efficere non poſſet, ut principes electores regem Bohemiæ in regem Romanorum eligerent, atque ideo quod res hæc impoſſibilis ſit,

II. Item. Circa articulum vero quod domini mei regis filius nomine dux JOHANNES filiam ducis JOHANNIS bonæ memoriæ quondam fratris regis Bohemiæ in uxorem accipere deberet, quodque rex Bohemiæ puellæ daturus ſit omnia caſtra, quæ ante ſilvam Bohemicam poſſidet; ſi vero hoc nimis parum foret, etiam partem aliquam Bohemiæ addet.

III. Item. Deſuper tractabitis, quatenus

rex Bohemiæ domino meo duci Johanni cum hac filia ducatum det Luxemburgenſem, illum quoque à marchione Moraviæ JODOCO relevet, aut à quocumque alio, qui illum pignoris loco habet: ſin autem illud fieri non poſſet, quod tunc illi ratione filiæ terram Luxemburgenſem ſcripto transferat, illamque poſtea pro libitu ſuo relevet. Interim terras ante ſilvam Bohemicam ſitas nempe, Egram, terram Rottenburgenſem, *Barchenſtein*, *Sternſtein*, *Bernavv*, *Iſenbach*, *Derendorff*, *Urbach*, *Behemſtein*, *Holemberg*, *Hertenſtein*, *Stralenfels*, *Hoenſtein*, *Erlang*, *Prieſenſtein*, *Michelfeldt*, *Bucheim*, *& Heidingsfeld*, ejus loco poſſidenda tradere & oppignorare debeat, uſque dum relevet comitatum Luxemburgenſem.

IV. Item. Quantum ad articulum, quod dominus meus rex cum rege Bohemiæ fœdus iniret, ad eum in regno Bohemiæ manutenendum, atque ut rex Bohemiæ propterea modo cederet domino meo regi caſtrum *Elenbogen*, & adhuc unam arcem, ſimul cum aliquibus aliis caſtris in Bohemia, quæ juramento ſe obſtringerent, poſt mortem regis Bohemiæ, ſe hæreditario jure ipſi & hæredibus ſuis ſubdi velle.

V. Item. Deſuper reſpondebitis, quod dominus meus rex Romanorum tali modo cum rege Bohemiæ fœdus inire paratus ſit, illum in juribus ſuis & regno Bohemiæ manutenere; ſi ipſi modo caſtrum *Elenbogen* cum alio adhuc caſtro poſſidendum tradat, ſub hac tamen conditione, ut ſi dominus meus rex ipſi clare ex computo monſtrare poſſit, ſe tantum in iſto bello impendiſſe, quantum valeant iſta caſtra, quod tunc alia ei ſit daturus, ut bellum ejus cauſa ſuſceptum promptius geri poſſit.

VI. Item. Quod rex Bohemiæ domino meo regi Romanorum reliquias eo modo quo ad imperium ſpectabant & in nullo ſpoliatas, ac inſuper omnia regiſtra & litteras, ac ſpecialiter illas quæ Brabantiam concernunt, & quidquid ad imperium pertinet indilate & ex integro reſtituat: quod præterea imperio penitus renuntiabit, & omnibus principibus, magnatibus, & civitatibus, quæ ad imperium ſpectant, ubicumque ſint, ſcribet, ſe tali modo renunciaſſe.

VII. Item. Quod rex Bohemiæ feudum renovando, homagium domino meo regi Romanorum præſtet, prout regi Bohemiæ facere competit, quod etiam litteras ſupradictæ renuntiationis det, & tunc dominus meus rex omnia ipſius jura & privilegia confirmabit.

VIII. Item. Quod ſi ſupraſcripti articuli ita acceptentur, tunc etiam nuptiæ Margravii Procopii cum ſorore ducis HENRICI effectum ſuum habebunt.

IX. It. Quod ſi rex Bohemiæ litteras renunciationis dare nolit, modo domino meo regi homagium præſtet, reliquias, regiſtra, litteras aliaque quæ ad imperium ſpectant reſtituat; domino meo regi ſatisfactum erit.

X. Item. De omnibus aliis ſupraſcriptis articulis conferte cum illis, prout vobis optimum videbitur, primum ſolum articulum, ſcilicet quod rex Bohemiæ imperatoriam dignitatem retinere debeat, abſolute negabitis, cum non poſſit.

XXXIII.

MEMORIALE RATIONE REGIS BOHEMIÆ.

I. UT dominus rex Bohemiæ clementiſſimo domino meo RUPERTO regi Romanorum ſacrum imperium totaliter cedat; & omnibus principibus, magnatibus, & civitatibus ad imperium ſpectantibus, & ubicumque neceſſe fuerit, ſcribat ſe ita renuntiaſſe.

II. Item. Ut domino meo Romanorum regi RUPERTO reliquias non ſpoliatas, & omni eo modo quo ad imperium pertinebant, & præterea omnia commentaria, vulgo regiſtra, & ſcripta, ſpecialiter vero illa quæ Brabantiam tangunt, omnia denique quæ ſpectant ad imperium ſine mora & gratis reſtituat.

III. Item. Ut rex Bohemiæ domino meo regi Romanorum homagium renovando feudum præſtet; & ſi forte non poſſet perſonaliter ad dominum meum regem venire ad illud præſtandum, tunc dominus meus rex per litteras ipſum infeudabit; ita tamen ut ille vice verſa domino meo regi etiam litteras det ſe tali modo feudum accepiſſe, prout de jure competit.

IV. Item. Ducis Johannis de *Gorlitz*, piæ memoriæ, filia uni ex domini mei regis Romanorum filiis in matrimonium tradatur, tantumque ei dotis detur, quantum dari poſtea conventuri ſunt, & pro ejus ſecuritate aſſignentur certæ terræ & arces.

V. Item. Si quis, quiſcumque demum is fuerit, qui adverſus regem Bohemiæ regnum iſtud ambiret, illumque inde pellere moliretur; quod tunc dominus meus rex Romanorum RUPERTUS contra iſtum fideliter illi aſſiſtet, & pro poſſe auxiliabitur, ſine dolo.

XXXIV.

NEGOTIATIO CUM COMITE SABAUDIÆ.

I. PRimo exponetis illi qualiter DD. principes electores dudum & antequam à regno deponeretur rex Bohemiæ, ſæpe & multum illum monuerint & rogaverint.

II. Item. Quod propterea nos clementiſſimus dominus noſter Romanorum rex ad vos miſerit, ut hæc omnia vobis indicaremus,

ſimulque vos rogaremus & moneremus, cum etiam ad ſacrum imperium pertineatis, ut ei tamquam regi Romanorum obedientiam preſtetis, & efficiatis, quatenus ille cum veſtro & aliorum ad ſacrum imperium pertinentium auxilio, tam gravibus erroribus & defectibus, qui proh dolor! in ſancta eccleſia, ſacro imperio & tota Chriſtianitate longo tempore extiterunt, providere & reſiſtere, eoſque Deo juvante corrigere, ac ad meliorem formam & modum reducere queat, prout etiam ſe penitus facturum credit.

III. Item. Atque dicito illi, quod dominus noſter rex ſe gratioſum ei ſit exhibiturus, eique facturus, quæ regem Romanorum facere decet, cum ſingulari amicitia & amore.

IV. Item. Hiſce omnibus ſic expoſitis, illum ex parte domini regis noſtri rogate, ut ad hæc per vos benevole reſpondeat.

V. Item. Si quid grati vobis reſponderit, noſtroque domino regi obedire & aſſiſtere velit; tunc dicatis illi: dilecte gratioſe domine, noſter dominus rex Romanorum, etiam nobis mandavit dicere gratiæ veſtræ, quod propoſitum habet in Longobardiam proficiſcendi & ſucceſſive Romam, pro ſuſcipienda corona imperii, prout conſuetum & hucuſque obſervatum fuit; & petit rogatque gratiam veſtram, ut illi vias veſtras & tranſitus per dominium & terras veſtras, quandocumque ei hoc opus erit aperiatis, & illum juvetis, ut cum populo ſuo poſſit per illas tranſire, quemadmodum id de vobis plane confidit & ſperat.

V. Item. Quod ſi ad hoc dicat & petat, ut dominus noſter Romanorum rex ſe cum illo colligat contra Mediolanenſem; ad hoc ei reſpondebitis, quod dominus noſter rex ſit contentus ipſi fideliter contra eum ſuccurrere, & ſi illi ita placeat, tunc convenite cum ipſo de certa diæta, vel Argentorati, vel alibi in aliqua opportuna civitate inſtituenda; atque ut dominus noſter rex & ipſe ſuos legatos cum plena potentia ad conſtitutam diætam mittant, & expreſſe tractent de eodem fœdere in optima utiliſſimaque forma, qua domino noſtro regi ipſique viſum fuerit.

VI. Item. Atque ſi pecuniam, vel quid aliud poſtulet pro auxilio, tunc dicatis illi, ut de die vobiſcum conveniat, ad quam legatos ſuos cum legatis domini mei regis mittat, in qua de hac re, ſicut & aliis negotiis una deliberare poſſint.

VII. Item. Deinde expiſcabimini ipſius mentem, quid & quantum velit; & tunc poterimus deſuper reſolvere, ut neceſſe non ſit retrocedere, quando ad ſtatutum diem convenietur.

VIII. Item. Præterea hinc inde inquirite quam prudenter poteritis, per quas vias eatur verſus Longobardiam, & illarum viarum ſtatum & conditionem,

IX. Item. Si vero comes nullum vobis finale reſponſum reddere velit, quod rem forte maturius examinare cogitet; dicatis nihilominus ei, quod dominus noſter rex intendat proficiſci verſus Longobardiam quam primum poterit.

X. Item. Sciendum eſt, quod à comite Sabaudiæ, poſtquam per legatos noſtros cum nobis poſſibili prudentia negotiati fuiſſemus, reſponſum fuerit in hunc ſenſum: quod ſententia de qua ipſi dixeramus, & quæ ipſi fuit prælecta non fuerit exhibita eo modo quo talis ſententia merito deberet exhiberi, ut ei fides adhiberi poſſit; ſed quod ei vilis copia in charta projecta fuerit, cum tamen æſtimaverit quod ejuſmodi ſententia ſigillata & ſub notariali & publica ſcriptura inſinuari de jure debuiſſet, ut ei credi poſſet; præterea quod illa copia fuerit adeo brevis & turpis, ut vix aliquid inde potuerit cognoſcere. Quod nihilominus tantum honoris & virtutis in rege noſtro cognoverit, ſitque illi, ratione regis Galliæ, in tali gradu affinitatis conjunctus, ut libenter omnem ei honorem, dignitatem & felicitatem exoptet; verum pater ipſius regi Bohemiæ quondam homagium præſtiterit, atque juramento ſe obſtrinxerit tamquam regi Romanorum, & quod idipſum ipſe etiam legato regis Bohemiæ propterea ad ipſum miſſo fecerit, à tali autem juramento & voto ſine maturo conſilio reſilire adeo facile non poſſit; ſed quod Galliam iturus eſſet, ac ibidem cum avo ſuo duce Bituricenſi, & ſocero ſuo duce Burgundiæ conſilium accepturus; & cum inde domum redierit, prælatos, magnates ac nobiles ſuos, cum illis etiam conſiliarios ſuos deſuper convocaturus ſit, denique noſtris legatis ſupradictis circa medium Auguſti in propria patria reſponſum redditurus: quod ſi hoc non fieret vel diutius differretur, hoc ipſis ſignificabit, neque mora hæc ulli fraudi, ſed propriæ neceſſitati imputanda erit.

XXXV.

MEMORIALE PRO LEOPOLDO duce Auſtriæ.

I. PRæterea ſi dux LEOPOLDUS vias ſuas montiumque fauces verſus Longobardiam vellet aperire, & homagium præſtare domino noſtro regi, eumque pro Romanorum rege agnoſcere, necnon ei firmiter aſſiſtere & ſuccurrere contra omnes qui eum in imperio turbarent, quod tunc ſummam pecuniæ, videlicet centum millia florenorum ſit aſſignaturus, accipiendam ex civitatibus Suevicis; ita tamen ut quadraginta florenorum millia pro dote in hac ſumma ſint comprehenſa.

II. Item. Verum ſi hic modus minus ſuccedat, & ſi dux LEOPOLDUS putet, quod pro ejuſmodi auxilio talis ſumma pecuniæ non ſufficiat, illi dicatur, quod dominus noſter rex pro tali auxilio & ſuccurſu præterea illi ſit aſſignaturus centum vel ducenta millia florenorum ſuper unam aut duas civitates in Longobardia, pro ut dominus dux LUDOVICUS & dominus burgravius FRIDERICUS Norimbergæ judicaverint.

III. Item. Nota ſi hic modus ſuccedat, jure dominus noſter rex duci Auſtriæ illa quadraginta millia florenorum hic in Germania aſſignabit, & pro illis cavebit.

IV. Item. Et cum Mediolanenſis habeat bona propria, quæ non pertinent ad imperium, illa dominus noſter rex duci LEOPOLDO, duci LUDOVICO, & reliquis, qui ſupra hæc quoddam habere ſe exiſtimant, libenter cedet; ſi autem dux Leopoldus id acceptare nolit, tunc dominus noſter rex propterea hoc illi præſtabit, quod principes electores & ceteri imperii principes judicaverint merito illi præſtandum eſſe.

V. Item. Si dux LEOPOLDUS ſit allegaturus provincialem Sueviæ præfecturam ipſi oppignoratam eſſe, ad hoc reſpondendum quod illa Sueviæ præfectura ſub duce Leopoldo bonæ memoriæ ducis Leopoldi patre ab oppignoratione exempta fuerit & liberata, quodque modernus dux Leopoldus illam numquam poſſederit.

VI. Item. Nota ſi negotiatio iſta bene ſuccedat, placet optime domino regi ut ducis LEOPOLDI aulæ præfecto duo vel tria millia florenorum appromittantur.

XXXVI.

NEGOTIATIO QUALITER JACOBUS de *Cube*, & Fridericus de *Hueben* cum Colonienſibus debeant tractare.

I. DEbetis procurare, ut Colonienſes domino noſtro regi talem numerum militum ſubmittant, qualem antehac aliis Romanorum imperatoribus & regibus verſus Longobardiam deſtinare ſolebant, atque ut illi die nativitatis Beatæ MARIAE proxime ventura inter Auguſtam Vindelicorum & Monachium juxta Leccam fluvium adſint, cum eo ſtatim profecturi. Et dominus meus rex confidit fore ut iſtum numerum augeant, & non diminuant.

II. Item. Habetis quoque litteras credentiales ad dominum Colonienſem, quem, ut primum eo veneritis, accedite, & interrogate, num ſciat, vel intellexerit numerum militum, quos alias Colonienſes aliis regibus ac imperatoribus ad militiam ſuppeditarint; atque ut unum vel duos è ſuis conſiliariis cum prædictis dominis Jacobo & Friderico ad Colonienſes ableget, qui legatos domini mei regis adjuvent in negotiando.

III. Item. Si Colonienſes forte pecunia ſervitium redimere vellent, tunc oportet ut pro ſingulis militibus dent per menſem quinquaginta florenos, vel tandem quadraginta quinque florenos, vel inter quadraginta & quinquaginta, quodque fiat cum placito majoris partis civium.

IV. It. Utque Colonienſes domino meo regi pecunias, ſi ita convenerint, exſolvant, ut cum iiſdem poſſit tempeſtive milites conſcribere.

V. Item. Deinde prædicti domini Jacobus & Fridericus die lunæ ante ſanctam Margaritam proxime ſequentem adſint Confluentiæ in diæta, ad quam quoque principum electorum conſiliarii venient, tractaturi de re monetaria, & unanimiter in hoc conventuri, ut qualiter à domino meo & principibus electoribus pridem ſtatutum fuerat, ac deſuper litteræ confectæ, ita permaneat & cuſtodiatur.

XXXVII.

NEGOTIATIO QUALITER EVERHARDUS *Orlenhaups* cum litteris credentialibus apud epiſcopum Leodienſem, comitem de *Oſtervant*, comitem Clivenſem, & Adolphum comitem Bergenſem tractare debeat, ut cum domino meo montes tranſeant.

I. UT illorum quilibet in propria perſona cum centum quinquaginta, vel ducentis itinerum comitibus, equitibus, ſervis ac vaſſallis bene armatis & inſtructis cum domino meo montes tranſeat verſus Longobardiam.

II. Item. Quod pro ſtipendio cuilibet militi dominus meus ſingulis menſibus tantum ſit daturus, quantum aliis ſuis propriis militibus.

III. Item Quod dominus meus die ſancti Bartholomei proxime ſequenti ſe itineri accingere velit, atque feſto nativitatis MARIAE proxime venturo inter Monachium & Auguſtam Vindelicorum eſſe juxta fluvium Leccæ, ut ſic ſtatim cum exercitu ſuo proficiſci poſſit.

IV. Item. Tractabit quantum cuilibet militi pro ſtipendio dandum ſit ſingulis menſibus, & in qua civitate hujus ſtipendii ſolutio inchoanda ſit, illudque ſecundum diſcretionem ſollicitabit, aut intermittet, prout in ſua negotiatione maxime expedire inveniet.

XXXVIII.

MEMORIALE QUALITER CUM DUCIBUS Brunſvicenſi & Luneburgenſi tractandum ſit.

I. PRimo quod dominus Moguntinus domino noſtro regi narraverit & conqueſtus fuerit quod cum exercitu ſuo illum invaſiſſent, terræque & populo ſuo gravia damna intulerint, & etiamnum inferant,

ob

ob cauſas, quæ ipſum omnino lateant, præſertim cum dominus noſter rex ſit ſatis potens, ad injuriam vindicandam & juſtitiam adminiſtrandam, ipſumque rogaverit, ut cauſam hanc ad ſe vocaret, & ut ipſi auxilium præſtet inſtanter monuit, cum etiam imperii princeps elector ſit, adverſariique vi & potentia ipſum invaſerint, damnoque afficiant; & ut rex noſter contra illos adjuvare velit, ſibique aſſiſtere, prout etiam illi utpote ſacri imperii principi electori præſtare de jure tenetur, cum obedienter ſe ejus judicio ſubmittere paratus ſit.

II. Item. Quare rogat dominus noſter rex illos amiciſſime, inſtantiſſimeque hortatur ut velint perpendere in quo cardine ipſius & ſacri imperii res modo verſetur, & quid damni & impedimenti ipſi inde oriri poſſit, & ut incontinenter & ſine mora recedant, neque ullum domino Moguntino damnum inferant, neque in hac re cum domino Moguntino conferre intermittant. Tunc dominus noſter rex pro poteſtate ſua ambas partes ad ſtatutum diem coram ſe citabit, & de cauſa hac judicabit, præſertim cum dominus Moguntinus contra illos per viam juris procedere contentus ſit.

III. Item. Dominus noſter rex totaliter confidit, cum à principio erga illum ſemper ſe ſe benevolos & amicos exhibuerint, fore ut illi quoque in hac cauſa pareant modo ſupra ſcripto, neque illi ullas creent moleſtias, uti plene de iis confidit & ſperat.

IV. Item Ut reconciliationem etiam à domino noſtro rege inter ilios & comitem de *Waldeck* & Fridericum de *Hartungshauſen* alterumque de *Marſpurg* factam ſequantur, litteraſque deſuper dent ſigillatas.

V. Item. Si hæc omnia non procedant, ut fiant induciæ ad biennium aut triennium; & ſi nec hoc ſuccedat, ſaltem ad unum annum.

VI. Item. Quod dominus noſter rex dominum noſtrum Moguntinum libenter ſecum haberet, ut cum ipſo tranſire poſſet montes verſus Longobardiam, & niſi aliqua concordia fieret inter illos & dominum Moguntinum: quòd ille non poſſet cum eo venire, quod domino noſtro regi valde noceret, multaque afferret impedimenta, prout ipſimet bene comprehendere poſſunt: ac proinde dominus noſter rex bene confidit, fore ut in hoc negotio ipſum ſequantur eo modo, quo ſupra ſcriptum eſt.

XXXIX

NEGOTIATIO

Cum Landgravio Haſſiæ

I. PRimo quod dominus Moguntinus noſtro domino regi dixerit & conqueſtus ſit de ipſo, quod clerum ſuum gravi damno afficiat, & plus nimio oneret, ſicuti & laicos ſubditos, contra quos graves & domeſticas exercet injuſtias, quod tamen facere non deberet, præſertim cum ſit eccleſiæ ſuæ vaſſallus & juramento fidelitatis obſtrictus.

II. Item. Præterea dominus noſter rex petit, ut conſideret quomodo ſuæ & imperii res hoc tempore ſint conſtitutæ, & quantum damni & impedimentorum inde ei poſſit oriri, cum domino Moguntino ejuſdemque amicis, & aliis modo ſummopere indigeat, illudque domino noſtro regi tanto ſit pernitioſius, quanto majores illi inter ſe habent diſcordias, precipue cum res ipſius jam ita ſint conſtitutæ; ideoque dominus noſter rex illum rogat, ut pacem habeat cum domino Moguntino ſuiſque per biennium vel triennium: aut ſi hoc eſſe non poſſit, ſaltem ad minimum per annum: interea dominus noſter rex ex officio illos certa die coram ſe vocabit, & tentabit num illos amicabiliter poſſit inter ſe componere, & confidit fore ut dominus Moguntinus ipſi in ea cauſa pareat, creditque quod Landgravius etiam merito ipſum in hac re ſequi debeat.

III. Item. Et ut cives Geiſmarenſes, quos tempore induciarum accepit, liberos eſſe jubeat, uti putat dominus Moguntinus, quæ ſuaſu quoque domini noſtri regis & burgravii FRIDERICI Norimbergæ initæ ſunt.

IV. Item. Utque dominum Moguntinum in ſuo clero non moleſtet, permittatque illos, prout hactenus ſemper obſervatum fuit, ſervitium & obedientiam debitam præſtare.

XL.

NEGOTIATIO

Ad Leopoldum ducem Auſtriæ per Johannem *Wynheim* dominica poſt Kyliani (a) [a]

I. PRimo dices illi quod clementiſſimus dominus noſter rex Romanorum ipſi per RUDOLPHUM comitem Hohenbergenſem ſcripſerit & ſignificarit, ut tractatum quem dominus LUDOVICUS dux Bavariæ ſuo nomine Abuſiaci in diæta cum ipſo concluſit, firmiter teneat & exſequatur eo modo quo continetur & deſcriptus fuit.

II. Item. Supradictus clementiſſimus dominus meus rex Romanorum præterea mittet ei iſtas litteras majeſtatis ſuæ, principum electorum ad Rhenum, & conſanguineorum ſuorum STEPHANI & LUDOVICI ducum Bavariæ ſigillis munitas; quas juxta ſupra-fatam Abuſiaci conferentiam circa hoc tempus ſibi mittere tenentur, & quemadmodum litteræ quas ante memoratus domi-

(a) S. Kiliani Herbipolenſis epiſcopi & martyris feſtus dies incidit in diem Julii octavam ex Baronii martyrologio Romano.

nus meus dux LUDOVICUS ipſi deſuper tradidit, clarius demonſtrant.

III. Item. Et dominus meus rex juſſit, ut illas litteras ei tradatis, atque ut litteras quas dominus meus dux LUDOVICUS ratione ante dicti negotii Abuſiacenſis ſuo ſigillo ſignavit, necnon litteras domini regis mei cum ſumma poteſtate, ratione ejuſdem negotii ad nominatum dominum meum LUDOVICUM directas, ab illo repetatis & recipiatis, quales dominus meus dux Ludovicus circa negotiationem Abuſiaci illi porrexerat & tradiderat,

IV. Item. Quod dominus meus rex ipſi quoque per ſupradictum comitem ſcripſerit & ſignificarit, quod conſtituerit circa feſtum nativitatis beatæ MARIAE Virginis cum militibus ſuis inter Auguſtam Vindelicorum & *Monachium convention juxta* Leccam adeſſe, ut ſic ſtatim poſſit proficiſci verſus Longobardiam, & quod ad hoc ſe plane præparet.

V. Item. Quod dominus meus rex, Deo auxiliante, ita ſine omni mora ſit facturus, & quod quam poſſit amiciſſime & inſtantiſſime ipſum requirat & roget, ut ſe quoque ad hoc præparet, & in propria perſona cum ipſo proficiſcatur in Longobardiam, cum mille commilitonibus bonæ gentis, & quilibet commilito inſtruatur tribus equis, quorum duo cataphracti eſſe debent, prout conventum fuit in diæta Abuſiacenſi, eo quod dominus noſter rex deſideret eum in propria perſona cum tali apparatu habere ſecum.

VI. Item. Ut omni modo procuret, quatenus antedictos mille milites tribus aut quatuor diebus poſt præfatam diem nativitatis beatæ Mariæ congregatos habeat, & cum eiſdem dominum meum regem conveniat, ſecundum quod illi id videbitur magis commodum & opportunum.

VII. Item. Præterea quod dominus meus rex mille iſtis militibus ſit ſtipendia ſoluturus, & unius menſis ſolutionem anticipaturus; quodque ſatis tempeſtive illi ſit ſignificaturus, ubi & in qua civitate pecunias ipſi ſit ſoluturus, uti in diæta Abuſiacenſi fuit ſtatutum.

VIII. Item. Ut domino meo regi notificet, quæ viæ ſint per ipſius terras ad tranſeundos montes verſus Longobardiam ad Brixiam & Diebeſten maxime opportunæ & commodæ, ut eum exercitu ſuo introrſum proficiſci poſſit, uti prius per comitem Rudolphum ſcripſit & ſignificavit.

IX. Item Ut præterea curam habeat, ut in via illa per quam dominus meus rex cum exercitu ſuo eſt tranſiturus, omnia neceſſaria ibidem inveniantur venalia pro ſua pecunia.

X. Item. Ut cuncta domini mei regis negotia fideliter ſibi commendata habeat, prout idipſum de eo etiam plane confidit; & ſi quid cognoverit circa Mediolanenſem vel alios in iſtis locis, qui ſint contra meum dominum regem, illud ipſi ſemper ſcribat & ſignificet, ut ſecundum illa ſciat ſe dirigere.

XI. Item. Ut de domino meo rege nullatenus dubitet, cum omni tempore paratus ſit viciſſim illi ſe fidelem & amicum exhibere, bonaque & vitam pro ipſo exponere.

XII. Item. Quod dominus meus rex ſtatuerit in feſto ſancti Laurentii ipſum perſonaliter accedere Auguſtæ Vindelicorum vel Lavingæ, & ſatis tempeſtive illum certiorem reddere in qua ex iſtis duabus civitatibus poſſent convenire.

XLI.

NEGOTIATIO CUM REGE ARAGONIÆ

I. PRimo ipſum amice ſalutabis, diceſque ei nos gaudere, quod omnia proſpera ſint, circa ipſius perſonam, liberos, regnum, & populos, prout ab ipſius legato accepimus; & viciſſim narrabis illi, quod nos cum conjuge & liberis noſtris adhuc bene valeamus, & quod per Dei gratiam jam totam prope Germaniam imperio noſtro ſubjectam habeamus, ſperemuſque, Deo volente, illud quod reſtat brevi nos eſſe acquiſituros, quodque Longobardia nos vocet, & ſpecialiter Florentia; & niſi obſtaret Mediolanenſis, brevi quidquid Cæſarei juris eſt nos potituros fore nihil dubitemus.

II. Item. Gratias ei maximas agetis, quod ipſe cum filio ſuo tam benevolum ſe nobis exhibuerit, nobiſque regna ſua, populos, & bona ad ſervitium noſtrum obtulerit, uti nobis illius legatus retulit; quam oblationem gratanter nomine noſtro acceptabis, tamquam à dilectiſſimo amico noſtro.

III. Item. Viciſſim ipſi filioque ſuo nos integramque noſtram Cæſaream potentiam offeretis.

IV. Item. Deinde illi dices quod in mente habeamus, & ſtatuerimus cum principibus noſtris, qui nobiſcum profecturi ſunt, circa feſtum ſancti Michaelis tendere verſus Longobardiam contra Mediolanenſem, qui omnium malorum ubique cauſa eſt, uti ex querelis quotidie ad nos contra ipſum allatis patet.

V. Item. Præterea ipſum monebitis & requiretis, ut nobis decem triremes vel ad minus ſex cum duabus navibus armatis & ſuo admirallio noſtro conſanguineo Jacobo de *Pratz*, qui & noſter navarchus, ut ejus legatus bene novit, conſtitutus eſt, mittat cum Bavaro noſtro ad mare Piſanum, ut iſtam civitatem de manibus Mediolanenſis eripere adque noſtras pertrahere allaboret; & fama ſpargatur eaſdem triremes adituras eſſe Siciliam, ut inimicis non innoteſcat.

VI. Item. Procuret ut triremes nulli noceant, Mediolanenſi ſolo excepto.

VII. Item. Cum mare ingreſſi, fuerint, tunc ſignificetur etiam Florentinis, quatenus & ipſi per terram ſe præparent contra Piſanos.

VIII. Item. Ut triremes iſtæ Genuenſes certiores faciant, ſe illis nullum illaturas damnum, verum ipſis ac imperio ſuppetias laturas eſſe.

IX. Item. Cum legato regis Aragoniæ injunctum fuerat, ut cum rege ſuo tractet, ut ille efficiat, quatenus rex Hiſpaniæ & rex Siciliæ ipſimet duci Aurelianenſi ſcribant, ut odium, cum dominus noſter rex ipſorum conſanguineus ſit, quod contra dominum noſtrum regem gerit, deponat, & ut anteſati reges ad regem Galliæ, ducem Burgundiæ, ducem Bituricenſem, & ducem Borbonii ſcribant, ut ad hoc ducem Aurelianenſem inducere conentur; indagare conamini, an hæc legatio ſit peracta, quidve deſuper reſponſum fuerit: quod ſi nondum factum ſit, ut adhuc fiat, uti dominus meus bene de ipſo confidit.

XLII.

NEGOTIATIO CUM REGE ARAGONIÆ ratione certi matrimonii.

I. PRimo reſcire debetis à Joanne de Vallera, cum à domino noſtro rege ipſi mandatum fuerat tractare de nuptiis, quas ipſe prius propoſuerat, filii domini noſtri ducis JOHANNIS cum ſorore regis Aragoniæ, in quibus terminis verſetur iſtud negotium; an vere regi Aragoniæ cordi ſit, & qualiter conſulat hoc eſſe proponendum.

II. Item. Si ergo reperiatis hoc negotium eſſe motum, dices regi: quod circa ejus ſororem aliquid domino noſtro regi propoſitum fuerit, coramque ipſo habiti ſermones ratione matrimonii inter unum ex domini noſtri filiis & illius ſororem: nunc autem dominus noſter rex hujus quidem omniſque amicitiæ cum rege Aragoniæ proſperum ſucceſſum exoptat: primogenitus tamen ejus regis Angliæ filiam ducere debet, cum hoc ſit jam tum tractatum & concluſum.

III. Item. Quod etam dominus noſter rex habeat unum filium nomine ducem JOHANNEM qui poſt hunc ſenior eſt, & præterea duos alios; ſi vero regi Aragoniæ arriſerit, tunc dominus noſter libenter de matrimonio unius ex filiis ſuis cum ſorore regis Aragoniæ tractabit.

IV. Item. Si ergo de matrimonio tractare velit cum uno ex aliis filiis ſuis, explorate quantum optime poteritis, quam pecuniæ ſummam filiæ ſint daturi & conceſſuri, & quid in arcibus, terris & bonis acceptura ſit.

V. Item. Num illæ arces, terræ, & bona modo ad ipſam ſpectent, & in illius ſint poſſeſſione, anque hoſtium incurſibus expoſitæ, in quove ſtatu hæc omnia præciſe verſentur, & num ejuſmodi arces, terræ & bona poſſunt per venditionem transferri, vel an res hæc ſit aliter conſtituta.

VI. Item. Quare deliberato & convenito cum illis de conſtituenda diæta in dominica in *Albis* (a) proxime ventura in quadam civitate, quæ utrique parti magis commoda videbitur, utque uterque dominus eo deſtinet ſuos extraordinarios legatos cum plena poteſtate, qui ſuper præfato matrimonio exinde tractent & concludant. [4]

VII. Item. In itinere dices comiti Sabaudiæ, quod verſus Longobardiam profecturi ſimus ſpecialiter contra Mediolanenſem, & præterea coronam noſtram Cæſaream accepturi, & quod diſcedendi tempus nunc advenerit, & ut ipſe quoque ad hoc ſe præparet, & ad idem marchionem de Monteferrato inducat atque mandet, ne terras ſuas ullus tranſeat, qui nobis impedimento eſſe poſſit, uti & de ipſo plane confidimus, quod etiam imperio præſtare tenetur.

VIII. Item. Ut domino noſtro regi obedientiam præſtet, & ut viæ terræ & populus liberum ei præſtent tranſitum, quod tunc etiam dominus noſter ei ſit ea facturus quæ alii Romanorum imperatores & reges ante fecerunt, ſeque ei benevolum exhibiturum.

IX. Item. Requiretis ab ipſo reſponſum ad ea quæ domini noſtri legati ultimo cum ipſo tractarunt, & quid deſuper ſtatuerit.

XLIII.

NEGOTIATIO CUM LEOPOLDO DUCE Auſtriæ demandata domino Conrado de *Friedberg*, & Johanni de *Miilenberg*.

I. PRimo illi narrabitis, quod modo Venetiis domino regi ſit ſolvenda certa pecuniæ ſumma, & quod propterea vos eo mittat pecuniam nomine ipſius recipere.

II. Item. Sic ipſum alloquaris: Gratioſiſſime domine, dominus noſter rex gratiam veſtram amiciſſime & inſtantiſſime rogat, ut ob amorem ipſius, ei mittatis deputatos, qui nos & dictam pecuniam ſecure educant, vehant & comitentur Monachium uſque, ut nuncietis quando illos quos ita mittere deſtinarit, certiores reddere poſſimus, ubi & quo tempore ad nos venire debeant, utque ſint parati ad nos venire abſque impedimento; confiditque rex noſter ſpecialiter gratiæ veſtræ, quod hæc ita ſit ordinaturus, ut pecunia ſecure ad ipſum huc perducatur, quod & vobis toraliter committit veſtræque gratiæ relinquit.

III. Item. Rogate illum ut vobis dignetur modo illos quos ad hoc deſtinare decrevit nominare, ut illis poſſitis nuntium mittere

(a) Id eſt dominica in octavis Paſchatis.

ſupraſcripto modo, & quorſum mittendus A eſt.

IV. Item. Si à vobis quærat quanta ſit pecuniæ ſumma, tunc dicas illi, quod ſint centum millia florenorum vel parum plus.

V. Item. Ut ipſe cum populo ſuo nimirum mille itineris comitibus ſe quantocius præparet, ne dominus noſter rex propterea detineatur, quod & curæ ſuæ penitus committat, atque dicito illi, quod procurabitis, ut illi pro primo menſe ſua pecunia numeretur ex antedictis illis pecuniis, quas educetis.

VI. Item. Rogate illum ut omnia alia quæ domino noſtro regi ad iter ſuum utilia & proficua eſſe poſſunt, prout iſta illi pridem no- B ta ſunt, bene diſponat, & ſedulam eorumdem curam gerat, & alia domini noſtri & imperii negotia ſibi commendata habeat, quemadmodum id de ipſo plene credit & confidit, cujus beneficii gratam memoriam dominus meus rex ſemper ſit habiturus, illudque data occaſione compenſaturus.

VII. Item. Rogate etiam ſimiliter, ſi quid poſſit ſcire aut indagare de Longobardia aut alibi à quopiam, unde dominus noſter rex negotia ſua melius dirigere poſſet, utque hæc illi ſemper per fidelem nuntium ſignificet, uti dominus noſter rex de ipſo bene confidit, C & quod inde ſingulare amoris & amicitiæ pignus ſit exhibiturus.

VIII. Item. Si forte dux Auſtriæ pecuniis non vellet ſecurum commeatum præbere, niſi poſtquam veniſſent in terram ſuam, tunc ex parte domini noſtri regis tractabitis cum DD. Paduanis & Venetis, ut illi conſilium ſuggerant & auxilium præſtent, quatenus pecuniæ tutum accipiant commeatum, juxta quod id vobis videtur magis congruum pro conditione locorum & rerum, & prout in itinere cognoveritis. Nam deſuper habetis litteras creditoriales ad utroſque, Paduanos nimirum & Venetos directas, de commeatu ſolummodo D mentionem facientes.

IX. Item. Si omnes iſti tres in hoc negotio non fidant ſe poſſe vobis auxilium præſtare, ut pecuniæ ſecure perduci poſſint; tunc ſequamini conſilium mercatorum ad quos ſcribit Uldaricus *Kammer* de Norimberga, illoſque ex parte domini regis noſtri rogabitis, ut juvent quatenus pecuniæ tuto advenire queant.

X. Item. Diſponite ut octo diebus ante diem ſancti Laurentii vel ſequenti die Mercurii poſt Petri ad vincula proxime venturi ſitis Venetiis, & ibidem in ædibus domini de Padua, quærite Bonacurſum de Florentia, qui domino noſtro regi in hiſce partibus adfuit: illum in E eiſdem ædibus reperietis vel ſaltem notitiam ubi inveniendus ſit hic vos expediet ratione pecuniarum, quæ in ſubſtantia faciunt centum & decem millia ducatorum.

XI. Item. Si pecuniam accepturus ſit, aſſumite vobiſcum Wilhelmum *Komel*, Conradum *Seiter* & Johannem *Kreſſen* morantes in ædibus Germanorum Venetiis, ad quos Uldaricus *Kammer* ſcripſit, ut vos juvarent, & ubi vobis videbitur illorum conſilium & auxilium in negotiis noſtris neceſſarium, tractando illorum operâ utemini.

XII. Item. Caſu quo prædicti mercatores ſex aut decem millibus ducatorum opus haberent, illos ipſis ex parte noſtra dabitis & deſuper patentes cambiales litteras ab eis accipite, ita ut illæ pecuniæ hic Monguntiæ, Francofurti, vel Norimbergæ nobis ſtatim exſolvantur, nimirum pro centum ducatis centum & decem floreni Rhenani, quemadmodum etiam dictus Uldaricus *Kammer* illis deſuper ſcripſit.

XIII. Item. Supra memorato Conrado *Seiler* nomine noſtro ſolvetis ducentos ducatos, quos ille legatis noſtris, nempe epiſcopo Werdenſi & comiti de *Leiningen* nuper Roma redeuntibus mutuo dederat.

XIV. Item. conſulatis dominum de Padua, dum illum acceditis, in qua forma debeatis negotiari cum Venetis ſuper præſtando nobis auxilio & ſuccurſu, ut ſecundum idſciatis vos dirigere.

XV. Item. Cum autem nobis Auſtriaci viæ & montium fauces nunc pateant, conſulite quoque deſuper illum, qua via commodius cum populo incedendum putet, ac vos deſuper exacte inſtruat, ut poſt modum id nobis nuntiare poſſitis, & ſpecialiter per quam viam opportunius ad Mediolanenſes terras pervenire poſſimus.

XLIV.

NEGOTIATIO CUM VENETIS.

I. PRimo ſalutabis nomine noſtri regis ducem & ſenatum ejus, eiſque offeretis omnem domini noſtri regis gratiam & amicitiam, poſtmodum dicatis illis regem noſtrum nuper ad imperium perveniſſe, uti ipſi haud dubio bene norunt, & quamvis magnam reſiſtentiam habuerit, attamen cum Dei auxilio omnia jam fere ſuperarit, univerſamque pene Germaniam ad ſe pertraxerit, non tamen ſine magnis ſumtibus, laboribus & ſollicitudinibus.

II. Item. Quamvis dominus meus rex immenſos ſumtus fecerit, & ſua ut plurimum expenderit, quod nihilominus ſperet ſe effecturum ut illi qui ſunt in Italia, & qui ad ipſum pertinent, quique in magnis anguſtiis & difficultatibus hucuſque extiterunt, cum Dei, veſtro, & aliorum qui imperii honorem & publicam utilitatem libenter vident auxilio, ad priſtinas ſuas dignitates, honores & libertates reſtituantur, illoſque punire intendat, ac nominatim Johannem Valentinum, qui hucuſque imperio ſuiſque tam graves ac moleſti fuerunt; & quod ſperet ſe die ſancti Michaëlis in Longobardia futurum.

III. Item. Porro dominus meus rex bene

expertus

expertus eſt ipſos imperium fideliter omni tempore juviſſe, atque illi adſtitiſſe ſpecialiterque juſtitiam, pacem & æquitatem dilexiſſe.

IV. Item. Propterea dominus meus rex ex ſingulari fiducia & confidentia, quam erga illos habet, legationem ad illos deſtinarit, inſtantiſſime & amiciſſime ab illis petens, ut in hoc negotio ipſi conſilio & auxilio fideliter adeſſe velint, ut illud ad bonum finem conducere queat, quod hoc penitus de illis confidat: quo facto meritum apud Deum maximum, honoremque & gratiarum actiones apud homines ſibi ſunt conciliaturi; quod quoque dominus meus illi, totique Reipublicæ Venetæ clementiſſime ſit ſemper compenſaturus.

V. Item. Si quærant quale auxilium dominus meus rex ab illis petat, tunc reſpondebitis quod illis dudum notum ſit, in quo ſtatu res ejus in illis partibus verſentur, & quo auxilio dominus meus rex indigeat, ſeque penitus confidere, fore ut illi plene & amice auxiliari omneque damnum avertere velint, ſicque res ſuas eo potentius urgere & ad felicem optatumque finem perducere poſſit; prout Paduanus ſpecialiter quantum ad auxilium vos inſtruet.

XLV.

NEGOTIATIO AD EPISCOPUM & civitatem Baſilcenſem & Helvetos per dominos *Schwartzburg*, *Sichingen* & alios.

I. PRimo illis dicendum quod dominus meus rex legatos ſuos ſæpe apud illos habuerit, qui illos requiſiverint & monuerint quatenus ipſi obedientiam præſtarent, & quod demo ab illis petat & poſtulet ut ei homagium faciant quemadmodum merito tenentur Romanorum regi præſtare.

II. Item. Quod etiam dominus meus rex illorum gratias ac privilegia, quæ à ſacro imperio habent, per diplomata ſit confirmaturus, uti aliis imperii civitatibus factum eſt, niſi forte rex WENCESLAUS de novo aliquid eis conceſſiſſet.

III. Item. Et ſi id facere, illique gratificare velint, tunc illis dicere debebitis, ſicut ipſis bene notum eſt, qualiter Mediolanenſis imperii bona in Longobardia ad ſe rapuerit, & ea quæ ad imperium ſpectant, inſuper contra jus tam divinum quam humanum graviſſime taxet, ac gravet; quodque inde imperium gravem ruinam ſit paſſum, multaque alia damna ſanctæ matri eccleſiæ imperiove intulerit; ita ut niſi illi reſiſtatur, eccleſiam & imperium ab ipſo opprimenda fore; quodque etiam haud dubie bene intellexerint, Mediolanenſem domino meo regi necem machinatum fuiſſe.

IV. Item. Quodque præterea dominus meus rex pro ſanctæ eccleſiæ ac imperii conſolatione & reparatione ſtatuerit brevi verſus Longobardiam tendere, Mediolanenſemque invadere, necnon coronam ſuam imperialem ſuſcipere.

V. Item. Require & roga illos, ut ipſi in hoc itinere auxilium præſtent, quemadmodum aliis Romanis imperatoribus ac regibus fecerunt, utque præcipue contra Mediolanenſem fideliter aſſiſtant, quodque de ipſis penitus confidat.

VI. Item. Quod tunc etiam dominus meus rex illos ſicut & alias eccleſiaſticas civitates in juribus ſuis ſit defenſurus & confirmaturus.

VII. Item. Quantum ad alias civitates & fœderatos, qui ad vallem Helveticam vulgo *Svvitzerthal* pertinent, nec imperio homagium præſtare tenentur, bonis & inſtantiſſimis verbis ac precibus inducantur, ut domino regi contra Mediolanenſem ſervitium auxiliumque præſtare non detrectent, uti ſupra ſcriptum eſt.

VIII. Item. Inſuper ipſis dicendum, dominum meum ea de cauſa omni tempore illis gratiam & favorem exhibiturum, ſuiſque qui in terris & locis imperii commorantes mercaturam exercent, eo liberiorem ſecurioremque commeatum eſſe daturum; & ut effective fiat proviſurum, ſeque erga illos cunctis in rebus gratioſiorem magiſque benevolum comprobaturum.

IX. Item. Si civitates & fœderati proponerent, quod dominus meus fœdus cum ipſis inire deberet, ad hoc reſpondendum illis civitatibus quæ domino meo ratione imperii ad homagium præſtandum obligantur, illud non eſſe neceſſarium, nam poſtquam ipſi obedientiam & homagium præſtiterint, ex ſe conſtat quod ipſos ad inſtar aliarum imperii civitatum defendere, inque ſuis juribus manutenere teneatur.

X. Item. Quod ſi civitates iſtæ eo venirent ut ratione auxilii ſingulare diploma exigerent, tunc placide ipſis reſpondendum erit, neque hoc neceſſarium eſſe, quoniam meus dominus ipſis bonum diploma ſicut & ceteris imperii civitatibus eſſet daturus.

XI. Item. Si alii fœderati qui non ſunt de imperio fœdus poſtularent, ipſis benigne reſpondendum eſt, quod nec hoc neceſſarium ſit; nam ſi nunc in ſuis & imperii rebus, maxime vero adverſus Mediolanenſem favere & ſuppeditari velint, tunc dominus meus, tam hac de cauſa quam quod etiam ſibi illud firmiter propoſuerit, numquam talis beneficii obliviſcetur; verum omni data occaſione ipſis hoc recompenſare ſataget, uti & omnimodo æquum eſt.

XII. Item. Si poſtularent, ut dominus meus rex ipſos juvaret contra ducem Auſtriæ, ad hoc reſpondendum, quod Auſtriacus domino meo nunc obediat, quodque ipſi velit auxilium ferre, viaſque ſuas illi tenere apertas contra Mediolanenſem & alios, & quod id-

circo domino meo non expediat nec conveniat ſe hoc tempore iſti negotio immiſcere, prout ipſimet bene intelligere valent, cum Auſtriacus ſit princeps imperii, quodque alio tempore dominus meus omnem operam ſit adhibiturus, ut amicabilis fiat inter illos compoſitio; & ſi poſthac, Deo juvante, ex Longobardia redierit, quod tunc ambabus partibus ex ſe commodam & opportunam diem ſit ſtatuturus, ſperetque ſe cum illis ita tractaturum & collocuturum, ut perpetuam concordiam & amicitiam ſint ad invicem habituri & ſervaturi, uti & ſperat Auſtriacum in hoc illi morem geſturum, quod quoque de ipſis confidit.

XIII. Item. Si civitates taliter ad obedientiam redire velint, ut extemplo deputatos ſuos mittant ad dominum meum cum copia diplomatum ſuorum, quæ acceperant à Romanis imperatoribus ac regibus, excepto diplomate regis WENCESLAI, voſque facta harum litterarum cum originalibus collatione, ſi ita ſonent quemadmodum litteræ originales ſigillatæ, illarum quoque copiam vobiſcum feratis, illis appromittendo, quod dominus meus eodem modo & forma litteras illis dari mandabit: ita tamen ut in eiſdem ponatur, quod ſi rex WENCESLAUS illis quid de novo conceſſiſſet, irritum & nullius valoris ſit futurum.

XIV. Item. Si vero firmiter inſtarent, ut dominus meus diplomata regis WENCESLAI quæ juſta forent illis confirmaret, ad hoc reſpondere oportet, ut ipſa regis WENCESLAI diplomata vel eorumdem copiam per ſuos deputatos ad dominum meum mittant, & quæ tunc juſta nec contra imperium fuerint, dominus meus de novo ſit confirmaturus.

XLVI.

MEMORIALE RATIONE NEGOTIATIONIS cum rege Galliæ circa matrimonium ducis Johannis regis filii cum filia regis Galliæ.

I. PRimo ex parte domini noſtri regis ad illum proficiſcentur comes Fridericus de *Lynningen*, magiſter Mathias de *Crashavve*, dominus Johannes camerarius de *Dalberg*, & magiſter Heilmanus decanus de *Newvenhuſen*, quibus quatuor ſunt datæ litteræ credentiales ad regem & reginam, ad ducem Burgundiæ, Bituricenſem & Borbonii.

II. Item. Præterea adſunt duo procuratoria expedita pro dictis quatuor aut maxima eorum parte, vigore quorum plenam habent poteſtatem nomine domini regis noſtri necnon ducis JOHANNIS tractandi & concludendi ſuper matrimonio, inter eumdem ducem Johannem & regis Galliæ filiam; unum procuratorium eſt pro filia regis natu maxima, aliud pro ſecundo genita.

III. Item. Supra memorati legati domini noſtri regis primo poſtulent filiam natu-maximam. Si autem id non ſuccederet, & Galli tantummodo vellent circa ſecundam tractare hoc domini noſtri legati acceptent.

IV. Item. Caſu quo Galli tractatui vellent inſerere, dominum noſtrum non oportere cum Anglia contra ipſos fœdus pangere, deſuper domini noſtri regis legati reſpondebunt quòd ſi affinitas ex matrimonio propoſito contrahatur inter dominum noſtrum & regem Galliæ, de illo fœdere nihil eſſe futurum. Tunc enim dominus noſter utrique parti tam Gallis quam Anglis ita conjunctus erit, ut merito inter illos neutralitatem amplecti teneretur, neque ulli parti ſuppetias ferre aut adhærere, neque unquam propenſus erit uni parti contra alium auxilium præſtare, uti juſtum eſt.

V. Item. Si autem hiſce Gallis non ſatisfieret, ſed urgerent, ut rex noſter modo ſuprascripto ſe obligaret, tunc legati domini noſtri cavebunt, ne in hoc puncto aliquid concludant, niſi prius circa matrimonium omniaque alia, circa dotem, ejus ſolutionem, traditionem & cautionem cuncta penitus ſint concluſa, ita ut poſtea deſuper nil ſit neceſſe movere.

VI. Item. Quo facto legati domini noſtri poterunt tractare circa punctum Angliæ: ita tamen ut articulus de matrimonio pari paſſu cum alio & non aliter tractetur, & circa iſtum articulum firmiter & conſtanter obſervabunt, qualiter hic infra ſcriptum ſtat.

VII. Item. Dominus noſter rex ſe obligabit, quod ſe cum rege Angliæ contra regem Galliæ non ſit colligaturus: ita tamen ut viciſſim rex Galliæ ſe obliget quod nec ipſe nec quiſquam è terris ſuis ſit auxiliaturus aut adhæſurus illis, qui regem noſtrum moleſtant, turbant, aut in imperio Romano reſiſtunt, & nominatim Mediolanenſi, idque ab utraque parte ita ordinetur, ſcriptiſque mandetur, prout legati domini noſtri optime norunt fieri debere.

VIII. Item. Ratione dotis, redotationis, traditionis, ſolutionis, & cautionis, dominus noſter ob alias magni ponderis occupationes adhuc bene conſulere nequit, ut ſubſcribant. Quare opinaretur debere ſuprafatos ſuos legatos uti memoriali ratione matrimonii in Anglia, & ſcripto, ac memoriali quod legati domini noſtri ratione ducis LUDOVICI antehac in Gallia habuerunt, ibique bene inventuros eſſe unde ſe poſſent dirigere; quod huic negotio omnem poſſibilem diligentiam, curam atque operam impendant, cum negotium hoc totaliter eis committat atque commendet, eſtque ſpecialiter domino Johanni camerario de *Dalberg* notum atque perſpectum, qualiter res iſtæ tam in Anglia quam in Gallia fuerint pridem tractatæ, poteritque ipſe ſupradictos alios domini mei legatos circa iſta peculiariter inſtruere.

XLVII.

MEMORIALE DE METENSI negotiatione.

I. PRimo dominus noſter rex mittit antefatis legatis litteras confirmatoriales omnium diplomatum, libertatum & privilegiorum Metenſibus à Romanorum regibus ac imperatoribus collatorum, litteraſque etiam credentiales ad eoſdem Metenſes directas quibus antedictorum dominorum legatorum nomina inſerta ſunt.

II. Item. Placet multum domino noſtro regi, ut memorati domini legati qui in Galliam proficiſcentur, in via Metim uſque properent, cauſamque cum illis finiant.

III. Item. Si Metenſes dicto diplomate confirmatorio non contentarentur, quod tunc legati domini noſtri cum ipſis tractent atque conveniant de certa forma quæ videatur honeſta, legitima, opportuna ac congrua, illiſque caveant, quod dominus meus rex eamdem ita ipſis ſit expediturus, qualiter ſint conventuri.

IV. Item. Si legati domini noſtri circa prædicta cum illis convenirent, & ſi Metenſes domino noſtro homagium & obedientiam præſtare vellent, tunc ſupradicti comes Fridericus & Johannes camerarius loco domini noſtri regis homagium ab ipſis ſuſcipiant, vigore litterarum cum ſumma poteſtate quas nunc illis mittit, quæ de utroque illorum vel de uno mentionem faciunt.

V. Item. Si Metenſes ita homagium præſtiterint, tunc legati domini noſtri illis exponent, qualiter dominus noſter rex velit tranſire montes, animo cum Dei auxilio ſuſcipiendi ſuam Cæſaream coronam: ad quem finem aliæ ſacri imperii civitates libenti, plena ac liberali manu jam tum contribuerunt, & ad eumdem ipſi quoque domino noſtro tributum atque auxilium præſtare velint, ſicuti ipſos deceret; atque ita dominum noſtrum in omnibus ſibi propenſiorem ac favorabiliorem redderent, ſeu prout legatis domini noſtri videbitur hæc Metenſibus quam commodatiſſime & maxime idonee proponenda eſſe, ita proponent.

VI. Item. Si itaque nobis aliquid muneris, ſubſidii aut tributi ſolvere velint, tunc legati domini noſtri illis ſpondeant, quod dominus noſter aut ejuſdem vicedominus ex parte ipſius cauſam Friderici *Hoffmans* ſit delaturus uſque ad ſuum reditum in Germaniam.

VII. Item. Si Metenſes quid pecuniarum dederint, id pro ſolvendis regiis debitis in Bavaria impendendum eſt, vel ubi maxima urgeret neceſſitas.

VIII. Item. Poſito quod ſatis domini noſtri legatis quidam ſermo proponeretur de Tullenſibus, Verodunenſibus & Cameracenſibus, quod domino noſtro regi quoque ſe ſubmittere vellent, ac circa ſuas libertates tractare: tunc legati domini noſtri tamdiu Metis hærere deberent, donec illam rem quoque ad finem perduxerint, quod noſtro domino gratum foret, atque ita illas libertates confirmatas & ſigillatas à domino duce LUDOVICO imperii vicario accipere, ipſique vel cui illud commiſerit nomine domini noſtri homagium præſtare poſſent, uſque ad reditum ejus in Germaniam.

IX. Item. Et qualiter legati domini noſtri è Gallia vel etiam ex ſupradicta civitate Metenſi aliiſque civitatibus diſcedant, de hoc dominum noſtrum regem ſtatim ac peculiariter certiorem reddent, ut noſter dominus ſecundum hoc in aliis negotiis ſe dirigere queat.

X. Item. Si conſiliarii domini mei in hiſce negotiis aliquid melius noverint, prout communicato conſilio optimum fore judicaverint, illud faciant.

XI. Item. Si legati domini mei in itinere ſuo verſus Galliam, vel dum ibidem morantur, animadverterint, quod nobis adverſaretur aut contrariaretur; & ipſis videretur nobis indicandum eſſe, ut hoc quamprimum indicent nec ſumtibus ratione nuntiorum parcant.

XLVIII.

EPISTOLA RUPERTI REGIS ad ſuos fideles.

Negat petitam pro Aquiſgranenſibus gratiam ſuam.

RUPERTUS, &c. Dilecti fideles, cum propter Aquiſgranenſes ad nos ſcripſeritis, ut ipſorum civibus, mercatoribus, & bonis illorum ad proximas nundinas Francofurtenſes ſalvum conductum præſtaremus, & gratiam quoque noſtram ipſis redderemus, ut quoque noſtri principes electores, & ceteri principes, proceres, & civitates illis per terras ſuas eumdem etiam præſtarent, noveritis & ſciatis, quod dicti Aquiſgranenſes temerarie & inſolenter contra nos & ſacrum imperium rebelles & refractarii fuerint, & adhuc ſint, neque ullam erga nos & imperium reverentiam habuerint; verum ita graviſſime deliquerint, ut id tam cito oblivioni tradere nequeamus: & propterea volumus vt prædictis Aquiſgranenſibus, illorum civibus, mercatoribus & bonis, nullus neque à nobis neque ab imperii principibus, fidelibus & ſubditis conductus detur aut permittatur; verum ut illorum perſonæ, & bona retineantur & capiantur ubicumque locorum inveniri poſſint; & ſi quis cum ipſis ſive ex parte ſive in toto bona ipſis communia habeat, unum cum altero arripiatur & detineatur, prout hoc noſtris & imperii principibus ac magnatibus, uti & vobis aliiſque civitatibus indicavimus, atque præſcripſimus; noſque vobis confidimus & ſerio mandamus, ut memoratis Aquiſgranenſibus, ipſorum civibus, mercatoribus, & cuicumque

qui bona, qui partem aut communionem cum illis habet, nullum conductum præſtetis, ſed illorum perſonas ac bona detineatis & arripiatis, ſi noſtram & imperii gravem indignationem evitare cupitis. Datum Heydelbergæ, feria quarta ante Mariæ Magdalenæ anno Domini milleſimo quadringenteſimo primo, regni vero noſtri anno primo. . . .

XLIX.

NEGOTIATIO QUAM DOMINUS noſter rex demandavit Uldarico de *Albech* & Johanni de *Mittelburh* cum illos mitteret in Longobardiam.

I. PRimo alloquimini dominum Paduanum, eique litteras credentiales domini noſtri tradatis, ipſique ſtatum & conditionem regis & exercitus optimo quo poteſtis modo conſolatorio exponatis.

II. Item. Poſtmodum domini noſtri regis litteras porrigetis, ſuæ majeſtatis ſigillo conſignatas, per quas illi mandat ut Mediolanenſem aggrediatur, damnoque afficiat; eique narrabitis dominum noſtrum ab ipſo petere, eique totaliter confidere, fore ut in hac cauſa omnem navet operam, ſeque fidelem in eadem exhibeat.

III. Item. Referetis illi quod dominus noſter ſcripſerit marchioni d'*Eſte* & domino Mantuano circa eamdem cauſam, & ab eo petite nomine domini noſtri num ſit conveniens, ut iſtas litteras illis mittamus, & quid in hoc negotio conſuluerit, illud facite.

IV. Item. Dicatis illi vos habere litteras credentiales ad vice-dominum Fori-Julii, ad Venetos, ad dominum Bononienſem & ad Florentinos; quodque dominus noſter vobis juſſerit cum illis tractare de ſuo adventu, necnon de præſtando auxilio contra Mediolanenſem, & eos qui ipſius partes tuentur, ſecundum ejus conſilium & inſtructionem; & rogate illum, ut vobis conſilium det & inſtruat, quid & qualiter cum ſupradictis negotiari debeatis, & ſecundum illius inſtructiones procedite.

V. Item. Indicabitis illi, quod dominus noſter vobisquoque dederit litteras credentiales ad tractandum cum proceribus, civitatibus & aliis ut redeant ad obedientiam domini noſtri, juxta ſuum aut illorum quibus illud committet conſilium & ordinationem, prout in eiſdem litteris continetur, quas ipſi quoque prælegetis. Illum quoque rogabitis, ut quoſdam ex ſuis conſtituat, qui vobis conſilium & inſtructionem uti optimum videbitur præſtare poſſint.

VI. Item. Significabitis illi quod dominus noſter rex cum ſuis principibus, proceribus & nobilibus, die Jovis aut Veneris proxime ſequenti poſt octo dies venturus ſit Tridentum, & quod eum amice requirat inſtanterque roget, ut ſe quam primum præparet cum comitatu ſuo, equitibus, peditibus, ſclopetariis, & proviſoribus, quotquot illorum ſecum habere poterit, cumque ſuo apparatu bellico, qui hoc tempore magis idoneus & utilis videbitur & ita ſine mora veniat ad dominum noſtrum regem in prædicta civitate; eo quod dominus noſter ipſum ſpecialiter apud ſe deſideret, ut cum ipſo aliiſque ſuis principibus, proceribus & amicis conſilium capere poſſit, qua via incedendum, & quomodo opportunius inimicum ſuum invadere poſſet.

VII Item. Referetis illi, cum illa capitula, quæ ab illo Azone Franciſci petierat, amicis ſuis hic morantibus miſerit, & quæ exinde ad dominum noſtrum regem portarunt, propterea regem vos miſiſſe, ut cum ſupradicto Azone tractetis, & circa capitula iſta cum illo & ſecundum ejus conſilium concludatis, & ut in illis proſpiciatis regis honori, & imperii utilitati, illorumque capitulorum copiam vobiſcum feratis.

L.

NEGOTIATIO CUM FLORENTINIS.

I. PRimo cum illis tractabitis de noſtro adventu & de bello contra Mediolanenſem illique adhærentes intentando, prout Paduanus vobis dicet, hocque illis quam dexterе poſſitis inſinuabitis.

II. Item. Ex parte domini noſtri illos requiretis, ut aliqua opportuna media excogitent, per quæ commune & civitas Lucenſis quæ ad imperium ſpectant, ad obedientiam erga dominum noſtrum reduci queant; cum dominus noſter credat, quod illis optime notum ſit atque perſpectum, quæ via moduſque ad hunc finem aptior ſit.

LI.

NEGOTIATIO CUM PRINCIPIBUS ELECTORIBUS domino Nicolao *Buman* demandata

I. PRimo illis referendum, quod dominus meus rex Venetiis noviſſime ipſis ſcripſerit, ſe animum habere hic in Italia manendi, ut tam ſuis, quam ſacri imperii rebus contra papam, tam ratione confirmationis quam coronationis, ſimul etiam contra alios qui imperii bona poſſident, pro viribus ſuis intenderet, & qualiter jam antea apud papam honorabilem legationem habuiſſet, & in illo tempore ipſi miſiſſet C. ideoque tunc miſit papæ nobilem virum Philippum de *Falckenſtein* & Nicolaum *Buman*, illiſque mandavit, ut cum venerabili CONRADO epiſcopo Verdenſi, quem ante Romam miſerat, & qui ibidem moraretur, quæ circa papam ſunt tractarent illumque rogarent, ut perſonam ſuam in imperio Romano confirmaret, illique coronam ſuam Cæſaream largiretur. Tunc quoque libenter

benter illi consuetum juramentum præstaret, quod alii sui prædecessores in imperio Romanis pontificibus præstiterunt, & quod dominus meus rex dictis suis legatis plenariam potestatem concessisset per patentes suas litteras sigillatas tale juramentum ex parte sua & nomine suo præstandi, & quod se obtulisset ejusmodi solitum juramentum corporaliter præstare quando Romam veniret.

II. Item. Quod dominus meus rex supra memoratis legatis commisisset, ut papam rogarent atque inducerent, quatenus à talibus præsumtionibus suis desisteret, quales ante per suos legatos necnon per legatos domini mei sollicitarat, nimirum ut præter memoratum hocce consuetum juramentum, quosdam gravissimos articulos voveret, juraret ac scripto traditos sigillo suo muniret, utque sit contentus consueto juramento, & rebus quæ ipsi possibiles forent ac decerent; & quod ad petitionem domini mei regis, Veneti, Florentini, & dominus Paduanus ad papam honorificam miserint legationem, ad res antedictas una cum legatis domini mei tractandas: in quarum negotiatione ipsi etiam tam fideliter auxiliati sunt, ut papa domini mei regis petitioni, qui tunc temporis Venetiis morabatur, per proprium suum secretarium, necnon per antedictum Nicolaum *Buman* & ante etiam per alios, uti & per domini mei legatos, annuerit atque consenserit, ac proinde dominus meus ac supra fati Veneti, Florentini, ac Paduanus, quibus dicta legatio bene nota erat, nil aliud scirent, quam quod papa sine longiori dilatione ipsum esset confirmaturus, & postea coronam Cæsaream impertiturus, ad quod Veneti aliique supradicti adjuverint: qua præcipue de causa dominus meus rex in hisce terris mansit.

III. Item. Quod sæpe fati domini mei regis legati Philippus de *Falckenstein* & Nicolaus *Buman* ad ipsum à papa regressi sint, qui episcopum Verdensem Romæ retinuerat, ad exspectandum hujus rei exitum; ipsique retulerunt, quod pontifex non ita fecerit, qualiter domino meo regi promiserat, atque significarat, sicuti supra scriptum est: sed quod novum tractum ac longiorem moram in hoc negotio quæreret, videlicet quod in hoc papa persistat, ut dominus meus rex antequam papa ipsum in imperio confirmet, ipsique imperialem coronam tribuat, præter prædictum hocce consuetum juramentum, se se obligaret, papæque juraret, super quibusdam admodum gravibus articulis, illisque subscriberet, quorum notulam, in qua forma illi articuli consistere deberent, domino meo regi transmisit: quorum articulorum notula & forma principibus electoribus prælegenda ipsisque & intimis illorum consiliariis clare est interpretanda, sicut & notula quam papa miserat quando domini mei personam confirmare volebat.

IV. Item. Post hæc principibus electoribus referendum est, quod dicti articuli & notulæ domino meo regi perquam difficiles esse videantur, quodque successoribus suis Romanorum regibus ac imperatoribus, principibus, electoribus & imperio magna & gravia præjudicia inde oriri possint, ac præsertim ipsi videatur sanctæ ecclesiæ, imperio, ac toti Christianitati rem fore gravissimam, quod ipse se deberet obligare non se velle procurandæ sanctæ ecclesiæ unitati immiscere, prout ipsimet bene intelligere possunt,

V. Item. Quando quidem supradictum negotium domino meo regi maximi videatur esse momenti, nec solum suam personam concernat, sed quoque tangat sanctam ecclesiam, imperium ac totam Christianitatem, nec non omnes qui ad imperium spectant, & qui domino meo obedire & fideliter assistere desiderant, ac idcirco dominus meus rex re bene perpensa cum suis consiliariis statuerit prædicta non suscipere, nec circa illa quidquam agere sine suorum principum electorum aliorumque suorum ac imperii principum & fidelium scitu & consilio; quodque propterea ad episcopum Verdensem scripserit, quatenus papæ nomine suo diceret, quod quantum ad formam, ejusdem copia principibus electoribus sit transmissa, & ut Romæ maneret causæque invigilaret ad papam hoc modo derinendum.

VI. Item. Ut dominus meus rex cum suis principibus electoribus super ante recensitis rebus eo solidius excellentius ac citius queat deliberare; & quoniam papa non fecit quemadmodum domino meo significarat, uti supra dictum est, neque talem opem & assistentiam in hisce Italiæ partibus conformiter, ut ei fuit relatum, invenit, quod quoque principibus electoribus quando ad ipsum venient bene referret: ea de causa penitus statuerit redire in Germaniam, ac proinde requirit ac serio rogat principes electores, ut die dominica post octavam Corporis Christi proximè ventura ipsi Moguntiæ adesse velint, ubi etiam in persona ipsos vult accedere; ac petit ut interim de supradictis negotiis deliberent, uti pariter dominus meus interea est facturus, cum istud negotium cum illorum consilio tractare intendat.

VII. Item. Quod dominus meus etiam desideret & electores roget, ut doctissimos optimosque suos ecclesiasticos secum ad istam diætam ducere velint.

VIII. Item. Si dominus Moguntinus vel alii dicerent se audivisse quod dominus meus præfatos articulos observare promisisset, ad hoc respondendum, quod supradictis suis legatis generale procuratorium dedisset: attamen quod in suo memoriali illis suggessisset ac præcepisset, in quo se deberent firmare; & cum illi advertissent quod papa numquam vellet finire domini mei instructiones, trans-

greſſi fuerant & ita generaliter locuti ſunt, ut per hoc papalem animum ſibi benigniorem redderent.

IX. Item. Si principes electores poſtularent copiam ſupra memoratorum articulorum & notulam, tunc illis detur.

X. Item. Domino Colonienſi vel maxime dicendum, ut cauſæ inter dominum meum Clivenſem & comitem Meurſiæ longiorem dilationem concedat; cumque dominus meus rex cum ipſo convenerit, quod tunc mutuo ſint deliberaturi quomodo negotium iſtud amicabiliter poſſint componere.

XI. Item. Si aliquibus & principibus electoribus videretur antedicta dies nimis eſſe brevis, & quod ad illam comparere nequeant, ad hoc illis dicendum, quod quo citius dominus meus rex cum illis convenerit circa prædicta negotia, eo imperio illiſque omnibus utilius atque commodius futurum eſſe, ſi tamen ipſi aut ipſorum aliquis ad præfatam diem comparere non poſſint, placere domino meo regi ut octo aut quatuordecim diebus terminus prolongetur.

LII.

NEGOTIATIO CUM DOMINO COLONIENSI ſolo facienda, ita ut nullus adſit niſi unus aut duo quibus ſingulariter fidat.

I. ILLI, prævia ſpecialium *litterarum* credentialium traditione, referendum, dominum meum ipſum requirere ac rogare, ut rem hanc ſecretam conſervet, & ſecum diſcutiat, donec ſupra fata die conveniant, ſicque poſtmodum dicendum, à rege & regina aliiſque magnatibus Galliæ ad dominum meum deputatum eſſe legatum, nominatim dominum Stephanum *Smyeker* cum litteris credentialibus, tenorè quarum ipſe tractavit, quod ſi dominus meus rex ſe vellet unire cum rege Galliæ ad procurandam in ſancta eccleſia unitatem, tunc dominus meus foret aſſecurandus, quod cum Mediolanenſi habiturus ſit pacem juxta omne ſuum beneplacitum: & caſu quo Mediolanenſis id facere detrectaret, quod tunc rex Galliæ contra ipſum militibus & pecuniis uti & contra omnes qui adverſantur & contradicunt imperio, domino meo adjuturus, atque etiam ad hoc ſpecialiter papam inducere conaturus ſit, ut fiat unitas in ſancta eccleſia; & quod domino meo à rege Galliæ & Gallis talis aſſiſtentia & adjutorium ſit futurum, majus etiam quam ipſe deſiderare poſſet.

II. Item. Quod jam tum dominus meus rex apprime noſcat, papam æquali ſeu pari paſſu non ambulare, ſed mira meditari; ideoque ſe reſolvit, dummodo in hoc principes electores conſentire, conſulere & adjuvare velint, antequam tale juramentum ac fidelitatem papæ præſtet, qualem ipſe exigit, prius cum rege Galliæ & Gallis fœdus modo licito & juſto ſeſe velle inire ad ſtabiliendam in ſancta eccleſia unitatem; & propterea, ſi ipſi videatur, præpoſitus Leodienſis vel aliquis alius ad hanc rem in diæta eſſe neceſſarius, ut illum ſecum ducat.

LIII.

NEGOTIATIO AD LEOPOLDUM ducem Auſtriæ demandata D. Ulrico de *Albeik*

I. PRimo illi litteras domini mei regis credentiales tradere debebitis, deinde ei dicetis, quod dominus meus rex vos ad ipſum miſerit, juſſeritque exponi, quod tota hac hieme epiſcopum Verdenſem Romæ apud papam in ſua legatione habuerit, & quod poſtea etiam dominum de *Falckenſtein*, & unum ex ſuis protonotariis Romam ad papam miſerit, eumque requiri & admoneri curaverit, quatenus ſuam perſonam approbaret tamquam regem Romanorum, eumque corona ſua imperiali inauguraret: & quod dominus meus rex aliter ſibi imaginatus non fuiſſet, quam papam ipſum abſque mora eſſe approbaturum, ſuaque imperiali corona inſigniturum, & quod ideo potiſſimum in Italia hucuſque permanſerit.

II. Item. Inſuper quod legati domini mei regis, quos Romam, ut ſupra dictum eſt, miſerat, ad dominum meum regem ſcripſerint uti & poſtea dum redierunt, ore tenus ipſi narraverint, papam petere ut dominus meus rex infra ſcriptos articulos ſubſcribat, ſuæ majeſtatis ſigillo conſignet, necnon adſanctos juret eoſdem obſervare, & ex integro exequi.

III. Item. Quos articulos de verbo ad verbum ipſi prælegatis prout papa poſuit.

IV. Item. Et cum antedicta cauſa non tantum perſonam domini mei regis concernat, ſed & ſanctam eccleſiam, totum imperium, omneſque illos qui ad illud pertinent, eidemque fideliter obedire ſatagunt ac reſiſtere nituntur; quod propterea dominus meus rex cum conſiliariis ſuis ſtatuerit circa dictos articulos cum papa nil concludere ſine ſuorum principum electorum atque aliorum ſuorum ac ſacri imperii principum & fidelium conſilio & ſcitu, & hinc ex Italia diſceſſerit, redieritque in Germaniam, & quod diætam Moguntiæ inſtituerit, nimirum dominica poſt octavam Corporis Chriſti, & quod ad illam etiam invitaverit ſuos principes electores, & quod ipſemet ibidem cum illis velit conſultare quid in prædicta cauſa agendum ſit.

V. Item. Quod dominus meus rex juſſerit ſupra allegatos articulos ipſi exacte referri tamquam ſuo ſpecialiſſimo & dilectiſſimo amico, utpote in quo totam & integram habet fiduciam, eumque roget, ut rem hanc ſerio ſecum perpendat, ſibique ſuum deſuper conſilium vobiſcum communicet, cum negotium hoc non ſolus, ſed cum ipſius alio-

rumque ſuorum amicorum & principum conſilio & ſcitu tractare velit.

VI. Item. Poſtmodum duci LEOPOLDO dicetis, quod dominus meus rex in reditu ſuo Oeniponti pernoctarit, ibidemque invenerit ſuum aulæ præfectum dominum Fridericum de *Fledenz*, & quod ipſi quoque antedictos articulos expoſuerit eo modo, quo vos duci LEOPOLDO expoſuiſtis, & quod idem aulæ præfectus domino meo regi inter cetera dixerit regem Hungariæ legatos ſuos miſiſſe ad ducem WILHELMUM, necnon ad ducem ALBERTUM Auſtriacum, ab iiſque poſtulari mandaſſe, ut ſe ſuoſque per ſuas terras & dominia finirent introrſum proficiſci verſus Longobardiam.

VII. Item. Et cum hæc duci LEOPOLDO innotuiſſent, incontinenter acceſſit ducem WILHELMUM & ducem ALBERTUM, dixitque illis: Dilecte frater & dilecte conſanguinee, mihi relatum eſt, quod rex Ungariæ per ſuos legatos vos requiſierit, quatenus permitteretis, ut poſſit per terras & dominia veſtra tendere verſus Longobardiam; vobis interea notum eſt, quod terris populoque noſtro plurimum damni à Bohemis acciderit, & quod ubicumque nobis nocere potuerint, ſemper id fecerint: cumque hoc jam fiat, ſi accideret quod rex Hungariæ vi Bohemiam occuparet, ſic pertimeſco multa iſtius generis eventura, quæ nobis omnibus, terris populiſque noſtris ſummopere ſunt nocitura. Præterea vos non latet, quod dominus meus novus rex probus ac pius ſit dominus, quodque ipſe bonum commune libenter pro omni ſuo poſſe promoveret, quodque nobis omnibus in ſignum amoris & amicitiæ præſtare valeret; id ſpontanee exhiberet; & ego etiam conſiliario ejus juramentum feci, quod illi aſſiſtere & auxiliari vellem, quodque facere volo. Scitiſque præterea annuos communes reditus ipſo die ſancti Georgii eſſe recipiendos, quos ſine me accipere non poteſtis, eroque in hoc negotio tranſitus vobis contrarius, & pro viribus impedire conabor.

VIII. Item. Et hiſce verbis dux LEOPOLDUS ſuum fratrem & conſanguineum diſtraxit adverſus regem Hungariæ & regem Bohemiæ: hiſque fatus dominus aulæ præfectus inſeruit ſequentes ſermones, omnimode ſe exiſtimare firmiterque credere, quod ſi dominus meus rex ad ducem WILHELMUM & ducem ALBERTUM Auſtriacum unum ex principibus ſuis filiis deputaret, ipſos ſeſe obligaturos & devoturos contra Mediolanenſem omneſque illos qui imperium turbare tentarent: ita tamen ut dominus meus rex viciſſim ſe ſe obſtringeret, ipſis duobus opem & aſſiſtentiam eſſe laturum adverſus regem Hungariæ & Bohemiæ.

IX. Item Poſtquam ſupraſcriptos ſermones aulæ præfectus de *Fledenz* narraſſet, dominus meus rex ipſos ex animo audivit: quare & bene intellexit & animadvertit dominum ducem LEOPOLDUM ſua negotia cordi ducere, omnique cum ſtudio ea tractare, ipſique quam fideliſſime eſſe addictum.

X. Item. propterea dominus meus rex immenſas illi grates rependit, bonaque & vitam ac quidquid in illius poteſtate eſt pro ipſo ſit expoſiturus, nec illum umquam dereliqturus; uti etiam ipſa æquitas exigit.

XI. Item. Inſuper narrate illi dominum meum regem vobis ſuas litteras credentiales dediſſe pro ipſius fratre & conſanguineo ducibus Auſtriæ, ipſumque rogari cupit, num fieri poſſe arbitraretur, ut ipſius frater & conſanguineus prædictam viam amplecteretur, & ſi conſultum illi videatur, ut unum ex conſiliariis ſuis vobiſcum mittat ad ſuum fratrem ejuſque conſiliarios verſus Auſtriam ad conſtituendam diætam, in qua convenire poſſent; mittet quoque libenter dominus meus rex unum ex principibus ſuis cum plenaria poteſtate ad præfatam diætam, ita ut ſupra nominati duces Auſtriaci etiam ipſi in perſona ad eamdem diætam comparere poſſint, ad hoc negotium tractandum & ex integro terminandum ſeu concludendum: ſi vero ipſi in perſona ad illam diætam venire nollent, legatos tamen ſuos cum poteſtate illuc mittere vellent: tunc quoque dominus meus rex conſiliarios ſuos cum plenaria poteſtate illuc deputabit, ut de cauſa, uti ſupra ſcriptum eſt, conveniant atque concludant.

XII. Item. Quidquid in hoc negotio factu opus eſſe judicaverit circa diem conſtituendam, vobis dominus meus rex mandavit, ut omnia ſecundum illius conſilium ordinetis & faciatis, cum dominus meus rex ipſi tamquam ſuo dilectiſſimo amico ſpecialiter & integre fidat.

XIII. Item. Si ergo illam certam diem conveneritis, ſatagite ut quamprimum poſſibile ſit ſtatuatur, ita tamen ut conſiliarii domini mei regis Rhenum ad illam deſcendere queant, atque ut ita tempus menſuretur, ut non ſit nimis breve.

LIV.

NEGOTIATIO CUM ARCHIEPISCOPO Saliſburgenſi domino Ulrico de *Albeik* demandata

I. PRimo illi litteras credentiales domini mei regis tradatis, & ipſi gratias agatis pro amica oblatione, quam per litteras ſuas exhibuit, præſertim quod legatos ſuos expedierit ad nobiliſſimum ducem LEOPOLDUM Auſtriæ, ut illi ſuadeant ut fratrem & conſanguineum ſuum inducat, ad præſtandum domino meo tamquam Romanorum regi homagium, ex quo & aliis notabilibus punctis, per quæ ſe erga dominum meum benevolum exhibet, dominus meus ſingularem

colligit amorem & amicitiam, quam erga ipsum & sacrum imperium gerit, & propterea dominus meus specialiter ipsius suæque ecclesiæ clementissime recordaturus, eaque gratanter sit compensaturus,

II. Item. Dicatis quoque illi, quantum ad hoc admonitus sit, nobilissimum dominum LUDOVICUM comitem palatinum Rheni & ducem Bavariæ dilectum consanguineum nostrum ac principem laborare de revocatione incorporationis ecclesiæ Bertholdgadensis, quod nobis nihil de eo constet, nec dictus noster consanguineus hactenus quidquam desuper nobis locutus sit, & si ad notitiam nostram veniret consanguineum nostrum se huic negotio contra ipsum velle immiscere, quod tunc amice pro viribus nostris ipsum ad hoc inducere simus conaturi, ut nec ipsi neque suæ ecclesiæ aliquid contra fas attentaret; & quod credamus præfatum nostrum consanguineum hoc etiam illubenter esse facturum.

III. Item. Narrabitis etiam illi prout ante specialiter ipsi scriptum fuit, qualiter sat longo tempore fuerit Paduæ & Venetiis, ita ut sibi imaginatus fuisset in Italia commune suum & imperii bonum procurare & cum Mediolanensi congredi potuisse, uti & suam Cæsaream coronam accipere valuisse, in quem finem se suaque, vitam & bona impendere voluisset.

IV. Item. Et ad eumdem finem dominus meus rex episcopum Verdensem in sua legatione tota hac hieme Romæ apud papam habuit, dominumque de *Falckenstein* & unum ex suis protonotariis Romam ad papam etiam misit, prout legatus papæ, nimirum dominus Franciscus de Montepolitiano negotiatus fuit, curavitque papam rogari & admoneri, ut suam personam vellet approbare tamquam regem Romanorum, ipsumque sua Cæsarea corona inaugurare; quod tunc etiam dominus meus ipsi tale consuetum juramentum esset præstiturus, quale sui in imperio antecessores Romanorum reges & imperatores summis pontificibus qui tunc temporis extiterunt, præstiterunt.

V. Item. Quod dominus meus rex legatis suis quos Romam miserat, per patentes suas sigillatas litteras plenariam dederit potestatem ejusmodi solitum juramentum papæ nomine suo atque in animam suam præstandi, & si ipse, Deo juvante, Romam veniret, quod tunc tale juramentum in persona ipsi vellet præstare.

VI. Item. Quod legati domini mei regis, quos ita Romam miserat, uti supra scriptum est, ad dominum meum regem scripserint, ac ipsimet post suum ad ipsum reditum ore tenus narraverint, quod dominum meum regem approbare nollet tamquam regem Romanorum, nec ipsum corona sua imperiali donare, nisi prius præter tale consuetum juramentum, quod alii Romanorum reges & imperatores antehac summis pontificibus præstiterunt, sub suæ majestatis sigillo se obligaret, atque ad sanctos juraret infra scriptos articulos sese observare & plene exequi velle.

VII. Item. Eosdem articulos de verbo ad verbum eidem prælegatis, deinde dicetis præallegatos articulos ac puncta domino meo regi videri admodum gravia, nimirum quod non deberet se immiscere stabiliendæ sanctæ ecclesiæ unitati.

VIII. Item. Si papa hoc tempore domini mei regis personam approbare nolit, nec ipsum sua imperiali corona inaugurare, uti supra scriptum est, sic dominus meus rex gravaretur hæc in se suscipere & ad insolita se obligare absque principum electorum, aliorum principum imperiique fidelium consilio.

IX. Item. Quod propter antedicta puncta & res dominus meus rex statuerit ipsemet in persona proficisci per Germaniam, & cum principibus electoribus atque aliis suis & sacri imperii principibus & proceribus in hoc negotio consultare, & specialiter cum suis consiliariis intimioribus; & tunc si ipsi memoratos articulos totumque negotium communicaveritis, utpote dilecto suo & fideli amico, ipsum rogate, ut illa serio secum perpendere, suumque desuper consilium vobiscum mandare velit, cum dominus meus rex hanc rem juxta suum consilium & scitum præcipue tractare intendat.

X. Item. Illi relatis, quod dominus meus rex antedictis articulis & negotiis ita invigilarit & intenderit, ut multum se exhauserit, & omnia cimelia sua vasaque argentea oppignoraverit, ita ut pro nunc illa redimere nequeat; illi vero qui desuper pecunias domino meo mutuo dederunt, cimelia & vasa argentea apud se ulterius retinere nolunt, sed vendere volunt, cum tamen multo plus valeant quam sit pecunia pro qua oppignorata sunt, unde notabile damnum dominus meus incursurus est.

XI. Item. Ac proinde dominus meus rex ipsum roget, ut illi mutuo det duodecim millia florenorum, quibus cimelia sua & vasa argentea redimere queat, necnon alia necessaria debita exsolvere, atque ut ipse illa conservet donec dominus meus illa, uti sperat, redimere possit.

XII. Item. Si illa cimelia & vasa argentea ad dictam summam secundum suam opinionem non valerent accedere, cum tamen sint multo meliora, quod vos tunc habeatis potestatem pro nobis spondendi, quod dominus meus sufficientem ipsi præstiturus sit cautionem, ut nullum inde pateretur detrimentum, verum ut pecunia ipsi ex integro restitueretur.

XIII. Item. Per hoc domino meo regi ipse exhiberet quam singularem charitatem, amicitiam & obsequium, pro quibus grates rependendæ

pendendæ, dominumque meum regem ipſi ecclesiæque ſuæ iſta recompenſare conaturum eſſe.

LV.

NEGOTIATIO CUM LANDGRAVIO HASSIÆ Johanni de *Hane* commendatario ordinis Teutonici Francofurtenſi deputata

I. PRimo ei tradatis litteras credentiales domini mei regis, dein dicatis ei dominum meum regem vos ad ipſum miſiſſe, ipſique intimari mandaſſe, quod propter rem ſummi & graviſſimi momenti, quam ipſe bene in ſuo ad ipſum adventu communicabit, ſe ex Italia moverit & in Germaniam redierit.

II. Item. Et cum dominus meus in patriam ſuam verſus Bavariam & Ambergam veniſſet, ſuos conſiliarios & præfectos quos ibidem repererat ſibi retuliſſe, quod inimicitiæ & bellum inter dominum Moguntinum & ipſum adhuc durent, quodque hoc dominum meum ſummopere affligat, quod hi duo ſeipſos ſuaſque terras & populum devaſtent, & ad ruinam redigant ac perditionem, uti & domino meo regi in ſuis ac ſacri imperii negotiis magnos cauſent errores & impedimenta; dominuſque meus rex ad filium ſuum ducem LUDOVICUM vicarium ex Italia ſerio ſcripſerit, illique mandaverit, ut diem ſtatueret qua illos ad invicem reconciliare conaretur, eorumque lites componeret, dubiaque decideret.

III. Item. Ac proinde dominus meus rex petit, ipſumque quam poſſit amiciſſime ac inſtantiſſime rogat, ut ipſe ſuique fautores cum domino Moguntino ſuiſque fautoribus uſque ad feſtum Aſſumptionis beatæ MARIÆ proxime venturum pacem habere velint, atque deſuper ſuas ſigillatas litteras pacificas ipſi vobiſcum mittat, quodque dominus meus idipſum domino Moguntino ſcripſerit, exiſtimans eum in hoc eſſe pariturum: tuncque dominus meus rex iſto pacis tempore, quadam die Francofurtum vel Fridbergam ambos coram ſe vocare intendat, ad quam diem dominus meus rex in perſona comparere velit, & probare pro omni ſuo poſſe, num ipſos mutuo componere queat.

IV. Item. Dicetis illi dominum meum regem ſingulariter ipſi confidere, fore ut in hiſce rebus obſequatur, atque conſideret varia & gravia inde terris populiſque evenientia ac emergentia damna, ruinas ac perditiones, niſi id faceret.

V. Item. Quodque per hoc domino meo regi rem gratiſſimam atque amiciſſimam exhibiturus ſit, quam ipſi gratificare libenter velit.

VI. Item. Poſtquam in forma ſupra ſcripta ita expoſueritis, tunc rogate ipſum, ut amore domini mei regis deſuper vobis amicabile der reſponſum, ut illud etiam domino meo regi ulterius denuntiare poſſitis.

VII. Item. Si dato vobis de his reſponſo, nec ipſe nec ejus fautores cum domino Moguntino ejuſque fautoribus pacem modo ſupraſcripto velint ſuſcipere, tunc dicetis illi: Chariſſime gratioſiſſime domine, exortæ inter dominum meum Moguntinum & vos inimicitiæ domino meo non leves moleſtias atque dolorem inferunt. Nam optime novit illas utrique veſtrum veſtriſque terris & populis eſſe perniciosiſſimas, dominoque meo cauſare maxima impedimenta & damna in ſuis ac ſacri imperii rebus; cumque jam videat vos pacem minime inituros, quam dominus meus rex à vobis exquiſierat, penituſque exiſtimaverat eamdem ejus cauſa & amore accepturos fuiſſe: ſic dominus meus rex vos rogari curavit, ut ſaltem vobis placeat deſignare diem qua Francofurtum vel Fridbergam venire velitis; ſic dominus meus domino Moguntino diem quoque ac tempus ad ipſos in una ex illis civitatibus accedendum intimari ſinet, ac tentabit num vos invicem reconciliandi ſit capax.

VIII. Item. Si talem diem deſignare voluerit, tunc quoque ex parte domini mei regis cum ipſo loquimini, ut de hac ſigillatas ſuas litteras vobis dare velit, quod dominus meus Moguntinus omneſque quos ad dictam diætam conducet, à domino meo Landgravio cunctiſque ſuis fautoribus ſint tuti atque ſecuri, ita ut ipſi in itinere huc illucque, ſeu in acceſſu & receſſu meo domino Landgravio ſuiſque nullum detrimentum inferant, in nihiloque noceant abſque ulla fraude.

IX. Item. Sic dominus meus rex eadem domino Moguntino omni cum ſinceritate indicare mandabit, & arbitratur ſe in iis morem geſturum ſuaſque deſuper daturum litteras ſigillatas, quod dominus meus Landgravius omneſque ii quos ad illam diætam ſecum ducet, à domino Moguntino cunctiſque ſuis fautoribus ſuamque partem tuentibus in acceſſu ad eamdem diætam & in receſſu ſint ſecuri ac tuti, ita ut dominus meus Landgravius, & ii quos ad illam diætam ſecum ducet in itinere huc illucque domino Moguntino nulla quoque damna inferant.

X. Item. Poſtquam dominus meus rex illas litteras à domino Moguntino uti & à domino Landgravio receperit, tunc illis diem deſignabit quamprimum potuerit, litteraſque domini Moguntini domino Landgravio, & viciſſim litteras domini Landgravii domino Moguntino tranſmittet.

XI. Item. Quidve ab ipſo vobis reſpondeatur, hoc domino meo regi ſine ulla dilatione ſignificabitis, ut ſe illi conformare ſciat.

XII. Item. In ſupra dicta forma & pari modo dominus Theodorus de *Schuchsheim* cum domino Moguntino negotiabitur.

LVI.

EPISTOLA RUPERTI REGIS dilecto noſtro cognato & nobili principi ERNESTO comiti palatino Rheni & Bavariæ duci.

Ut diſcordias ipſum inter & Ludovicum principem componere ſtudeat.

ILluſtris dilecte cognate & princeps, quandoquidem dilectioni tuæ optime notum eſt, quod omnibus principibus, comitibus, magnatibus, equitibus, militibus & civitatibus Germaniæ, noſtras patentes & ſigillatas litteras miſerimus, ipſiſque notum fecerimus, quod plurimos ex noſtris & ſacri imperii principibus, comitibus, magnatibus, equitibus, militibus & civitatibus Germaniæ nobis faventibus nobiſcum verſus Longobardiam ducere voluerimus; atque ex regia Romana auctoritate ſtatuerimus & mandaverimus, ut qui nobiſcum in Longobardiam profecturi eſſent, toto tempore, & quamdiu nobiſcum in ſervitio noſtro fuerint, nemo quiſcumque is demum fuerit, illos in perſonis, bonis & poſſeſſionibus ſuis aggredi vel quocumque modo moleſtare præſumeret, quique contra ageret, ipſo facto incurſurus eſſet noſtrum & ſacri imperii bannum gravemque indignationem, prout prædictæ litteræ clare monſtrant. Cum vero illuſtris & dilectus noſter cognatus & dux LUDOVICUS nobis expoſuerit, qualiter tu nunc, dum ille in noſtro ſervitio & nobiſcum eſt, Monachienſium magnam vini quantitatem, telonii ſolvendi prætextu, detineris, quodque ea rurſus à te pro certa pecuniæ ſumma redimere debuerint; & quod præterea mandaveris in omnibus tuis arcibus & dicaſteriis, ut ibidem omnia illorum bona arreſtarentur, & hoc, prout ille intellexit, feceris ratione cujuſdam exactionis pecuniariæ, quam ab ipſis prætendis, & etiam prout ille nobis dixit, & quod verum putat eſſe, quod quidam ex expulſis civibus Monachienſibus in judicio tuo provinciali Landſpergenſi & quibuſdam aliis tuis dicaſteriis Monachienſium bonis litem intentarint, ac ea ſibi vendicare conentur: miramur interea nos te hoc permiſiſſe, cum tibi ſatis conſtet, quod ſupradictus noſter cognatus modo apud nos hic in Longobardia & in noſtro ſervitio ſit: nos etiam credamus, quod aliter inter vos hæc ordinaverimus; quapropter dilectionem tuam amice & ſerio requirimus & rogamus, ut mandes, quatenus lis ab extorribus civibus Monachienſibus in tuo judicio Landſpergenſi, ac quibuſdam aliis tuis dicaſteriis Monachienſium bonis intentata quantocius ceſſet & caſſetur, quemadmodum vobis ſæpe deſuper ſcripſimus, atque ut lis iſta Monachienſibus nullum afferat præjudicium. Verum ut Monachienſes ratione pecuniarum quas pro redimendis vinis ſuis tibi ſolvere debuerunt, indemniſentur, & ut omnia quæ inter te & cognatum noſtrum ducem LUDOVICUM ac Monachienſes verſantur, amice gerantur, omnique meliori modo, quo erant, quando antedictus noſter cognatus dominus LUDOVICUS itineri, ut huc nobiſcum veniret, ſe accinxit, uſque dum per Dei gratiam in Germaniam redeamus: quidquid tunc litium & diſcordiarum inter vos fuerit, audita utraque parte decidemus. Nobis enim ingratum foret ac auditu moleſtum, quod tu vel tui contemneretis aut parvi penderetis quocumque modo litteras noſtras aut mandata noſtra, quæ omnibus principibus, magnatibus, aliiſque miſimus, notificavimus, & injunximus; id enim nobis multis modis incommoda & damna, tibique exprobrationes parere poſſet, ſicut ipſa tua dilectio bene intelligere poteſt: ceteroquin illubenter videmus, quod vel cognatus noſter dux LUDOVICUS, vel tu tuive ex utraque parte aliquid agant, quod aut diſcordias aut inimicitias inter vos fovere vel cauſare poſſet. Confidimus interea tuæ dilectioni te acturum quatenus hæc omnia de medio tollantur, & deſuper in ſcriptis reſponſum tuum præſtolamur cum hoc præſenti nuntio. Datum Venetiis ſexta-decima die menſis Decembris anno milleſimo quadringenteſimo primo, regni vero noſtri anno ſecundo.

Ad mandatum domini regis
Winheim

LXII.

EPISTOLA RUPERTI REGIS illuſtri noſtro dilecto filio & duci Ludovico comiti palatino Rheni & duci Bavariæ, noſtro & imperii per Germaniam vicario.

Ejuſdem argumenti.

ILluſtris dilecte fili & princeps, nobis expoſuit illuſtris LUDOVICUS comes palatinus Rheni & dux Bavariæ cognatus noſter dilectus & princeps, qualiter quidam exules Monachienſes ejuſdem loci civium bonis, quæ ſubſunt judicio provinciali Landſpergenſi aliiſque dicaſteriis cognati noſtri ducis ERNESTI, litem intentarint, illaque ſibi appropriarint, quod etiam idem noſter cognatus dux ERNESTUS cum fratre ſuo duce WILHELMO, ante memoratorum Monachienſium vina in *Wolfertshauſen*, omniaque illorum bona in judiciis ſuis arreſtari mandaverint, & propterea ad cognatum noſtrum Erneſtum litteras dedimus, quarum copiam hic incluſam mittimus: ideoque ſerio te requirimus, ut non intermittas quin ſine mora aliquem ex conſiliariis noſtris ad prædictum noſtrum cognatum ducem ERNESTUM mittas, qui ex noſtra & tua parte cum illo loquatur & agat, quatenus diſponat & mandet, ut lites illæ plene & intunctanter auferantur, prout

etiam ante illi ſcripſeramus, & ut Monachienſibus ratione pecuniarum, quas pro redemtione vinorum ſuorum exſolverant, ſatisfiat; quod etiam ab illo futurum iri penitus confidimus, idque tibi ſerio commendamus, remque ita inſtituas, ut omnia in melius vertantur, inque eum ſtatum reducantur, quo fuerunt, quando cognatus noſter dux LUDOVICUS Monachio diſceſſit; quod niſi fiat, aliis opprobrio erimus, poſtquam principibus, magnatibus aliiſque per noſtras patentes litteras ſignificavimus, & mandavimus *ſub pœna banni* aliarumque noſtrarum indignationum, ut ab omnibus attentatis abſtineant, & quod nobis damnum, illique, quod tamen nobis diſpliceret, dedecus pareret: & quod cognatus noſter dux ERNESTUS in hoc negotio faciat vel facturus ſit, reſponſo tuo certiores nos redde. Datum ut immediate ſupra.

Ad mandatum regis
Johannes *Winheim*.

LVIII.

NEGOTIATIO CUM PRINCIPE ERNESTO duce Bavariæ.

I. LItteras domini mei regis illi tradito, ac poſtea dicito quod dominus meus rex ſuam amicitiam & amorem illi offerat; & quod ille cum domina mea conjuge ſua ſuique omnes per Dei gratiam ſalvi & incolumes ſint, & quod idem de *ipſo audire optet*, uti æquum eſt.

II. Item. Quod dominus meus rex ſuam legationem à die ſancti Michaëlis Romæ apud ſanctiſſimum patrem papam habuerit, ſanctiſſimuſque pater papa viciſſim eam modo apud dominum meum regem Venetiis habeat, & quod ad eamdem ſanctiſſimi patris noſtri papæ legationem dominus meus rex jam deſtinarit legatum ſuum nomine de *Falchenſtein*, necnon miſerit ad eumdem SS. patrem noſtrum papam unum ex ſuis protonotariis, qui ante Romæ fuerat; nec quod aliter ſciat, quam quod SS. pater noſter papa illi apprime ſit addictus, illique fideliter conſilio & ope adeſſe velit in cunctis ſuis & imperii rebus & negotiis; & quod dominus meus rex ſit in procinctu proficiſcendi Romam, imperialem ſuam ſuſcepturus coronam: atque narrato illi de rebus domini mei ea, quæ vobis optima opportuniſſimaque eſſe videbuntur.

III. Item. Poſtea dicito: Dilecte & gratioſiſſime domine, dominus meus rex juſſit, ut gratiæ veſtræ referrem, quemadmodum etiam multoties vobis ſcripſit & petiit, ut omnem ſimultatem & diſcordiam quæ eſt inter dominum meum ducem LUDOVICUM & vos deponatis, atque ut cauſam Monachienſium amice quieſcere ſinatis, omniaque in eo ſtatu & modo relinquatis, quo erant quando dominus meus dux LUDOVICUS ultimo profectus eſt, donec *idem redeat in Germaniam*; & quod ſimiliter in ſpecie lis illa quam exules cives Monachienſes ſuper Monachienſium bonis in judicio provinciali Landſpergenſi, aliiſque veſtris judiciis intentarunt, aboleatur, utque Monachienſes à pecunia pro qua caverunt, propter quædam vina ipſis arreſtata, ex integro abſolvantur.

IV. Item. Dicito quod domino meo regi hactenus nullum ab illo venerit reſponſum, & quod dominus meus dux LUDOVICUS domino meo regi retulerit, quatenus Monachienſes ipſi ſcripſerint, quod à domino meo duce ERNESTO & ſuis magis magiſque in dies premantur, nec illos ſinat perſiſtere in illo ſtatu in quo erant, quando dominus meus *dux Ludovicus ultimo* inde diſceſſerat.

V. Item. Quod ipſe bene ſciat, quod dominus meus rex, quando adhuc morabatur in Germania, cunctis principibus & civitatibus per patentes ſuas litteras ſcripſerit, quod nullus omnium & ſingulorum *principum*, comitum, magnatum, equitum, militum & civitatum, qui cum ipſo verſus Longobardiam tendunt, ipſique ad ſerviendum mittunt homines bonos, quamdiu cum ipſo & in ipſius ſunt ſervitio, ullo pacto à quocumque infeſtari aut lædi debeant, ſed ut ab omnibus tuti ſint, prout clare monſtrant eædem litteræ

VI. Item. Dicito illi, quod de iiſdem litteris dominus meus dux LUDOVICUS dominum meum regem admonuerit, ſe in illis comprehendi, & quod idem dominus meus dux Ludovicus jam ſit apud dominum meum regem in Italia, ipſique conſilium & auxilium fideliter præſtet in cunctis ſuis rebus ac negotiis, ita ut *jure merito teneatur* ipſum pari modo juvare, ne ipſe & ſui moleſtiam patiantur.

VII. Item. Dicito quod ideo dominus meus rex illum inſtantiſſime & quantum poſſit amiciſſime roget, ut omnem ſimultatem & diſcordiam quæ eſt inter dominum meum ducem LUDOVICUM & ipſum, necnon particulariter Monachienſes pacifice ſinat quieſcere, donec dominus meus dux LUDOVICUS redeat in Germaniam, omni ratione & modo quo erat inter illos, eo tempore quo ſupradictus dominus dux LUDOVICUS inde cum domino meo rege abiret hinc in Italiam profecturus, atque ut dicta lis, quam extorres cives Monachienſes ſuper Monachienſium *bonis in provinciali judicio* Landſpergenſi & in aliis tribunalibus intentarunt, omnino aboleatur, utque Monachienſes à pecuniæ ſolutione, ob quædam ipſis arreſtata vina, penitus liberentur.

VIII. Item. Dicito illi quod dominus meus rex optime de ipſo confidat, fore ut conſideret, in quo ſtatu domini mei & imperii res hoc tempore ſitæ ſint; omnia hæc diſponito

eo modo quo præſcripta ſunt, cauſa & amore ejus, quod quoque ſpecialiter & plene de ipſo confidit; niſi enim hoc faciat, quod dominus meus rex grave detrimentum in ſuis & imperii rebus pati poſſet etiam ratione ducis mei LUDOVICI, qui non ſemper ita promtus ac alacer futurus eſſet, imo forte eo relicto reditûrus in Germaniam, quod ipſi eſſet perquam nocivum; & quod dominus meus rex plane confidat, illum effecturum, ne ullum inde patiatur damnum.

IX. Item. Dicito quod dominus meus rex etiam citra ullum dubium illi illud ſit compenſaturus, & in cunctis ejus rebus ac negotiis ſe ei gratioſum & benevolum ſit exhibiturus, ita ut gratias ipſi ſit acturus.

X. Item. Dicito, ut domino meo regi perſcribat, quinam illi errores vel turbationes fuerint, quæ propter quaſdam Monachienſium mutationes & innovationes acciderunt à tempore quo inde diſceſſit dominus meus dux LUDOVICUS, & in quibus punctis conſiſtant; convenit enim dominus meus dux LUDOVICUS cum domino meo rege ut indilate emendentur.

XI. Item. Dicito illi circa dictam negotiationem, ut domino meo regi benevolum det reſponſum, ſique ſupraſcripto modo & ratione agere & ordinare velit, ut illud domino meo regi etiam per litteras ſuas ſignificet, quas domino meo regi cito mittat.

XII. Item. Quod ſi nullatenus hoc facere velit, tunc dicito illi: Gratioſiſſime domine, quandoquidem hoc aliter, neque propter dominum meum regem facere velit, dominus meus rex mihi in mandatis dedit, ut vobis dicerem, quod numquam deſereret ducem LUDOVICUM, nec iſta permitteret: verum quod filiis ſuis imperii vicariis ſcripſerit, illiſque juſſerit, ut Monachienſes ex parte ſua contra vos juvarent, ne à vobis veſtriſve ulterius magiſque premantur, ſed ut omnia permaneant, uti erant tempore quo inde ultimo diſceſſerat, uſque ad ejuſdem domini mei Ludovici reditum in Germaniam.

LIX

NEGOTIATIO SCRIBÆ PROVINCIALIS Ambergenſis cum domino meo duce Ludovico feria tertia poſt dominicam *Oculi*, (a) Paduæ.

[a]

I. DIcendum domino duci LUDOVICO quod dominus meus rex, domina mea regina per Dei gratiam, dominus meus dux JOHANNES, & dux OTTO bene valeant, quod idem etiam de ipſo, ejuſdemque ſororibus, quæ ſunt apud ipſum, ſemper audire deſiderent.

II. Item. Cum dominus meus dux LUDOVICUS domino meo regi ſcripſerit & ſignificaverit, ſe tribus ſeptimanis poſt feſtum ſancti Martini recepiſſe à domino meo rege litteras, quarum data in medio ſub cruce erant, die Mercurii ante feſtum ſancti Martini, ſeque ab illo tempore nullas à domino meo rege, aut domina mea, vel quopiam, qui apud dominum meum regem commoratur, bene ſpatio octo ſeptimanarum, litteras aut nuntium accepiſſe; quod proinde dominus meus dux LUDOVICUS & domini mei regis conſiliarii illas cum deſiderio expectent.

III. Item. Domino meo duci LUDOVICO dicatis, quod dominus meus rex quamprimum appulerat Paduam, putarit quod Florentini ipſi eſſent exſoluturi nonaginta illos ducatos, atque ita tenuiſſent obſervaſſentque capitulationem, cui ſe in ſcriptis obligarant, verum hæc omnia adimplere diſtulerint, & dominus meus rex pluſquam octo integris ſeptimanis cum ipſis tractare debuerit, abſque eo quod res ad finem perducere poſſet; hæcque moræ cauſa fuit, quare dominus meus rex domino meo duci LUDOVICO citius ſcribere non potuerit, cum ſingulis diebus finem cum Florentinis expectaverit, quatenus plenariam rei ſeriem ipſi perſcribere poſſit: & ut primum dominus meus rex finem feciſſet cum Florentinis, ſtatuiſſetque in Italia manere, quod tunc ſtatim domino meo duci LUDOVICO ſcripſerit, aliiſque etiam in particulari, ſæpiuſque ab illo tempore de rerum ſuarum ſucceſſu notificaverit, uti ipſemet etiam optime novit.

IV. Item. Quod dominus meus dux Ludovicus domino regi ſcripſit ratione dominæ meæ Clivenſis, quod jam tum dominus meus rex ejuſdem cimelia quæ Norimbergæ apud Schwatzenbergenſem oppignorata fuerant redemerit, quemadmodum etiam id domino meo duci LUDOVICO antea ſcripſerat: & quod domini mei regis mens ſit, ut dominus meus dux Ludovicus ut poterit ſic agat, & comitem poſt feſtum Paſchatis domum remittat; nam dominus meus rex ad comitem Clivenſem ſcripſit, ipſique per ſuum ſcribam nuntiavit ſe velle cum domino meo duce LUDOVICO diſponere, quatenus uxorem ſuam poſt hoc Paſcha abſque morâ in domum ſuam remittat, nec expediret ut diutius differretur, nam alias inde aliquid moleſti poſſet oriri, uti dominus meus dux LUDOVICUS & conſiliarii ipſimet bene intelligere queunt.

V. Item. Quod dominus meus dux LUDOVICUS domino meo regi ſcripſerit, ratione ingentium debitorum foris ab ipſo contractorum, utque illorum memor ſit, & pecunias tranſmittat ad iſta debita diluenda & expedienda: quod niſi fiat, dominus meus rex gravia damna, executiones, oppignorationes, & anguſtias paſſurus ſit, quod domino meo regi ſummo foret detrimento & dedecori.

VI. Item. Quod deſuper dominus meus rex

(a) Id eſt dominica tertia Quadrageſimæ qua officium Miſſæ incipit *Oculi*.

rex tractaverit cum consiliariis suis mature omnia perpendens, probeque norit, dominum meum ducem LUDOVICUM ob supradicta debita graves sustinere molestias, ejusque hoc tempore in Italia res in eo statu sitas esse, ut nullas modo pecunias queat aut valeat emittere, uti prius domino meo duci LUDOVICO scripserat, putetque dominus meus rex, quod si quadraginta millia florenorum dotis, quæ cum filia regis Anglorum tertia septimana post pascha expectantur & debentur, soluta fuerint, quod tunc dominus meus illa sumat impendatque ad debita magis urgentia solvenda: & dominus meus rex propterea illi oppignoraturus imperii bona, & ita hæc compensaturus sit, prout specialiter scribæ provinciali dixerat.

VII. Item. Si autem accideret, contra tamen expectationem domini mei regis, quod quadraginta illa millia non exsolverentur, tunc istius mentis est dominus meus rex, ut creditores Bavari quicumque demum fuerint rogentur, ut domino meo regi ratione debitorum suorum inducias concedant, usque ad festum sancti Michaëlis: quod si noluerint, saltem usque ad festum sancti Johannis; & dominus meus rex hic in Longobardia, ut primum nuntium acceperit confirmationis suæ à SS. patre nostro papa, apud Venetos, Florentinos, aliosque, in quibus fiduciam habet, instituturus pro pecuniis habendis; tunc ex illis sperat se domino meo duci LUDOVICO decem vel duodecim millia florenorum missurum esse, ut illi saltem creditores qui nullum plane dilationis terminum ipsi largiri volunt, placentur.

VIII. Item. Si creditores domino meo duci LUDOVICO nullas omnino inducias concedere vellent, quod tunc dominus meus rex cunctis suis civitatibus quæ in Bavaria sunt creditivas missurus sit, sicut & domino Ulrico *Landsckaden* vice-domino, & scribæ provinciali Daubergensi, velitque dominus meus rex, ut tunc hi duo cum omnibus istis civitatibus tractent nomine domini mei regis, & rogent ut creditorum debita in se suscipiant, ac caveant illa intra certum tempus se soluturos esse; quod si fecerint, confidat dominus meus rex, se longiorem adhuc dilationem obtenturum; quod dominus meus dux LUDOVICUS interea civitatibus istis spondeat, seque per litteras suas obliget, illas à prædictis debitis plene liberandas & exonerandas fore.

IX. Item. Quod dominus meus rex quoque petat ut sine mora, ac quamprimum fieri posset, illi annuntietur an pecuniæ ex Anglia advenerint, necne, & quo modo circa illas se res habeat; putet enim certo illas solutas esse, nullumque impedimentum adfuisse, eo quod omnes litteras eo spectantes plene expediverit & transmiserit.

X. Item. Cum dominus meus dux LUDOVICUS dominum meum certiorem reddiderit, quod burgravius Johannes arcem *Behmstein* occupaverit, quod etiam castrum *Holenberg* occupare vellet, *Regnitz* quoque alioſque pagos, & loca illis pertinentia prætendat, quæ dominus meus rex jampridem in bello acquisiverat & hactenus possederat, & adhuc possidet; ratione quorum castrorum etiam putet se jus habere ad silvas spectantes ad *Durbach*.

XI. Item Quod super hoc dominus meus rex dederit litteras creditoriales ad dominum Hartungum ab *Eggloffstein* seniorem, & scribam provincialem Daubergensem, qui nomine mei regis loquatur domino burgravio Johanni, ut domino meo regi, vel domino meo duci LUDOVICO, ejusque officialibus arces & castra supradicta *Behonstein* & *Holenberg* restitui faciat, permittatque domino meo regi jure suo frui, eo modo & ratione quibus illud acquisivit, quatenus absque rixis res ad finem deducatur.

XII. Item. Si dominus burgravius Johannes id præstare recusset, tunc regis mei mens sit, ut dominus meus dux LUDOVICUS cum ipso de constituenda diæta conveniat, & vice-dominum Ambergensem, dominum Hartungum ab *Eggloffstein* seniorem, aliosque officiales Bavariæ ad hoc aptos, & qui de hoc negotio melius sunt instructi ad illam diætam mittat, aliæque accipiantur notitiæ; & cui burgravius Johannes jus habere judicabitur, hoc illi concedatur, & ad quod dominus meus rex jus videbitur habere pariter & illi tribuatur: quo peracto, si tunc burgravius Johannes adhuc occupare ea vellet ad quæ jus non habet, resistatur ei, nec ullatenus permittatur.

XIII. Item. Cum dominus dux LUDOVICUS domino meo regi intimaverit, quod burgravio Johanni locum *Blech* dimiserit, sicut dominus meus rex ei mandaverat; & quod burgravius Johannes non permittat, ut pauperes qui morantur in *Blech* solvant tributum in *Hertenstein*, quod semper ad illum locum pertinebat, & quod multis ab hinc annis ibidem dederant & solverant: vult autem dominus meus rex ut census ille & tributum, quæ de jure ad *Hertenstein* pertinent, & debebantur antequam dominus meus rex *Hertenstein* emerit, adhuc illuc pertinent & debeantur; & si pauperes in *Blech* aliique quicumque demum fuerint, qui tributum solvere tenentur, se opponerent, illudque solvere recusarent, quod tunc ad illud præstandum adstringantur & cogantur, omni eo modo quo antea solverunt; nam licet dominus meus rex burgravio Johanni cesserit locum *Blech*, non propterea velit ut pauperes ibidem a tributo, quod annuatim in *Hertenstein* pendere tenentur, sint liberi.

XIV. Item. Quod quantum ad D. *Phlugein* & Ulricum *Hager* nimirum ratione arcis, &

duodecim millium florenorum, domino meo regi ſummopere placeat, velitque ut ita fiat idque finiatur.

XV. Item. Ad id quod dominus meus dux LUDOVICUS domino meo regi nuntiaverit ratione ducis Geldriæ, dominus meus rex domino meo duci LUDOVICO reſpondeat, ſitque adhuc ejus mens, quod ſi dominus meus dux Geldriæ mortuus eſſet, aut cum mori contingeret, ut tunc ipſemet dominus meus dux LUDOVICUS incontinenter ad epiſcopum Colonienſem ſe conferat, ab eoque conſilium capiat, quid hac in re & qualiter agendum ſit; & ſi forte comes Cliviæ ibidem adveniret, adeat illum ipſemet, illique deſuper loquatur, illumque conſulat; ſi vero ipſemet illum adire nolit, tunc mittat ad illum conſiliarios ſuos qui conſilium ab ipſo in hoc negotio accipiant, & quidquid faciendum judicaverint, id dominus meus dux Ludovicus domino meo regi indilate perſcribat, qui & ipſe quoque cum ſuis conſiliariis deſuper deliberaturus ſit.

XVI. Item. Domine ſcriba provincialis in itinere adeatis epiſcopum Saliſburgenſem, eique domini mei regis litteras credentiales ad vos directas tradite, illarumque vigore negotiemini, prout cum domino meo rege conveniſtis.

XVII. Item. Poſtea tendatis ad ducem HENRICUM, & ei ſuoque vice-domino & ſtatibus, domini mei regis credentiales quoque porrigite, illiſque conformiter tractate ratione duodecim millium florenorum dotis, quæ à feſto Purificationis Beatæ Mariæ proxime præterito domino meo burgravio FRIDERICO Norimbergenſi debebantur, quantocius exſolvantur, & monete & urgete quanto melius poteſtis, ut iſtæ pecuniæ tandem ſolvantur, ne dominus meus rex ſuam propriam arcem domino meo burgravio Friderico tradere obligetur, quam pro domino duce HENRICO loco cautionis ſpecialiter poſuerat.

XVIII. Item. Tunc itote ad ducem ERNESTUM, illique domini mei regis credentiales exhibete, vi quarum cum illo negotiemini ratione litis inter ipſum & dominum meum ducem LUDOVICUM & Monachienſes, quemadmodum inſtrumenta deſuper confecta clare monſtrant; atque ut litteras ſuper *Hersbruch* confectas ſigillo muniri curet.

XIX. Item. Pergite ad Monachienſes, & particulariter exponatis, quid ex parte domini mei regis cum duce ERNESTO negotiati ſitis, & qualiter ab illo diſceſſeritis.

XX. Item. Demum proficiſcamini ad dominum meum ducem LUDOVICUM domini mei regis fiſſum, illique veſtram negotiationem, uti præſcriptum, nomine domini mei regis exponite, atque illi poſtea ſpecialiter narrate, quid ex parte domini mei regis cum duce ERNESTO tractaveritis, & quid vobis deſuper reſponderit; & ſi ad preces domini mei regis dux ERNESTUS nolit Monachienſes in illo ſtatu relinquere, in quo erant quando dominus meus dux Ludovicus noviſſime inde diſceſſerat, donec iterum redeat in Germaniam, quod tunc mens domini mei regis ſit, ut iis dominus meus dux LUDOVICUS vicarius contra ducem ERNESTUM ita aſſiſtat, ut in eo permanere poſſint, qualiter in inſtrumento expreſſe continetur.

LX.

LITTERÆ AD CIVITATES DIRECTÆ quando dominus meus ex Italia in Germaniam rediit.

RUPERTUS, &c. Dilecti fideles cum nuper Venetiis ad vos ſcripſerimus, qualiter hic in Italia permanere velimus ad proſpiciendum pro noſtro poſſe noſtris & imperii negotiis, tam contra papam ratione noſtræ coronæ imperialis, quam contra alios qui bona imperii occuparunt; & ad hunc finem tunc mittebamus ad ſanctiſſimum patrem noſtrum honorificam legationem, ad tractandum cum plenaria poteſtate noſtro nomine in omnibus rebus cum illo, nunc aliqui noſtrorum legatorum ad nos redierunt a ſummo pontifice, nobiſque retulerunt, ipſum à nobis quoſdam articulos prætendere, quos prius numquam audivimus, quique non ſolum noſtram perſonam, ſed & ſanctam eccleſiam, ſacrum imperium, univerſamque Chriſtianitatem, uti & vos omneſque illos qui ad imperium ſpectant, quique nobis fideliter ſubſidium ferre & auxiliari volunt, concernunt: qua de re ſtatuimus in iis nihil concludere abſque noſtrorum electorum aliorumque noſtrorum principum & etiam veſtro aliorumque noſtrorum & imperii fidelium ſcitu & conſilio. Et propterea ex Italia in Germaniam redivimus, ad accipiendum noſtrorum electorum, & poſtea aliorum noſtrorum principum, & etiam veſtrum in hiſce negotiis conſilium, qualiter nos oporteat illa tractare ad maximam ſanctæ eccleſiæ, totiuſque Chriſtianitatis utilitatem & emolumentum, cum noſtræ communem utilitatem in hiſce præſertre velimus. Datum *Brunck* ſecunda feria poſt beati Georgii martyris, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſecundo, regni vero noſtri anno ſecundo,

Ad mandatum domini regis
Johannes *Winheim*.

LXI.

EPISTOLA AD PRINCIPES.

Ejuſdem argumenti.

ILluſtris dilecte avuncule & princeps, tuæ dilectioni notum facimus, quod ob negotia magni & graviſſimi momenti quæ in tuo ad nos adventu tibi indicavimus, ex Italia diſceſſerimus & in Germaniam redierimus, noſ-

que & dilecta noſtra conjux, noſter dilectus filius, omneſque noſtri qui in Longobardia nobiſcum fuerunt per Dei gratiam proſpera adhuc & ſtabili utimur valetudine: quod pariter de te quovis tempore audire cupientes inſtantiſſime dilectionem tuam rogamus, qua tenus die Mercurii, id eſt in vigilia corporis Chriſti proxime ventura, circa veſperum Bambergæ nos accedere non graveris: tunc tibi quædam narrabimus, quæ ſicut credimus libenter audies, quæque non ita tibi ſcribere aut ſignificare potuimus, in eoque nobis exhibebis gratificandam amicitiam ac amorem, noſque dilectioni tuæ omnino confidimus te in dicta die Bambergam ad nos eſſe venturum ad quam ut accedant aliis quoque noſtrorum chariſſimorum & familiarium amicorum perſcripſimus & ſignificavimus. Datum Monachii tertia feria poſt beatorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum anno milleſimo quadringenteſimo ſecundo, regni vero noſtri anno ſecundo.

Nos quoque noſtris electoribus archiepiſcopis Moguntino, Colonienſi, & Trevirenſi ſcripſimus, ut nos die dominica poſt octavam corporis Chriſti Moguntiæ accedant, in quadam diæta quam illis contradicere non poſſumus, & libenter vellemus ut tu prius non accederes, quam ad illam diætam pergeremus, cum tuum conſilium in quibuſdam deſideremus.

LXII.

EPISTOLA RUPERTI REGIS ROMANORUM ad Landgravium Haſſiæ.

Hortatur ad pacem ineundam cum archiepiſcopo Moguntino.

RUPERTUS, &c. Illuſtris dilecte affinis & princeps, tuæ dilectioni notum facimus, quod propter rem magni & graviſſimi momenti, quam tibi in tuo ad nos adventu indicabimus, ex Italia diſceſſerimus & in Germaniam redierimus, & cum in terram noſtram verſus Bavariam, & in terram noſtram Ambergam appulerimus, nobis noſtri conſiliarii & præfecti quos ibidem repereramus retulerunt, inimicitias & bella inter reverendum dilectum noſtrum avunculum electorem & archiepiſcopum Moguntinum & te tuoſque fautores etiamnum durare; quod mirum in modum nos affligit, quod vos ambo invicem inimicitias foveatis, voſque, terras, populoſque veſtros devaſtetis, nobiſque etiam in noſtris ac ſacri imperii negotiis moleſtias, turbationes ac impedimenta inferatis; ac proinde petimus, dilectionemque tuam amice ac ſerio rogamus, ut tu fautoreſque tui cum dicto noſtro avunculo & electore archiepiſcopo Moguntino ſuiſque fautoribus pacem ineas uſque ad feſtum Aſſumptionis beatæ Mariæ proxime venturum, & hac ſuper re tuas pacificatorias cum latore præſentium nobis mittas, eademque memorato noſtro avunculo archiepiſcopo Moguntino perſcripſimus, arbitrantes nobis in eo obediturum, & tunc iſto pacis tempore quadam die utrumque veſtrum coram nobis citabimus verſus Francofurtum vel Fridbergam, in qua die in perſona comparere volumus, & pro poſſe conabimur an vos conciliare poſſimus, atque de tua dilectione plane confidimus, nobis in hoc negotio taliter parituram & accurata mentis trutina ponderaturam multifarias maximaſque penurias, & exinde emerſuras terrarum populorumque ruinas ac deperditiones, niſi tu nobis ita obſequaris, hiſque nobis ſingulare amoris ac amicitiæ teſtimonium exhiberes. Mittimus propterea ad te honoratum noſtrum dilectum devotum ac fidum Johannem de *Hane* Francofurtenſem, ordinis Teutonici commendatarium, dilectionemque tuam ſerio & amice petimus, ut plenam ipſi habeas fidem in eis quæ tunc temporis ex parte noſtra eſt dicturus. Datum Ambergæ feria quarta ante feſtum Pentecoſtes, anno domini milleſimo quadringenteſimo ſecundo, regni vero noſtri anno ſecundo.

Illuſtri domino Hermanno Landgravio Haſſiæ dilecto noſtro affini & principi.

Ad mandatum regis
Johannes *Winheim.*

LXIII.

NEGOTIATIO QUALITER COMES Guntherus de *Swvartzbergh* & dominus Hartungus de *Egloffſtein* ſenior cum marchione Wilhelmo Miſniæ tractare debeant.

I. PRimo illi tradatis noſtras litteras credentiales de vobis mentionem facientes.

II. Item. Poſtmodum ex parte domini mei pro benevola oblatione grates plurimas referatis, quam nunc in litteris ſuis domino meo, cum diætam in *Waldeck* ipſi contra mandaverit, exhibuit.

III. Item. Deinde ipſi peculiariter narretis & dicatis, ratione diætæ Moguntinæ ibidem à domino meo ſuis electoribus deſignatæ ac ſtatutæ propter res maximi momenti ipſum imperiumque concernentes, quod illam diætam diſtulerit, & quidem ratione legationis quam ipſi per dominum Johannem *Raban* ratione diætæ Waldecenſis fecerat, & tametſi ipſi incommodum fuerit diætæ Moguntinæ contradicere, attamen fecit non præciſe propter marchionem PROCOPIUM, ſed quia libenter dominus meus illi adfuiſſet, ut ab ipſo acciperet conſilium qua meliori methodo res ſuas ulterius urgere & ordinare poſſet, quemadmodum & in diæta Waldecenſi factum fuiſſe ſpe firma lætabatur.

IV. Item. Cum & illa diæta contra mandata ſit, ad quam tamen venire dominus meus omnimode ſeſe accinxerat, & quaſi illac tetenderat, ea propter vos ad ipſum miſit, vo-

biſque impoſuit, ut rogetis quatenus ipſi in ſuis ac imperii rebus ſuum fidele conſilium communicare velit, quomodo illas deinceps urgere ac tractare oporteat: in quibus dominus meus omnimodam in ipſo tamquam dilectiſſimo ſuo amico fiduciam collocat.

V. Item. Caſu quo margravius Wilhelmus replicaret ſe neſcire quid in hiſce concludendum, cum res margravii PROCOPII ſint extra orbitam, ad hoc illi reſpondeatis, qualiter margravius PROCOPIUS Landgravio de *Leuchtenbergh* ſcripſerit ſe libenter velle venire ad dominum meum ſuumque neporem, & ſe ſperare, fore ut vias utrimque utiles ac perhoneſtas inveniant, quodque in eadem epiſtola ſcripſerit ſe die lunæ Pentecoſtes cum marchione Miſniæ diætam ſtatuere debere; & ſi ipſe in perſona ad prædictam diætam venire non poſſet, ſic margravio Wilhelmo tractandi negotiandive poteſtatem dare velit, & earumdem litterarum copiam dictus Landgravius domino meo miſit.

VI. Item. Si margravius WILHELMUS ad hæc diceret à margravio PROCOPIO ſibi datam eſſe poteſtatem: hiſce reſpondeatis dominum meum regem ipſi aliiſque ſuis amicis ad illam deſtinandis per publicum ſuum diploma ſuam impertiturum eſſe poteſtatem quando tempus aderit congrediendi & tractandi.

VII. Item. Caſu quo niterentur congredi & tractare circa auxilium à domino margravio PROCOPIO domino meo regi contra regem Hungariæ præſtandum; quod tunc etiam certificandum & proſpiciendum foret, quod dominus meus rex à rege Bohemiæ, ſi ipſe liber eſſet, nullum impedimentum & oppoſitionem paterctur.

VIII. Item. Quodque margravius PROCOPIUS ipſiuſque partes tuentes, illorum nemo cum rege Hungariæ abſque ſcitu & conſenſu domini mei pacem ineat.

IX. Item. Et quando rex Bohemiæ, ſi ita liber redderetur, domino meo negotiationis ſuæ ſucceſſum non permitteret, ita ut renuntiet, quod tunc margravius PROCOPIUS, magnates & civitates ipſi adhærentes ſe cum domino meo colligare, eique contra regem Bohemiæ auxiliari deberent uſque dum tractatui domini mei conſentiat.

X. Item. Si domino meo in hoc opitulari detractarent, quod tunc ſe obligent ſecuritatemque præſtent, ſe neque regi Bohemiæ auxiliaturos aut adhæſuros per ſeipſos aut per ipſis aſſiſtentes, pecuniam aut alia ipſi ſubminiſtrando; neque permiſſuros auxilium & aſſiſtentiam ipſis præberi ab ipſius regis Bohemiæ terris & populis, uſque dum negotiatio adverſus ipſum feliciter ſuccedat.

XI. Item. Si margravius Wilhelmus hiſce oggereret dominum meum tunc oportere diutius in Bavaria commorari, tunc hoc ipſi in præſentibus circumſtantiis benigne denegandum eſt, cum domino meo non expediat ſuis principibus electoribus duas conſequenter diætas ipſis intimatas mutare & differre, præſertim in rebus ſuis & imperii maximi momenti, in quibus ipſorum auxilio & conſilio carere nequeat.

XII. Item. Si margravius WILHELMUS proprio motu diceret ac interrogaret, cujus intentionis eſſet dominus meus rex in ſuis & imperii rebus deinceps progrediendi & operandi, tunc ipſi indicandum dominum meum eſſe illius intentionis, nempe armata manu Bohemiam invadendi, & pro omnibus ſuis viribus conandi, ut huic negotio finis imponatur.

LXIV

EPISTOLA RUPERTI ROMANORUM REGIS Sereniſſimæ principi dominæ Elizabethæ reginæ Galliæ dilectæ amitæ noſtræ.

Monitus de Mediolanenſis ducis in Gallia tractatibus, rationem reddit, cur tam citò Longobardia in Germaniam redierit

RUPERTUS, &c. ſereniſſimæ principi dominæ ELIZABETHÆ eadem gratia reginæ Galliæ dilectæ amitæ noſtræ, noſtram amicitiam & quidquid accepti & boni præſtare poſſumus. Dilecta amita, quod dilectio veſtra ad nos perſcripſerit, vos omneſque veſtros liberos ſalvos eſſe & incolumes, ex corde gaudemus, atque libenter intelleximus, rogantes, ut deſuper ſæpe ſæpius nos certiores reddatis. Notum quoque dilectioni veſtræ facimus, nos noſtramque familiam noſtram, conjugem, omneſque noſtras proles Dei omnipotentis gratia uſque in hanc horam ſeu ad datam præſentium proſpera & optata uti valetudine. Ad ea vero quæ dilectio veſtra refert Mediolanenſem ſuos legatos & conſiliarios continuo in Gallia tenere, quodque vos timeatis intuentes & perpendentes adjutorium quod inde habere poſſit, & tricas quas ibidem machinatur, ipſum talem ſibi acquirere tractatum, qui nobis minime prodeſſet, quod tamen vobis ſummopere diſpliceret, quodque pertimeſcatis, ſi quid ſiniſtri contingat, ne id avertere non valeatis, eo quod diutius non manſerimus in Longobardia; dilecta amita his ſuper rebus dilectioni veſtræ ſignificamus quod illo tempore quo adhuc morabamur in Longobardia, nobis tam graviſſima ſacrum imperium concernentia negotia delata ſint, in quibus principum electorum aliorumque noſtrorum & ſacri Romani imperii principum conſilio egebamus: præterea nobis nuntiabantur certa quædam de motibus quibuſdam regis Bohemiæ & Hungariæ, necnon de proceribus & terris Bohemiæ; ita ut nobis conſiliariiſque noſtris, qui nobis tunc temporis aderant videretur, nobis & imperio magis proficuum fore ut propter iſta magni & gravis momenti

momenti negotia, hoc tempore Germaniam repeteremus, eo quod in ſupradictis motibus regum Bohemiæ & Hungariæ, noſtræ & imperii utilitati & commodo hic in Germania æque bene conſulere valeamus, ac ſi manſiſſemus in Longobardia, quod etiam divina favente gratia facere intendimus; atque ita propter antedictas rationes in Germaniam redierimus: & ſi à quopiam aliter informata eſſet dilecta amita, nolite credere, nam ſic ſe res in veritate habet, prout illuſtris dilectus nepos noſter & princeps dux LUDOVICUS frater veſter, à nobis adjuvante Deo brevi ad dilectionem veſtram deputandus, & hæc & alia ex integro referet. Datum Heydelbergæ menſis Junii die ſexta decima anno domini milleſimo quadringenteſimo ſecundo, regni vero noſtri anno ſecundo.

LXV.

SCHEDULA INCLUSA

PRæterea vos non lateat, dilecta amita, terram Bohemiæ modo in magnis eſſe commotionibus ac diſſenſionibus: nam rex Hungariæ regem Bohemiæ fratrem ſuum in ſumma cuſtodia turri incluſum tenet: deinde margravius PROCOPIUS Moraviæ & plurima procerum pars in Bohemia vehementer accenſi ſunt contra regem Hungariæ, eſtque ejuſmodi diſcordia & diſſenſio in iis terris, ut cum Dei auxilio cauſam noſtram tandem ad bonum finem deductum iri ſperemus.

LXVI

LITTERÆ RUPERTI ROMANORUM REGIS ad principes & civitates imperii.

Indicit diatam Norimbergæ proxime celebrandam.

MArgravio Balthaſari, margravio Wilhelmo, margravio Friderico, margravio Wilhelmo juniori, duci Henrico, duci Ernesto, epiſcopo Bambergenſi, epiſcopo Herbipolenſi, epiſcopo Eichſtadienſi, burgravio Johanni Norimbergiæ, illis Ottingenſibus, ut nullus eorum veniat.

Illuſtris dilecte conſanguinee, & princeps, dilectioni tuæ notum facimus, quod nos ratione negotiorum magni momenti, nos ſacrumque imperium concernentium, tuo & aliorum noſtrorum ſacri imperii principum conſilio ſumme indigeamus; quare dilectionem tuam rogamus inſtantiſſime, ut nos verſus Norimbergam accedere velis, dominica poſt feſtum ſancti Bartholomæi proxime ventura, ubi nos in perſona eodem die comparebimus; alioſque noſtros & imperii principes illuc citavimus, ibique conſultabimus ſuper rebus ad nos & ſacrum imperium ſpectantibus, illaſque cum tuo aliorumque noſtrorum & imperii principum conſilio tractare intendimus, neque te ſinas in hoc tardari aut impediri, prout de tua dilectione plane confidimus. Datum Heydelbergæ ipſo die beatæ Mariæ Magdalenæ anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſecundo, regni vero noſtri anno ſecundo.

His infraſcriptis dominis ita ſcriptum eſt.

Margravio Wilhelmo, margravio Balthaſari, margravio Friderico, margravio Wilhelmo inter fratres juniori.
Item duci Stephano, duci Henrico, duci Erneſto, burgravio Johanni Norimbergæ, burgravio Friderico, epiſcopo Saliſburgenſi, margravio Badenſi, Wirtemburgenſi, aut Herbipolenſi.

Illis infraſcriptis etiam ſcriptum eſt.

Epiſcopo Herbipolenſi, epiſcopo Bambergenſi, epiſcopo Eichſtadienſi, epiſcopo Auguſtano, epiſcopo Argentoratenſi, epiſcopo Baſileenſi, epiſcopo Conſtantienſi, duci Leopoldo Auſtriæ.

In ante-memorata forma mutatis mutandis, infraſcriptis civitatibus etiam ſcriptum eſt.

Una littera — Gemundam.
ad civitates — Nordlingam.
Dincheſpalam.
Popfingam.
Calam.
Una ad Conſtantiam.
Uberlingam.
Ravenſburgum.
Wangam.
Lindaviam.
ad fanum ſancti Galli
Buchoram
Una ad — Heilbrunnam.
Womshemium.
Wanſbergam.
Una ad — Eſlingam.
Rickingam.
Nilam in Turgavia.
Una ad Francofurtum.
Fridbergam.
Geilichhuſiam.
Wezlariam.
Una ad Rotwilam.
Una ad — Spiram.
Una ad — Ulmam.
Biberacum.
Pfullendorfium.
Meyningam.
Campedunum.
Kaufberam.
Iiſſum.
Letkirchium.
Enengam.
Wilam.
Buchamium
Una ad Auguſtam Windelicorum.
Una ad Wormatiam.
Una Norimbergam.
Una *Winsheim.*
Schiveinfurdium.

Wiſſembergam.
Una Rottenburgum.
Hallam.
Una Argentoratum.
Una Moguntiam.
Una Coloniam.
Una Baſileam.
Una Bernam.
Tigurum.
& Solodurum.

Nota, civitatibus Alſatiæ etiam ſcriptum fuit.

LXVII.

NEGOTIATIO CUM LANDGRAVIO HASSIÆ ducibus Brunſwicenſi & Luneburgenſi.

I. PRimo ei tradatis litteras fiduciarias domini noſtri regis, & earum vigore tractetis, modo à domino noſtro rege vobis præſcripto & mandato, circa inimicitias & bellum inter illum & archiepiſcopum Moguntinum; propterea enim vos ad ipſum deputavit, ut illi dicatis, quod illorum inimicitiæ & bella ipſum ſummopere affligant, cum probe agnoſcat, quod ex utraque parte illorum terræ & populi graviſſimo damno & ruinæ afficiantur.

II. Item. Sicque in præſentibus ſuarum ac imperii rerum circumſtantiis domino meo regi etiam ſummopere noceant: nam durantibus hiſce inimicitiis, nec ipſi nec archiepiſcopus JOHANNES Moguntinus ſuprafati noſtro domino regi in ſuo ac ſacri imperii intereſſe talia ſubſidia & auxilia præſtare poterunt, qualia ceſſante bello & ſopitis inimicitiis valerent.

III. Item. Quapropter dominus meus rex petit, ut aliquo tempore pacem cum archiepiſcopo habeant, & bonam diætam ſtatuant, quod tunc ipſe illos & archiepiſcopum Moguntinum ad eamdem diætam ſit citaturus verſus Herbipolim, Bambergam, aut Norimbergam; & quod ipſe in perſona in eadem diæta ſit compariturus, & cum ſuis conſiliariis ex utraque parte à principio cauſæ uſque ad finem ipſos ſit auditurus, & omni conatu allaboraturus ut ipſos amicabiliter componere queat; & ſi hoc fieri non poſſet, quod ipſi tunc ex utraque parte ſecundum jura ſeipſos componere vellent.

IV. Item. Et dominus noſter rex ſingularem & plenam de ipſis fidem habet, ipſos accurate perſpecturos ac conſideraturos præſentem ſuarum ac imperii rerum conditionem, ſuarumque terrarum ac populorum devaſtationem, propoſitamque diætam acceptaturos, pacemque inituros eſſe, cum tales inimicitiæ & bella ipſum vehementiſſime affligant; ac propterea ipſorum lites componere ac decidere dubia velit, neque permittet pro omni ſuo poſſe, quod ipſi ſe ſuaſque terras ac populos ita deperdant atque devaſtent.

V. Item. Caſu quo pacem cum archiepiſcopo Moguntino acceptare ac inire detrectarent, tunc dicitote dominum meum regem efflagitare, ut in una ex prædictis civitatibus ad quamdam diætam amicabiliter comparere non graventur, utque omnes ad illam tendentes ex utraque parte in acceſſu ac receſſu pacem ac ſalvum conductum habeant ac teneant.

VI. Item. Poſtquam vobis prædictis ſuper articulis reſponſum dederint, atque adhuc ad memoratam diætam comparere recuſent, uti ſupra ſcriptum eſt, aitote dominum meum regem vobis impoſuiſſe, ut indicetis quod archiepiſcopus Moguntinus, cum jam tum Moguntiæ domino noſtro regi adfuiſſet, ſeſe obtulerit ratione honoris & juris ſui, ob quæ inimicitias & bellum contra vos gerit, in dominum meum regem compromittere, ſicut & vos in veſtris litteris, quarum copia nobis communicata eſt, domino meo regi feciſtis.

VII. Item. Statuit ergo dominus noſter rex vobis minime permittere, ut bellum foveatis, ſed pro poteſtate ſua lites veſtras componere diſſenſioneſque ſedare intendit; & cum ad prædictam diætam accedere citra omnem ſuam ſpem & expectationem reluctati ſitis, ſic via juris inter vos utrimque procedere nitetur, ſepoſitis tamen ad partem omnibus tempore inimicitiarum exortis geſtis, atque peractis diffidiis, cauſis, atque injuriis, & dominus noſter rex ejuſque conſiliarii id æquitati conſonum eſſe arbitrantur. Nam uti & ipſi bene comprehenditis, illis quæ inter vos & ex utraque parte contigerunt, vos nimium quocumque tempore fuiſſetis gravati.

VIII. Item. Et ſi in hoc quid contradicere vellent, aut ſeſe opponere, mens noſtri regis eſt, ut illis dicatis, ipſos regi ſcripſiſſe, & ab ipſo petiiſſe ut in hac cauſa illis juſtitiam adminiſtret, planeque illis confidit fore ut in eo permaneant, ipſumque ſequantur.

LXVIII.

NEGOTIATIO AD EPISCOPUM Saliſburgenſem.

PRimo domini mei regis litteras fiduciarias porrigetis, & vi illarum tractabitis, referentes dominum meum regem diu noctuque ex partibus Rheni ſurſum ad vos in Bavaria nuntios deſtinaſſe, vobiſque ſcripſiſſe & mandaſſe, ut proficiſcamini ad dominum meum Saliſburgenſem, & ad dominum meum LEOPOLDUM ducem Auſtriæ, iiſque exponatis domino meo regi relatum eſſe regem Hungariæ ad comitem de *Cziele* verſus *Schavenberg* venturum, ſecumque ducere regem Bohemiæ & marchionem Moraviæ PROCOPIUM, velleque regem Bohemiæ comitibus *Cziele*, Ottenburgi & Goriziæ itidem Schavenbergæ tradere, atque committere, qui eum ad territorium Mediolanenſe ulterius conducent, & ipſe Mediolanenſis illi ul-

tra usque Romam commeatum exhibebit, quem margravius Procopius comitabitur, remanente interea rege Hungariæ in Bohemia.

II. Item. Ad hæc dominus meus rex vobis jussit investigare, an hæc ita se habeant, aut si postmodum futura essent; tunc quam amicissime ac instantissime ipsum rogatum velit, penitusque confidit suæ erga dominum meum omni tempore exhibitæ propensioni, quod regi Bohemiæ, populo suo, ipsique adhærentibus per terras & dominia sua transitum minime concedat; verum omnibus suis satrapis, comitibus, magnatibus, equitibus, & vassallis sibi suæve ditioni subjectis circum circa ordinet, ut sese opponant, & pro omni suo posse & plenis viribus regem Bohemiæ, omnemque ipsius comitatum in ista expeditione & transitu impediant, eique nullo prorsus modo faveant, prout ipsum efficere posse & effecturum ac ordinaturum esse dominus meus rex firmissime opinatur.

III. Item. Dominus meus rex pariter vobis mandavit ipsius consilium exquirere, num domino meo Salisburgensi congruere non videatur, quosdam comites ac proceres istarum terrarum nomine suo excitare, & sollicitare pro auxilio, & pro facienda huic oppositione; quodque ac secundum suum consilium, prout ipsi optimum factu videbitur, tractare & perficere debeatis: meusque dominus rex ad omnes & singulos comites & dominos istarum terrarum suas patentes sigillatas litteras vobis dederit, ut plenam potestatem habeatis secundum suum consilium nomineque suo cum ipsis tractandi & congrediendi.

IV. Item. Omnia suprascripta puncta opportuniore ac utiliore quo nostis modo illi exponito; & quod dominus meus rex specialissime fidat suæ in omnibus ipsi exhibitæ fidelitati, in hisce casibus fideliſſime quoque ipsi adfuturum & auxiliaturum, cum & ipse in iis terris per quas transiturus est sit præcipuus.

LXIX

NEGOTIATIO CUM LEOPOLDO duce Austriæ.

I. PRimo litteras credentiales domini mei regis præsentetis; ad hæc referatis dominum Conradum de Friburgo & magistrum Ulricum de *Albeck* suos ad ipsum novissime deputatos domino meo retulisse, quod in omnibus extra modum affectum & atque addictissimum exhibuerit, & penes fratrem & consanguineum suum in ipsius favorem fideliſſime sit negotiatus, pro quo dominus meus rex ex intimo cordis affectu grates plurimas refert, velitque hoc æquitate & id ipsum exigente grata mente recolere: & postmodum pari modo & forma ac cum episcopo Salisburgensi tractastis cum ipso tractabitis, supra scriptum est; & his adjungetis: Gratio-

A sissime domine, dominus meus rex singularem maximamque in vobis reponit fiduciam, amicissime ac instantissime vos rogans, & requirens, ut hanc rem mature aggrediamini, & cum fratre & consanguineo vestro desuper serio loquamini, ipsos excitando ut hæc peragere omni fervore velint, prout & ab ipsis fieri confidit; nunc autem dominus meus rex in die festivo sancti Jacobi cum principibus electoribus diætam tenebit, intendetque cum ipsis circa ista negotia tractare, illorumque consilium requirere, firmissima spe vivens cum ipse se etiam matrimonio & amicitia vobis cum fratre vestro & consanguineo conjunxerit, vobisque ac illis parem honorem vestrum desuper requirendi consilium exhibens, prout fieri oportebat, fore ut illo quamprimum ipsum honorare velitis.

Nota, Hadmarus dominus de Labar *suprамemorata duo puncta negotiatus fuit cum duobus laudatis dominis.*

LXX.

MEMORIALE AD MARGRAVIUM Jodocum Moraviæ.

I. QUOD rex Bohemiæ meo domino regi RUPERTO imperium totaliter resignet, omnibusque principibus, proceribus, dominis ac civitatibus ad imperium spectantibus, si necessitas exigeret, perscribat se resignasse.

II. Item. Quod margravius JODOCUS meo domino Romanorum regi omnes reliquias in omni eo statu in quo ad imperium spectant, & absque ulla ornatus subtractione aut dispoliatione, omniaque registra & litteras, & speciatim quæ ad Brabantiam pertinent, aliaque omnia ad imperium spectantia confestim sine mora & ex integro tradat.

III. Item. Quodque rex Bohemiæ à meo domino Romanorum rege investituram feudi accipere debeat; & casu quo in persona propria ad illam consequendam dominum meum accedere gravaretur, sic dominus meus rex ipsi hanc per suas litteras dabit, ita ut domino meo regi litteras quibus agnoscat se hanc recepisse, sicuti decet, reddat.

IV. Item. Quod margravius JODOCUS Moraviæ meum dominum regem tamquam Romanorum regem agnoscat, investituramque feudi ab ipso accipiat, ipsique fideliter adsit & opituletur contra omnes ipsum in imperio turbantes ac inquietantes.

V. Item. Casu quo rex Hungariæ vel aliquis alius regis Bohemiæ regnum ambiret, illique insidiaretur, ab eoque dejicere tentaret, sic dominus meus rex adversus ejusmodi fideliſſime ipsum adjuvabit pro omni suo posse & absque ulla fraude.

VI. Item. Si margravius JODOCUS, hac vita succedente, prætenderet præfecturam seu

BIBLIOTHEQUE ROYALE

ſatrapiam in Alſatia, tunc illi dicendum, quod ex illis tribus arcibus, monte Cæſareo, Monaſterio vallis Gregorianæ & *Dorenken* fructum & emolumentum capere poſſit: & ſi hoc acceptare nolit, tunc loquendum eſt de aſſignanda certa pecuniæ ſumma.

VII. Item. Si hæc ad vota fluerent, ſic eſſet mens domini mei regis quod dominus margravius JODOCUS Moraviæ meo domino regi ſe obliget ac fide jubeat pro arcibus quas jam in Bohemia poſſidet aut deinceps occupabit, quod illas regi Bohemiæ non ſit reſtituturus, niſi domino meo regi RUPERTO factum perfectumque fuerit, quod ſupra ſcriptum ſtat.

VIII. Item. Si margravius Jodocus hanc viam inire recuſaret, & regnum Bohemiæ pro ſe ipſo prætenderet, & deſideraret quod dominus meus rex RUPERTUS ſe ipſi obligaret & auxiliaretur, ut regnum Bohemiæ retineret & in hoc manuteneretur, ad quæ reſpondendum: ſi margravius JODOCUS dominum meum ut Romanorum regem agnoſcere, & ſui feudi inveſtituram ab ipſo accipere, omneſque reliquias ad imperium ſpectantes non ſpoliatas, regiſtra & litteras, uti ſupra ſcriptum eſt tradere, & ſe cum arcibus ab ipſo in Bohemia poſſeſſis aut ulterius occupandis domino meo regi obligare, hæcque omnia bene certificare velit, ſic viciſſim dominus meus rex ſe cum ipſo colligabit, ipſumque ad regnum Bohemiæ occupandum fideliſſime adjuvabit, ita tamen ut ratione auxilii ipſum quoque, prout congruus remuneret; de eoque loquendum ſi de auxilio ipſi præſtando mentio occurrat, ut illa poſtmodum præſtet, deſuperque domino meo regi ſecuritas exhibeatur.

LXXI.

DE DUCE SAXONIÆ.

I. Debebitis dicere margravio WILHELMO Miſniæ, cum meo domino regi per dominum *Hugolt* ſignificarit, ut ducis Saxoniæ reditus Lubecæ, necnon cenſus pecuniarios Oppenhemii configat vel ſubdat arreſto: ad hæc dici juſſit dominus meus rex, ſi dux Saxoniæ ipſum ut Romanorum regem revereri, ac obſequi velit, ſicuti ipſum decere intuitu litterarum, in quibus domino meo ſuimmopere ſe devovit, quaſque ſuo ſigillo munivit, ſic dominus meus non lubenter ipſi aliquid retineret aut auferret.

II. Item. Et dominus meus rex margravium WILHELMUM inſtanter juſſit requirere, ut cum duce Saxoniæ ſerio colloqui ipſumque inducere velit, ut domino meo regi obedientiam præſtet, ipſumque ut regem Romanorum agnoſcat feudique ſui inveſtituram ab ipſo accipiat, prout & merito juxta tenorem prædictarum litterarum, quarum copiam ipſum audire faciatis, facere deberet.

III. Item. Si margravius reponeret ducem Saxoniæ aliquid à domino meo prætendere, ſic experiemini quidnam hoc eſſet, in eoque pro poſſe veſtro loquimini, aientes hoc ulterius domino meo inſinuare vos libenter velle.

LXXII.

INSTRUCTIO NEGOTIANDI CUM GALLIA.

I. PRimum cum regina Galliæ legatum ſuum nomine dominum Stephanum *Singeber* ad noſtrum dominum Romanorum regem deſtinarit, ipſique domino noſtro ſæpe ſæpius intimaverit, ut honorificam legationem, nominatim ſuum fratrem ducem LUDOVICUM in Galliam deputaret, ad ſtabiliendum inter ante fatum dominum noſtrum & regem Galliæ amicitiæ & unionis fœdus, & præſertim ad congrediendum qua ratione concordia in ſacra eccleſia ſit facienda, aut procuranda.

II. Item. Et cum jam tum noſter dominus ad omnem amicitiam & unionem cum rege Galliæ incundam inclinet, & pro omnibus ſuis viribus auxilium & conſilium præſtiturus ſit, ut eccleſiæ unitas reſtituatur, pro qua & bona & propriam vitam exponere paratus ſit, hinc dominus noſter dictum ſuum conſanguineum ducem LUDOVICUM ad regem Galliæ deputavit, ad pangendum & firmandum nomine ſuo talis amicitiæ ac unionis fœdus, & ad intentionem voluntatemque regis Galliæ in hiſce colligendam: præſertimque conandum, ut ſi juſtæ & piæ viæ inveniri queant, quas ingredi & amplecti duobus illis dominis univerſæque Chriſtianitati poſſibile foret, ac aptum accommodatumve, ut in iis ambo ſe obſtringant, & mutuo auxilium & ſubſidium præſtent.

III. Item. Si quærant quaſnam vias ad eccleſiæ unitatem procurandam ſibi dominus meus propoſuiſſet: ad hæc reſpondendum dominum noſtrum ſingulares vias ſibi nondum ſelegiſſe, ſed totaliter inclinare ad omnia ſua impendenda, quæque juſtitia, poſſibilitas & æquitas exigunt, ut ſanctæ eccleſiæ unitas reſtituatur.

IV. Item. Si ſpecialiter poſſibile eſſet, tunc dominus noſter ſingularem operam impenderet, ut hoc negotium utrique parti honeſtum & congruentem tractatum & exitum ſortiatur.

V. Item. Poſt hæc meus dominus dux LUDOVICUS quaſi ex ſeipſo incipere poſſet & dicere, qualiter ambobus dominis ſanguine & affinitate conjunctus ſit, firmitatemque inter ipſos unionem & amicitiam libenter videret, & hac ſuper re conſilium reginæ Galliæ ſibi expeteret, quo pacto cum ultro negotiari oporteret, an per ſollicitationem matrimonii vel alio modo, conareturque experiri in quam partem ipſa inclinet, quomodoque ipſius res conſtituta ſit.

VI.

VI. Item. Et ſi tunc percunctarentur, utrum ipſe & ejus collegæ haberent poteſtatem ſe colligandi vel tractandi, & concludendi tractatuive finem imponendi, huic reſpondeatur, noſtrum dominum ducem Ludovicum domino noſtro regi ſanguine & amicitia ita eſſe conjunctum, ut ea quæ ipſe ejuſque ſocii ex parte domini noſtri concluſerint, in quibus etiam articulis conſiſtant, ſperet ad ſuum effectum perducere, ſeu eſſe approbanda, præſertim ſi finem ſortirentur; excogitent itaque ipſi quomodo illa firmari poſſint, & certificent illa plenarie concludenda & terminanda fore.

VII. Item. Et cum ipſis tractabitur qualiter ſe obligare ac fidejubere ipſos oporteat, qualiterve viciſſim ipſis fidejubere ac obligare debeamus, hæcque domino noſtro peculiariter tunc inſinuabuntur, ut deſuper ſuum diploma mittat. Si autem convenire recuſent, niſi illud diploma viderint, tunc illud ipſis exhibendum eſt.

VIII. Item. Si autem ambirent ut ipſis indicetur ad quid noſter dominus inclinet, ſic ipſis dicendum dominum noſtrum ad concilium inclinare, ſi illud congregatu poſſibile ſit.

IX. Item. Eſt quoque proſpiciendum, ut ſi cum Gallis conveniretur in negotiis ſanctæ eccleſiæ, quod tunc domino noſtro talis opera & auxilium procuretur, ut ea poſſit perficere & ad optatum finem perducere, cum ipſe pontificis & aliorum magnatum auxilio renuntiet: ſingulariterque ipſis, indicandum quid dominus Paduanus ſignificarit, cujus rei copia vobis data eſt.

X. Item. Si ſermo occurreret de quodam pacto ſeu contractu matrimoniali, ſic domini noſtri regis intentio eſt in hoc firmiter perſiſtendi, quod ſe cum rege Galliæ contra quemlibet ipſum in ſuo regno injuſte turbantem, excepto rege Angliæ, unire & colligare velit, quodque viciſſim rex Galliæ domino noſtro ſe colligat adverſus quemcumque, præſertim contra Mediolanenſem, & omnes qui imperii bona occuparunt. Si autem rex Galliæ & rex Angliæ ad bellum excitarentur, ſic dominus noſter rex nulli faventem parti mediatorem inter eos agere velit, tentando annon ipſos reconciliare poſſet. Si autem reconciliationem efficere non poſſet, tunc integrum ſe ab omni parte ſervare vellet. Si autem talia fœdera & pacta inirentur, ſic dux Burgundiæ & dux Aurelianenſis ambo ſua ſigilla iis appendant.

XI. Item. Ratione Mediolanenſis, hiſce ultimo loco inhærendum eſt, ut tres ex utraque parte ſeligantur, in quos compromittat, ut ipſum cum domino noſtro componant, qualiter que hoc ab ipſis fiat, in eo ſtandum eſt, & ſecuritas præſtanda, toto vitæ tempore utrimque ita ſervandum fore; ita tamen ut dominus noſter ipſum non confirmet in ducem, cum hoc honori domini noſtri adverſetur, rexque Wenceslaus idcirco depoſitus ſit: illudque negotium dominus noſter intendit committere duci Ludovico Bavariæ, duci Leopoldo Auſtriæ, regi Angliæ, epiſcopo Colonienſi, epiſcopo Saliſburgenſi, domino Wirtembergiæ, tribus illis Hollandiæ, ex iſtis omnibus uni aut tribus, vel duobus, quibus dux Aurelianenſis adeſſe poterit.

XII. Item. Ratione matrimonii, ſi indagarent, qualiter ſeu quibuſve de mediis domino noſtro Johanni proviſum ſit, ad hoc ipſis reſpondendum, noſtrum dominum filio ſuo duci Johanni ducatum in Bavaria cedere velle, vocabiturque ipſe conjuxque ſua dux Bavariæ, & inde annue accipiet decem millia florenorum, quæ filiæ pro dote aſſignabuntur, & illa centum millia florenorum dominus noſter duabus illis prolibus ad ipſorum intereſſe elocabit, & ſi filia abſque herede è vivis diſcederet, ſic illa pecunia duci Johanni ſuiſque heredibus remanebit, & ex hac Gallia nil prætendere poterit.

XIII. Item. Si quo caſu dominus noſter illam pecuniam pro ſe ſuiſque neceſſitatibus impenderet, ſic duci Johanni ejuſque conjugi illam in & ex ſuis aſſignabit, quæ præter hereditatem ipſis appropriabuntur.

LXX III.

NEGOTIATIO CUM REGINA GALLIÆ.

I. Primo exponendum dominum noſtrum ex frequentia litterarum ſcriptorumque ſuorum, & præſertim ex legatione à domino Stephano *Smieher* ipſi facta bene intellexiſſe, ſuamque fidelitatem & amicitiam quam erga ipſum gerit apprime percepiſſe, de iiſque ipſe gratias maximas refert, ſeque totum offert in omnibus quæ ad ipſius beneplacitum & nutum exhibere poſſit.

II. Item. Cum itaque dictus dominus Stephanus *Smieher* virtute ſuarum credentialium tractaverit, & dixerit, quod ſi dominus noſter rex ſe cum rege Galliæ unire velit ad procurandam unitatem in ſancta eccleſia, ſic dominum noſtrum certum faciat ſe cum Mediolanenſi tractaturum juxta ſuam voluntatem: & ſi Mediolanenſis huic contraſtaret, tunc regem Galliæ adverſus ipſum opem laturum, & ad hunc finem pecunias copiaſque conceſſurum contra omnes imperii refractarios, ipſumque ſummum pontificem inducturum, ut unitas in ſancta eccleſia obtingat, & quidem majus auxilium à rege Galliæ & Gallis eſſe exhibendum, quam dominus noſter deſideraret, qua de re regina domino noſtro ſæpe ſæpius in ſuis litteris indicavit, ut ſi ſuum fratrem ducem Ludovicum in Galliam deputaret, ſperare ſe hoc domino noſtro in omnibus ſuis rebus maximam cauſaturum eſſe utilitatem.

III. Item. Ad hæc dominus noſter ſuum con-

ſanguineum ducem LUDOVICUM fratrem ſuum ad regem Galliæ deputavit, cum dominus noſter ad omnem amicitiam inclinet, &c. ut in inſtructione negotiandi cum Gallia ſuperius articulo ſecundo dictum eſt.

IV. Item. Ipſamque dominus noſter rogat, ut conſilio auxilioque ſuo in his adeſſe velit, ut tale fœdus inter duos illos dominos ineatur, quod ad ſolatium ſanctæ eccleſiæ, totiuſque Chriſtianitatis utilitatem, Romani imperii, coronæ Galliæ ac præſertim domus Bavaricæ incrementum, ſempiternamque gloriam conferat atque conducat, prout noſter dominus ſpecialiter & totaliter de ipſa confidit, illiuſque in æternum non obliviſcetur.

LXXIV.

NEGOTIATIO CUM REGE ANGLIÆ.

PRimo tradendæ ſunt litteræ credentiales domini noſtri regis, poſtmodumque domini ſuæque conjugis, omniumque ſuarum prolium & nominatim illuſtris regis Angliæ filiæ valetudinis proſperitate & ſtabilitate relatio facienda, quam pariter dominus meus omni tempore proſperam ac ſtabilem de *ipſis* percipere *cupit*, idque omni meliori modo referendum eſt.

II. Item. Poſtmodum ipſi narrabitis meum dominum regem vos ad ipſum miſiſſe, & juſſiſſe exponere, cum ipſe omnipotentis Dei favente & diſponente gratia Romanorum rex electus ſit, ſic quoque optima voluntate facere velle quidquid ſui muneris erit, utque hoc eo meliori modo adimpleri poterit, atque penes ſe ſtatuerit proficiſci verſus Longobardiam ad coronam ſuam Cæſaream recipiendam, & ad hunc finem Romam miſerat ad papam ſuum legatum nomine epiſcopum Verdenſem, quem per totam hanc hiemem dominus meus penes papam Romæ in ſua legatione tenuit, & adhuc tenet, & poſtmodum dominum PHILIPPUM comitem de *Falckenſtein* & unum ex protonotariis ſuis etiam Romam miſerat ad papam, illumque rogare & monere fecit, ut perſonam ſuam approbaret in Romanorum regem, ipſique etiam ſuam cononam imperialem daret; neque dominus meus aliter opinabatur, quam ſummum pontificem ipſum ſine dilatione eſſe confirmaturum ſibique Cæſaream coronam largiturum, ſicuti domino meo ipſimet ad ipſum deputati ſummi pontificis nuntii polliciti erant ac referebant, quemadmodum & ſuus eques nomine Johannes *Colniz* Romæ tunc præſens peculiariter ipſi ſignificaverat.

III. Item. Poſthac legati domini mei regis ab ipſo Romam miſſi meo domino regi ſcribebant, & poſt ſuum ad ipſum reditum ore tenus inſinuabant, ſummum pontificem prætendere, quod dominus meus rex præter ſolitum juramentum ex jure præſtandum, ſe hos infraſcriptos articulos ſancte ſervaturum & ex integro executurum eſſe obligaret, majeſtatiſque ſuæ ſigillo ſubſcribere & ad ſanctos jurare debeat.

IV. Item. Et hos articulos ipſi prælegatis, prout de verbo ad verbum illos papa prætenderit.

V. Item. Et quia ſupraſcriptæ viæ & negotia meum dominum regem ſolum non concernunt, ſed & ſanctam eccleſiam, totumque imperium, omneſque Chriſtianitati adhærentes, eamdem fovere eidemque favere volentes, idcirco dominus meus rex cum ſuis conſiliariis concluſit in prædictis articulis cum papa nil determinare abſque ſuorum electorum aliorumque principum ſcitu ac conſilio, ad eumque finem ex Italia in Germaniam ſeſe contulit, prædictoſque articulos, prout papa ab ipſo exegit, principibus electoribus aliiſque principibus communicavit.

VI. Item. Et ſupra fati principes electores aliique principes, hiſce à domino meo intellectis, eum bene feciſſe, quod in ſupra dicta forma papæ ſe non devinxerit affirmabant; plane confiſi, eum omnem operam omnemque conatum adhibiturum ad reſtituendam ſanctæ eccleſiæ unitatem, ad quam dominus meus totaliter etiam inclinat; vitamque & bona ſua exponere paratus eſt, ut ſanctam eccleſiam viis piis ac juſtis ad unitatem reducat.

VII. Item. Cumque rex Angliæ domino meo in ſuis ad ipſum datis litteris hac ſuper re omni cum ſinceritate perſcripſerit, ſe ſperare dominum meum huic negotio, ut eccleſia reuniatur, prout Deus ab ipſo exquirit, omnem conatum impenſurum eſſe, quem ad hunc finem etiam impendet, hinc dominus meus optime novit regem Angliæ huic negotio totum ſe devinxiſſe, ad proſpiciendum publicæ totius Chriſtianitatis utilitati.

VIII. Item. Quapropter dominus meus rex vos ad regem Angliæ tamquam ad ſuum dilectiſſimum fratrem, in quo omnem fiduciam collocat, deſtinavit; illumque inſtantiſſime rogare juſſit, ut rem hanc cordi ducat, in eaque domino meo regi conſilium ſuum communicet, auxiliumque ſuum præſtet, ut unitas in eccleſia fiat.

IX. Item. Et ſi ejus deſuper reſponſum exceperitis, eumque totaliter propenſum eſſe dominoque meo opem ferre velle modo ſupra ſcripto animadverteritis; tunc exponite illi, qualiter rex Galliæ legationem fecerit domino meo regi, quæ promiſit, quod ſi dominus meus rex conſtitueret, viis piis ac juſtis in ſancta eccleſia procurare unitatem; ad hanc ipſum velle conſilium auxilium & ſubſidium ferre, ad proſpiciendum communi ſanctæ eccleſiæ utilitati.

X. Item. Et ea propter dominus meus præclaram legationem in Galliam remiſit, quæ peculiariter experietur, qualiter, quomodo, quibuſve viis domino meo conſulere, auxiliari, & adeſſe velit.

XI. Item. Si rex Angliæ vobiſcum his ſuper rebus conferret, & quidquam tractaret, quaſdamque vias ingrediendas proponeret, ut bene attendatis, qualiter & utrum in hac re afficiatur, ſic unus veſtrum quaſi ex ſe ipſo inferere debet, tali modo: Hæc eſt res magni momenti diuque durabit; & ſi executioni demandaretur, tunc ſequeretur magna firmitas, & firma ſtabilitas: mihi videtur quod ſi vos in hac re conveneritis & invicem fideliter vos adjaveritis, hoc eſſe præcipuum principium & fundamentum: verumtamen hoc factu difficile bene novi, niſi vos cum domino meo in hac re fœdus ineatis.

XII. Item. Notandum quod ſi regis Angliæ familiares vobiſcum tunc loquerentur de ineundo fœdere inter dominum noſtrum & regem Angliæ, & hoc nobis non expediret, vobis tunc reſpondendum eſt & referendum, qualiter rex Galliæ ſuam legationem fecerit ad dominum noſtrum, & multoties perſcripſerit, quod ſi dominus noſter rex pacem & unitatem ſanctæ eccleſiæ viis piis ac licitis reſtituere conaretur, ipſi conſilium, auxilium & ſubſidium ferre vellet ad proſpiciendum communi totius Chriſtianitatis utilitati. Quapropter dominus noſter rex timet, quod ſi præſenti tempore cum rege Angliæ ſe colligaret antequam iſta negotia finita & abſoluta ſint, rex Galliæ ab iſtis communi Chriſtianitatis bono proficuis viis deſiſteret, eaſque recuſaret; ſicque eccleſiæ unitas retardaretur, pro qua tamen dominus noſter totaliter affectus eſt. Et ex alia parte ſic exiſtimat dominus noſter ratione affinitatis per matrimonium inter ipſos duos initæ, regi Angliæ taliter colligatum eſſe, ut pro eo quod ipſi carum & acceptum foret, ſicuti æquum eſt, vitam & bona ſua exponere paratus ſit, in iiſque negotiis dominus noſter nullo alio timore percutitur, quam quod commune Chriſtianitatis bonum inde impediretur; & ſi abſoluto iſto negotio, rex Angliæ prætenderet, quod rex meus ſe ipſi colligaret, experietur dominum meum omnia, quæ ipſi cara & accepta eſſe poſſent, ad vota eſſe impleturum.

XIII. Item. Tunc quoque ſi rex integrum vobis reſponſum dederit, ipſi dicatis ſupraſcriptas negotiationes, quando meus dominus imperium in ſe ſuſcepit, tunc multifarias & ingentes expenſas & ſumtus propter penuriam, defectus & neceſſitates in imperio occurrentes facere debuit, ut illud ſuo vigori & priſtino ſtatui reſtitueret, & quidem in reſiſtendo regi Bohemiæ ſuiſque fautoribus & adhærentibus in ſuis terris Bavariæ, deinde in expeditione facta etiam in perſona propria cum magna copia ſuorum principum, comitum, dominorum, equitum & vaſſallorum verſus Longobardiam, cumque ea de cauſa adhuc in multis ipſi debitor maneat, rogat ipſum dominus meus rex, ut reſiduam & ipſi debitam pecuniæ ſummam circa paſcha proxime venturum ſolvendam jam tum numerare velit, prout fraternæ fidelitati ſingulariſſime fidit, ut per hanc debitis ſuis aliquantiſper ſatisfacere, bellumque imperii contra Bohemum proſequi & ſuſtinere valeat; quibus tale amicitiæ & neceſſitudinis teſtimonium ipſi exhiberet, quod ſemper manebit alta mente repoſtum, & pro quo ſpecialiſſimæ gratiæ rependendæ forent, aptiorique qua poteſtis methodo prædicta negotiemini.

XIV. Item. Ipſi narrabitis, quod Mediolanenſis temerario niſu occupaverit imperii bona in Italia, populoſque ſubduxerit, iſque domino meo obedientiam non ſolum non præſtare permittat, verum & impediat quominus in his quæ ad imperium in Italia pertinent hactenus proficeret; quare dominus meus adhuc arbitratur expeditionem aliquam contra ipſum cum omni virtute & potentia ſua facere ad extorquenda imperii bona, & propterea dominus meus rex efflagitat ſuum in iſta expeditione auxilium & operam cum ſuis ſagittariis, ut illam eo optatius poſſet perficere.

XV. Item. Et cum dux Geldriæ à domino meo tamquam Romanorum rege ſui feudi inveſtituram non receperit, & præterea eam recipere non tantum recuſet, ſed & contra meum dominum in ſui præjudicium in Gallia vel alibi negotietur, ſic cogitat dominus meus eum quoque ad hoc adigere, & ad hunc finem ipſum requirit, ut ipſi cum ſuis ſagittariis & populo auxiliari & opem ferre velit.

XVI. Item. Si rex Angliæ noſſe anhelaret quales vias dominus meus ingredi vellet, tunc ipſi poteritis intentionem domini mei regis aperire, unique aut duobus ſuorum; ita tamen ut illi jurent hanc ſub ſecreto tenere: attamen dominus meus ipſi bene fidit, quod ſi meliores, præſtantiores ac juſtiores vias ſciret, illas communicare non detrectet, quare & petit, quæcumque viæ inveniantur, ut in iis rex Angliæ cum ſuo regno una cum domino meo inſiſtant ac inhæreant.

XVII. Item. Si Angli inquirerent de electorum conſtantia in hiſce negotiis, tunc ipſis poteritis reſpondere dominum meum optime noſſe, talia abſque illorum ſcitu & conſilio, cum ſint immediata & proxima membra imperii, tractanda non eſſe

LXXV.

MEMORIALE RATIONE DIÆTÆ Clivenſis.

I. SI Cliviam verſus veneritis, ſic dominis conſiliariis mei domini Clivenſis & ducis ALBERTI Hollandiæ ad iſtam diætam venturis dicetis, vos à domino meo rege illuc deputatos eſſe ad illam diætam ibidem ſtabiliendam fœderis & unionis contra ducem Geldriæ exſpectandam.

II. Item. Et ſi conſiliarii mei domini Cli-

venſis & ducis ALBERTI Hollandiæ & vos ita conveniatis ad hac de re loquendum, tunc vos præciſe & ſpecialiter attendetis & obſervabitis in quali forma ipſi vellent dominum meum regem contra ducem Geldriæ ſe cum illis colligare debere.

III. Item. Et ſi arbitrarentur dominum meum regem cum duce Hollandiæ & comite Cliviæ contra ducem Geldriæ hoc pacto colligari debere, ut qui ex ipſis tribus duci Geldriæ primo indiceret bellum, iſti incumbat alios duos monere de auxilio, & facta illa monitione, ipſos oporteat illi ſuccurrere, & quidem quemlibet certo numero militum expeditionem contra ipſum perficere, hoſtiliterque in dies bello laceſſere ac aggredi debere.

IV. Item. Deſuper dicendum eſt, dominum meum adhuc in ſuis terris ſuperius in Bavaria contra Bohemum magnum adhuc gerere bellum, prout ipſimet bene norunt, & idcirco hocce tempore, prout libenter vellet, hiſce negotiis cooperari non poſſe, dominumque meum libentiſſime contra ducem Geldriæ ipſos adjuvare, illique per litteras bellum indicere, ipſiſque adeſſe & opitulari velle contra prædictum ducem pro omnibus ſuis viribus, proutque ſuarum rerum conditio permittit: & ſi dominus meus rex bello ſuo contra ſuos contradictores refractarios & inimicos ſuperius in Bavaria exoneratus eſſet, ſic majori cum potentia, ſicut ipſi bene agnoſcunt, ipſis adverſus ducem Geldriæ adeſſe & auxiliari poſſet.

V. Item. Et ſi his acquieſcere nollent, & prætenderent, quod dominus meus ipſis numerum commilitonum conſtitueret, quibuſcum dominus meus ad unam expeditionem & bellum quotidianum ipſis adeſſet; ad hæc intentio mei domini regis eſt, antequam hanc rem intermitteret, potius ſe colligandi cum duce ALBERTO Hollandiæ & comite Cliviæ adverſus ducem Geldriæ hoc pacto: ſi ipſorum unus dominum meum commonefaceret de auxilio contra ipſum præſtando, quod tunc dominus meus rex ipſos adjuvare velit ad bellum quotidianum cum ſelectis centum commilitonibus, quam optime poſſit; ita tamen quod ſi dictus meus dominus rex cum duce Geldriæ bellum inchoaret, ipſumque aggredi vellet, & ducem Hollandiæ ac comitem Cliviæ de auxilio ipſi ferendo monuerit, ut ipſi tunc contra ipſum fideliſſime & cum plena ipſorum poteſtate illi auxilium ferre debeant, faciendo contra ipſum expeditionem quotidianoque bello ipſum invadendo.

VI. Item. Si hæc negotia ſuum finem ſortirentur, in iiſque concludendum foret, tunc ſpecialiter attendite ut procuretis, quod ſi dux Geldriæ dominum meum regem ut Romanorum regem agnoſcere, ſuique feudi inveſtituram ab ipſo accipere vellet, dominum meum tunc eum ſuſcipere ac amplecti poſſe: cum hac tamen exceptione, quod ſi dux Hollandiæ & comes Cliviæ à duce Geldriæ quid prætendere valerent, illa domino meo regi exponant, qui ducem Geldriæ deſuper citabit & monebit, ut ipſe à prædictis dominis duce Hollandiæ & comite Cliviæ hoc modo penes ipſum delatus ſeu accuſatus juri ſe ſubmittat, meique domini regis ſuorumque conſilium judiciumque acceptet, in eo quod ipſi ab illo & ipſe reciproce ab ipſis ex utraque parte prætendere poſſet: & ſi dux Geldriæ hæc acceptare detrectet, illiſque ſeſe opponeret, quod tunc dominus meus rex ipſis duobus dominis ex jure ipſis competente contra ipſum adeſſe vellet, juxta concordata ab ipſis & inter ipſos modo ſupra ſcripto inita & pacta: ſi autem ſe juri ſubmitteret, tunc dominus meus rex minime obligaretur contra ipſum ferre ſuppetias.

VII. Item. quod ſi in hiſce negotiis quid concluderetur; tunc etiam attentendum ut ex parte domini mei dicatur & poſtuletur, ut bellum contra ducem Geldriæ hac æſtate differrent & intermitterent, cum dominus meus interea ſuperius ſuos inimicos & refractarios debellare poſſet; quo peracto, in iſto bello eo potentius agere valeret.

VIII. Item. Et ſi meus dominus Colonienſis etiam ſe colligare vellet, quod hoc cum ipſorum conſenſu fiat.

LXXVI.

MEMORIALE AD DUCEM ALBERTUM Auſtriacum.

I. UT rex Bohemiæ domino meo Romanorum regi RUPERTO imperium totaliter cedat, atque reſignet, utque ad omnes principes, dominos, & civitates ad imperium ſpectantes, ſi neceſſarium foret, perſcribat ſe reſignaſſe.

II. Item. Quod meo domino Romanorum regi RUPERTO omnes reliquiæ, in eo omni ſtatu, in quo ad imperium pertinent & abſque ulla ornatus ſubſtractione, aut diſpoliatione, omniaque regiſtra & litteræ, & ſpeciatim quæ ad Brabantiam pertinent, omniaque imperium concernentia, conſeſtim & ſine mora, & ex integro ad manus ſuas prævie conſignentur & tradantur.

III. Item. Si rex Bohemiæ in eodem regno maneret, quod tunc etiam feudi inveſtituram à domino meo tamquam Romanorum rege recipiat, & ſi ad illam recipiendam in perſona dominum meum accedere gravaretur, ſic dominus meus in ſuis litteris eam concedet, cum hac tamen conditione, ut domino meo regi litteras quibus agnoſcat ſe hanc recepiſſe, prout congruit, reddat.

IV. Item. Si rex Hngariæ regnum Bohemiæ pro ſeipſo prætenderet; ad hoc dicendum quod tunc dominum meum regem Romanorum RUPERTUM ut talem agnoſcere ſuamque

que inveſtituram ab ipſo accipere, reliquiaſque ad imperium ſpectantes ſine ulla ſubſtractione aut diſpoliatione, regiſtra & litteras modo ſupraſcripto prævie tradere deberet.

V. Item. Et qui horum duorum rex Bohemiæ & Hungariæ maneret, ipſe etiam meo domino Romanorum regi RUPERTO fideliſſime auxilium & ſubſidium ferat contra omnes ipſum in imperio turbantes, deſuperque domino meo regi ſecuritas præſtanda erit.

VI. Item. Et ſi iſti articuli ita ſuccederent ut ſupra ſcriptum eſt, & de præſtanda ſecuritate ſermo fieret; ſi etiam vellent dominum meum litteris & cautionibus ſecurum facere illius quod ipſi eſſent promiſſuri, ita ut dominus meus viciſſim ſe erga ipſos ita obligaret; tunc ipſis ad hoc dicendum, quod domino meo regi RUPERTO ſacræ reliquiæ, regiſtra & litteræ, uti ſupra ſcriptum eſt, prius tradantur in eaque prætenſione ſiſtendum eſt: ita tamen ut propterea ſi quid melius tractari poſſit, illud non intermittatur.

VII. Item. Si meo domino regi RUPERTO ſe obligare nollent ad præſtandum auxilium & obſequium verſus Longobardiam, hac de cauſa non eſt deſiſtendum; ſi tamen priores articuli, uti ſupra ſcriptum eſt, ſuum deſideratum exitum adipiſcerentur.

VIII. Item. Et ſi ille qui ita in regno Bohemiæ perſiſteret, reciproce auxilium peteret à domino meo rege, tunc illi reſpondeatur in forma ſupra ſcripta, ſicut ſuper illos articulos ipſi reſponſum eſt, dominum meum ſe velle obligare ad præſtandum pro omni ſuo poſſe auxilium abſque fraude in regno Bohemiæ, caſu quo ipſum quidem inquietare & turbare in eo niteretur.

IX. Item. Et ſi rex Hungariæ regnum Bohemiæ amplecti nollet, neque vicaria poteſtate vel alio modo ambire velletſtamen marchiam Brandeburgicam à domino meo rege accipiet, cum ipſius hæreditas ſit.

X. Item. Si præſtolaretur à domino meo Romanorum rege auxilium contra terras Moraviæ, hoc eſt negandum.

XI. Item. Si per hoc tractatus & congreſſus deſineret & divideretur, ſic tranſeat etiam hoc ratione auxilii præſtandi contra Moraviam.

XII. Item. Si etiam exigerent quod dominus meus rex copias mitteret, & adjuvaret in afferendis ex Bohemia ſacris reliquiis, regiſtris, & litteris, deſuperque domini mei regis diploma mitteretur, hoc ipſis omnino abnuendum eſt, cum dominus meus ea nitatur opinione, quod hæc omnia prævie abſque ulla ipſius opera & moleſtia ad ſuas terras adduci & ipſi conſignari debeant, antequam ſe devinciat ipſos in minimo juvare, quodque illud hoc tempore fieri debeat.

XIII. Item. Quod duces Auſtriæ feudorum ſuorum inveſtituram à domino meo accipere, ipſumque ut Romanorum regem revereri, ipſique fideliter adeſſe & opitulari debeant contra omnes ipſum in imperio turbantes.

XIV. Item. Et ſi ſermo fieret de matrimonio inter unum domini mei Romanorum regis RUPERTI filium & ducis JOHANNIS bonæ memoriæ regis Bohemiæ fratris filiam; ad hoc reſpondendum, uti & ad ſuperiores articulos reſponſum: quibus ita ſervatis, dominus meus ſuo filio & illi filiæ iſtas terras ante ſilvam Bohemicam ab ipſo rege Bohemiæ ſublatas & à ſe occupatas ac expurgatas tradet, prætereaque filio ſuo tantam dotem aſſignabit, quanta iſti filiæ dabitur.

XV. Item. Ut illi filiæ ad minimum pro dote aſſignent quadraginta millia florenorum, utque mei domini filio & illi filiæ pro iis *Brackeſtein* & *Bernavviden* & Egram in dotem totaliter tradant.

XVI. Item. Si hæc negotia terminarentur, providendum ut margravio Miſniæ, duci JOHANNI, epiſcopo Leodienſi, ſuoque vicedomino, terriſque Bavariæ, landgravio JOHANNI Leuchtenbergiæ, Abbati Waldaſſiæ, omnibuſque domini mei Romanorum regis RUPERTI in bello quondam adjutoribus & auxiliatoribus proſpiciatur, eorumque cura habeatur.

XVII. Item. Si igitur novam diætam ſtatuere velint, in quo dominus meus perſonaliter comparere deberet, ſic deſideraret dominus meus rex, ut illa inſtitueretur verſus Straubingam, *Filzhofen*, Scherdingam, aut Saliſburgum.

XVIII. Item. Si neceſſarium eſſet, ut in illa diæta comparerent dux LEOPOLDUS Auſtriæ, archiepiſcopus Saliſburgenſis aliique qui in bello & negotiis contra regem Bohemiæ & Hungariæ egerunt ex parte domini mei etiam, deſuper cura habenda & ſollicitudo.

LXXVII.

NEGOTIATIO AD CAPITULUM Trevirenſe.

PRimo domini mei litteras fiduciarias tradite: quibus ab ipſis lectis, dicere debebitis, quod dominus meus rex ſub ſecreto vos ad ipſos deputaverit, petens, ut fidem omnimodam adhibeant omnibus iis ex parte domini mei regis ipſis à vobis modo narrandis & tractandis, quæ more capitulari & ſub ſecreto tenenda ſunt.

II. Item. Quo peracto, ipſis exponetis, cum dominus meus magiſtrum Nicolaum *Burgman* ad ipſos antehac deſtinaverit, ipſique domino meo per ipſum retulerint, & quibuſdam etiam vicibus urgentes capituli Trevirenſis neceſſitates perſcripſerint, ipſorumque ſacellanum ad dominum meum deputaverint, hæc dominus meus providit ac conſideravit.

III. Item. Et hinc dominus meus inſtantes & occurrentes epiſcopatus Trevirenſis neceſſitates altiſſime menti inſculpſit, illiuſque epiſcopatus emolumenta, honorem & utilitatem libenter omni tempore videre, damna etiam & incommoda omni diligentia, omnique conatu avertere & prævenire vellet, uti & æquum eſt.

IV. Item. Obque hanc cauſam dominus meus intimos ſuos & præſtantiſſimos conſiliarios, ambos principes & alios ad ſe accerſit, epiſcopatuſque negotia & caſus iis propoſuit, cum iiſque deſuper conſedit, atque congreſſus eſt, illique conſiderarunt & ponderarunt, prout ipſe animadvertere potuit; potiſſimum hoc, quod domino meo antedicti epiſcopatus ſacellanus ſignificavit, nempe magiſtrum Johannem medicum Moguntinum aſſerere, nullam meliorationem in præſenti ſtatu epiſcopi ſperandam eſſe, ſed ipſius morbum quo diutius duraret, magis ingraveſcere, & quo plus vitam protraheret eo magis reddi incurabilem.

V. Item. Et ea de cauſa domino meo ejuſque conſiliariis unice & totaliter videtur, neque etiam epiſcopatui ejuſque terræ & populis ad illum ſpectantibus quid melius atque utilius conſultum eſſe ducunt, aut excogitare poſſunt, quam quod epiſcopatui ipſi omnibuſque ad illum pertinentibus multo utilior atque aptior ſit epiſcopus, quam adminiſtrator ſive coadjutor.

VI. Item. Poſtmodum dicetis vos bene ipſis velle exponere, cur epiſcopatui communiter utilior ſit epiſcopus, quam adminiſtrator ſive coadjutor, ob varias & moventes cauſas quas allegate.

VII. Item. Primo cum archiepiſcopus Trevirenſis proximum ſacri imperii membrum ſit, caſu quod interim graviſſima negotia imperii tractanda forent, tunc penes adminiſtratorem ſive coadjutorem epiſcopatus Trevirenſis jure, honore & dignitate ſua privaretur, uti & utilitate, qui ad talia non requireretur nec vocaretur, quemadmodum & ad eum non pertineret, ex quo illi epiſcopatui magna & gravia præjudicia & incommoda quæ jam à nullo ſic perpendi poſſent, exoriri valerent.

VIII. Item. Similiter cum per hoc domino meo tam illuſtre & proximum imperii membrum deficeret, illiuſque conſilio carere deberet, in ſuis etiam & graviſſimis imperii negotiis multifariis modis impediri & turbari poſſet, quibus ipſi imperio totique Chriſtianitati ingentia incommoda ac detrimenta exurgere valerent.

IX. Item. Præterea cum adminiſtratoris ſeu coadjutoris operam quilibet implorare vellet, ſitque in omnibus negotiis multo difficilior ac moleſtior ad ipſum acceſſus tam ratione audientiæ, quam ratione munerum, & etiam ratione ſervitiorum; ſi quis hominibus indigeret; hos adminiſtrator longe difficilius congregare poſſet quam unus verus dominus & epiſcopus, atque ita epiſcopatus ejuſque terræ ſemper majores difficultates ac moleſtias paterentur ſub adminiſtratore quam ſub epiſcopo.

X. Item. Etiam probabile eſt curatorem omnia negotia epiſcopatus non tantacum firmitate tractaturum, immo omnibus modis connivere atque indulgere ſtudebit, ut ſic hominum animos ſibi devinciat, & pecuniam cum maximo epiſcopatus detrimento in propriam ſui utilitatem coacervet, quin immo ſi forte ſedem epiſcopalem vacare contingeret, eorum vota quibus gratiam & favorem impendit ſibi ſperare licebit, & ſic majori cum ſecuritate epiſcopatum acquirere valebit, præterquamquod hoc vobis gratum aut moleſtum foret, voſque gaudio aut dolore afficeret, quæ tamen omnia epiſcopatui ejuſque terræ ac populo non levem perniciem ac ruinam inferrent.

XI. Item. Poſtquam intentionem noſtramillis expoſueritis, ipſorum deſuper reſponſum percipietis, illudque ſpecialiter obſervabitis. Et ſi vobis videantur ipſi hanc eligere viam, gratumque habeant epiſcopum habere; ſic illos ulterius ex parte noſtra, ut hic infra ſcriptum eſt, alloquemini.

Dilecti domini cum jam probe noſtis dominum meum ad protegendum epiſcopatum totaliter eſſe propenſum; ipſius ſi cupitis favorem & auxilium, auctor ſum ut illi hac in re morem geratis, illumque in archiepiſcopum aſſumatis, quem ipſe dominus meus vobis aſſumendum eſſe ſuadebit, talemque vobis deſignabit quem ipſi libenter habere tis, quique epiſcopatui terræque ac populo ad eum ſpectantibus utilis & honorificus eſſe poſſit. Id ſi præſtiteritis, meoque domino morem geſſeritis, illum quem vobis eligendum propoſuerit, cum ſuis ſuoque palatinatu, cumque ſuis & imperii terris & populis fideliſſime cum perſona omnibuſque bonis ſuis adjuvabit in epiſcopatu manutenendo, & pro omni ſuo poſſe conſervando.

XII. Item. Et ſi appareat dominum meum tam potenter hoc proſequi & huic cooperari, ſic quoque prævideri poteſt quod dominus meus nullatenus dubitet, omnes archiepiſcopos, alios epiſcopos, principes, comites, proceres & dominos ex utraque parte tum ratione conſanguinitatis, tum ratione imperii ad ipſum pertinentes, in eodem epiſcopatu reſidentes ipſos quoque domino meo in hoc aſſenſuros, obſecundaturos, conſilium & auxilium ſuum præſtituros eſſe, ita ut memoratus epiſcopatus ad eumque ſpectantes terræ & populi pacem & gratiam adipiſcantur, in iiſque permaneant.

XIII. Item. Si autem vobis appareret ex ipſorum reſponſo, hæc ipſos velle prolongare, aut in alios inclinare, quam ſupraſcriptum eſt, vel hanc rem ſecundum petitionem noſtram ſuſ-

cipere nolle; tunc ipſis dicetis: quamvis meus dominus jam tum ratione imperii urgentia & gravia tractare debeat; nihilo tamen minus epiſcopatum voſque concernentes res & neceſſitates benevolo oculo intuitus eſt, prout ipſi expoſitæ ſunt, & libenti animo vellet honorem & utilitatem epiſcopatus procurare, omniaque damna, præjudicia & impedimenta omnibus ſuis viribus impedire & prævenire. Si autem illi obſequi detrectetis in iis viis, eaſque ſecundum ſuum ſuorumque conſilium amplecti recuſetis, quidquid tunc in poſterum ad perniciem veſtram & epiſcopatus ruinam in hiſce rebus obtinget, hoc abſque culpa domini mei eveniet; & cum tunc probabile ſit vos poſtmodum favorem & auxilium à domino meo eſſe præſtolaturos, dominus meus tunc fortaſſe ea majori cum difficultate concedere & indulgere poterit, ſicque non ita bene deſuper perſuaderi & induci poterit.

LXXVIII.

NEGOTIATIO CUM DOMINO de *Falchenſtein*.

PRimo litteras credentiales domini mei regis ipſi præſentabitis.

II. Item. Ipſi dicetis dominum meum ſecunda vice omni cum ſinceritate ad ipſum litteras exaraſſe, quibus ſignificaverit ſuum ad ipſum acceſſum ratione inſtantis negotii; cumque dominus meus non venerit, vos ad ipſum deputarit ad enarrandum ipſi tam graves & urgentes neceſſitates, quales ipſi epiſcopatus Trevirenſis nuntiis & litteris propoſitæ ſint; dominuſque meus pertimeſcit quod illi epiſcopatui nimis longum foret juxta ſtatum & conditionem rerum ſuum ad ipſum acceſſum exſpectare; & propterea vos ad ipſum miſit, ſicque ipſum litteras ratione capituli & aliorum omnes legere & auſcultare faciatis.

III. Item. Poſtquam litteras auſcultaverit, dicite illi, dominum meum inſtantiſſime ipſum rogare, ut ratione ſui & imperii, cum hic epiſcopatus ſit membrum imperii, in hoc negotio fidele conſilium dare velit, ad ſuppetias epiſcopatui ferendas, & ad prævenien- E dum in tempore perniciei & calamitatis in illo imminentis, cum adhuc ibi conſilium & auxilium præſtari poſſit. Ipſeque etiam bene novit ſummopere urgere, & præſertim in præſentibus circumſtantiis, ut nulla in hoc dilatio aut mora ſa ienda ſit.

IV. Item. Si autem ipſe juxta ſuum reſponſum videatur eſſe propenſus ad mutationem in epiſcopatu faciendam, tunc ipſi exponetis viasquas nobis propoſuerimus, quæque nobis conſultæ ſunt ad epiſcopum faciendum, & in eadem forma in qua & cum capitulo has negotiari debebitis.

V. Item. Si autem ex ſuo vobis dato reſponſo colligatis ipſum non affectum eſſe in mutationem, & intenderet fratrem ſuum in epiſcopatu manere debere; tunc dicite illi, quod nobis juxta conditionem & ſtatum rei, & ſecundum nobis propoſita & relata, videatur epiſcopatui conſultum iri, ut mutatio fieri debeat; quodque nobis videatur ipſius fratri aptius, honorificentius & utilius fore, ut voluntatem ſuam in hoc reſignet, hocque pro omni tempore & antequam epiſcopatus ingentibus cladibus afficiatur, & more prædeceſſorum ſuorum ſibi proſpectum iri curaret. Nam ſi hoc cum bona voluntate & conſilio non B evenerit, timemus talem calamitatem, miſeriam & infortunium inventurum, quod imperio, præ ceteris, epiſcopatui, ipſis aliiſque noſtri & imperii fidelibus ac vaſſall is in iſtius loci terris magnam inferret perniciem, & tamen hanc mutationem fieri oportebit.

VI. Item. Et meus domin us ipſi optime fidit, quod in hoc propenſus ſit, ſuumque conſilium & operam impendere velit, ut illi epiſcopatui ſuccurratur, pernicioſiſſima que damna quæ inde magis evenirent atque exſurgerent, ſi in tempore non prævideatur at- C que proſpiciatur, avertantur: hocque jam, cum illi epiſcopatui adhuc ſuccurri abſque magnis ſumtibus & labore poſſit, & epiſcopatui & omnibus ipſi bene volentibus & addictis honorificentius & utilius eſſet futurum, quam ſi longæ moræ & dilationes quærantur, quæ talia impedimenta & errores inducerent: quos ſi libenter amovere & è medio tollere velimus, tunc facere impares eſſemus, in iiſque amovendis magni ſumtus & ingens labor impendendus eſſet.

LXXIX.

RESPONSUM AD NEGOTIATIONEM quam dominus Fredericus ducis Lotharingiæ ſacellanus fecit.

PRimo cum negotiatus fuerit penes dominum meum regem, quoſdam homines ſuos domino duci Lotharingiæ adfuiſſe, ipſi retuliſſe ac propoſuiſſe quamdam compoſitionem inter meum dominum regem & Mediolanenſem, tentando an domino meo regi ita placeret: tunc dux Lotharingiæ illam in ſe reciperet vellet, & fideliſſimam operam & diligentiam in ea adhibere.

II. Item. Et cum inſuper negotiatus fuiſſet hanc à domino meo rege optime acceptare poſſe, cum dux Burgundiæ proponat matrimonium cum Mediolanenſi concludendum vel firmandum.

III. Item. Hæc omnia dominus meus rex optime novit & experitur filium ſuum ducem Lotharingiæ totaliter ac fideliſſime ſibi devinctum eſſe, bonamque ſuam voluntatem ſibi addictam, & ad omnia, ad utilitatem & honorem domini mei conducentia cum omni fidelitate adimplenda & procuranda

promtiſſimam intellexit, ut pro ea dominus meus dilectioni ſuæ plurimas gratias referat, illamque gratanter remunerare fataget, uti æquum eſt. Cum autem res ſit maximi ponderis, pauciſſimique ſuorum conſiliariorum domino meo adſint, qui tamen hocce Bacchanalium tempore ad ipſum hic verſus Norimbergam redibunt; in præſenti deſuper deliberare & ſtatuere nequit, ad ipſi politivum & peculiare reſponſum imperticndum. Si autem ſui conſiliarii, uti ſupra ſcriptum eſt, ad ipſum redierint, tunc cum ipſis conſilium inire dominus meus ſtatuit, & poſtea domino filio per honorificam legationem ſuam intentionem ex integro notam faciet, ut ſecundum hanc ſe conformare & in futuro dirigere queat.

IV. Item. Quod etiam anteſatus dominus Fridericus tractavit ratione comitis Sabaudiæ de matrimonio ineundo inter illuſtrem ducem Johannem mei domini regis filium & ipſius comitis Sabaudiæ filiam, hoc etiam optime intellexit dominus meus, ſuoque filio duci Lotharingiæ notum facit, quod illud matrimonium ſummopere arrideret: verumtamen dominus meus rex jam longe ante honorificam ſuam legationem in Galliam miſit, nominatim illuſtrem principem & dominum LUDOVICUM comitem palatinum Rheni & ducem Bavariæ, dominum camerarium à *Dalberg*, & magiſtrum *Joben* ad ineundum, contrahendum & ſtabiliendum matrimonium inter ante dictum ducem Johannem mei domini regis filium, & regis Galliæ filiam: quæ legatio domino meo nondum retulit utrum hoc matrimonium ſuum ſortiatur progreſſum vel non: dominuſque meus prævidet hoc potius regreſſum quam ingreſſum eſſe adepturum, & quamprimum illa legatio, quam quotidie dominus meus exſpectat, redierit, & domino meo deſuper peculiarem relationem fecerit; ſi tunc ratione iſtius matrimonii nil concluſum, contractum aut ſtabilitum fuerit, tunc dominus meus memorato ſuo filio duci Lotharingiæ legationem facere, & peculiariter ſuum conſilium requirere ratione matrimonii cum comite Sabaudiæ, uti & tunc ſuo conſilio, ſi hoc domino meo placuerit, obſequi intendit.

V. Item. Quæ vero prædictus dominus Fridericus negotiatus eſt de Aquiſgranenſibus, domino meo placet, ut ſuus filius Lotharingiæ perpendat, utrum ipſos ad domini mei obedientiam inducere poſſit, cum dominus meus rex ſuo filio Lotharingiæ præ aliis amicis ſuis hæc committere velit, ſumque filium non latet, quod Aquiſgranenſes tanta cum temeritate domino meo ſe oppoſuerint, ac inobedientiam aliaque delicta commiſerint, illaque ſuſtinuerint ac exhibuerint; ut merito ab ipſo & imperio in magnam pœnam declarati ſint: nihilo tamen minus rem gratam domino meo exhibebit dictus ſuus filius Lotharingiæ, ſi cum iis, qui de Aquiſgranenſibus cum ipſo locuti fuerint, tractare dignaretur; quos ſi ad honeſta & utilia propenſos experiretur, tunc diætam quorſum ipſi placuerit deſuper indicere velit, ad quam dominus meus ſuos familiares etiam deputabit, & de his rebus tractare curabit, dominuſque meus filio ſuo plus quam ulli alteri obtemperare non detrectabit, prout æquitas ipſa poſtulat.

VI. Item. Sicut & antedictus dominus Fridericus negotiatus eſt ratione Metenſium, ſi domino meo gratum foret, ſic ſuus filius Lotharingiæ conaretur illos inducere ad præſtandam domino meo obedientiam: in hoc quoque dominus meus præ ſuis cæteris amicis favere vult: & ſi Metenſes ſe erga dominum meum ita exhiberent, ſicut erga alios Romanorum reges; & ſi cum Dei gratia imperator eligatur ſicut erga alios imperatores ſuos prædeceſſores, ſecundum antiquitus inductam conſuetudinem ſe exhibere tenerentur: ſic dominus meus ipſorum privilegia & diplomata ab aliis Romanorum regibus & imperatoribus ipſis conceſſa confirmabit. Si autem diſſenſiones & diſcordiæ ibi intervenirent, eaſque memoratus Lotharingiæ domino meo ſignificaret, ſuos conſiliarios ad ipſum deſtinabit, ut cum ipſo his de rebus tractent, uti eam ad concordiam & ad ſuum finem perduci queant, ipſumque amiciſſime requirere juſſit, ut omnem operam & laborem in hiſce impendere velit, prout ſingulariter de ipſo dominus meus confidit, quodque dominus meus ipſi gratificare non deſinet, uti & juſtum eſt.

LXXX.

EPISTOLA RUPERTI ad quoddam canonicorum collegium

Ut præbendam eccleſiæ vacantem Johanni Knebel *conferant.*

RUPERTUS, &c. Dilecti devoti nobis expoſitum fuit apud vos vacaſſe quamdam præbendam; & quod non obſtantibus precibus noſtris, quas Johanni *Knebel* contuleramus, vos nihilominus alium ad præbendam admiſeritis, quod ægre de vobis ferimus: hinc ſerio à vobis requirimus, ut antedicto Johanni *Knebel* præbendam adhuc detis, ut ita primis precibus noſtris fruatur, donec alia præbenda vacet: non enim libenter patimur ut nobis & imperio aliquid de antiquo noſtro jure & conſuetudine decedat, quod ſi hoc facere contemnatis, nos interea noſtro & imperii juri conſervando ſolliciti erimus. Veſtrum deſuper præſtolamur reſponſum.

LXXXI.

EPISTOLA STEPHANI BAVARIÆ DUCIS, Stephani marchionis Miſniæ, & Friderici burgravii Norimbergæ ad Johannem archiepiſcopum Moguntinum.

Petunt ab eo auxilium adverſus regem Hungariæ.

AMica ſalute prævia reverende domine & amice, domine Johannes archiepiſcope. Quemadmodum nos vobiſcum ac cum aliis noſtris comprincipibus electoribus quondam in hoc convenimus, ut noſtrum unuſquiſque in iis rebus quæ ſacrum imperium Romanum & novi regis electionem concernunt, firmiter & conſtanter, omni potentia, auxilio & conſilio unus alteri adeſſet, ſicuti veſtræ, & aliorum veſtrorum comprincipum electorum nobis deſuper datæ litteræ proprie monſtrant: ita ſi eamdem ob cauſam rex Hungariæ, ut intelleximus, nos impedire, turbare, ac pravam ſuam voluntatem in nos convertere intendat, contra eum veſtro auxilio nec carere volumus, nec poſſumus; hinc vos rogamus, monemus, & requirimus per ſponſionem nobis factam juramentoque firmatam, ut incunctanter nobis contra eumdem regem Hungariæ auxilium præſtetis, noſque cum omnibus veſtris copiis ſequi curam habeatis, quamprimum vel ſimul omnibus aut ſeorſim ſingulis hoc annuntiaverimus, & a vobis id petierimus, juxta tenorem litterarum veſtrarum, quas cum ſigillis appenſis penes nos habemus, juxtaque quas, nec aliter vos monere aut à vobis quidquam petere licet, quod etiam libenter promereri conabimur: veſtrum rogamus reſponſum ut juxta illud noſtra diſponere poſſimus. Datum Norimbergæ die lunæ poſt feſtum ſanctæ Agnetis, anno domini milleſimo quadringenteſimo tertio.

STEPHANUS comes palatinus Rheni & Bavariæ dux. WILHELMUS marchio Miſniæ & landgravius Turingiæ, & FRIDERICUS burgravius Norimbergæ.

Sub hac præſcripta forma prædicti tres principes archiepiſcopis Colonienſi & Trevirenſi ſcripſerunt.

LXXXII.

LITTERÆ RUPERTI ROMANORUM REGIS ad ducem Lotharingiæ.

Recuſat ei concedere arcem Kirchel *pro ſolutione debitorum ſuorum, ſed alios ei offert reditus.*

ILluſtris dilecte fili & princeps, cum tu nobis reſcripſeris, & per Fridericum tuum ſacellanum ratione debitorum quibus adhuc tibi remanſimus debitores, ratione expeditionis a te nobiſcum verſus Longobardiam factæ, petieris ut nos tibi noſtram arcem *Kirchel*, præterea noſtros turnos ſeu cenſus pecuniarios Bodobrigenſes, ſive in Boppartim, pro quinque millibus florenorum perſcribere velimus; ſicque pro reſiduo etiam certiorando tuos conſiliarios huc verſus Heidelbergan mittere velles: Dilecte fili hæc omnia bene percepimus, nobiſque videtur ex tuis ad nos datis litteris, antedictum tuum ſacellanum noſtram intentionem Norimbergæ ipſi ratione iſtius debiti à nobis inſinuatam & patefactam ſiniſtre percepiſſe, & intellexiſſe; ſicque ultra male tibi ſignificaſſe. Nam dilectio tua ipſamet melius novit arcem *Kirchel* nobis commode hoc ſitam eſſe loco, contra quemcumque qui illic terrarum nos invadere aut moleſtare vellet; & quantumvis paucorum redituum ſit, eamque tibi traderemus, ita tamen ut nos intus & extra contra quoſcumque defendere poſſimus: attamen illa non tam facile expugnari poterit ab iis qui nos invadere nobiſque nocere niterentur, ſi nos eamdem in noſtris manibus & ſub poteſtate noſtra retineamus, noſtriſque præfectis & officialibus muniamus, prout dilectionem tuam non fallit. Ad hæc turni ſeu cenſus pecuniarii Bodobrigenſes non ſunt nobis niſi ad dies vitæ oppignorati, ita ut transferri nequeant, parumque tibi prodeſſe poſſint. Ut itaque dilecte fili notum ac plane proſpectum habeas, nos tibi memorata debita a te obſequii præſtiti ergo pro nobis & imperio contracta omnibus viribus noſtris libentiſſime ſolvere, & tibi illorum reſtitutionem facere velle, ſic intendimus ad iſtius debiti ſolutionem duodecim turnos in noſtro & imperii portorio Selſiæ ad Rhenum tibi perſcribere, ſine detractione, ſicut & tibi promittere, obligare & ſubſcribere, quod tibi omni anno ex reditibus noſtræ & imperii ſatrapiæ & præfecturæ in Alſatia duo millia florenorum ad detractionem & computationem prædicti debiti ſolvi & numerari debeant: ita ut dicti duodecim turni in noſtro & imperii portorio ſine diſtractione; iſta vero duo millia florenorum ex reditibus noſtræ ſatrapiæ in Alſatia, qui nobis & imperio, exceptis reditibus præfecto ſeu ſatrapæ debitis, omni anno adhuc recipiendi manent, ad ſolutionem a te recipiantur, uſque dum memorato debito ex illis duobus millibus florenorum totaliter ſatisfactum ſit: ita tamen ut noſtras litteras tibi ratione iſtius dicti debiti datas ſine dilatione ſtatim & ſine mora & abſque dolo reddas; & hæc tibi libenter promittimus, deſuperque noſtras litteras dare volumus. Quod ſi nobis quædam pecuniæ ſumma à Mediolanenſi, Aquiſgranenſibus aut à quovis alio virtute tractandorum obtingeret, illaque dictum debitum extingui poſſit, id paratiſſimo animo nos facturos eſſe; cum ea tamen conditione quod nobis tunc litteras ſuper dictos duodecim turnos in Selſia & duo millia florenorum in ſatrapia ad detractionem & computationem tibi data ſine mora reddas, & in poſterum nullius

obligationis asseras ac declares. Et si hasce vias ingredi velis, uti arbitramur te merito ingredi debere intuitu præsentis rerum nostrarum statûs, consiliarios cum potestate ad nos mittc, ut huic negotio finem imponamus, tibique pro viribus nostris prospiciamus. Datum Heidelbergæ feria quarta post dominicam *Oculi* anno domini quadringentesimo tertio, regni vero nostri anno tertio.

Ad mandatum regis
Johannes *Winheim*.

LXXXIII.

NEGOTIATIO AD REGEM ANGLIÆ Friderico de *Huben* demandata, Laurentii festo, anno quadringentesimo tertio.

I. PRimo illi litteras fiduciarias domini mei tradetis, & postmodum dicetis dominum meum regem ipsi suum amorem ac amicitiam offerre, & inquiri jussisse de ipsius statûs prosperitate ac stabilitate, unice desiderans ut in suis rebus & negotiis omnia prospere & ad vota fluant, ipsumque enixe rogans ut sæpius de his in suis litteris mentionem faciat, eumque certiorem faciat, cum singulare gaudium & lætitiam exinde hauriat.

II. Item. Et postea asserite dominum meum, dominam meam reginam, omnesque suas proles & nominatim dominam Blancham mei domini ducis LUDOVICI conjugem suam filiam ex omnipotentis Dei gratia salvos atque incolumes esse.

III. Item. Et quoniam ratione matrimonii inter suam filiam dominam Blancham prædictam & meum ducem Ludovicum mei domini regis filium, die dominica dum in sacra ecclesia canitur *Cantate*, quatuor septimanis post pascha ultimo elapsa, in civitate Colonienſi sedecim millia nobilium, vi litterarum super matrimonium confectarum, solvi debuissent, attamen non soluta sint. Hinc dominus meus rex & meus dominus dux LUDOVICUS instantissime ipsum rogare fecerunt, ut illa sedecim millia nobilium sine dilatione Coloniæ numerari jubeat, virtute prædictarum litterarum, quibus domino meo exhiberet sinceram amicitiam & amoris tesseram, & meo domino duci LUDOVICO specialem gratiam, favorem & benevolentiam, cum jam tum illa pecunia indigeant, præsertim ratione belli, quod jam tribus integris annis contra regem & regnum Bohemiæ gesserunt, & adhuc quotidie gerunt, prout ipsum non latet; & si illa pecunia non indigerent, libenti animo longiorem moram fecissent, & hocce tempore ad ipsum non misissent (*a*).

[*a*]

IV. Item. Cum hoc regi cum emphasi exposueritis, si tunc rex Angliæ opponeret se etiam bellum gerere adversus Gallos, & opinaretur a domino meo longiores inducias esse concedendas, aut sub quovis prætextu oggereret solutionem esse procrastinandam, tunc aitote: Dilecte gratiose domine, meus dominus rex Romanorum, & meus dominus dux LUDOVICUS ipsius filius, vester gener, vestræ gratiæ intimare mihi imposuerunt, se gratiæ vestræ bene confidere, quod hanc pecuniæ summam hocce tempore solvatis, cum revera magna bella & ingentes sumtus contra Bohemum suosque rebelles ac refractarios longo temporis spatio facere debuerint, & adhuc quotidie faciant, prout gratiæ vestræ ante exposui; ipsique in illa pecunia fidem suam locarunt, specialemque fiduciam in gratiam vestram posuerunt, & totaliter confidunt quod a vobis hocce tempore exsolvatur; & si hoc non fiat, quod de gratia vestra numquam sperant, sic sibi talia damna & detrimenta ventura cognoscunt, quæ supra modum ipsis noxia & pernicioſa essent. Nam sic dominus meus rex servos suos stipendiarios & milites imparata pecunia continere non posset, ipsique sine dubio militiam deserrent, quod valde damnosum foret, præsertim domino meo duci Ludovico: ac proinde dominus meus rex cogeretur aliquas arces sui dominatus hæreditarii oppignorare: quæ omnia evitarentur si illa pecunia solvatur; & propterea omnem in vestram gratiam conjiciunt fiduciam, tantum vos non passuros eis dedecus evenire.

V. Item Cum hunc sermonem in supra scripta formâ absolverit, si tunc rex Angliæ responderet solutionem istius pecuniæ se libenter præstare; esse autem ipsi nimis incommodum & molestum eam facere Coloniæ; ad hæc illi dicendum, quamvis litteræ matrimoniales aperte constituant pecuniæ solutionem Coloniæ esse præstandam, tamen dominus meus rex Romanorum & meus dominus dux LUDOVICUS amicitiæ & necessitudinis erga regem Angliæ intuitu, solutionem Dordraci acceptabunt, ita ut illa sine procrastinatione fiat.

VI. Item. Et dicite illi etiam vos mei domini regis & etiam mei domini LUDOVICI apochas habere; quas Coloniæ aut Dordraci tradere debetis, quando memorata pecunia solvetur.

VII. Item. Postquam sermonem in supra scripta forma perfeceritis, si rex Angliæ insisteret se velle Londini solutionem facere, & non Coloniæ vel Dordraci, apochasque etiam ibidem fore tradendas; est mens domini mei regis, quod tunc dicatis vos à meo domino rege & duce Ludovico in tali formâ non discessisse & esse missos, ut illam pecuniam recipiatis. Nam dominus meus rex & dux Ludovicus ipsi bene fidunt illam à se pecuniam solvendam esse in illis civitatibus & locis juxta tenorem litterarum desuper datarum.

VIII. Item. Regi Angliæ quoque dicendum

(*a*) Vide si lubet Ludovici Palatini comitis hanc in rem epistolas ad Henricum regem a nobis editas tom. 1. Anecdotorum pag. 1709. & seq.

qualiter dux Aurelianenſis quamplurimis principibus, magnatibus, comitibus & dominis Germaniæ ſcripſerit, illoſque ſollicitaverit ad mittendas contra regem Angliæ copias, prout bene colliget ex copiis litterarum quas epiſcopus Colonienſis, epiſcopus Saliſburgenſis, comes SIGISMUNDUS SPANHEMII domino meo communicarunt, & illas copias ipſum legere faciatis.

IX. Item. Quibus ab ipſo lectis & perceptis, dicite dominum meum omnibus illis dominis reſcripſiſſe, illiſque interdixiſſe ut duci Aurelianenſi contra regem Angliæ ſuppetias ferant, cui & ipſi morem gerere volunt; dominus enim meus apprime novit, ſe poſtquam ſe affinitatis vinculo cum rege Angliæ obſtrinxerit, permittere non poſſe principes, comites, magnates & domino qui ipſius imperio & ditioni ſubſunt adverſus regem Angliæ ſubſidia & auxilia ferre, illudque quovis in loco repellere, impedire, & reprimere conabitur, prout & æquitas poſtulat: & quidquid grati & accepti regi Angliæ exhibere poſſit, ad id promtiſſimum, paratiſſimum & expeditiſſimum ipſum ſemper inveniet, prout & ab ipſo viciſſim ſpecialiter ſperat,

---

INSTRUCTIO SECUNDUM QUAM noſtri domini regis familiares ſe dirigere debent in diæta Solodurenſi cum conſiliariis comitis Sabaudiæ.

PRimo firmiter inſiſtetis, quod comes Sabaudiæ noſtro domino regi homagium, fidem & juramentum præſtet, feudique ſui inveſtituram tamquam à rege Romanorum accipiat, ad eamque accipiendam in perſona Baſileam dominum meum regem certa die accedat, deſuperque concludetis. Si autem difficilem ſe præberet, ſaltem obligaret ſeſe immediate dominum meum regem ut regem Romanorum agniturum & reveriturum, illique cum ſuo comitatu & dominatu obedituram & obſecuturum eſſe, prout alii comites Sabaudiæ domini noſtri prædeceſſoribus imperatoribus & regibus fecerunt.

II. Item. Supra ſcripto puncto ita etiam inhærendum eſt, ut nullum amicitiæ, conjunctionis & unionis fœdus ineatur aut tractetur, priuſquam homagium, uti ſupra dictum eſt, aut illa obligatio in opus redigatur.

III. Item. Ipſis quidem prælegi & monſtrari poſſunt, ſi peterent, bullæ confirmantes noſtrum dominum Romanorum regem à ſede pontificia emanatæ, & litteræ ſententiales quare electores regem WENCESLAUM depoſuerint: veruntamen nulla copia iis danda.

IV. Item. Ratione matrimonii inter ducem Johannem & comitis ſororem, ſtabilitum ſit quod ad minimum ſexaginta millia ſcutorum Romanor um pro dote aſſignanda ſint, quodque hujus ſummæ medietas cum filia tradatur, & ſolvatur; aliaque medietas ſubſequentibus annis, uno aut diverſis temporibus unius anni, aut ad ſummum alia medietatis pars in uno & medio, vel in duobus annis ad ſummum, illudque certo firmetur, ſecurumque reddatur. In his autem procedendum, temporaque abbrevianda aut prolonganda, prout aliæ negotiationes ſuccedunt. Eſtque pariter mens noſtri domini regis, ut filia proximo menſe Maii vel circa feſta Penteceſtes cum medietate dotis educatur, ſuoque conjugi mittatur. Si autem in tractatu aliter expediret hoc differre, propterea hic non eſt interrumpendus: longius tamen quam per annum non differatur.

V. Item. Dos quoque aſſignanda eſt in terris ac populis, qui in pretio æquant filiæ dotem: quarum terrarum & populorum dominium ipſis accreſcet, illoque toto vitæ ſuæ tempore fruentur ac gaudebunt, & poſt ipſorum mortem illorum proles: quibus ſi deficerentur, ſic illarum terrarum & populorum dominium ex una parte ad aliam devolvetur; & ſi ambo è vivis diſceſſerint, uniuſcujuſque partis dominium unde accreverit retrocedet; neque neceſſe eſt parata pecunia hæc omnia expediri, ſed ſufficit terras populoſque tamdiu illius cui accreſcent dominio ſubjici, uſque dum eximantur tanta pecunia, quanta illi cui accreverunt, debetur.

VI. Item. Quod ad ornandum virginis caput, intentio domini noſtri regis eſt, quod hoc ponatur in arbitrio comitis, qui ſorori ſuæ ipſemet tam in uno, quam in altero de pretioſis ornamentis, prout ipſum ſuumque decet dominatum, providere debet.

VII. Item. Quod concernit negotia verſus Longobardiam, domini mei mens eſt, ut illa differantur, cum dominus meus rex hocce tempore quid ſibi faciendum ſit, & præſertim ſi in illis aliis negotiis convenirent, ignorat. Priuſquam autem dominus meus rex quidquam verſus Longobardiam tentare ſtatuat, comitis Sabaudiæ conſilium & auxilium ſibi expetet, & ſic cum ipſo bene conveniet in punctis omnibus ad hæc neceſſariis.

VIII. Item. Si firmiſſime inſiſterent ſciretque vellent noſtri domini intentionem in hiſce negotiis, cum ipſis tractari poterit hoc modo: quod ſi noſter dominus comitis Sabaudiæ viis & ſemitis indigeret, tunc ipſe comes Sabaudiæ ſuas vias, ſemitas, ſuaſque arces in Longobardia aperiret ac patefaceret; tunc dominus noſter rex promitteret decem vel duodecim millia florenorum ipſi dare: & ſi ipſius operum eorumque equitum ac famulorum indigeret, ipſis tantum per menſem dabit, quantum aliis noſtri domini regis equitibus & famulis; comitique nil promittendum aut ſolvendum eſt, niſi dominus meus ſua opera indigeat.

LXXXV.

MEMORIALE AD HELVETOS.

I. IPsis dicendum est, quod dominus meus rex ipsos humanissime roget, ut ipsi vias suas & semitas versus Longobardiam patefaciant, quod dominus meus gratiose & in perpetuum remunerare conabitur, eoque magis in omnibus rebus seipsis propensum esse demonstrabit.

II. Item. Quidquid huic insererent, ad hoc ipsis humaniter respondendum: si autem prætenderent fœdera contra regimen seu dominatum Austriacum, hæc ipsis plane denegandæ, hoc pacto: quod dominus meus nullum fœdus contra suum generum & ducem LEOPOLDUM Austriæ inire velit, uti & ipsi bene norunt; hoc dominum meum dedecere, cum ipse uni ex suis filiabus nupsit: sed si inter ipsos discordiæ & dissensiones exurgerent, sic conabitur dominus meus ipsos amicabiliter componere, prætereaque in omnibus se benignissimum exhibebit, ut merito ipsi grates rependendæ forent.

III. Item. Si vellent igitur in eo se firmare, quod dominus noster rex promittat se ducem contra ipsos non adjuturum, hoc ipsis pariter recusandum est, non ea ratione quod noster dominus rex, cum ipsi sit conjunctus, non ita bene se interponere possit: sed quia dominus noster se erga ipsos exhibere conabitur, ut illis nulla ansa pœnitendi, Deo dante, præbeatur, si domino nostro in hisce rebus obsecundaverint.

LXXXVI.

INSTRUCTIO SECUNDUM QUAM nostri domini regis familiares in diæta Augustana se dirigere debent cum familiaribus Salisburgensis.

PRimo cum illa diæta constituta sit ad unionem & amicitiam ex utraque parte stabiliendam, ad eam dominus noster rex propensissimus est, cui etiam ab initio suæ ipsius electionis specialem erga Salisburgensem affectionem habuerit, quam etiam demonstravit legationibus & litteris, quas Romam & ad ipsum sui & episcopatus ergo miserat.

II. Item. Si tunc præstolarentur & peterent quod dominus noster rex Salisburgensi investituram sui scudi daret; ad hoc ipsi respondendum, dominum meum liberatissime velle ut in eo statu esset, in quo hoc usque reprehensione facere deberet & posset, atque ipse esset paratissimus, neque differret; verum noster dominus, cum cathedra Romana ipsum nondum confirmaverit, sed alium episcopatui præposuerit, quod tamen domino nostro regi minime gratum est; si concederet ipsi investituram, vereretur a sede pontificia hoc ipsi esse exprobrandum, præsertim cum papa obierit (a) quodque tunc dicatur, dominum meum plus potestatis sibi arrogare, quam ipsi debeatur, & posset sedes pontificia inde varios sibi conceptus formare; ac justum videri, alium episcopatui quam ipsum præponendum fore, & hacce ratione ipsi Salisburgensi eo fortius contrarius foret pro conservatione & manutentione juris sui. [a]

III. Item. Si dominus meus rex Salisburgensi dictam investituram daret, quidquid tunc deinceps Romam sui ergo scriberet & significaret, hoc non tam optatum inveniret aditum, neque tantam Salisburgensi conferret gratiam, quam si eam non dedisset; cum taliter se hujus redderet participem.

IV. Item. Aliæ adhuc reperiuntur viæ, quibus illi domini colligari possunt, quæ etiam ipsis non inutiles erunt, ex quibus proprie colligi liceat, qua ratione se invicem gerere debeant, cum possit obtingere dominum nostrum omni instantia & sinceritate Salisburgensis confirmationem prosequi, quam si Deo dante obtineat, Salisburgensi investituram concederet.

V. Item. Si itaque de incundo fœdere vobiscum colloqui vellent, sic illi insistendum est, quod noster dominus dux Ludovicus se cum ipso colliget adversus quemcumque, qui ipsum vi ex episcopatu pellere vellet, & præsertim contra Frisingensem, contra Austriacos & alios ipsius coadjutores, ita ut vicissim se colligat regi contra regem Hungariæ & Bohemiæ, illos Austriacos & alios nostro domino regi adversantes; quodque hujusmodi colligatio concipiatur talibus punctis & articulis, qui ad hoc pertinent.

VI. Item. Ut etiam se obliget, si dominus noster rex versus Longobardiam tenderet, ad quinquaginta minimum commilitones suis sumtibus, sex saltem mensibus sustentandos mittendum, & domino nostro regi ejusque exercitui liberum terrarum suarum transitum concedendum, si domino nostro regi id necessarium esse, idque exiguis sumtibus fieri posse videatur.

VII. Item. Ut domino nostro regi speciales suppetias ferret, concedendo decimas ecclesiasticas bonorum sibi suoque episcopatui subjectorum.

VIII. Item. Hæc puncta omnia insinuanda sunt, desuperque ipsorum judicium excipiendum; & ultimo dicendum est, nos bene novimus dominum nostrum regem vestro principi propensissimum esse; & quamvis vos cum potestate deputati sitis, sic tamen bonum esset illa puncta dominis suis iterum significare, & in illa diæta quam tunc statuetis desuper concludere, cum hæc negotia suis fuerint subjecta erroribus, & non ita inconsiderate absque illorum dominorum scitu à consiliariis acceptanda sint.

(a) Obiit Bonifacius Papa IX. die 1. Octobris 1404. cui successit Innocentius VII. ejusdem mensis die 17.

A

LXXXVII.

HI ARTICULI SUNT QUOS DOMINUS meus rex cum ſuis conſiliariis concluſit contra regem Bohemiæ.

I. QUOD rex Bohemiæ domino meo regi RUPERTO imperium totaliter reſignet, ab eoque deſiſtat, ſigillatas ſuas quoque litteras conficiat, in quibus ſcribat & fateatur ſe ita reſignaſſe, & ab imperio deſtitiſſe, ratumque ſe habere quod electores meum dominum regem RUPERTUM in Romanorum regem petierint & elegerint.

II. Item. Quod domino meo regi omnes ſacras reliquias in omni ea forma, in qua ad imperium pertinent, & ſine ſubſtractione aut diſpoliatione, omniaque regiſtra & litteras, & nominatim quæ Brabantiam concernunt, omniaque ad imperium ſpectantia ſine dilatione & ex integro reſtituat.

III. Item. Quod rex Bohemiæ ſui feudi inveſtituram à domino meo Romanorum rege RUPERTO accipere debeat, & ſi ad eam accipiendam dominum meum regem in perſona accedere nollet, quod tunc dominus meus in ſuis litteris eam ipſi concedere velit: ita tamen ut ipſe litteras reddat, quibus ſe agnoſcat hanc recepiſſe, prout ipſa æquitas exigit.

IV. Item. Si tunc rex Hungariæ aut quivis alius, regis Bohemiæ regno inſidiaretur, illumque ex ipſo deturbare aut dejicere moliretur: dominus meus rex Romanorum RUPERTUS contra illos fideliſſime auxilium ipſi dabit omni ſuo poſſe abſque fraude.

V. Item. Utque neceſſitudo & amicitia inter dominum meum regem RUPERTUM & regem Bohemiæ eo arctior efficiatur, ſi tunc rex Bohemiæ fratris ſui ducis JOHANNIS bonæ memoriæ filiam cum ſæpius memorato mei domini regis RUPERTI filio matrimonio jungi velit, prout antehac etiam deſuper actum erat, & convenientem dotem pro eo aſſignet: hoc meo domino regi Ruperto etiam bene placeret.

VI. Item. Si tunc de dote indagarent, eis dicetis, vos ſpem firmam habere, quod dominus meus rex ſe induci permittat, quod rex Bohemiæ Ægram, Barium, Witiden iſtis duabus prolibus in hæreditarium pignus & arrham adſcribat, & quod meus dominus rex RUPERTUS iiſdem etiam adſcribat illas arces & civitates, quas à rege & corona Bohemiæ bello ſibi acquiſivit, & quod ex utraque parte in optima forma litteræ deſuper conficiantur.

Vet. Script. & Mon. ampl. Collect. Tom. IV.

LXXXVIII.

EPISTOLA RUPERTI REGIS ROMANORUM illuſtri Carolo duci Lotharingiæ & margravio noſtro dilecto filio & principi

Ut pacem inter Naſſoviæ, Saarwerd, *& Salm comites tentet componere.*

RUPERTUS, &c. Illuſtris dilecte fili & princeps, quod noſtri dilecti fideles nobiles comites Philippus Naſſoviæ, comes à *Saarvverd* & comes à *Salm*, ille Bolchenſis, & ipſi Metenſes bello & inimicitiis ſe invicem laceſſant, hoc nos ſummopere affligit, cum ex utraque parte nobis obſtricti ſint, quare petimus, tibique omni remoto dolo mandamus, quod tentes amicabilem inter ipſos compoſitionem; & ut ipſi eo citius ex utraque parte conciliari poſſint, ſic ſerio intendimus, teque monitum, tibique quantum tibi præcipere poſſumus præceptum eſſe volumus, cum nobis ratione imperii obſtrictus ac devinctus ſis, ut nulli parti adverſus aliam adhæreas, vel alias etiam adverſus illos Metenſes adjuvare velis, uſque dum aliter à nobis percipias. Datum Heidelbergæ in die beati Thomæ apoſtoli, anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinto, regni vero noſtri anno quinto.

Ad mandatum regis
Johannes *Winheim.*

LXXXIX.

INSTRUCTIO SECUNDUM QUAM domini noſtri regis familiares ſe dirigere debent in diæta Wilpergenſi.

PRimo quando convenietis, poteſtis dicere dominum regem vos deputaſſe ad colloquendum & tractandum de rebus de quibus inter ambos dominos antehac tractatum fuit, ipſiſque primo dicetis vos ſic ipſos adjuturos eſſe.

II. Item. Si tunc Auſtriaci percunctarentur, an nos cum poteſtate adſimus, ipſis reſpondendum eſt: quidquid cum ipſis concludemus, hoc quaſi ex poteſtate fiet, illudque approbandum eſſe cognovimus, ac inſuper diplomate domini noſtri regis gaudemus, quod etiam exhibebimus, verumtamen paria ab ipſis indagabimus & exigemus.

III. Item. Si hæcce quoque nobis exhibere vellent, vel ſi nobis opponerent, ipſorum domino ſuam conjugem mittendam eſſe, ſic ipſis reſpondendum eſt: nos opinamur ipſos non latere, quod antehac ſermo inſtitutus fuerit de quibuſdam litteris à ducibus WILHELMO, LEOPOLDO, & ERNESTO ſigillandis, quas exhibere deberent, vigore quarum nobis præ omnibus neceſſarium videtur eſſe tractandum, ſic aliam rem cum ipſis ultra concludemus, ſperantes ipſis innoteſcere, quod huic rei intentio domini noſtri regis affecta ſit.

R

IV. Item. Si tunc inſiſterent, ut ipſis notum faciamus, ubi & qualiter dominus noſter filiam ſuam cum dote tradere velit; ad hoc ipſis reponendum eſt, domino noſtro regi id eſſe liberum, tribus ipſis haud ignotis viis. Nunc conſuetudo & mos patiæ invexit antequam dominus filiam ſuam cum dote tradat, ut prius ſciat qualiter & ubi ipſi hæc dos impendenda ſit, eique dotatio facienda; quare nos prius cum illis litteris & aliter nos inſtruent, quas vias ipſorum dominus ingredi velit ad impendendam dotem, redotationem que faciendam; quas ſi cum ipſis concluſerimus, ulterius quæ neceſſaria erunt cum ipſis ſtabiliemus.

V. Item. Si nobis exhiberent litteras vel copiam aliter ſonantes quam iſtæ notulæ prius deſuper factæ; ipſis dicendum erit: antehac maturo conſilio illas notulas firmatas eſſe & initas, noſque deputatos non eſſe, ad quaſdam alias notulas perficiendas, cum dominus noſter rex ſuique conſiliarii concluſerint, nullam in eis notulis mutationem eſſe faciendam, noſque minime arbitratos fuiſſe, cum a domino noſtro rege diſceſſimus, quod deſuper mentio fieret aut fieri poſſet.

VI. Item. Si autem firmiſſime inſtarent ut ipſis pateſaciamus ubi & qualiter dominus noſter rex filiam ſuam cum dote tradere velit; ſi ipſi intenderent ſuper aliis punctis pleniſſimum dari reſponſum, ad hoc ipſis reſpondendum: in qualicumque matrimonio, præſertim inter magnates, ibi conſuetudo & mos fert, quatuor puncta conſequenter tractanda eſſe. Primo circa ſummam dotis & redotationis; quæ ſi concluſa fuerit, tunc aſſignatio dotis & redotationis firmanda eſt; nam filiæ hæc neceſſario innoteſcere debent antequam nubat; poſt hæc tempus matrimonii ſtabilitur, & ſi concubitum fuerit, ſic ultimo tractatur de parapherna ſeu arrha matrimoniali, & ſi hæc primo concluſa fuerint, ſic ſecundum nobis concludendum reſtat, & pervenitur ad tertium & ultimo ad quartum firmandum atque ſtabiliendum.

VII. Item. Si tunc ex litteris nobiſcum convenirent, prout præconceptum eſt, & provocarent dominum meum primo demonſtrationes facere debere, ipſoſque tunc poſtmodum ſuas eſſe facturos. Ad hæc ipſis eſt reſpondendum, hoc quidem fieri poſſe, ita ut conſequenter in opus cuncta redigantur: quare concludendum eſt, atque deliberandum qualiter omnia adimpleantur & executioni mandentur.

VIII. Item. Si tunc peterent, ut ipſis aperiremus, qualiter dominus meus rem ſuam exequi vellet; ad hoc ipſis reſpondendum, quod dominus noſter rex gaudeat electione trium viarum ſibi propoſitarum ratione ſtabiliendi matrimonii, ſicque quamdam viam ſibi beneplacentem ingredi & amplecti poteſt. Interim filiam ſuam matrimonio jungi numquam permittet niſi præſciat qualiter ipſius dos ipſi redotetur, qualeque dotalitium aſſignetur.

IX. Item. Si huic opponerent, quod ex parte noſtri litteris nos non obſequamur prout præconceptæ eſſent: reſponſum ipſis dari poterit quaſi a nobiſmetipſis, quod non capiamus, quodque noſtro domino regi ſit ignotum, quomodo hucuſque res ventilata & acta fuerit: nihilo tamen minus iſtæ litteræ quæ antehac inter illos dominos præconceptæ & conceptæ fuerunt, ante oculos ponendæ ſunt, ut agnoſcatur domino meo regi non tam plene factum fuiſſe quam neceſſario fieri debuiſſet, juxta tenorem litterarum, neque nobis deſuper colloqui impoſitum eſt.

X. Item. Si autem iis litteris vel aliis rebus vobis quaſdam intentiones pateſacerent, quæ vobis viderentur poſſe ſubſiſtere, ſive eſſe conducibiles; ſic ipſis dicere poteſtis: oportet de multis viis colloqui antequam ad unam talem conducibilem perveniatur. Nunc vos propria ſponte perpendiſtis ac propoſuiſtis, num non hæc via conduceret, ſcilicet quod dominus noſter rex cum electorum ſcitu atque conſenſu filiæ ſuæ adſcriberet penes Rhenum pro dote quatuor millia florenorum ſuper civitatibus Anſiaticis, & aliis in ſatrapia Suevica civitatibus, ex ſuis ab ipſis inde accipiendis reditibus uſque ad prædictam ſummam aſcendentibus: ſic dominus noſter electores ad Rhenum requiret, ad hæc ſtabilienda & ſigillanda; & ſi hæc via ipſis non foret accepta, ipſis bene dici poterit vobis videri, quod dominus noſter hac via illis litteris ſatisfaciat, prout ſupra ſcriptum & præconceptum eſt.

XI. Item. Et ſi ad hæc dicerent, quod dominus noſter dotem in proprio ſuo dominatu aſſignare deberet, vel ſimilia opponerent: ſic illis dicendum eſt, quod dominus noſter noviter recepto tributo terram arceſque ſuas jam primo exemerit. Si ergo denuo arces oppignoraret, hoc terræ ſuæ nimis grave foret, noſtroque domino magna præjudicia damna & detrimenta inferret, quodque filius ſuus hoc minus lubenter videret, & ſi dominus meus eſſet potentior in civitatibus; ſic hoc quoque conſultum eſſe ac fieri poſſet.

LXXXIX.

EPISTOLA RUPERTI REGIS

illuſtriſſimæ principi dominæ Eliſabethæ Dei gratia reginæ Galliæ dilectæ amitæ.

Ut ducem Aurelianenſem impediat ne quod fœdus adverſus imperium faciat.

ILluſtriſſimæ principi dominæ ELISABETHÆ Dei gratia reginæ Galliæ, dilectæ amitæ noſtræ offerimus nos. RUPERTUS ejuſdem Dei favente gratia Romanorum rex ſemper Auguſtus ſtabilem imperii amorem & quidquid boni poſſumus.

Nobis relatum eſt quod dux Aurelianenſis civitatem Metenſem ejuſque cives, qui tamen ad nos ſacrumque imperium ſpectant, noſque etiam ut noſtri & imperii vaſſalli tamquam Romanorum regem agnoſcunt, tentaret & intenderet bello laceſſere, damniſque afficere atque invadere, cum tamen ignorent quid boni vel mali ipſi feciſſe. Inſuper percepimus quod dux Aurelianenſis cum aliquibus noſtrorum & imperii vaſſallis & ſubditis fœdus pangere velit, partimque pepegerit, quod nobis tamen injuſtum & paradoxum videtur, ſecundum quod ſui anteceſſores noſtris prædeceſſoribus imperatoribus & Romano imperio exhibuerunt; nobiſque inſuper à noſtris inſinuatum eſt, illa fœdera futura eſſe contra nos & ſacrum imperium. Cum igitur nos libentiſſime coronæ Galliæ omnibuſque ad eam ſpectantibus in omnibus nos conformare & poſſibilia præſtare inclinemus, dictuſque dux, ſi quid motivi contra illos Metenſes habere arbitraretur, ipſos coram nobis citare poſſet, ſibique proponere viam juris & juſtitiæ. Quare, dilecta amita, dilectionem & amicitiam veſtram inſtantiſſime rogamus, ut Aurelianenſi intimetis, ipſumque inducatis ut a talibus fœderibus deſiſtat, & deinceps non ineat nec ſenſibilem perniciem & calamitatem nobis & ſacro imperio ſpecialiterque civitati Metenſi inferat, ita ut corona Galliæ, nos ſacrumque imperium, ac præſertim domus Bavarica indiſſolubili vinculo conjuncti maneamus. Datum in oppido noſtro Altzeii die ſeptima Martii, anno milleſimo quadringenteſimo ſexto, regni vero noſtri anno ſexto.

Ad mandatum domini regis
Job *Vener.*

XC.

EPISTOLA RUPERTI REGIS Sereniſſimæ principi dominæ Margaretæ Dei gratia reginæ Sueciæ, Daniæ & Norvegiæ, dilectæ amitæ noſtræ.

Mittit ad eam legatos quibus fidem indubiam rogat adhiberi.

RUPERTUS Dei gratia Romanorum rex ſemper Auguſtus ſereniſſimæ principi dominæ MARGARETÆ ejuſdem gratia reginæ Sueciæ, Daniæ, & Norvegiæ dilectæ amitæ noſtræ deſideratam ſalutem & optatam amicitiam ac omnia bona.

Nos ad dilectionem veſtram deputamus nobilem Hadmarum dominum in *Laber* Johannem Truchſeſium de *Baldersheim* equites, & Conradum *Caſtener* noſtrum ſcribam provinciæ Ambergenſis noſtros conſiliarios, & dilectos fideles; quibus injunximus noſtrum deſiderium noſtramque intentionem, de quibus optime informati ſunt, veſtræ dilectioni exponere, vos amiciſſime & inſtantiſſime rogantes, ut quidquid ante dicti conſiliarii hoc ce tempore vobis dicturi ſint, in eo plenam ipſis fidem tribuatis, quam nobis ipſis haberetis, in eoque benevolentiam veſtram favorem ac gratiam exhibeatis, prout hac in re ſpecialem ſpem ac fiduciam in dilectione veſtra collocavimus, quam omnipotens Deus longo adhuc temporis ſpatio in gaudio & benedictione conſervare dignetur. Datum in caſtro noſtro *Heidelberg* die vigeſima ſecunda Aprilis, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexto, regni vero noſtri anno ſexto.

Inſimili forma regi Sueciæ.

SEreniſſimo principi domino ERICO Dei gratia regi Sueciæ, Daniæ; & Norvegiæ, dilecto noſtro fratri.

Reverendo JOHANNI epiſcopo Schleſvicenſi noſtro dilecto principi pio ac fideli.

Reverendo PETRO epiſcopo in *Koſthilt* noſtro dilecto principi ac pio.

Reverendo epiſcopo NICOLAO Strengneſienſi noſtro dilecto principi ac pio.

Noſtro prædilecto *Volmaro Jobſen* equiti.

XCI.

LITTERÆ RUPERTI REGIS ET JOHANNIS ducis Bavariæ, de matrimonio cum Catharina ſorore regis Sueciæ, Daniæ, & Norvegiæ.

NOS RUPERTUS & nos JOHANNES Dei gratia comes palatinus Rheni & dux Bavariæ celſiſſimi noſtri dilecti domini & patris Romanorum regis filius agnoſcimus ac notum apertumque facimus præſentes litteras inſpecturis, nos nobili Hadmaro domino in *Laber* Johanni Truchſeſio de *Baldersheim* equitibus, & Conrado *Caſtener* noſtro ſcribæ provinciæ Ambergenſis, noſtris conſiliariis ac dilectis fidelibus plenariam & integram poteſtatem conceſſiſſe negotiandi, tractandi & concludendi circa deſponſationem & matrimonium inter nos antedictum ducem JOHANNEM ex una, & illuſtrem virginem CATHERINAM ſereniſſimæ principis dominæ MARGARITÆ reginæ Sueciæ, Daniæ, & Norvegiæ neptem, & ſereniſſimi principis domini ERICI regis Sueciæ, Daniæ, & Norvegiæ ſororem, ex altera parte, uti & circa dotem, dotalitium, & redotationem, & circa omnia alia puncta, quæ ad talem deſponſationem & matrimonium ſpectant, & quidquid ad hæc neceſſarium, utile & accommodatum eſſe poſſit, quæque memorati noſtri conſiliarii negotiati fuerint, tractarint, atque concluſerint, hæc nos rex RUPERTUS & dux JOHANNES firmiſſime tenebimus, & citra fraudem ac dolum adimplebimus juxta tenorem præſentium noſtro ſigillo munitarum, datarum in caſtro noſtro *Heidelbergæ* anno domini milleſimo quadringenteſimo ſexto, regni vero noſtri anno ſexto.

Ad mandatum domini regis
Job *Vener.*

XCII.

INSTRUCTIO SECUNDUM QUAM dominus in *Laber*, dominus Johannes Truchſeſius, & ſcriba provinciæ Ambergenſis ſe dirigere debent & negotiari cum regina Daniæ.

PRimo reginæ dicent dominum noſtrum omnem ſuum amorem, amicitiam, & quidquid boni poſſidet illi offerre ac deſiderare, ut ſuæ perſonæ ſuiſque terris & populis omnia proſperentur, quod ipſum non mediocri afficeret gaudio, idque lubenti animo audiret.

II. Item. Poſtmodum illi exponetis, qualiter meus dominus rex augendam neceſſitudinem inter ipſum & ſuos ex una parte, & ipſam ſuoſque ex alia parte petat; & ea propter vos ad ipſam miſit, ut ſuam neptem nomine illuſtrem virginem CATHARINAM juvenis regis Daniæ ſororem, illuſtri duci JOHANNI ſuo filio in conjugem daret, quod ſi ipſi gratum foret & acceptum, *vobis data eſt plenaria* poteſtas nomine noſtri domini regis & nomine ducis JOHANNIS deſuper loquendi tractandi & concludendi.

III. Item. Si deſuper ſermo inſtitutus fuerit; tunc incipiendum eſt à dote, & poſtulanda ſunt centum millia florenorum. Attamen vobis inſiſtendum eſt in ſeptuaginta millibus, & ultimo permanendum in ſexaginta millibus florenorum: ita ut illa in parata pecunia cum virgine ante feſtum Nativitatis beatæ Virginis proxime venturum ſuis expenſis verſus Coloniam aut Erfurdiam conducenda tradantur, utque illi virgini provideatur de veſtibus, cimeliis, aliis ornatibus ipſam decentibus, eaque procurentur ſecundum ſui ſtatus exigentiam.

IV. Item. Si tunc inſiſterent, quod meus dominus dux JOHANNES ipſemet in terras ſuas venire deberet, atque cum ea nuptias conſummare: vos dicetis ipſum nimis procul diſtare, quodque ipſe deberet cum eo competenti & congruo ad hoc equitatu ipſam accedere, quod ipſi perquam moleſtum & laborioſum foret, cum illæ terræ, per quas ipſi foret tranſeundum plane deſertæ ſint: & præſertim cum ipſe ſuaque terra Bavariæ ſit confinis & contermina terræ Bohemorum, qui ipſius hoſtes ſunt, quod ipſi valde nocivum ac damnoſum eſſe poſſit, ſi ab ea terra cum tot nobilibus & equitibus ad eam ſpectantibus tam diu abeſſet. Ad hæc antehac nunquam factum aut auditum eſt, quod unus Romanorum regis filius tam peregre & procul profectus fuerit ad adducendam ſuam conjugem; ac præterea ſemper conſuetum fuit, quod tam procul dominæ ex ſuis expenſis uſque in viciniam conjugi ſuo adductæ fuerint, ſimilique modo illa Angliæ uſque Coloniam ducebatur.

V. Item. Si tunc firmiter perſiſterent in hoc, quod illam accedere ibique matrimonium conſummare deberet, ne propter ea tractatus ſuo careat effectu, illud acceptandum erit: ita ut pro dote aſſignentur ſeptuaginta millia aut ad minimum ſexaginta millia florenorum, niſi animadverteretur reginam in faciendis expenſis in ſuo ad ipſam acceſſu noſtro domino duci Johanni ſubſidium ferre, eaſque reſarcire velle: nam hoc caſu poſſet pro dote quid minus prætendi: attamen hoc ita commenſuretur, ut meo domino duci Johanni ad minimum quinquaginta millia pro dote remaneant, exceptis expenſis ipſi in acceſſu & retroceſſu faciendis, dum conjugem ſuam educet.

VI. Item. Si regina virginem ſuis ſumtibus Coloniam vel Erfurdiam cum illa pecunia duci ſinat, ibique tradi, ſic etiam quatuor vel quinque millia florenorum ratione expenſarum in itinere factarum remitti poſſunt: ita tamen ut infra quinquaginta millia non perveniatur.

VII. Item. Si tunc de redotatione indagarent, ſic vos dicetis, dominum meum ducem JOHANNEM velle illi quantum ipſa in pecunia dedit, tantum aſſignare in terris & populis ac arcibus in Bavaria pro dotalitio, ad capeſcendum ex iis uſumfructum; ita ut ſi ante ducem Johannem vita fungeretur, tunc caderet in ducem JOHANNEM & amborum proles. Si autem dux Johannes ante ipſam è *vivis decederet, ipſa tamen toto vitæ ſuæ ſpatio illas terras arces & populos poſſidebit*, illiſque fruetur, & poſt ipſius obitum illæ arces terræ & populi ipſorum prolibus advenient. Si autem prole deſtituerentur, tunc heredibus ducis Johannis accreſcent, in eoque quamdiu poteritis permaneatis ac perſeveretis.

VIII. Item. Si tunc in eo ſe firmarent, quod ſi dux JOHANNES cum *ipſa nullas proles* haberet, ut ipſius dos poſt alterius obitum ad ſuos heredes redeat, ſic dicetis hoc eſſe contra morem & conſuetudinem in provinciis, dominatibus ac terris noſtris, ut ad mulieris heredes quid rediret, ſi prole deſtitueretur, hocque ſpeciatim in matrimonio cum illa Angliæ inito concluſum fuiſſe, quod ipſius heredes, niſi haberet proles cum duce LUDOVICO, tunc tempotis viventes, nullo modo aſpirare poſſint & prætendere dotem aut ipſius dotalitium, pariterque concluſum fuit cum illa Siciliæ noſtri domini regis matre, in eoque perſiſtatis quamdiu poteritis.

IX. Item. Si illi autem immutabiliter inſtarent, quod cum ſua dote alteri viro nubere poſſit, eademque ſuis heredibus accreſceret ſi quando ipſa à duce Johanne nullam prolem ſive nullos liberos concepiſſet, ne propterea tractatus inanis remaneat, illa quoque addici poterunt: ita ut ſi nullam prolem cum duce Johanne haberet, duxque Johannes

ante

ante ipſam vita fungeretur, ſic ipſa & poſt ejus mortem ipſius heredes illas arces, terras & populos, quæ ipſi pro dotalitio aſſignabuntur, tamdiu poſſidebunt, iſque gaudebunt ac fruentur, uſque dum ducis Johannis heredes ab ipſa ſuiſque heredibus pro tanta pecuniæ ſumma, quanta in iis ipſi aſſignata eſt redimant. Si autem ipſa prius decederet ſine partu aut prolibus, quam dux Johannes, ipſius heredes nulla ratione quid prætendere poterunt ex ipſius dote, dotalitio, aliiſque bonis.

X. Item. Si tunc inſtarent, quod ipſius dos ſpecificetur, & ad hæc quantum pro dote aſſignabitur, tantum & pro dotalitio, ſic dicendum eſt: tunc noſtri dominatus conſuetudinem non eſſe, neque hoc illi Angliæ factum eſſe cum ipſa non plus redotata ſit, neque ulla aſſignatio illi facta ſit, quam illa quæ dotem ſuam æquaret, ſeu æquivalens, & in hoc permaneatis quamdiu valeatis. Si autem illi unanimiter inhærerent, & hac de cauſa ſeparārentur, arbitrantes ipſi præſtandam eſſe duplicem aſſignationem, dotationis & dotalitii, ne propterea tractatus interrumpatur, ſic iſta ratihaberi poſſunt, ita ut pro dote, urgente neceſſitate, aſſignetur æquivalens in terris, arcibus & populis: & tunc ſi dux ante ipſam morereturr, ipſa uſumfructum in ambobus dote & dotalitio habebit, & poſt illius mortem ipſius heredes, nominatim ducis Johannis proles, ſi ab ipſo concepiſſet, hæc omnia hæreditabunt. Si autem cum duce Johanne liberos nullos haberet, tunc tractari deberet ratione retrocedendæ dotis & dotalitii, eſſetque tentandum ſi hoc factu poſſibile ſit, quod hoc tantum retrocederet quod ipſi pro dote aſſignandum eſt, prout ſupra ſcriptum eſt, & in hoc quamdiu pares eritis, firmabitis. Si autem & illam retroceſſionem firmiſſime prætenderent, ſic ipſius heredes tantum mediam partem habebunt in illis arcibus, terris & populis ipſi aſſignatis pro dote & dotalitio, ex iiſque uſum & fructum percipient, uſque dum ducis Johannis heredes illam medietatem redimerent, pro tanta pecunæ ſumma, quanta illius dos æſtimatur. Permiſſum quoque erit ducis Johannis heredibus illam mediam partem in ipſius vita, ſi ipſis placuerit, redimere pro tanta pecuniæ ſumma, quantam ipſius dos importaret: in alia autem medietate ipſa ſolum uſumfructum habebit, poſtque illius obitum, illa medietas retrocedet heredibus ducis Johannis. Si vero illa poſt mortem ducis Johannis alteri viro nuberet, ſic ab illa hora medietas ad heredes ducis Johannis redibit ſine redemtione ſeu exemtione, ipſique non plus reſtabit quam pro dote datum fuit. Si autem illa e vivis diſcederet ante ducem JOHANNEM, ſic in puncto omnia quæ ipſius ſunt ſine ulla retroceſſione duci Johanni manebunt.

XI. Item. Si cuperent in aſſignatione & redotatione ipſi facienda ſcire quantum pecuniæ ipſi daretur, & putarent fortaſſis quindecim vel ſedecim millia pluſve minuſve florenorum pro reditu danda fore, ſic ipſis dicendum eſt, hoc in more noſtri dominatus poſitum non eſſe, præſertim in Bavaria, cum ipſi aſſignatio & redotatio fiat in bonis, arcibus, terris & populis quæ æquivaleant pecuniæ quæ ipſi aſſignanda foret & quidquid tunc ex iiſdem provenerit, in eo uſumfructum habebit poſt mortem ſui mariti, uti ſupra ſcriptum eſt, neque aliter pollicendum aut promittendum eſt quam hacce ratione.

XII. Item. Si inducias peterent ad dotem ſolvendam, ſic ipſis reſpondebitis: hoc vobis reſponſo minime dignum videri, cum dos ſit tradenda cum filia.

XIII. Item. Quod ſi in omnibus convenieritis, ſic tamen cavebitis ne tam facile matrimonium ineatis, ſed poteſtis vos obligare nomine noſtri domini regis & ducis JOHANNIS ad illi ſolvendam, prout poteſtatem habetis, uti & in diplomate continetur, ſummam quatuor aut quinque millium aut plus florenorum, ſi dominus meus rex & dux Johannes a matrimoniali contractu deſiſterent, atque deficerent, paremque ſecuritatem & tractatum ab altera parte vobis præſtari curabitis: ſi autem prætenderent ut matrimonium ſpondeatis; tamen debebitis in pronuntiandis verbis eſſe cauti, & talibus verbis ſpondere: Nos Hadmarus procurator & rei adminiſtrator ſereniſſimi, & illuſtriſſimi ſpondemus ex parte utriuſque ac promittimus, quod noſter dux Johannes illuſtrem virginem in ſacrum matrimonium aſſumturus ſit & velit: ſimilem ſponſionem ab alia parte nobis fieri curabimus. Cavete autem ne dicatis: nos matrimonium ſpondemus nomine ducis Johannis.

XCIII.

NEGOTIATIO AD MEUM DOMINUM Lotharingiæ.

PRimo tradetis litteras credentiales domini mei regis, & poſtea dicetis meum dominum regem ipſi ſuum amorem & amicitiam obtuliſſe, ac juſſiſſe de ipſius ſtatu & proſperitate fideliſſime indagari, & ſingulariter qualiter illi in bello ſuo ſuccedat; quodque dominus meus rex ipſi in eo omnem felicem ſucceſſum apprecetur, & quod petat ſibi deſuper quid proprie ſignificari.

II. Item. Ad hæc illi dicetis dominum meum illi exponi juſſiſſe, quod ſi dux Aurelianenſis vel quiſpiam alter ipſum conaretur vi invadere, clademque inferre, quod hoc dominus meus, cum ipſi affinitate conjunctus ſit, non ſit permiſſurus: ſed ipſi mittere velit unum ex filiis ſuis cum copiis ad fidelem ſui defenſionem, & ad præcautionem, ne ſibi & ſuo principatui detrimenta & calamitates inferantur, quæ ipſi ruinam & penuriam cauſa-

rent, afferrent, ac inducerent; & ſi neceſſitas exigeret, dominus meus in propria perſona cooperari in eo vellet.

III. Item. Deinde illi exponetis qualiter comes Veldenſis nuper hic Heidelbergæ domino meo adfuerit, meumque dominum rogaverit, quatenus vellet inſtituere diætam inter meum dominum Lotharingiæ & comitem Philippum Naſſoviæ, illoſque tentaret componere, eorumque lites decidere vellet.

IV. Item. Nunc autem meus dominus Lotharingiæ cum domino meo regi ſcripſerit ſibi incommodum eſſe cum comite Philippo in diæta comparere ante tres ſeptimanas poſt paſcha: elapſis autem tribus ſeptimanis poſt paſcha, ſic libenter coram domino meo in diæta cum ipſo ſe eſſe compariturum.

V. Item. Hinc petit dominus meus rex, quod dominus meus dux Lotharingiæ quadam die velit ſequi verſus *Luteren*, ubi comitem PHILIPPUM coram ſe citabit, ipſemetque in perſona illuc proficiſcetur, & videbit utrum ſibi & vobis a comite Philippo & aliis quid factum fuerit, quod dominum meum & vos ex utraque parte gravare poſſet: cum dominus meus etiam intendat ſua negotia ratione fœderis, quod ipſi cum duce Aurelianenſi pepegiſſe dicuntur, uti & alia negotia quæ ipſi videbuntur ventilatu neceſſaria una cum veſtris negotiis, & veſtra negotia una cum ſuis ibidem præveniro, examinare & tractare.

Scriptum feſto SS. apoſt. Philippi & Jacobi anno milleſimo quadringenteſimo ſexto.

XCIV.

EPISTOLA RUPERTI REGIS ſereniſſimæ Principi dominæ MARGARETÆ Dei gratia reginæ Daniæ, Sueciæ, & Norvegiæ dilectæ noſtræ amitæ.

Johannem ducem Bavariæ proxime profecturum in Daniam monet.

NOS RUPERTUS, &c. Sereniſſimæ principi dominæ MARGARETÆ reginæ Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ ſalutem plurimam & amiciſſimam dicimus, cum devotiſſimo amore & ſtrictiſſima neceſſitudine erga vos, ſereniſſima princeps & dilecta amita.

Cum illuſtris princeps noſter dilectus filius dux Johannes nox Daniam petere debeat, ad nuptias cum filia veſtra nepte ſua conjuge conſummandas, veſtræ dilectioni nomm facimus, quod nos ilium noſtrum filium cum talibus perſonis & in ea forma in qua conſiliarii noſtri a vobis ſeceſſerunt expediverimus, ipſeque, adjuvante Deo, in feſto ſancti Petri ad vincula proxime venturo abhinc Heidelberga proficiſcetur, & die Jovis ſequenti Coloniam veniet, & ſic ulterius Daniam perget: noſque quoſdam noſtrorum vaſallorum ad illuſtrem noſtrum dilectum conſanguineum & principem ducem WILHELMUM Hollandiæ miſeramus, ad conſtituendas naves ſuo ſuorumque auxilio ac inſtantia, quibus antedictus noſter filius dux Johannes cum ſuo comitatu verſus ripam velificare poſſet. Dicentibus itaque a dilectione veſtra noſtris conſiliariis, iſti vaſſalli redierunt, & dixerunt qualiter dicti noſtri conſangninei ducis WILHELMI Hollandiæ ſui incolæ maritimi, nautæ uti & alii mercatores, quibus mare in iis partibus notum eſt, aſſerant mare verſus ripam navigari non poſſe niſi naviculis; ſupramemoratoque noſtro filio conſuluerunt, ut Hamburgum tenderet, & illac ultra per mare verſus Daniam navigaret, quodque pro majori ſecuritate facere putat; & cum præciſe ſciri nequeat ubi & in qualibus finibus ſæpe dictus noſter filius cum ſuo comitatu navigio in terras Daniæ feratur, hinc dilectionem veſtram inſtantiſſime rogamus, ut vobis deſuper notitiam fieri curetis, & exploretis in quibuſnam confinibus Daniæ toties memoratus meus filius cum ſuo comitatu adveniet, ad procurandos & ordinandos equos & *currus*, quibus ultra ad dilectionem veſtram proficiſceretur, prout dilectioni veſtræ præſens Eberlinus noſter famulus ſpecialiter exponet. Datum Heidelbergæ anno domini milleſimo quadringenteſimo ſeptimo, die decima octava menſis Julii, regni vero noſtri anno ſeptimo ſub ſecreto.

Johannes *Winheim.*

GESTA TREVIRENSIUM ARCHIEPISCOPORUM

ab anno Chriſti DCCCLXXX. ad annum MCCCCLV.

Ex MS. codice inſignis monaſterii ſancti Maximini.

OBSERVATIO PRÆVIA

ANtiquas eccleſiæ Trevirenſis hiſtorias jam habemus duas : unam quidem ex Compendienſi codice edidit bonæ memoriæ noſter Lucas Acherius in Spicilegii tomo XII. *alteram vero ad trium manuſcriptorum fidem ſuis acceſſionibus hiſtoricis inſeruit eruditus vir Godefridus Libnitzius. Prima ab ipſo Chriſti ortu incipit, deſinitque in annum MCXXII. Secunda ab anno ante Urbem conditam MCC. exordium ducens, Trevirenſium archiepiſcoporum geſta ad annum Chriſti MCXXXII. proſequitur. Vix inter ſe ambæ diſcrepant hiſtoriæ, reſque fere eaſdem iiſdem omnino verbis utraque enarrat, niſi quod Libnitziana fuſius ea deſcribit, quæ de Treviris in ſuis de bello Gallico commentariis Julius Cæſar retulerat. Huic omnino conſimilis eſt, quam in MS. codice Aureæ vallis ante annos quingentos exarato invenimus, hiſtoria tertia. Aut ſi quid inter utramque diſcriminis occurrit, leviſſimum illud eſt, in eoque ſitum, quod codex Aureæ vallis prima manu ad annum MXLVII. deſinens, pauca de ſubſequentibus archiepiſcopis ad Hillinum uſque recentiori quidem, ſed antiqua manu ſubjicit. Ejuſdem Hiſtoriæ alios codices duos ſuppeditat Trevirenſis S. Matthiæ monaſterii bibliotheca, quorum unus longe fuſior archiepiſcoporum Trevirenſium geſta aduſque Henricum de Fiſtinga, qui ejuſdem cœnobii monachis adeo infeſtus fuit, repræſentat. Verum his omnibus longe præferendus eſt celeberrimæ apud Treviros abbatiæ S. Maximini codex, qui archipræſulum inſignis illius eccleſiæ geſta ad annum uſque MCCCCLV. quo Jacobus* Syrch *obiit, complectitur. Nam ex hoc codice, velut ex limpidiſſimo fonte, hauſere, quicumque de rebus Trevirenſibus egerunt hactenus nuperi ſcriptores, Brovverus præſertim & Kyriander. Unde non parum mirari ſubit tam pretioſum antiquitatis monumentum ad hanc uſque diem in tenebris delituiſſe.*

Cum autem utraque editio, Acheriana ſcilicet & Libnitziana, ſi cum codice S. Maximini conferatur, adeo anguſtis terminetur limitibus, ut ſextam vix partem geſtorum Trevirenſium archiepiſcoporum conficiat, auctores nobis erant amici noſtri, ut vulgata jam ab eis iterum recuderemus, idque eruditis viris haudquaquam ingratum fore dicebant, qui è contrario mutilam ac mancam hiſtoriam improbarent. Verum illud occurrebat incommodi, idque illis opponebatur, quod bis jam terve edita denuo prælo committere prorſus inutile videretur. Mediam itaque invenimus viam, ut ea omnia, quæ ex Cæſaris commentariis exhibet editio Libnitziana, tamquam omnibus perviæ reſe-

caremus. Gesta etiam primorum archiepiscoporum, quæ in utraque editione aut omnino fabulosa, aut valde incerta, aut brevius quidem perstricta sunt prætermitteremus, ordiremurque ab anno DCCCLXXX. quo Treviros vastavere Normanni, & a quo deinceps longe certior decurrit historia, pluraque complectitur diplomata, quæ frustra quæras & in Acherianâ & in Libnitziana editione.

Neque vero dissimulabimus, gesta Balduini Lutzemburgensis archiepiscopi, ab erudito viro Stephano Baluzio vulgata esse tomo 1. *Miscellaneorum, verum tot conspurcata mendis, ut alteram necesario postulare videantur editionem. Ea itaque cum aliis aliorum archiepiscoporum gestis, ad fidem codicis S. Maximini emendata, hic reperient eruditi lectores.*

De quorum gestorum scriptore pluribus inquirere omnino supervacaneum est, cum nullius nomen præferant quotquot vidimus codices MSS. sed neque illi quos præ manibus habuere olim Bruschius, Freherus, & Lambecius viri doctissimi, qui gesta Trevirorum publici juris facere statuerant. Unum tamen pro comperto habemus, plures S. Matthiæ monachos hanc olim in se provinciam suscepisse. Nam ut interim omittam Florbertum scholasticum, hoc est scholarum monasterii sui rectorem, qui anno 885. de Treverorum excidio, quod Normanni nuper patriæ Mosellanæ *intulerant* elegiaco versu quinque libros *conscripsit, Eberardus ejusdem monasterii presbyter*, complura ad historiam Trevirorum addidit, *teste Trithemio. Rexit autem Eberardus scholas S. Matthiæ annos ferme viginti quatuor, sub finem sæculi noni, ad annum DCCCCIX. quo vir doctus diem obiit suum. Post Eberardum præfuere scholis S. Matthiæ Richardus, Diethelmus, & Adalbertus, vir in omni disciplinarum genere doctissimus, qui & ipse* ad gesta Trevirorum addidit sui acta temporis, *defunctus anno Christi DCCCCLXXX. Hunc proxime secutus est ejusdem monasterii monachus & magister Theodoricus, vir divinis & sæcularibus litteris apprime excultus, qui postquam* in gesta Trevirorum additiones usque ad sua tempora *fecit, extremum diem clausit anno a Christo nato MXII. Inter præcipuos ejus discipulos annumerant Golcherum monachum & in regendis ejusdem cœnobii scholis successorem, qui etiam* ad historiam Trevirorum gesta temporis sui addidit. *Postremo Johannes scholasticus, qui mortem obiit anno MLXXVI.* ad gesta Trevirorum quod deerat usque ad sua tempora addidit. *Hæc omnia ex accurrata Trithemii historia secunda Hirsaugiensi discimus, quæ sane non nisi archiepiscoporum Trevirensium gestis a nobis jam edendis competere videntur. Hinc colliges quanto haberi debeat in pretio historia illa, tot a cœvis & doctis auctoribus conscripta. Idem de subsequentium archiepiscoporum gestis judicium ferendum existimamus, ea nimirum ab oculatis testibus posteritati fuisse demandata. Et certe de Brunone id constat:* multa, *inquit gestorum ipsius auctor*, alia probitatis fecit insignia, quæ & ipse ego vidi, & aliorum certa relatione cognovi. *Idem de Alberonis gestis asserendum, quorum scriptor agens de bello quod ille cum Hermanno comite palatino habuit, interfuisse se testatur* uni curiæ, qua Francofurdum petiit sub rege Conrado cum XL. navibus cameratis. *Denique acta Henrici de Fistinga auctorem habent Henricum S. Matthiæ clericum & procuratorem, qui oculatum etiam se testem non semel demonstrat.*

Hæc postquam scripseram, meas incidit in manus corpus Historicum medii ævi ab erudito viro Georgio Eccardo Lipsiæ non ita pridem vulgatum, in cujus tomo 2. *gesta habentur sex archiepiscoporum ex apographo in multis mendoso, in quo & multa scitu digna desiderantur, quæ quidem hic habes emendata & aucta. Horum auctorem facit Golcherum S. Matthiæ monachum vir doctus, verum absque fundamento, cum Golcherus centum ante annis obierat, quam hæc acta scriptis mandari potuerint.*

ANNO

1. ANNO Dominicæ incarnationis DCCCLXXXII. (a) defuncto imperatore Ludovico Normanni audita ejus morte, cum omnibus viribus exeuntes, urbem Trevirorum nonas Aprilis die ſacratiſſimo cœnæ Domini occupaverunt, Bertolfo cum quibuſdam civibus fuga lapſo, in qua uſque ad ſanctum diem paſchæ feſſa ab itinere corpora recreantes, omne territorium urbis circumquaque ad ſolum demoliti ſunt, omnes quoque quos intra vel extra urbem repererunt, gladio occiderunt, ipſamque urbem ac monaſteria omnia ſuccenderunt igne. Cum etiam monaſterio S. Paulini ignem multoties injeciſſent, ſed divinitus extingueretur, catenas ferreas, quibus ſarcophagum ejus pendebat, confregerunt, ſed tamen ſarcophagum catenis confractis nequaquam altius terræ inſedit; ſed in aëre pendens remanſit, denuo poſt multos annos, a quibuſdam infidelibus depreſſum ſubſedit, non ſine vindicta in eos transfuſa. Quicumque etiam hunc ſacrilegis manibus deſervierunt, ſingulas infirmitatum plagas ſuſceperunt. Igitur Normanni civitate omni exuſta & deſolata, Metim properare diſponunt: quod cum comperiſſet ejuſdem urbis antiſtes Walo, adjuncto ſibi Bertolfo Treberenſi epiſcopo & Udalardo comite, ad Berniche ultro illis obviam ad pugnam procedit. Inito certamine, Normanni vicerunt. Walo epiſcopus ibi cecidit, Bertolfus cum ceteris fugit.

[a] Normanni Trevirim urbem occupant diripiunt, incendunt.

2. Eodem anno (b) Bertolfus archiepiſcopus migravit ad dominum, cui ſucceſſit Rathbodus abbas de Mediolaco venerabilis antiſtes, qui eodem anno Robertum in Metis epiſcopum conſecravit. Hic acquiſivit abbatiam S. Servatii, quæ dicitur *Maſtreit*, ab Arnulfo imperatore, & præceptum de eadem abbatia ab eodem imperatore obtinuit, habens hunc modum.

[b] De Rathbodo archiepiſcopo.

„ In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis „ Arnulphus divina ordinante clementia „ rex. Si fidelium noſtrorum petitionibus au„ rem ſerenitatis noſtræ accommodamus, „ opemque ex ſupernæ largitatis commodo „ eis præbere ſtuduerimus, ad perennis vitæ „ ſalutem feliciter obtinendam, hoc nobis „ profuturum eſſe liquido credimus. Qua„ propter comperiat omnium ſanctæ Dei ec„ cleſiæ fidelium, præſentium ſcilicet ac fu„ turorum ſolertia, quoniam Rathbodus „ venerandus Treverenſis eccleſiæ archiepi„ ſcopus adiit culmen ſerenitatis noſtræ ſup„ plicans, ut quamdam abbatiam S. Servatii „ confeſſoris, quæ vocatur Trajecta, in co„ mitatu *Maſeland* nuncupato conſiſtentem ad eccleſiam S. Petri principis apoſtolorum « quæ conſtructa conſtat in civitate Treverenſi « ubi principalis epiſcopii ſui ſedes eſſe dino- « ſcitur, ad honorem Dei, ſanctorumque ibi- « dem quieſcentium, traderemus. Satimque « nos congruæ ejus ſuaſioni ob reverentiam « ſui gratanter ſatisfacientes, decrevimus ita « fieri. Dedimus quoque eamdem abbatiam « cum univerſa integritate ſua ad præfatæ « ſedis eccleſiam, in beatæ memoriæ Ludo- « vici regis avique noſtri, necnon Karolo- « manni genitoris noſtri, patruorumque no- « ſtrorum videlicet Ludovici & Caroli Chri- « ſtianiſſimorum regum, animæque noſtræ per- « petuam commemorationem, cum eccleſiis « curtibus, ædificiis, familiis, mancipiis utriuſ- « que ſexus, decimis, vineis, campis, agris « paſcuis, ſilvis, aquis aquarumve decurſi- « bus, molendinis, piſcationibus, vicis & « villis, viis & inviis, exitibus & reditibus, « cultis & incultis, quæſitis & quærendis, mo- « bilibus & immobilibus, & cum univerſis « appenditiis & adjacentiis ſuis. Hæc itaque « univerſa per hoc præſens auctoritatis no- « ſtræ præceptum ad ſæpe nominatam ſedem « æternaliter pertinenda donamus & tradi- « mus, ea ſcilicet ratione, ut præfatus epi- « ſcopus ſucceſſoreſque illius, ſimilem perpe- « tuis temporibus ex prælibata abbatia ha- « beant poteſtatem, veluti de ceteris ejuſ- « dem epiſcopatus cauſis, juxta utilitatem ip- « ſius eccleſiæ, cuncta prout illis placuerit « ſecure diſponere: quatenus rectores ejuſ- « dem cum omni clero eorum regimini ſub « jecto, tam pro nobis, quam pro antedictis « prædeceſſoribus noſtris Dei miſericordiam « ſemper exorare delectet. Et ut hæc donatio- « nis noſtræ auctoritas, nullo umquam ſucceſ- « ſore noſtro irrumpente, ſolidiſſimam in Dei « nomine per omnia mundi volventis ſæcula « obtineat ſtabilitatem, munimine noſtro ro- « borata, manu noſtra ſubtus eam firmavi- « mus & anuli noſtri impreſſione juſſimus ſi- « gillari. «

Signum domini Arnulphi largiſſimi regis. «

Anspertus cancellarius ad vicem Theo- « mari archicapellani, recognovi. «

Data cal. Julii anno dominicæ Incarna- « tionis DCCCLXXXIX. indict. VII. anno ſe- « cundo regni domni Arnulphi piiſſimi regis. «

Actum *Franckenfordt*, palatio regali in « Dei nomine feliciter. Amen. «

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, « Zuendeboldus divina largiente clementia « rex. Si more prædeceſſorum noſtrorum ec- « cleſias Chriſti honoramus, credimus hoc no- « bis ad profectum corporis & animæ pertine- « re. Ideoque noverit omnium fidelium noſ- « trorum præſentium & futurorum prudentia, « qualiter venerabilis genitor noſter Arnul- « phus Treverenſi metropolitanæque ſedi ad « ſanctum Petrum principem apoſtolorum, « quamdam abbatiam poteſtativo jure contra- «

(a) Codex Autcæ-vallis & Compendienſis, quo uſus eſt Acherius, legunt DCCCLXXX.

(b) Vel ſequenti, uti ſcribit Regino; non quidem IV. idus Septembris, ſed IV. Idus Februarii. Vide Brovverum ad annum 884.

» didit, ubi RATHBODUS reverendiſſimus archiepiſcopus præeſſe videtur. Quam poſt» quam ad nos primitus, Deo patreque noſtro » concedente, regni ſublimitas pervenit, ob » fallentium ſeriem, & ob fallentium ora qui » præfatum epiſcopum totamque illius tuitio» nis congregationem hoc velle narraverant, » injuſte Regennario in precariam conceſſi» mus. Quo ita geſto, noſtrorum mox inientes » conſilium, placitum generale noſtro Aquiſ» grani palatio fieri, fideleſque noſtros illuc » venire ſtatuimus. Illuc memoratus archie» piſcopus RATHBODUS veniens, ſe ad noſtram » reclamavit dominationem, quodjam dicta » abbatia de præfata ſede, illo ceteraque con» gregatione neſciente injuſte, fuiſſet ademta. » Quod nos circumcogitantes, ne forte incur» ramus periculum in futuro, ipſam abbatiam » cum conſilio & judicio omnium noſtrorum, » videlicet epiſcoporum & comitum, ante di» ctæ ſedi Treverenſi reddidimus, quæ eſt in » pago *Maſeland*, vocabulo trajecta, quæ in » beati confeſſoris honore conſecrata eſt Ser» vatii; ipſique eumdem epiſcopum inve» ſtientes, coram multitudine populi recipi» mus, & ne ulterius ipſius vel ſuccedentium » illius temporibus alicui per precariam con» cedatur. Quod ſi alicujus ſuccedentium illius » temporibus eveniat, anathematis ambo, & » qui dat & qui accipit, vinculis ligati in æter» num permaneant. Quod ut firmius habea» tur, ipſi manu noſtra ſubtus firmavimus, » anuloque noſtro inſigniri juſſimus.

» Signum ZUENDEBOLDI glorioſiſſimi regis.

» WALKERUS notarius ad vicem RUTGERI » archiepiſcopi archiquecapellani* recognovi.

» Data 3. idus Maii ipſa die feſtivitatis S. Ser» vatii, anno incarnationis Dom. Dcccxcviii. » indict. 1. anno vero regis piiſſimi IV.

» Actum Aquiſgrani palatio, inveſtitum » vero in iſpo Trajecto.

» In nomine ſanctæ & individuæ Trini» tatis, ZUENDEBOLDUS divina præ» ordinatione rex, ſi anteceſſorum noſtro» rum glorioſorum regum pium morem ſe» quentes, eccleſiarum ſtatum regalis aucto» ritatis rigore inviolatum ſervamus, ac ſer» vorum Dei utilitatibus provida diſpoſitione » conſulimus, id nobis ad tranquillitatem » regni noſtri, & ad beatitudinem æternam » promerendam liquido credimus profutu» rum. Noverit igitur omnium noſtrorum fi» delium præſentium & futurorum notitia, » qualiter de abbatia S. Servatii Trajectenſis » monaſterii, in pago Haſbanenſi juxta Moſam » & in comitatu *Maſeland*, quam domnus ge» nitor noſter ARNULPHUS glorioſus rex » ad eccleſiam beati Petri Trevericæ ſedis re» giæ poteſtatis jure tradiderat, ac perpetua » ſtabilitate firmaverat, Rathbodus ejuſdem » eccleſiæ venerabilis archiepiſcopus in ge» nerali placito noſtro quereloſis ſe precibus » proclamavit, plangens eam a Regennario ſub obtentu precariæ contra libitum ſuum ſuorumque fidelium uſurpatam, ac de ſupradicta eccleſia violenter abſtractam. Protulit quoque quomodo in ſupra dicto monaſterio miſſi ſui accepti per poteſtatem, in Numagam ad noſtram præſentiam deducti, ibique minis territi & violentia oppreſſi, ob aſſenſum ex ſua parte, illo cleroque ſibi commiſſo neſciente, hujuſcemodi uſurpativæ precariæ invite aſſenſum præbuerunt, ac per argumentoſas ſuggeſtiones noſtra auctoritate retulit firmatum. Nos vero omnia tranſacta per ordinem recolentes, fallentium jam calliditatibus deteſtis, querimoniam illius veram eſſe agnovimus. Perpendentes igitur & verentes ne forte, quod abſit, de eleemoſyna genitoris noſtri detrimentum animæ noſtræ faceremus, pro conſervanda ejus pietatis munificentia ipſam abbatiam cum conſilio & judicio epiſcoporum & comitum noſtrorum memoratæ Treverenſi eccleſiæ reddidimus; & venientes ad ipſum monaſterium in quo beati Servatii corpus quieſcit, manu propria cum aſſiſtentibus pluribus fidelibus noſtris reſtituimus, & hos noſtræ redditionis ac confirmationis apices exinde fieri juſſimus, per quos enixius jubemus firmiterque ſancimus, ut neque in præſenti, neque per ſuccedentia tempora ullatenus alicui in precariam concedatur, nec aliquo alio ordine cuiquam ex ea quidpiam largiatur, præterquam iis qui eidem Treverenſi eccleſiæ deſervierint; & qui dederit & qui acceperit anathematis periculo perpetualiter conſtringatur. Ut autem præſens noſtræ reformationis ſcriptum inviolabilem per ſuccedentia tempora in Dei nomine obtineat ſtabilitatem, manu propria ſubter eam firmavimus, & ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.

Signum domni ZUENDEBOLDI glorioſiſſimi regis.

WALTGERUS notarius ad vicem RATHBODI archiepiſcopi archiquecancellarii recognovi.

Data 3. idus Maii, ipſa die ſancti Servatii feſtivitatis, anno Dominicæ incarnationis Dcccxcviii. indict. 1. anno vero regis piiſſimi IV.

Actum Aquiſgrani palatio, inveſtitura vero in ipſo monaſterio a rege cum multitudine populi facta in Dei nomine, Amen.

3 Præfatus etiam epiſcopus a Ludovico imperatore hæc caſtella obtinuit; Sericum & *Orruels* cum villis ſibi adjacentibus.

Decedente vero Rabodone ſucceſſit RUTKERUS epiſcopus qui præceptum regiæ auctoritatis ſuper eamdem abbatiam obtinuit, cujus exemplar hic inſerere non videtur abs re. Rutgerus archiepiſcopus.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, CAROLUS divina propitiante clementia rex Francorum. Dogmate divino inſtruimur & regia majeſtate monemur quatenus ſancto-

* Brovverus legit archicancellarii.

„rum loca ſub ſolida tuitione provideamus, „& ſi qua ſunt alicujus pravitate attrita, ad „priſtinum faciamus reverti ſtatum. Noverit „igitur omnium ſanctæ Dei eccleſiæ fidelium „noſtrorum, videlicet præſentium ac futuro„rum induſtria, quoniam vir venerabilis no„bis fidelis RUTGERUS Treverenſis eccle„ſiæ archiepiſcopus, ſæpius plangendo adiit „celſitudinem noſtram, dicens quod abba„tiam ſancti Servatii, quæ eſt conſtructa in „Trajecto, in comitatu *Maſeland*, quam de„dit per ſuum præceptum ſibi commiſſæ „Treverenſi eccleſiæ ARNULPHUS rex, ſed „violentia Raginheri comitis & filii ejus Gi„ſilberti a prædicta Treverenſi eccleſia jam „olim eſſet injuſte ablata. Ergo ad cauſas no„ſtras ejus proclamationem mittens, judicio „ſcabinorum palatii noſtri & atteſtatione „omnium fidelium noſtrorum, ipſam abba„tiam S. Petro, in cujus honorem eſt con„ſtructa Treverenſis eccleſia, & prænomi„nato præſuli reddimus, ut in perpetuum ſi„ne cujuſpiam contradictione cum omni in„tegritate ipſe & ſucceſſores ejus ipſam abba„tiam teneant atque poſſideant, & quidquid „pro ſua ſuæque eccleſiæ utilitate ex ipſa fa„cere decreverint, liberam in omnibus po„teſtatem habeant faciendi. Et ut hæc notitia „inſtantibus & futuris temporibus rata eſſe „credatur & firmior habeatur, ſigillo noſtri „palatii eam roborari juſſimus. Hæc ſunt no„mina qui præfatum contulerunt judicium, „videlicet epiſcoporum, WIFRIDUS, DADO „RAUBERTUS ABBO & STEPHANUS. Sed comi„tum MATFRIDUS, SIGARDUS, OTTO, FULBERTUS, „CHRISTIANUS, ERKENGERUS, ISEMBARDUS, „HUNGERUS, ECFRIDUS, ERMENFRIDUS, WAL„TERUS, item WALTERUS; necnon & Sca„binorum: Blidulphus, Regnardus, Adel„bertus, Sigebertus, Witterus, Adelbardus, „Rubertus, Bernacrus, Volmarus, Roricus, „Otkerus, Ingrannus, Betto, Engilbertus, „Suinnus, Filbertus, Iſwardus. RATHBODUS „notarius, præcipiente domno rege CARO„LO, hanc notitiam ſcripſit.

„DATA id. Junii indict. (VII.) anno XXVII. „regnante rege Carolo, redintegrante XXII. „largiore vero hereditate indepta VIII. „Actum Eriſtal palatio.

„In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis „CAROLUS divina largiente miſericordia rex „Francorum. Si ſervorum Dei petitionibus „aurem libenter accommodamus divini cul„tus amore, regium decenter morem exe„quimur, ac vitæ æternæ præmia propter „hoc adipiſci veraciter credimus. Quocirca „comperiat omnium fidelium ſanctæ Dei ec„cleſiæ & noſtrorum, videlicet præſentium „& futurorum ſolertia, quoniam archipræ„ſul venerabilis Treverenſis eccleſiæ RUTGE„RUS noſtræ ſerenitatis culmen adiit, con„querens quod abbatiam quamdam, quæ eſt „conſtructa ſuper flumen Moſam, in loco Trajectis nuncupato, ubi quieſcit corpus ſanctiſſimi confeſſoris SERVATII, ARNULPHUS quondam rex, deprecante RATHBODO prædictæ eccleſiæ pridem archiepiſcopo, delegaverat S. Petro apoſtolo ad cathedram Treverenſem; idque ſuæ ſanctionis præceptum confirmare ſtuduit: ſed irruentibus diverſis contrarietatibus, a poteſtate ejuſdem ſedis, RAGNERUS pridem comes eamdem abbatiam violenter ſubtraxit, & reclamante dicto RATHBODO apud regem Zuendebol-dum, illam reddere compulſus eſt ſancto Petro. Verum Zuendeboldo peremto, iterum a Ragnero pervaſa eſt, ac poſt illum ab ejus filio Giſilberto pari violentia negare-tur reddere. Cujus petitionem fore ſalubrem cognoſcentes, conſenſu epiſcoporum noſtrorum & judicio comitum, ſeu aliorum fidelium ſupradictam abbatiam in Trajecto, ſuper flumine Moſæ ſitam, in comitatu vero Haſbacenſi, in conſpectu noſtro & præſentia principum noſtrorum, ipſimet prælibato archiepiſcopo reddere imperamus pro amore Dei, ita dumtaxat, ut a nobis reſtituta ſancto Petro uſibuſque ſanctæ Treverenſis eccleſiæ, abhinc in futurum nullus valeat eam ſubtrahere vel dividere exinde; ſed noſtræ pietatis munere ipſe archipræſul Rutgerus & ejus ſucceſſores memoratam ſæpe abbatiam habeant, teneant, cum villis, mancipiis utriuſque ſexus, & omnibus rebus juſte ibidem pertinentibus & earumdem rerum exactionibus, & omnia ad ſe pertinentia regant & diſponant pro ſuæ utilitatis ſtudio, ſicut priorum regum auctoritates patefaciunt. Hanc igitur abbatiam reddendam noſtræ auctoritatis præcepto archipræſuli Rutgero ſuæque eccleſiæ manu propria roboravimus, & anuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.“

Signum CAROLI regis glorioſiſſimi.

Gozelinus notarius ad vicem RUTKERI archipræſulis ſummique cancellarii recognovit.

Data VII. idus Julii indict. (VII.) anno regni Caroli incliti regis XXVII. redintegrante XXII. largiore vero hereditate indepta VIII. Actum Theodonis villa.“

Iſte bonæ converſationis exiſtens, habito Treviri cum ſuffraganeis epiſcopis ac reliquo clero generali concilio, (a) librum canonicorum decretorum ſua induſtria componere in medium protulit atque confirmavit.

4 Poſt hunc RUPERTUS epiſcopus extitit, qui privilegium ab Ottone I. ſuper abbatiam S. Servatii obtinuit, habens hunc modum. De Ruperto ſeu Roberto archiepiſcopo.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis OTTO divina favente clementia rex. Si juſtis fidelium noſtrorum precibus aurem præbuerimus remunerationis recompenſationem ubi de eccleſiaſticis fit rebus, Domini: ubi autem de negotiis fit humanis, noſtros

(a) De hoc concilio vide Brovverum ad annum 927.

„ fideles credimus nobis fideliores exinde fo-
„ re, & promtiores devotioresque obsequio.
„ Proinde agnoscat omnium fidelium no-
„ strorum conventus, qualiter nos proceres
„ nostri adeuntes, scilicet Magontiacensis epi-
„ scopus FRIDERICUS & frater noster HEINRI-
„ CUS, simulque comes HERMANNUS rationali
„ prece deprecati sunt, ut ecclesiæ S. Petri
„ Treverensi ac fideli nostro ROBERTO ejus-
„ dem sedis episcopo daremus, quin potius
„ restitueremus abbatiam sancti Servatii, si-
„ tam Trajecto. Quorum ratis petitionibus
„ acquiescentes, agnoscentesque nos ad hoc
„ debitores ut justitiam faceremus eidem ec-
„ clesiæ Treverensi, reddidimus & restitui-
„ mus illi ecclesiæ prædictam abbatiam S. Ser-
„ vatii ex toto & integro, omnia appenden-
„ tia cum omnibus quæ visa est habere. Inno-
„ vantes ergo prædecessorum nostrorum di-
„ ctionem regum, videlicet ARNULPHI, ZUEN-
„ DEBOLDI, LUDOVICI & CAROLI qui prælibа-
„ tæ sedi antedictam contulere Trajectensem
„ abbatiam, hoc regiæ libertalitatis præcepto
„ sancimus, quod nemo successorum nostro-
„ rum præsens datum infringendi, seu aliquo
„ modo violandi habeat potestatem. Et ut
„ hæc traditionis nostræ auctoritas plenissima
„ vigeat firmitate, eam manu nostra subter
„ firmavimus, & anuli nostri impressione
„ corroboravimus.

„ Signum domni OTTONIS serenissimi regis.
„ BRUNO cancellarius ad vicem FRIDERICI
„ archicapellani recognovi. DATA IV. cal Ja-
„ nuarii anno incarnationis Dnicæ DCCCCXLVI.
„ indict. (IV.) anno domni Ottonis X. Ac-
„ tum in *Chalahem*.

5 Iste primus ut fertur, Treberensem eccle-
siam regno quod Lotharingiam voca-
tur adjecit, pro eo quod soror ejus impera-
tori in matrimonio juncta fuit, cum usque
ad ejus tempora Francorum regno, quod
a KAROLO nomen habuit, subjecta, multis
fuisset honoribus illustrata. S. Martino quæ-
dam bona obtulit Treberi.

Post Robertum HENRICUS ecclesiæ præ-
fuit qui regulares officinas & claustrum circa
majorem ecclesiam construxit, & vigorem
regularis conversationis ibidem exerceri
decrevit. (a) Forum in loco & crucem in
medio erigere, quæ nunc esse videntur, in-
stituit; & hæc sculpta continentur in cruce:
Ob memoriam signorum crucis quæ cœlitus super homines venerunt anno dominicæ incarnationis DCCCCLVIII. anno vero episcopatus nostri secundo, Henricus me erexit. (b)

Affuit Romæ cum OTTONE primo in dam-

(a) Addit Trithemius: *Et regula Canonicorum ibidem observari cœpit. Hæc est major ecclesia Trevirensis, in qua hoc tempore, sicut & in ceteris antiquis ecclesiis, canonici secundum regulam eis præscriptam in commune vivebant, unam habentes mensam, unam bursam, unumque dormitorium, &c.*

(b) *Cernitur ea crux hodieque*, ait BROWERUS, *cum aurea imagine, sed dubites an ab hac eadem ætate, D. Petri clavigeri in area rubra saxo insculpta; quod posteris fuit Trevericæ civitatis insigne.*

nando magum non papam JOHANNEM (c) [c]
item OTTO abbatiam supra dictam potestate
regia de hac ecclesia tulit, & aliam quæ dici-
tur Horrea, quo sua esset, pro *Maßtrecht* huic
ecclesiæ delegavit, cum ad eum nihil perti-
nuerit. Ipse vero HENRICUS LXXX. mansos de
S. Martino tulit, & postea in Italia obiit. (d) [d]

6 Cui THEODORICUS successit, vir nobilis &
magnæ auctoritatis, præpositus Moguntiæ
majoris ecclesiæ, qui privilegia suæ ecclesiæ
renovavit & auxit, quorum exempla hic po-
nere curavimus.

Privilegium Benedicti papæ quod dedit episcopo Theoderico Trevirensi.

BENEDICTUS episcopus servus servorum "
Dei, carissimis nobis in Christo fratribus "
universis episcopis, ac totius dignitatis & "
ordinis catholicis viris, præsentibus scilicet "
& futuris perpetuam salutem. Quia, licet "
indigni, divinæ tamen dignationis gratia "
disponente, beati Petri apostolorum prin- "
cipis sacratissimam sedem univérsaleque "
in toto orbe magisterium suscepimus, "
Necesse est omnium ecclesiarum ut dili- "
gentissimam sollicitudinem ita continenter "
habeamus, ne earum jura auctoritate ejus- "
dem apostolorum principis, ceterorumque "
successorum ejus venerabilium patrum in- "
violabiliter statuta & confirmata, nostro "
minuantur ac pereant tempore, sed potius "
corroborata decenter augeantur atque pro- "
ficiant. Ideo vestram nosse volumus sancita- "
tem quod THEODERICO dilectissimo fratre no- "
stro Treverensis ecclesiæ archiepiscopo Ro- "
mam dirigente legatarium ad sanctorum apo-
stolorum limina, audivimus, sicut etiam pri- "
dem audiendo, imo & legendo comper- "
tum habuimus, eamdem ipsam præ ceteris "
Galliarum ecclesiis catholicæ religionis "
exordium, & Christianæ religionis catho- "
licæque fidei rudimenta prima percepisse "
per sanctorum virorum Eucharii, Valerii, "
Materni & ceterorum evangelicam doctri- "
nam, quos tempore suo prædictus beatissi- "
mus Petrus apostolus ordinavit & instruxit, "
necnon illuc ad prædicandum direxit. Un- "
de totius ordinis nostræ sedis apostolicæ "
consultu gratuitoque assensu, jura privile- "
giorum quæ a sancta Romana matre eccle- "
sia præfatis sanctis eorumque reliquis suc- "
cessoribus, id est Agritio, Maximino, Pau- "
lino, Severo almificis & apostolicis viris a "
primordio usque nunc authentice concessa "
sunt, quæque etiam ipsius civitatis excidio, "
incendio aliquove casu consumta appro- "
bantur, eidem Trevirensi ecclesiæ prædicto- "
que fratri nostro Theoderico, & per eum "
cunctis successioribus suis reconfirmare, re- "
corroborare & omni modo restituere dig- "
num duximus, decernentes &c. Ut Treve- "
rensis præsul post quemlibet ordinarium le- „

(c) Exauctoratus fuit anno DCCCCLXIII.

(d) Anno 964. gravi pestilentia oppressus.

gatum

„gatum apoſtolicæ ſedis in Galliam Germa-
„niamve deſtinatum, primum inter alios
„pontifices locum obtineat. Et ſi miſſus Ro-
„manæ eccleſiæ defuerit, ſimiliter poſt im-
„peratorem ſive regem ſedendi, ſententiam
„edicendi, & ſynodale judicium canonice
„promulgandi primatum habeat, utpote in
„illis partibus vicarius noſtræ ſedis apoſtolicæ
„merito conſtitutus. Neque enim dignum eſt
„ut illius eccleſiæ præſul aliquo tempore ce-
„teris non habeatur prælatus, cujus honor in
„illis partibus ſub ipſo apoſtolorum principe
„extitit primitivus. Pari namque modo ſan-
„cimus omnes in parochiis ejus degentes, ſi-
„ve ordinationem & promotionem cujuſli-
„bet eccleſiaſtici gradus a pontifice ipſius per-
„cipientes, eidem ipſi matrici eccleſiæ epi-
„ſcopoque illius debere canonice placere,
„obſequi & jure obedire. Si quidem decreto
„beati Clementis papæ ſuper hoc ita cautum
„videtur: ſi vobis epiſcopi non obedirent,
„omnes presbyteri, diaconi, ſubdiaconi ac
„reliqui clerici cuncti, omneſque principes
„tam majoris ordinis quam inferioris, atque
„reliqui populi, tribus & linguæ non obtem-
„peraverint, a limitibus ſanctæ eccleſiæ Dei
„alieni erunt, dicente domino: *Qui vos au-*
„*dit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.*
„Inter hæc quoque omnia quæ ad ſupra di-
„ctam Treverenſem eccleſiam intra & extra
„civitatem pertinere videntur, id eſt eccleſias
„cum univerſis rebus ſibi attinentibus, ſeu
„monaſteria tam monachorum quam virgi-
„num, quæ ex præceptis ſive ſcriptis regum
„ſeu imperatorum, ſive eorumdem funda-
„torum auctoritate ad ſe pertinent & pertine-
„re debent, & quidquid omnino illa ipſa ec-
„cleſia ubique & quoquo merito poſſidet &
„poſſidere debet, generaliter & ſpecialiter
„concedimus, reformamuſque præfato Theo-
„derico fratri & coepiſcopo noſtro, ſuiſque
„ſucceſſoribus ad perpetuam ſanctæ Treve-
„renſis eccleſiæ dominationem atque ditio-
„nem, per hujus noſtræ apoſtolicæ ſedis præ-
„ceptionis ſeriem, hac præſenti I. indictio-
„ne & uſque in finem ſæculi valituram. Con-
„tra quam ſi quis quid agere præſumſerit, &
„quod juſte & canonice a nobis decretum eſt
„in aliquo infringere tentaverit, ſciat ſe ex
„Omnipotentis & prædicti beatiſſimi apoſto-
„lorum principis omniumque ſanctorum, ac
„deinde noſtra auctoritate damnandum &
„anathematizandum, cum omnibus impiis
„æternis ſuppliciis deputandum. Qui vero
„hoc privilegium noſtrum obſervare fideli-
„ter ſtatuerit, benedictionis gratiam & miſe-
„ricordiæ plenitudinem in cæleſtibus caſtris
„inter electorum numerum efficaciter a Do-
„mino Deo conſequi mereatur.

„Scriptum per manum Stephani notarii re-
„gionarii, ſcriniarii ſanctæ ſedis apoſtolicæ, in
„menſe Januario indictione 1. Data VI. cal. Fe-
„bruarii par manum Widonis epiſcopi & bi-

bliothecarii ſanctæ ſedis apoſtolicæ, anno, „
Deo propitio, pontificatus domni Benedicti „
ſanctiſſimi ſummique pontificis & univerſa- „
lis VI. papæ primo, imperii autem domni „
Ottonis majoris XII. minoris autem VI. (a) „ [a]

7. Eccleſiis S. Martini ubi ſanctus Magneri-
cus requieſcit, & beati Paulini donaria multa
dedit, & collapſa vetuſtate renovavit. Romæ
cellam quatuor coronatorum cum omnibus
appenditiis ſuis ſibi ſuiſque ſucceſſoribus in
perpetuum acquiſivit, & privilegium a Bene-
dicto papa habens hunc modum.

BENEDICTUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, „
chariſſimis nobis in Chriſto fratribus univer- „
ſis epiſcopis ac totius dignitatis & ordinis ca- „
tholicis viris, præſentibus ſcilicet & futuris „
perpetuam ſalutem. Quia licet indigni, &c. „
Unde omnium, tam præſentium quam futu- „
rorum ſanctitatem & induſtriam noſſe volu- „
mus de ſancta fratris noſtri THEODERICI ſan- „
ctæ Trevirenſis eccleſiæ archiepiſcopi prima- „
tiſque, noſtra prædeceſſorumque noſtrorum „
ab exordio Chriſtianitatis per beatum Petrum „
conſtitutione, totius Galliæ & Germaniæ in „
eumdem apoſtolorum principem devotione, „
qui in ſua ſede, eccleſiam Chriſti glorioſius „
gubernando, multa monaſteria, quæ uſque „
ad ſua tempora manſerunt deſerta, reſtau- „
rando, beatorumque apoſtolorum limina „
ceteris ſæpius, nullo longioris viæ periculo „
ſeu labore territus, liberaliſſime viſitando, „
nobis ad hoc uſque complacuit, quod eidem „
ſuæque eccleſiæ poſſidenda in perpetuum ali- „
qua conferre juſtum duceremus, &c. Qua- „
propter notum ſit omnibus, nos cum aucto- „
ritate beati Petri apoſtolorum principis gratui- „
toque ſacerdotum, clericorumque, totiuſque „
Romanæ plebis aſſenſu, eidem S. Treverenſi „
eccleſiæ cellam quatuor coronatorum con- „
donaſſe in perpetuum poſſidendam, cum „
omnibus appenditiis ſuis, aquis ſcilicet aqua- „
rumque decurſibus, *pratis, paſcuis, vineis,* „
ſilvis, cultis & incultis, curtilibus & manſio- „
nibus. Quæ omnia eidem fratri noſtro Theo- „
derico S. Treverenſis eccleſiæ archiepiſcopo „
vicarioque noſtro cariſſimo in partibus to- „
tius Galliæ & Germaniæ, ac per eum cunctis „
ſucceſſoribus in perpetuum poſſidenda, te- „
nenda ac ordinanda per hujus noſtræ apoſto- „
licæ præceptionis ſeriem tribuimus, quæ- „
cumque eadem cella ex diverſis donationibus „
fidelium authentice ſecundum legem Roma- „
nam poſſidet, vel jure poſſidere debet, data „
videlicet, & uſque in finem ſeculi quoquo „
pacto danda, ſeu per violentiam inimicorum „
eidem cellæ ablata, ſeu per in curiam com- „
manentium in eadem cella perdita, ex inte- „
gro & ad integrum, eidem fratri noſtro Theo- „
derico, S Treverenſis eccleſiæ archiepiſco-

(a) Anno *969.* Theodericus Romæ agens, ejuſdem fere tenoris privilegium ab Johanne XIII. jam impetraverat, datum undecimo cal. Februarii *Anno pontificatus domni Johannis pontificis & univerſalis XIII. papæ IV. imperii autem domni Ottonis majoris VII. minoris vero II. indict. XII.* Quod privilegium Kyriander edidit & poſt eum Brovverus.

» po, dignissimoque nostro vicario in partibus totius Galliæ & Germaniæ, universisque successoribus suis per eum a præsenti indictione III. beati Petri apostolorum principis, nostraque permittimus auctoritate. Contra quam si quis quid agere præsumserit, & quod juste & canonice a nobis decretum est in aliquo infringere tentaverit, sciat se ex Omnipotentis & prædicti beatissimi apostolorum principis, omniumque sanctorum, ac deinde nostra auctoritate damnandum, &c.

» Scriptum per manum STEPHANI notarii regionarii & scriniarii sanctæ sedis apostolicæ, in mense Januario, indict. III. bene valete.

» Data XV. cal. Februarii per manum WIDONIS episcopi & bibliothecarii S. sedis apostolicæ, anno, Deo propitio, pontificatus domni nostri BENEDICTI sanctissimi septimi papæ primo, imperante domno pissimo principe Augusto OTTONE a Deo coronato magno imperatore anno VIII. indict. III.

Sub eo regulares canonici in ecclesia S. Petri esse desierunt. Moguntiæ defunctus sepultus est in basilica S. Gangulfi martyris; quam ipse de proprio suo construxit, ac XII. fratres ibi Deo famulaturos datis necessariis instituit.

De Egberto archiepiscopo.

8. Cui successit æternæ memoriæ EKBERTUS episcopus. Hic de Britannia ortus, patre THEODERICO comite, matre HILDEGARDA nomine, divitiis & nobilitate Anglorum primoribus, divinitus, ut credimus, huic sedi est prædestinatus. Nam ut primum, Christo Treberensibus consulente, hanc sedem conscendit, multifariam ejus inopiam caritate & misericordia, quæ in eo abundavit, sic in perpetuum relevavit, ut quamdiu hic mundus volvitur, ejus memoria digne celebranda judicetur. Mox etenim omnibus suis secundum carnem & spiritum in Britannia propinquis mandavit, ut ad se invisendum, suæque generositatis indicium declarandum se præpararent, & proximo natali Domini cum omni pompa & ambitione Treberim properarent. Quod cum ipsi studiose & strenue implevissent, ipse caritate mediante omnibus, quas detulerant, rebus & pecunia spoliavit, iisdemque in patria reversis multo plura remittentibus, & pretiosiora adjicientibus, ecclesiam suam paganorum & Christianorum rapina exinanitam, largissima liberalitate ditavit, aureis & argenteis, crucibus, plenariis, casulis, dalmaticis, tunicis, palliis, cappis, velis, cortinisque, & possessionibus auxit. Monasteria urbis rapina & provincialium prædiis exausta, recollectis ubique manu potestativa possessionibus reparavit, abbatiam S. Servatii dono OTTONIS II* recepit.

*L. III.

Præceptum Ottonis III. abbatiam S. Servatii Egberto restituentis.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, » OTTO divina favente clementia rex. Omnium » fidelium nostrorum tam præsentium quam » futurorum piæ devotioni pateat, qualiter vir » venerabilis EGBERTUS sanctæ Treverensis ec» clesiæ archiepiscopus ad nos venit, secum deferens præceptum prædecessoris nostri ARNULPHI regis, in quo continebatur, quomodo ipse, pro remedio animarum bonæ memoriæ avi sui LUDOVICI regis, necnon CAROLOMANNI genitoris ejus, patruorumque suorum LUDOVICI videlicet & CAROLI christianissimorum regum, quamdam suam abbatiam, in honore S. Servatii confessoris Christi, in loco Trajectum vocato constructam, juxta fluvium Mosam dictum sitam, ad ecclesiam S. Petri, principis Apostolorum, in civitate S. Petri Treveris ædificatam, sua præceptione cum omnibus appenditiis ad eamdem abbatiam rite pertinentibus, donavit & tradidit; aliique successores ejus, præfati scilicet reges, suis præceptionibus idipsum confirmaverunt. Similiter etiam avus noster OTTO imperator Augustus per suam præceptionem, ut in ea scriptum invenitur, prælibatam abbatiam eidem ecclesiæ Treverensi, cum omnibus utensilibus illuc aspicientibus, innovando donationes prædecessorum suorum regum, videlicet ARNULFI, ZUENDEBOLDI, LUDOVICI & CAROLI, ad integrum corroboravit. Sed postea malorum hominum consultu, nefario facto, donationes & confirmationes prædictorum regum, suamque ipsius, proh dolor! corroborationem, commutatione nulli probabili viro tunc vel nunc placita annulavit; ipsius sanctæ jam dictæ Treverensis ecclesiæ abbatiam, Horrea dictam, quasi sua propria esset, in concambium præceptionis suæ auctoritate dando pro abbatia Trajectensi, quæ a tot regibus, ut prælibatum est, tradita & confirmata est. Pro hoc facto nefando, nobis & aliis fidelibus nostris omnibus, qui aderant, majoribus & minoribus inaudito, præfatus archiepiscopus Egbertus flexis genibus & voce lacrimabili nostram clementiam precatus est, ut pro redemtione animæ ipsius jam dicti avi nostri, qui eamdem Trajectensem abbatiam a jure S. Petri abstulit, & pro remedio animarum beatæ memoriæ ejus æquivoci, genitoris nostri imperatoris Augusti, nostræque genitricis THEOPHANIÆ imperatricis Augustæ, Treverensi ecclesiæ ablatam abbatiam, novo nostræ celsitudinis donativo redderemus & restitueremus. Nos vero divini timoris & amoris intuitu, simul etiam omnium fidelium nostrorum consultu, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, ducum & comitum, piis ejus petitionibus assensum præbentes, hac regia nostræ majestatis & potestatis munificentia, sanctæ Treverensi ecclesiæ & prædicto archiepiscopo, qui ei præsidet, quod incaute contra eum factum est, satisfecimus, denuo ei dantes ac reddentes & restituentes supra scriptam abbatiam, cum omnibus utensilibus ad eam juste aspicientibus; & hoc nostro præcepto regio ad integrum confirmantes, ita ut nec regali potentia, nec alterius personæ præsumtione a S. Petro & ejus

„ ecclesia Treveris constructa, nisi sub anathe-
„ mate deinceps avelli possit & auferri. Et ut
„ hæc nostræ donationis, restitutionis, & con-
„ firmationis auctoritas præsenti ac futuro tem-
„ pore inviolabiliter preseveret, hoc regiæ ma-
„ gnitudinis nostræ præceptum inde conscri-
„ ptum, manuque propria, ut infra videbitur,
„ corroboratum, sigilli nostri impressione si-
„ gnari jussimus.

„ Signum domni OTTONIS glorioſi regis.

„ HILDEBALDUS episcopus & cancellarius vi-
„ ce VILLIGISI archiepiscopi recognovi. Data
„ XIV. cal. Maii anno dominicæ incarnationis
„ DCCCCXCIII. indict. VI. anno autem OTTO-
„ NIS regnantis X. Actum *Ingelenheim* feliciter.

(a) 9. Jejunium pro siccitate(a) terræ imminente, & rogationes, cruciumque & sanctarum reliquiarum gestationes per circuitum vallis Trebericæ, ab omnibus qui sunt in sua parrochia, tertia post pascha hebdomada fieri præcepit, corpus S Celsi confessoris in cimiterio S. Eucharii reperit. Iste namque EKBERTUS & THEODERICUS Metensis episcopus anno dominicæ incarnationis DCCCCLXX. cum Ottone magno & glorioſissimo imperatore Augusto, cujus conjux Theophanu, in Italia per triennium fere constituti, multa sanctorum corpora collegerunt, quæ ad sedes suas transmiserunt EKBERTUS S. Severum primum in Tarrentina valle sepultum, de quo sanctus Gregorius in libro Dialogorum, adjutorio regis supra nominati adquisivit. Adquisivit in Spoleto civitate ossa Gregorii martyris & Pontiani martyris, in castro Turegum reliquias Felicis & Regulæ. Episcopus autem Corfinii THEODERICO episcopo Metensi dedit corpus S. Luciæ virginis, testificans manu sua evangelio superposita, hanc ipsam esse Syracusanam, de qua responsoria & antiphonæ cum missa cantantur ubique, & eo loci per FOROARDUM quemdam ducem Spoletinum translatam. Quod dimidium idem THEODERICUS Ekberto episcopo devotissime petenti tradidit. Hujus industria Treberensis ecclesia baculum S. Petri jam diu amissum recepit. Quem qualiter amiserit breviter dicemus.

De baculo S. Petri ab Egberto recuperato.

10. Temporibus S. Maximini, Hunis Rhenum transire & Galliis invadere meditantibus, S. Servatius Trajectensis episcopus prævidens in spiritu cædes & incendia totiusque Galliæ futurum excidium, Romam causa orationis adiit, ut suffragio apostolici patrocinii mitigaret iram Domini. Ubi dum triduo precibus & lacrymis insisteret, responso didicit apostolico, nullo modo vindictam Domini prætexturam, nihilque in Gallia civitatum & ecclesiarum inustum relinqui, nisi solum in Meti monasterium S. Stephani. Inde ergo Treverim reversus S. Maximinus, quod audierat retulit, nec multo post apud Trajectum obiit. Quidquid ergo in civitate Trebetica erat reliquiarum nobilium, prædictæ hostilitatis metu ad Metim deferendum consilio sapientium est decretum. Porro ante Hunnorum irruptionem, Treberi Græcorum pertulerunt invasionem, nec multo post ille omnium fama celebris ATTILA rex Hunnorum, miseriarum gurges & malorum à Rheno Aurelianis usque omnem Galliam captivavit, incendit & vastavit. Exin cum pace reddita cœpissent urbes & vici secundum pristinum inhabitari, Treberi res suas jam a Metensibus repetentes, in vanum fuere laborantes. Placuit ergo tributum de civitate Treberi S. Stephano Metensium patrono annuatim persolvi: quo per hanc exhibitam venerationem mererentur aliquam rerum suarum restitutionem. Quibus cum præter baculum alia redderentur essetque pudor Trebiros victores quondam gentium, tributarios esse Metensium: rupto fœdere, altare in honore S. Stephani super quatuor columnas in curia erexerunt Treberica, & prædictum censum annis singulis illuc persolverunt. Deinde a Metensibus in curia regis orta querimonia, & dicentibus annuum tributum a Trebirensibus sibi debitum aliquot annis jam sibi negatum: istis quoque negantibus umquam se alicui tributarios fuisse, Metenses in fidei & querelæ suæ testimonium rogant mitti, & inspici quod super columnas erat in curia altare locatum. Quod cum utrorumque arbitrio definitum foret fieri debere, Treberici celerrime occultum nuntium miserunt, & altare columnis depositum in monasterio S. Petri collocaverunt. Sic ergo cum res mota querimoniis probari non posset testimoniis, Trebirenses hac potiti victoria, baculi tamen caruere præsentia, donec post supra dictas & trium adhuc gentium gravissimas irruptiones, Wandalorum, Francorum & Normannorum, OTTONE regnante, frater ejus potentissimus Colonienſium episcopus, hac etiam civitate donatus, a Trebirensibus rogatus, baculum huic ecclesiæ restituendum a Metensibus extorsit, sed eum eadem, qua clavum Domini, perfidia subtrahere voluit, & Colonienſi ecclesiæ dono dedit. Paucis hinc annis transeuntibus, EKBERTI episcopi instantia, WARINUS Colonienſis episcopus partem baculi cum apice secans, superiorem partem sibi retinuit, reliqua huc transmisit.

11. Feruntur hirundines ab hoc viro, scilicet EKBERTO episcopo, maledictæ, templum S. Petri non involare, vel si involaverint examinari, quod sibi quadam die super altare sacra celebranti, ex una earum caput contigisset fœdari. Adveniente quondam festivitate S. Eucharii, ipse pro celebrando ibidem divino officio ad ejus monasterium perrexit; cumque post expleta missarum solemnia a fratribus peteretur obnixe cibi & potus caritatem sumere, ne eis onerosum fortasse existeret, si tanta comitatus ambitione ibidem reficeret, oblatam a fratribus caritatem omnino refutare, & reditum suum in urbem ma-

(a) Hanc terræ siccitatem refert Brovverus ad annum 983.

turare. Cumque veniſſet ad flumen Oliviam, coepit infirmitate gravi deficere, nec mora ad ſuam ſedem perveniens, diem clauſit extremum. Sepultus eſt ibidem in parva eccleſia quam ipſe in honore S. Andreæ conſtruxerat in latere eccleſiæ dextro. Siniſtrorſum vero depoſitus jacet HENRICUS ſupra nominatus, hujus tertius anteceſſor, quem in Italia defunctum, huc relatum illic ſepelivit.

De Luidolpho archiepiſcopo.

12. Huic ſucceſſit Luidolfus natione Saxo. Hic muris eccleſiam S Petri, & fratrum habitacula circumcinxit, & ut ea quæ intra ſunt *uſui canonicorum cedant*, exceptis quæ ad epiſcopum pertinent, inſtituit, quatenus quomodo religione ita & manſione a plebe ſequeſtretur. Quo pontificante, præfuit in monaſterio S. Paulini præpoſitus nomine ADELBERO de *Lucelenburc* ortus, potens & dives, habens caſtella hæc *Sarburhc*, *Berencaſtel*, & *Rutiche*, qui inito cum LUITULFO archiepiſcopo pravo conſilio, eccleſiam S. Symphoriani (a) quæ abbatibus S. Martini ſubjacebat, partim vi, partim dolo ſibi vindicavit, epiſcopo proh dolor! ſibi conſentiente, & deinceps eam S. Paulino retinuit.

(a)

(b)

Eo defuncto ſedem Trevirenſem invadit Adelbero. At Megingaudus ab imperatore præficitur.

13 LIUDOLFO autem defuncto, ea fiducia qua ſororſua (b) HENRICO Claudo imperatori nupta fuerat, epiſcopatum invaſit, milites in ſua ſacramenta jurare coegit, palatium quod ſitum eſt in urbe occupavit, pontem quoque Moſellæ turribus munivit. HENRICUS autem imperator MEGINGAUDO *epiſcopatum dedit*, præpoſito eccleſiæ Moguntiæ, qui cum potentiæ Adalberonis reſiſtere pararet, LX. manſos de rebus S. Martini, *Ravengerocle*, *Madelbret*, Oudelberto de *Stalle* in beneficium dedit, nec tamen prævaluit. Tunc HENRICUS imperator cum exercitu Treberim venit, & palatium obſedit, a dominica poſt albas uſque ad calendas Septembris. Qua obſidione non ſolum regio in circuitu urbis undique vaſtata; ſed ipſa quoque civitas, quæ jam poſt vaſtationem Normannorum ædibus exornata, & aliquatenus fuerat inhabitata, in priſtinam ſolitudinem pene eſt redacta. Non ſolum denique obſeſſores, ſed & ipſi palatini obſeſſi frequentibus eruptionibus ipſos obſeſſores & finitima palatii populabantur. Una die de vertice Jurani-montis multitudo boum & ovium ad ſervitium imperatoris adducta cum præſidio militum deſcendit. Quod palatini ex arce proſpicientes, eruptione ſubito facta, boves & oves, præſidio eorum fugato, ante ſe in palatium compulerunt. Quos cum Cæſariani *milites perſecuti, apertis portis*, cum *illis* palatium irruperunt; nec mora palatini ex abdito portas clauſerunt, omneſque qui irruperant, miſſis ex arce lapidibus, alios occiderunt, alios graviter ſauciaverunt, reliquos ceperunt. Tunc imperator ex materia domorum urbanarum machinas circa palatium uſque ad arces præcepit erigi, quo facilius poſſet palatinos ex ipſa machinarum æquæ palatio altitudine anguſtiare. Hæ quoque, palatinis fortiter repugnantibus, igne immiſſo, vel ſuccenſæ, vel dirutæ ſunt. Cæſar ergo cum nequaquam proficeret in ejus expugnatione, ad calendas Septembris profectus, pontem dejici juſſit, quem cuſtodiæ Adalberonis obtinuerant, & MEGINGAUDO epiſcopatum confirmavit. Qui uſque ad finem vitæ ſuæ in caſtelloConfluentia epiſcopatum adminiſtravit, ADALBERONE ſupra dicto invaſore, maximam epiſcopi familiam retinente. Tandem circa finem Megingaudi gravi infirmitate depreſſus, omnia Megingaudo reddidit, ſed palatium ſibi retinuit. Obeunte MEGINGAUDO Henricus imperator POPPONEM in *Regensburg* educatum ad offenſam Adalberonis præſulem conſtituit, ita dicens: talem virum debeo dirigere, qui tuæ veſaniæ valeat reſiſtere. Igitur ADALBERO tandem ſero pœnitentia tactus, nec valens vires Popponis ſufferre, ſuplex eidem factus palatium & ſua caſtella, & omnia ſua contradidit, & deinde in monaſterio S. Paulini uſque ad finem vitæ ſuæ permanſit.

Henricus imperator Trevirim obſidet.

14. Anno dominicæ incarnationis MXVI. Poppo archiepiſcopus Trebirorum ordinatur. Hic ſæpius occupatus in expeditione & procinctu militum, quædam de S. Paulino tulit, de palatio etiam LX. monialium præbendas militibus in beneficium diſtribuit. *Berencaſtel quondam Adalberonis a prædonibus defenſum deſtruxit.* Aliud quoque caſtellum cujuſdam tyranni ADALBERTI, quod dicebatur Skiva ad terram dejecit. (c) qui videlicet ADELBERTUS caſtellum Trebiris quondam in honore S. Crucis conſtructum poſſidebat. Inde frequenter cum multitudine militum irrumpens ad curiam epiſcopi, quidquid ibi ad ejus obſequium parabatur, violenter auferens adducebat. Cujus rei ignominia confuſus epiſcopus, videlicet quod hoſtem quotidianum ſibi tam proximum ob munitionem caſtelli non poſſet debellare, multis ad amicos habitis querimoniis, ad hujuſcemodi infamiam depellendam conſilium & auxilium cœpit inquirere. Erat in exercitu ejus vir potens divitiis, & viribus fortis, nomine SIKO qui promiſit ſe tentaturum, ſi quomodo poſſet hujus mali invenire medicamentum. Epiſcopo ſibi ſatis congratulante, congreditur ille, cupiens quæ ſpoponderat attentare. Quadam ergo die pergit ad portam caſtelli, pulſans fores, rogat ſibi ab Adalberto ad refocillandum poculum mitti, quod cum celeriter allatum fuiſſet, & ebibiſſet, pincernam nuncium alloquitur. Domino tuo, ait, ex mea parte magnas gratias nunciato, pariter & hæc verba narrare curato, quod vita ſoſpite, hoc tibi poculum grata voluntate citiſſime rependere

Gesta Pop. Popponis archiepiſcopi.

(c)

Sikonis ſtratagema in capienda arce S. Crucis

ſtudebo

(a) De hoc monaſterio fuſius agit Trithemius, aitque complures olim & ſanctiſſimas ordini S. Benedicti moniales ibi claruiſſe. (b) Cunigunda.

(c) Quæ ſequuntur uſque ad numerum 17. exſcripſit verbotenus auctor vitæ S. Meinwerci epiſcopi Paderbornenſis, apud Libnitium tom. 1. ſcriptorum Brunſvic. pag. 541. num. 41.

ſtudebo. Et his dictis, abiit. Captato deinde opportuno tempore, XXX. hamas præparat, in quibus ſingulis ſingulos milites electos loricatos & galeatos, enſibuſque præcinctos collocat, & deſuper linteis opertos funes, quibus vectes ad portandum eas inſererentur, componit. Deinde LX. viros nihilominus electos, & plebeia veſte amictos, enſibuſque eorum in hamis reconditis, geſtatores conſtituit, nulloque hominum hujus fraudis præter prædictos conſcio, ipſe Siko cum his & aliis paucis militibus vallatus ad caſtellum tendit, fores pulſavit: ſervo. ſciſcitante quis ſit & quid velit, dic, ait, domino tuo me ſibi vinum magnæ dilectionis gratia olim promiſſum deferre, quando ipſum non piguit mihi ſitienti poculum dirigere. Servo renunciante, Adalbertus juſſit viros intromitti: quibus ingreſſis, & hamas coram Adalberto in terram ponentibus, poſt eos Siko ſubintrat, jubet auferri linteorum velamina, rogat Adalbertum ſuſcipere dilectionis munera. Portitores, ſicut erant edocti, uno momento pariter omnia hamarum velamina dejiciunt, gladios ſuos diripiunt, inſidiæ de hamis exiliunt, gladios ſtringunt, fortiter undique feriunt, ipſum Adalbertum obtruncant, ceteros ædituos crudeliter mactant, caſtellum in ſolitudinem redigunt: ſic Dei miſericordia epiſcopus a tyrannide Adelberonis mirifice eſt liberatus, & Siko a Poppone pro victoria beneficiis illuſtratus eſt.

Flores tyrannos in diœceſi impune ſævientes debellat.

15 Simili modo per alios principes ſuos multa caſtella partim vi, partim dolo cepit, tyrannorum inſaniam diu impune bacchantem ex parte maxima refrenavit. Monaſteriis ſane eorum violentia pene exhauſtis, prout potuit miſericorditer ſuccurrit, quibuſdam non habita dando, quibuſdam ablata reſtituendo, exceptis duntaxat, ut diximus ſupra, duabus congregationibus, S. Paulini videlicet & S. Mariæ de Palatio, ex quibus alteri propter Adalberonis inſolentiam quædam ſubtrahendo minime perpercit, alteri propter malitiam ibidem habitantium, de quibus poſtea dicemus, cuncta quæ habuerant abſtulit, ipſaſque de loco eodem exterminavit.

(a) 16 Hic (a) rogatus a quodam Danorum comite Ottone Daniam venit, gentemque Danorum adhuc idolis ſervientem ad Chriſtum convertit, ubi incredulis repugnantibus chirothecam ferream fieri præcepit, eamque igniri, qua manu ſua veſtita nec læſa, lineoque panno cera infuſo ad carnem indutus, fornacem candentem intravit, indeque panno combuſto illæſus exiens, Chriſtum Dei filium Deum eſſe verum hoc indicio declaravit. Hoc uſque hodie apud Danos celebri fama vulgatur, a quibus & (b) Ansgarius vocatur, quo nomine ejus memoria ab eis V. idus Septembris celebratur. (c) Sepulcrum ejus Treberi à Danis frequentatur. Sed quia tantiſper ejus mentionem fecimus, libet a principio quædam geſtorum ejus breviter narrando commemorare. (c)

17. Regnante ſereniſſimo Heinrico rege quidem ſecundo, imperatore autem primo, anno regni ejus XIV. Meingaudo Trevericæ urbis archiepiſcopo de medio facto, domnus Poppo in gaudium & lætitiam univerſæ civitatis cathedram epiſcopalem ſuſcepit. Vere, inquam, in gaudium, quia, ut in ipſum cujuſdam ſcholaſtici verbis utar, almum tutorem ſecum tulit huc Symeonem, unde in ſequentibus plenius Deo largiente tractabo. Primum autem quibus parentibus, quibus etiam partibus extiterit oriundus, quantum ad meam notitiam ſeniorum relatione devenit, referre curabo. Patri ejus Luopaldi nomen erat, qui regionis Auſtriæ marcam tenebat: mater autem ejus Richiza, cujuſdam ducis Germanæ-Franciæ filia fuit, ſed & frater ejus patris æquivocus, patre defuncto, eamdem marcam ſtrenue gubernabat. Hi itaque filium ſuum, Popponem dico, ætate proficientem diſciplina litterali erudiendum in *Regneſburc* civitate juris doctoribus tradiderunt, & poſt in proceſſu temporis ſcientia litterarum ſatis imbutum, & in virile jam robur adultum, notitiæ ſupradicti regis exhibuerunt. Cui in brevi tam dilectus factus, tamque idoneus viſus eſt, ut ſicut dixi, Meingaudo epiſcopo Trevericæ metropolis de medio facto, rex ipſe Trevirim feſtinato venit (erat enim in Confluentia poſitus,) & impetrato tam cleri quam populi conſenſu, ipſum pontificali cathedra ſublimavit. Proinde ibidem ab epiſcopis, qui cauſa regis advenerant, conſecratus eſt ſub die calend. Januarii anno Dominicæ Incarnationis MXVI. Conſecratorum autem ejus unus erat * Theodorus ſecundus Metenſis epiſcopus. Deinde diebus non multis interpoſitis Romam orationis cauſa profectus eſt, ut quod ſancta Romana mater eccleſia filiæ ſuæ Treberenſi videlicet eccleſiæ, ex inſtitutione ſanctorum apoſtolicorum honoris & gratiæ debuiſſet impendere, fieri ſibi poſtularet. Quem domnus Benedictus VIII. ſacratiſſimæ apoſtolicæ ſedis præſidens magno cum honore ſuſcepit, moramque ibi facienti omnem reverentiam & dilectionem exhibuit: ita ut pro eo miſſas faceret, & cum ipſo ſæpius cibum caperet, volentemque inde tranſmigrare ſummopere de ejus quæ in Deum eſt fidei conſervatione, & de ſubditorum ſibi eruditione, atque de peccantium non furioſa ſed paterna caſtigatione, & de munditia animæ & corporis ſolerter admo-

Popponis parentes.

Romam profectus à Benedicto VIII. gratanter excipitur.

* l. Theodericus.

(a) Hæc de Poppone Sleſvicenſi epiſcopo, qui à Trevirenſi diverſus fuit, ſcripſit Adamus Bremenſis; atque adeo hic non recte dicitur Daniæ apoſtolus.

(b) Danis nono ſæculo Evangelium prædicavit S. Anſcharius e monacho Corbeienſi factus Hammaburgenſis & Bremenſis archiepiſcopus.

(c) Dani ſimpliciores ſimilitudine nominis decepti, Popponis Treverenſis ſepulchrum frequentarunt. Conſtat enim certiſſimo Septentrionalium ſcriptorum conſenſu, nihil huic cum Danorum apoſtolo fuiſſe commune. Vide Brovverum lib. XI. Annal. Trev. n. 87.

nebat. Et ut ipsa hæc ejus præcepta memoriæ ejus non excideręnt, dedit chirographum hunc habentem modum.

Benedictus papa pallium Popponi & jus crucis ante se deferendæ concedit.

„ 18. BENEDICTUS episcopus, servus servorum „ Dei, beatissimo confratri & episcopo POPPO„ NI sanctæ Trevericæ sedis archiepiscopo ve„ nerabili æternam in Domino salutem & apo„ stolicam benedictionem.

„ Apostolicæ sollicitudini convenit, beni„ gnum erga fratres semper habere affectum, „ eorumque petitionibus quæ ratæ rationabiles„ que videntur, commodare assensum. Proin„ de, dulcissime frater, quia postulasti a me, „ uti juxta morem prædecessorum tuorum, „ usum tibi pallii concederemus, libenter voto „ tuo annuimus, solerter tuam commonentes „ fraternitatem, ut exterioris indumenti habi„ tum morum probitate exornes, talemque te „ in omnibus exhibeas, ut creditæ dispensatio„ nis officium pastorali cura semper amminis„ trare studeas. Tunc enim veluti lucerna, quæ „ in domo Domini lucet, cunctisque apparebis „ conspicuus; si, ut exteriori habitu, ita inte„ riori fueris adornatus; crucem Christi, quam „ sub pallii specie gestas in corpore, intus de„ creveris portare in mente, clamans cum apo„ stolo, *mihi mundus crucifixus est & ego mundo*; „ desideranter quoque & addens illud prophe„ tæ: *confige clavis à timore tuo cárnes meas*. De„ bita igitur caritate te ammonentes ab aposto„ lica sede pallium tibi transmittimus, hujus „ privilegii nostri auctoritate statuentes, ut in „ celebratione missarum his tantummodo so„ lemnitatibus eo adornatus incedas, videlicet „ in Nativitate Domini, in Epiphania Domini, „ in Cœna Domini, in Pascha & Pentecosten „ & in Ascensione Domini, & in festivitatibus „ sanctæ Dei genitricis & perpetuæ Virginis MA„ RIÆ, & in nativitate S. Johannis-Baptistæ, & „ in solemnitatibus omnium apostolorum, & „ in solemnitate omnium Sanctorum, in fe„ stis quoque illorum sanctorum, quorum cor„ pora & reliquiæ in tuo episcopatu habentur, „ & in dedicatione ecclesiæ tuæ, & in die an„ nua ordinationis tuæ, & si quando sacros or„ dines competenter facere decreveris. Conce„ dimus tibi etiam, carissime fili, crucem ante „ te gestandam. Omnipotens dominus fraterni„ tatem tuam, dulcissime frater, hic & in futu„ ro custodiat, sicque mentes nostras in servi„ tio suo corroboret, ut pro bene amministra„ to pastoralis curæ officio, in æterna beatitudi„ ne laborem nostrum remuneret. Bene valete. „ Data VI. idus Aprilis mensis per manus Bene„ dicti apostolicæ sedis legati, anno Heinrici in„ victissimi regis Romanorum XIV. imperii „ vero ejus tertio, indictione XIV.

Ejus pudicitia venefiiis tentata.

19. Inde vero annis aliquot transactis, cum sataręret, ut juxta Domini voluntatem, & secundum supra scriptam Romani pontificis commonitionem, animam suam immaculatam Deo offerret, ecce diabolus, qui ut scriptura dicit, seducit universum orbem, sicut arte sua nequissima per mulierem Adam protoplastum, nosque omnes per eum immortalitatis veste nudavit, ita quoque & hujus animum fraudis suæ integumentis a proposito castitatis subvertere laboravit, ne posset cum apostolo dicere: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, &c.* Verbi causa, est in suburbio Trebərensi oppidum quoddam quod vocatur Aula palatii, ubi ex institutione unius filiarum Dagoberti regis pretiosæ virginis ATHELÆ ibi quiescentis, congregatio erat puellarum canonicam vitam profitentium. Accidit itaque, ut uni earum episcopus commissuram pallii mitteret, ut ipsa ei exinde caligas quibuscum ad missarum solemnia celebranda procederet indueretur, aptaret: quas illa suscipiens & impudicitiæ suæ participem fieri concupiscens, arte nescio qua veneficio infecit, sutas remisit. Quibus mox episcopo indutis, mirum dictu, non visum est ei ultra id debere sospite vita procedere, nisi ad præsens haberet rem cum muliere. Attonitus de tam subita mentis mutatione, tamque inopinata carnis titillatione, quippe qui dispositerat carnalibus desideriis non consentire, cum festinatione exivit, ac uni, ut ita dicam, de principibus sacerdotum, qui forte illic aderat, indumentum dedit: qui mox ut induit, ipse festinanter exivit, secum mirans, nihil tamen dicens. Tunc reliqui qui astabant, quid id miraculi esset admirati, unus post unum easdem caligas secreto capientes induerunt, & similia passi sunt; nullus tamen quid pateretur audebat pro pudore fateri. Novissime ventum est ad urbis præfectum, qui ut ab episcopo jussus induit, furore incredibili infremuit, & se incantatum esse proclamavit; scisciantique quis iniquitatis hujus auctor extiterit, episcopus aperuit. Tunc omnes in unum sententias suas proferentes, dicebant maximum hoc esse dedecus ecclesiæ, quod qui canonica vel etiam ecclesiastica censeretur professione tali polleret iniquitate. Eam quidem quæ rem hanc fecisset ab ordine sanctimoniæ projici dignum esse, ceteras vero ibi manentium, ne ab eis quid a modo tam infame procederet, mutatis vestibus, & pro albis nigris indutis, artiori vitæ debere operam dare: quod si perpeti noluissent, melius esse, ut locus ille careret inhabitatione, quam ibi tales degerent personæ, quæ ejusmodi nequitiam gestarent sub specie religionis. Et ita factum est. Illa ejecta est, sed & ceteræ nolentes nec habitum nec conversationem mutare, similiter sunt ejectæ, & aliæ in monasterium puellarum, quod Horreum dicitur; aliæ autem ad alia sui habitus migraverunt loca, vacavitque locus aliquandiu a divinis laudibus. Cujus rei gratia episcopus postea summa ductus pœnitentia, veritus ne hujus causa injuriæ extrema divini judicii ultione damnaretur, annuente domno JOHANNE tunc Romano pontifice, commissa sub ipsius

Loca sacra invisit & S. Simeonem secum Trevirim adducit.

teſtimonio comprovincialibus epiſcopis, ſuis videlicet ſuffraganeis, Treverenſi eccleſia, Jeruſalem ire diſpoſuit, unde rediens in loco ſupra dicto ad laudes Dei celebrandas, clericos religioſos mancipavit.

20. Euntis itaque Jeruſalem quam efficax, quamque Deo extitit pœnitentia grata, prudens quiſque liquido poteſt advertere, cum didicerit, quod divina reſpectus clementia, virum ſanctum beatum SYMEONEM ſibi conjunxerit, ſecumque adduxerit. Cujus quia mentio ſe intulit, licet de illo prolixior tractatus habeatur, & me libet vel ad modicum, ut ſit memoria ejus in benedictione, qui adduxit eum, Domino adjuvante, ſanctitatem ejus perſtringere. Interea domnus POPPO, de quo ſermo eſt, Trevericæ hujus metropolis ſtrenuus proviſor Jeroſolymam tendens, ibi loci ubi SYMEON morabatur applicuit, eumque ut ſecum venire vellet exoravit. Qui annuens, cum Antiochiam ſimul deveniſſent, SYMEON a primoribus, quibus pridem ibi ſe notum fecerat remoratus, ſubſtitit, donec POPPO Jeroſolyma rediens, ſecus eam civitatem iter reflexit. Tunc ammonitus in ſomnis, præfato ſe præſuli commendavit, & ſecum Treverim venit, ubi prout ipſe petiit, in turre quadam deſerta a POPPONE recluſus, ſicut quondam in vertice montis Sinaï, ita nunc hic quoque graves malignorum ſpirituum inſidias perpetiit, quas domino auxiliante, ſuperavit. Porro cum ibi recluſus tranſegiſſet VII. annos, ei qui dedit animam reddidit calendis Junii, anno Dominicæ incarnationis MXXXV. Deus autem eum multis virtutum indiciis magnificavit: ita ut erectis manibus noſtris ſurſum ad Deum in cordibus noſtris evangelicum illud exultantes decantare poſſimus, *quia viſitavit Deus plebem ſuam.* Itaque pro miraculorum frequenti oſtenſione populus totius hujus provinciæ ſæpe dictum POPPONEM deprecabantur epiſcopum, ut ad honorem Dei & ſancti illius viri, vel per ſe, vel per epiſtolam ſuam Romanum pontificem conſuleret, & eventum rei nunciaret, peteretque quatinus auctoritatis præcepto, quem Deus evidentibus miraculis commendaret, hunc etiam fidelium populus digno ſanctis obſequio frequentaret, & annuam depoſitionis ejus diem ſolemniter celebraret. Super cujus rei negotio archiepiſcopus habito comprovincialium epiſcoporum conſilio, quod ſubditus ſibi populus pie petiit implere decrevit.

21. Verum ut ad ordinem narrationis accedam, libet ad ſuperiora parumper reſpicere. POPPONE prælibati itineris negotio occupato, necdum reverſo, GISELBERTUS quidam comes de caſtello *Lucelemburch* nominato cum filio ſuo CONRADO, non aliter quam ſicut ſolet lupus in oves inſanire, ſi quando contigerit paſtorem deeſſe, alius hoc alius illud ſibi vindicare, ille quoſcumque capere, iſte autem deprædari, ſicque mala inenarrabilia non ceſſabant perperrare. Quod epiſcopus reverſus comperiens, nec enim ipſo præſente a malitia ſua ſe poterant continere, cum non potuiſſet ullo modo reſiſtere, quippe quibus totius hujus provinciæ valentiores, qui hanc in eos debuiſſent injuriam vindicare, confœderati erant homini conjuratione, perſæpe apud imperatorem CONRADUM ſe proclamavit de illorum tyrannide, nihilque potuit proficere, ſicut ſubſcripta ejus epiſtola commemorat. Unde quamplures & reges & papæ mittebant epiſtolas, quas quia pro multitudine tædioſum erat ſingulas ponere, verum etiam quia non omnes contigit ad meam notitiam devenire, unam hanc tantum ſufficiat pro omnibus poſuiſſe.

Scribit ad ſummum pontificem adverſus eccleſiæ depræ-datores & de Simeone alibo Sanctorum inſcribendo.

22. Reverentiſſimo patri patrum gratia & nomine BENEDICTO, POPPO, licet indignus, divina tamen largiente clementia, ſanctæ Treberenſis eccleſiæ miniſter, cum totius affectus dilectione debitam ſubjectionem.

Superiori anno, cum annuente venerandæ memoriæ domno JOHANNE in hac ſede apoſtolica prædeceſſore veſtro, amore vifionis ſepulcri Dei hominis JESU-CHRISTI Jeruſalem peregre profectus fuiſſem, in regione noſtra pravorum hominum ſupercrevit iniquitas: ita ut nec adhuc manus ab incœpta poſſint retrahere nequitia, omnia per circuitum diripientes & vaſtantes; ſuper quo ſæpius deprecatus faciem domini mei regis, quatenus manum mihi porrigeret ſuæ animadverſionis, nihilque profeci. Sæpe etiam ſupra nominato prædeceſſori veſtro pro eodem ſupplicavi, nec quidquam adhuc conſolationis impetravi. Quamobrem deſidero, vel mihi nunc ſolatietur Deo amabilis paternitas veſtra, mittatque virum de honoratioribus veſtris ac prudentioribus, qui mihi in neceſſitatibus meis conſilio ſimul & auxilio ſuffragetur. Auxilietur, dico, de adverſis, conſoletur autem de his quæ latere non credo aures veſtræ ſanctitatis. At vero ſi hactenus vos latuerunt, jam nunc obſecro uti benignum litteris meis accommodare velitis auditum. Vir quidam vitæ ſanctitate laudabilis apud nos diebus iſtis ex hac luce migravit, quem ſi ſignis & virtutibus, quæ Dominus per eum operatus credere debeamus, procul dubio eum cum ſanctis æternæ beatitudinis habere conſortium non dubitamus. Sed non tam ſigna, quæ fidelibus & infidelibus communia ſunt, quam fidei virtus, qua fideles ab infidelibus ſequeſtrati ſunt, qua ipſe dum adhuc in corpore viveret, plurimum viguit, de ejus ſanctitate nos certos reddit. Proinde accerſivit nos tam clerus quam populus eccleſiæ noſtræ, obſecrantes, uti litteris noſtris ad hanc apoſtolicam ſedem, cui vos, auctore Deo, præſidetis, cum illius ſancti viri vita & miraculis miſſis peteremus, quod petitione dignum credimus; quatenus, ſi ita vobis cautum vi-

» deatur, dato nobis veſtri apoſtolatus decreto, » nomen ejus liceat cum ſanctorum nominibus » conſcribi, ceteraque honoris ſanctis debiti » ipſi impendi. Itaque quid ſolatii, quid conſi- » lii ſuper allevatione anguſtiarum noſtrarum » hinc & inde obortarum prudentia veſtra mihi » ineundum decreverit, ſine longa temporis » dilatione dignemini inſinuare. Honor veſter » & meritum apud Deum ſemper & homines » augeatur.

23. Sed quid papa ad hæc reſponderit, quamque benigne litteras ejus ſuper decurſas acceperit, mea non eſt opus præfatione. Ipſum audi quid dicat.

Litteræ de canonizatione S. Simeonis.

BENEDICTUS epiſcopus ſervus ſervorum » Dei, POPPONI tam ſuis meritis, quam divino » chariſmate Trevirorum archiepiſcopo, ſalu- » tem æternam cum apoſtolica benedictione.

» Sumtis reverentiæ veſtræ litteris & lectis atque relectis, in imo cordis earum vim repoſuimus, ut vobis petentibus deſiderataconcederemus. Nam illius regulam magiſtri nos » oportet in quantum poſſumusimitari, quiſe bene petentibus non eſt obſtinatus, ſe in veritate » quærentibus non eſt prolongatus, nec ad ſores ſuas perſeveranter pulſantibus ad aperiendum retardatur. At nos licet tardius quam » cupimus, ad ſonum tamen paginæ veſtræ, » ut debemus pro affectu reſpondemus. Neque » enim facimus quod volumus, cum volumus, » ſed cum divinitus ut faciamus accipimus, » quæque ſuis temporibus ſuperna diſpoſitio » coaptavit. Quod igitur meminiſtis ſedem apoſtolicam, cui ex divina donatione (a) præſidemus, totius eccleſiaſticæ paſtoralitatis eſſe » refugium, ut votis veſtris ad eam confugientibus annueremus meritis amplexibus, hæc ipſa verba donavimus, quippe cum ſit origo & » fundamentum eccleſiarum, Domino confeſſionem Petri taliter compenſante: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*; dignum plane videtur, ut omnis Chriſtiana fidelitas ad eam concurſum habeat, & » ipſa omnibus manum ſolatii porrigat. Vobis » ergo in congreſſu poſitis ad iniquitates pravorum hominum debellandas ac ſpirituali gladio puniendas, (b) quoniam in rebus divinitus » vobis commiſſæ vicis coadjutorem præſulem » popoſcitis, en dirigimus, quem quidem & » honeſtas morum, ſicut nomine indicat, & » ſagax animi pulcritudo decorat, quem huic » negotio aptiſſimum cenſuimus: quia Dei fidelem ſervum & prudentem cognovimus, » cui & aſtutia ſerpentis eſt & columbæ ſimplicitas, de cujus quodammodo labiis fluunt » mella pro captu audientium cæleſtis ambroſiæ plena. Quem a corpore noſtro velut dextrum ſeparavimus brachium, imprecantes ei » ſalutem & gaudium. Dirigimus ergo illum ut » ſolatietur vobis in neceſſitatibus veſtris, tam » ſcilicet in opere conſecrationis, quam & in unctione confirmationis: & ſi quid in neceſſitatibus aliis, Deo favente, valebit pro libitu ſanctæ veſtræ fraternitatis. Ut illum tractetis uti decet, non detractetis vel diſſimuletis, nulla credimus ammonitione indigetis, cum veſtra benignitas inde ſit profuſior unde eſt ſanctior. De cetero ad virum illum SYMEONEM veniendum, quem numeroſis coruſcantem miraculis, divinis præfulgentem virtutibus oſtenditis. Ex quo liquet eum in fragili corpore theſaurum bajulaſſe ſpiritualis gratiæ, ut non ſolum ſibi proviſerit ad ſalutem, ſed aliis quoque atque aliis ad multiplicem ſanitatem. Quia igitur ad illam æternam beatitudinem, illamque ſummæ felicitatis perpetuitatem, & cæleſte conſortium perveniſſe creditur, ſicut opere ſignorum frequentius panditur, noſtræ apoſtolicæ auctoritatis ſententia judicium divini arbitrii ſecuta, & complurium fratrum noſtrorum ſuffulta, decrevit illum eumdem virum SYMEONEM poſthac ſemper & ubique ſanctum debere nominari, ejuſque natalem ſicut aliorum ſanctorum reverentiſſime ſingulis annis celebrari. *Non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat*, dicit apoſtolus. Glorietur, laudetur, vigeat, placeat, celebretur, ametur, & colatur, nomenque illius martyrologio inſeratur. Ipſe intercedat pro peccatis & negligentiis noſtris & commiſſorum nobis apud clementiſſimam divini numinis majeſtatem, ut mirabilia quæ viſibiliter exhibet circa infirmorum corpora, in animabus noſtris occulta virtute dignanter exhibeat. Benedicti IX. papæ.

Miracula in Curia Domini ab Treviris obſervata.

24. Congruum duxi rem quamdam dignam valde memoria, quam circa hæc tempora accidiſſe comperi, ſub ſilentio non præterire. Sicut, inquam, ſupra ſignificatum eſt, ipſo POPPONE videlicet Jeruſalem profecto, & per tres fere annos demorato, Babyloniam enim uſque videndi nominatiſſimæ illius civitatis gratia proceſſerat, ubi & tentus aliquandiu in captivitate laborabat; ſi bene memini, quidam Metenſium epiſcopus vice quadam in jejunio Junii menſis Trevirim pro eo ordines facere veniebat. Hoc enim ipſe priuſquam de provincia exiret deprecatus fuerat, ut cui comprovincialium, ſuorum videlicet ſuffraganeorum epiſcoporum demandatum fuiſſet, Trevirim veniret, vicem ejus adimpleret. Hic autem quo Trevericæ urbis vicinior, eo ibi in hoc opus frequentior. Verum, ut dixi, ordines facturus ſub die XV. calendas Julii, petiit ſicut aſſidue faciebat mitti coram eo in altari clavum domini, qui ibi loci ex collatione dominæ HELENÆ auguſtæ habetur, quique, ſi dæmonis teſtimonio credi debet, cum quidam a dæmone vexaretur, & clavus hic ad effugandum illum cum aliis ſanctorum reliquiis illo delatus fuiſſet, a maligno illo perhibitus eſt ipſe eſſe qui pendentis in cruce Domini pro ſalute humani generis fuiſſet in dex-

tro

(a) Dignatione. (b) Percutiendas.

tro pede confixus, cujus nimia virtute compelli se exire. Ante enim nulla certitudo, sed tantum opinio erat, quantæ virtutis idem clavus haberetur. Porro misso eo in altari, astitit prælibatus episcopus clam circumspiciens, & quærens locum si forte eum sibi opportunitas accidere potuisset, quo corriperet, & in sinum suum deponeret, alium autem quem hujus gratia fieri jusserat, & sub asella sua occultaverat, hoc erecto impingeret. Quid multa? Ut concupierat correptum in sinu suo recondidit, & actionem cui institit lætus peregit. *Proinde cum post confecta mysteria exutum duceretur*, sicut Domino placuit, clavus ille sanguinem abundantius sudit, qui guttatim de sinu ejus in terram emanare cœpit. Quod videntes ministri ejus qui circumdabant eum, ut velocius incederet, & exui festinaret urgebant eum, cujuspiam mali causam accidisse ei arbitrati. Denique cum cœpisset sacerdoralia vestimenta deponere, totumque vidisset sinum albæ repletum sanguine, diriguit primum, & ultra quam credi potest, quid secum ageretur admirans: tandem cum rediisset in se, delictum quod patrarat confessus, veniam impetravit, & post exutas vestes convolvit in unum, deditque consilium, ut summa cum veneratione servarentur, quod & factum est.

Fames tempore quod accidit Poppc.

25. Illo itaque tempore cum adhuc famulus Dei Symeon supra memoratus vitales carperet auras, Popponem sæpe dictum archiepiscopum ducem suum & hospitem idem vir sanctus secreta frequenter collocutione dignos futuræ vitæ actus agere persuasit, quatenus in hac luce positus, cum Dei adjutorio hoc elaborare niteretur, ut post obitum in consortium beatitudinis eorum transiret, quorum nunc vicem gerere videretur. Fuit autem fames valida in omni terra ista (*a*) ita ut multi morerentur inedia. Hiemalium pluviarum emersione inundantia, sed & fluminis secus civitatem decurrentis verno tempore inæstimabili superabundantia diutina statione, & nimia sui limositate, omnes fere segetes absorbuerat: cujus mali causam insipiens vulgus Symeoni, sicut in vita ejus legitur imputabat. Tunc episcopus multam egentibus exhibebat humanitatem, illud sæpe ante mentis suæ oculos ducens, quod dicit sermo divinus: *qui viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua ab eo, caritas Dei non manet in eo.* Etenim die quadam in albis paschalibus, cum ad unam ecclesiarum in civitate consistentium divinum celebraturus officium, equo nobili vectus incederet, obviam habuit in campo pauperum multitudinem copiosam, qui deprecabantur eum, ut solita miseratione, aliquod ipsis impenderet vitæ subsidium. Qui accito mox ad se cubiculario suo jussit exhiberi sibi festinatio thesauri non modicam quantitatem ad dispertiendum illis. Omnibus ergo qui secum erant impellentibus & dicentibus, ut primum cujus gratia venerat adimpleret, indeque revertens, expeditius quantum voluisset, pauperibus misericordiam impenderet. Ipse respondit, nolite carissimi hoc persuadere mihi, quia sicut illud, ita & hoc Deo est obsequium. Nempe si oratio nostra apud majestatem Dei acceptior erit, si ante quam eo veniamus, caritas ista processerit, credo nimirum & securus sum, quod sine ambiguitate sacrificium nostrum divinis conspectibus præsentabitur, si tantæ multitudinis fusa prece commendetur. Interea cubicularius postulatum obtulit censum: quem acceptum ut cœpit in pauperes expendere, una omnes cœperunt voce clamare: nummis sibi opus non esse, de nummo enim aut nihil aut parum quisque sibi valentis comparare posse, quia sicut ipse nosset modius unus frumenti appenderetur solidis XXV. Quibus ille respondit aliud quid sibi præ manibus non esse, quo potuisset illorum necessitatibus communicare, quo contra illi, si, inquiunt, ad præsens aliud quid dare nobis [non potes] da saltem de pinguibus equis tuis, ut vel ad modicum compescatur esuries nostra edulio carnis. At ille, licet invitus, recordatus tamen verbi illius, quod vulgo in proverbium vertitur:

Carum quisque dabit, qui cara recipere quærit.

Primum dedit suum, deinde aliorum, nonequidem omnium, sed eorum tantum, quos ad hoc pietatis opus sua potuit exhortatione instigare. Et laniati atque devorati sunt. Post hæc ad locum destinatum processit.

Ecclesias reparat.

26. Denique erat ei permaxima sollicitudo, aut de construendis ecclesiis, aut de reparandis dirutarum vetustate ruinis: quorum alteri evidens perhibet testimonium ecclesia B. Petri, quæ domus & episcopalis sedes dicitur. Hæc, ut fertur, antiquitus fuit domnæ Helenæ, cujus rogatu a B. Agritio primitus dedicata est in honore principis apostolorum, quatuor marmoreis magnæ altitudinis sulta columnis, in quibus tota illa structura novem arcubus hac & illac distortis consistebat; sed superioribus annis una columnarum illarum longitudine sui fatigata, & oneris magnitudine prægravata, in præceps ceciderat, ita ut nullus timore ruinæ divinum ibi celebraret officium, nullus quoque qui tecta reficeret audebat ascendere, propter quod diutino neglectu ad id rerum devenerat, ut jam domus orationis non diceretur, sed a pastoribus pecus ibi pastum minaretur. Hanc ipse labore magno & impensa eisdem columnis quasi circumamictis basibus, quas usualis locutio pilares nuncupat, itemque arcubus prioribus laudabili arte subtractis novis aliis resolidavit: ita ut non inconvenienter in ejus laude libri sapientiæ illud debeat per-

[a] Anno 1044. & sequentibus. Vide Sigebertum, Hermannum Contractum, Anselmum in Vasone Leod. episcopo, &c.

ſonare: *Ecce ſacerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corrobor avit templum, &c.* Reſolidatam itaque & in priſtinum reformatam ſtatum, pretioſis beati Materni reliquiis a loco ſepulcri cum comprovincialium et epiſcoporum coram poſitorum, ac totius diœceſis ſuæ cleri & populi, utpote ſynodi gratia, jam ut ita dicam perindie heri & hodie celebratæ, ibidem Trevere congregatorum anniſu, XII. calendas Novembris illuſtravit atque dedicavit, dedicatum donativis pluribus, quibus ab imperatoribus, videlicet HEINRICO ſecundo & CONRADO ſimiliter ſecundo, itemque HEINRICO rege quidem tertio, imperatore autem ſecundo, ſicut in præceptis illorum de Treveri continetur, honoratus fuerat, magnifice ditavit. Poſtmodum autem placuit ei eamdem eccleſiam ampliorem reddere, fecitque ut nunc tertia tantum quantum prius ambitus ejus parte ſit major. Cujus ſtructuræ, ut audivi, tantam fundamenti juſſit fieri profunditatem, quantum nunc vides terræ ſupereminentem. Huic etenim operi, cum ſtudioſus inſiſteret, opuſque jam ad haſtæ longitudinem ſuper terram eductum fuiſſet, die quadam cum ſederet ubi opus fiebat, ſol ut erat ſolito ſerventior, refulſit in caput ejus, erat enim calvus, & incanduit cerebrum ejus, & ſicut ſolet, febre correptus, de die in diem ingraveſcente eadem valetudine, graviter ægrotare cœpit, nec multo poſt ad ultima ductus, ſpiritum reddidit ſub die XVI. calendas Julii, anno Dominicæ incarnationis MXLVII. Cujus exequias Treverici digne procurantes depoſuerunt eum in porta civitatis, quæ cognomento Nigra vocabatur: in qua & ipſe B. SYMEONEM cujus ſupra mentio eſt terræ commendaverat, ubi a religioſis clericis in eodem loco ab ipſo ob honorem Dei & beati illius viri mancipatis, pro ejus requie die ac nocte preces funduntur ad Deum, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Sedit autem in epiſcopatu annos XXX. menſes V. dies X. Cui defuncto ſucceſſit in ſacerdotali miniſterio cum cleri plebiſque conſenſu EVERARDUS epiſcopus, (a)

Ejus obitus.

27. Iſte natus patre HISELINO (b) comite Alamanniæ, cum in virum fuiſſet adultus, pro ingenuitate ſui, quam magna morum probitas, conſilium atque prudentia decorabat, præpoſitus factus eſt Wormatienſis eccleſiæ ſub præſule N. qui ſubditos ſuos ſatis idonee gubernabat. Dedit autem ei Deus gratiam invenire in oculis ſupra nominati HEINRICI imperatoris & principum ejus, ita ut in regiis & aliis quibuſque magnis conſiliis non ultimus nec ſpernendus auctor haberetur. Unde contigit ut Treviri ſuo orbati antiſtite, eis ad quos electio pertinebat petitioni regis convenientibus, jam dictæ metropoli ſubrogaretur epiſcopus. Hic vir magnificus & eccleſiæ Trevirenſis prudentiſſimus rector fuit, cujus & poſſeſſiones auxit & privilegia renovavit, cujus etiam tam ſtudioſus proviſor fuit, ut abbatias ſancti Servatii & ſancti Maximini deceſſoribus ſuis ablatas, dono Heinrici imperatoris receperit. Romam ad apoſtolorum limina viſitanda frequenter adiit, unde cum honore magno reverſus, LEONEM papam qui & BRUNO in ſede recepit.

[a] [b] De Everhardo epiſcopo.

Capitur a Conrado de Luzelemburg.

28. Hic dum quadam vice dioceſes circuiret, a comite Conrado de *Luzelemburg* captus eſt, ſacerdotalia veſtimenta direpta, chriſma unctionis effuſum, magnumque nefas a perverſis hominibus patratum eſt. Quo nuntio Treberi perlato, omnia divini myſterii jura celebrari intermiſſa ſunt, donec Romanus papa, qui de hoc definiret, interrogaretur. Qui eumdem Conradum omneſque ejus complices facto generali conſilio excommunicat: ſed ejus abſolutionem pœnitentis epiſcopo commiſit, palliumque illi pro eo quod hoſtes conciderant miſit. Interim vero epiſcopus a captivitate datis obſidibus rediit, nec multo poſt comitem ſuſcepit, cui pro pœnitentia peregrinationem Jeroſolymam injunxit, in qua & obiit. Dein Judæis perſecuti onem

(a) Hic deſinit mſ. Codex Aureæ-vallis: quæ enim hic ſubjicimus ex eodem codice addita ſunt alia manu, ſed antiqua.

Eo tempore, anno ſcilicet Domini MXLIX LEO papa IX. qui & BRUNO, quondam Tullenſis epiſcopus, Remis benedixit eccleſiam S. Remigii, & poſt triduum ibidem concilium tenuit LXVI. epiſcoporum, inter quos affuit EVERARDUS Trevirenſis archiepiſcopus, cum GUIDONE Remenſi, HALINARDO Lugdunenſi, HUGONE Biſuntienſi archiepiſcopis; ubi etiam affuit S. HUGO abbas Cluniacenſis; qui interrogatus de ſua promotione, fertur reſpondiſſe, caro voluit, ſpiritus repugnavit. Anno Domini MLXVII. CONO qui & CONRADUS primicerius Colonienſis, ab imperatore HEINRICO ad ſuſcipiendum archiepiſcopatum Treverorum miſſus, capitur a comite Trevirorum THEODERICO, & a ſatellitibus ejus in ſilva ductus, de rupe tertio præcipitatur, & adhuc illæſus gladio tranſverberatur. Corpus ejus foliis ſilvæ obtegitur: quod a ruſtico inventum ad villam defertur, & ſepelitur. Inde a THEODERICO Virdunenſium epiſcopo ad Theologium monaſterium transfertur, multis ſtatim miraculis a Deo glorificatur. Anno ſequenti idem THEODERICUS comes Trevirorum martyrizato CONONE epiſcopo apud Deum & homines reus exſiliatur ab imperatore HEINRICO; & cœptæ peregrinatione Jeroſolymam eundi, quid de eo & de omnibus qui in comitatu ejus erant actum ſit, neſcitur.

Poſt hunc archiepiſcopus extitit ENGELBERTUS, quo defuncto, archiepiſcopus ordinatur BRUNO. Anno Domini MCXXIV GODEFRIDUS fuit archiepiſcopus Trevitenſis annis VII. Anno Domini MCXXXI. ALBERO Metenſis fit archiepiſcopus per annos circiter XX. Hic dicendum eſt quod frater epiſcopi HEINRICI Leodienſis, qui ſepultus eſt in Hoio, comes Tullenſis FRIDERICUS, duos habuit filios, comitem REMARDUM & comitem PETRUM. Iſte PETRUS duas habuit filias. De una natus eſt iſte ALBERO archiepiſcopus, de alia epiſcopus PETRUS Tullenſis. De eodem ALBERONE fit mentio in vita beati Florberti Anno Domini MCLII. fit archiepiſcopus HILLINUS, natus fuit in diœceſi Leodienſi de Fallemannia prope Dinantium. De iſto HILLINO continetur in vita B. Bernardi, quod ipſe eum adduxit ad reconciliationem Metenſium, petita venia in capitulo Claræ-vallis. Sequitur ARNOLDUS archiepiſcopus, inde FOLMARUS, contra quem tempore ſchiſmatis imperator poſuit præpoſitum RODULFUM, & FOLMARUS fugit in Franciam, & inde apud Turonum obiit. Poſt quem ſit JOHANNES archiepiſcopus, anno Domini MCLXXXVIII. per annos XXIII. Hic ſepultus eſt in abbatia de Clauſtro. Poſt quem THEODERICUS de WECLA per annos fere XXX. Hic ſepultus eſt in eccleſia S. Petri apud Treverim. Inde nepos ejus ARNOLDUS MCCXLII. RADULFUS vero factus eſt magnus præpoſitus. Anno vero Domini MCCLVIII. poſt feſtum omnium Sanctorum obiit ARNOLDUS Treverenſis archiepiſcopus in caſtro ſuo inteſtatus, Trevirimque relatus in eccleſia S. Petri ſepultus eſt.

(b) Ezelino vel Ezone.

induxit, eosque nisi proximo sabbato Paschæ Christiani efficerentur, civitate pellendos esse decrevit. Hinc igitur ejusdem nefandæ gentis quidam ad similitudinem episcopi ceream imaginem lychnis interpositam facientes, quemdam clericum decœnobio sancti Paulini Christianum nomine non opere, ut eam baptizaret pecunia corruperunt, quam ipso sabbato, episcopo jam ad baptismi solemnia præparato, accenderunt. Qua ex parte jam consumta, episcopus super fontem sacris instans officiis, cœpit graviter infirmari, & secedens in sacrarium cum adjutorio ministrorum, genibusque ante crucem, quæ ibidem picta est in oratione flexis, in sacris vestibus obiit (a) XVII. cal. Maii & sepultus est in basilica sancti Paulini.

Cuno ab Annone designatus Eberardi successor, præceps rupe dejicitur.

29. Quo mortuo Anno Colonienſis episcopus, quem provisorem regni & tutorem filii sui Heinrici Heinricus imperator moriens reliquerat, spreto Treberorum consilio & electione, adhibita regis adhuc pueri investitura & confirmatione, nepotem suum Cunonem cum magna ambitione & manu militari, si sic necesse foret, inthronizandum versus Treberim direxit. Quæ inconsiderata provectio, sicut illi beato mortis occasio & martyrii fuit, sic Treberensibus excedere crudelitatis audaciam & materiam præbuit. Nec mora denique præsidem suum Theodoricum cum aliis principibus evocatum ad ulciscendam tanti contemtus injuriam, clamosis vocibus instigant, si Colonienses hac molitione prævaleant, actum hoc omnium successorum suorum esse dedecus & infamiam. Quid multa? coacto quippe exercitu, frondesque arborum, ne arma proderentur, præ se ferentes, nocte clara Maii mensis obviam pergunt, eosque in pago Bedonico quiescentes nihilque tale suspicantes subito circumveniunt. Qui conturbati advenientis sonitu multitudinis, quia jam hostes adesse senserunt, fugam in pedum celeritate saltuumque densitate, prout quisque potuit sibi elegit. Sic eos discurrentes hostes invaserunt, multisque captis, compluribus sauciatis, omnibus eorum rebus ingentique præda potiti sunt. Ipsque dominus Cuno incidit in manus impiorum hominum, qui eum nequioribus custodiendum, donec viderent quo res vergeret commiserunt; qui eum paulo post, ne videlicet regis adhuc juvenis temerarium prævaleret arbitrium, de rupe præcipitantes in cal. Junii miserabili morte peremerunt. (b) Qua de causa rege valde commoto, civitatem Trebericam se desolaturum comminante, tandem Deo donante a sapientibus ejus furore sedato, electione cleri & populi Udo inthronizatur epiſcopus. Hic ex Alemannorum prosapia oriundus, patre Eberhardo comite, matre Ida; iisdemque cœnobii quod dicitur *Scafhusen* constructoribus, (c) vir valde venerabilis fuit, facie venustus, ore facundus, statura procerus, cujus merito humeris sustentari posset tanti moles regiminis. Hic opera a decessoribus suis incœpta, scilicet monasterii sancti Petri amplificationem perfecit, comprovincialium militum audaciam & tyrannidem compescuit. In expeditione regis in obsidione castri Alamannorum quod Touingia (d) vocatur, obiit, relatusque a Treberensibus in monasterio S. Petri sepultus est.

Udo epiſcopus.

30. Cui successit Egilbertus, de cujus electionis occasione libet altius parumper edicere. Tempore illo cum Gregorius qui & *Hiltebrant* Romani pontificatus jura disponeret, hoc decretum antiquitus quidem promulgatum, nunc autem innovatum est, ut videlicet omnes in sacris ordinibus constituti, presbyteri scilicet & diaconi, a cohabitationibus feminarum se, ut decet, cohiberent, aut ab officio cessarent. Simul etiam ne quis cujuscumque ordinis, laicus videlicet sive clericus, episcopatus, abbatias seu alias quaslibet donorum spiritualium dignitates, vel per se vel per impositam personam emere sive vendere præsumeret, quodque si quis infringeret, honorem quemcumque haberet amitteret. Ubi hoc verbum palam factum est, in cordibus eorum qui non secundum Deum incedebant magnam suscitavit invidiam. Propterea inter regnum & sacerdotium partes exortæ sunt, & hinc inde permaximæ invidiæ succreverunt; & eo usque dissensionis hujus & inimicitiarum in invicem fomes invaluit, ut si cui Cæsarianorum occurrisset quispiam ecclesiasticorum, qui forsitan pro amore patriæ cælestis sæculum reliquisset, carnem macerasset, quemque aliqua corporis molestia attenuasset, sive qui, ut tunc moris erat, barbam quasi in signum religionis enutrisset, quasi regii honoris proditores contumeliis afficiebant, insultanter eos Ecclesianos appellantes. Nullus enim tunc in subrogandis pontificibus vel aliis ecclesiasticis dignitatibus canonicæ sanctionis ordo servabatur: sed qui tantum regis vel principis manum implevisset, seu aliud qualecumque obsequium sibi placitum impendisset, regia præficiebatur violentia ubi voluisset.

Egilbertus

De schismate Wiberti.

31. At vero ubi rex ejusque consentanei principes non eo minus omittebant, sed vetitam venditionem magis ac magis instituebant, præfatus papa non veritus, sententia anathematis omnes concludit, & quicumque voluisset in Catholicorum consortio numerari, faciebat sibi hujusmodi verba conscribi: *Anathematizo omnem heresim Heinrici dicti regis & omnium complicum ejus, & omnem qui eum regio nomine vel honore veneratur, Hein-*

(a) Anno 1066. annis in pontificatu exactis unde-vigenti paulo minus, uti insignes ab hoc sæculo testantur scriptores, ait Browerus.

(b) Hac de nece egregiam ad Alexandrum papam epistolam Sigefridus archiepiscopus Moguntinus scripsit, quam vide si lubet apud Eccardum tom. 2. Corporis Historici medii ævi pag. 124.

(c) *Spicil* Fundatoribus. (d) Tungia, Tiuga.

rium, inquam, quartum ejus nominis regem. Quam excommunicationem ubi fama ad aures imperatoris detulit, ægre admodum ferens, & peccatum peccato superadjiciens, convocato suæ partis episcoporum, abbatum [a] & aliorum graduum (a) concilio, statuit ut Gregorius nulli eorum deinceps apostolicus esset, nec decretum ejus quisquam reciperet; & hoc facto sub omni celeritate Italiam adiit, Wicbertum quemdam Ravennæ civitatis episcopum in una civitate Italiæ pro Gregorio papam fecit, quem & Clementem nominavit. Porro si quando Gregorius causa cujuslibet rei agendæ Roma fuisset egressus, ipse subintrabat, illo revertente iste fugiebat. Illi ecclesiastica, major videlicet pars; isti Cæsariana pars præsidio erat. Sed quid ad nos ista pertinent? Potius in sua loca abeant; nos autem propositi nostri seriem prosequamur.

Egilbertus schismaticis addictus. [b]

31. Per idem tempus fuit in Bavaria de optimatibus Bavariæ ex clero quidam præpositus majoris ecclesiæ & scholasticus nomine (b) EGILBERTUS, qui vice quadam, cum episcopus loci illius ex præcepto Romani pontificis supra memoratum decretum in ecclesia sua recitaret, ausu temerario in faciem illi restitit, palam dans cunctis intelligere, quoniam & ipse cum Heinricanis vinculo teneretur anathematis. Constat enim, testimonium perhibente apostolo de malefactoribus, quod facientes & consentientes una sint pœna & sententia plectendi. Ille vero consentit, qui etsi renuere non valeat, favendo tamen, quantum in ipso est, maleficentium operibus communicat. Dicebat autem imperatori licere, nec idcirco consortium ecclesiæ amittere, si non spiritualia, sed regalia sua gratis, pretiove cui voluerit impendat: quæ utique non sua, sed juxta Romanam consuetudinem beati Petri vel ecclesiæ potiori jure possunt appellari. Sed utinam qui ad ecclesiasticæ dignitatis honorem venire desiderant, non ambitiose, quod minime decet, se ingerant, neque artificiosi colorem commenti simoniacæ hæreseos sibi machinamenta confingant, asserentes se non spiritualia sed terrena terrenis acquirere; cum sicut tempore, sic & in eorum mente primum sit animale deinde quod spirituale, & non tam appetant curam pastoralem quam honorem temporalem.

Anathemate percussus mittitur ab Henrico rege ad Wibertum.

Multis itaque sermonibus pro hujusmodi ad invicem collatis, cum vidisset eum episcopus incorrigibiliter simoniacæ parti, & nil penitus ecclesiasticæ assentire, jussit eum a communione ecclesiæ alienum existere, usque dum universali papæ præsentatus, unitati ecclesiæ per ipsum meruerit sociari. Proinde cum diutius intra se hæsitasset, demum voluntas ei Romam proficiscendi incidit. Verumtamen rege inconsulto ire illo noluit, a quo rege, inquam, accepta ad eum quem supra positum papam diximus, mandata detulit, & ab universali penitus declinavit. Et factum est dum rediret adimpletis negotiis pro quibus a rege missus fuerat, in redeundo audivit UDONEM fidei dignum memoria Treverensem archiepiscopum vita decessisse, & ob hoc regem Treverim adivisse, ut alium in loco ejus debuisset substituere; & hac fama comperta quamplurimum iter acceleravit, intra se cogitans, si forte maturius eo posset pervenire, pro impensa sæpius regi servitute hunc ei honorem posse succedere, quod & factum est; sed qualiter ad id ventum fuerit ignaros docebimus. Porro cum imperator jussisset ut quem sibi placere cognoscerent hunc ipsum eligerint, ut clerus unus post unum ex ipso eorum consortio hoc utique honore digniſſimos exhiberent; rex autem quotquot nominassent, nullum eorum sibi placere dixisset, nullus enim benevolentiam ejus digna taxatione præmerat, (c) jamque [c] in eligendo tribus diebus transactis, & quarto nihilominus die iterum ad diem congregatis omnibus, tanquam a Deo missus, si tamen dici potest a Deo dirigi via hominis, qui culpa sui meruerit ab ecclesiæ communione suspendi, venit, (d) & facta oratione sua, locutus est regi de his quæ habebat in mandatis: [d] quibus finitis, dixit rex: Quoniam diu in eligendo episcopum concordare non possumus, saltem in hunc conveniamus; & consensit ei ex episcopis qui electionis causa advenerant solus THEODORICUS episcopus Virdunensis, qui cognomento Magnus vocabatur, & pars aliqua populi Treberensis. Rex ergo nil moratus investivit eum, dans ei anulum & baculum sub die VIII. idus Januarii, anno Dominicæ incarnationis MLXXVIII.

Designatur a rege Udonis successor & investitura donatur.

32. Pontifices vero HERIMANNUS Metensis & BIBO Tullensis & residuus clerus & populus quantum in ipsis erat non assenserunt, quoniam ipsi tam idoneas personas exhibuerunt; resistere tamen regis voluntati non potuerunt verumtamen clerus & populus multum molestę ferentes tantam irrogari sibi violentiam, precabantur eos qui præsto erant episcopos, & cum interminatione auctoritatis apostolicæ interdixerunt, ne ipsum consecrarent episcopum, commonentes eos canonici illius decreti, quo præcipitur, ut nullus in episcopum nisi canonice electus consecretur. Quocirca episcopis in sua redeuntibus, Egilbertus benedictione non percepta remansit, & erat cupiens consecrari, nec potuit ab aliquo episcoporum ecclesiasticorum, qui ingressum ejus audissent, diebus quamplurimis impetrare. Tribus igitur annis fere transactis, cum res regi innotuisset, qui sub ipso tempore Roma rediens, multa ibi cæde patrata, & papa Gregorio fugato, quo certe nihil in diebus illis celebriori fama ora omnium adimplebat, se-

Episcopi catholici Egilbertum abjiciunt.

Hoque non consecratur.

(a) *Spicil.* Grandium. (b) Engilbertus.

(c) prævenerat (d) Hic suspicatur Brovverus episcopatum jam tum Egilberto promissum fuisse. *Quarto tandem die accessit*, inquit, *cui haud dubium episcopatum Henricus favore ac spe jam desponderat.*

cus

cus Alpes moram faciebat; directis epistolis ad supradictum Virdunensem episcopum, qui ei *summa familiaritate adhærebat*, petivit quatenus Treverensem metropolitanum quantocius consecrare studeret; quarum epistolarum exemplar hic inserere non videbitur abs re, quæ habebant hunc modum.

Henrici imperatoris litteræ ad episcopum Virdunensem

„ Rex HEINRICUS Dei gratia Romanorum imperator augustus THEODERICO episcopo dilectionem nulli majorem.

„ In primis te scire volumus, quia nulli melius quam tibi confidimus, nec episcopum „ Trajectensem fidei monitorem, sed ad honorem regni tractandum tibi missse cooperatorem: deinde ad singula quæ mandasti negotia „ singula damus responsa, sed brevissima, quia „ infinita tibi reservamus ore ad os dicenda.

„ Si quidem hoc quod in margine epistolæ „ *tuæ de Romano negotio nobis mandasti*, in„ primis dicemus tibi. Romam in die S. Bene„ dicti intravimus: qualiter autem a Romanis „ recepti simus, qualiter cum Romanis stete„ rimus, qualiter a Romanis discesserimus, ab „ aliis multis te audisse credimus, tum etiam „ litteris nostris tibi indicavimus, quas te non„ dum vidisse putamus. Sed & mallemus alio „ quam nostro ore te rescisse quæ nobis fecit „ Dominus. Incredibile enim videtur quod ve„ rissimum probatur, quod factum est Romæ, „ ut ita dicam, cum decem hominibus in no„ bis operatus est Dominus, quod antecessores „ nostri si fecissent cum decem millibus miracu„ lum esset omnibus. Nam cum in Teutonicas „ partes de adquirenda Roma jam desperantes „ redire vellemus, ecce Roma missis legatis ut „ Romam intraremus rogaverunt, seque nobis „ in omnibus obedituros promiserunt, quod & „ fecerunt. Summo namque gaudio nos intran„ tes receperunt, summo studio secum manen„ tes adjuverunt; summo triumpho & fide ab eis „ recedentes prosecuti sunt nos, in tantum ut „ in Domino fiducialiter dicamus, quia tota „ Roma in manu nostra est, excepto illo castel„ lo in quo est *Hiltebrand*, scilicet in domo Cres„ centii, quem Hiltebrandum legali omnium „ cardinalium ac totius populi Romani judicio „ scias abjectum, & electum papam nostrum

Antipapæ Clementis & Heinrici coronatio.

„ CLEMENTEM, in sede apostolica sublimatum „ omnium Romanorum acclamatione; nosque „ a papa Clemente ordinatum, & consensu om„ nium Romanorum consecratum in die S. pas„ chæ in imperatorem, totius populi Romani „ exultatione. His ita factis, benedictione Dei & „ S. Petri, omnium gaudio a Roma recessimus, [a] „ & quantocius (*a*) possumus ad has partes pro„ peramus, & in via reditus invenit nos tuus „ nuntius. Gaudeant qui velint, doleant qui „ velint, nos Deo propitio assumus. Dominus „ ille quid agat scire non curamus, sed, quod „ tu monuisti, libenter ne damnum nobis faciat „ providebimus. De Saxonibus vero, de Salzbur„ gense archiepiscopo, de comite ADELBERTO,

(*a*) Spicil. *quantocitius*.

& de aliis ad nos redire volentibus, id *tibi* « respondemus, quia consiliis tuis libenter ac« quiescimus, ut tantummodo pax vera fiat in « nostris temporibus, videlicet ut fideles sint « cum ad nos redierint. Tu autem si non grava« ris facere quod volumus, Augustam ad nos « venire post festum apostolorum Petri & Pauli « rogamus, qui Deo favente in festivitate eo« rum Ratisponæ erimus. Studeas ergo ad nos « venire, ut tuo adventu possis nos lætificare. « Insuper tibi mandat apostolicus Clemens & « imperator, ut sicut nos diligis, ita archiepi« scopum Treverensem velociter consecrare « properes. Vale.

33. Has igitur epistolas cum præfatus Theodericus acceptas legisset, noluit quidem quod petebatur libenter adimplere, sed attonitus rerum magnitudine, non potuit in corde credere ita se omnia habere, sicut scriptura referente cognoverat. sed & recordatus quod a clero Treverensi ne id faceret apostolica auctoritate sibi interdictum fuisset, ne forte adversus eum exinde potuissent quandoque idoneæ accusationes consurgere, congruum duxit super hoc litteras mittere Romano pontifici, in quibus & meminit depulsionis ab episcopatu HERIMANNI supra dicti Metensis, ac sibi injunctæ reconciliationis, ut videlicet ipsius interventione Herimannus loco suo restitueretur: quod licet satis laboravit, non tamen tunc, sed postea obtinere potuit. Litterarum autem quas mittebat hic erat modus.

Theoderici Virdunensis epistola pro Egelberto ad Gregorium VII.

GREGORIO summo pontifici, carissimo do« mino, reverendissimo patri, THEODERICUS « Virdunensis episcopus qualiscumque, tamen « suus, dilectionem quam patri filius, subjectio« nem quam prælato subditus, servitutem quam « domino servus. «

Posse tibi obedire *maxima mihi* est jocun« ditas, posse servire non parva hilaritas. In quo « enim venerabor te, in eo beatum Petrum: « in quo obediendo, serviendo, te mihi con« ciliabo, in eo beatum apostolum. Monitus a te « susceptum confratrem meum Metensem, ut te ip« sum, attendens illud Dominicum: *Qui vos* « *recipit, me recipit*, causam ejus meam feci, « negotium ejus meum existimavi, eadem no« bis adversitas, eadem fuit prosperitas. Ad « hoc me invitavit mutua fraternitas, debita ca« ritas, sed præcipue jussio tua, benivolentia « tua, & habita in me fiducia. Præterea Treve« rensis ecclesia cum gravi dolore pedibus pa« ternis advolvitur; filia dominum pulsat, in« consolabile sui detrimentum his temporibus « me mediante deplorat, vidua per biennium « fere, quanta passa est & patitur, quantum « afflicta est & affligitur, foris pugnæ, intus ti« mores, elegit virum de plebe, dignum sacer« dotem, idoneum patrem communi assensu, te« ste conscientia mea coram Deo & coram te, « quod nihil simoniacum contra jus ecclesiasti« cum intercurrerit, quod nihil simoniacum «

„ etiam petitione remota intervenit. Conse-
„ crationem ejus miramur differri, dilationem
„ tam gravem miramur potuisse tibi inculcari.
„ Illud maxime, quod pateris hac desolatione
„ nos adeo gravari. Gravissimum onus est mihi
„ solum esse in medio nationis pravæ & perver-
[a] „ sæ, solum patre & fratre, illo expulso, (a) alio
[b] „ non consecrato. (b) Si ecclesiam, si statum Chri-
„ stianitatis curas, locum nostrum respicias, &
„ cum vita patris in omnibus spectata ordina-
„ tionem mereatur, Metensi & me tuo exau-
„ dito, nullius detractione ulterius remoretur.
„ Persolvit tibi quod patri filius, quod præ-
„ lato subditus. *Deinde quibusdam interpositis in fine ita concludit:* „ Quomodo rex sit tecum, & tu cum rege mihi rescribas tuo. (c)

[c] Egilbertus Moguntiæ consecratur.

34. Denique his quæ decursa sunt Romam directis, appropinquante tempore quo se rex venturum per epistolam supra scriptam ipsi mandaverat, sicut jussus fuerat, venire ei obviam parabat; veniensque Moguntiam, ibi forte complures episcoporum in occursum regis cuntium reperit: ad quos facta oratione, quoniam confratres sui, suffraganei videlicet ecclesiæ Treverensis supra nominati episcopi Herimannus Metensis & Bibo Tullensis, ob invidiam regis metropolitani sui consecrationi noluissent interesse, petivit ex ipsis causa caritatis sibi eos cooperatores fieri, & obtinuit. Itaque assumtis secum qui plus ceteris erga ipsum benigni videbantur, convenit ejusdem sedis archipræsulem, & Egilbertum consecravit præsulem.

Egilbertus in clerum & populum sævit.

35. Porro cum fuisset ordinatus, paucis interjectis diebus Treverim venit, & cœpit cum his qui, ut ita dicam, ipsum noluerant regnare super se, tyrannico more agere, ut deinceps ab ejus impugnatione desisterent: majoribus quibus plus nocere non potuit, ex rege timorem incutere; invalidæ vero plebis, quæ se adversus eum defendere non potuit, bona quacumque occasione diripere. Tunc hi qui plus ceteris ausi sunt ei resistere, dixerunt:

Maledicta ejus dicuntur.

„ Quoniam ad hunc pontificatus honorem, &
„ tunc & nunc ingratus nobis accessisti; sed & quia
„ ab homine laico & excommunicato episcopa-
„ lia suscepisti, episcopalia inquam, annulum &
„ baculum præsertim, cum in canonicis decretis,
„ laicis, quantumvis religiosis nulla de ecclesiasti-
„ cis rebus aliquid disponendi sit tributa facultas,
„ idcirco non poteris episcopari, nec nos tibi
„ communicare. At vero si insuper debes in
„ gradu suscepti honoris consistere, oportet te
„ Gregorio catholicæ ecclesiæ summo pontifi-
„ ci obsequi & obedire, hæretico illi supra po-
„ sito penitus abrenunciare, hæretico, inquam,
„ juxta illud quod beatus Gelasius papa & mar-
„ tyr in epistola quadam universis orientalibus
„ episcopis directa, de hujusmodi suprapositis
„ scribens ait: *Quid ergo facimus de tot tantisque*
„ *civitatibus, ex quibus catholici pontifices reje-*
cti sunt, si catholici sunt subrogati, cur catholici sunt rejecti? sed evidenter apparet, quia cum catholici sunt rejecti, non catholici fuerunt qui subrogati sunt. Restat igitur ut non sint catholici sed hæretici quicumque successerunt. Item. *Quis non videat esse catholicos & ab omni peste hæreseos prorsus alienos, qui a propriis urbibus detrusi & in exiliis sunt redacti, & eos qui superstitibus catholicis successores fieri ausi sunt, catholicos omnino non esse. His adde & illos qui se prius talium communioni conjunxerunt.* Quæ contra Egilbertus respondit velle se vitam dare potius, quam illi qui eum ad hunc honorem provexisset infidelis existere: numquam velle Gregorio obedire quamdiu ipse nollet amicitiam regis inire.

Sacros impetrire ordines cupit, clerus obsistit & ordinatur cusa.

36. Interea dum hæc & his similia contendentes tractarent, appropinquabat jejunium quatuor temporum, quo consuetudo est ecclesiæ promoveri eos ad ordinem clericatus, qui promovendi sunt; & hoc iste omni nisu affectabat facere, non amore justitiæ, sed ut potuisset majorum quempiam sibi advincire, ut videlicet ab ipso consecrati, postea ipsi essent obnoxii, & quomodo suam ab ordine suspensionem, ita pertimescerent ejus ab episcopatu depositionem. Cujus intentionem cum resciscent, dixerunt: " Quia pallium " quod a Romana ecclesia metropoli nostræ " debetur, nondum es adeptus, impositionem " manus a te suscipere nolumus, maxime cum " in canonibus decretum sit: si quis episcopus " metropolitanus sine pallio consecrare præ- " sumserit, & consecrator & consecratus gravi " ordinis sui periculo subjacebit; quod utique " si debes acquirere, necessarium habes erga " papam, quem adeo despicis, Gregorium te humiliare, ut merearis recipere. Quid multa? expositis ei idoneis causis, pro quibus non debuerit ordines facere, abstinuit, & paucis diebus interpositis, quemdam subditorum (d) suorum nomine Theodericum, monachum scientia litterarum valde præditum, misit quæsitum Clementem suum apostolicum, & inventum transmittere sibi expeteret pallium. At ille Clemens gavisus, quod aliquis ipsum pro accipienda benedictione respiceret, quod petebat transmisit, cum litteris docentibus, quibus temporibus foret usurus, quas quia auctoritas non roborat, at magis vero infirmat, hæreticorum enim & excommunicatorum decreta fidelis quisque non recipit, idcirco memoriæ commendare non curavimus.

(d) Theodericum monachum pro pallio Romam mittit.

Libellos duos contra Gregorium is sparserat.

37. Hic autem quem jam nominavimus Theodericus, de sæpe dicto papa Gregorio pontifice duos libros edidit, in quibus mendaciis multis compilatis, quæ non ipso melius concinnare quis novit, Gregorium infamem fecit, regis vero & sui papæ innocentiam & sanctitatem commendavit. Pro quibus editis iste, de quo loquimur, Egilbertus abbatiam

(a) Hermanno Metensi. (b) Ipso Egilberto Trevirensi.
(c) Spicil. *rescribas ore.*
(d) Spicil. *Consentaneum suo nomini Theodericum nuchromantiacum professione monachum, &c.*

ſancti Martini ſupra littus Moſellæ, defuncto beatæ memoriæ SIGEBERTO abbate (a) eodem die regendam dedit: quam ipſe felix abbas quantum potuit, rexit, & eccleſiam ipſam reparavit. Nam ipſa abbatia prius quidem erat in rebus admodum ſufficiens, (b) ſed peccatis exigentibus, ejus temporibus ita eſt deſtituta, quod monachi qui ibi Deo ſerviebant, niſi aliunde conquirerent, nec neceſſaria vitæ haberent.

[a] Roma reverſus ſancti Martini abbatia donatur.

[b]

Sororem ſuam Egilbertus in Horrenſem parthenonem introducit.

38. Eſt & aliud quoddam geſtorum ejuſdem Egilberti, quod pro facti ſimilitudine iſtic libet inſerere. In monaſterio puellarum Horrei defuncta IMIZA ſummæ ſtrenuitatis ancilla Dei, matre cœnobii, renitentibus omnibus ibi Deo famulantibus, præpoſuit quamdam neptem ſuam (c) fratris ſui filiam nomine LUITGARDAM, quod cum pace, ſalvo honore profeſſionis ſanctimoniæ dixerim, Deus ſcit quia non mentior, arte magam, veneficam incantatricem, blaſphemam. De qua cum epiſcopus modis omnibus niteretur, ut ibi eam præficeret, ſanctimonialibus omnibus puſillis cum majoribus ſine ceſſatione tam die quam nocte Deum & ſanctam ejus genitricem, & cui ſerviunt, ne hoc fieret orantibus, cuidam ex earum collegio, quæ ceteris frequentior orationi incumbebat, inter verba orationis, ut divinæ erat voluntatis obdormienti, talis oblata eſt viſio. Vidit ſanctam Dei genitricem in medio Angelorum ſtantem, & beatas virgines IRMINAM, MODESTAM, ANASTASIAM, quæ in diebus ſuis ipſi loco præerant, coram ea conſiſtentes, & vultus quaſi mœſtos exhibentes, & ſanctam Dei matrem ita ſe alloquentem: „ Auſculta filia, inquit, cum illuxerit dies, (erat enim hora matutina) indica ſororibus tuis ex me; quia peccatis veſtris exigentibus, decrevit Deus ut ipſa de qua petitis abſolvi, flagelli vobis loco proveniat, & tam diu maneat, quouſque pro afflictionibus vobis ab ipſa irrogandis, de diuturnitate „ vitæ ipſius pigeat. Verumtamen noveritis ip„ ſam ex prælatione iram Dei in ſe provocare, „ vobis vero non plus officere, niſi quod ſuper „ deſtitutione hujus loci noſtri videbimini ſuſ„ ferendo laborare. Itaque cum fuiſſet intronizata (d) cœpit de bonis eccleſiæ juxta illud Ma„ chabeorum diabolicum magnum exercere, & „ ut verum fatear, licet imprudenter loquar; „ alia concubitoribus diſtribuere, alia vende„ re, poſtremo, ut breviter concludam, pau„ cis eccleſiæ derelictis, omnia in uſus ſuos con„ vertere, ut poſſes liquido perpendere veridi„ cam Dei genitricis ſententiam ſupradictam exiſtere, ipſam ex prælatione iram Dei in ſe provocare.

[c]

[d]

(a) Spicil. & Libnits: *Eadem die illi retributionem dedit, quo utique malo ſi majus non feciſſet, ad perpetuam ſibi damnationem ſufficere potuiſſet. Nam ipſa &c.*

(b) al. *Sufficiens, at nunc ab hoc eſt adeo annihilata, ut monachi quoque, qui divinis ibidem mancipati erant ſervitiis, niſi aliunde, &c.*

(c) Obſervat Libnitius hunc locum in alio codice longe aliter legi hoc modo: *fratris filiam nomine Luitgardam (ingurdam) corpore quidem valde juvenculam & ſpecioſam & ſecundum ſuam ætatem litteris eruditam, moribus honeſtam*, hunc vero corruptum hic eſſe codicem ab aliquo qui & Egilberto & Luidgardi favebat, vel ipſa textus ſeries indicat.

(d) al. *Inthroniſata, cœpit Deo ſervire, favores eccleſiæ procurare, & vexit illam annis XL. uſque ad tempora domni archiepiſcopi Adalberonis, qui primo fuit Metenſis primicerius, poſtea Trevirorum archiepiſcopus & Romanæ ſedis legatus. Hujus temporibus abbatiſſa Luitgardis felicis memoriæ obiit, & ante eccleſiam in pace quieſcit. De nique aliquantis annis &c.* Et hic ab aliquo adulatore corruptus eſt textus.

Egilberti in ſchiſmate pertinacia.

39. Denique aliquantis annis tranſactis EGILBERTUS cœpit ſe ſatis admodum officio dignum exhibere, niſi ſolum quod ab excommunicatorum, regis videlicet & Clementis ſe noluit communione ſequeſtrare. Propter quod BRUNO, qui in ei epiſcopatu primo loco ſucceſſit, omnes quos ille ordinavit, iſte ab officio ſuſpendit, nec remotos ad priſtinum gradum admiſit, niſi qui ſe legitimo Romanæ eccleſiæ pontifici obediturum ſupra ſanctum evangelium fidem fecit. Complura memoria digna de hujus Egilberti probis actibus, quæ per ipſum vel ſub ipſius temporibus geſta ſunt, ſeniorum relatione ad noſtram notitiam devenerunt: quorum aliqua, ſi quidem vel aliquam ejus memoriam cum pace eccleſiæ fieri liceat in benedictione, curabimus inſinuare.

40. Quædam præpotens matrona comitiſſa de caſtello quod *Aralune* dicitur, mater videlicet comitum WALRAMI & FULCONIS, marito ſuo defuncto, aſtipulantibus filiis & filiabus ſuis proprietatis ſuæ bona in eccleſia Trevirenſi beato Petro tradidit, & amplius recepit, ſub conditione quam precariam nominant; ita videlicet, cum ipſa de hac luce migraret, utraque ſimul data & accepta in beati Petri & epiſcopi jus libere tranſirent, & quod epiſcopo ex his facere placuiſſet liberam poteſtatem haberet. Hujus comitiſſæ neptem filii filiam, HEINRICUS quidam dux, cujus ditionis erat caſtellum, quod vulgo *Limpurch* nominatur, in matrimonium duxit, qui decurſo aliquanti temporis ſpatio, eadem bona eccleſiæ tollere & in ſuos uſus vindicare ſtudebat; propter quod cum ſæpius fuiſſet ab epiſcopo ad ſatisfactionem vocatus, & nollet deſiſtere, ſequeſtratus eſt a communione eccleſiæ; cumque nec ideo manus ſuas ab incœpta malitia contineret, imo magis & alia epiſcopatus bona devaſtaret, epiſcopus maledixit ei anathemate maranata: cui nec ſic quidem ab impugnatione deſiſtenti, ſed adverſus ipſam civitatem Treverim cum magna armatorum manu venienti, epiſcopus convocata ad ſe liberorum & miniſterialium eccleſiæ multitudine gravi, ſtatuto die occurrit, & adjutorio Dei & beati Petri iſtius partis ſatis admodum modico, illius vero permaximo detrimento & confuſione, eum ad propria redire coegit. Poſt multum vero temporis cum idem dux inflictum ſibi anathema parvipenderet, & in malis ſupradictis & ſimilibus perſeveraret, accidit ut quidam de militibus ejus die quadam in domum ejus adveniſſet,

Marchionatus Arnenſis donatio facta eccleſiæ Trevir. impugnatur ab Henrico Limburgio.

Qui excommunicatur a Egilberto.

Et rebellis vincitur.

& facta hora prandii appoſita menſa coram ipſo, panem comedere deveniſſet, & dux illi illudens; „ ſurge, ait, & foras egredere, » coram me comeſturus non es, excommunicatus enim es; & ille, ubi, inquit, & quis me » præter eum qui & te excommunicavit? Cui » dux ait: Ecce nunc vide, jam parebit, ſi ita » ſumus excommunicati, ut aliquæ nobis moleſtiæ poſſint accidere; ſi hic canis, qui forte illis edentibus aderat, buccellam quam illi » dedero comederit, non pertimeſco; ſin autem, timeſcenda eſt nobis excommunicatio » & petenda reconciliatio. Et hoc dicto, miſit buccellam, quam canis, ut naribus adhibuit ultra contingere non curavit; & ne quis hoc canis ſaturitati imputare potuerit, cum alius illi buccellam mitteret, feſtinus arripuit. Unde omnes qui aderant ſumma admiratione ducti, una voce dixerunt: oportere eos ad ſatisfactionem venire. Et ita fecerunt. Sit ergo nomen Domini benedictum in ſæcula, qui ſacerdotum licet peccatorum, tamen in multitudine clementiæ preces exaudit, & quod noſtra pravitas in terris ligat, apud ipſum quoque ligatum eſſe confirmet, juxta quod ipſe beato Petro, & per ipſum eccleſiæ promiſit dicens: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis.*

Quam metuenda ſit excommunicatio.

41. Ea tempeſtate populus multus utriuſque ſexus ex omni terra & natione Jeruſalem ire intenderunt, & totis deſideriis anhelabant pro Dei & fidei amore aut ipſi mortem ſuſcipere, aut incredulorum colla fidei ſubjugare, & hac mentis intentione incitati, decreverunt primum Judæos in civitatibus & caſtellis ubicumque habitarent perſequi, & cogere illos aut Dominum Jeſum-Chriſtum Deum credere, aut ſub ipſa hora vitæ periculis ſubjacere; cumque eodem fervore incitati, civitati Treverorum appropinquaſſent, Judæi qui ibi habitabant, ſimilia ſibi arbitrantes fieri, quidam ex eis accipientes parvulos ſuos defixerunt cultros in ventribus eorum dicentes: ne forte Chriſtianorum veſaniæ ludibrio fierent, debere eos in ſinum Abrahæ tranſmittere. Quædam autem ex mulieribus eorum, aſcendentes ſuper pontem fluminis, & adimpletis ſinibus earum & manicis lapidibus, præcipitaverunt ſe in profundum. Reliqui vero, quibus adhuc vivere cordi erat, aſſumtis ſecum rebus ſuis & liberis, in palatium, quod eſt azylum Treverorum, ubi ipſa hora Egilbertus manebat, confugerunt, & cœperunt lacrymis flagitare ſuffragium. Ille vero nacta opportunitate ſuper converſione eos admonens, ita exorſus eſt: Miſeri nunc venerunt ſuper vos peccata veſtra quæ operati eſtis, filium Dei blaſphemando, & ſanctiſſimæ ejus genitrici detrahendo, ipſum quidem in carne veniſſe negando, & matri ejus ſuperfluitatibus verborum veſtrorum derogando. Ecce jam hujus rei cauſa ad ſummam vitæ veſtræ deſperationem deveniſtis, & vobis ego dico, ſi in hac infidelitate veſtra perſeveraveritis, corpore ſimul & anima peribitis. Vos pro ſimilitudine patrum veſtrorum, qui ante Chriſti adventum ipſum in carne venturum crediderunt, vobiſmetipſis blandientes, profecto niſi jam ipſum veniſſe, & quæ ad redemtionem humani generis ipſum acturum ſcripturæ referunt, adimpleta eſſe cognoveritis, ipſi vos fallitis. Quæ vos ſtultitia vel magis duritia coarctat, ut cum prophetica ſcripta legatis, non retractetis vobiſcum cogitantes, quam brevis temporis ſpatium adventus ejus in carne Daniel commemorat, & quot exinde anni defluxerunt? *Septuaginta*, inquit, *hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio prophetæ* (a) *& ungatur ſanctus ſanctorum.* Nonne ſi ſcientiam litterarum veſtrarum bonam haberetis; utique magnum vobis poſſet exiſtere gaudium & fidei incitamentum de aſſumtione generis veſtri in Deum? Hoc autem dicebat, quia, ut quidam ſanctorum dicit, infidelibus eſt blandiendum ut ad fidem convertantur, & ipſi Judæi de generis ſui nobilitate gloriantur. Et adjunxit: Nunc itaque acquieſcite petitionibus meis & conſiliis, & convertimini & baptizemini, & ego reſtituam vos cum pace & ſalute poſſeſſionibus veſtris, & deinceps ab adverſantibus tuebor vos.

Dan. 9.

[a]

Sub ipſum belli ſacri initium in Judæos ubique animadvertitur.

Qui Treviris filios ſuos trucidant.

Alii in palatium confluentes, ad baptiſmum invitantur.

Et tamen baptiſmum.

42. Cum hæc & his ſimilia ad illos diceret, unus ex illis legis doctor, cui nomen erat Michæas, cœpit dicere: "Vere ſicut dixiſti, neceſſum eſt nobis magis Chriſtianorum nos fidei jungere, quam de die in diem taliter vitæ noſtræ & poſſeſſionum periculis ſubjacere. Age ergo quomodo credere debeamus ediſſere, & adjuva, quatinus liberemur de manibus eorum qui foris ſunt quærentium nos perdere. Et ait epiſcopus: "Hæc eſt fides catholica, ſine qua nemo ſalvari poteſt, ut credatur in Deum Patrem omnipotentem creatorem omnium creaturarum, & in Jesum-Christum filium ejus, qui cum patre unius eſt ſubſtantiæ, quem Deus Pater ante omnia tempora genuit nativitate ineffabili, de qua dicit Eſaias propheta: *Generationem ejus quis enarrabit?* Qui quidem cum homines per multimoda vitia incedentes ad tantam devenirent inſipientiam, ut neglecto creatore ſuo, debitum Deo idolis manufactis honorem impenderent, ſicut eſt infinitæ miſericordiæ, condoluit perditioni eorum, & ut eos ab errore & perditione quæ de hac vita decedentes excipiebat, liberaret; manens quod erat ſuſcepit quod non erat, ex voluntate Patris, cooperante Spiritu ſancto, homo verus per immaculatæ Virginis uterum ſine viri ſemine natus eſt; quem quia filium Dei eſſe & dicebat, patres veſtri crucifixerunt, & vos ſuo maledicto devinxerunt, dicentes: *Sanguis ejus*

Iſai. 53.

Matth. 27.

(a) *al.* Et prophetia.

ſuper

„ *ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Verumtamen
„ hoc vos maledictum evadere poteſtis, ſi in
„ ipſum firmo corde crediderit, & de pec-
„ catis veſtris ipſum vobis propitium fieri ro-
„ gaveritis. Qui poſt paſſionem ſuam effracto
„ inferno & his qui in adventu ejus crediderunt
„ inde erutis, die tertia Deus verus & homo
„ reſurgens a mortuis abhinc die quadrageſi-
„ ma videntibus qui digni erant, ad cælos aſ-
„ cendit, ubi ſedet in dextra Dei Patris ſui,
„ æqualis ei & coæternus in divinitate, inde
„ venturus in judicium in noviſſimo dierum,
„ Deus verus & homo, reddere unicuique
„ prout geſſit in corpore ſive bonum ſive ma-
„ lum.

„ 43. Nec minus credendum eſt in Spiritum
„ ſanctum, qui ex Patre & Filio procedens, uni-
„ verſa condita vivificat, æqualis & conſub-
„ ſtantialis per omnia in divinitate Deo Patri &
„ Filio. Propter quod & fides Chriſtiana trium
„ Deitatis perſonarum unam prædicat eſſen-
„ tiam, æqualem majeſtatem. Hanc fidem ca-
„ tholicam per orbem confitetur eccleſia, in
„ qua unum datur baptiſma in remiſſionem
„ peccatorum credentibus, in qua juſte & pie
„ viventes poſt hujus vitæ decurſum corporibus
„ noſtris eiſdem, quibus nunc paremus, im-
„ mortalitate veſtitis. Præterea ſperamus com-
„ munionem ſanctorum percipere, & fruituros
„ nos æterna beatitudine; male vero operan-
„ tes non confeſſos & inemendatos in æterno
„ arſuros incendio.

44. Tunc Michæas, is videlicet, quo hortante hanc fidei editionem epiſcopus exorſus eſt, ait: „ Teſtificor tibi per Deum, quia „ quod locutus es credo, & ecce jam Judaiſmo „ abrenuntio, & quæ nunc mihi non ſatis ple- „ ne ſunt intellecta, cum nobis tempus pacis & „ tranquillitatis adveniet perquirere curabo; „ tantum accelera nos baptizare, ut poſſimus „ manus quærentium nos evadere. Similiter & alii omnes dixerunt. Tunc epiſcopus baptizavit illum, nomen ſuum imponens ei, alios autem presbyteri qui aderant, baptizabant. Sed ut de cetero taceam, aliis omnibus inſequenti anno apoſtatantibus, iſte adhærens epiſcopo in fide permanſit. Non ergo audebo nunc dicere, quod iſtius converſio ſit animæ convertentis ſalvatio, cum ſcriptum ſit, *quia qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ ſalvabit animam ejus a morte.* Ejus, inquam, id eſt ſuam & converſi, cum ad Ezechielem Dominus dixerit; quod ſi annuntiaverit impio viam ſuam malam, & ille converſus non fuerit, ipſe tamen non amiſerit, ſic enim dicit: *Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit converſus a via ſua mala, ipſe quidem in iniquitate ſua morietur: tu autem animam tuam liberaſti.*

Omnes excepto uno Michæa in priſſimos errores dilapſ.

Jacob 5. 20.

Ezech. 3. 19

45. Præterea multa alia bona operatus eſt quæ enumerare longum eſt. Hoc tantum ſciendum, quod eleemoſynas pauperibus largas faciebat, & eccleſiis bona plurima conferebat; ſed & ab anteceſſoribus ſuis ablata aliquibus reconſignavit; quorum teſtamenta in ejus memoriam in bibliothecis uſque hodie ſunt recondita. Quæ omnia ego puſillus, qui hæc ſcribo, ad redemtionem animæ ejus profutura poſſum optare, ſed ſententiæ beati Auguſtini non audeo præjudicare; dicit enim: Omni homini qui eccleſiæ catholicæ non tenet unitatem, neque baptiſmus, neque eleemoſyna quamlibet copioſa, neque mors pro Chriſti nomine ſuſcepta proficere poterit ad ſalutem, quando in eo vel hæretica vel ſchiſmatica pravitas perſeverat, quæ ducit ad mortem. Mortuus eſt autem anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo primo, nonas Septembris, & ſepultus eſt in eccleſia majori, domo videlicet S. Petri apoſtoli. Sedit in epiſcopatu annos viginti duos, menſes octo, dies tres; & vacavit epiſcopatus fere menſes quatuor.

Engilbertus moritur ſchiſmaticus.

46. In diebus illis fuerunt ex copioſo Trevericæ civitatis clero quamplures hac ſacerdotii ſucceſſione digniſſimi, inter quos erat quidam BRUNO nomine Francus natione, inſignis nobilitate, ut pote quem pater Arnoldus comes ex nobiliſſima matre ADELEIDA genuerat, forma præſtantiſſimus, litteris ſatis eruditus, conſilio cautus, plus quam dici poteſt munificus; (a) quibus ita erga ſe principes devinxerat, ut non ſolum præpoſituris majorum eccleſiarum in Treviri & Spira, verum etiam beati Florini in Confluentia & archidiaconatus eum dignitate ſublimaſſent. De hoc ſuggeſtum eſt imperatori, ut eum Trevericæ præficeret eccleſiæ. Eo ſiquidem anno HENRICUS, rex quartus, imperator tertius, habita curia natalem Domini celebravit in Maguntia, ubi eum adeuntes cives Treverici petierunt ſibi epiſcopum dari; quibus mox petentibus principibus & civibus conſentientibus, Brunonem eis conſecrari juſſit. Denique ibidem ordinatus eſt idus Januarii, ADALBERONE Metenſis eccleſiæ epiſcopo oleum ſacræ electionis imponente, JOHANNE Spirenſi, RICHERO Virdunenſi cooperantibus, & aſſiſtentibus archiepiſcopis RUTHARDO Maguntienſi & FRIDERICO Colonienſi, & aliis quamplurimis epiſcopis.

De Brunone archiepiſcopo.

Ejus genus & ingenium.

[a]

Moguntiæ conſecratur.

47. Itaque ordinatus venit Treverim die purificationis S. Mariæ Dei genitricis, & cum magno populi gaudio ſuſceptus eſt. Anno autem ordinationis ſuæ tertio, menſe Martio Romam profectus apoſtolorum gratia & percipiendæ benedictionis magiſtri ſui cauſa, invenit domnum PASCHALEM univerſali ſynodo præſidentem, papatus ſui jam octavum annum agentem, a quo honorifice ſuſceptus, utpote Belgicæ Galliæ primæ metropolis præſul magnificus, ad cujus præſulatum ex permiſſione beati Petri apoſtoli ſuorumque ſucceſſorum apoſtolicorum, quos enumerare longum eſt, inviolabilium teſtamentorum

Treviros accedit & tertio poſt anno Romam proficiſcitur an. 1104.

(a) Spicil. *Magnificus; quibus rebus ita, &c.*

roboratione totius Galliæ atque Germaniæ pertinet primatus. Ita enim sanctus Silvester beato Agritio IV. episcoporum Trevirensium, quorum nomina cognita habemus, scribit inter cetera dicens:

Sume prioratum post Alpes Trebir ubique.
Quem tibi lege nova Roma dat & veteri.

Honorifice inquam susceptus, sed quoniam Romæ in concilio episcoporum asperrime corripitur de investitura laica, &c. episcopalia, annulum videlicet & baculum per manum laicam susceperat, atque quia ecclesias dedicasset, & clericos necdum pallium consecutus promovisset, multum aspere correptus est, & decernente episcoporum ibi congregatorum concilio, pontificatus officium deposuit; quod tamen ipsis intervenientibus, quia discretio ejus & prudentia officio & tempori conveniens erat, post triduum non sine admissorum pœnitentia recuperavit. Injuncta est autem pœnitentia, ut quotiens in spatio trium annorum missarum solemnia celebraret, dalmatica non uteretur, quod ipse humiliter implet. Deinde accepta tam apostolici, quam totius synodi benedictione, pallii honore donatus, atque de regula fidei firmiter observanda instructus, atque de institutione commissi gregis diligenter admonitus, in sua cum gaudio remeavit.

Conciones frequenter habet ad populum. 48. Tum vero juxta magistri institutionem magis quam ante operibus justitiæ cœpit insistere, & verbum sacræ exhortationis, quasi mensuram evangelici tritici Dominicæ familiæ fideliter erogare; & quod prædicavit ore studuit operum executione confirmare, attentius illud beati Gregorii mente pertractans: *Cujus vita despicitur, restat ut & prædicatio ejus contemnatur.* Fuit enim constans in oratione, devotus in eleemosynarum largitione, pius in viduarum & pupillorum defensione, excidia domorum Dei nulla sumtus magnitudine motus reparabat; & si quispiam Deo famulantibus aliquid intulisset injuriæ, impune præterire non sinebat. Verum ut breviter concludam, talem se omnimodis exhibebat ut in administrandis quoque regni negotiis, ex omnibus principibus consilio, sapientia & auctoritate nullus eo sublimior haberetur, adeo ut imperator patrem suum eum vocaverit, & majorem ceteris ei honorem impenderit; sed & ab omnibus episcopis, quocumque se conventui eorum ingessisset, ut pater quidem diligebatur, sed ut major venerabatur.

Creatur regiæ curiæ vicedominus [a] [b] 49. Igitur quoniam in rebus sibi commissis strenuissimus extitit, defuncto imperatore, (a) communi consilio principum (b) vicedominus regiæ curiæ effectus est, & regnum regnique heres, Heinricus videlicet nominis ejus quintus rex adolescens circiter annos XX. ei committitur, ut & regnum sua prudentia disponeret, & heredem regni morum suorum honestate & disciplina, qua ipse præ omnibus pollebat, informaret, quousque in virum perfectum ætate & sapientia succrevisset; quem susceptum tamdiu educavit, usque dum Adelberti nunc cancellarii, postea Moguntiensis episcopi detractionibus exasperatus, regni & heredis providentiam proceribus reconsignavit. Adalbertus Moguntinus archiepiscopus Bremensium infensus.

50. Quantæ autem pietatis extiterit exinde quis colligere poterit, qui noverit quod quantumlibet quispiam ei molestiæ irrogasset, si revertens veniam postulavit, facillime ad misericordiam motus indulsit. Unde factum est ut cum idem Adelbertus, cujus supra memini, Moguntiensium jam novus electus, ob illatas regi molestias a rege captus & in carcerem retrusus, (c) non inde prius exire potuisset, quam iste, Bruno inquam, faciendo fidem numquam illum regi nociturum, pro ipso se obsidem regiæ custodiæ dedit. Quid multis moror? Denique cum tanta solertia ac sapientia ab ipso res acta est, ut cum in diebus illis de venalitate sanctæ ecclesiæ, scilicet de contradictione venditionis episcopatuum, abbatiarum & aliarum quarumcumque ecclesiasticarum dignitatum inter regnum & sacerdotium, sicut superiori sermone decursum est, ageretur, ita Catholicorum amplexus sit consortium, ut imperatori debitum non denegaret obsequium, neque ita se Cæsarianorum communione contaminaverit, ut Catholicorum offensas incurreret. Propter quod contigit ut sua prudenti meditatione imperator apostolico obtemperaret, & deinceps desinerent esse discordes; quod ut facere non omitteret, quoniam omnibus supereminebat auctoritate, multorum episcoporum exhortatoriæ ad ipsum directæ sunt epistolæ. Quicumque Adalbertum eodem existente Henrici gratiæ non esse interponit. [c]

Nunc autem superest ut gestorum ejus quoddam memorabile, cui me contigit interesse, debeam declarare.

51. Ivodii, quod Trevericæ diœcesis appendicium est, fuerunt eo tempore hæretici qui substantiam panis & vini, quod in altari per sacerdotes benedicitur, in corpus Christi & sanguinem veraciter transmutari negabant, nec baptismi sacramentum parvulis ad salvationem proficere dicebant, & alia perplura varii erroris profitebantur, quæ memoriæ tradere nefas duxi. De his quatuor oblati sunt ei, quorum duo presbyteri, reliqui vero duo erant laici. Presbyterorum unus Fridericus, alter duobus nominibus vocabatur, Dominicus Guilhelmus; laicorum vero alter Durandus, alter Hamelricus. Quos dum discu- Hæresim adversus augustissimum sacramentum Eucharistiæ impugnat.

(a) Leodii septimo idus Augusti anno 1107.

(b) *Eam dignitatem qui obtinebat*, ait Browerus, *is dici consul aut vicedominus consuevit: auctoritas ei, ut in dictatura, longe maxima, cum omne jus in eum rex principesque conferrent. Non de sua tamen unius sententia, sed communi principum consilio rempublicam administrabat.* Quod ut confirmet, citat Adamum lib. 3. cap. 36. Hist. ecclesiasticæ, qui agens de Adelberto Bremensi & Annone Colonensi, archiepiscopis, eamdem vicedominatui potestatem tribuit.

(c) Ob ejus adversus schismaticos summum zelum. Vide quæ de eo diximus in præfat. primi tomi hujus collectionis pag. 33.

[a] teret (a) Hamelricus fuga lapsus est; Durandus vero hactenus quidem se sceleris hujus assentatorem esse ultro confessus est; sed deinceps in ea assentatione nolle persistere, adhibitis sibi sanctorum reliquiis, juramento verbis fidem fecit. Vocatus autem alter presbyterorum Fridericus ad audientiam, non solum non negavit, verum & bene & recte se credere id profitendo asseruit. Cui BRUNO episcopus ait: » Oportebat ut tu, qui doctor fidelium esse de- » buisti, sanam doctrinam cunctis evangeliza- » res, omittens infidelitatis assertiones, quibus » mentiri te cunctis credentibus luce clarius » constat, cum beatus Augustinus dicat: Quo- » niam Christum vorari fas dentibus non est, » voluit ipse Christus hunc panem & hoc vi- » num in mysterio, carnem vere suam & san- » guinem consecratione sancti Spiritus poten- » tialiter creari, & quotidie pro mundi vita » mystice immolari, ut sicut de Virgine per » Spiritum sanctum vera caro sine coitu crea- » batur, ita per eumdem ex substantia panis & » vini mystice idem Christi corpus consecre- tur. In epistola quoque de fide catholica idem » beatus Augustinus dicit: Firmissime tene & » nullatenus dubites, parvulis, qui nec pro- » pria voluntate credere, nec pœnitentiam pro » peccato quod originaliter trahunt, agere pos- » sunt, sacramentum tamen fidei & pœniten- » tiæ, quod sanctum est baptisma, quamdiu ra- » tionis eorum ætas capax esse non potest, suffi- » cere ad salutem, *in capitulo epistolæ* XXVII.

Trevirensium adversus hæreticum motus.

52. His atque aliis scripturæ sacræ eulogiis in medium prolatis, cum ab astantibus fidelibus nunc singulariter, nunc communiter increpatus, atque ad Christianam veritatem incitatus, nollet acquiescere, sed magis in infidelitate delegisset obstinata mente persistere, acclamabatur ab omnibus Dominicæ vocis sententia; quoniam *ecclesiam non audit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*; adjeceruntque gradu moveatur atque damnetur: quod ut fieret omnibus acclamantibus, ille nacta fugiendi opportunitate, se interim, subduxit, sicque evasit. Proinde cum requisitus inventus non esset, juxta canonum sanctiones, qui noluerit ad audientiam venire vocatus, eadem patiatur absens: ut breviter comprehendam, damnatus est. Inquisitus est & alter, ille videlicet, qui ob hujus nequitiæ infamiam obumbrandam duobus vocabatur nominibus, an & ipse publicatæ hæresis assertor existeret, testificatus est numquam se eam professum esse vel profiteri velle; delatoribus e contra affirmantibus & dicentibus, se quadam vice insperato conventiculis eorumdem hæreticorum superveniisse, ipsumque illis communicantem inveniisse: quo contra ille timens, ne forte convictus presbyterii privaretur honore, respondit se ob hujus suspicionis notam abolendam, libenter velle summæ examinationis subire sententiam. Quod dictum cum placuisset omnibus, jussus est missam celebrare, & sacrum canonem, qui *secreta* vel *actio* dicitur, sicut cetera excelsa voce decantare (b) ut qui mysterio pretiosi corporis & sanguinis Christi præsumsisset detrahere, ipsius probaretur virtute. Missa itaque decursa, ubi ad communicandum perventum est; episcopus verba imprecationis hujusmodi intulit dicens; *Si vivificum hoc salutis nostræ sacramentum, quod in manibus tenes, non verum corpus Christi & sanguinem esse ausus es impio ore garrire, cum ipsius mysterii contestatione interdico ne quoquo modo præsumas accipere, si vero non ita, sed catholice profiteris, accipe:* & accepit. Verumtamen qualiter idem redemtionis munus ad damnationem sui in os ejus intraverit, referre supervacaneum non judicavi. Cum enim esset in examinationis anxietate constitutus, omnipotenti Deo de admissis pœnitentiam, de futuris custodiam pollicens, corde contrito supplicavit & obtinuit ab instanti confusione liberari. Inde vero ubi in sua rediit, pollicita fallere non expavit, & abdicatam hæresim majori quam antea pertinatia roboravit, non recolens quod cum sit *Deus judex justus fortis & patiens*, tanto delinquentium culpas districtius judicat, quanto æqua nimius portat. Contigit ergo ut de vitio in vitium corrueret, sicut scriptum est: *Qui sordidus est, adhuc sordescat*, & spiritu fornicationis seductus, non multo post in adulterio deprehensus est, & digna iniquitatis suæ morte peremtus.

Psal. 7. 12.

Apoc. 22. 11.

Matth. 18. 17.

Alterius hæretici accusatio.

53. Sæpedictus etiam pontifex crebris infirmitatibus, nunc pedum dolore, quod podagram Græci vocant, nunc ventris fluxu, quod coiliacam nuncupant vexabatur: propter quod exquisitissimos semper secum habere solitus erat medicos. Habebat autem inter eos Judæum quemdam, JOSUE nomine, physicæ artis eruditissimum, computistam peroptimum, Hebraicarum litterarum & totius Judaismi scientia perfectissimum, quem circumdabat militaris habitus. Hunc majori præ ceteris familiaritate & dilectione BRUNO sibi annectebat, satagens ut quomodo ille ipsum carnaliter medicaretur, ita illi ipse salutem operararetur. Cum hoc sæpissime de divinis disputabat voluminibus, semper illum ad conversionem deprecans & exortans, in quo tandem Domino largiente optatum tenuit effectum. Nam consiliis ejus acquievit & ab ipso baptizatus est. Cui BRUNO suum nomen imposuit, & in cunctis bonis adjuvit, cunctis fidelibus suis ipsum commendans & petens, quia genus illud hominum multum est in fide instabile, semper desiderat in vitæ necessariis abundare, quatenus ubicumque ille ipsis manentibus superveniret, providerent ei necessaria cum caritate.

Medico utitur Judæo quem ad Christum convertit.

54. Nunc iterum ad ordinem unde digressa voce, si quidem hic presbyter illum jussus est alte pronuntiare, ut scilicet, nullum supereesset dubium eum consecrasse.

(a) Spicil. *Quos dum disceteret & regula Christiani dogmatis imbueret Hamelricus, &c.*

(b) Hinc colliges canonem missæ solitum fuisse recitari sub-

Bruno cupiditatis & avaritiæ morbo laborat.

sus sum orationis verba convertam. Cum ut dictum est, BRUNO omnimoda probitatis actione duodecim annis serenus extitisset, auctoris omnium prævaricationum diaboli, qui videlicet felicibus actibus ejus invidebat, instigatione retro conversus, religiosi itineris limitem excessit, & incentivis vitiorum avaritiæ scilicet & cenodoxiæ plus justo inhiavit. Ut enim multum interminatæ habendi cupidini muneribus & beneficiis potuisset satisfacere, non solum clericorum & laicorum bona diripiebat, verum etiam ecclesiarum villas & curtes Deo & sanctis ejus vespere & mane & meridie famulantium victui deputatas, sed ornamenta & vasa concupiscibilia, tam aurea quam argentea in suos usus redigebat, & exinde expensas faciens, humanos in se favores concitabat. Nihil enim laude fuit ei in vita dulcius. Inde est quod villæ duæ, una Dei genitrici loci qui Orgium dicitur, nuncupata *Machara*, distans a Treveri versus aquilonem circiter tria milliaria; altera beato Paulino dicata, dicta *Lesura*, & aliæ quamplures, quas omnes enumerare propter multitudinem distuli, a prioribus quoque pontificibus, ad tempus quidem sublatæ, sed frequenter ab omnibus reconsignatæ, nunc autem ab hoc subtractæ, nec restitutæ, episcopalibus sunt addictæ reditibus. Quarum priorem DAGOBERTUS rex Francorum, inter cetera quæ ecclesiis Dei legitur contulisse beneficia, sanctæ Dei genitrici ob amorem sanctissimæ virginis IRMINÆ filiæ suæ, tunc ibi degentis, nunc vero quiescentis, cum aliis quampluribus contulit: alteram vero quam diximus Lesuram, beato Paulino LUDOLPHUS Treverorum archiepiscopus donavit, & sacerdotii sui auctoritate obsignavit, imprecans ut si quis Lesuram in succedentibus annis usui fratrum, in beati Paulini basilica ministrantium, tollere conaretur, disperderet eum *Dominus de terra viventium*. Ubi vero in hunc ejusdem episcopatus auctoritas collata est, iniquorum seductus consilio, ut diximus, eam cum aliis aliquibus in usus suos redigebat, dicens: non licere cuiquam episcopalium redituum aliqui sactorum loco assignare: & quoniam prænominatus Ludolphus hoc fecerit, ratum non esse: quod utrum ne illi licuerit vos discernite. Æstimo namque quoniam episcoporum est summam Deo famulantibus diligentiam adhibere, necessaria ministrando, ne dum pro necessariis conquirendis negotiantur, a sancto proposito discedere compellantur. Ad hoc enim deputati sunt ecclesiastici reditus, ut ex eis subveniatur Christi pauperibus; quod ille exequens, melius usui ministrorum Dei assignaverit, quam iste in usum superbæ gloriationis absumserit.

55. Huc accedit quod cum EGILBERTUS proximus hujus Brunonis antecessor adhuc viveret, inito consilio cum optimatibus suis, ex quibus iste Bruno unus erat, hujusmodi verbis eos compellabat: Obsecro vos per misericordiam Dei, dulectissimi filii mei & fratres, quidquid ego & antecessores mei episcopi sanctorum locis injuriæ violentia magis quam ratione irrogavimus, vos me commonefacite, & ego restituam, ut & meam & eorum animas ab infernis redimam. Quod cum placuisset omnibus, discretis cuique locorum reditibus, banni constrictione ligavit & firmavit, ut qui deincepsinde subtraheret, Deum præsumtionis suæ ultorem sentiret: & responderunt omnes. Amen. Ubi vero Egilbertus spiritum reddidit, & Bruno in episcopatu successit, universa quæ reconsignavit iste resumsit, dicens: nihil exinde ratum esse, quod ille infirmus, & jam suimet impotens in novissima vitæ suæ hora constitutus fecerit; cum beatus Gregorius dicat: ultimam pœnitentiam nulli negandam; beatus vero Augustinus dicat se non definire, quod qui seram tantum egerit pœnitentiam, liberetur per eam. Ego equidem puto, si audeam dicere, quod qui temporanea sive serotina pœnitentia male parta restituerit, etsi propterea non liberabitur, qui ea postmodum in indebitos usus usurpaverit, non minus judicium sustinebit.

Bruno ad pontificem pergit de sedis suæ dignitate actum adversus Moguntinum & Metensem antistites.

56. Anno igitur ordinationis suæ decimo nono placuit ei Romam tendere, ut renovaret privilegia sedis suæ, indignatus super protervia Adelberti Moguntiensis episcopi, delegatione sedis Romanæ sibi concessa superbe se efferentis, maxime cum ex concessione priorum apostolicorum, episcopus Treverorum nulli nisi soli apostolico vel a latere ejus missо debeat obedire, sicut Hincmarus Remorum archiepiscopus in epistola sua Nicolao papæ directa commemorat dicens: Remensis ecclesia numquam excepto Romano pontifice primatem habuit, nisi quamdiu « ejecto ab ea fine ullo crimine suo pontifice, « violentia tyranni Milonis tempore Caroli « principis pastore vacans, Bonifacio apostoli- « cæ sedis legato aliquandiu sicut & Treveren- « sis ecclesia commissa fuit. Sed & tempore il- « lo præfuit ecclesiæ Metensi quidam STEPHANUS Calixti papæ ex sorore nepos, cui jam dictus avunculus ejus concesserat in celebrationibus missarum pallio indutum procedere, integra Trevericæ *metropolis* potestate. Qui de pallii honore exhilaratus, velut confidens gratiæ consanguinitatis supramemoratæ, ultro quam oportuit se extulit, omnimodis innitens, si quomodo potuisset ut Trebericam ecclesiam deprimeret, suam autem anteferret & metropolim faceret, sperans, quod quæcumque inchoasset, Calixtus assentiret; quod exinde perpendimus, quia quotiescumque a metropolitano vocatus fuisset, ut, sicut consuetudo est suffraganeis episcopis, metropoli obedientiam & subjectionem suscriberet, venire contemsit, dicens: suos quoque antecessores

quandoque fuiſſe archiepiſcopos, quod nullarum ſcripturarum auctoritas affirmat & pronuntiat. Solummodo quippe Metenſium epiſcoporum quinque numero pallio uſi referuntur, quibus iſte ſextus aſcribitur, ſervata tamen in omnibus metropolitano ſubjectione: ſed non omnes qui pallio utuntur archiepiſcopi ſunt, niſi quorum ſedes metropolis ſubjectis ſibi aliis civitatibus & epiſcopis principatur.

57. Cum igitur propter ſupramemoratas cauſas ſæpe dictus BRUNO Romam verſus iter faceret, & Auguſtidunum uſque proceſſiſſet, CALIXTUS papa ibi ei occurrit & amice ſuſcepit, & cum eo in eodem loco natalem Domini celebravit. Tranſactis autem diebus ſolemnibus, pariter iter Cluniacum dirigunt, ubi Bruno cauſas ſui adventus aperuit, prolatiſque coram ſedis ſuæ privilegiis, eadem ſibi & eccleſiæ ſuæ apoſtolicæ ſubſcriptionis firmamento ſtabiliri poſtulavit, quod & obtinuit. Nam facta ei peccatorum ſuorum indulgentia, remiſit eum ad propria, dans ei chirographum hunc modum continens.

Cluniaci cauſam ſuam agit coram Calixto.

» CALIXTUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, » venerabili fratri BRUNONI Treverenſi archie» piſcopo, ſalutem & apoſtolicam benedictio» nem.

» Et conſuetudo ſedis apoſtolicæ perſuadet, » & ipſe rationis ordo expoſcit, ut ſapientes re» ligioſaſque perſonas, & in Romanæ eccleſiæ » unitate & obedientia devotas exiſtentes, ho» norare amplius ac diligere debeamus. Proin» de, frater dulciſſime, poſtulationi tuæ cle» menter annuimus, & perſonam tuam dile» ctionis brachiis amplectentes, eam a cujuſli» bet legati poteſtate abſolvimus, niſi forte a » noſtro latere dirigatur. Confidimus enim in » Domino, quod de ſapientia & de religione » tua & Deo & eccleſiæ honor magnus utilitaſ» que proveniet. Data Cluniaci tertio nonas Ja» nuarii.

Rescriptum Calixti adversus Adalbertum Moguntinum. Brunonis concessum

58. Denique non multo poſt tempore viribus corporis ejus ſenio ſimul & infirmitate ad occaſum vergentibus, in omni fere circa regione cœperunt viri nequam conſurgere, & res eccleſiæ, quæ ipſorum defenſioni, & ut ita dicam advocatiæ commiſſæ fuerunt, barbarico more depopulari, quodam comite WILHELMO filio CUNRADI ſupra memorati comitis de Caſtello, quod vulgo *Luzelenburg* vocatur, ducatum illis præbente: quos cum ſæpius ad correctionem invitaſſet, & non proficiſſet, tandem cum non haberet, qui illorum veſaniam armata manu poſſet reprimere, ipſi enim, ſi barbari provinciam hanc impeterent, illis debuiſſent reſiſtere, uſus eſt in illos anathematis ultione, die quadam Dominica octavo idus Decembris, anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo, pontificatus ſui anno vigeſimo primo. Cujus anathematis verborum ſeries hunc habet modum.

Vergentia ad finitum Bruno. Treverenſis diœceſis latrociniis præſſim lacerata

Raptores communione eccleſiæ privat.

Propter continuas oppreſſiones quas eccleſia noſtra patitur, decernimus & S. Spiritus judicio & auctoritate nobis conceſſa confirmamus, ut quicumque ſive in rapinis rerum eccleſiaſticarum, ſive in combuſtione alicujus eccleſiæ, ſive in captione alicujus clerici, vel in quacumque indebita exactione, ſive in generalis vel ſpecialis pacis violatione hactenus nos conturbavit, ad ſatisfactionem canonice vocetur, paſſurus ſententiam ſecundum merita; obediens, judicium cum miſericordia; rebellis, judicium ſine miſericordia. Ab hac autem die ulterius quicumque ſupradictorum violator inventus fuerit, hodierna excommunicatione prædamnamus, & præcipimus ut ab omnibus ut ſacrilegus devitetur, ſuſpenſo ejus nomine in eccleſia, ad judicium excommunicationis jam ſuper eo factæ, & ſingulis Dominicis diebus repetendæ, ita ut quicumque ei communicaverit, ſi laicus fuerit, eodem anathemate feriatur; ſi clericus ab ordine deponatur: ſpolia quoque emens vel accipiens ei cui & ſpoliator damnationi ſubjaceat. Congregationibus autem licentiam damus, ut quicumque eos in bonis ſtipendiorum ſuorum læſerit, eum quotidiana excommunicatione perſequantur. Porro archidiaconis concedo, ut ubi aliis negotiis impeditus adeſſe non potero, pœnitentes eccleſiæ reconcilient, ſervato ordine in compoſitionibus & ceteris eccleſiaſticis conſuetudinibus.

59. Multa quidem alia probitatis fecit inſignia, quæ & ipſe ego vidi, & aliorum certa relatione cognovi, quæ enumerare per ſingula gratia vitandæ prolixitatis omiſi. Hoc tamen ſcire ſufficiat, quod appropinquantem vitæ ejus terminum laudabilibus admodum operibus antevenit. Etenim per nocturnam quietem ſolitus erat ſanctorum memorias ſilenter circuire, illicque in oratione diutius perſiſtere, & Dei propitiationem eorum interceſſione profuſis lacrimis exorare (*a*)

Nota ætatis auctoris.

[a] Pietatis *deinceps* operibus incumbit.

Sed & loca ubi ſervi Dei & ancillæ in clauſulis degebant, uno tantum comite contentus frequentabat, & quæcumque habuiſſent neceſſaria, tam in victu quam in veſtitis, miniſtrabat, atque eorum orationibus ſe devotius commendabat.

Nec prætereundum quoque, quod in Spirenſi dioceſi, in prædio ſuo quod *Odenheym* dicitur, monaſterium (*b*) conſtruxit, ubi Deo famulantes monaſticæ profeſſionis cœnobitas adunavit, tantumque de rebus prædiorum ſuorum delegavit, quantum poſſet illic commorantibus ad quotidianum victum ſufficere. Hiſdem quoque temporibus S. Eucharii cœnobium religione rebuſque jam pene conlapſum, per EBERHARDUM abbatem Hambergenſem, ſtrenuæ religionis virum reparavit. Qui

[b]

(*a*) Hic deſinit codex Compendienſis quo uſus eſt noſter Acherius.

(*b*) De iſto monaſterio agit Trithemius *in* Chronico Hirſaugiæ ad annum 1102. & 1123.

vetus monasterium, novum inchoans ædificare, dejecit; ejusque temporibus præfati Eberhardi, sanctus Domini Matthias apostolus inventus est. (a) Quantum autem ipsum locum Deus per multorum miraculorum signa provexerit, testis est omnis Trebirorum urbs, quæ etiam per meritum beati Matthiæ meliorationis suæ plurima indicia monstrat. sed nec hoc silendum, quod in Confluentia quoque basilicam beati Florini, vetustate consumtam, meliori schemate & ampliori ambitu, ex lapidibus tophis sectis & politis, sicut in hodiernum diem conspicuum est, construxit. Sed & in Treveri, ecclesiam, in qua beati Paulini & aliorum confessorum pontificum Treverensium, necnon & corpora plurima Thebæorum, sub Rictiovaro passorum, requiescunt, quam, sicut patrum nostrorum relatu didicimus, sanctus FELIX Trevirorum episcopus, qui in ipsa requievit, magno & spatioso ambitu primitus fundavit, postmodum vetustate consumtam beatus MARUS, & ipse ejusdem civitatis episcopus, quique ibidem requievit, in pristinum statum reparavit, iste quoque nostris temporibus ignis concremationi dirutam, Adelberti & Rudolphi ejusdem ecclesiæ præpositorum industria, datis eis sumtibus, non juxta primæ quantitatis amplitudinem, sed secundum facultatis suæ modum, reformavit.

Moritur. 60. Anno autem Dominicæ incarnationis MCXXIV. qui est episcopatus ejus XXIII. VII. calendas Maii, die sexta feria, hora prima, animam reddidit. Cujus exequiis affuerunt Trebericæ dioceseos episcopi, HENRICUS Virdunensis, CONRADUS Tullensis, & eum non longe ab antecessoris sui Egilberti sepulcro magno cum honore, & totius cleri ac populi mœrore deposuerunt. Sedit autem in episcopatu annos XXIII. dies XXIV. & vacavit episcopatus menses duos dies octo.

De Godefrido archiepiscopo. 61. Post decessum vero Brunonis episcopi, GODEFRIDUS majoris ecclesiæ decanus, in episcopatum successit. Hic de Leodiensi parochia extitit oriundus. Arnoldum vero consanguineum suum, & majoris ecclesiæ, domus videlicet beati Petri præpositum, virum scilicet religiosum, & morum honestate præclarum, qui ecclesiam in honore S. Crucis, juxta Albam portam sitam, constituit, Treberim secutus, ab EBERARDO Trevirorum archiepiscopo clericus est designatus. Hic vero, sicut & antecessor (b) ejus, prædictus inquam præpositus, morum dignitate & animi liberalitate insignis, prius a Treverensibus, clero scilicet & populo dilectus, & ab episcopis ejusdem civitatis Egilberto, & a Brunone multis ecclesiasticis honoribus ditatus, ad ultimum, decedente domno Brunone sicut prædiximus, in episcopatum sublimatur. Pera-

(a) Inventionis hujus historiam fusius exposuit Browerus Annalium Trevir. lib. 13 ad annum 1127. quo celebratam esse probat adversus Trithemium, ex perverso codice membranaceo S. Eucharii calendis Septembris prima hora diei indict. 5.

cto vero anno episcopatus sui, insurgentibus contra eum quibusdam de clericis suis, & introitum ipsius calumniantibus, quorum calumnia, si justa aut injusta fuerit nescio ego, Deus scit, tandem ad hoc causa est perducta, quod sentiens suam infirmitatem ad hoc onus non sufficere, jam enim ad decrepitam venerat ætatem, videns quod pro eo in ecclesia fraterna scindebatur caritas, quibusdam sibi adhærentibus, aliis resistentibus, ne causa hujus esset schismatis, circa finem tertii anni ab episcopatu est absolutus. Obtinuit autem sedem episcopatus annis duobus, mensibus X. diebus X I. Superyixit autem postea annum unum, menses V. dies XVI. (c) obiitque VIII. cal. Decembris die quinta feria, hora noctis tertia. Quem sepelivit successor ejus in basilica sancti Petri majoris ecclesiæ, sub arcu qui est ad meridionalem plagam.

DE MEGINGERO

62. Hic autem successor ejus MEGINGERUS, eadem qua decessor parrochia, nobilibus & ipse parentibus procreatus, & a pueritia in Treverensi ecclesia educatus, morum honestate & personæ maturitate ad præsulatus honorem dignus profecto ascendisset, si antedictum Godefridum vel parcius impugnasset, vel suæ rigiditati & indiscretioni modum imposuisset. Mense Junio electus, sequenti autumno, collecta militia Treverensi, castellum novum quod dicitur *Bunnage* (d) primo impetu cepit, WILHELMUM comitem, ad conditionem pacis venire coegit, pacemque patriæ in brevi reformavit. Veniente quadragesima iter suum Romam direxit, ubi a papa HONORIO ordinatus, & pallio dignitatis est decoratus. Unde reversus a clero & populo Treverico honorifice est susceptus. Deinde dum intimo zelo rectitudinis, de incontinentia clericorum multa sæve disponeret, sine condimento discretionis, magnam sibi comparavit invidiam, & quam nec dici fas est, acquisivit infamiam. Et forte eodem tempore Francorum respublica valde turbabatur. Nam paucos ante annos HENRICO imperatore, hujus nominis rege V. sine prole defuncto, proceres Francorum apud Moguntiam LOTHARIUM ducem Saxonum in regnum elevaverant, eorumque decretum Romani laudaverant; cum ecce FRIDERICUS dux Alamannorum, ejusdem Henrici ex sorore nepos, facta conspiratione cum quibusdam justitiæ inimicis, fratrem suum Conradum regno substituit, magnamque belli materiam & contentionis fomitem hac de causa suscitavit. Quod ubi Honorius papa comperit, Conradum omnesque sibi faventes excommunicationis vinculo colligavit, & Megingero archiepiscopo ordinato jam reversuro, ut in sede sua eumdem Conradum excommunicaret

Romam profectus ab Honorio consecratur.

Reversus dum cleros reformare studet ingentem invidiam incurrit.

Conradum Sueviæ ducem excommunicat.

(b) Libnits *antecessoret ejus.*
(c) Vide Trithemium Chronic Hirsaug. ad annum 1127.
(d) Browerus Bunmagenum, legit Kyriander Neumagen.

per obedientiam præcepit, quod ille quoque sine mora perfecit.

Romam revertitur.

63. Anno igitur ordinationis suæ secundo mense Novembrio, cum jam erga multorum animos, ea qua dixi causa, esset odiosus, Romam ire disposuit, ut consilio apostolici vel auxilio, ea quæ sę gravabant alleviaret. Quo tempore prædictus CONRADUS minus in Teutonico prosperatus, regnum Italicum, tamquam & illud sibi deberetur, invadere cupidus, ibidem in Italia morabatur, MEGINGERUM episcopum per exploratores proditum cepit, eumque apud Parmam civitatem custodiæ deputavit, ubi sequenti anno, jam oculorum lumine ex afflictione amisso, calendis Octobris obiit. *Episcopus Parmensis, vestibus, quas sibi ipsi morituro paraverat, corpus indutum in majori ecclesia sepelivit.

*Vide Trith. Chron Hirsaug. ad an. 1127. 1128.

64. Post hunc Treveri (a) BRUNONEM ecclesiæ Trevericæ canonicum, Brunonis quondam archiepiscopi nepotem, elegerunt VII. idus Decembris. Quod ille omni nisu, maxime causa inopiæ hujus ecclesiæ, renuebat, re autem vera, ut post claruit, majoris episcopatus gloriam affectabat, & hoc cum gratia apostolici Innocentii faciebat, qui eo tempore in Galliis commanens, diversis in locis concilia celebrabat. Nam quando MEGINHERUS episcopus, Roma pergens captus & custodiæ traditus fuit, bellum quoque inter Romanos conflatum est, de loco INNOCENTII & ANACLETI, Honorio papa defuncto, quorum prior electione authentica cleri & populi inthronizatus & consecratus defuncto successerat, alter autem factione nobilium Romanorum, quorum ipse propinquitate pollebat, papatus sibimet honorem assumserat. Maximo autem motu horum gratia concitato, INNOCENTIUS papa templum S. Petri fugiens intravit. Quem Anacletus obsessum, tormentis quoque machinisque adhibitis, de templo & urbe fugavit. Pulsus Roma Gallias Innocentius petiit, ubi enim legati Trevirorum adeuntes, ut electionem suam firmare & perficere non differret, postulabant. Quibus ipse respondit ut alium ad hoc idoneum quem vellent eligerent. Nam Brunonem nec ipsi, nec alterius ecclesiæ filii episcopum habere potuissent. Hoc responsum apud Leodium in quadragesima acceperunt. Sequenti pascha, cum rex LOTHARIUS omnesque principes Trevirorum Treberi convenissent, pars cleri primicerium Metensem, ADHELBERONEM eligebant. Principes tamen & populus acriter repugnabant. Qua dissensione per continuum [annum] protracta, tandem jussu apostolici & imperio regali; sedata, altero pascha inthronisatus est Adelbero, anno Dominicæ incarnationis MCXXXII. (b).

[a] Brunonis electionem videtur ignorasse Trithemius. Chron. Hirsaug. ad an. 1128. Anno sequenti factus est Colonensis archiepiscopus.

(b) Non ergo synodo Moguntinæ anno præcedenti habitæ; præsens fuit archiepiscopus Trevirensis ut scribit Trithemius; immo maxime periclitata est ea in synodo electio Adalberonis. Hic autem desinunt codices clarissimi viri Godefridi Libnitzii.

[b]

Gesta Adalberonis archiepiscopi.

65. Isdem archiepiscopus studium suum ad hoc omnino adhibuit ut reditus episcopales absolutos faceret, & curiam *Humbach* pro trecentis marcis redemit, quam prædecessor ejus domnus Meginherus invadiaverat, & cetera ferè omnia ad episcopatum pertinentia domnus ADELBERO redemit, a domno Godefrido episcopo aut invadiata aut in beneficium data. Sed nec hoc prætereundum est, quod cum Adelbero prædictus archiepiscopus venisset Aquisgrani ad curiam imperatoris, Lotharius rex noluit eum investire regalibus, eo quod ante recepisset consecrationem episcopalem, quam suam requisivisset investituram; & omnino, ut credebatur, rex se ei opposuisset, nisi quod ipsum talem virum esse sciebat, qui facile totum mundum sui imperii contra ipsum commoveret. (c) Unde & levem satisfactionem ab ipso recepit. Cum enim ex communi consilio principum juramentum regi obtulisset; quod non ad diminutionem sui honoris hoc factum esset, sed (d) a domino papa coactus, ad consecrationem accessisset, dominus rex juramentum ei remisit, & regalia sceptro regni ei concessit. In eadem curia quoque, Lotharingiæ ducem Simonem, fratrem regis, excommunicatum pronuntiavit, & in die sancto paschæ, dum legeretur evangelium, eum exire ecclesiam compulit (e). Palatiolum Julii Cæsaris castrum, juxta civitatem situm, eo tempore situ & vetustate dirutum & inhabitabile, multis sumtibus restruxit, & victualia sua illic deferri jussit. STEPHANUM Mettensem episcopum, de quo superius mentionem fecimus, qui tribus antecessoribus suis, Brunoni videlicet, Godefrido, & Meginhero respuebat subjectionem exhibere, coegit obedientiam sibi & subscriptionem facere.

[c]

[d]

Regalia per sceptrum collata.

[e]

66. His diebus domnus archiepiscopus multa colligendo factus est valde abundans in rebus, &

Adalberonis opes & potentia.

Undique corrasit sibi quod mens utile suasit.
Et nec cœnobiis propriis hac parte pepercit.
Unde ecclesiam S. Eucharii sanctique Mathiæ apostoli nimis attrivit, nimiumque gravavit; & quotidie succrescens, ad quædam magna, quæ mente gerebat, præparationem faciebat. Abbatiam S. Maximini ex antiquis privilegiis ecclesiæ suæ in fundo beati Petri si-

(c) Addit Browerus lib. 13. annal. Trevir. num. *Nec Simon ante vinculis exsolvi potuit, quam Romam profectus, ipsi Pontifici causam suam exposuit.* Attamen absolutus fuit in conventu episcoporum, eodem anno apud Theodonis villam habito. Vide tom. 4. Anecdot. pag. 135. & seq.

(d) Male apud Eccardum *si a domino papa.*

(e) Addit Browerus lib. 13. annal. Trevir. num. *Nec Simon ante vinculis exsolvi potuit, quam Romam profectus, ipsi Pontifici causam suam exposuit.* Attamen absolutus fuit in conventu episcoporum, eodem anno apud Theodonis villam habito. Vide tom. 4. Anecdot. pag. 135. & seq.

mationem prudentem, & magnæ apud hujus mundi optimates reputationis. Browerus Virum magni & celeberrimi in regno nominis ac prudentia usuque rerum incomparabilem.

tam, & de jure antiquo ad ſuam pertinere diſpoſitionem intelligens, omnino animum apposuit quomodo eam de poteſtate regis eriperet, & ſuæ eccleſiæ reſtitueret. Propter quod in expeditionem Italicam cum rege Lothario profectus eſt, cum centum militibus ſecundum æſtimationem, ſed ſecundum veritatem cum LXVII. Pulſoque Rogerio rege Siculo de finibus Apuliæ quam occupaverat, dataque Reinaldo duci, & recuperatis beati Petri regalibus, cum imperator reverteretur, in valle Tridentina communi mortalium ſorte in fata lapſus eſt.

Lotharium in Italia comitatur.

[a] 67. Ipſe autem domnus archiepiſcopus a domno papa Innocentio (a) legationis officio decoratus, cum reverteretur ad montem Romaricum perveniens, audivit fama referente, quod comes Otto de Reneka ex acie regis ab Italia mandaverat fratribus duobus, Wernero & Johanni (b) de *Ventieburch*, quod caſtrum ſuum *Arraz* per inſidias caperent, & hoc effectui fore mancipatum. Cumque poſt multos labores quietem ſperaſſet, & nunc denuo videret tot tantaſque ſibi imminere curas, animum viriliter contra adverſa obfirmans, per coronam ſuam juravit ſe numquam barbam ſuam raſurum, niſi & ſuum caſtrum *Arraz* prius recuperaſſet, & illorum fratrum (c) Werneri ſcilicet & Johannis, *Ventirburch* deſtruxiſſet. Colligens vero omnes Tullenſis & Metenſis terræ principes, cum militia magna Treverim pervenit, & utrumque caſtrum *Arraz* ſcilicet & *Ventirburch* ſimul obſidione cinxit, & *Ventirburch* deſtructo atque *Arraz* reparato, cum triumpho magno Treverim reverſus eſt,

Reverſus Ottonem Rinecæ qui caſtrum ſuum *Arraz* ceperat continuo proſternit. & debellat

[b]

[c]

68 Taciturnitati quoque denegandum videtur, quod prædictus domnus Adelbero ab eadem expeditione revertens, prædeceſſoris ſui archiepiſcopi Meginheri corpus Parmæ per vim abſtulit, & Treverim ſecum attulit. Prædictus enim domnus Meginherus Conradum poſtea regem cum Lothario eſſet ſuperpoſitus, ut vir magnanimus excommunicavit, unde pro negotiis eccleſiæ ſuæ ipſum Romam properantem idem domnus Conradus poſtea rex cepit, & Parmæ pro magna pecunia pignoris loco poſuit, ubi etiam in carcere defunctus eſt. Idem autem nunc ſuperpoſitus rex in prædicta expeditione Lothario regi reconciliatus eſt, & domno Alberoni archiepiſcopo, quia penes cum regni videbat robur & mentem exiſtere, ſeſe familiaritate magna & ſervitio adjunxit, & tanta tunc conjuncti ſunt amicitia, quod poſt obitum Lotharii imperatoris omni ſtudio domnus Adelbero elaboraret, contradicentibus fere omnibus regni principibus, eum in regnum ſublimari. Effecit enim magna ſua induſtria, quod dux Fridericus frater Conradi regis, & Bacus Wangionum epiſcopus, cum ipſo Conrado ad colloquium ſuum Confluentiam convenerunt. Ad quod colloquium Colonienſis archiepiſcopus (d) Arnolphus occurrit, & tandem poſt multa conſilia domnus Adelbero archiepiſcopus Conradum in regem elevatum, & Aquiſgrani cum magna deducens multitudine, regali unctione confirmavit in regnum.

Meginheri archiepiſcopi corpus Parma Trevirim transfert

[d]

69 Poſtea cum Saxones cum duce Heinrico Lotharii regis genero, diem & locum Conrado regi *Herſuelder** præſcripſerunt, ut belli diſcrimine decernerent utrum juſte regnare incœpit necne. Domnus archiepiſcopus ſe venturum cum XX. militibus cum promiſiſſet, quingentos adduxit milites, & XXX. carratas vini, & immenſam victualium copiam ſecum adduxit carris fere opinione infinitis. Illic Albertus junior, tunc Moguntinus epiſcopus, omnino diſlaborabat ut ad majorem diſcordiam malum hoc excreſceret. Ipſe autem domnus Albero Dei adjutorio elaboravit, quod in pace diviſi ab invicem ſunt, cum tamen multa millia magno odio ad pugnandum conveniſſent: ipſe vero archiepiſcopus Albero omnibus in pace compoſitis, ſingulis principibus ſingulas miſit vini carratas, & maxime Saxonibus, (e) & notanda in hac re ſubtilitas ingenii in domino Alberone, perpendit enim plus conferre ad victoriam atque ad animos accendendos virorum vini copiam & aliorum victualium, quam multa millia famelicorum.

Conradi electionem impugnat Henricus Catulus. * Herſfeldiam.

Pacem concilian. Albero.

[e]

70 His omnibus ita peractis, abbatiam ſancti Maximini pro his atque aliis ſervitiis a rege Conrado recepit. Patronatum enim prædictæ eccleſiæ, quem rex longo tempore tenuerat, ipſe rex reſtituit. Hac re per famæ volatilem auram comperta, monachi qui tunc temporis in eccleſia valde enormiter vixerant, omne argentum & aurum, quod in diebus illis in monaſterio illo multum abundabat, in textis, tabulis, imaginibus, variiſque ornamentis, lapideſque pretioſos & gemmas ante archiepiſcopi reditum colligentes, comiti de Namuco, (f) qui eo tempore terram de *Luzellenburch* tenebat, dederunt, ut arma auxiliaria eis ferret. Et quia advocatus eſſet eccleſiæ, (g) dominium archiepiſcopi & poteſtatem ab eis ſuis viribus removeret. Sed nunc nihil aliud a me expectes niſi quod ſummatim ſingula perſtringam, ne penitus æterna oblivione deleantur.

S. Maximini recipit.

[f]

[g]

Monachi epiſcopi ſui dominium refugiunt, comitis Namurcenſis viribus fiſi.

71. Eo igitur tempore cum vacaret eccleſia

(a) Browerus hic obſervat legationis honorem Adalberoni delatum fuiſſe ante expeditionem illam Italicam, idque confirmat ex dedicatione eccleſiæ in *Sprinckirsbach*, in cujus dedicationis titulo legitur apoſtolicæ ſedis legatus anno ordinationis ſuæ V. Incarnat. 1136.

(b) Legit Kyriander de *Nantirsburch*: Browerus *Nantersburch* vel *Nenterswburch*: Eccardus *Nentirsburch*.

(c) Eccard *fratrem* male.

(d) Al. *Arnoldus* de quo plura videris in epiſt. Wibaldi abbatis tom. 2. hujus collectionis.

(e) Cantatiſſimum id ſecutus, ait Browerus, vino placabiles Germanorum iras, inveteratasque inimicitias datis inter pocula dextris obrui

(f) Henricum ſcilicet, qui duxerat filiam Conradi Luzelburgenſis.

(g) Nuper advocatiam comparaverat a Conrado rege, quod conſtat ex diplomate Friderici dato anno 1157.

ſancti

ſancti Maximini abbate, elegerunt monachi abbatem monachum quemdam de eccleſia Leodienſi, fratrem quorumdam, qui conſiliarii erant comitis Namucenſis; ideo, ut illorum conſiliis acrius in furorem ſuum cõmes quotidie incenderetur. Quem magnis Romam ſumtibus ducentes contra voluntatem domni archiepiſcopi a domno papa benedici fecerunt in abbatem, & ammiratæ ſunt turbæ de tam ſubita rerum mutatione, quod Romana eccleſia tantum talemque virum tam graviter moleſtavit, qui tot labores atque pericula pro ipſa ſuſtinuerat; & qui tam nuper in tanta gratia apoſtolicæ ſedis extiterat; qui etiam pro papa Innocentio Lothario regi in tantum ſe oppoſuerat in expeditione ſupradicta, quod ipſe archiepiſcopus & rex ab invicem non ſereno animo diſceſſerant. Præterea tempore hujus guerræ, quæ erat inter archiepiſcopum & comitem, fratres de eccleſia de Confluentia eum quoque infeſtare cœperunt. Præpoſitum enim contra ejus voluntatem elegerunt, virum nobilem dominum Lodowicum de *Iſenburch*, cum quo Romam magnis expenſis pergentes, litteras apoſtolicas retulerunt domno archiepiſcopo, ſuæ voluntati valde contrarias. Quas cum domino archiepiſcopo in ſynodo reſidenti obtuliſſent, ipſe ex animi commotione ipſas in terram dejecit; unde apud dominum papam Innocentium accuſatus, ab ipſo eſt vocatus ad diem præſcriptum: & cum ad diem non veniſſet, epiſcopali eſt officio ſuſpenſus. Hæc omnia mala venerunt ſimul ſuper illum, & de omnibus his liberavit eum Dominus. Romam enim veniens, effecit quod abbas S. Maximini obedientiam ei promiſit, & juramento ei fidelitatem fecit, & electionem Confluentinorum caſſavit.

Comes Namucenſis copias in agrum Trevirenſem educit.

72. His abſolutis ad comitem redeamus. Comes itaque in principio hujus diſcordiæ ex improviſo, antequam domino ſuo fidelitatem contradixiſſet, cum mille quingentis militibus Treverenſi appropinquabat civitati. Et Treviri non erant præmuniti, nec vallo nec muro adhuc cincti, & longa pace bello diſſueti, & ipſe archiepiſcopus aberat, in curia regis exiſtens. Potuiſſet civitatem tunc multum gravaſſe, ſi Deus hoc malum non avertiſſet; ſed comes Fredericus de Veenna, tunc forte fortuitu erat in civitate, & occurrens Namucenſi, multis ſuaſionibus eum redire fecit, demonſtrans magnam fore ipſi & perpetuam infamiam, ſi quid tale contra dominum ſuum committeret, antequam domino ſuo renuntiaſſet, præſertim contra majeſtatem regiam hoc fore, ſi archiepiſcopo ex mandato regis in curia commoranti malum aliquod inferret. Reverſus autem a curia archiepiſcopus, omnibus modis ad pacem cœpit laborare, & comitem a cœpto revocare furore. Ille autem per epiſcopatum incendia, rapinas cædes exercebat. Tandem archiepiſcopus cœpit ſeſe defendere. Prædas agit.

73. Et quia nunc ad finem propero, multa pertranſiens, ſummam geſtorum hanc colligo. Rudolfi-montem bis cinxit, & ſecunda obſidione deſtruxit, caſtrum ſcilicet, quod omnibus modis inſuperabile videbatur. Novum caſtrum, quod Mercurii-mons dicitur, ædificavit, timens ne Namucenſis montem illum occuparet, quod quaſi in corde terræ ſuæ erat: *Mandircheit* (a) caſtrum, natura loci munitiſſimum, cepit, & uſque ad obitum ſuum retinuit. Garlandam Zolueram cepit, & trigenta munitiones comitis Namucenſis aut cepit aut deſtruxit. Epternacum quoque cepit, in quo comes militiam tenere ſolebat. Sed inter primam & ſecundam Rudolfi-montis obſidionem, bello congreſſi ſunt archiepiſcopus & comes in aperto campo quod tale fuit. Cum primo archiepiſcopus Rudolfi-montem obſediſſet, comes palatiolum invaſit, & ignem in eccleſiam ſanctæ Mariæ injiciens, munitionem quoque archiepiſcopi cremare ſperabat. Quæ fama cum ad archiepiſcopum perveniſſet, obſidione ſoluta, tota nocte properavit cum militia ſua, ut improviſo hoſti ſuperveniens, inopinato terrore concuſſo, ſuas vires oſtenderet. Comes vero per exploratores præſentiens ejus adventum, in fugam verſus, nocte illa in villam epiſcopi *Wittilich* ſe recepit, equos & homines reficere volens, & nihil reperiens, villam totam concremavit. Et inde tranſiens, cum juxta abbatiam, quod Clauſtrum (b) dicitur, pauſare vellet, & panem frangere, famelicus enim erat, exercitus archiepiſcopi jam ſibi imminere prænuntiatur. Et ipſe velociter cum ſuis fugam arripiens, cuidam de fratribus ad ſe vocato, per adjurationem (c) conteſtatus injunxit, ut archiepiſcopo ſe inſequenti, hæc verba referret ex ſui parte. Deus non meliorem diem vel noctem ei, archiepiſcopo ſcilicet, concedat, quam ego duos dies & duas noctes continuo habui, qui cum duobus jejunaverim diebus, & tertio die pauxillo panis me vellem refocillare, ab eo non ſum permiſſus. Conſequens ergo archiepiſcopus comitem, cum eo pugnam acrem commiſſit, comeſque terga vertens, beneficio velocis equi vix aufugit, ſuorum plurimis captis, multis cæſis. Tandem comes fatigatus, atque coarctatus multis præliis, nam ſibi commiſſa privavit eum comitiva, ſupplex veniens ad archiepiſcopum, pacem & concordiam cum eo firmavit, & hæc præſul conceſſit ei corde benigno. (d) Albero arma ſumit pluresque munitiones comitis aut capit aut deſtruit.

(a) al. *Mandirſpheit*.
(b) Ordinis Ciſtercienſis. Hodie Himerod dicitur.
(c) Male apud Eccardum *admirationem*.

(d) Spiræ anno 1147. pacis interprete S. Bernardo Clarevallenſi. Conditiones videſis apud Browerum lib. 14. Annal. num. 57.

De adventu Eugenii papæ tertii Treverim, & consecratione ecclesiarum sancti Eucharii sanctique Paulini.

74. Anno Dominicæ incarnationis MCXLVIII. Dominica qua cantatur *Ad te levavi* (a) dominus papa Treverim venit, sicut invitatus a domino Alberone archiepiscopo fuerat; & sabbato ante prædictam Dominicam, in ecclesia sancti Eucharii honorifice hospitatus est. In ipsa autem Dominica cum maxima veneratione a clero & populo, cum inconsuetæ processionis vel ornatu vel armatu, atque recordabili solemnitate in templum est introductus, conducentibus eum a dextris domino Alberone, a sinistris vero Arnoldo Colonienſi archiepiscopo, præcedentibus vero multis episcopis Germaniæ, Belgicæ, Franciæ, Angliæ, Burgundiæ, Lombardiæ, Tusciæ, & ex omni natione quæ sub cælo est. Sed nec cardinales enumerare pigebit qui cum domino papa Eugenio Treverim venerunt. Episcopi cardinales, Albericus Ostiensis., Himarus (b) Tusculanus, Humboldus presbyter de titulo Johannis & Pauli Wido de Summa presbyter de titulo SS. Laurentii & Damasi (c) Gisilbertus presbyter de titulo sancti Marci, Hugo presbyter de titulo S. Laurentii de Lucina, Julius presbyter de titulo sancti Marcelli, Wido presbyter de titulo sanctæ Potentianæ, Odo Bonæcasæ, Heribertus presbyter de titulo S. Anastasiæ, Wido diaconus &. cancellarius de titulo sanctorum Cosmæ & Damiani, Octavianus diaconus de titulo S. Nicolai in carcere, Guido Pisanus, Wido Cremensis, Gregorius de titulo S. Angeli, Johannes de titulo S. Mariæ novæ, Lacintus de titulo S. Mariæ in Cosmedin, Otto de titulo S. Georgii (d) ad Aureum velum. His omnibus domnus archiepiscopus per duodecim hebdomadas continue largitus est necessaria in tanta abundantia, quod ipsi quoque farebantur copiam pleno cornu venisse ad ipsos. Quid referam de supervenientibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, archidiaconis, præpositis, ducibus, comitibus ad dominum papam Treverim venientibus, quorum ne unum quidem largitatis suæ reliquit immunem?

Eugenius Treviros ingreditur.

75. Natalis Domini solemnitatem tunc Treveris celebratam, quis ita dictis explicare queat, ut tu, qui non videris, intelligere vel imaginari possis? Quam putas pompam processionis in die sancto fuisse, cum dominus papa cum (e) Nacco equitans, præcedentibus cardinalibus & episcoporum multitudine in equis albo cooperus, ad ecclesiam sancti Paulini procedit, indeque revertens, missarum solemnia cum tanti populi frequentia peregit, quòd in tota ecclesia S. Petri nec spatium pedis vacuum reperire posset. Quid si dicerem qualiter in die sancto, solemni peracto officio, ex una parte domnus papa cum suis cardinalibus, & ex oppositа domnus archiepiscopus cum illis, qui illuc convenerant episcopis infulati, in mensis ex adverso oppositis residebant. Qua arte aliquis tot & tantas computare queat expensas? Dicerem quidem, quod ante domini papæ adventum, domum quæ papæ dicitur, tria habentem interstitia secundùm altitudinem, infra sex hebdomadas construxit, & domum quæ *Jerusalem* dicitur, fere destructam reparavit.

Natalem Domini diem celebrat Treviris.

De dedicatione ecclesiæ S. Matthiæ & S. Paulini.

76. In diebus illis domnus apostolicus Eugenius, petente venerando abbate Berolfino (f) consecravit ecclesiam S. Eucharii sanctique Mathiæ apostoli, in octava Epiphaniæ, hoc est idus Januarii, in honore S. Johannis Evangelistæ. (g) Huic autem consecrationi interfuerunt Albero archiepiscopus Trevirorum, Henricus archiepiscopus Eboracensis, episcopi isti Albericus Hostiensis, Himarus Tusculanus, Hart-Wicus Gebennensis, Hemedeus (h) Lositanus, cardinales, quosque supradiximus abbates, & principes quamplures hujus terræ, sed & populus infinitus, atque cum ingenti gaudio, non solum urbis, sed, ut ita dicam, totius provinciæ hæc dedicatio peracta est. Deinde post duas hebdomadas consecravit ecclesiam S. Paulini domnus apostolicus, secundo cal. Februarii.

77. Nunc autem hoc transeo, quod domnus papa Eugenius a Treviris recedens, (i) Remis celebraturus officium, mediante quadragesima pervenit. Ad quod concilium domnus Albero archiepiscopus, tam magnifice pervenit, quod omnium oculos in se & ora de se aperuit. In camerula autem de corio facta (k) lineo panno intrinsecus obducta, inter duos ferebatur equos, quod cunctis visu erat mirabile, senectute enim jam laborabat, longisque fractus deficiebat laboribus. In hoc ergo concilio prior in ordine cunctis residens episcopis, relegi de primatu sedis suæ plurima fecit privilegia super omnem Belgicam, Galliam atque Germaniam. Quibus auditis, archiepiscopus Remensis non mediocriter turbatus est. Unde & homines illius cum hominibus suis turbationem facientes, aliquos ex iis vulneraverunt. Quod ipse domnus ar-

Concilium Remense generale.

(a) Id est Dominica prima adventus, cujus introitus missæ incipiebatur verbis *Ad te levavi*.

(b) Eccard. *Heimricus*. (c) Eccard. male *Damiani*.

(d) Eccard. *Gregorii*.

(e) Naccus ut ait Alexander papa III. epist. 52. ad Philippum archiepiscopum Colonienſem est *insigne festivi equi* Cangius Naccum interpretatur *Stragulum quo totus equus instruitur*.

(f) Apud Eccardum *Berbolfum* vitio uti existimamus, typographi aut amanuensis.

(g) Eccard. *ecclesiam S. Eucharii & S. Johannis evangelistæ*, omissis intermediis.

(h) Amedeus Lausanensis pro quo Eccardus legit *Nemedeus*.

(i) Eugenius priusquam Treviris excederet synodum habuit in qua inquisitum in S. Hildegardis doctrinam. De hac synodo, quæ male hactenus postposita fuit Rhemensi in vulgaris conciliorum collectionibus, fusius egimus in præfatione primi tomi hujus operis.

(k) Lectica, cujus tum temporis, ut videtur, usus erat rarissimus. Eccardus corrupte hic loci legit *decori facta*.

chiepiſcopus ALBERO valde ferens indigne, minabatur Ivodio (a) ſeceſſurum, & Remenſem vaſtaturum epiſcopatum. Tandem ad hunc finem res eſt perducta, quod Remenſis cum Sueſſionenſi ad hoſpitium ejus pervenit, & homines qui hanc culpam commiſerant, in ejus poteſtatem dedit.

[a]

De guerra inter Palatinum comitem & epiſcopum.

78. Eodem anno menſe Septembrio, cum palatinus HERMANNUS caſtrum *Tris* occupaſſet, & ædificiis firmaſſet, comes OTTO de Reinneca caſtrum prædictum cum terra attinenti huic archiepiſcopo & eccleſiæ ſuæ dedit, ut ipſe illud recuperaret; quapropter feſtinus caſtrum prædictum obſedit. Palatinus autem collectis omnibus viribus ſuis ad liberandum caſtrum venit, & ad introitum ſilvæ quæ caſtro adjacet caſtrametatus eſt; archiepiſcopus vero ex oppoſita parte, acie inſtructa equitum peditumque, per tres dies ejus præſtolabatur adventum. Tunc orationem exhortatoriam, tenens crucem archiepiſcopalem in manibus, cœpit ad armatas acies talí modo facere. „ O vos amici beati Petri, o „ ſanctæ defenſores eccleſiæ, qui hodie pro „ Deo atque pro juſtitia mortalia corpora veſtra hoſtili gladio oppoſuiſtis, nunc veniat vobis in mentem beatus Petrus, cujus milites „ hodie exiſtitis, credatis eum cum magna ſanctorum caterva inviſibilibus clypeis hodie „ vos protegere, certi eſtote de victoria, reſpicite hoc ſignum crucis, hoc, inquam, ſignum, terribile adverſariis JESU-CHRISTI. Hæc „ eſt crux in qua HERMANNUS comes palatinus „ mihi juravit fidelitatem, die illa qua advocatum eccleſiæ noſtræ ipſum conſtitui, die qua „ illas vires illamque potentiam ei contuli, per „ quam me modo infeſtat. Tunc prædixi ei in „ hac cruce eſſe de ligno Domini, in quo ille, „ cujus hæc ſacroſancta reſulget imago, de hoſte humani generis triumphavit, multorumque ſanctorum venerabiles reliquias in hac „ cruce indicavi contineri. Ipſe vero palatinus „ tenens manum ſuper hanc ſanctam imaginem „ juratus eſt mihi in hæc verba: *Hunc dominum, „ hunc pro nobis crucifixum do vobis, domine archiepiſcope, fidejuſſorem, & juro vobis per ejus „ virtutem, quod numquam aliquid contra vos fa-„ciam, & quod in omnibus veſtris neceſſitatibus „ cunctis viribus meis omnique potentia mea vobis „ fideliter aſſiſtam.* Nunc ergo ſciatis omnes, „ quod tunc fidejuſſorem Chriſtum, ſcilicet „ Dominum, in hac ſua ſacra imagine portabo „ ante illum, oculis illius eum ingeram, hunc „ ſui juramenti teſtem illi demonſtrabo. Sed „ nunc, o fideles JESU-CHRISTI, qui vitam & „ ſanguinem veſtrum pro defenſione eccleſiæ „ ſuæ offertis, præparate corda veſtra Domino mundate conſcientias veſtras, & quia non vacat, ut ſigillatim faciatis confeſſionem generalem, mihi paſtori veſtro facite peccatorum confeſſionem, & ego poteſtate a Deo nobis tradita, faciam vobis per officium noſtrum indulgentiam & remiſſionem omnium delictorum veſtrorum, ut ſi quis hodie ex hac temporali & incerta vita evocatur, tranſeat ad meliorem vitam, ſcilicet æternam. Tunc cum accepiſſet omnium communem confeſſionem, indulgentia facta (b) & abſolutione, benedictionem ſuper eos faciens, ita omnes animavit, quod nec in uno ſignum timiditatis apparuit. Ipſe vero archiepiſcopus vexillum comiti Namucenſi * commiſit, crucem autem propriis geſtabat manibus. Hæc cum ita ſe haberent, palatinuſque per exploratores reſciſſet, ſe non ſufficere ad committendum pugnam contra acies ita animatas, miſit legatos ad archiepiſcopum, & verba precantia mandat, & ut cito ad finem veniam, hæc impetravit; ut ſui, qui erant in caſtro, illæſi abirent, & de caſtro archiepiſcopus ſuam expleret voluntatem (c). Uni curiæ interfui, qua Franfordum petiit ſub rege Conrado cum XL. navibus cameratis, exceptis liburnis & onerariis atque coquinariis ratibus. In qua curia VIII. comites & ducem Lotharingiæ MATTHEUM atque N. ducem de Limburgo ſecum habuit, clericorum atque militum multitudinem tantam, quod omnibus qui videbant admirationem faciebat. Magiſtrum quoque JARLANDUM Biſuntinum & magiſtrum THEODERICUM Carnotenſem, duos fama & gloria doctores noſtri temporis excellentiſſimos, ſecum in ſua ducens navali cammenata, in illorum diſputatione & collatione valde delectatus eſt, & a curia domum reverſus, decentibus donis largiter honoratos ad propria lætos remiſit.

* Henrico

[b]

[c] Nota auctoris ætatem.

79. Hoc tamen neſcio an memoria ſit dignum, quod cum a prædicta reverteretur curia, ideo quoniam Moguntinos exoſos habebat, atque forſitan ſuſpectos, civitati illorum appropinquans, vexilla ſingulis ex navibus erigi, milites in clypeis auro fulgentibus, loricis, (d) galeis, argentum nitore ſuperantibus, oſtentare ſeſe præcepit, tubis & cornibus, armorumque ſtrepitu, & horriſono virorum concentu adventans totam permovit civitatem. Illic ex tota urbe homines concurrere, mulieres conclamare: & quaſi urbs jam capienda foret, undique tumultum atque pavorem conſpiceres. Tandem finem narrationi facturus, de fine & tranſitu & teſtamento ejus pauca dicam.

[d]

80. Confluentiæ in epiphania Domini curiam magnam tenuerat, & treugas inter comitem de *Molbach*, & comitem de Zeina acceperat. Hi pro Buinenſi comitatu diu guer-

Curiam habet Confluentiæ.

(a) Vulgo *Ivois*. Ivodium oppidum eſt ducatus Luxemburgenſis in extremis finibus epiſcopatus Trevirenſis verſus Remenſem, pro quo male legit Eccardus *in odio*.

(b) Eccard. *ſancta*.

(c) Hæc facta ſunt autem anno 1150 vel ſequenti.

(d) Eccard. *Coricci*. Quæ vox nullum efficit ſenſum.

ram ad invicem habuerant, quibus hinc inde fere omnes inferioris regionis nobiles favebant, terramque omnem vastaturi erant, si ipse suo consilio non interveniisset. Hoc enim in consuetudine habebat, frequenter suffraganeos suos & principes ac nobiles de provincia sua congregare, & stipendia largiter illis amministrare, & pro statu ecclesiæ & pace patriæ cum ipsis tractare, & , quod nunc dicere cœperam, statim post epiphaniam * febris acutæ diris ardoribus accensus, & pleuresis passione constrictus, de vita dubitare incipiens, viros religiosos abbatem RICHARDUM de * *Sprenkelbach*, & abbatem S. Eucharii BERTOLFUM, & plerosque alios convocavit, factaque omnium peccatorum pura confessione, oleo unctus, secundum beati Jacobi institutionem, & sacrosanctum corpus Christi sumturus, magnæ fidelitatis & veræ ac catholicæ fidei significata verba protulit.

* Anno Domini 1152.

* Sprinckirsback.

Testamentum ejus.

81. Nunc autem quale ordinaverit testamentum, quam brevius potero explicabo. *Ture* curiam, quam ipse sua pecunia emit, a comite * W. de *Glizberch*, fratribus dedit ecclesiæ S. Petri Treverensis, ut in anniversario ejus refectionem inde habeant, & patrimonium suum *Sule*. Curiam *Bredal* ecclesiæ prædictæ contulit tali dispositione, ut crux inaurata, quam tempore prædictæ guerræ decrustaverat, de reditibus ejus repararetur, & quædam ornamenta, quæ oppignaverat, restituerentur, & deinceps perpetuo jure in usus fratrum cederet. Ecclesiæ quoque S. Mariæ ad Horreum quædam ornamenta tulit in diebus guerræ suæ, pro quibus vineas apud *Kestene* & Moncella dedit, ut ex eis repararentur.

* Willelmo.

Moritur.

82. Obiit autem octavo decimo calendas Februarii. Et licet communi mortalium sorte in fata lapsus sit, non tamen communi hominum fortuna funeratus est. Confluentiæ enim cum obiisset, exta ejus in claustro juxta parietem, qui respicit ad Septentrionem, humata sunt, & lapide tecta marmoreo. Corpus vero myrrha, & aloe, & aromatibus conditum a medico suo peritissimo PHILIPPO Lombardo, qui & urinæ suæ inspectione mortem ejus tribus diebus ante prædixerat, pontificalibus adornatum vestibus Treveris est allatum cum magno comitatu. Palatinus enim comes HERMANNUS, atque plerique inferioris regionis barones, cum magno comitatu, funus ipsius prosecuti sunt. Deinde cum Treveris, perveniisset clerus & populus ad pontem processit illi in obviam, & per singula monasteria (*a*) singulis diebus deportatus est, celebri cum processione, donec dierum numerus monasteriorum complevit numerum, & per singulos dies procerum augebatur numerus de tota provincia, ad exequias ejus confluentium. Veneruntque, comperto ejus obitu, suffraganei ejus episcopi, STEPHANUS Metensis, HENRICUS Tullensis, ALBERO Virdunensis, JORDANUS presbyter cardinalis Romanæ ecclesiæ, qui tunc Metis omnium abbatum superioris Lotharingiæ conventum adunaverat, qui etiam simul cum episcopo ad ejus venerunt exequias, tantoque honore communique luctu totius provinciæ undecimo ab obitu ejus die tumulatus est, quod omnes qui aderant, confessi sunt se numquam tam honorabiles exequias vidisse. Sepulturam vero habet in ecclesia beati Petri, a latere meridionali, juxta altare beati Stephani. Et quod notandum, quotiens prædictam dum viveret intrabat ecclesiam, in eodem loco, in quo nunc habet sepulturam, orare solebat. Sedit autem in episcopatu annos XIX. (*b*) menses decem, & vacavit episcopatus ejus dies XIII.

[a]

(*a*) Hinc colliges, quod alias notavimus, episcopos olim in *suis exequiis solemni pompa per diversas* deductos *fuisse* ecclesias. Vide si lubet lib. 3. de antiq. eccles. Rit. cap. 14. n. 4.

(*b*) l. annos 22. minus quatuor mensibus cum Browero.

[b]

Gesta Hillini archiepiscopi.

Hillinus ex decano creatur archiepiscopus

83. Anno incarnationis Domini MCLII. qui est primus Friderici regis, & octavus Eugenii papæ, Albero archiepiscopus Treverorum ex hoc mundo decessit, & HILLINUS (*c*) decanus majoris ecclesiæ, unanimi consensu tam cleri quam populi in pontificatum successit. Cujus gestorum seriem ut altius aliquantulum repetamus, cum in juvenili ætate Franciam pro studio adiisset, assiduitate legendi ita seipsum exercuit, quod in virum doctissimum enituit. Inde rediens, cum bonis ac probis polleret moribus, aptus ac dignus videbatur magnis honoribus. Quibus e vestigio magnifice præditus, postea, sicut prædiximus, in episcopatum est adscitus, in quo non magnus in oculis suis, sed parvus voluit videri & esse, utpote qui optime noverat, ad hoc se vocatum, ut populo Dei studeret non tam præesse quam prodesse. Et revera plurimum profuit, sicut ex evidenti tam rerum quam causarum eventu suo tempore contingentium sæpe videri potuit.

[c]

(*c*) Ex nobili stirpe dominorum de Falemannia, quod porro hactenus latuit, qua de re vide præfat. 1. tom. hujus collectionis.

Pacem conciliat cum comite Namurcensi

84. Denique fumantem adhuc, ut ita dixerim, titionem de recenti incendio, (*d*) quod inter prædecessorem suum ALBERONEM archiepiscopum, & HENRICUM comitem Namucensem, bellis, rapinis, & cædibus hominum diutius incanduit, non solum non reaccendit, verum etiam quomodo omnino sopitum extingueretur, non armis, sed pace, non animositate, sed lenitate; non temeritate, sed ratione, toto animi annisu intendit. Unde factum est ut tyrannis occasionem nocendi, ubi poterat, prudenter adimeret, & ubi aliter non poterat, pacem ecclesiarum & populi Dei, sub specie honesti convenienter redimeret. Sic in tempore iracundiæ factus est reconciliatio; sic apud Deum & homines la-

[d]

(*d*) Eccard. *decedenti incendio.*

borabat, ne ulterius ſerperet priſtina tribulatio. His bonis artibus apud FREDERICUM imperatorem, cum eſſet Treberis, abbatiam ſancti Maximini, pro qua multa mala contigerant in terra, teſtamento & aureo ſigillo confirmatam, ſibi & ſucceſſoribus ſuis obtinuit. His etiam HENRICUM comitem Namurcenſem & Lutzelburgenſem, pro *Manderſcheit* caſtro epiſcopatum ſæpius invadere molientem, infregit, & ab exterminio patriæ ſapienter abegit.

Ipſi confirmatur ſancti Maximini abbatia.

85. Qualem autem tempore ſchiſmatis, quod anno incarnationis Domini MCLX. *Adriano papa mortuo, in terra exortum*, XIX. annis duravit inter Rollandum qui Alexander, & Octavianum qui Victor vocatus eſt, hic vir præcipuus ſe exhibuerit, quis facile, niſi is qui ſecreta prudentis conſilii ſui noverat, explicare poterit? Certe, ſicut oculatum & circumſpectum animal, in præterita, præſentia & futura proſpiciebat; & cum legatus apoſtolicæ ſedis tunc eſſet, quod utilius, ſalva conſcientia ſua & gratia majorum, videbat, hoc ſuadebat & agebat.

Prudentia ejus tempore ſchiſmatis 1160.

86. Hic caſtrum Schura, mortuo Guillelmo, qui illud ſancto Petro cum allodio, miniſterialibus, & omni familia tradiderat, quod dux MATTHEUS arte & malo ingenio occuparat, ope & adjutorio Friderici imperatoris, cum integritate obtinuit. Caſtrum quod *Seyne* dicitur, cum adjacente prædio, tempore EVERARDI comitis acquiſivit. Similiter caſtrum de *Naſſovve*, quod erat de proprietate Wormatienſis eccleſiæ, munitionem *Bruche* Theoderici, & *Billiche* Fridelonis, & *Reldingunt* obtinuit. Turrim in *Ermbreiſtein* (a) perfecit, & ciſternam ibi magnis ſumtibus effodit. Domos epiſcopales omnino dirutas reparavit, & vallum ibidem in ſolida rupe magnis expenſis excidi fecit, turrim in caſtro *Tris* a fundamento erexit & conſummavit. Similiter in caſtro *Manderſcheit*. Præterea etiam illud ſcribendum merito & perpetuæ memoriæ commendandum eſt, quod inveſtituram & electionem paſtoris eccleſiæ de *Logenſten*, quæ erat de beneficio palatini comitis, reſignatam ſibi ab ipſo palatino coram Frederico imperatore, recepit, cum ei beneficium præſtaret, quod defuncto HERMANNO palatino comite vacabat: cujus eccleſiæ tertiam partem decimæ, quæ utilitatis eſt non modicæ, menſæ epiſcopali in perpetuum delegatam, ſub privilegio confirmavit. Similiter inveſtituram & electionem paſtoris eccleſiæ de *Chemtam*, (b) quæ æque erat de beneficio palatini, ab ipſo receptam, eccleſiæ Sprincherbacenſi delegavit, & in perpetuum poſſidendam in omni utilitate, per manum & privilegium domni Adriani papæ confirmavit.

Caſtella quædam eccleſiæ ſuæ adjunxit.

Ædes epiſcopales reparat.

87. Inter hæc omnia, quod ſuper omnia mirabile & laudabile eſt, tempore præfati ſchiſmatis ita ſe geſſit, quod eccleſiæ Dei & imperio fidem ſervans, utriuſque favorem cum bona conſcientia obtinuit. Et cum in omnibus fere cauſis prudenter omnia providiſſet, de tribus tantum a quibuſdam neſcientibus vel nolentibus conſiderare ſtatum temporis, cauſam rei, & violentiam perſonarum, inſimulatur, quod minus caute egiſſet, quod ſcilicet fratribus Wormatienſis eccleſiæ partem cenſuum de *Pardenen*, pro caſtro *Naſſovven* commutaſſet, & comiti Namucenſi Machera tam pro ratione *Manderſcheit* temporanee, hoc eſt ad vitam ſuam indulſiſſet, & quod Rehinero de *Berge* beneficium ſex carradarum vini dediſſet. Qui merito deberent attendere oppreſſiones, quas epiſcopatus vel tunc ſuſtinuit, vel poſtea ſuſtinere de caſtro *Naſſovven* potuit, quas vir ſagaciſſimus alto & provido conſilio per hanc commutationem omnino depoſuiſſet. De Machera vero, quam comiti Namucenſi ad vitam ſuam tantum præſtitit, hæc ratio extitit, quod comes idem, & comes Viennæ SIFRIDUS, in hoc conſpiraverant, quod uterque caſtellum unum in epiſcopatu ædificaret, unde ille per *Manderſcheit*, iſte per *Arras* (c) epiſcopatum fatigaret. Hanc iterum conſpirationem vir providus, tali modo depoſuit, quod comes Namucenſis Macheram, ſe vivente, teneret, & poſt ſe ad epiſcopatum rediret: Reinhero autem beneficium ſex carradarum ideo præſtitit, quia ſecum in Italiam cum ſuis magnis expenſis ivit.

Tria ipſi objecta.

Purgatur.

88. Ne tamen in his videamur eum omnino contra obloquentium dicta excuſare, conſentire nos oportet illis, qui affirmant eum quoſdam conſiliarios elegiſſe, qui frequenter mentis ejus propoſitum manſuetum & pium a ſtatu rectitudinis averterent, & commodo utilitatis ſuæ ſinceritatem intentionis ejus in multis exorbitare coegerunt, non metuentes (d) illam ſententiam beati Job quæ comminatur eis & eorum ſimilibus dicens: *Ipſe novit & decipientem, & eum qui decipitur, propterea adducet conſiliarios in ſtultum finem, & judices in ſtuporem.* Hæc circa finem vitæ ſuæ contigerunt, eo in maxima debilitate corporis exiſtente. Ceterum in diebus ſuis omnes prælationes & perſonatus præpoſitorum atque abbatum vacabant, abſque duabus, quas ita benigne & honeſte diſpoſuit, quod nulla poſtmodum de eis quæſtio fuit.

Extrema tamen ætate conſiliariorum fraude deceptus non nihil offendit.

89. In diebus ſuis terra abellis, rapinis, & incendiis quievit; unde nactus tempus opportunum, quod diu ante in animo conceperat, inchoavit. Quadam enim ſancta intentione novum opus aggreſſus eſt conſtruere in orientali parte eccleſiæ (e) ſancti Petri, & jactis fundamentis cum magnis ſumtibus, ſtructuram illam erexit; ſed morte præventus, ad finem non perduxit quod inchoaverat; reditus ta-

Schiſmatis invidiam vitat.

(a) Eccardus *Erenbretteſten*. (b) Eccard. *Cheracham*.
(c) Eccard. *pro Manderſcheit, & iſte pro carra*, non ita bene.
(d) Eccardus *perpendentes*. (e) Eccard. *eccleſiam*.

men custodiæ consilio fratrum ad hoc delegaverat, imprecatus mala illi qui auferret. Ipse vero post annos fere XVIII. pontificatus sui die X. calendas Novembris, quam & solemnem in honorem S. Materni, cujus ea die translatio colitur, & venerationem dedicationis majoris ecclesiæ per totum episcoparum prædecessores sui instituerant, quievit.

Hillino memorem semper fer Trevir honorem,
Patri præcipuo pontificique tuo.
Qui denis annis prælatus & octo, tyrannis,
Salva justitia, restitit arte pia,
Quâ pax successit, bellique procella quievit.
Dum legatus erat schisma sed intererat.
Quod sic transivit, medio tutissimus ivit.
Hinc favor ascribi cœpit utrimque sibi.
Denas deflendas peragente Novembre calendas,
Transiit e medio fine vir iste pio.

Gesta Arnoldi archiepiscopi.

Arnoldus eligitur.

90. Anno incarnationis Domini MCLXIX. post decessum Hillini archiepiscopi, primores tam cleri quam populi Trevirensis ecclesiæ convenerunt, & ad suggestionem vel consilium imperatoris Frederici ARNOLDUM præpositum S. Andreæ in Colonia, virum strenuum, providum, sapientem, & nobilem, multisque divinis præpollentem, in pontificatum unanimiter elegerunt. Qui cum invenisset terram totam ex præteritis rapinis, incendiis, atque cædibus hominum a diebus Alberonis archiepiscopi adhuc tabescere, & barones terræ circa ecclesiarum dispendia, ex prava consuetudine quasi per licentiam insolescere; omnes fere nobiles terræ ad bonum pacis & concordiæ revocavit, non solum frequenti ammonitione, & correptione, verum etiam largiflua magnorum munerum largitione. Cumque super hoc a quibusque familiaribus redargueretur, quod ipse vir tantarum divitiarum & tantæ potentiæ, qui vi posset injuriis tyrannorum resistere, quasi pro timore hominum sua eis largiretur; respondebat humiliter: Deum se testem habere, quod ipse Deus esset sibi in causa, pro cujus amore mallet sua potius erogare, quam se bellis implicare, quibus daret occasionem importunis hominibus, ut latrocinia vel homicidia, seu cetera mala exercerent, vel laborarent ecclesias seu pauperes Christi devastare vel omnino dissipare. Ad hoc, inquit, volo largitione facultatum mearum insolentiam violentorum reprimere, ut & eos qui inferunt, & eos qui patiuntur calumniam redimam, quos Christus dignatus est suo sanguine redimere.

Pacis studiosus nobiles suæ diœcesi infestos muneribus delinit.

Bella ab Arnoldo strenue gesta.

91. Non tamen hæc agens vel dicens, vir providus & strenuus, omnimodis a bellis abstinere potuit, propter crebras incursiones quas episcopium a FREDERICO filio MATTHEI ducis ex sorore Friderici imperatoris sustinuit. Illum denique res episcopii diripientem, nec ammonitione nec beneficiorum largitione quiescere volentem, coadunato valido exercitu, apud * *Sigerbech* obsedit, ubi ad tales conditiones eum coegit, quod proprietatem ejusdem castri cum omnibus attinentiis suis sancto Petro dedit. Similiter hereditarium jus allodii sui, quod habebat in castro *Horbech*, S. Petro contulit. Idem archiepiscopus viriliter repressit comitem de *Nassoven*, jura ecclesiæ Trevirensis sibi usurpantem in argentaria fossa de *Homecen*; (a) & in eadem villa. Ipse etiam cum temporibus suis imperator Fridericus cum exercitu intraret Italiam, ad reprimendam Lombardorum fraudulentiam, ter virili animo cum magnis copiis & glorioso apparatu secum ivit, nec umquam super his aliquam exactionem ecclesiis vel civibus imponere imperatorem permisit, nec sibimet ipsi quæsivit: sed de propria substantia se & universos secum comitantes largiter sustentabat; similiter etiam consilio & prudentia omnibus spectabilis factus, tanti itineris difficultatem feliciter pertransivit. *Sirsberger.* [a]

Provider ne vexetur ecclesia apostolicorum nuntiorum cupiditate.

92. Illud etiam de tanto viro commendabile est, quod cum antiquitus ex religiosa consuetudine ab apostolica sede cardinales ad consolandas & erigendas ecclesias emitterentur, modo autem nostro hoc tempore nimiis angariis per eos qui circa cardinales erant, ecclesiæ gravarentur, ut primum adventum eorum præsentire potuit; extra suam diœcesim eis occurrere curavit, de propriis rebus & donariis eis ministrans & honorifice remunerans alias divertere fecit, sicque ecclesias ab eorum gravamine liberavit. Pro his tamen expensis numquam ab ecclesiis aliquid exegit, sed ut ferventiores essent in divino servitio, de facultatibus suis potius eis subministrare elegit. Inde est etiam illud de eo valde prædicabile, quod cum in primis suæ prælationis temporibus ecclesias circuiret, & eas fere omnes, propter mala prædicta, quæ tempore Alberonis archiepiscopi contigerant in terra, desolatas & ære alieno oppressas inveniret; ita juxta uniuscujusque qualitatem, eis de sua substantia erogavit, quod in brevi eas a debitis expediens, ad pristinum statum reparavit. Denique in obitu suo ad duo millia marcarum sunt computata, quæ ab eo in eleemosynam quibusque ecclesiis sunt erogata.

93. Tempore vero suo gravis controversia in ecclesia Treverensi de archidiaconatu ultra Rhenum * emerserat, quæ ingratitudinem & rancorem plurimum quorumdam contra eum suscitaverat. Si quidem prædecessor ejus HILLINUS archiepiscopus prædicandæ memoriæ, eumdem archidiaconatum GODINO Monasterienſi præposito, filio fratris sui, cum adhuc esset puerulus, circa finem vitæ suæ dederat; sed succedens sibi ipse domnus ARNOLDUS archiepiscopus, & videns eum infra

* S. Lubentii.

Godinus Hillini nepos

* Berta

(a) Ad thermas Emprzianas regionis Longanæ.

annos, archidiaconatum multo tempore in manibus suis detinuerat. At ubi Godinus aliquantulum invaluit, requirere dignitatem ab avunculo sibi delegatam voluit. Quam dum petendo, quærendo, pulsando obtinere non valeret, & ad apostolicum vadens & rediens multis quæstionibus suum negotium opportune importune exerceret; animum tamen pontificis ad impetrandum quod petebat, nescimus qua de causa, numquam lenire potuit, quod postmodum magnum suscitavit scandalum & occasionem gravis discordiæ. Præpositus enim sancti Paulini ALBERTUS, Romam ad apostolicum profectus, litteras ab eo clanculo reportavit, in quibus auctoritate apostolica archiepiscopo mandavit, ut archidiaconatum prædictum ipsi Alberto conferret, quod & factum est licet minus considerate, quod ita factum est, quod Godino non dabatur locus & audientia defendendi partem suam. Inde postmodum motæ sunt variæ quæstiones, & de quæstionibus multiplices seditiones, quæ ad præsens enarrare non est instantis operis.

Plemoritur. 94. Ipse autem domnus archiepiscopus non multo post tempore ægrotare cœpit usque ad mortem, & introierunt ab eum viri venerabiles LUDOWICUS abbas sancti Eucharii, & GISILBERTUS abbas de Claustro, ut visitarent eum, quorum ammonitione & consilio dispositis & ordinatis omnibus rebus suis, & maxime in largitionibus eleemosynarum, quas ecclesiis delegavit, & contriti cordis humillima confessione, & omnium ecclesiasticorum sacramentorum devotissima perceptione, in die S. Urbani papæ qui est VIII. cal. Junii, ad Dominum in pace migravit. Post cujus decessum parum vel nihil de omnibus divitiis suis, quas in urbe vel castellis reliquerat, ad effectum suæ ordinationis processit, præter hoc solum quod industria præfatorum abbatum illa rata manserunt, quæ ecclesiis ad eleemosynam concessit. Si quidem WERNERUS de *Bolandan* cum aliis nuntiis imperatoris omnia ubique invaserunt, & copiosas ejus divitias in potestatem imperatoris redegerunt.

De Folmaro & Rudolpho.

Rudolphus Arnoldi successor designatur. 95. Anno igitur incarnationis Domini MCLXXXIII. defuncto Arnoldo archiepiscopo facta est dissentio de altero eligendo in ecclesia Trevirensi. Nam præcedente vespera diei qua sepeliendus erat, convenerunt canonici majoris ecclesiæ cum prælatis, ut deliberarent quem eligerent. Maxima autem pars cleri in personam RUDOLFI præpositi majoris domus, mediante decano, consensit; sed nocte sequenti, negotio perambulante in tenebris, omnino immutatum est quidquid ante inchoatum fuerat. (a) Nam post

(a) Longe aliter dissentionis hujus exordia narrat Arnoldus Lubecensis, quem præfert Brovverus, cui etiam consentit Auctuarium Aquicinctinum.

A sepulturam patris sui, cum ad electionem convenissent, FOLMARUS archidiaconus dixit illi hesternam denominationem ita promulgatam fuisse, ut cui major pars cleri vel populi faveret, ipse in episcopatum succederet. Ad quod verbum factæ sunt partes, & inter partes altercationes graves. Tunc WARNERUS de *Bonlande*, annuente palatino comite, instabat, ut electio ad imperatorem deferretur, sed FOLMARUS insistebat, ut statim episcopus eligeretur, ex decretis probare intendens, quod nullo temporis spatio sedes episcopalis vacare deberet. Ad hæc multa fuerunt objecta. Tandem statuerunt, ut ad nonam differretur verbum, & tunc signo campanæ omnibus convocatis, causa terminaretur. Ita ab invicem digrediuntur. Sed Folmarus cum suis ad laicos, quorum tunc multitudo maxima in claustrum advenerat, egreditur, & ne aliqua mora electionis fiat, modis omnibus laborat, monet, & hortatur. Ejus in favorem HENRICUS dux de *Limburch*, multa prælocutus, cum aliis nobilibus & ministerialibus atque civibus, monuit ne ab invicem separarentur, & qui digressi fuerant revocarentur. Ad quod missi sunt primo clerici, secundo nobiles & liberi, tertio ministeriales & cives idonei. Qui reversi nuntiant quosdam longius processisse, quosdam in vicino jam ad prandium consedisse, qui orarent, ut juxta conditum ad nonam expectarent, & tunc congregatis omnibus pro episcopo constituendo in pace tractarent. At illi non acquieverunt, sed absentibus aliis, in electionem Folmari convenerunt, & raptum eum potius quam electum, magno concursu in oratorium & in sedem episcopalem traxerunt, & sic ad propria recesserunt. Circa nonam vero horam, juxta conditum, alii cum palatino comite & Warnero de *Bonlande* ad signum campanæ convenientes, qualiter talis electio cassaretur, omnibus modis elaborare intenderunt, & missa legatione imperatori, dissentionem partium intimaverunt. A quo ad Constantiam civitatem evocati sunt, ubi judicio principum sancitum fuit, quod imperator per consilium principum, si in electione discordarent, quam vellet idoneam personam subrogaret. At ipse optionem electionis iterum in præsentia sua eis concessit, ita si præteritæ electionis discordiam deponere vellent; ubi Folmarus interesse nolens, discessit. Alii vero, quamvis pauci, RUDOLPHUM præpositum iterum electum præsentaverunt, & ab imperatore investitum, ad propria reduxerunt. Qui cum Treverim venisset, fautores Folmari domum (b) S. Petri præoccupaverunt & clausis introrsum januis, aditum omnem cum satellitibus & armis ei prohibuerunt. Sed apud sanctum Symeonem solemniter susceptus, auctoritate imperatoris episcopatum saisivit.

Folmarus ejus competitor.

Henricus Limburgius stat pro Folmaro eligendo.

Electionem improbant legati imperatoris.

Rudolphus investitur.

(b) Id est ecclesiam cathedralem B. Petro sacram, quæ vulgo *le Dome* dicitur.

Folmarus Romam adiit

96. At Folmarus tem marique laboriosum iter arripiens, Lucium papam adiit, causam dixit, justitiam a sede apostolica expetiit. Papa dudum litteras omnium personarum ecclesiæ Treverensis susceperat contra eum, & quia per subreptionem magis quam per canonicam electionem obtinere velle audierat; ad curiam suam die eis præfixa adversarios suos cum personis ecclesiæ evocavit, & audito electionis ordine circa utramque personam, nihil eo tempore super hoc determinare judicavit, usque ad præsentiam imperatoris, qui ei de eodem negotio scripserat, quique jam in procinctu viæ erat (a) occurrere ei apud Veronam. Ubi dum convenissent, & de negotiis, quæ inter sedem apostolicam & imperium versabantur, quæstiones hinc inde discuterentur, (b) inter ceteras quæstiones, ista habita est, non una de minimis. Imperator enim causam Rudolfi præpositi suam faciebat, unde & constanter petiit, ut eum quem per sententiam principum investissel, papa consecrare non differret. Quod cum apostolicus, more curiæ, de die in diem protrahendo imperatori firmam spem suæ voluntatis exequendæ promitteret, tandem suggestum est imperatori a cardinalibus, quod ad sententiam dandam papa procedere non posset, nisi auditis allegatoribus utriusque partis. Ex consensu igitur imperatoris Rudolphus cum suis processit ad curiam, cui ex adversa parte Folmarus cum suis, quos evocaverat ad se, cum decano majoris ecclesiæ, resistere paratus, litem suæ causæ ingressus est. Lite igitur contestata, dum utrimque diu disputatum esset, & allegationes eorum in scriptum redactæ, curiæ representatæ fuissent, quia ita perplexum erat negotium, ut hinc imperatorem, inde papam graviter tangere videretur, diffinitivam sententiam promulgare distulit, & sic non modicum temporis elapsum est.

[a] Causa agitur Veronæ.

[b]

Henricus VI. rex Folmarum sectantibus infensus.

97. His ita se habentibus, rex HENRICUS filius imperatoris Treverim & in finitima ejus cum multitudine gravi venit, & inductus quorumdam pravorum consilio, immunitatem cleri & libertatem civium quam prædecessores sui glorioſissimi principes ei contulerant, & inviolatam usque ad dies illos servaverant, infregit. Nam milites sui & apparitores irruentes in domos clericorum, maxime eorum qui partem Folmari tueri videbantur, omnia bona eorum diripuerunt, quin etiam domum Folmari ad solum usque redigerunt. Si quis autem civium a delatoribus accusatus fuerat; vel ad redemtionem corporis & rerum suarum cogebatur, vel captivus adducebatur; quod factum initium & causa fuit magni mali & discordiæ inter regnum & sacerdotem: siquidem fama hujus mali cum ad curiam perveniſſet, cardinales & universus clerus, qui de diversis provinciis ad curiam venerat, tantam injuriam in præsentia summi pontificis graviter deplangebant, adeo ut ipsum etiam ad lacrymas converterent. Missis itaque legatis suis imperatorem, rogavit ut clericis Treverensibus ablata restituerentur. Quibus imperator respondisse fertur: Immunitates ideo concessæ sunt clericis, « ut sequestrati a forensibus causis & tumultu « populi, cum humilitate & devotione Deo in « pace deserviant. Si autem quæ Dei sunt relinquentes, ea quæ sibi concessa non sunt usurpaverint, privilegio libertatis suæ gaudere « non debent, nisi resipiscant. Quia igitur Treverenses clerici jura imperii, quæ ab antecessoribus nostris divis imperatoribus usque ad « tempora nostra illibata permanserant, attingere præsumserunt, juste a filio nostro glorioso rege HENRICO ut hostes reipublicæ habiti sunt. Si autem dictis: sine sententia curiæ nostræ & principum contra illos ejus emanavit edictum, non commendamus, & ut « in statum pristinum restituantur volumus. Hoc responso accepto, nuntii reversi sunt in curiam. Dum hæc ita gererentur Lucius papa plenus dierum migravit ad dominum, cui statim substitutus est URBANUS, qui fuit archiepiscopus Mediolanensis. Is cum de negotio Treverensi nihil determinatum inveniſſet, gravius quam expediret, causam hujus negotii aggressus est; nam fere totus mundus diversis emergentibus causis, ex hoc facto commotus est, quod quomodo ad effectum processerit in sequentibus declarabitur.

1185.

Urbanus III. Lucii II. successor é- Folmari de ctionem p probat ipsa que confe- erat.

98 Contigit olim, cum imperator FRIDERICUS Mediolanum civitatem magnam obsessam ad deditionem coëgisset, cognatos & parentes domini URBANI papæ inter ceteros captivos teneri, quorum quosdam proscriptione damnavit, quosdam mutilatione membrorum deformari præcepit. Ob cujus itaque facti vindictam, dicebant quidam prædictum apostolicum, antequam ad sedem apostolatus conscendisset, gravissimum rancorem servasse in corde suo contra imperatorem, quod postea in propatulo claruit, secundum eorum assertionem quibus causa nota erat. Nam postquam ad summi pontificatus gloriam sublimatus fuerat, omnibus viribus laborabat, quomodo imperatoris dignitatem & excellentiam humiliaret. Dum enim de compositione pacis inter eos a cardinalibus & episcopis diu laboratum esset, & quæstiones quæ inter sedem apostolicam & imperium de terra marchioniſſæ Mathildis, a tempore Alexandri & Lucii papæ ventilatæ erant, jam per compositionem terminandæ essent, imperatore nihil male suspicante, ipse domnus papa URBANUS contra juramentum, quia in verbo Domini juraverat, & per venerabilem virum Monasterienſem episcopum HERMANNUM imperatori mandaverat, videlicet quod FOLMARO numquam munus consecrationis imponeret, sicut idem episcopus postea coram

(a) Eccardus *vix erat.* (b) Eccardus *discurrerent.*

ram principibus confeſſus eſt, electionem Folmari approbare feſtinavit. Convocatis ſiquidem partibus, FOLMARI videlicet & RUDOLFI præpoſiti, quæ a tempore Lucli papæ adhuc in curia diffinitivam ſententiam præſtolabantur, utriuſque partis allegationes legi recit, & ſic ad ſententiam promulgandam conſilio fratrum ſabbato ante aſcenſionem hora nona proceſſit. Tanta erat feſtinatio, ut non daretur præpoſito tempus deliberandi uſque mane: cum tamen inter cardinales eſſent quidam ſanioris conſilii, quibus videretur ſanum eſſe & juſtum, ut utriuſque electio caſſaretur, & eccleſiæ Trevirenſi libera electio redderetur, vel ſententia in tempus magis opportunum differretur. Quorum conſilium papa nimis caute, ſi dici fas eſt, transgrediens, quod animo diu conceperat, ad effectum publice perduxit. Nam deſtituto Rudolfo præpoſito, quia de manu imperatoris inveſtituram receperat, electionem Folmari confirmavit, quem confirmatum conſequenter in archiepiſcopum Treverenſem conſecravit.

Quod gravius tulit Imperator.

99. Imperator, audita novitate hujus facti, ſicut conſtantiſſimus ſemper fuerat in omnibus viis ſuis, motum animi ſui repreſſit, & more ſolito indignationem mentis riſu colorans, alto cordis ſecreto injuriam iſtam repoſuit, & mandavit filio, qui tunc temporis in Tuſciam victrices Aquilas converterat, ut injuriam imperio illatam vindicare non omitteret. Igitur rex HENRICUS nil moratus, exercitum convertit in Campaniam, & in omnem circa regionem, totamque terram illam vel in deditionem accepit, vel omnino devaſtavit, nullique ſecurus tranſitus dabatur eundi aut redeundi ad apoſtolicam ſedem.

Folmarus revertitur in Germaniam.

100. Interea Folmarus, accepta conſecratione pontificali, ex præcepto papæ feſtinavit redire ad ſedem ſuam. Mutato itaque pontificali habitu, in ſchemate ſervili de Verona noctu aufugit, & per montium pericula, per anguſtias ſemitarum, & quod gravius erat, per cuſtodes, qui obſervabant introitus & exitus viarum, de Italia magno labore in Galliam pervenit. Ubi cum ad civitatem Tullenſem perveniſſet, ab epiſcopo ejuſdem civitatis PETRO non eſt receptus, pro timore & reverentia imperatoris. Inde vero digrediens, ad Metenſes, qui adventum ejus deſiderabant, iter arripuit, a quibus cum magno gaudio & ſolemni proceſſione receptus, epiſcopo eum ducente, & obſequium ſicut archiepiſcopo ſuo ei præſtante, in palatium ipſius eſt introductus. Ubi dum per aliquot dies requieviſſet, impatiens moræ, ad Montem S. Petri in terra comitis THEBALDI de * *Brieſi*, tum (a) ipſo conductum præſtante, divertit, ſedemque ſuam ibi conſtituit, & ſtatim quoſdam de prælatis Treverenſis eccleſiæ non legitime citatos, ab officio & beneficio ſuſpendit. Simili-

[a] * Theobaldi Comitis Bartenſis.

(a) Eccar. *de Brie ſitum.*

ter & clericos quoſdam cum laicis excommunicavit, diſcurrebantque ſententiæ ſuæ ſine ordine & ſine diſcretione & miſericordia.

Schiſma apud Trevi-ros.

101. Orta eſt igitur in eccleſia Treverenſi gravis ſeditio, & ſcandalum quale ante auditum non fuerat, in clero & in populo conflatum eſt. Nam fautores Folmari Rudolphum præpoſitum & omnes ſequaces ſuos, quaſi excommunicatos, vitabant, & litteras excommunicationis eorum quibus volebant oſtenderunt. Illi autem, e contrario (b) muniti præſidio militum imperatoris, qui tunc frequentius in civitate & in finibus ejus morabantur, obſervabant vias adverſariorum ſuorum, ut ſi quos invenirent hujus viæ aut profeſſionis viros ac mulieres, vinctos perducerent ad imperatorem. Unde factum eſt ut quemdam monachum Ciſtercienſis ordinis, qui ſe nuntium archiepiſcopi Folmari eſſe dicebat, comprehenderent, & in cuſtodia palatii uſque ad reſponſum imperatoris detinerent; cujus abſolutionem rex Franciæ apud imperatorem poſtea obtinuit, ſub hac determinatione, ne de regno ſuo aliquas litteras Folmari vel mandatum affetret. Quid plura? Creſcebat in dies malum diſcordiæ, & augmentabatur, & non erat qui attenderet. Cum etiam ipſi, qui videbantur aliquid eſſe in eccleſia Trevirenſi, cauteriſatam haberent conſcientiam, conſiderantes ex una parte maledictionem excommunicationis, ex altera parte timentes deſtructionem eccleſiarum, & utrobique, permittente Deo, regnare ſpiritum erroris. In hac perplexitate involuti tenebantur, nec erat facile invenire conſilium de duobus malis potius eligere, dum hinc ſpiritalis gladius indiſcrete ſæviret, inde materialis non unum hominem, ſed uni commiſſum gregem fidelium, pro facto unius adſumendo, diſpergeret. In tantum autem crevit malum, ut ſi quis a prælatis ſuis pro exceſſibus arguebatur, quaſi ipſe ſolus catholicus inventus eſſet, eos excommunicatos denuntiabat. Si qui etiam in clero vel in populo modeſtius ſe gerebant, quaſi rei majeſtatis, FOLMARIANI eſſe dicebantur, & opprimebantur a ſuperveniente iniquitate inſidiatorum. Et completa eſt prophetia illa in prælatis Treverenſi eccleſiæ, quæ dicit: *Et erit ſicut populus ſic & ſacerdos.* Qui enim ante ſpiritalis gladii terrore inimicos ſuos & invaſores eccleſiarum ferire ſolebant, nunc * in deriſum & opprobrium facti ſunt, inimicis ſubſannantibus eos & dicentibus: Excommunicationes veſtras non timemus, anathemata veſtra non pertimeſcimus, quia vos in eadem damnatione poſiti eſtis. Hæc dicentes impune res eccleſiarum diripiebant, & non erat qui reſiſteret. Et factum eſt ut Treveris, quæ olim erat alumna veritatis, cogeretur iterum eſſe ancilla erroris. Completa eſt ergo in ea pro-

[b]

* Nota ejus rei auctorem.

(b) Eccar. *ejusdem.*

phetia beatæ virginis Hildegardis, quam in præſentia totius cleri, & poſtea ſcripto de ea prophetavit dicens: „Scindetur pallium dilationis divitiarum tuarum. Audiant qui conflatores ſchiſmatum eſſe non verentur, & diſcant in malis noſtris veſaniæ ſuæ impetum refrænare, & non mentiri Spiritui ſancto, cum ad electionem conſederint. Electiones enim datæ ſunt fidelibus, non ut propriæ voluntatis commodum, aut gratiam amicorum quærant, ſed ut communem omnium ſalutem per invocationem S. Spiritus in ſinceritate cordis perquirant. Hanc digreſſionem neceſſariam eſſe rati ſumus, nunc ad propoſitum rédeamus.

Conventus apud Lutram ad ſedandum ſchiſma Trevirenſe.

102. Imperator, diſpoſitis rebus ſuis in Italia, & Cremonenſibus, quibus tunc bellum intulerat, in gratiam receptis, in Galliam & in Germaniam cum feſtinatione reverſus eſt. Convocatis igitur principibus apud Lutram caſtellum, (a) Treverenſes etiam illuc evocari præcepit, inter quos etiam Rudolfum præpoſitum cum ceteris prælatis acciri mandavit. Habito itaque ſermone ad principes, injuriam ſibi ab apoſtolico irrogatam, & temeritatem Folmari coram omnibus expoſuit. Conſilio principum prædictum præpoſitum, qui jam deſtitutus a papa in domum ſuam redierat, manifeſte conveniens, duarum propoſitionum alteram eligendi optionem ei dedit; ut vel ad ſedem principatus ſui Treverim rediret, vel alterum cum ceteris prælatis & clero eligeret, quem in locum ejus ſubſtitueret. Inito igitur conſilio, Treverenſes, cum in tanto diſcrimine rerum poſiti eſſent, malebant minori ſubjacere periculo, quam majus capiti ſuo aggravare malum. Satius enim videbatur eis majoris præpoſiti, viri manſueti & pacifici, ſine electione dominium ferre, quam alterum contra interdictum apoſtolici per electionem intrudere. Urgebat (b) enim ſermo regis, ut alterum duorum facerent. Aſſumto itaque ſecum Rudolpho præpoſito, ad propria redierunt, & eum in loco electi ſine electione reverenter tenuerunt. In hac curia Bertramnus Metenſis epiſcopus, cum non eſſet ante in gratia imperatoris, propter ſolemnitatem quam exhibuit Folmaro redeuntide ſede apoſtolica, juravit quod indignationem imperatoris tantam adverſus eumdem Folmarum tempore quo eum recepit non percepiſſet, (c) quantam poſtea recognovit, & quædam alia capitula in eodem juramento addidit.

Folmarus concilium indicit.

103. Dum hæc ita geruntur, Folmarus ab incœpto non deſiſtens, legationem apoſtolicæ ſedis a papa per nuntios impetravit, ut facta ſua majorem auctoritate ſummi pontificis ſortirentur vigorem. Accepta igitur ſuæ voluntatis plenitudine, ſtatim Treverenſibus & ſuffraganeis eccleſiis concilium indixit apud *Moſomum* (d) caſtrum archiepiſcopi Remenſis, qui eum eo tempore manutenebat, & ſolatium ei per ſe & ſuos in multis exhibebat. Univerſi itaque tam cleri quam prælati ſuffraganearum eccleſiarum, & plurimi paſtores eccleſiarum de archidiaconatu, quod inter Treverim & Ivodium caſtrum conſtitutum eſt, timentes ordini ſuo, ad concilium iſtud, antecedente eos Metenſe epiſcopo, dominica qua cantatur *invocavit* convenerunt. Petrus vero Tullenſis & Henricus Virdunenſis epiſcopi, appellatione interpoſita, non venerunt. Venerunt & multi tam magiſtri quam clerici de Francia, inter quos etiam quidam epiſcopi, animantes eum, ut auctoritatis ſibi conceſſæ poteſtate uteretur, & ſubditos ſuos a ſubjectione reſilientes, cenſura eccleſiaſtica coerceret. Horum ergo ſuffragiis animatus, prælatorum quoſdam & clericorum Treverenſium excommunicavit, quoſdam ab officio & beneficio ſuſpendit, quoſdam vero ſine ſpe veniæ depoſuit. Petrum etiam Tullenſem epiſcopum excommunicavit, Henricum Virdunenſem ultro ſe offerentem, ab epiſcopatu depoſuit, & ſic in abſentes graſſatus, non convictos neque confeſſos damnavit. Hæc ergo cauſa malorum iracundiæ fomitem miniſtravit, & indignationem imperatoris contra eum magis ac magis accendit.

Philippus Rex Franciæ fœdus init cum Friderico.

104. Per idem tempus rex Franciæ Philippus illuſtris & magnificus juvenis, cum imperatore per internuntios agebat, ut confœderarentur ad invicem contra inimicos ſuos. Quod imperator benigne acceptans, cœpit eſſe auctor hujus confœderationis, ratus ſibi in multis poſſe favorem regis Franciæ prodeſſe. Confirmatum eſt igitur fœdus amicitiæ inter duos principes terræ, & bullis eorum aureis in ſcripto roboratum; ubi inter cetera amicitiæ vincula rex Franciæ, ad inſtantiam imperatoris, promiſit quod Folmarum de regno ſuo ejiceret: quod etiam executioni mandaſſet, niſi interventu Remenſis archiepiſcopi interceptum fuiſſet. A Moſomo caſtro tamen mandato regis ejectus, Remis, & in alias Franciæ civitates ſeceſſit. Tempore vero quo imperator & rex in extremis finibus regnorum ſuorum, inter Ivodium & Moſomum videlicet, ſibi occurrerunt, ad confirmandum fœdus amicitiæ ſuæ, præſentialiter, inſtante imperatore, compromiſſum eſt a rege Franciæ & principibus ſuis, quod de cetero Folmarum in regno Francorum non permitterent delitéſcere. Videns ergo ſe Folmarus illuſum a Francis, ad regem Angliæ, qui tunc temporis gravem animum gerebat adverſus imperatorem, ſe convertit. Qui honorifice eum ſuſcipiens, in territorio Turonenſi apud ſanctum Coſmam (e) locavit, & reditus ei quoti-

(a) Treviros inter & Nemetes ſitum. Eccardus legit *Litram*.
(b) Eccardus *vigebat*.
(c) Hæc vix poſſunt conciliari cum Arnoldo Lubecenſi.
(d) Madaurenſis Epiſcopus in Annal. Met. Remis non Moſo-

mi habitam ſynodum refert, aliasque circumſtantias paulo aliter: ſed noſtro auctori major debetur fides.
(e) Monaſterium Canonicor. Regularium S. Auguſtini pœnitentia & ſepultura Berengarii Andegavenſis archidiaconi notum.

dianos ad vitæ ſubſidium large ſatis aſſigna-
vit.

Bertramnus Metenſis Epiſcopus ſede pellitur.

105. Interea imperator acceptæ injuriæ non immemor, epiſcopum Metenſem, quia in concilio Moſomitano cum Folmaro viſus fuerat, per Warnerum de *Boulande* de epiſcopatu ejecit, qui confugiens ad Colonienſem archiepiſcopum, apud eum per omne tempus ſchiſmatis delituit: cum tamen idem vir venerabilis Colonienſis videlicet archiepiſcopus, pro eodem negotio graviſſimum jam adverſum ſe ſenſiſſet imperatoris animum. Aliis namque principibus contra factum URBANI papæ imperatori aſſiſtentibus, ipſe ſolus, multiplicibus intervenientibus cauſis, non conſenſit, ſed cum diverſæ diſcurrerent inter eos quæſtiones, hac honeſta occaſione aſſumta, ipſi in faciem reſtitit, & contra omnem impetum ſe muniens, non formidabat imperii principatum, ut cum aliis ſuo ſe opponere vellet patri ſpirituali. Unde factum eſt ut graviſſimi motus interimperatorem & ipſum Colonienſem principem emergerent, qui totum imperium commovere potuiſſent, niſi quod, divina favente clementia, in curia apud Moguntiam celebrata, quæ appellatur curia Chriſti, mediantibus principibus, & multiplicatis interceſſoribus, ſopiti ſunt.

Petrus Tullenſis ad ſedem apoſtolicam accedit.

106. Dum hæc ita geruntur PETRUS Tullenſis epiſcopus, audita excommunicationis ſuæ ſententia in concilio facta, ad ſedem apoſtolicam, ad quam appellaverat, acceſſit, cui dum appropinquaſſet, *audivit* URBANUM papam tertium de hoc mundo migraſſe, feſtinavitque ut ejus intereſſet exequiis. Præmiſſis igitur nuntiis, adventum ſuum curiæ intimavit. Interea fratres ad electionem conſedentes, ALBERTUM cancellarium, virum ſanctum & religioſum, in locum paſtoris defuncti ſubſtituerunt, eumque GREGORIUM octavum appellaverunt. Qui audiens de adventu Tullenſis epiſcopi, mandavit ei ut ſuæ feſtinaret intereſſe conſecrationi. Quod quidam cardinalium indigne ferentes, dicebant eum excommunicatum eſſe a ſuo archiepiſcopo & ideo conſecrationi apoſtolicæ ſedis non debere intereſſe, niſi impetrata prius abſolutione. Ille autem e contrario dicebat, epiſcopum non convictum a ſuo archiepiſcopo non poſſe excommunicari, ſe autem appellationem interpoſuiſſe, & ideo excommunicationem illam nullius eſſe vigoris. Ergo ubi nulla eſſet excommunicatio, nulla petenda eſſet abſolutio. Cui cum omnes in verbo iſto conſenſiſſent, in oſculo pacis receptus, conſecrationi interfuit apoſtolicæ.

Revertitur cum mandatis apoſtolicis ad Folmarum.

107. Expletis igitur pro quibus venerat negotiis, cum benedictione apoſtolica ad ſedem propriam reverſus eſt, ferens ſecum mandatum apoſtolicum ad archiepiſcopum FOLMARUM, ne de cetero omni tempore vitæ ſuæ, ſine ſcitu apoſtolicæ ſedis, in clerum vel populum Treverenſem & ſuffraganeorum eccleſiarum jacula ſententiarum ſuarum & excommunicationum paſſim emittere præſumeret. Arguebat enim eum papa propter indiſcretam ſuæ temeritatis præſumtionem in ſententiarum promulgatione, dicens: negligentiæ ſuæ imputari debere, quod mandata apoſtolicæ ſedis in deſpectum veniſſent hominum, & cum ipſe miſſus fuerit pacem mittere non gladium, multos in confuſionem & ſcandalum, paucos revocaverit in gratiam.

Capta civitate Jeruſalem Occidentales invitat Gregorius ad expeditionem adverſus infideles.

108. In diebus illis Orientalis eccleſia Judæa & Jeruſalem, cum principibus populi ſui, a Saladino rege Sarracenorum, permittente Deo, capta eſt. Crux etiam ſancta, in qua pependit innocens Agnus, qui tulit peccata mundi, cum innumeris captivis abducta eſt, veneruntque gentes in hereditatem Chriſti, & polluerunt templum ſanctum ſuum, & effuderunt ſanguinem ſanctorum in circuitu Jeruſalem, & non erat qui ſepeliret. Audiens autem GREGORIUS papa captam civitatem ſanctam, flevit ſuper illam dicens: *Deducant oculi mei lacrymas per diem & noctem, & non taceant, quia contrita eſt virgo filia populi mei, plaga peſſima vehementer.* Planxit autem planctu magno ſuper deſolatione terræ, & noluit conſolari uſque ad finem vitæ ſuæ, quia propter ſcelus populi, parvuli ejus ducti ſunt in captivitatem. Aſſumto igitur viro venerabili HENRICO Albanenſi epiſcopo, miſit eum ad imperatorem & ad ceteros reges terræ & omnes populos, principes, & omnes judices terræ, ut miſeriam orientalis eccleſiæ coram eis deplangeret, & hortaretur eos crucem ſumere, & pro Chriſto laborem ſubire, ad faciendam vindictam in nationibus, & terram ſanctam liberare de manu hoſtili. Ut autem ad hoc imperatoris excitaret devotionem, de negotio Treverenſi cœpit temperantius agere, quia ſciebat ejus animum pro eodem negotio curiæ apoſtolicæ valde offenſum fuiſſe. Igitur vir venerabilis HENRICUS epiſcopus Albanenſis de nocte conſurgens, tranſivit montana cum feſtinatione, & venit in terram quam ſibi monſtraverat papa, & prædicavit in ea prædicationem, dicens: Qui non bajulat crucem ſuam & non ſequitur Chriſtum, non eſt eo dignus. Facta autem hac voce, convenit multitudo ad curiam Moguntinam, quæ appellabatur, *Curia Chriſti*, ubi Chriſtianiſſimus imperator cum filio ſuo duce Sueviæ, & principibus populi ſui, & cum multitudine valida armatorum, ſumta cruce, ſecutus eſt Chriſtum, commendans filio ſuo regi cum ceteris imperii gubernaculis, etiam Treverenſe negotium, cujus conſummationis nondum venerat finis. Cum autem GREGORIUS papa in exordio apoſtolatus ſui huic negotio finem impoſiturus eſſet, raptus eſt ne malitia muraret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animam ipſius. Multa enim propoſuerat immutare in eccleſia Dei, & in meliorem ſtatum ſecundum conſiderationem animi ſui

Curia Chriſti Moguntiæ celebratur.

reformare : ſed antequam ad effectum propoſitum ſuum perduceret, ſicut prædictum eſt, morte intercedente præventus eſt. Conſummatus igitur in brevi, indeterminatum reliquit Treverenſe negotium.

109. Defuncto itaque papa GREGORIO CLEMENS tertius ſubſtitutus eſt. Hic cum de negotio Treverenſi, quod celebre erat in curia & in univerſo mundo, a prædeceſſoribus ſuis nihil determinatum inveniſſet, volens ſatisfacere principibus, imperatori videlicet & regi, conſilio fratrum decrevit eidem negotio finem imponere. Emiſſis igitur duobus cardinalibus, JORDANO videlicet & PETRO, quæſtiones quæ inter prædeceſſores ſuos & imperatorem ventilatæ erant, in formam diffinitivam redactas, per eos imperatori & regi tranſmiſit. Imperator autem, cum jam in procinctu itineris ſui eſſet, acceptavit formam compoſitionis illius, & eam in charta conſcribi fecit, bulliſque aureis confirmari(a) mandavit. His itaque geſtis imperator, cum in ſpatio hujus anni commeatus viarum & expenſas itineris præparaſſet, iter arripuit, & exercitum vivificæ crucis per deſertum Hungariæ & Bulgariæ, quaſi alter Moyſes tranſduxit. Cujus itineris & rerum geſtarum ſeriem, quia nobis ad plenum non innotuit, & non eſt inſtantis operis omittentes, ad præpoſiti negotii finem explanandum redeamus.

Fridericus Terram ſanctam petit.

[a]

110. Rex igitur HENRICUS poſt diſceſſum patris ſui, negotii Treverenſis diſpendium volens abbreviare, nuntios ſuos ad papam tranſmiſit, ut compoſitionem quæ inter eos facta fuerat, & quam ſcripto jam confirmaverat, in publico executioni mandaret. Ubi autem venit plenitudo temporis, ut miſeriarum Treverenſis eccleſiæ finem diu expectatum Dominus imponere vellet, CLEMENS papa legatum apoſtolicæ ſedis dominum GOFRIDUM tituli ſanctæ Mariæ in Via lata cardinalem ad regem tranſmiſit, ut ſecundum tenorem compoſitionis factæ, negotium Treverenſe determinaret. Ille autem profectus prædicavit ubique pacem factam inter regnum & ſacerdotium, Deo cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus etiam ſignis confirmatæ compoſitionis. Si quidem juxta mandatum papæ Treverim acceſſit, & eccleſiam totam cum ſuffraganeis eccleſiis ab obedientia FOLMARI auctoritate apoſtolica abſolvit. Si quos etiam Folmarus excommunicaverat, officio & beneficio privaverat, vel omnino depoſuerat, in ſtatum priſtinum reſtituit. Ut autem factum ſuum majore contra obloquentes muniretur præſidio, chartam ſigillo papæ & ſubſcriptione cardinalium munitam propoſuit, quam etiam in publico relegi præcepit; in qua continebatur, quod papa pro ejuſdem negotii determinatione archiepiſcopum Folmarum, tertio per cardinales citatum, & tandem non venientem, ab adminiſtratione Treverenſis eccleſiæ omnino depoſuit; conſecrationem tamen non ademit. Eccleſiam vero Treverenſem ab obedientia ſua in eodem ſcripto liberavit, omnes quos ille ligaverat abſolvit, quos ille depoſuerat in priſtinum honorem reſtituit. Quidquid etiam tempore ſchiſmatis ab utroque RUDOLFO videlicet præpoſito, & FOLMARO conſtitutum fuerat, quod alicui in jure ſuo derogare poſſet, in irritum revocavit. His omnibus præmiſſis, tandem eccleſiæ Treverenſi in eodem ſcripto liberam electionem antiſtitem eligendi conceſſit. Accepta igitur electionis ſuæ libertate Treverenſes, ſuggeſtione & precibus regis, qui tunc temporis in civitate præſens erat, dominum JOHANNEM, imperialis aulæ cancellarium, unanimiter elegerunt, electum regi inveſtiendum præſentaverunt. Peractis autem omnibus ſolemnitatibus electionis, auctoritate apoſtolica a cardinale confirmatus eſt.

Treverenſi ſchiſmati finis imponitur.

Folmarus deponitur.

Incipiunt geſta Trevirorum Johannis archiepiſcopi.

111. Anno Dominicæ Incarnationis MCXC. ſuſcepit regimen Treverenſis eccleſiæ JOHANNES cancellarius, (b) & repropitiatus eſt Dominus terræ poſt hæc. Cujus pallium cum a Clemente papa reciperet, HERMANNUS abbas Clauſtri, exclamaſſe dicitur & dixiſſe: *Benedictus ſit Deus, Hodie deletum eſt chirographum maledictionis noſtræ.* Sciſcitante papa quid hoc eſſet: Reſpondit quod beata HILDEGARDIS prædixiſſet, coronam Trevericæ dignitatis dejectam jacere debere VII. annis, & illam diem æſtimabat ultimam eſſe illius infelicis ſeptennii. Quæ Hildegardis cum præſentialiter clerum Treverenſem culparet pro peccatis, & quidam dicerent ei, Domina quod eſt peccatum noſtrum? Quid fecimus? Ipſa memorabile verbum intulit dicens: *Spiritus ſanctus non confundit.* Itaque JOHANNES accepto epiſcopatu prudenter ſe agebat, prudentia magis quam poteſtate epiſcopatum ſuum regere inſtituens, eo quod terra pauper & ſterilis eſſet, & bella ferre non valeret. Captus tamen a FREDERICO comite Viennenſi, & cuſtodiæ mancipatus eſt. Unde permotus HENRICUS palatinus comes Rheni, dixit ſe & ſua exponere ſe velle ad liberationem domini ſui. Ipſo igitur & aliis potentibus ad bellum ſe parantibus, comes epiſcopum dimiſit tranſactione interveniente.

[b]

Comes Viennenſis capit epiſcopum.

112. Sane anno pontificatus ſui primo nondum finito, FRIDERICUS imperator in tranſmarinis partibus, dum fluvium quemdam tranſnatare vellet, merſus interiit, ac negotium terræ ſanctæ infectum reliquit. HENRI-

De morte Friderici imperatoris.

(a) Apud Eccardum deſideratur *confirmavi*.

(b) Natus in ipſa Auguſta Trevirorum genere mediocri, inquit *Kyriander*.

cus vero imperator factus est filius ejus; sed & ipse mortuus est in Sicilia, anno nono domini JOHANNIS, qui fuit annus Dominicæ incarnationis MCXCVIII. quo mortuo, volebant inferioris terræ principes assumere sibi in regem BERTHOLDUM ducem Ceringensem. Quo ad placitum diem non veniente, & voluntati ipsorum renuntiante, ADOLPHUS Colonienſis archiepiscopus ex consensu Treverensis, habens & ipse vocem electionis, nomine quorumdam principum peregre profectorum, ut asserebat, OTTONEM comitem Pictavienſem, fratrem Henrici supradicti comitis palatini, & filium magni illius ducis de Saxonia, HENRICI videlicet, evocavit, atque unxit in regem Romanorum. PHILIPPUS autem dux Sueviæ, frater imperatoris defuncti, missis nuntiis, conabatur principes avertere ab hac intentione, & memores esse fidei & pacti quod fecerant fratri suo, de filio ipsius F. rege Siciliæ, in Romanum imperium eligendo. Sed cum hoc efficere non posset, convenientes superiorum regionum principes, ipsum PHILIPPUM elegerunt in regem; & fuerunt hæc initia magnorum malorum, & fuit concertatio inter duos reges, & duravit per decem annos. Philippus igitur venit cum exercitu magno, & cum Bohemis ad Colonienses coercendos, & processit usque ad Bunnam. Eratque tunc Colonia mœnibus immunita & armis destituta; & si tunc processisset, finem malis forsitan imposuisset. Sed adventu Brabantinorum conterritus, reversus est in sua. Sed palatinus comes de peregrinatione reversus, electionem fratris sui ratam habuit, & ipse post modicum temporis castrum ædificavit super Mosellam, quod *Thurunum* appellatur.

Et filii ejus.

Duo sunt electi reges.

Concertatio inter duos Reges Romanorum.

Papa fovit partem Ottonis.

Fovit autem partes Ottonis INNOCENTIUS papa tertius supra modum, misitque ei de latere suo GUIDONEM cardinalem, qui postmodum factus est archiepiscopus Rhemorum, quod principes induceret ad assistendum ei. Ipse vero, congregato exercitu, ascendit & obsedit Philippum in Spirea. At ille, emisso verbo, quod vellet ire ad congregandum exercitum, transivit Rhenum & abiit, & OTTO reversus est in sua.

Walerannus filius Henrici ducis Limburgensis in partes Ottonis declinat.

113. His ita alternatim invalescentibus, WALERANNUS, filius Henrici ducis de *Lympurch*, qui Philippo se conjunxerat, de ipsius nutu reconciliatus est Ottoni, & fuit cum eo cunctis diebus. Hic est Walrannus, qui post mortem THEOBALDI comitis Barensis, relictam ejus viduam (*a*) comitissam de *Lucellemburch* accepit uxorem, & pacem bonam diebus suis fecit in territorio Treverensi, ubi spectabilis & per cuncta commendabilis, quantum ad sæcularia, atque utinam studio tanto saluti suæ æternæ, quanto temporali gloriæ providisset. Sane licet apostolicus PHILIPPUM & ejus adjutores jam excommunicasset; ADOLPHUS tamen Colonienſis archiepiscopus, ortis quibusdam simultatibus, abalienavit se manifeste ab Ottone, & transiit in adversam partem, nec veritus infamiam, nec censuram ecclesiasticam; propter quod a civitate est aliquandiu repulsus, postea excommunicatus, ad extremum vero depositus est. Nam cum ipse BRUNONEM præpositum Bunnensem de præpositura sua ejiceret, & alium instituere ret, permoti priores Colonienses, litteras apostolicas de depositione ipsius publicaverunt, eoque depositio, Brunonem in episcopatum subrogaverunt.

Colonienſis Episcopus depositus.

114. Erat ibi tunc temporis SIFRIDUS Moguntinensis archiepiscopus, pauper & modicus, cooperator eorum in his. Nam CONRADO Moguntinorum archiepiscopo viam universæ carnis ingresso, PHILIPPUS in Moguntia LUPOLDUM Wormatiensem episcopum instituit: ex altera parte cooperantibus WARNERO & PHILIPPO fratribus de Bolandia, qui tunc a Philippo rege desecerant, & Ottoni adhærebant, Sifridus a quibusdam clericis electus est. Quid plura? Lupoldum Philippus in regia manu tenebat, Sifridum Innocentius papa sua auctoritate firmabat. Propulsus tamen Sifridus a dioceſi sua, Coloniam se recepit, fuitque ibi usque ad mortem Philippi. Inter hæc omnia Ottone deficiente in dies Philippus invaluit, collectoque exercitu Coloniam obsedit, & hic tantum a superiori parte, ad duas portas erant vicinitate Otto & Walerannus cum militia non tanta; tamen (*b*) quæ sufficeret ad congressum publicum. Post paucos dies Philippus iterum reversus est in sua, tertio venit Aquisgranum, solemnem curiam habiturus, & uxorem suam coronaturus. Ad quam curiam JOHANNES Treverensis archiepiscopus vocatus fuerat, & viam arripuerat; sed præ timore apostolici pervenire non audebat. Corruit ergo in via, vel potius corruisse se fecit, & remansit apud Monasterium, quasi confractus & sanguinem spuens. Quod factum cum audiret papa, dixisse dicitur; Felix ille casus.

Colonia obsessa.

115. Ad ultimum venit Philippus in partes Aquensium, & occurrerunt ei rex Otto, & Bruno episcopus, & Walerannus. Et Henricus dux pater Waleranni, in eodem itinere inconsulto Ottone, reconciliavit se Philippo. Proditione igitur, ut dicebatur, quorumdam dissipatus est Ottonis exercitus, & fugiens ipse Otto reversus est Coloniam, & transtulit se in Saxoniam, & Colonia subdidit se Philippo. Papa quoque reconciliatus est ei, & petiit sibi transmitti Brunonem episcopum. Philippus vero de supradicto itinere revertens, castrum munivit in confinio Coloniæ & Treveris, quod *Landiserone* appellatur. Posthinc anno nondum finito Philippus interfectus est anno Domini MCCI. mense Julio (*c*) Tunc

Papa reconciliatur Philippo.

[a] Eamdem.

[b] Eccardus *non tamen tanta, quam sufficeret.*

[c] Decimo cal. Julii.

Bruno Colonienſis, & Sifridus Moguntinenſis archiepiſcopi, reverſi ſunt in dioeceſes ſuas: ſed Bruno poſt hæc in brevi defunctus eſt, cui ſucceſſit Theodericus, quo peſſime depoſito, ſucceſſit Engelbertus.

116. Poſt mortem Philippi, convenientes principes in unum, elegerunt, vel potius receperunt Ottonem univerſaliter in regem, qui ſtatim pergens Romam conſecratus eſt in imperatorem. Nec mora propter terram Mathildis marchioniſſæ, quia eam dare nolebat ſummo pontifici, ab ipſo excommunicatus eſt, & excommunicatus reverſus eſt in Alemanniam. Unde poſt aliquot annos convenerunt apud Confluentiam Trevirenſis & Moguntinenſis archiepiſcopi, & Spirenſis epiſcopus Conradus, tunc cancellarius, videre de ſtatu regni. Et miſſum eſt pro puero Friderico rege Siciliæ, filio Henrici imperatoris, & introductus eſt in regnum Romanorum anno Domini MCCIII. quod conditum fuit ei a principibus antea, ut ſupradictum eſt. Invaluitque contra Ottonem, Sifrido Moguntinenſi aſſumente ſibi poteſtatem, etiam contra eum, ex auctoritate apoſtolica; accedente quoque ad idem Alarico (a) apoſtolicæ ſedis legato, & ab eis depoſitus eſt Theodericus Colonienſis archiepiſcopus, eo quod fautor eſſet Ottonis. His ita quaſi per excurſum ſuccincte tranſmiſſis, ad anteriora redeamus, nam de incendiis, cædibus, & de prædationibus quæfactæ ſunt in regionibus per iſta tempora, digne loqui non ſufficimus, nec etiam ſunt operis hujus.

Ottonem Papa conſeciat imperatorem nec multo poſt excommunicat.

[a]

117. Inter tot turbines, inter tantas rerum varietates Johannes archiepiſcopus tam mirabili calliditate, & tam religioſa circumſpectione Trevirorum rexit eccleſiam, ut non ſit ei nocitum, neque in perſona ſua neque in terra ſua. Perplexus inter legem & regem, inter inſtantiam Innocentii & Philippi potentiam, ita caute ambulavit inter utramque, ut nec iſtum læderet, nec ab illo læsi poſſet. Ut ergo ad anteriora redeamus, ipſe Gerlacum virum nobilem de Konna (b) pro eo quod extra caſtrum ſuum aliud de novo extruxerat, cepit, & accepto in proprietatem caſtro, dimiſit eum & (c) caſtrum dimiſit ei. Poſtea creſcente diſcordia inter Ottonem & Philippum, ipſe de voluntate Guidonis cardinalis ivit in Franciam, quaſi iturus ad papam. Ubi cum a Ciſtercienſibus audiret, quod dominus papa vellet exactionem facere in ordinem de vigeſima, & de perſonis ad ſubſidium terræ ſanctæ mittendis, dixit ſe in propria perſona & in propriis expenſis ſuis ire velle Romam, & ab hac intentione deducere dominum papam. Quod dixit & fecit. Reverſus autem a Roma deſtruxit caſtrum quod comes de Caſtris interim conſtruxerat in *Berincaſtel*. Poſt paucos annos comes Viandenſis caſtrum ædificare cœpit non longe a civitate, in *Quintinberch* juxta fontem Milonis. Johannes igitur collecto exercitu, caſtrum obſedit, aliud ipſe in proximo monte ædificavit, & ſic obſidionem ſolvit. Infra paucos dies per ejus induſtriam, vino optimo ibidem a tabernario expoſito, caſtellani ſervi comitis facti ſunt temulenti, eiſque ſic ſoporatis, caſtellani epiſcopi caſtrum comitis invaſerunt, & combuſſerunt; quo facto epiſcopus delevit & ſuum.

Johannis archiepiſcopi prudentia.

[b]

[c]

118. Nec prætereundum videtur, quod diebus ejus civitas Conſtantinopolitana a Theutonibus & Francis capta eſt, anno videlicet pontificatus ejus XV. Sed anno Dominicæ incarnationis MCCIV. quod præcipue commemoramus, propter hoc, quod ex eo facto inſignita eſt Trevirenſis parochia quodam inſigni clenodio. Surrexerunt itaque viri virtutis cruce ſignati in ſubſidium terræ ſanctæ, & aſſumto ſecum Alexio adoleſcente, filio Iſachii, (d) & fratre uxoris Philippi regis, qui apud Philippum habebatur, venerunt Conſtantinopolim, & introducentes eum in civitatem, in paternum imperium coronaverunt ſolemniter in imperatorem. At Marchoisus quidam cognatus ejus, ipſum ſimul ac Nicolaum, quem paulo ante Græci ſibi elegerant in regem, cepit & incarceravit, & ſtrangulato Alexio, ſibi regnum uſurpavit. Qui cum peregrinos noſtros in omnibus his extra civitatem morantes vexare aggreſſus eſſet, ipſi permoti, in nomine Domini duabus vicibus facientes aſſultum, civitatem nimis magnam & nimis munitam per gratiam Dei vi comprehenderunt II. idus Aprilis anno Domini MCCIV. pulſoque nefandiſſimo incubo, Baldewinum Flandrenſem comitem imperatorem Conſtantinopolitanum conſecraverunt. (e) Erant ibi in hoc opere Sueſſionenſis, Trevirenſis, & Halberſtadienſis, & Bethleemitanus epiſcopi, cum ceteris principibus, aſſerentes quod acceptabiliùs eſſet hoc factum Deo, quam ſi civitas ſancta Jeruſalem capta fuiſſet. Henricus autem de Ulmena præfectus imperatoris clenodium illud eximium, cujus ſupra meminimus, videlicet tabulam electrinam mirifici operis, cum reliquiis retro contentis, & portione magna ligni Domini inde aſportavit, (f) & illud cœnobio monialium quod Inſula ſive Stupa vocatur, ſupra Moſellam ſito, contradidit.

[d]

[e]

[f]

118. Plane anno ſecundo Domini Johannis fuit eclipſis ſolis in vigilia S. Johannis

(a) Eccard. *a Latere.*
(b) Eccardus *Roverna*, al. *Koverna*
(c) *Al. Caſtrum vero utrumque dimiſit ei.*
(d) Eccard. *Aſſachii.* (e) Conſecratus eſt 17. Cal. Junias a Thoma Mauroceno orthodoxo patriarcha.
(f) Tabulam illam his verbis deſcribit Browerus Annal. Trevir. lib xv. *Tabula eſt ſolerter admirabili operum varietate perfecta. Operimentum ex bractis argenteis & laminis inauratis fabrefactum habet, longitudine binum dodrantium, unum & ſemis latitudine; primis claviſſimisque gemmis tum ſeptenis in orbiculos, tum in quincuncem novenis præclare diſtinctis, quaquaverſum collucens. Ad hæc ſpatium ab ingentis pretii lapillorum & gemmarum ordinibus intermiſſum, Chriſti Salvatoris ſpirituumque cœleſtium & varia Sanctorum exſtipant effigies; ipſiſque tabulæ margines exteriores Græcis inſcripti jambis &c.* quæ videſis loco citato.

Baptiſtæ, die Dominica circa meridiem. Anno nono fuit fames magna, ita ut maldrum ſiliginis marca venderetur.

119. Anno ejus viceſimo primo item fuit eclipſis ſolis ultimo die Febr. ante meridiem. Ejus quoque temporibus claruerunt in Lombardia duo luminaria magna, eccleſiam Dei mirifice irradiantia, Dominicus videlicet & Franciſcus: quorum prior Majorum fratrum id eſt prædicatorum; poſterior Minorum fratrum, id eſt nudipedum, ſeu nodatorum ordinem inſtituit. Mortuus eſt autem Johannes epiſcopus Trevirenſis, menſe Julio, anno pontificatus ſui XXIII. & ſepultus eſt ut ipſe præordinaverat, non in civitate ſua præclara, ſed in cœnobio monachorum, quod Clauſtrum dicitur; non in oratorio, ſed in capitulo, [a] (a) non pontificalibus, ſed in pauperibus veſtibus: cujus anima requieſcat in pace. Amen. [b] (b)

Hæc ſunt capitula in quibus continentur omnia ea, quæ venerabilis Treverorum archiepiſcopus Johannes eccleſiæ Treverenſi temporibus ſuis divina clementia favente conquiſivit.

120. Notum ſit tam præſentibus quam futuris, quod Henricus palatinus comes Rheni, qui filiam prædeceſſoris ſui Conradi palatini comitis legitime duxerat, reſignavit beato Petro, & venerabili Treverorum archiepiſcopo Johanni, die paſchæ in curia epiſcopali apud Treverim, advocatiam ejuſdem civitatis, cum omnibus appenditiis tam feodatis quam non feodatis, necnon omnia annualia ſervitia, quæ prædeceſſor ſuus ſupradictus habuit in villis archiepiſcopi, ſitis in pago qui *Tretgere* dicitur, & in omnibus villis archiepiſcopi ſitis ſupra Moſellam, ſub tali forma, quod idem palatinus comes juravit ſuper clavum Domini, & ſuper omnes reliquias in eadem capſide contentas, quod nec ipſe nec aliquis heredum ſuorum, eamdem advocatiam & prædicta feoda umquam repeteret. Archiepiſcopus quoque ſub pœna excommunicationis inhibuit, quod nec ipſe nec aliquis ſucceſſorum ſuorum prædictam advocatiam, & eadem feoda in poſterum alicui hominum infeodaret, niſi indignationem Dei omnipotentis, & ſententiam excommunicationis incurreret. Hujus rei teſtes ſunt qui etiam eodem tempore præſentes aderant, Gerardus abbas Prumienſis, Rudolphus major præpoſitus, Wilhelmus major decanus, & omnes archidiaconi, necnon quatuor abbates ejuſdem civitatis. Fridericus Caſtor, Conradus cuſtos eccleſiæ Trevirenſis, Laici quoque Henricus dux de *Lympurch*, & Fredericus comes de *Lyningen*, Simon comes de Saraponte, & frater ejus Henricus de *Zvveinbruchen*, Conradus comes Hirſutus, Fridericus comes de *Vianne*, Henricus comes de *Spainheym*, Gerardus comes de *Veldenze*, Volmarus comes de Caſtris, Ulricus comes de *Nurberch* & filius eius comes Gerardus de *Are*, Everardus de Petra, & frater ejus Warnerus, Gerlacus de *Swvarzenberch*, & frater ejus Hugo de *Humolſteyn*, & Hugo de *Hagane* & filius ejus Theodericus, Rudolfus de *Mailberch*, Wiricus de *Numage*, & filii ejus Thomas & Alexander, Fridericus de *Kerpene*, Theodericus de *Bruche*, miniſteriales quoque Petrus de Marceto, Udo de *Eſch*, Jacobus de Duna, & frater ejus Daniel, Wilhelmus de *Helffenſtein*, & Heinricus *Leinherre Nicol* de *Arras*, Fridericus de *Merle*, Dythardus de *Paffendorff* & Heinricus junior de Cimiterio, Wilhelmus de Arcba, Godefridus de *Waildorp*, Hermannus & Ricardus de Palatio, & quam plures alii, necnon univerſus tam clerus quam populus ejuſdem civitatis. Acta ſunt hæc anno Dominicæ incarnationis MCXCVIII.

Acquiſivit caſtrum de Seyne *cum ſuis pertinentiis.*

121. Idem archiepiſcopus conquiſivit caſtrum de *Seyne* cum omnibus ſuis appenditiis a comitibus Heinrico & fratre ſuo Everardo de *Seyne*, ſolo viridario excepto, quod eſt ſitum ante idem caſtrum, & hæc collatio facta eſt a prædictis comitibus Coloniæ, in palatio epiſcopali, eodem die, quo idem venerabilis archiepiſcopus Johannes dominum Brunonem in Colonia archiepiſcopum conſecravit, (c) ſub hac forma: Quod ipſi & omnes eorum hæredes archiepiſcopo Johanni, & omnibus ejus ſucceſſoribus de eodem caſtro contra omnem hominem ſervirent, & auxilium ferrent; ſalva tamen fide & honeſtate eorum, ita videlicet, ſi alicui ſpeciali fide obligarentur, quod tunc, quamdiu guerra duraret, prædicti comites archiepiſcopo caſtrum & turrim aſſignarent, & guerra finita, archiepiſcopus eis reſtitueret. Archiepiſcopus vero & omnes ſui ſucceſſores in feodo concedent idem caſtrum viciniori heredi, ſive ſit maſculus ſive femina. Hujus rei teſtes ſunt Colonienſis archiepiſcopus Bruno, Adolphus major præpoſitus, Bruno Bunnenſis præpoſitus, Theodericus præpoſitus ſanctorum apoſtolorum, Theodericus præpoſitus S. Gereonis.

Anno 1207. [c]

Comes Palatinus Johanni archiepiſcopo Trevirenſi reſignat advocatiam Trevirenſem.

* f. Cantor.

(a) Hinc autem abs Theoderico ſucceſſore in monaſterii templum tranſlatus, odeſſinſtra tumulum adeptus eſt, & inde epitaphium illi poſitum, quod opere novo ſubſtructum, poſtea temporis mendum contraxit circa mortis annum, inquit Browerus annal. lib. xv. nl 91.

(b) Quæ ſequuntur uſque ad geſta Theoderici apud Eccardum deſiderantur.

(c) Contra hæc litteras publicas laudat Browerus ad annum 1207. quæ duos ab Angliæ rege ferunt epiſcopos Sigefrido Moguntino antiſtiti ad conſecrandum Brunonem ſubmiſſos fuiſſe, quia, inquit, Philippi metu Germani antiſtites inunus id omnino recuſaſſent, quamquam non negat vir eruditus, Johannem conſecrationi adfuiſſe, & pepigiſſe eadem die cum comitibus *de Seyne*.

Gerlacus de Iſenburch *caſtrum* Aldenburch *& caſtrum inferius in Koverna, in manus archiepiſcopi aſſignavit & recepit in feodum ab eodem.*

122. Notum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris, quod dominus Johannes Trevirorum archiepiſcopus, cum Gerlaco de *Iſenburch*, ſuper controverſia quæ vertebatur inter ipſos, de ædificatione caſtri in *Aldenburch*, ſub hac forma convenerunt, ita videlicet, quod præfatus Gerlacus de *Iſenburch*, proprietatem caſtri de *Aldenburch*, & caſtri *Koverne* inferioris, domino Johanni archiepiſcopo & eccleſiæ Treverenſi recognovit, & præfatum caſtrum *Aldenburch* liberaliter & abſolute in manus ejus aſſignavit. Præterea omnia bona proprietaria, quæ idem Gerlacus in juriſdictione villæ de *Koverne* poſſedit, per manus videlicet uxoris & filiorum ſuorum, archiepiſcopo & eccleſiæ Treverenſi in perpetuam contulit proprietatem. Quo facto, dominus Johannes archiepiſcopus, de conniventia & deliberato conſilio fidelium ſuorum idem caſtrum de *Aldenburch*, ſimul cum caſtro inferiori & omnibus bonis prædictis, Gerlaco & ejus filio ſeniori & heredibus filii ſenioris feodali jure conceſſit. Quod ſi forte filius ſenior ſine heredibus decederet; fratri ejus eodem jure conceſſit; ſub eadem tamen conditionis forma, quod prænominatus Gerlacus & heres ejus poſſidens illud feodum, domino Johanni archiepiſcopo & eccleſiæ Treverenſi contra omnem hominem in eiſdem & de eiſdem caſtris fidelia obſequia præſtare debeant; & hoc ſe bona fide & ſine dolo facturos ſolemniter & publice ſacramento confirmaverunt. Hæc vero in hanc formam acta ſunt, quod ſi contigerit dominum Treverenſem contra aliquem guerram inire, cui Gerlacus & ejus hæres prædictum feodum tenens, ſalva inevitabili honeſtatis & neceſſitatis fide aſſiſtere non poſſit, caſtrum cum turri in *Aldenburch* domino Treverenſi aſſignabit, ut, finita guerra, ſæpedicto Gerlaco caſtrum reſtituat. Si autem, quod Deus avertat, inter Treverenſem & Gerlacum vel ejus heredes lis & controverſia aliquo emerſerit in caſu, ſuperius caſtrum & omnes illud inhabitantes, neutri ipſorum alicujus præſidii conferant auxilium, nec aliquis alius de ipſo caſtro alicui eorum auxilium conferet vel damnum inferet, & hoc ſe fideliter obſervaturos, ſicut ſuperius Gerlacus fecerat, juramento firmaverunt: & quicumque poſtmodum idem caſtrum inhabitaverint, ad idem faciendum ſacramenti vinculo ſe obligabunt, niſi forte Trevirenſis archiepiſcopus hujuſmodi voluerit differre ſacramentum. Sub prædicto etiam ſacramento a Gerlaco & ejus filiis comprehenſum eſt, quod ſi ipſi morte præventi fuerint, & feodales heredes non reliquerint, caſtra & omnia bona ſupradicta ad eccleſiam ſupradictam ſine omni impedimento libere revertentur. Adjectum eſt etiam ad robur firmius ſuperiorum, quæ ordinata ſunt, conſervandum, quod ſi Gerlacus & ejus heredes hæc infregerint, omne feodum quod ab eccleſia tenet Treverenſi, libere ad ejus archiepiſcopum revertatur. Præter hæc quæ ſupradicta ſunt, fideliter promiſerunt, præſtita fide in manu domini Treverenſis archiepiſcopi Johannis Godefridus comes de *Spanheim*, Gerlacus comes de *Veldenze*, Godefridus comes de *Virnenburch*, & frater ſuus Fridericus, Reymboldus & Henricus de *Iſenburch*, quod ſi hæc a Gerlaco & ſuis heredibus obſervata non fuerint, ipſi domino archiepiſcopo Trevirenſi contra eoſdem conſilium & auxilium in omnibus præſtare non omittent. Ut autem hæc omnia quæ ſolemniter præordinata ſunt firma atque inconvulſa obtineantur in perpetuum, præſentibus ſignaculis auctoritatibus ſignata refulgent.

Conquiſivit caſtrum Starkenburch.

123. Idem archiepiſcopus conquiſivit caſtrum *Starkenburch* ſuper Moſellam, a comite Henrico *de Spainheim*, & caſtrum de *Ham*, & mediatatem caſtri *Wre* & mediatatem caſtri de *Clereval* & X. manſos in *Lumbach*, quæ omnia ipſe eccleſiæ Treverenſi contulit, & ab archiepiſcopo in beneficio recepit. Hujus rei teſtes ſunt Fredericus comes de *Limyngen*, & Folmarus comes de Caſtris, Gerlacus comes de *Veldenze*, Walramus comes de *Naſſoven*, & Henricus & Everardus comites de *Seyne* Everardus de Petra. Miniſteriales quoque Udo de *Eſch*, Petrus de Marceto, Jacobus de *Dune* & frater ejus Daniel & alii quamplures.

Conquiſivit caſtrum Virnenburch.

124. Idem archiepiſcopus conquiſivit a Godefrido comite de *Virnenburch*, & fratre ejus Friderico idem caſtrum, cum omnibus ſuis appenditiis, quæ & ipſi eccleſiæ Treverenſi contulerunt, & ab archiepiſcopo in beneficio receperunt ſub debito ligii hominii contra omnem hominem.

Conquiſivit caſtrum Dudelendorp.

125. Idem archiepiſcopus conquiſivit a Friderico comite de *Vianne*, ambo caſtra ſua in *Dudelendorp*, & caſtrum ſuum in *Garlant*, quæ & ipſe eccleſiæ Treverenſi contulit, & ab archiepiſcopo in beneficio recepit.

Idem conquiſivit caſtrum Enzenberch.

126. Idem archiepiſcopus conquiſivit a Conrado comite de *Kalevve*, caſtrum quod dicitur *Enzenberch*, quod ſitum eſt in pago qui dicitur *Tyechovve*, in epiſcopatu Spirenſi, juxta villam quæ dicitur *Porzeim*, quod eccleſiæ Trevirenſi contulit, & ab archiepiſcopo in beneficio recepit. Acta ſunt hæc coram bonæ memoriæ imperatore Heinrico & palatino comite in caſtro juxta Spiram *Germesheim*.

Conquiſivit

Conquiſivit caſtrum dictum Petra.

127. Idem archiepiſcopus conquiſivit ab EVERARDO de Petra & fratre ſuo WARNERO idem caſtrum, quod & ipſi eccleſiæ contulerunt Treverenſi, & ab archiepiſcopo receperunt ſub debito ligii hominii.

Conquiſivit allodium in Kelberch.

128. Idem archiepiſcopus comparavit totum allodium THEODERICI comitis de *Hoynſtaden*, quod habet in *Kelberch*, quod & ipſe eccleſiæ Trevirenſi contulit, & ab archiepiſcopo in beneficio accepit.

Allodium in Hademar.

129. Idem archiepiſcopus comparavit a FRIDERICO comite de *Linynge*, totum allodium ſuum quod habuit in *Hademar*, quod & ipſe eccleſiæ Treverenſi contulit, & ab archiepiſcopo in beneficio accepit.

Conquiſivit villam BOLEY, *& villam dictam* Dure.

130. Idem archiepiſcopus comparavit a GERARDO comite de *Are* villam quæ dicitur *Boley*, cum omnibus ſuis appenditiis, & hominibus ad eam pertinentibus; & villam quæ dicitur *Dure*, juxta *Kocheme*, cum omnibus ſuis appenditiis, quas idem comes eccleſiæ Treverenſi contulit, & ab archiepiſcopo in beneficio recepit.

Conquiſivit Domum-fortem ſuper Loynſtein.

131. Idem archiepiſcopus comparavit Domum fortem apud *Loynſtein*, quæ ſita eſt ſupra Nonam*, quam Warnero de *Brole* ab eccleſia Treverenſi in feodo tenendam conceſſit. *Lonam.

Domum & vineas in Paffendorp.

132. Idem archiepiſcopus comparavit domum & vineas in villa quæ dicitur *Paffendorp*, quas idem archiepiſcopus THEODERICO de *Geyrsheith*, ab eccleſia Treverenſi in feodo tenendas conceſſit.

Domos & vineas ultra pontem.

133. Item archiepiſcopus comparavit domos & vineas ultra pontem Treverenſem ſitas, quarum partem conceſſit Arnoldo de Rupe, & partem Arnoldo de *Ure*, ab eccleſia Treverenſi in feodo poſſidendas.

Item vineas in Leſere.

134. Idem archiepiſcopus comparavit vineas in *Leſere* & *Cluzzerde* ſitas, quas conceſſit Heinrico de *Eſch*, ab eccleſia Treverenſi in feodo poſſidendas.

Terram in Bruchdorp.

135. Idem archiepiſcopus concambuit terram in *Bruchdorp*, quam conceſſit Friderico de *Enzenberch*, ab eccleſia Treverenſi in feodo poſſidendam.

Patronatum in Andernaco.

136. Idem archiepiſcopus conquiſivit patronatum eccleſiæ parochialis, in Andernaco, & curiam ibidem ſitam, cum omnibus ſuis appendiciis, vineis, agris, cenſu, decimatione & omnibus tam ad eccleſiam quam ad curiam pertinentibus, quæ omnia libere contulit ad uſus epiſcopales.

Curiam in * Derenberch. *Niderberg.

137. Idem archiepiſcopus conquiſivit curiam in *Derenberch*, cum omnibus ſuis appendiciis, tam feodatis quam non feodatis, ſcilicet agris, vineis, pratis, molendinis, aquarum deductionibus, quæ omnia ad uſus contulit epiſcopales.

Allodium in Dufenbach.

138. Idem archiepiſcopus comparavit allodium in *Dufenbach* a THEODERICO in *Bruche*, quod ei ab eccleſiæ Treverenſi in feodo tenendum conceſſit.

Partem decimæ in Witteliche.

139. Idem archiepiſcopus conquiſivit a Marſilio de *Witteliche*, partem decimæ in eadem villa, tam in vineis quam in agris & denariis, quæ ſe in feodo habere aſſerebat, & ad uſus libere contulit epiſcopales.

Allodium in Subach.

140. Idem archiepiſcopus comparavit allodium in *Subach* & *Lebach*, ab Alberto de *Sygirsberch* & fratre ejus Rudolfo, quod & ipſi eccleſiæ Trevirenſi contulerunt, & ab archiepiſcopo in beneficio receperunt

Idem archiepiſcopus comparavit ab HENRICO de *Dune* ....

Grimberch *conſtruxit,*

141. Idem archiepiſcopus de novo caſtrum quoddam, quod *Grimberch* appellatur, conſtruxit, quod ſitum eſt in medio poſſeſſionum majorum & meliorum archiepiſcopatus (a), & omnium fere eccleſiarum in civitate Treverenſi. [a]

Diruta reædificavit, poſſeſſiones deſtructas recuperavit.

142. Idem archiepiſcopus turres & caſtra archiepiſcopatus reædificavit, quæ deſerta & deſtructa invenit, propter diſſenſionem & diſcordiam quæ per ſeptennium in eadem eccleſia duravit; quando ipſe ſedem archiepiſcopalem eſt adeptus. Poſſeſſiones quoque hinc inde diſtractas recuperavit, honeſtas quoque domos epiſcopales Treviris juxta palatium, & Confluentiæ conſtruxit.

143. Idem archiepiſcopus contulit jus patronatus eccleſiæ de *Offendinge*, cum omni ſua decimatione, ad uſus fratrum majoris eccleſiæ, & S. Paulini, & S. Symeonis ad refectorium, eo modo & forma, ut ipſe qui præeſt refectorio, de conſilio majoris decani & capituli, eamdem quolibet anno locet decimationem. Prædicti quoque fratres in Purificatione beatæ MARIÆ Virginis ſimul omnes in majori eccleſia cum candelis ſuis convenient, ibique feſtum Deo & beatæ Virgini devote paſſium.

(a) Diſtat a Metropoli in meridiem circiter undecim millia

peragent. Ipſe vero magiſter refectorii prædictis fratribus ſervitium dabit eodem die, aut pro redemtione ſervitii VI. denarios Trevirenſes de eadem decimatione cuilibet fratri, qui præſens uſque ad conſummationem miſſæ fuerit Qui autem uſque ad conſummationem miſſæ non fuerit, nihil ei dabitur, quia penitus demeruit; ſed totum quod ſuperfuerit, in uſus refectorii majoris eccleſiæ cedet, niſi qui infirmi inventi in domibus ſuis fuerint.

Dominus Johannes tunicam Domini teſtimonio bonorum virorum repoſuit in altari S. Petri.

144. Inde etiam dedicationis majoris eccleſiæ, quæ eſt in feſto Philippi & Jacobi die, cum eam magna ſolemnitate & devotione conſecravit, & tunicam Domini cum magna reverentia & veneratione bonorum virorum ipſo die in altare S. Petri repoſuit, anno videlicet ab incarnatione Domini MCXCVI. omnes ſimul prædicti fratres ad eamdem dedicationem conveniant, ibique feſto ſolemniter peracto, prædictus magiſter refectorii ſervitium prædictis fratribus dabit, aut pro redemtione ſervitii VI. denarios Treverenſes cuilibet fratri, qui præſens uſque ad conſummationem miſſæ fuerit; qui autem uſque ad conſummationem miſſæ non fuerit, nihil ei dabitur, quia penitus demeruit, ſed totum quod ſuperfuerit, in uſus refectorii majoris eccleſiæ cedet, niſi qui infirmi inventi in domibus ſuis fuerint.

145. In anniverſario quoque ipſius prædicti archiepiſcopi omnes fratres prædicti in majori eccleſia convenient, & anniverſario quoque devote peracto, ipſe magiſter refectorii ſervitium in refectorio prædictis fratribus dabit, aut pro redemtione ſervitii VI. denarios Trevirenſes cuilibet fratri de eadem decimatione. Qui præſens uſque ad conſummationem miſſæ non fuerit, nihil ei dabitur, quia penitus demuerit; ſed totum quod ſuperfuerit, in uſus refectorii majoris eccleſiæ cedet, niſi qui infirmi inventi in domibus ſuis fuerint. Decanus vero dictæ majoris eccleſiæ cum conſilio capituli & magiſtri refectorii vicariam prædictæ eccleſiæ locabit, ſalvo tamen jure archiepiſcopi & archidiaconi, ita quod ipſi vicario ſtipendium perpetuale & ſufficiens aſſignabitur, unde honeſte poſſit ſuſtentari. Quicumque vero hæc præmiſſa & a venerabili archiepiſcopo Trevirorum Johanne præordinata infregerit vel infringere attentaverit, indignationem Dei omnipotentis & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & ſententiam excommunicationis ſe noverit incurſurum.

Idem Johannes contulit eccleſiam de Perle *eccleſiæ majori.*

146. Idem archiepiſcopus contulit jus patronatus eccleſiæ de *Perle* cum omni ſua decimatione & jure ad uſus fratrum majoris eccleſiæ tantum, eo modo & forma, quod idem magiſter refectorii cum conſilio majoris decani & capituli quolibet anno eamdem decimationem locabit, & de proventibus ipſius decimationis, quandiu ſolutio ejus durabit, quando fratres in refectorio incipient comedere, panem eis adminiſtrabit. Decanus vero majoris eccleſiæ cum conſilio ipſius capituli & magiſtri refectorii vicariam in prædicta eccleſia perpetualiter locabit, ſalvo jure archiepiſcopi & archidiaconi; ipſi quoque aſſignabitur ſtipendium perpetuale, unde honeſte & competenter poſſit ſuſtentari. Quicumque vero hæc præmiſſa & a venerabili archiepiſcopo Johanne præordinata infregerit vel infringere attentaverit, indignationem Dei omnipotentis & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & ſententiam excommunicationis ſe noverit incurſurum.

147. Idem archiepiſcopus de ſuo proprio ordinavit, quod ſeptem ampullæ die ac nocte, coram ſummo altari majoris eccleſiæ debeant ardere. Quicumque enim eleemoſynarius dominorum fuerit, redditibus ad ſeptem ampullas illas appendentibus providebit, & oleum indeficiens adminiſtrabit.

148. Idem archiepiſcopus conſecravit capellam in curia epiſcopali Treverenſi ſitam, in honore beati Stephani protomartyris, Nicolai & Thomæ martyris atque pontificis Cantuarienſis, eamdem quoque capellam dotavit hoc modo. Nam idem archiepiſcopus tres marcas Colonienſes de theloneo ſuo in Cardona annuatim fratribus majoris eccleſiæ aſſignavit, eo modo & forma, quod ipſe & omnes ſucceſſores ſui cum conſilio decani majoris debent ſacerdotem eligere, & illum ſtipendio unius præbendæ, quæ dicitur *imbirprovendè*, de qua recipiet quidquid ad eam pertinet, inveſtire. Præterea choro & refectorio, ſicut alii fratres, tenetur intereſſe. Idem vero ſacerdos omni die in præfata capella miſſam tenetur pro eo & omnibus prædeceſſoribus & ſucceſſoribus ſuis celebrare. Præterea idem archiepiſcopus ſupplementum ſtipendii præmemoratæ capellæ eccleſiam de *Oltzburgh*, cum omni jure ſibi attinente, perpetualiter aſſignavit, ſalvo jure archiepiſcopi & archidiaconi, ut quicumque capellam haberet, habeat eccleſiam de *Oltzburgh*.

149. Idem archiepiſcopus inſtituit ad illuminare ipſius capellæ, x. ſolidos, qui ſolvuntur de pomerio, ante curiam epiſcopalem ſito, in feſto Johannis-Baptiſtæ; & x. ſolidos, qui ſolvuntur de piſcina exſiccata, quæ dicitur *Mahr*, in feſto beati Martini, & nuces provenientes de arboribus ſitis in curia epiſcopali aſſignavit, ita quod ipſe ſacerdos dictus & nuces recipiat, & lumen ante altare ejuſdem capellæ die ac nocte indefinenter ardere faciat. Quicumque vero hæc præmiſſa, & a venerabili Trevirorum archiepiſcopo Johanne præordinata infregerit, vel infringere attentaverit, indignationem Dei omnipotentis, & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium

ſanctorum, & ſententiam excommunicationis ſe noverit incurſurum.

Duas ſedes epiſcopales fetit in eccleſia majori.

150. Idem archiepiſcopus duas ſedes epiſcopales in majori eccleſia conſtruxit, unam valde honeſtam retro altare beati Petri, ubi archiepiſcopus miſſam celebrabit, alteram ante idem altare, ubi archiepiſcopus ad miſſam ſe præparabit.

Tres eccleſias contulit beato Matthiæ.

151. Idem archiepiſcopus contulit tres eccleſias paſtorales: unam quæ dicitur * *Pellinc*, alteram quæ dicitur *Hemptre* *, tertiam ad S. Medardum, beato Matthiæ apoſtolo & beatis Euchario Valerio & Materno, eo modo & forma quod abbas illius loci locet ibi vicarios perpetualiter, ſalvo tamen jure archiepiſcopi & archidiaconi, ipſisque vicariis competens ſtipendium aſſignabit, unde ipſi competenter & honeſte poſſint ſuſtentari. Anniverſarium quoque ejuſdem archiepiſcopi fratres ejuſdem eccleſiæ de proventibus illarum eccleſiarum ſolemniter & devote celebrabunt, & in ipſo anniverſario die, abbas refectionem fratribus in refectorio de eiſdem proventibus dabit, & duo maldra ſiliginis pauperibus in eleemoſynam erogabit.

* Pellingen.
* Hemtren.

Idem duas lampadas ordinavit in monaſterio S. Matthiæ.

152. Idem archiepiſcopus venerabilis de ſuo proprio ordinavit duas ampullas olei, unam coram altari S. Matthiæ apoſtoli & alteram in cripta, coram altari beatorum Eucharii, Valerii & Martini, & aliorum ſanctorum ibi quieſcentium, ut indeſinenter ardeant, eo modo & forma, quod quicumque prior ejuſdem loci fuerit, provideat bonis ad idem oleum attinentibus, & in die amminiſtrabit oleum quod ibi ardeat in perpetuum, eidem eccleſiæ de ſuo proprio contulit, unde emta eſt domus in civitate Treverenſi, in vico qui vulgo dicitur *Broytgaſſe*, de cujus cenſu emetur oleum, unde prædictæ ampullæ luceant in perpetuum.

153. Idem archiepiſcopus de ſuo proprio ordinavit, quod ampulla cum oleo coram altari S. Maximini die ac nocte debeat indeſinenter ardere, ad quod conſummandum xx ſolidi de cenſu domuum illarum, quæ ante monaſterium ibi ſunt ſitæ, ſolventur, ita quod ipſe cantor illius loci, quicumque fuerit, eos recipiet, & inde ampullam illam indeſinenter ardere faciat. Si quid vero ſuperfuerit ad candelas ardentes ante ſepulchrum S. Maximini, ipſe cantor ordinabit. Anniverſarium quoque ipſius archiepiſcopi cum magna devotione fratres ejuſdem loci quolibet anno peragere debent.

Unam ad S. Mariam ad Martyres.

154. Idem archiepiſcopus de ſuo proprio ordinavit, quod ampulla ante altare S. Mariæ ad Martyres die ac nocte indeſinenter debeat ardere, ad quod conſummandum perſolventur xx. ſolidi, de cenſibus qui fratribus illius loci ſolvuntur in *Trang*, ſub hac forma, quod quicumque fuerit prior illius loci illos denarios recipiet, & inde ampullam illam indeſinenter die ac nocte ardere faciat. Si quid vero ſuperfuerit ad candelas ardentes ante majus altare, ipſe prior ordinabit. Ad hæc ipſe archiepiſcopus contulit eccleſiæ illi eccleſiam de *Trang*, cum omni ſua decimatione & jure, ſalvo tamen jure [per] omnia archiepiſcopi, & archidiaconi, de cujus proventibus in anniverſario ſuo fratribus illius loci refectio debet dari in refectorio, & pauperibus duo maldra ſiliginis in eleemoſynam debent erogari. Unde & fratres illius loci cum magna devotione anniverſarii ejus diem peragere debent.

(a) Monaſterium illud ſitum eſt inter Pruimienſe & Hemerodium.

Idem ordinavit lampadem ad ſanctum Thomam.

155. Idem archiepiſcopus de proprio ſuo ordinavit ampullam ante S. Thomam, ubi ſunt ſorores Ciſtercienſis ordinis, (a) quæ ampulla ante majus altare indeſinenter debet ardere, & oleum illud ſufficienter, quicumque ibi fuerit prior, debet providere. Anniverſarii quoque ejus diem ſorores illius loci quolibet anno cum magna devotione debent peragere. [a]

Idem contulit cœnobio de Lacu eccleſiam de Cruſche.

156. Idem archiepiſcopus contulit eccleſiam de *Cruſche*, cum omni decimatione ſua & jure, eccleſiæ de Lacu (b), ſalvo tamen per omnia jure archiepiſcopi & archidiaconi, de cujus proventibus anniverſarii ſui die conſtituit dari refectionem fratribus illius loci in refectorio, & tria maldra ſiliginis in eleemoſynam ab eiſdem fratribus pauperibus erogari. Unde cum magna devotione quolibet anno diem anniverſarii ſui debent peragere. [b]

Ordinavit lampadem in Sprentchyrbach.

157. Idem archiepiſcopus de proprio ſuo ordinavit ampullam in eccleſia de *Sprentchyrbach*, ut indeſinenter die ac nocte ardeat coram majori altari, ad quod conſummandum contulit xx. ſolidos de cenſu in *Huntheym*, qui ſolvitur annuatim in feſto beati Martini; ut quicumque fuerit prior recipiat, & inde ampullam indeſinenter die ac nocte ardere faciat. Si quid vero ſuperfuerit ad candelas ante majus altare ardentes, ipſe prior ordinabit. Anniverſarii ſui quoque diem quolibet anno ipſi fratres debent cum magna devotione peragere.

Nulla bona eccleſiæ Trevirenſis infeodavit.

158. Idem archiepiſcopus de omnibus poſſeſſionibus & bonis, quæ in eccleſia Treverenſi invenit non infeodata, nulli umquam aliqua in beneficio conceſſit vel infeodavit.

(a) Abbatia eſt ordinis S. Benedicti Congregationis Burſfeldenſis, in diœceſi Treverenſi.

Cœnobio in Schonaugia contulit duas eccleſias.

159. Idem archiepiſcopus contulit abbati & fratribus eccleſiæ S. Florini in Schonaugia, eccleſias duas ſitas in *Liepurne* & *Welterode* perpetuo poſſidendas: abbas vero & conventus ſingulis annis anniverſarium ipſius archiepiſcopi celebrabunt, habita ipſius in pleno capitulo memoria; in ipſo quoque die anniverſarii ſui abbas pro remedio animæ ejus & ſucceſſorum maldrum tritici & dimidiam amam vini conventui dominorum, tantumdem etiam ſanctimonialium, pauperibus maldrum ſiliginis annuatim de proventibus earumdem eccleſiarum amminiſtrabit. Quod autem reſiduum fuerit, ad communes uſus fratrum & ſanctimonialium convertetur.

Item contulit eccleſiæ in Horreo eccleſiam de Hemmenſtal.

160. Idem archiepiſcopus contulit eccleſiæ beatæ Mariæ de Horreo eccleſiam de *Hemmenſtal*, perpetuo poſſidendam, & ipſe conventus ſanctimonialium annuatim diem anniverſarii ſui devote in pſalmis & orationibus peragent, & de proventibus ejuſdem eccleſiæ refectionem eodem die habebunt. Quod vero reſiduum fuerit, ad opus infirmarum amminiſtrabitur.

Eccleſiæ S. Mariæ in Luczenburch *contulit eccleſiam de* Sant Wilre.

161. Idem archiepiſcopus contulit eccleſiæ [a] beatæ Mariæ (*a*) in *Luczellenburgh* eccleſiam de *Sant Wilre*, monachi vero ejuſdem eccleſiæ diem anniverſarium ipſius ſingulis annis devote celebrabunt, & eodem die in refectorio refectionem de proventibus ejuſdem eccleſiæ habebunt. Quod vero ſuperfuerit ad communes uſus fratrum convertetur.

Geſta Theoderici archiepiſcopi.

162. Succeſſit autem Johanni Theoderi- [b]
cus (*b*), S. Paulini præpoſitus & archidiaconus, anno Domini MCCXII. qui & ipſe cum eſſet prudentiæ magnæ, paci & quieti magis quam bellis operam dedit. Captus eſt autem & ipſe a comite Naſſoënſe: cui cum Albertus miles quidam de Confluentia ad ſubveniendum ſe objiceret, ſuper eum interfectus eſt. Multa mirabilia temporibus ejus evenerunt in mundo. Et primo quidem illud commemoramus, quod paucis menſibus ante ejus electionem mirabile & omnibus ſæculis inauditum. Pueri namque congregati ex omnibus oppidis & villis Theutoniæ, quaſi divinitus inſpirati, convenerunt in ſingulis quibuſque locis, & coadunati in turmas, iter arripuerunt verſus Jeroſolymam, quaſi terram ſanctam recepturi. Hujus itineris dux & caput erat Nicolaus quidam puer Colonienſis, geſtans ſuper ſe ſignum, quaſi crucis formam thau habentis, quod debebat eſſe ſignum ſanctitatis in eo & miraculoſitatis, nec facile erat diſcernere cujus generis & metalli eſſet. Cumque veniſſent pueri Brunduſium, epiſcopus loci deceptionem deprehendens, non permiſit eos transfretare. Venditi enim erant gentilibus a patre Nicolai, & ſic dæmonum maleficio attracti: propter quod & ipſe puer periit, & pater ejus Coloniæ (*c*) mala morte [c]
peremtus eſt. Plurimi etiam puerorum perierunt. Nam qui euntibus copioſe miniſtraverunt, redeuntibus nihil dederunt. Poſt aliquot annos orta eſt prædicatio crucis, & inflammatus eſt populus Dei in ſubſidium terræ ſanctæ, & incredibiliter atque catervatim ruerunt ad accipiendam crucem, & facta eſt expeditio valida ad partes tranſmarinas; in qua expeditione Gregorius comes Widenſis frater Trevirenſis archiepiſcopi præcipuus habebatur.

De alia expeditione.

163. Factum eſt etiam concilium generale apud Lateranum ſub Innocentio papa, anno Domini MCCXV. cui etiam interfuit Theodericus Trevirorum archiepiſcopus, in quo concilio amputati ſunt tres gradus conſanguinitatis in matrimonio contrahendo; & ſtatutum fuit ibi, ut de triennio in triennium haberentur capitula in ſingulis provinciis, ad reformationem monaſteriorum diverſorum ordinum, & viſitationes fierent, quod aliquot annis ſervatum eſt, poſtmodum ivit in diſſuetudinem. Fecit in concilio dominus papa ſermonem ſumto hoc themate: *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar*, & mortuus eſt Innocentius papa eodem anno non evoluto. Fuit autem concilium menſe novembri.

De Concilio Lateranenſi.

164. Circa id tempus peregrini noſtri de conſilio militum terræ ſanctæ, profecti ſunt verſus Damiatam civitatem Ægypti, in ripa Nili ſitam, & ceperunt eam, ſed cum multa mora, cum multo labore, & cum multo ſanguine noſtrorum; nec tamen tunc capta eſt fortitudine humana, ſed virtute Divina, percuſſis divinitus infirmitate (*d*) his qui erant [d]
in civitate, nec valentibus repugnare. Poſtea cum vellent ad ulteriora procedere, ex inopinato ſoldanus Babyloniæ per retorſionem fluminis arctavit eos in tantum, quod conditum fecerunt cum eo de reddenda civitate, & reddita eſt civitas Sarracenis. (*e*) [e]

Damiata capta a Teutonicis.

165. Inter hæc Otto imperator defunctus eſt, anno gratiæ MCCXVIII. obiit (*f*) autem con- [f]
tritus & confeſſus, inunctus & communicatus, abſolutus a vinculo excommunicationis, præſtita cautione ſtandi judicio eccleſiæ. Quam abſolutionem, audita morte ejus, lacrymans Honorius papa, qui Innocentio ſucceſſerat, approbavit. Fridericus vero rex pro conſecratione imperatoria Romam ire volens,

Otto Imperator moritur.

Nota de pueris & paſſagio puerorum.

(*a*) Ordinis S. Benedicti.
(*b*) E Wiedenſium Comitum domo oriundus.
(*c*) Eccardus prætermiſit *Coloniæ*.
(*d*) Deeſt apud Eccardum *infirmitate*.
(*e*) Browerus cenſet Theodericum fuiſſe in hac expeditione, adducitque auctoritatem Antonini.
(*f*) De pia & felici Ottonis IV. imperatoris morte vide ſi lubet ea quæ retulimus in tomo 3. Anecd. pag. 1373.

HENRICUM filium ſuum adhuc puerulum, de A conſenſu principum regem conſtituit in Alemannia, cujus tutelæ deputatus eſt WERNERUS DE BOLANDIA, & egreſſus eſt ſequente anno, fuitque extra Alemanniam XVI. annos. Wernero autem in brevi defuncto, ſuſcepit tutelam regii pueri ENGELBERTUS Colonienſis archiepiſcopus, columna eccleſiæ, cleri decus, ſtabilimentum regni, cui confœderatus eſt Theodericus Trevirenſis, fueruntque quaſi cor unum & anima una. Iſte eſt Engelbertus qui caſtrum *Thurun* acquiſivit Colonienſi eccleſiæ. Iſte eſt Theodericus qui caſtrum nobile trans Renum ædificavit, contra B vim brachii tyrannorum regionis illius, vocavit que illud montem *Thabor*.

Engelbertus Colonienſis archiepiſcopus.

Theodericus archiep. ædificat Marchabor.

166. In diebus illis venerunt in partes iſtas primum Prædicatores, & poſtea Nudipedes, & ſubito impleverunt mundum. Et primo quidem Prædicatores venerunt Coloniam, & datus eſt eis locus & hoſpitale quoddam in platea ſtolicorum, ut ædificaretur eis ibi habitatio. Unde a loco nomen aliquando habuerunt, ut vocarentur Stolici & Stolicheri, putantibus multis, quod a paupertate ſic vocarentur. Poſt hæc venerunt Trevirim. Defunctus eſt autem ibi *Erneſtus* vir valde honeſtus, canonicus majoris eccleſiæ, & domus ejus cum attinentiis ſuis facta eſt habitatio Prædicatorum uſque in hodiernum diem. Et fuerunt inter eos opinatiſſimi, Conradus de Argentina prior eorum, & Johannes lector eorum. Deinceps venerunt etiam Minores fratres, & mulieres converſæ ad religionem, inclauſtratæ, recluſæ, & ſequeſtratæ, quorum non eſt numerus.

Fratrum Prædicatorum & Minorum adventus in Germaniam & apud Trevi ros.

167. Verum cum ENGELBERTUS eccleſiam Colonienſem jam per .... annos rexiſſet, & tam reipublicæ quam & dioceſi ſuæ, prædones egregie coercendo conſuluiſſet, conjuravit adverſus eum FREDERICUS comes de *Ysemberch*, D filius fratris ſui, qui filiam WALERANNI non jam comitis, ſed ducis habebat uxorem, & irruerunt in eum ipſe & ſatellites diaboli ad hoc electi, & percuſſerunt immo mactaverunt eum, non acerbitate humana, ſed demoniaca crudelitate, XLVII. (*a*) vulneribus confodientes. Martyriſatus eſt beatus Engilbertus in vigilia S. Willibrordi adveſperaſcente jam die, feria ſexta, adhuc jejunus, prope villam *Suvelme*, in qua proxima die eccleſiam erat conſecraturus, anno gratiæ MCCXXV. cujus etiam mortem pretioſam in conſpectu ſuo Dominus multis miraculis declaravit. Cujus E innocentiam & mortem acerbiſſimam, compunctionem quoque & confeſſionem ante mortem, ad nutum CONRADI Portuenſis epiſcopi & cardinalis, THEODERICUS (*b*) Trevirenſis archiepiſcopus apud Leodium & Coloniam publice peroravit, & cardinalis eum martyrem pronunciavit.

De morte Engilberti archiepiſc. Colonienſis.

[a]

[b]

(*a*) Eccard IS XLVIII. (*b*) Eccardus *Theudevici*.
(*c*) Eccardus addit *aſtrictus* quod redundat.
(*d*) Eccardus *Z Wiemenſe*.

168. In quadrageſima ſubſequente Theodericus archiepiſcopus, & Walerannus cum rege & aliis principibus venerunt ad colloquium imperatoris, apud Cremoniam conDictum. Cumque reverſi eſſent, Waleranus mortuus eſt. FREDERICUS vero comes in ipſo anniverſario Engilberti epiſcopi, quem occiderat, Coloniam captivus eſt invectus, & poſt paucos dies rotali tormento perplexus eſt. Tunc etiam in tutelam regni ſucceſſit Engilberto LUDOWICUS dux Bawarorum, qui apud Damiatam fuerat, quando perdita eſt. Quo, per cujus machinationem Deus ſcit, interemto, Rex per ſeipſum cœpit agere negotia regni, habuitque potentiam regiam; ſed vitam regiam non habuit, nam incontinens fuit (*c*) multum, minus attendens jura matrimonii, cui aſtrictus erat. Potens tamen factus eſt in regno, & invaluit contra omnes adverſantes ſibi. Archiepiſcopus autem Treverenſis magnus fuit apud regem, nec mirum: etenim ubicumque conventibus publicis interfuiſſet, tam pontifices quam principes eum venerabantur ut patrem.

Fredericus comes ipſius necis auctor rotali ſupplicio plectitur.

[c]

169. Circa tempora iſta factæ ſunt tres ſtrages nobilium in tribus locis, & quot & C quantorum non eſt poſſibile dicere, & miſerabile eſſet dicere. Una fuit filii regis Franciæ & Chriſtiani exercitus ab Albienſibus. Alia epiſcopi Trajectenſis & ſui exercitus a Friſonibus, tertia regis Daciæ & ſuorum a comite *Wirmonſe* (*d*). Circa eadem tempora viſitavit Dominus peccata populi ſui ſpiritu judicii & ſpiritu ardoris, terram conſumens gladio & igne; non ſolum Treverenſem, ſed etiam Colonienſem & Moguntinenſem dioceſim, & hoc ex parte per Walerannum & comitem Seynenſem. Nam Walerannus filius ſupra dicti Waleranni, defuncto patre, in cuſtodiam ceſſerat comitiſſæ uxoris patris ſui, & puerorum & terræ, & hic habuit prælia multa, & nominatus factus eſt in eis.

Nobilium ſtrages.

[d]

De perſecutione hæreticorum.

170. Anno Domini MCCXXXI. orta eſt perſecutio hæreticorum (*e*) per totam Allemanniam, & exuſti ſunt plurimi per continuum triennium. Eratque princeps & caput hujus perſecutionis magiſter CONRADUS de *Marburch*, & miniſter CONRADUS quidam cognomento *Tors*, & Johannes carens uno oculo & una manu, qui duo ex hæreticis converſi fuiſſe ferebantur. Iſte eſt magiſter Conradus, qui in multis prædicationibus, & maxime de cruce-ſignatis famoſus, auctoritatem magnam ſibi comparaverat in populis, qui de viſitatione clericorum atque monialium ſe intromittens, eos ad obſervantiam regularem, & ad continentiam arctare voluit, quique auctoritate apoſtolica fretus, & animi conſtantia præditus, ita animoſus factus eſt, ut neminem timeret, tantique eſſet ei rex vel epiſco-

[e]

Conradus Marburgius apoſtolicæ ſedis legatus.

(*e*) De hæreticis Germaniam illo tempore inficientibus & eorum erroribus vide Gregorii Papæ IX. epiſtolam ad Fridericum Imperatorem a nobis editam tom. I. Anecdot. pag. 950.

pus, quanti pauper laicus. Cooperabantur autem ei & ministris suis præfatis Prædicatores per singulas civitates; tantusque fuit omnium zelus, ut nullius qui tantum probatus (a) esset excusatio, vel recusatio, nullius exceptio, vel testimonium admitteretur, nec defendendi locus daretur, sed nec induciæ deliberationis darentur; sed incontinenti oportebat eum vel reum se confiteri, & in pœnitentiam recalvari, vel crimen negare & cremari. Insuper qui sic tonsoratus esset, oportebat eum complices suos prodere, alioquin item debebat cremari. Unde putatur quod aliqui innocentes exusti fuerunt. Multi enim propter temporalem vitam & amorem hæredum suorum confitebantur se fuisse, quod non fuerunt, & arctati ad accusandum, accusabant quos nesciebant, & quos nolebant. Quin etiam in ultimis deprehensum est, quod hæretici aliquos de suis subornaverant (b), qui se tamquam in pœnitentiam tonsurari permiserunt, & sic catholicos & innocentes accusaverunt. Talium (c) apud Maguntiam capti fuerunt, nec erat adeo puræ quis conscientiæ, qui se hujusmodi tempestatem non timeret incurrere. Nullus etiam pro accusatis, non dico intercedere, sed nec mitius aliquid loqui audebat, quia statim ut defensor hæreticorum reputabatur. Etenim contra defensores & receptatores hæreticorum eadem, quæ contra ipsos hæreticos, a domino papa sententia dictata processerat. Præterea quicumque hanc impietatem abjurasset, si recidisse in ipsam diceretur, absque ulla retractatione deprehensus cremabatur. Nec Treverica diœcesis ab hac infectione exsors fuit. Nam in ipsa civitate Treveris tres fuisse scholas hæreticorum publicatum est. Nam exusta est ibi quædam Luchardis, quæ sanctissimæ vitæ putabatur, quæ incredibili lamentatione lugebat Luciferum injuste de cælo extrusum, quem volebat denuo replorare in cœlum. Neque mirum fuit de aliis civitatibus, cum in ipsa urbe Roma nonnullos infectos fuisse in suis litteris papa pronuntiaverit.

[a] [b] [c]

Articuli hæreticorum.

171. Et plures erant sectæ, & multi eorum instructi erant scripturis sanctis, quas habebant in Theutonico scriptas, vel translatas. Et alii eisdem baptisma iterabant; alii corpus Domini non credebant, alii corpus Domini a malis sacerdotibus non posse confici dicebant, alii indifferenter corpus Domini a viro & muliere ordinato & non ordinato, in scutella & calice, & ubique locorum posse confici dicebant, alii confirmationem & inunctionem superfluam judicabant. Alii summo pontifici, clero, & religioni derogabant. Alii defunctis suffragia ecclesiæ prodesse negabant, alii matres proprias, redimentes consanguinitatem quæ ibi erat per XVIII. denarios, in conjugium sumebant. Alii pallidum hominem vel etiam cattum osculabantur, & adhuc pejora faciebant. Alii dies omnes æquipendentes, feriari aut jejunare nolebant, unde & diebus festis operabantur, & in parasceve carnes manducabant. Et hæc de articulis eorum dixisse sufficiat, non quod omnes dixerimus, sed quod præcipuos tantum notaverimus.

A B C D E

Hæretici ibi faciebant & bi episcopum & papam.

172. Eo tempore Trevirorum archiepiscopus synodum tenuit, in qua ipse publice enuntiavit hæreticos in sua diœcesi habere episcopum, quem cognominassent secundum suum nomen Theodericum, & idem alibi fecisse de episcopis locorum; itemque habere eos communiter papam, quem secundùm catholicæ ecclesiæ episcopum, nuncuparent Gregorium, ut si interrogarentur de fide, eam fidem se habere dicerent quam haberet papa Gregorius, & ille episcopus sic nominatus, nostrum nominantes, & suum intendentes. In eadem synodo tres fuerunt hæretici præsentati, quorum duo sunt dimissi, unus exustus. In eadem synodo archiepiscopus excommunicavit omnes falsatores monetarum, tam jubentes quam facientes.

Metenſium monasterius suum ædificium.

173. In diebus illis exiit edictum a papa Gregorio ad omnes episcopos, ut visitationes fierent, unusquisque in sua diœcesi monasteriorum, tam clericorum quam monachorum & monialium, & inchoatum est opus sanctum dignum benedictione; nisi quod ubi cœpit, ibi mansit. Per id tempus bellum fuit Metensium cum Johanne episcopo ipsorum. Sed & archiepiscopus Treverensis eosdem excommunicavit propter contumaciam & inobedientiam quam exhibebant eidem episcopo; sicut & idem episcopus ipsos excommunicaverat; at illi de excommunicatione minus curantes, potenter episcopo ejusque cooperatoribus per biennium restiterunt, quibus etiam decem circiter castella effringentes, tandem obtinuerunt, quod episcopus eos recepit in gratiam suam.

Henricus de Seyna ab Inquisitoribus citatur.

174. Igitur supra memorati sanctæ catholicæ fidei zelatores, acerrime hæreticis insistentes, cum rusticanorum hominum utriusque sexus innumeram multitudinem, tum contundendo, tum comburendo, per diversa loca pessum dedissent, apposuerunt & divites impetere, atque magnates. Inter quos dum comitem Henricum de Seyna aggrederentur, mirum quod comes ille, qui magnæ crudelitatis esse dicebatur, litteras citatorias sibi a magistro Conrado transmissas cum æquanimitate suscepit, statimque ad consilium cleri & religiosorum tutus (d) convolavit, regis quoque & episcoporum. Quid plura? factus est conventus episcoporum ac principum cum rege Heinrico apud Moguntiam, in festo S. Jacobi, ubi, comite comparente, & magistro Conrado in causa deficiente, accusatoribus & testibus resilientibus, aliis se coactos vel circumventos, in comitem mala di-

[d]

(a) Eccardus *propalatus*.
(b) Eccardus *subordinaverunt*.
(c) Eccardus *tandem tres*.
(d) Eccard. *totus*.

xisse se fatentibus, aliis de odiosa præsumtione (a) notatis, rex alium diem ad ventilandam altius causam edici voluit. Comite autem instantius petente, ut ad finem causæ tenleretur, archiepiscopus Treverensis dixit ad comitem: dominus meus rex vult quod causa ista differatur; & ad populum: Denuntio vobis, quod comes Seynensis hinc recedit pro homine catholico & inconvicto. Et magister Conradus sub murmurando ait: Si convictus esset, alia ratio esset. A quo conventu cum magister Conradus sumto regis & episcopi Moguntini conductu recederet, reversurus in sua, in via interemtus est, una cum socio suo Gerardo quodam. Delatus autem *Marburch*, sepultus est juxta beatæ Elizabeth, viduæ uxoris quondam Lantgravii, tumulum, quæ ante paucos annos defuncta & ibidem tumulata, plurimis miraculis fuerat glorificata. Ex hinc procellosa illa persecutio cessavit, & periculosissima tempora, quibus a diebus Constantii imperatoris hæretici & Juliani Apostatæ nulla alia fuere similia, sereniori cœperunt spirare clementia; & fuit comes ille Seynensis murus pro domo Domini, ne in ulteriora progrederetur rabies inopportuna & lippa, noxios æque & innoxios absortura, episcopos & principes, religiosos & catholicos quosque, ut rusticanos & hæreticos pervasura.

[a] absolvitur.

De cæde magistri Conradi.

Henricus Seynæ comes Francofurti absolvitur.

175. Post hæc in purificatione S. Mariæ factus est iterum conventus & curia solemnis apud *Frankinvort* coram rege, xxv. circiter episcopis, abbatibus, & prioribus diversorum ordinum, prioribus etiam cleri, & principibus innumeris congregatis, ubi adducta in medium causa comitis, comite præsente, pro fide & innocentia comitis, sacramenta præstantibus episcopis, prælatis, abbatibus, Majoribus (b) & Minoribus fratribus, clericis & monachis; principibus quoque laicis, & baronibus universis, comes gloriossissime expurgatus est. Tunc Conrado episcopo Hildesheimensi, qui ex parte domini papæ ibi aderat, comitem rogante pro amore Dei omnipotentis, & pro reverentia regis præsentis, atque episcoporum ac principum, ac totius illius conventus, ac pro hoc quod Deus eum gloriossissime absolverat ab infamia sibi impacta, infamatoribus suis, lacrymans & cordi suo vim magnam faciens, indulsit.

[b]

Calumniatoribus ignoscit.

176. Anno Domini MCCXXXV. reversus est Fridericus imperator in Alemanniam, & receptus est a principibus & a civitatibus sicut imperator. Adducta est ei etiam sponsa sua, filia regis Angliæ, per Colonienssem archiepiscopum, & susceptа ubicumque venit cum multa ambitione. Porro Henricus rex filius imperatoris, qui se ab anno præterito paravelrat ad rebellandum contra patrem, de consilio episcoporum de meliori pace præsumen-

Imperator filium suum regem captivum relegavit in exilium.

tium, se & sua dedit in gratiam patris. Quem pater statim captivatum, & per diversas custodias missum, tandem in Aquilegiæ (c) partes relegavit, ita ut dicere ei conveniret cum beato Job: *Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum.* Revera enim cum opulentia & potentia (d) magna tunc temporis regnum tenebat Romanorum. Fecerit hoc pater quo velluerit animo; sed Deus hoc fecisse creditur in vero judicio suo. Multum enim Deum offendisse putabatur in delictis juventutis suæ. Altissimus autem est patiens redditor, quia mala hominum & patitur & reddit. Apud imperatorem sane Theodericus episcopus Trevirensis magnus habitus est, & ubique in curiis solemnibus locum sessionis suæ inter pontifices pro primatu Trevericæ dignitatis obtinuit. Subsequente anno Johannem archiepiscopum, qui apud Clausstrum in capitulo monachorum, ut supra scriptum est, humatus fuerat, elevari fecit, atque in oratorio beatæ genitricis ibidem honorifice collocari tertio die Martii mensis.

[c]

[d]

B. Elizabethæ ossa & cineres levantur.

177. Eodem etiam anno translatio facta est beatæ (d) Elisabeth apud *Marburch* ipsis calendis Maii, ubi & Theodericus archiepiscopus cum imperatore præsens fuit. Circa idem tempus mortua est *Agnes* domina de Castello *Marburch*, & susceptit illud tenendum Rudolfus quidam, filius fratris ejus, tali interveniente pactione, quod Walerannus supra memorati Waleranni filius, teneret illud in feodo ab archiepiscopo, & Rudolphus a Valerano. Qui Rudolphus statim aggressus est impugnare vicinas sibi positas moniales de sancto Thoma, propter aliqua bona quæ legaverat eisdem Agnes supradicta, volens eis ea abripere, & sibi jure successionis attrahere. Cujus instantia prævalente, deferentes omnes cœnobium suum, venerunt in civitatem Trevirensem, ibique per tempus aliquod demorantes, ad majorem ecclesiam, ad missam quotidie cum processione venerunt, atque inter ipsa sacræ actionis solemnia, duas antiphonas scilicet: *Media vita in morte sumus* & *Salve regina misericordiæ* lamentabiliter decantabant, & hoc de consilio archiepiscopi, & prælatorum & prædicatorum. Nec his contentus Rudolphus, etiam res episcopii aggressus est, ad cujus insolentias reprimendas Theodericus archiepiscopus castrum in monte *Kilburch* ædificare cœpit anno Domini MCCXXXIX. Neque poterat contra facere Walerannus toto anno illo vehementissima bellorum instantia contra Conradum Colonienssem electum impeditus. Tunc temporis Conradus puer, filius imperatoris, rex Hierosolymorum, a plurimis habitus est pro rege Romanorum, qui etiam fovit partes laicorum adversus Colonienssem electum.

Notandum de monialibus S. Thomæ.

(a) Eccard. *De odio præsumtive.*
(b) Id est fratribus Prædicatoribus quos ad distinctionem fratrum Minorum Majores fratres appellatos supra vidimus.

(c) Eccardus *Apulie.*
(d) Apud Eccardum desideratur *& potentia*
(e) Apud Eccardum deest *beata.*

Edictum Papæ ad excommunicandum imperatorem.

178. In eiſdem diebus exiit edictum a papa GREGORIO, ut excommunicaretur imperator per Alemanniam; & egreſſus JACOBUS Prænestinus epiſcopus cardinalis a latere domini papæ, venit in Gallias ad promovendum memoratum *edictum* (*a*). Seceſſit autem THEODERICUS * montem (*b*) ultra Rhenum, ætate ſimul & debilitate confectus, magis autem paci ſuæ providus & quietus. Plane ſatellites imperialis negotii tanta ſagacitate & tam aſtutiſſima exploratione vias omnes circumſepſerunt, omnimodo caventes, ut neque litteræ, neque nuntii in terra venirent, aliquid mandati contra imperatoris honorem importantes. Et ecce immiſit omnipotens nuntios aliquos; at alia (*c*) nuntiantes. Nam gens infauſta Tartarorum, trina jam irruptione facta, fines invaſit Europæ (*d*), exterminium toti orbi Chriſtiano meditans & minitans. Eos Tharſenſes (*e*) & Iſmahelitas quidam autumant, de quibus ſcribit Methodius, quod egreſſuri ſint ante finem mundi, & obtenturi orbem terræ octo hebdomadalibus annorum, id eſt LVI. annorum, & multa facturi mala. Adjuncti ſunt eis Cumani, Amazones, & aliæ gentes; Chriſtianorum quoque refugæ & damnatitii, & factus eſt inimicorum Dei exercitus infinitus ex omni populo & natione collectus. Invaſerunt igitur Hungariæ partes, Bohemiam, Poloniam & finitimas regiones, omnia vaſtantes, nulli hominum parcentes, ſenes & juvenes, divites & pauperes, mulieres cum parvulis interficientes, matronarum & virginum pudicitiæ incredibiliter nocentes, commeſſationibus, luxuriis, immunditiis inter templa Deo ſancta vacantes, villas & eccleſias, oppida & cœnobia pares in deſtruendo habentes.

[a] [b] * In arcem Thaboriam.

Tartari invadunt Chriſtianos.

[c] [d] [e]

179. Judæorum quoque plurimi exultare cœperunt, Meſſiam ſuum venire putantes (*f*), & liberationem ſuam eo anno inſtare, nam annus erat tunc incarnationis MCCXLI. & aliquibus ſuſpicantibus quod aliquid mali deberent contra Chriſtianos moliri, multorum favorem amiſerunt; ſed auctoritate poteſtatis imperatoriæ ſunt protecti. Demandaverunt autem principes regionum illarum principibus circa Rhenum manentibus, ut auxilium ferrent rebus Chriſtianis, & accenſus eſt ignis Dei in populo, nam ad nutum epiſcoporum prædicantibus malorum multitudini (*g*) fratribus Minoribus, & Prædicatoribus, cruce ſignati ſunt viri & mulieres, ſenes, juvenes, & infantes in ſubſidium jam jamque peritarum Dei eccleſiarum. Sed heu, permittente Dei juſto judicio, magnatibus terrarum a conceptæ (*h*) devotionis fervore infrigidatis, cito refriguit etiam caritas populorum. Quid enim faceret populus ſine principe? Ferunt autem tantam hominum ſtragem numquam in mundo factam fuiſſe, quanta facta eſt a barbaris iſtis in tam brevi tempore, videlicet infra dimidium annum, vel paulo plus.

[f]

180. Inter hæc egreſſi ſunt Januenſes videlicet in manu forti, videlicet cum numero quatuor millium pugnantium, & XXV. galearum, catholicos ad concilium, quod papa in pentecoſte celebrandum indixerat, conducti. Occurreruntque eis homines imperatoris, & ſubmerſis tribus galeis, reliquas ceperunt cum perſonis & rebus. Capti ſunt ibi tres legati, JACOBUS Prænestinus, OTTO de Carcere Tulliano, GREGORIUS de Romagnia (*i*). Archiepiſcopi quoque, epiſcopi, abbates aliique prælati & prælatorum reſponſales, & ambaſſiatores civitatum Lombardiæ, & oblati ſunt imperatori menſe Aprili, capta jam ab eo Faventia: non tamen inventi ſunt inter eos nuntii Treverenſis archiepiſcopi, nec litteræ ejus. Ex hinc poſt multas comminationes, poſt multas commonitiones (*k*), miſeratus Dominus plebem ſuam, pacem dedit inter epiſcopum & Walerannum, & reconciliati ſunt in fœdere pacis. Mortuus eſt autem GREGORIUS papa anno Domini MCCXLI. & ſubſtitutus eſt ei Celeſtinus, qui cum ſediſſet XVII. diebus, veneno finitus eſt. Quocirca cardinales eccleſiam ſanctam multis diebus acephalam dimiſerunt, & quaſi deſolatam, ſimilia formidantes. Tunc inſurrexerunt duo archiepiſcopi, Moguntinenſis ſcilicet & Colonienſis in res imperatorias, & utroque gladio, ſcilicet materiali & ſpirituali vehementiſſime utentes, hinc præliis & exactionibus, incendiis & rapinis univerſa quæ attingere poterant invaſerunt, ſatellitibus imperatoriis in eorum res non minus regraſſantibus; hinc ipſum imperatorem de mandati ſibi delegati (*l*), ut dicebant, injuncto, pluries & publice excommunicatum denuntiaverunt. Eo anno fuit eclipſis ſolis magna & tenebroſa in octava S. Michaelis, in dominica die poſt meridiem, tribulationes magnas eccleſiæ Dei mirifice deſignans. Poſt hæc venit CONRADUS rex Treverim in quadrageſima, & honorifice ſuſceptus eſt ab eo THEODERICUS (*m*). Deſcendit autem rex Aquiſgrani, & epiſcopus Confluentiæ. Revertente vero ad partes Confluentiæ, ante paſcha mortuus eſt Theodericus archiepiſcopus V. cal. Aprilis, anno pontificatus ſui triceſimo (*n*), mortuus eſt autem WALERANNUS poſt paſcha.

Concilium generale indicit Greg. IX.

[i]

[k]

Moritur.

[l]

[m]

MCCXLII.

[n]

Geſta Arnoldi de Yſenburch, *archiepiſcopi.*

181. Poſt deceſſum venerabilis patris domini archiepiſcopi Theoderici domnus ARNOLDUS, tunc major præpoſitus Treveren-

Arnoldus eligitur epiſcopus.

(*a*) Eccardus *electum*.
(*b*) Eccardo deeſt *Montem*. (*c*) Eccard. *& alios*.
(*d*) Eccardus *invaſit Europam*. (*e*) Eccard. *Traſcenſef*.
(*f*) Eccard. *Publicantes*. (*g*) Eccard. *multitudinem* omiſſo *Minoribus*. (*h*) Eccard. *& concepta*. (*i*) Eccard. *Romagina*.

(*k*) Eccard. *commotiones*. (*l*) Eccard. *de mandato ſibi legati*.
(*m*) Eccard. *ſuſceptus eſt a Theoderico epiſcopo*.
(*n*) Obſervat Browerus, Henricum Oſilienſem epiſcopum eccleſiam Montis S. Beati ſub Theoderico ſacraſſe, hinc originem ducit ſuffraganeorum titularium.

ſis

sis, nepos ipsius de sorore, ipse de *Isenburch* oriundus in episcopatu successit eidem. Cujus electioni celebratæ longe a majori & saniori parte capituli, RUDOLPHUS præpositus S. Paulini Trevirensis, de parentela de Ponte procreatus, vir magnorum operum & virtutum, cum paucis, qui eum nominaverant, opponere se præsumsit, fiduciam suam ponens in auxilio & promotione regiæ majestatis, quæ tunc graviter offensa fuerat memorato majori præposito, & suæ parentelæ, domino Moguntinensi archiepiscopo SIFRIDO, qui sedi apostolicæ adhærentes, contra dominum Fredericum imperatorem, & natum suum dominum Conradum, ac eorum fautores, insurrexerunt viriliter & potenter (*a*). Quare sæpedicto Rodolpho regalia sua, cum sedes apostolica vacaret, in odium Arnoldi præpositi concessit. Cujus consanguinei & fautores potestate tradita nimis temere abutentes, domos canonicorum Trevirensium, qui sui erant adversarii, emunitate violata, confregerunt, res ibidem inventas asportaverunt, & a communi populo inutiliter distrahi facientes, captivaverunt virum ætate, dignitate, & genere venerandum, dominum Theodericum de *Hagen*, archidiaconum Trevirensem, de ecclesia majori in suppellicio venientem, & taliter suppelliciatum per forum rerum venalium, in ludibrium privilegii clericalis, usque ad pontem captivum deduxerunt, majorem ecclesiam incastellaverunt, castrum *Sarburg* quodam ingenio mirabili obtinuerunt, multa per enormem potentiam auxilio ducis Lotharingiæ, de *Seyne* & de *Lutzenburch* comitum perpetrantes. Castra vero & munitiones a fidelibus ecclesiæ custodiebantur constanter; omnes majorem majori, quam S. Paulini præposito favorem, quantum ausi sunt, adhibentes. Palatium quoque custoditum erat a fidelibus ecclesiæ, qui quadam die, sicut præconsultum fuerat, per portam Mosilim auxiliarios majoris præpositi intromittentes, victualibus & hominibus supervenientibus munierunt palatium. Domos etiam adversariorum suorum undique destruentes, insultum fecerunt contra illos de ponte & turri Richardi militis de ponte, ubi captus fuit dominus THEODERICUS de *Blanckenheim* præpositus Prumiensis (*b*), & plures hinc inde vulnerati. Postmodum etiam ab illis de palatio, qui frequenter incursus facere consueverunt, contra illos qui erant in majori ecclesia, & illos de ponte captus fuit Rudolphus de Ponte, filius fratris præpositi S. Paulini. Item alia vice dominus Arnoldus de Rupe, Gobolo (*c*) de Vilario, Theodericus de Lincerio, & alii quidam nobiles capti sunt, & in palatium deducti. Cum præsens esset tunc in civitate Trevirensi comes Lucellenburgensis, qui in (*d*) palatium propter hoc insultum fecit per unum diem & noctem, ipsum continue impugnando; sed muri fortitudo & viri intus magnanimi suo conatui resistebant, ita quod nihil profecit, sed in sua machinatione defecit.

Rudolphus contra eum assumitur.

[a]

Arnoldi edio canonici spoliantur.

Theodericus de Hagen in captivus.

Et Theodericus de Blanckenheim.

[b]

Viriliter obsistunt Arnoldi fautores.

[c]

[d]

182. Quia igitur per grave dispendium ad breve compendium sæpe devenitur, & cum hinc inde electi, tamquam molares essent æqualiter fere duri, per consilium virorum prudentium ad tractandum de bono pacis dies est collecta, primo prope villam * *Neuvele*, & diversis habitis circumgirationibus consiliorum, cum etiam sedes Romana illa vice vacaret, hæc discordia non multo durans tempore, amicabiliter est sopita, ita quod cessit præpositus S. Paulini, & postea non post multos dies in castro *Sarburch*, quod per compositionem aliquandiu tenere debuit, debita naturæ persolvit. Dominus Arnoldus major præpositus, qui quasi coactus ab amicis regimen episcopalis sedis suscepit, cum & ipse homo litteratus & peritus in jure esset, electionem suam in potestatem domini Innocentii papæ quarti transmisit, ut si quis esset defectus in electione vel negligentia in compositione, suppleret de plenitudine potestatis. Dominus vero papa propter personæ prudentiam, quæ sibi per famam innotuerat, & amicorum potentiam, quæ tunc contra imperium opportuna erat, electionem liberaliter confirmavit suam, defectum supplevit, super irregularitate vel negligentia quacumque dispensans. Pallium quoque, quod Romæ raro accidit, gratis transmisit sub hac forma.

Concordia inter utrumque electum.

* *Neuville.* Villa-nova.

Moritur Rudolphus.

Arnoldi electio ab Innocentio IV. probatur.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum « Dei dilecto filio electo Trevirensi salutem & « apostolicam benedictionem. «

Pallium ipsi mittit gratuitum.

Cum pallium, insigne videlicet pontificalis « officii, ex parte tua fuisset a nobis per dilectum filium abbatem * S. MAXIMINI Treve- « rensis, nuntium & procuratorem tuum, ad « hoc specialiter constitutum, ea qua decet « instantia postulatum; nostuis supplicationi- « bus annuentes, ipsum de beati Petri corpore « sumtum, per eumdem abbatem assignandum « tibi, per ipsum duximus destinandum; ut il- « lud tibi assignet sub forma, quam ei sub bulla « nostra tradidimus intercluſa. «

* Henricum.

183. Sic papa (*e*) sibi eum vindicans amicum & principem specialem, favore ipsum amplectens, & prærogativa gratiæ spiritalis, & opere & effectu patenter ostendit. Omnes enim dignitates & beneficia ecclesiastica, quæ electionis suæ tempore obtinebat, non modicorum redituum, de anno ad annum, continuata gratia ad tempora vitæ suæ, retinenda concessit, sub hac forma.

[e]

Permittitur retinere beneficia quæ ante electionem obtinebat.

Innocentius episcopus servus servorum « Dei, dilecto filio ARNOLDO electo Trevirensi, « salutem & apostolicam benedictionem. « Promerente tuæ devotionis promtitudine, «

(*a*) Eccardus *insurrexit potenter.*
(*b*) Eccard. *Prumensis.* (*c*) Eccard. *Bobolo.*
(*d*) Eccard: *ejus in Palatium.* (*e*) Apud Eccard. deest *Sic Papa.*

» qua fidei puritate conſtantis te ſpecialem no-
» vimus inter devotos Romanæ eccleſiæ repu-
» tari, dignum fore providimus, ut te ſpeciali
» prærogativa amoris & gratiæ proſequentes
» petitionibus tuis, quantum cum Deo poſſu-
» mus, favorabiliter annuamus. Cum ergo, ſi-
» cut ex parte tua fuit coram nobis propoſi-
» tum, menſæ tuæ redditus, propter guerra-
» rum diſcrimina ſint adeo diminuti, quod
» ſufficere nequeant ad ſuſtinenda opera, quæ
» incumbunt pro defenſione eccleſiæ tuæ, ac
» etiam eccleſiaſticæ libertatis; nos devotionis
» tuæ precibus benignum impertientes aſſen-
» ſum, auctoritate præſentium tibi indulge-
» mus, ut beneficia eccleſiaſtica, quæ electionis
» tuæ tempore obtinebas, illis dumtaxat ex-
» ceptis, quæ de mandato noſtro aliis ſunt col-
» lata, retinere libere valeas, uſque ad noſtræ
» beneplacitum voluntatis.

Conſecratur Arnoldus.

184. Multis eum benevolentiis & aliis gratiis favorabiliter honoravit. Erigente ergo ſe domino archiepiſcopo, atque a (a) Moguntino & (b) Colonienſi archiepiſcopis, ac (c) Tullenſi epiſcopo cum aliis ſolemniter conſecrato, ad Treverenſem eccleſiam ſibi commiſſam alacriter gubernandam diverſi diverſimode, ut moris eſt in quibuſdam novitatibus, ſe ſibi opponere tentaverunt: de quibus aliquos potentialiter debellando, quoſdam per amicitias confovendo compeſcuit ſapienter. Inter quos quaſi alter Nero quidam dictus Zorno Marſchalcus(d) ducis Bauwariæ, caſtrum Thurum in commiſſo tenens, rebellionis cornua contra dominum archiepiſcopum nimis nequiter & crudeliter prætendere non expavit. Quem tamquam leo magnanimus idem dominus archiepiſcopus, propter multa ſua facinora, conterere ordinavit. Idem Zorno mulieres prægnantes, quas captivas tenebat compeditas, in partu expirare coegit. Clericos & laicos indifferenter per longas captivitates afflixit, eccleſiaſticas perſonas & res crudeliter invadere non expavit; homines quoque dicti archiepiſcopi proditione peſſima inhumaniter interfecit. Unde exaſperatus dominus archiepiſcopus, contra eum tamquam elephas, qui ex oſtenſione cruoris incitamentum furoris recipit, qualiter ſe vindicaret in homine tam inhumano, diſponere non tardavit. Convocatis ergo conſanguineis, fidelibus, & amicis, conſilium habuit, & caſtrum Thurum obſedit, & in obſidione fere per biennium perſeverans, vicinorum auxilio & univerſitatis totius dioceſis, qui de tyrannide Zornonis multa perpeſſi fuerant pericula & diſpendia, caſtrum ipſum cepit, licet dux & ſui variis collectionibus (e) expeditionum caſtrum ipſum liberare, & archiepiſcopum removere tentaſſet multis viribus importune. Tandem tamen in tantum, cum jam deficerent in victualibus caſtrenſes, exercitus invaluit ducis & ſuorum, quod archiepiſcopum Colonienſem in ſocium Treverenſis archiepiſcopus accerſivit, eum participem faciens laborum & expenſarum, medietatem caſtri ſibi & Colonienſi eccleſiæ impertiendo. Ratio & participationis cauſa hujuſmodi præcipue tunc illa fuit, quia in turri anteriori jus habuit eccleſia Colonienſis, & ut fortius eccleſia Treverenſis duci & ſuis fautoribus poſſet, communicato auxilio Colonienſis eccleſiæ, reſiſtere in futurum. Quanta cæde ſuorum, & quantis expenſis expugnaverit caſtrum archiepiſcopus Treverenſis, iſtud tædioſum eſſet per ſingula explicare. Quilibet autem, qui diſcretione non caret, hæc poteſt, cui nota eſt rei experientia, æſtimare. Potitus igitur ſuo deſiderio archiepiſcopus, mente excitus & animo elevatus, gratias agens Domino Deo & beatæ Virgini ſuæ genitrici, beatoque Petro apoſtolo, de tam glorioſo triumpho, capellam quæ in loco, qui *Biſidenberg* (f) dicitur, ad honorem Dei & ſuæ genitricis conſtruxit & dedicavit in memoriam ſempiternam.

Zornonem tyrannum compeſcit.

185. Conveniens vero videtur, ut quædam, licet diverſis temporibus acta, hoc loco, ad ipſius geſtorum cumulum, inſerantur. Oculo conſiderationis ſuæ, prout vir erat diſcretus & in omnibus circumſpectus, muro civitatem Treverenſem, & præcipue ex oppoſita parte munitionum illorum de ponte, provide circumſepſit, excludens caſtella cum incolis, qui ſæpe civibus Treverenſibus fuerant importuni, portam & turrim inſtituens contra eos, quæ ex re nomen eſt ſortita, porta Invidioſa. Palatium in ædificiis intus plurimum emendavit. Domum apud *Palcele* pulcro & laudabili opere renovavit. Caſtrum *Pilliche* pro eo quod fuerat immunitum, cui multæ præ cæteris inferebantur ruinæ (g), turribus quatuor a latere & ſupra portam ſic munivit, quod nunc inexpugnabile dicitur. Caſtrum *Arras* (h), alienatum ab eccleſia Treverenſi ad jus eccleſiæ revocavit, & turrim firmavit. Monaſterium oppidum in *Menvvelt* circumvallavit & in parte murari fecit. Oppidum Confluentiæ, quod quaſi villa campeſtris omnibus patuit, circumvallari & circumſepi, ac in parte murari procuravit. Advocatiam ibidem ſibi titulo pignoris conquiſivit, domum ſuper Inſulam prope *Valindre* collapſam cum capella ibidem laudabili opere renovavit, oppidum (i) *Hadinuels* emit & circumvallavit, quod eccleſiæ Treverenſi applicuit & dedit. Oppidum *Stolzenfels* cum caſtro muniri præcepit. Omnes eccleſiæ ſuæ munitiones emendavit, & in pluribus augmentavit, eccleſiæ ſuæ privilegia contra quemlibet ſtrenue obſervando. Legationem commiſſam Colo-

Urbis munia inſtaurat & palatium.

Varia caſtella munit.

Metſeld.

Confluentiam munibus ornat.

[a] [b] [c] [d] [e] [f] [g] [h] [i]

(a) Sigifrido. (b) Conrado. (c) Rogero.
(d) Eccard. *Marſallus*. (e) Eccard. collationibus.
(f) Eccard. *Lindemburg*. (g) Eccard. *mina*.
(h) Eccard. *Avaz*. (i) Eccard. *Hardenfels*.

niensi archiepiscopo per Alemaniam, quia per hoc libertati Treverensis ecclesiæ derogari videbatur, utpote quæ nonnisi de latere domini papæ missum tenetur recipere legatum, ratione primatiæ revocari, destinatis ad dominum papam procuratoribus idoneis, procuravit. Castrum firmatum a Wirico de *Dune* prope montem *Urtige*, captivatis castrensibus devastavit.

Henricus Kalgo rex eligitur Innocentii IV. auctoritate.

186. Dominum Rasponem Lantgravium Thuringiæ, virum illustrem, magnum & potentem, de voluntate & mandato domini Innocentii papæ quarti, una cum Moguntinensi & Colonien si archiepiscopis in regem Romanorum elegit (*a*), contra dominum Fridericum imperatorem, & natum suum Conradum, quos idem papa Lugduni sententialiter dignitate privaverat & honore. Igitur collecto exercitu copioso, Conradus apud *Frankevort* ad resistendum dicto Lantgravio, convenientibus sibi in occursum ipsius eodem Landgravio cum congregatione archiepiscoporum trium prædictorum, ac episcoporum undique de mandato apostolico mandatorum & collectorum, & eorum coadjutoribus, in die beati Oswaldi prope *Frankevort* bellum commiserunt, ubi, mediante clementia Dei, victis fugatisque & multis captis adversariis, a memorato Lantgravio & archiepiscopis victoria est obtenta. Et quia nihil in humanis rebus est stabile vel perpetuum, post tam gloriosam victoriam præfatus Lantgravius infra parvum tempus est defunctus.

Conradus prælio vincit, nec multo postmodum moritur.

Wilhelmus rex Romanorum eligitur.

187. Ad reprimendum igitur potentiam sæpedicti Frederici & Conradi, dominus Wilhelmus de Hollandia comes, mediante legato sedis apostolicæ, per memoratos Moguntinensem, Colonien sem & Treverensem archiepiscopos, præsentibus ducibus, comitibus, & terræ nobilibus pluribus, apud villam *Wrunch* in Romanorum regem solemniter est electus. Hunc regem Wilhelmum dominus Arnoldus Treverensis archiepiscopus specialiter fovit, eumque cum magna multitudine suorum & advenientium, in suis expensis per octo hebdomadas apud *Erberstein* & *Monthabor*, & aliis locis suis tenuit, omnia necessaria sibi largiter ministrando. Post mortem domini Friderici prædicti cum etiam iste rex Wilhelmus Conradum filium Friderici apud *Oppenhein* per suam validiorem potentiam repressisset, vocatus est a domino papa per solemnes nuntios & litteras, ut veniret Lugdunum. Cum quo vocatus similiter dominus Treverensis, cum lx. equitaturis & copia rerum advenit, ac a Domino papa idem archiepiscopus cum honore tanto est receptus, quod etiam ipsi assurgens, pacis osculum ore dedit, & habito ibi tractatu de negotiis imperii, xv. intervallo dierum, cum nullus princeps Alemanniæ præter eum ibi esset, dominus papa in die parasceven sermonem in suo idiomate ad populum fecit; in ejus latere stans dominus archiepiscopus, regi & Theutonicis exposuit verba papæ. Dimissis itaque eis, dominus papa iter cum suis versus Lombardiam arripuit, multas grates referens domno archiepiscopo, quod eidem regi benefecerat, & fideliter se habuerat in negotiis ecclesiæ, quodque ipsum papam cardinales & notarios, hostiarios & nuntios honoraverat copiosis & pluribus donativis. Benedictione itaque recepta a papa, rex & archiepiscopus ad patriam sunt reversi, & post modicum tempus, quia ludit in humanis divina potentia rebus, idem rex Wilhelmus juvenis & potens, in imperatorem proximo coronandus, a Frisonibus est casu lamentabili miserabiliter interfectus.

Wilhelmus rex occiditur.

188. Dominus etiam papa Innocentius non post multum tempus de hujus vitæ ergastulo a Deo est vocatus, vacavitque imperium amplius quam unum annum. Demum principes Alemanniæ, ad quos jus electionis pertinet, diem ad tractandum de electione elegerunt, & proh dolor, divisa sunt eorum vota per partes. Dominus autem Conradus Colonien sis archiepiscopus propter pecuniam innumeratam sibi datam, virum Angliæ dominum Richardum comitem Cornubiæ, germanum regis Angliæ, non zelo justitiæ, sed desiderio pecuniæ, in regem elegit, & dominum Gerardum Moguntinensem archiepiscopum, tunc captum in *Thuringen*, & liberatum pro VIII. millibus sterlingorum marcarum ex parte dicti comitis Cornubiæ, comitemque Palatinum Rheni, pro decem millibus marcarum (*b*) allectum in partem suam traxit. Dominus vero Arnoldus archiepiscopus Treverensis cum duce Saxoniæ, qui missus fuerat ad ipsum ex parte regis Bohemiæ & marchionis *Brandenburg*, fidem debitam imperio salubriter & prudenter attendentes, virum alienigenam pro pecunia nullatenus eligere voluerunt. Quindecim enim millia marcarum sterlingorum oblata fuerant eidem archiepiscopo Treverensi, nec suum animum flectere potuerunt. Quæ pravitas pecuniæ, ut tunc dicebatur a multis, fortassis totam Romanam curiam commovisset. Propter hujusmodi igitur constantiam viri, quasi statua immobilis, memorati principes imperii electores suam electionem illa vice eidem archiepiscopo Treverensi per suas litteras commiserunt, ut quemcumque, præter Anglicanum, suo & ipsorum nomine eligeret, ratam & firmam hujusmodi electionem haberent. Ipse adductis secum Spirensi & Wormacien si episcopis, ac aliis pluribus nobilibus terræ, in manu forti & comitatu decenti, die certa *Frankevort* assignata, processit, & ibi virum magnificum dominum Alphonsum regem Hispaniæ, illustris regis Bohemiæ & insignis ducis Brabantiæ ne-

Richardus Cornubiæ comes rex Germaniæ magna pecuniæ vi a quibusdam electus.

[*b*]

Nota.

Ab Arnoldo Trevirensi & aliis Alphonsus rex Castellæ.

(*a*) Apud Herbipolim.

ministri sathanæ, duas curtes monasterii prædicti, videlicet *Kuckelberch* & *Tuiesch* incendunt igne, adeo ut fumus ejusdem ignis ipsum monasterium penitus cooperiret.

Ad Canonicos ecclesiæ Trevirensis confugiunt monachi.

195. Videntes igitur fratres monasterii bona sua sic undique devastari, nec sperabant se in monasterio suo posse salvari. Dolentes & nimium perterriti confugiunt ad capitulum majoris ecclesiæ, humiliter conquirendo deprecabantur, ne ob reverentiam beati Matthiæ apostoli totius Alemanniæ patroni, res & bona monasterii sui, consilium & auxilium adhibentes, paterentur ita horribiliter consumi & dispergi. Qui audientes querulosam prædictorum fratrum petitionem, pietate moti, miserti sunt eorum; consilium-que sanum & providum adhibentes, ad dominum Henricum electum miserunt, ac ipsum super hujusmodi excessus graviter corripuerunt, qui omnimode se expurgans ab hoc crimine sibi impositio, fore se dixit innocentem. Inter hæc Alexander papa viam universæ carnis est ingressus: cui URBANUS quondam episcopus Virdunensis, deinde partriarcha Jerosolymis, successit in apostolatum.

Henricus accepto nondum pallio pontificia obit munia.

196. Electus vero Treveris prædictus, cum adhuc, pallio non obtento, in archi-Trevirorum episcopum non esset confirmatus, suum suffraganeum quemdam PHILIPPUM Metensem episcopum, quod nec debuit nec potuit, confirmare præsumsit; synodum etiam manifestam in majori ecclesia celebravit. Post hæc autem castrum quoddam Nigrum montem, quod vulgariter dicitur *Swarcinberch* obsedit, milites & nobiles illius castri captivavit, victoriam obtinuit. Quid amplius? multa quidem viriliter, fortuna favente, prospere peregit. Iterato autem ministri ejus *Sarburch* castrum inhabitantes, monasterium S. Matthiæ, Dei timore postposito, ubicumque poterant conabantur spoliare.

Quæstio decreta in mores ejus.

197. Hæc & aliis similia URBANUS summus pontifex intelligens, contristatus est valde; nec facinus voluit impunitum præterire. Misit rei factæ inquisitores, videlicet Wormacensem & Spirensem episcopos, & abbatem de *Rodinkirche* ordinis Præmonstratensis Moguntinensis diœcesis, qui processum veritatis qualiter actum esset, plenarie perscrutarentur. Forma vero mandati talis est.

Wormacienſi & Spirenſi epiſcopis & abbati de Rodinkirche.

„ URBANUS episcopus servus servorum Dei, „ venerabilibus fratribus Wormacienſi & Spi„ renſi episcopis, ac dilecto filio abbati mona„ sterii de *Rodinkirche* Præmonstratensis ordinis „ Moguntinensis diœcesis, salutem & apostoli„ cam benedictionem.

„ Ad audientiam nostram pervenit, quod „ HENRICUS Trevirensis electus, qui pallio non „ obtento se præsumit in suis litteris archiepiscopum nominare, de novo quoddam peda« gium seu thelonium in flumine Rheni pro« prio motu constituit, & ligatus excommuni« cationis sententia, in quam propter hoc in« cidit, divina officia celebrare, immo, quan« tum in eo est, potius prophanare præsumit, « & simonia, perjurio, sacrilegio, homicidio « & aliis diversis criminibus irretitus, bona « ecclesiæ Trevirensis adeo dilapidat enormi« ter & consumit, quod ipsa ecclesia, nisi per « apostolicæ sedis celere remedium succurra« tur eidem, incurret irrecuperabile detrimen« tum. In tantum quoque ipsius contemtus « ad Deum superascendit & homines, quod « idem nec illius judicium, nec horum scan« dalum pertimescens, publice rapinis & incen« diis se immiscet, & alia multa committit « enormia, horrenda dictu, & audiu pluri« mum detestanda. Cum igitur quod de institu« tione dicti pedagii seu thelonei proponitur, « non possit in illis partibus non esse notorium; « discretioni vestræ per apostolica scripta man« damus, quatenus vos omnes, vel duo, aut « unus vestrum, per vos, vel alios, seu alium, « si de hoc de plano vobis plene constiterit, ip« sum propter hoc excommunicatum singulis « diebus dominicis & festivis, pulsatis campa« nis & candelis accensis, usque ad satisfactio« nem condignam publice nuntietis, & faciatis « ab omnibus artius evitari; & accedentes ad « ecclesiam Trevirensem, si secure poteritis, « alioquin publicæ citationis edicto proposito « in loco, unde ad ejusdem electi possit noti« tiam pervenire, ipsum electum ad nostram « præsentiam evocantes, & habentes præ oculis « solum Deum, contra eum super aliis omni« bus & singulis prædictis criminibus, si super « ipsis eum inveneritis apud bonos & graves « respersum infamia, inquiratis sollicite verita« tem; & quæ inveneritis nobis per vestras litte« ras fideliter transmittatis, præfigendo dicto e« lecto terminum peremtorium competentem, « quo personaliter nostro se conspectui repræ« sentet, pro meritis recepturus. Ceterum si « electus ipse de ejusmodi dilapidatione suspe« ctus fuerit inventus, administrationem bono« rum temporalium sedis Trevirensis interdi« catis eidem, ipsamque committatis aliquibus « personis idoneis de capitulo Trevirensi; diem « autem præfixionis hujus, & quidquid inde « duxeritis faciendum, nobis per vestras litte« ras tenorem continentes præsentium fideliter « intimetis, non obstante, si vobis aut alicui « vestrum a sede apostolica sit indultum, quod « inviti exequi non teneamini negotia, quæ « vobis ab ipsa pro tempore committuntur. « Datum Viterbii x. cal. Decembris pontifica« tus nostri anno primo. «

Quia inquisitores mandatum non sunt prosecuti, papa committit duobus Francis canis.

198. Verum Wormacienſis & Spirenſis epiſcopi, & abbas de *Rodinkyrchen* prædicti, sicut æmuli fidei catholicæ mandati apostolici transgressores existentes, (a) inquisitionem

(a) Vide infra in appendice ad hæc gesta eorum litteras ad summum Pontificem.

prædictam, ſecundum quod in mandatis a ſede apoſtolica acceperant tepide prætermittentes, non ſunt executi. Quapropter Romanus pontifex videns ipſos in dicta inquiſitione perperam proceſſiſſe, ſatis eſt commotus. Inobedientiam tamen ipſorum tamquam pater miſericordiarum mitius prætereiens, nec ſicut debuit corripiens, nolens etiam temerariam præſumtionem electi Treverenſis tranſire impunitam, ſecundario duobus fratribus ordinis Minorum, ut plenariam dicti Henrici electi illiciti facti perſcrutantes facerent inquiſitionem, ſub obedientia qua aſtricti eſſent, ſcripta direxit ſub hac forma.

Wilhelmo & Rorico fratribus de ordine Minorum.

Urbani alios bullas.

» URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, » dilectis filiis Wilhelmo de *Waltmanſhuſe* gardiano fratrum Minorum in *Weſel* Treverenſis »dioceſis, & fratri Rorico de *Warneſberch* de »ordine Minorum fratrum in conventu Treve»renſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. » Venerabilibus fratribus noſtris Worma»cienſi & Spirenſi epiſcopis, & dilecto filio »abbati monaſterii de *Rodinkirchen* Præmon»ſtratenſis ordinis, Moguntinenſis dioceſis, »inquiſitionem contra HENRICUM Treveren»ſem electum ſuper ſimonia, ſacrilegio, per»jurio, homicidio, & aliis diverſis criminibus, »quibus irretitus eſſe dicitur, & quid occaſio»ne cujuſdam pedagii ſeu thelonei, quod in »flumine Rheni proprio motu de novo conſti»tuit, procederent contra eum, habito fra»trum noſtrorum conſilio, per noſtras litteras »nos meminimus commiſiſſe. Sed quibuſdam, »ut intelleximus, eiſdem epiſcopis & abbati »falſo ſuggerentibus, quod inquiſitio ipſa, præ»habito eorumdem fratrum noſtrorum con»ſilio, non proceſſit, ipſi prætextu hujuſmodi, »non procedunt ea qua decet diligentia in ea»dem. Unde ipſis in virtute obedientiæ noſtris »dedimus litteris diſtrictius in præceptis, ut in »negotio inquiſitionis hujus ſine difficultate ac »dilatione qualibet procedere ſtudeant, juxta »priorum continentiam litterarum. Verum, »quia, ſicut accepimus, dictus electus cum epi»ſcopis & abbate prædictis, tam per ſe quam »per ſuos, tamquam male ſibi conſcius, & »proceſſum inquiſitionis formidans, de novo »eſt propter hoc amicitiæ fœdere copulatus. »Nos affectantes ut ſine ſuſpicione cum effectu »in prædicto inquiſitionis negotio procedatur; »diſcretioni veſtræ in virtute obedientiæ, ac »ſub pœna excommunicationis per apoſtolica »ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, »quatenus facientes vobis prædictas litteras »exhiberi, detentores ad exhibitionem earum, »ſi opus fuerit, monitione præmiſſa per cenſu»ram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, »compellendo, & proceſſu legitimo, ſiquis »per eos eſt habitus, obſervato, in negotio »ipſo ſollicite procedatis, juxta continentiam earumdem, omiſſo duntaxat articulo de pe- « dagio ſeu theloneo, quem dilecto filio pleba- « no eccleſiæ S. Mariæ in Confluentia Treve- « renſis dioceſis, per litteras noſtras ſpeciali- « ter duximus committendum: volumus ta- « men, quod etiam in negotio hujuſmodi, « quoad articulum ipſum de eodem pedagio « procedatis, ſi plebanus ipſe infra menſem, « poſt monitionem noſtram, non proceſſerit « in eodem, non obſtante, quod ordini veſtro « a ſede apoſtolica ſit indultum, ut ipſius per- « ſonæ de cauſis cognoſcere, vel mandata exe- « qui minime teneantur, quæ ipſis a ſede com- « mittuntur eadem. Datum Viterbii VIII. idus « Aprilis, pontificatus noſtri anno primo. «

Inquiſitores dicti procedere prohibiti ſunt a ſuis gardianis & aliis.

199. Verum, cum Wilhelmus & Roricus fratres prædicti, in dicto inquiſitionis negotio ſibi a ſede apoſtolica commiſſo, licet invitи, procedere vellent, cuſtos & gardiani fratrum Minorum provinciæ Treverenſis undique convenientes, necnon priores cum fratribus Prædicatoribus ejuſdem provinciæ, qui tunc temporis partem dicti electi manifeſte fovebant, habito inter ſe conſilio, Wilhelmo & Rorico fratribus prædictis, ne in dicto inquiſitionis negotio aliquatenus procederent, ſub pœna cuſtodiæ carceralis diſtrictius inhibuerunt. Tantam autem perſecutionem a gardianis & fratribus ipſorum dicti inquiſitores perpeſſi ſunt, ut neque in domo ipſorum in Treveri, metu captivitatis territi, auderent permanere, ſed nec in ipſa civitate Treverenſi ſalvari ſe poſſe ſperantes, ad civitatem Metenſem coacti ſunt declinare. Sed nec ibi quidem in domum ordinis auſi ſunt intrare, ſed in quodam hoſpitio, ſicut alienigenæ, ſe receperunt, negotio inquiſitionis interim dormitante.

Franciſcanos increpat ſummus Pontifex.

200. Interea gardiani prædicti duos ex fratribus ſuis ad ſedem apoſtolicam tranſmiſerunt, ut veritate ipſius inquiſitionis diligenter inveſtigata, ipſis totum proceſſum remandarent. Cum igitur fratres prædicti ad curiam Romanam perveniſſent, & in pleno conſiſtorio coram domino papa & cardinalibus, necnon fratre *Bonaventure*, miniſtro generali ordinis Minorum, peterent ipſam inquiſitionem vel differri, vel ſaltem aliis committi, & cum ſuper hoc multa pro ſe proponerent & allegarent, dominus papa taliter eis inconſultus reſpondit: Conſtat no- « bis, & verum eſt, quod ſi nos duos archi- « epiſcopatus duobus de fratribus veſtris tranſ- « miſiſſemus, ipſos ſine dubio, contradictione « qualibet amota, cum magnis gratiarum a- « ctionibus recepiſſetis. Si igitur ad recipiendas « dignitates vel prælaturas, quæ vobis a ſede « apoſtolica conferuntur, obedientes eſtis & « parati, non eſt rationi conſonum, ut alia « mandata, quæ vobis ab eadem ſede, ad hono- « rem Dei & ſanctæ Romanæ eccleſiæ dirigun- « tur, recipere & executioni demandare non « debeatis. Decernimus igitur & volumus ut in «

» quisitionis negotium præfatum, omnibus A
» frivolis vestris propositionibus amotis, exe-
» cutioni demandetur. Nec est nostræ inten-
» tionis, ut aliquibus aliis personis ipsum nego-
» tium committatur, nisi illis, quibus nos me-
» minimus commisisse. Prædictis igitur fratri-
bus Minoribus a domino papa sic expeditis,
timens ipsum negotium per gardianos &
custodem & priores fratrum Prædicatorum
iterato impediri & retardari, litteras suas ipsis
direxit. Tenor autem litteræ gardianis & cu-
stodi Minorum directæ talis est.

Mandat gardianis & custodi Minorum ne impediant inquisitionem, sed promoveant.

» Urbanus episcopus servus servorum B
» Dei, dilectis filiis gardianis & custodi ordi-
» nis fratrum Minorum provinciæ Treverensis,
» salutem & apostolicam benedictionem.
» Implacida de actibus quorumdam fratrum
» vestri ordinis relatio nuper nostrum turbavit
» auditum, videlicet, quod, cum iidem dare
» teneantur opem & operam efficacem, ut de
» vinea domini, in qua prædecessores ipsius
» ordinis sunt cultores ab ipso domino consti-
» tuti, exstirpentur vitia, & ibidem plantentur
» virtutes, quominus quidam fratres de ordine
» Minorum auctoritate apostolica contra Hen-
» ricum, qui pro electo Treveris se gerit, su- C
» per vitio simoniacæ pravitatis ad inquisitio-
» nem procedant, nitimini multipliciter im-
» pedire. Quia vero id si verum est redundat in
» divinæ majestatis offensam ac injuriam, &
» contemtum apostolicæ sedis, quæ prædictum
» vestrum ordinem dilatavit plurimum, ac ip-
» sum & personas ejusdem prosequitur speciali
» gratia & favore, universitatem vestram ro-
» gamus & monemus, & hortamur attente,
» per apostolica vobis scripta districte præci-
» piendo mandantes, quatenus universi & sin-
» guli fratres prædicti ordinis vestri eis subjectos,
» quod desistant ab impedimento hujusmodi, D
» districtione qua convenit compellentes, quod
» inquisitio hujusmodi debitum & optatum
» consequatur effectum, impendatis consilium
» salutare; preces & præceptum nostrum taliter
» impleturi, quod zelari videamini profectum
» animarum, qui ex eo provenire speratur,
» nosque devotionem vestram possimus exinde
» merito commendare. Datum idus Aprilis
» pontificatus nostri anno secundo.

201. Idem dominus papa prioribus ordinis fratrum Prædicatorum provinciæ Treverensis direxit litteras suas, continentes eumdem E
* infra vide-tur. tenorem de verbo ad verbum, * sicut illa quæ gardianis & custodi directa est. Ex tunc autem gardiani & custos Minorum, necnon priores ordinis Prædicatorum provinciæ Treverensis cœperunt desistere ab infestatione fratrum Wil. & Ro. prædictorum, videntes diligentiam & affectum domini papæ, quem habuit super eodem negotio, sicut manifeste claruit in litteris apostolicis sibi super hoc negotio directis.

Papa iterato mandat dictis inquisitoribus sub sententia excommunic. sine negligentia ut procedant.

202. Post hæc dominus papa volens animare Wil. & Ro. fratres prædictos, iterato direxit eis litteras suas, continentes hunc tenorem.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, « dilectis filiis Wilhelmo de *Waltmanshusen*, « gardiano fratrum Minorum de *Wezele* Treve- « rensis diocesis, & fratri Rorico de *Warnesberch*, « de ordine fratrum Minorum in conventu « Trevirensi, salutem & apostolicam benedi- « ctionem. «

Per exigentiam sollicitudinis pastoralis, « quam nobis dispensatio divina commisit, « contra Henricum Treverensem electum, su- « per diversis articulis volentes inquiri, certas « ad hoc personas providimus assumendas, de « quarum industria & constantia firmam fidu- « ciam habebamus. Quia vero personæ ipsæ « minus studiose, præter spem nostram, nego- « tium prosequebantur injunctum, ipsius exe- « cutionem vobis in virtute obedientiæ, ac sub « pœna excommunicationis, sub certa forma « duximus injungendam, non dubitantes illud « in vestris manibus debere proficere, quod « apud dictas personas deficere miserabiliter « videbamus, constantia quam vestri natales « conspicui, sacra religio, & zelus divini no- « minis pollicebantur, apostolicæ sedis de vo- « bis super hoc firmam certitudinem, indu- « cente. Sed ecce, quod, sicut apud illos, sic « apud vos nostra videtur fiducia defraudata, « dum, prout intelleximus, sicut illi, sic & vos, « ipsum negotium non memoriæ, sed negle- « ctui commendastis. Hinc est quod nos discre- « tioni vestræ per iterata scripta in virtute obe- « dientiæ, ac sub pœna prædicta, quam ex tunc « vos incurrere volumus, si mandatum no- « strum in hac parte neglexeritis adimplere, « districte præcipiendo mandamus, quatenus « in negotio ipso, saltem nunc tanta sollicitu- « dine procedatis, juxta traditam vobis for- « mam, quod præcedentem inobedientiam « improbasse probemini per obedientiam sub- « sequentem, & nos vobis super hoc aliter scri- « bere non cogamur. Quod si non ambo his « exequendis potueritis interesse, alter vestrum « ea nihilominus exequatur. Datum apud Ur- « bem-veterem 11. calendas Decembris, pon- « tificatus nostri anno secundo. «

203. Prædicti igitur Wilhelmus & Rori- Inquisitores dicunt dictum Henricum electum & in facta ejus inquirunt. cus fratres, mandato sedis apostolicæ secun- darie recepto, videntes ipsum negotium do- mino papæ multum esse cordi, intelligentes etiam dominum papam gardianos & custo- dem, necnon priores fratrum Prædicatorum provinciæ Treverensis prædictos, super infe- statione ac molestatione ipsorum graviter & serioše corripuisse, tunc demum animati, omnique timore postposito, ad civitatem Treverensem in domum ordinis ipsorum sunt reversi, ibique super privato negotio in- quisitionis audacter & intrepidi procedere cœperunt, dictumque electum citari facien- tes, omnesque, qui ad hoc ipsis expedire vi- debantur, super articulis in litteris apostolicis

contentis

contentis, secundum quod ipsis a domino papa injunctum fuerat, sollicite & diligenter inquisierunt, & pauca vel nulla de contingentibus omiserunt.

Fratres dicto pro hujusmodi inquisitione fatigatos Papa monet ut usque ad finem perseverent.

204. Videns vero dominus papa dictorum Wilhelmi & Rorici fratrum constantiam, & veram in omnibus obedientiam, & quod nec minis nec precibus, quibus tamen a domino electo & suis fuerant multipliciter vexati & fatigati, non poterant aliquatenus averti, quin in dicto inquisitionis negotio vellent procedere, secundum quod eis a sede apostolica fuerat injunctum, litteras suas tertia vice direxit sub hac forma.

» Urbanus episcopus servus servorum Dei, » dilectis filiis fratribus Wilhelmo & Rorico » ordinis fratrum Minorum in conventu Trevi- » rensi, salutem & apostolicam benedictionem. » Sollicitudinem & devotionem vestram » plenis laudibus extollentes, vosque prose- » quentes plenis actionibus gratiarum, super » eo quod negotium inquisitionis, quam con- » tra HENRICUM, qui pro Trevirensi electo se » gerit, per vos fieri mandavimus, nunc de- » mum in spiritu promtitudinis assumentes, » incœpistis, sicut intelleximus, & utique ac- » ceptamus, juxta formam vobis traditam pro- » cedere in eodem. Discretionem vestram ro- » gamus & hortamur attente per apostolica » scripta vobis mandantes, quatenus in nego- » tio ipso, sicut laudabiliter incœpistis, usque ad » felicem exitum procedentes, frivolæ appella- » tionis objectu nonobstante, quæ inveneritis » & quæ feceritis nobis per vestras litteras quan- » tocius nuntietis. Nos enim manus mundas » esse volentes, quæ sordes diluunt aliorum, » gratum habebimus plurimum & acceptum, » si per vestrum studium obtineri poterit, quod » idem Henricus a suis insolentiis corrigatur, » idque vobis apud Deum proficiat ad merito- » rum cumulum, & apud nos & sedem aposto- » licam ad plenitudinem gratiarum. Datum » apud Urbem veterem, IV. cal. Aprilis ponti- » ficatus nostri anno secundo.

Electus universa quæ contra eum fiebant, impetravit absente S. Matthiæ, & illo laborante, ut eum amoverent & fratrum ejus affinem S. Mariæ.

205. Videns igitur præfatus electus ipsam inquisitionem nulla ratione se posse evadere, ac inquisitores prædictos omnibus modis vellet procedere contra ipsum ad inquisitionem; nimium territus est atque turbatus, omnemque suum furorem & infamiam contra dictum abbatem convertens, manifeste impulsabat ei, ad nullius alterius instantiam vel procurationem, nisi solius abbatis & suorum, dictam inquisitionem de curia Romana emanasse. Quapropter idem electus omni studio quo potuit, ad amotionem ipsius abbatis, sicut superius dictum est, laboravit, & post quidem plurimas inquisitiones, quas fieri jussit adversus eum, ut si quo modo aliquos articulos contra eum invenire posset fraudulenter, & fratres monasterii ab ipsius obedientia deducere, ipsum tali occasione a regimine abbatiæ suæ quomodocumque amoveret. Inquisitione autem hujusmodi taliter contra dictum abbatem facta, inventi sunt omnes fratres ejusdem monasterii unanimi consensu corde & voluntate, nec unius facto constantes, & suum abbatem multipliciter recommendantes, dixerunt se ab obedientia sui abbatis nulla ratione, nec minis, nec precibus posse amoveri.

206. Videns itaque electus nihil se proficere posse contra abbatem in negotio inquisitionis, quam contra eum ediderat, misit iterato priores monasteriorum civitatis Trevirensis ordinis S. Benedicti, ad priorem & conventum prædictos, dans eis in mandatis, ut dictos priorem & conventum ad hoc inducerent, ut se ab obedientia dicti sui abbatis retrahentes, alium, quem eis præficeret, recipere vellent in abbatem. Qui viriliter renuentes, ut merito debebant, dixerunt se nulli, quam suo abbati, cui semel obedientiam fecerant, usque ad latam contra eum sententiam papalem, velle obedire, sicque priores qui venerant confusi recesserunt.

Eodem autem tempore præfatus electus in odium abbatis S.* Matthiæ processit ad inqui- * Roberti. sitionem contra abbatem S. Mariæ ad Martyres Trevirenses, qui erat carnalis frater dicti abbatis sancti Matthiæ, proponens ut ipsos ambos simul & semel si posset, (deponeret;) omnes enim eidem abbati S. Matthiæ adhærentes dictus electus, quantumcumque & ubicumque potuit, persequebatur.

Abbas S. Mathiæ pontificem maximum appellat.

207. Postmodum præfatus electus præfixit abbati S. Matthiæ diem ad domum fratrum Prædicatorum in Treveri, ad tractandum ibidem inter ipsos de bono pacis & concordiæ. Ad quam diem cum dictus abbas cum aliquibus de conventu atque aliis amicis suis comparuisset, discordiis hinc inde inter partes suscitatis, surgens quidam de canonicis, vir litteratus, publicum coram nobis omnibus in eodem loco fecit sermonem, cujus thema tale fuit: *Tu qui vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, &c.* Finito autem sermone, abbas prædictus immediate surgens, ibidem coram omnibus ad sedem apostolicam appellavit, cujus appellationis tenorem quia continebat crimina, non placuit hic inserere. Quam appellationem dictus abbas S. Matthiæ una cum appellatione abbatis S. Mariæ ad Martyres fratris sui prædicti, qui etiam nuper a dicto electo appellaverat, per velocem nuntium & expeditum ad sedem apostolicam celeriter transmisit. Appellatione, ut dictum est, facta, surgentes viri discreti major præpositus Trevirensis, * & quidam ejusdem ecclesiæ canonicus, quasdam litteras papales ibidem exhibuerunt, legentes eas ibidem publice coram omnibus, in quibus continebatur, quod episcopis a sede apostolica datum esset in mandatis, ut electo Treverensi districtius autoritate apostolica inhiberent, ne se de omnibus ecclesiasticis beneficiis totius diocesis Treverensis aliqua-

Nota auctoris ætatem.

* Simon frater abbatis S. Mathiæ.

tenus intromitteret ordinandis vel disponendis. Quod audiens electus suique fautores, nimio furore repleti, dum ipsam litteram papalem de manibus cujusdam, cui ipsa littera commissa fuerat, rapere conarentur, nec possent, supellicium ejus penitus est dilaceratum.

Engelbertus Prior S. Mathiæ & monachi pontificem maximum app. int.

208. Appellatione igitur, ut dictum est, ab abbate in domo fratrum Prædicatorum solemniter facta, prædictus electus iterato fecit citari abbatem & conventum ad capitulum majoris ecclesiæ. Ad quam diem cum idem abbas venire dissimularet, timens ne novissimus error pejor fieret priore, misit priorem cum quibusdam de senioribus ad ipsam diem, dans eis in mandatis, ut si dictus electus ipsos in aliquo contra justitiam proponeret gravare, incontinenti ad sedem apostolicam appellarent. Venientes itaque prior & seniores prædicti, comparuerunt coram prædicto electo ante capellam domini archiepiscopi, in loco qui dicitur Super-curiam; dum idem electus ipsos arctare vellet ad deponendum super quibusdam articulis contra abbatem suum in inquisitione ab electo edita contentis, incontinenti coram omnibus ibidem existentibus, ad sedem apostolicam appellarunt. Forma vero appellationis ipsius talis fuit.

» Cum vos, reverende pater domine Henrice Trevirorum electe, sitis excommunicatus, item cum super criminibus quibusdam » inquisitio pendeat contra vos, coram inquisitoribus a sede apostolica ad hoc deputatis, » præterea cum nos velitis compellere priorem » & conventum S. Eucharii Treverensis, ut deponant contra dominum Theodericum abbatem eorum, super quibusdam criminibus » falsis & sibi impositis mendaciter, cum alias » tam apud nos quam apud dominum papam » eum habuerint recommendatum; & quia vos, » domine, excommunicationis vinculo ligatus, » & pendente dicta inquisitione contra vos, » prædictos priorem & conventum S. Eucharii » Treverensis compellatis, ut contra prædictum » dominum Theodericum abbatem ipsorum, » qui est bonæ famæ, vitæ & opinionis integræ, » deponant super criminibus falso & mendaciter confictis contra eum, Ideo ego Henricus

* Ipse est hujus narrationis auctor.

» * clericus monasterii S. Eucharii Treverensis » supradicti, procurator dictorum prioris & » conventus, sentiens eos a vobis propter causas prædictas indebite gravari, nomine ipsorum & pro eis & nomine procuratorio in scriptis, sedem apostolicam appello, personas » eorum monasterii & bona dicti monasterii » protectioni sedis apostolicæ supponendo, & » apostolos cum instantia peto. Quos si mihi » dare denegatis, iterum sedem apostolicam » appello, offerens me, nomine dicti prioris & » conventus, ea, quæ in facto consistunt, coram judice & in loco competenti probatu» rum. Facta fuit hæc appellatio sabbato post invention. S. Crucis, post primam, mense Maji, ante capellam domini archiepiscopi, in loco qui vocatur Super-curiam, coram dicto venerabili patre, præsentibus decano S. Paulini, scholastico ejusdem loci, & aliis quampluribus fide dignis.

Idem post appellationem factam, & se multum cum aliis fatibus.

209. Et quia ad plenum eam appellationem audire noluit dictus electus, immo lacerata fuit ipsa appellatio in conspectu ejusdem electi, ideo propter metum, qui debet & potest cadere in constantem virum, non fuit innovata coram dicto electo ipsa appellatio, quia cum a loco recederemus, ubi facta fuit appellatio, quidam satellites dicti electi magistrum Johannem dictum *Filemesa* (*a*) clericum dicti abbatis & conventus, verberaverunt, & ipsum & me dictum Henricum procuratorem, capere & detinere voluerunt: sed quibusdam nobis præstantibus patrocinium, evasimus, propterea ipsa appellatio fuit innovata sequenti die in refectorio Treverensi, præsentibus domino Elicoderico abbate S. Eucharii prædicto, cantore majoris ecclesiæ domino Wilhelmo seniore de *Dejuls* & aliis quampluribus fide dignis. Sequenti vero die veniens prior cum senioribus fratribus iterato in refectorium ecclesiæ majoris, dicto Theoderico abbate ibidem existente, necnon præposito * majore fratre ipsius abbatis, aliisque prælatis & canonicis ejusdem ecclesiæ, atque aliis multis religiosis specialiter ad hoc vocatis & rogatis, prior præfatus suam appellationem ibidem coram omnibus innovavit. Cumque idem prior, appellatione, ut dictum est, innovata, ad suum monasterium reverti debuisset, satellites ipsius electi in communi vico in ipsum irruentes, cumque de equo, cui insidebat, inique projicientes, quia suam appellationem innovare præsumserat, quamquam idem prior senex esset & debilis, tamquam malefactorem coram omni populo fustibus & pugnis inhumaniter læserunt. Quod videntes scabini, cives & alii fideles civitatis Treverensis, erant enim in media civitate occurrentes undique, dictum priorem de malefactorum manibus viriliter eripuerunt, apprehendentesque unum de malefactoribus, prædicti tam viri quam mulieres, graviter fustibus & lapidibus cum invadentes, semivivum reliquerunt. Sicque idem prior de manibus malefactorum liberatus, propter læsionem sibi ab ipsis illatam per aliquod tempus graviter languebat.

* Simone scilicet.

Abbas propter timorem fecessit ad terram ducis Lotharingiæ qui eum honorifice suscepit.

210. Post hæc idem abbas timens monasterium suum a dicto electo propter sui præsentiam magis ac magis posse gravari, volens etiam præcavere ne amici vel ministri ipsius electi aliquo inopinato casu in ipsum irruerent, cumque in corpore læderent, sicut priorem læserant, fecessit in terram & districtum viri illustris domini Friderici ducis Lotharingiæ & marchionis (*b*), rogans ipsum

(*a*) Apud Browerum *Philomela*.

(*b*) Propinqui sui, ut opinatur Browerus.

dominum ducem & petens ab eo, ut usque ad finem suæ causæ, quam contra dictum electum habebat, in terra & in districtu suo ipsum permitteret demorari. Prædicto igitur abbate a domino duce honorifice suscepto, præcepit universis suis subditis in districtu & in terra sua, ut quidquid idem abbas ac sui confratres ad suam utilitatem & ad sui monasterii profectum ibidem agere vellent, libere tamquam in propriis essent, agerent, absque omni timore. Jussit etiam ministris suis singulis & universis sub obtentu gratiæ suæ, ut ipsi abbati & suis fratribus cuncta quæ peterent de rebus suis abundanter administrarent. Accedens etiam idem dominus dux ad abbatem prædictum, his verbis ipsum »consolabatur: Ecce cuncta quæ volueritis & »petieritis in terra & districtu meo, parata »erunt vobis & promta. Consolemini & nolite »timere, omnes enim adversitates vestræ & »pericula optato & prospero fine claudentur. Audiens igitur abbas prædictus verba domini ducis, & quod ipsum tam benigne receperat, multum consolatus est, ibique in castro suo dicto *Sirkis* permansit, persequens ibidem causam suam, parum vel nihil omittens de contingentibus.

Monachi electionem ut maturent alium eligunt abbatem.

211. Electus igitur prædictus sentiens abbatem præfatum de monasterio recessisse suo, gavisus est valde, misitque priori litteras suas patentes, in quibus continebatur, quod idem electus præcepit eis mandans, ut infra octavas pentecostes per electionem canonicam providerent sibi de abbate, alioquin ex tunc idem electus provideret eis de abbate. Hoc mandato recepto prior & conventus multum turbati, consilium quæsierunt a suis secretioribus amicis, quid ipsis sit faciendum, vel qualiter dicto electo super hujusmodi mandato ipsis directo, possint respondere. Habito igitur consilio, venerunt ad electum prior & conventus prædicti, rogantes cum humiliter & devote, ut mandatum ipsis directum revocans, eos super provisione alterius abbatis, usque ad latam sedis apostolicæ contra abbatem suum diffinitivam sententiam non molestaret, nec inquietaret; quippe cum idem abbas ad sedem apostolicam appellaverit, se suaque protectioni ejusdem sedis subjecerit, nec bona & res eorum tam immaniter & crudeliter devastari, consumi & invadi consentiret; sed ipsis aliquem de suis quem vellet præficeret in temporalibus provisorem, qui omnes redditus, bona & proventus ejusdem monasterii recipiens, & sub sua custodia recipiens, fratribus tantummodo præbendas suas, prout ipsi eas ante recipere consuevetant, administraret; residuum vero omnium reddituum, bonorum & proventuum ipsorum, durante causa inter ipsum & abbatem eorum, eidem electo integraliter assignaret. Ipso vero hoc recusante, nec eorum petitionem admittente, sed in suo malo proposito pertinaciter persistente, videntes etiam prior & conventus præfati ipsum electum aliquo modo non posse flecti ad misericordiam super eos, sed in omnibus quibus potuit ipsis adversari, suam & prædicti abbatis sui injuriam defendere omnes unanimiter studuerunt, habitoque jurisperitorum consilio super mandato ipsis directo, appellationem sibi formari fecerunt, cujus tenor fuit talis.

Deprecantur monachi.

Mentem electi appellant pontifici.

Coram vobis prælatis & dominis Trevirensibus, nos ENGILBERTUS prior monasterii S. Eucharii Trevirensis nomine monasterii nostri & pro nobis, tamquam cujus interest, proponimus, quod cum vir religiosus THEODERICUS abbas noster, ex legitimis causis ad sedem apostolicam a domino Henrico electo Trevirensi appellarit, & postmodum etiam conventus monasterii nostri similiter ex causis legitimis, a dicto domino electo ad sedem apostolicam appellaverit, dictus dominus electus hujusmodi appellationibus non deferens, ad privationem dicti domini abbatis nostri procedens, & suæ libito voluntatis de facto minus juste nos priorem & conventum monasterii nostri moneri fecit par Everardum presbyterum S. Laurentii Trevirensis, feria sexta ante pentecosten, ut per electionem canonicam infra octavas pentecostes nobis provideremus de abbate, alioquin ipse dominus electus ipsi monasterio de abbate provideret. Et cum statutum sit in concilio generali, ut ultra tres menses cathedralis vel regularis ecclesia prælato non vacet, infra quos, justo impedimento cessante, si electio non fuerit celebrata, qui eligere debuerant, eligendi careant potestate ea vice. Quia dictus dominus electus, etiamsi rite præfatus dominus abbas noster ab eo esset privatus abbatia, contra dicta statuta concilii generalis nos arctavit & arctat ad eligendum: ideo nos prior pro nobis & nomine monasterii nostri, coram vobis & sub testimonio vestro infra dictam monitionem in scriptis ad sedem apostolicam appellamus; & quam cito copiam dicti domini electi habere poterimus, ex dicta causa ad sedem apostolicam appellabimus coram eo. Facta est hæc appellatio in refectorio ecclesiæ Trevirensis, post missam in ipsa celebratam, in præsentia venerabilium virorum dominorum Simonis majoris præpositi, Wilhelmi senioris, Reszneri, & Wilhelmi junioris de *Dajuls* canonicorum majoris ecclesiæ, & aliorum quamplurimorum clericorum Trevirensium.

Monachorum S. Matthiæ consilium de secundis libris, ornamentis & reliquiis sanctorum.

212. Prior igitur cum suis fratribus ad monasterium suum regressi, cum viderent bona monasterii sui ab officiatis domini electi extrinsecus dissipari undique & crudeliter invadi; timentes ne bona sua, quæ infra monasterium habebant, videlicet libri, ornamenta & reliquiæ, quas majoris pretii quam omnia quæ exterius possidere videbantur, æstimabant, ab eisdem domini electi officia-

tis & a domino de *Meyſenburch* diriperentur, invaluerat enim rumor per totam civitatem Treverenſem, quod idem electus *Wilhelmum* de *Meyſenburch*, monachum monaſterii ſancti Maximini Treverenſis, domini de *Meyſenburch* prædicti avunculum præficere vellet jam dicto monaſterio S. Mathiæ in abbatem; convenientes in unum in capellam beatæ Virginis conſilium inierunt qualiter libros, ornamenta ac reliquias ſuas ſalvare poſſent, ſeſeque in invicem exhortando, ſe voto aſtringentes, ſimul compromiſerunt, omnes unanimes exiſtentes forent, cor unum & anima una, & quicumque ex ipſis præmiſſi pacti tranſgreſſor exiſteret, abſque omni gratia a conſortio & communitate fratrum ſeparatus, perpetuæ ſententiæ ſubjaceret. Cum autem ſic omnes de fide ſimul & pacto obſervando firmiter compromiſiſſent, elegerunt ſex de fratribus ſuis, de quibus plene confidebant, injungentes eis & in ſalutem animarum eorum committentes, ut de libris, ornamentis ac reliquiis ipſorum reponendis & conſervandis, quanto ſalubrius & ſecretius poſſent, ne perderentur, ordinarent.

Reperti inter monachos S. Mathiæ falſi fratres.

213. Pacto igitur inter ipſos, ut dictum eſt, ſicut potius poterant, firmato, quatuor eorumdem fratrum infra paucos dies, Dei timore poſtpoſito, pactum hujuſmodi promiſſionis ſunt tranſgreſſi. E quibus duo cujuſdam noctis ſilentio fellitis diaboli perſuaſionibus nimis conſentientes, dum cum cæteris fatribus requieſcere putarentur, muros cimiterii ſui tranſeuntes, ad monaſterium S. Maximini Treverenſis, in quo erat prædictus Wilhelmus monachus, in quem conſpiraverant, velociter cucurrerunt, nuntiantes eidem Wilhelmo ac ſuis complicibus, quod fratres monaſterii S. Mathiæ reliquias ipſius apoſtoli S. Mathiæ, timore perditionis & cauſa periculi ſibj ab electo imminentis, extra ipſius monaſterium deferre & alias deducere niterentur. Congregati igitur ob iſtiuſmodi cauſam monachi monaſterii S. Maximini prædicti, una cum miniſterialibus ſuis & ſervis, quos tunc habere poterant, monaſterium S. Mathiæ armata manu, ſicuti in obſidione civitatis alicujus vel caſtri ſolet fieri, undique circumdederunt,

Sacræ reliquiæ in urbem invehuntur.

214. Quod cum quibuſdam canonicis S. Symeonis innotuiſſet, dictorum fratrum ſancti Mathiæ amici fideliſſimi ipſis condoluerunt, e quibus duo eadem noctis hora cucurrerunt, cupienteſque fratres monaſterii S. Mathiæ prædicti ab iſtiuſmodi miſeriæ periculo præmunire, ad oſtium monaſterii pedes veniebant. Qui vehementer cum impetu pulſantes, ſe intromitti petierunt.

Intromiſſi vero venientes ante chorum in mediis matutinis, & invenientes eos devote, ſicut ſolitum eſt in ſolemnitabus, horas matutinas canentes & pſallentes, pandebant eis ea quæ de prædicta circumvallatione monaſterii ſui a monachis monaſterii S. Maximini prædictis facta perceperant. Quod audientes fratres, nimio timore perterriti, partem matutinarum adhuc pſallendam totaliter neglexerunt. Eadem hora prædicti duo tranſgreſſores, qui hoc facinus perpetrarant, tanquam hujus ſceleris innocentes, cum ipſo impetu in ſuum monaſterium regreſſi, ſe in ſuis lectulis repoſuerunt. Prædictis autem fratribus ſic perturbatis, de ſuorum etiam fratrum exceſſibus perceptis, magis quam de ipſorum hujuſmodi turbatione dolentes, relictis orationibus jam dictis, nec bene ſibi conſciis quid eſſent facturi, convenientes in unum ſtatuerunt die ſequenti capſam ſui patroni cum libris ac ceteris ornamentis monaſterii ad majorem eccleſiam, infra muros civitatis Treverenſis ſervanda deportare. Quod intelligens unus de tranſgreſſoribus prædictis, qui muros nocturno tempore, ſicut ſuperius dictum eſt, tranſierat, equum cujuſdam fratris de monaſterio furtive ſubtrahens, ipſumque aſcendens, velociter ad palatium perrexit, quærens electum Treverenſem ibidem, ut ſi ipſum inveniſſet, ſibi de ornamentis & reliquiis ſupradictis deportandis quæ audierat & perceperat retuliſſet. Quem cum non reperiſſet, redire ad ſuum monaſterium quantocius intendebat. In reditu autem cernit fratres monaſterii ſui, ſicut alia die præordinaverant, venientes obviam ſibi cum reliquiis, devote & humiliter ducentes eas in civitatem conſervandas. Et ſtans in equo ſuo clamabat voce magna adverſus fratres ſuos dicens: Ach de iſtis maleſactoribus, qui noſtrum monaſterium ſpoliantes, reliquias noſtras ignominioſe ſeducunt. Quem arripientes ſervi & miniſtri fratrum prædictorum, ipſumque projectum de equo, veſtibus ejus per multas partes laceratis, pugnis & fuſtibus cum vehementer & ſine miſericordia cecideruntQui ſic cæſus & confuſus, non ad ſancti Matthiæ, ſed ad S. Maximini monaſterium velociter pergens, ad præfatum Wilhelmum de *Meyſenburgh* monachum confugit, ibique cum ipſo permanſit. His etenim ſic peractis, procedentes fratres cum reliquiis & ornamentis ſuis, intra civitatem Treverenſem, ſicut intendebant, occurrit eis ingens multitudo virorum & mulierum, fere quaſi populus totus civitatis, flens & ejulans de ipſorum fratrum exilio miſerabili & tantarum rerum eductione, quod quaſi prius numquam contigerat, nec fuerat auditum; & ſic uſque ad eccleſiam majorem ſequentes, capſam cum reliquiis, aliaque ornamenta in loco ubi clavus domini cum aliis reliquiis majoris eccleſiæ reconditus eſt, depoſuerunt; reverſique ad ſuum monaſterium alias reliquias & ornamenta, quæ in monaſterio dimiſerant, in locis ſecretis infra monaſterium recondere & abſcondere cogitarunt, quod & fecerunt,

timebant enim ſibi periculum imminere; & quod verebantur accidit.

215. Interea nuntius ille, quem ſibi, ſicut ſuperius diximus, abbas S. Mathiæ cum ſua & abbatis S. Mariæ ad Martyres fratris ſui appellationibus, ad curiam Romanam tranſmiſerat, reverſus eſt, ferens ſecum a ſede apoſtolica litteras inhibitionis contra electum prædictum, quarum tenor talis eſt.

Proceſſus & ſententias latas per electum contra abbatem, mandat papa non valere.

» Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, » dilectis filiis abbati S. Martini Glandarien- » ſis Metenſis dioceſis, & cantori eccleſiæ Tre- » virenſis ſalutem & apoſtolicam benedictio- » nem.

» Inquiſitionem faciendam contra Henri- » cum, qui ſe gerit pro electo Treverenſi ſu- » per diverſis criminibus, fratribus Wilhelmo » & Rorico de ordine Minorum per noſtras » litteras ſub certa forma duximus committen- » dam. Verum idem Henricus, qui multiplici- » ter inquiſitionem hujuſmodi nititur impedi- » re, ad excogitatam malitiam ſe convertens, » poſtquam dicti executores ipſum propter hoc » ad ſuam præſentiam evocarant, circa feſtum » Reſurrectionis Dominicæ proximo præteri- » tum, prout accepimus, contra S. Matthiæ & » S. Mariæ ad Martyres monaſteriorum Trevi- » renſium abbates conſanguineos alterius in- » quiſitorum ipſorum, ut forte per hæc impe- » diret proceſſum inquiſitionis hujuſmodi, vel » iidem abbates per quos ſuper hujuſmodi cri- » minibus veritas ſciri poterat, ſe ſubtrahe- » rent a ferendo teſtimonio contra ipſum, aut » ipſos ad hoc inhabiles redderet; ad inquiſi- » tionem auctoritate propria incœpit procedere » ſuper quibuſdam criminibus, ſuper quibus » contra eos infamia nulla laborabat, & in ip- » ſos, quanquam pro debitis, in quibus Roma- » næ tenetur eccleſiæ, foret excommunicatio- » nis vinculo innodatus, propter quod alios » ligare non poterat, vel ad inquiſitionem pro- » cedere contra eos, ſeu juriſdictionem ali- » quam exercere, occaſione hujuſmodi ex- » communicationis ſententiam dicitur pro- » mulgaſſe, [in] cluſionem mandati apoſto- » lici & ſcandalum plurimorum. Nolentes ita- » que ut inquiſitio facienda adverſus dictum » Henricum, cujus ex his creſcit infamia & aug- » mentatur ſuſpicio contra eum, occaſione » hujuſmodi retardetur; diſcretioni veſtræ per » apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus hu- » juſmodi proceſſum & ſententiam ipſius Hen- » rici denuntiantes penitus non tenere, ipſum, » quod a ſimili eorumdem abbatum & quo- » rumlibet aliorum ſubditorum eccleſiæ Tre- » verenſis gravamine omnino deſiſtat, moni- » tione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam » appellatione remota cogatis. Ceterum ſi di- » ctus Henricus aliquos propter hoc intruſit » in abbatias monaſteriorum ipſorum, de quo, » ſi verum eſt, in illis partibus plene conſtat, » intruſos hujuſmodi ab eiſdem monaſteriis ſi- » ne dilatione qualibet amovere curetis, eiſ- « dem abbatibus ad abbatias ipſas plenarie re- « ſtitutis, contradictores per cenſuram eccle- « ſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcen- « do. Non obſtante, ſi eidem Henrico, aut « aliquibus aliis a ſede apoſtolica ſit indultum, « quod interdici, ſuſpendi vel excommunica- « ri non poſſint per litteras apoſtolicas, quæ de « indulto hujuſmodi plenam & expreſſam non « fecerint mentionem; ſive qualibet alia indul- « gentia ſedis ejuſdem, de qua cujuſque toto te- « nore de verbo ad verbum oporteat in noſtris « litteris plenam & expreſſam mentionem fie- « ri, per quam effectus præſentium impediri « valeat vel differri, invocato ad hoc, ſi opus « fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Quod ſi non « ambo his exequendis potueritis intereſſe, al- « ter veſtrum nihilominus ea exequatur. Da- « tum apud Urbem-veterem, x. cal. Junii, pon- « tificatus noſtri anno ſecundo. «

216. Hæc inhibitio lecta fuit & publicata in refectorio majoris eccleſiæ coram omnibus prælatis & canonicis eccleſiæ Treverenſis. Cum autem perveniſſet ad notitiam electi & ſuorum, ſubridendo dixerunt, ipſam inhibitionem numquam de curia veniſſe; ſed abbatem S. Matthiæ prædictum habere quemdam falſarium in una curtium ſuarum juxta Treverim ſita, qui prædictas inhibitionis litteras & eis conſimiles fabricaſſet & fabricaret. Prædicti etiam executores videlicet abbas S. Martini Glandarienſis & cantor eccleſiæ Treverenſis ſententiam inhibitionis prædictæ promulgarunt in hunc modum.

Nos JOHANNES Dei gratia abbas S. Martini « Glandarienſis Metenſis dioceſis, & JOHAN- « NES cantor eccleſiæ Treverenſis, judices ſive « executores a ſede apoſtolica conſtituti, pro- « ceſſum inquiſitionis habitum a domino HEN- « RICO electo Treverenſi, contra THEODERI- « CUM S. Eucharii & ROBERTUM S. Mariæ ad « Martyres abbates Treverenſes, ſuper quibuſ- « dam criminibus, & ſententiam excommuni- « cationis, ſi quam tulit in eoſdem, pronun- « tiamus non tenere, de mandato ſedis apoſto- « licæ ſpeciali nobis injuncto in hac parte, pro « eo quod, cum idem electus pro quadam pe- « cuniæ ſumma, in qua Romanæ tenetur ec- « cleſiæ, eſſet excommunicationis vinculo « innodatus, alios ligare non poterat, vel ad « inquiſitionem procedere contra eos, ſeu ju- « riſdictionem aliquam exercere, & Wilhel- « mum de *Meyſenburch* monachum S. Maxi- « mini Treverenſis, cui dictus electus contulit « abbatiam ſancti Eucharii Treverenſis, de fa- « cto in ipſam intruſit in eamdem, quod eſt no- « torium & manifeſtum, in his ſcriptis amove- « mus, & ÆGIDIUM de *Manderſcheit* mona- « chum S. Mariæ ad Martyres, cui dictus elec- « tus commiſit adminiſtrationem abbatiæ S. « Mariæ ad Martyres, ſimiliter amovemus ab « ipſa adminiſtratione, & dictos THEODERICUM « abbatem ad abbatiam S. Eucharii, & ROBER- « TUM abbatem ad abbatiam S. Mariæ ad Mar- «

Abbates ab Henrico intruſi exauctorantur, & ejecti reſtituti.

»tyres Trevirenſes plenarie reſtituimus, mo- »nentes ipſum electum prædictum, quod a »dictorum abbatum & quorumlibet aliorum »ſubditorum eccleſiæ Treverenſis gravamine »infra triduum omnino deſiſtat. Item prædi- »ctos Wilhelmum S. Maximini, & Ægidium »S. Mariæ ad Martyres monaſteriorum mona- »chos, monemus ne ſe de dictis abbatiis in- »tromittant; alioquin prædictum electum, »quem ex tunc tenore præſentium excommu- »nicamus. & etiam prædictos Wilhelmum & »Ægidium S. Mariæ, quos in his ſcriptis ſimi- »liter excommunicamus, publice denun- »tiamus excommunicatos, & ab omnibus »præcipimus artius evitari. Invocabimus etiam »contra prædictos electum, Wilhelmum, & »Ægidium monachos, ſi neceſſe ſit, auxilium »brachii ſæcularis. Item priorem & conven- »tum S. Eucharii Treverenſis monemus, ut »Theoderico ipſorum abbati obediant & in- »tendant, alioquin prædictos priorem & con- »ventum, quos in his ſcriptis ſuſpendimus, »publice denuntiamus ſuſpenſos. Item prio- »rem & conventum S. Mariæ ad Martyres, ut »Roberto ipſorum abbati obediant & inten- »dant, alioquin prædictum priorem quem in »his ſcriptis excommunicamus, & conven- »tum quem ſuſpendimus, publice denuntia- »mus excommunicatum & ſuſpenſum, & ab »omnibus præcipimus artius evitari. Datum »anno Domini MCCLXIII. in craſtino Dominicæ »qua cantur *Reſpice in me.*

Henricus ab abbate Glandacienſi fruſtra admonitus pontificiæ ſententiæ aperte contradicit.

217. Prædicti etiam executores non contenti quod inhibitionem a ſede apoſtolica ſibi commiſſam, contra dictum electum litteratorie, ſicut prædictum eſt, ſunt executi; verum etiam in palatium ipſius electi perſonaliter accedentes, viva voce ipſum electum monuerunt, ut contra inhibitionem apoſtolicam ſibi factam, contra abbates prædictos & conventum S. Mathiæ præfatum procedere aliquatenus non attentaret. Electus vero prædictus in ſua veſania pertinaciter perſeverans, non deferens appellationibus abbatum prædictorum & conventus S. Matthiæ prædicti, inhibitionem etiam apoſtolicam ſibi ab executoribus prædictis factam vilipendens, proceſſit de facto, cum de jure non poſſet, ad definitivam ſententiam amotionis contra abbates prædictos. Quam ſententiam Johannes decanus ſancti Caſtoris in Confluentia, qui tunc erat officialis Treverenſis, dictavit & legit, ac eam in refectorio majoris eccleſiæ publicavit.

Wilhelmus Meinſenburgius in abbatem S. Matthiæ inſtituitur.

218. Anno igitur Domini MCCLXIII. in die ſanctorum Marcelliani & Marci præfatus electus cum multitudine magna & manu armata venit ad monaſterium S. Matthiæ, ducens ſecum WILHELMUM de *Meyſenburch* monachum ſancti Maximini, necnon abbatem (*a*) totumque pene conventum ejuſdem monaſterii S. Maximini. In ipſo autem impetu introitus electi, præcurrentes milites & miniſtri ipſius electi, necnon nobilis viri VALTERI de *Meyſenburch*, conſanguinei dicti Wilhelmi monachi, & quatuor tranſgreſſoribus monachis prædictis, invadentes oſtia turrium, violenter ea infringentes, aperuerunt, aſcendenteſque monaſterium & turres ipſius monaſterii, ſicut caſtra & aliæ munitiones muniri ſolent & occupari, ita eas militibus, miniſtris, & cibariis, quorum ibidem magnam abundantiam repererunt, munientes occupaverunt. Electus vero cum ſuo Wilhelmo de *Meyſenburch* monacho veniens, eumque in choro in ſede abbatis locans, poſtmodum etiam ipſum in capitulo in ſede abbatis collocavit.

219. Cumque electus convocari feciſſet fratres, volens inducere eos utdictum Wilhelmum monachum pro abbate recipientes, eidem tanquam abbati & paſtori animarum ſuarum in ſpiritualibus & temporalibus intenderent & obedirent, omnes unanimiter ad ipſum venire recuſabant, exceptis quatuor tranſgreſſoribus prædictis. Alii autem fratres communiter cum pueris intrantes chorum, lacrymabiliter & cum magna voce cœperunt clamare ad Deum, & cantantes antiphonam *Media vita* (*b*), projecerunt ſe proni in terram, dicentes orationes ad hoc debitas & conſuetas. Cum autem in terra ſic jacerent, nihil mali ſperantes, ſed ſupernum auxilium implorantes, ecce unus de quatuor tranſgreſſoribus, qui erat ſuper eos in turri ſuper * thronum, dimittens magnum lapidem, eum qui collectam dicebat in choro, ipſo jactu pene cæciderat, ſicque de ipſo jactu lapidum omnes fratres ipſius monaſterii cum pueris coacti ſunt miſerabiliter & contemtibiliter exulare.

[b]

* Legendum chorum

220. Venientes igitur ad eccleſiam majorem, a prælatis & canonicis ipſius eccleſiæ conſilium & auxilium ſuper eorum miſerabili exilio petierunt. Qui benigne & laudabiliter ab eis recepti, ipſiſque ut dignum fuit condolentes, in ipſa majori eccleſia antiphonam *Media via* cum debitis orationibus & campanis pulſatis una cum eis ob vindictam fideliter decantabant. Prælati vero & canonici prædicti videntes & conſiderantes manifeſtam injuriam prædictis fratribus factam, & quod tam miſerabiliter de ipſorum monaſterio contra juſtitiam eſſent expulſi, miſerti ſunt eorum, aſſignanteſque eis in ipſorum dominio habitationem laudabilem & honeſtam, unicuique ipſorum fratrum præbendam, tanquam uni de ſuis canonicis, quandiu ibi eſſent dari & aſſignari fecerunt de eorum reditibus & præbenda.

Monachi S. Matthiæ ad clerum prædictæ civitatis confugiunt.

Ecclesiæ conquiritur.

221. Interea dum fratres prædicti a ſui monaſterii habitatione ejecti, alibi commorantes demorarentur, Henrico electo bona & poſſeſſiones eorum extra monaſterium ſita

Monasterium a Meyſenburgio diripitur.

(*a*) Henricum a Duna.

(*b*) Media vita in morte ſumus, &c.

per ſe & ſuos invadente, dictoque Wilhelmo monacho cum ſuis complicibus in ipſorum monaſterio nefarie reſidente, cunctaque bona ipſorum in monaſterio inventa, quæ in magna ubertate in ipſorum nefando introitu reperere, videlicet cellaria vino optimo, granaria plena frumento, omneſque ipſorum monaſterii angulos, ut ipſos bene decebat, plenos utenſilibus viliter diſpenſante, in locis etiam divinis officiis deputatis chorizantes, ac ea pro lupanari & theatro reputantes, aliaque criminoſa & deteſtanda, Dei timore poſtpoſito, ibidem exercentes, univerſa tam clauſtri quam monaſterii ipſorum commoda & officinas ſubvertebant.

Incendio vaſtatur.

222. Quadam etiam die, cum dictus Wilhelmus intruſus cum ſuis complicibus in eorum malitia gloriantes, & ſic glorioſum & ſublimatum fore præſumeret, vocans ad ſe magiſtram ſanctimonialium in Horreo ſororem ſuam, cum aliis quampluribus ejuſdem monaſterii monialibus, eamque honorifice & cum magna pompa ſuſcipiens, cum totam diem in epulis & choreis tranſegiſſent, incumbentibus jam noctis tenebris, feſſis præ nimia repletione omnibus, ſomnoque gravati dum ſe ſopori dediſſent, neſcio qua ſiniſtra ſorte accidente, domus in qua decubuerant incenſa eſt, ita ut totius clauſtri ſtructuræ ex ipſo incendio, niſi omnipotentis Dei miſericordia interveniſſet, conſumtæ penitus fuiſſent & adnihilatæ. In mane autem tota civitas de ipſo incendio repleta eſt rumoribus, aliis dicentibus quod propter ebrietatem Wilhelmi monachi intruſi & ſuorum, monaſterium pene totum fuerat exuſtum, aliis qui in monaſterio erant e contra dicentibus, quod ipſi qui de monaſterio ejecti fuerant & expulſi, ipſos cum monaſterio incendere & concremare voluiſſent.

Corpus S. Matthiæ in monaſterio abſconditum, ad priorem ecclesiam transfertur.

223. His itaque tranſactis fratres ejecti reliquias, ornamenta aliaſque res monaſterii ſui quas abſconderant perdere timentes, quoſdam ex ipſis pro conſervatione earum, ad monaſterium tranſmittunt. Qui venientes nocturno tempore, monaſterium ipſum furtive & ſubtiliter ingreſſi, corpus beati Matthiæ apoſtoli cum aliis reliquiis ab eis in locis monaſterii ſui ſecure abſconſis, ut eas alibi tutius locarent, ad majorem eccleſiam infra muros civitatis Treverenſis ſicut ceteras reliquias fecerant, eadem nocte ſalvi evadentes detulerunt.

Henrici electi artes ut Rorici & Wilhelmi prædictionem evitet.

224. Inter hæc inquiſitores prædicti in dicto inquiſitionis negotio ſine ceſſatione procedentes electum prædictum undique fatigabant. Electus vero ex ipſa inquiſitione timens ſibi periculum imminere, cum videret nulla ratione ſe poſſe effugere inquiſitionem prædictam, cogitabat qualiter dominum papam & inquiſitores per mendacia & trufas infamans, inquiſitionem aliquatenus poſſet retardare & impedire. Finxit igitur rumores, quos per interpoſitas perſonas apud fratres Prædicatores & Minores fecit & procuravit occulte publicari, videlicet quod idem electus pecuniam, in qua Romanæ eccleſiæ tenebatur, propter quam etiam fuit excommunicationis vinculo innodatus, promtam haberet & paratam, eamque per mercatores Romanos, qui tunc juxta eum erant, ad Romanam curiam tranſmittere deberet, ipſaque pecunia ſedi apoſtolicæ perſoluta, iidem mercatores beneficium abſolutionis a domino papa obtinere deberent, eidemque electo ipſam abſolutionem remittere incontinenti, ſicque inquiſitionis negotium penitus adnihilari debere, dictoſque inquiſitores occaſione hujuſmodi inquiſitionis non commodum vel honorem, ſed ad extremum opprobrium & confuſionem reportare debere. Cumque hoc ad domini papæ perveniſſet notitiam, ipſe de tam deteſtabili & doloſa inventione multum commotus, conſilioque fratrum cardinalium ſuper hoc habito, præfatis inquiſitoribus iterato ſuas litteras deſtinavit hanc formam continentes.

Artes illas detegit Urbanus papa.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Wilhelmo & Rorico fratribus ordinis Minorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Sæpe ſagittant in occultis immaculatum doloſa labia detractorum, ſæpe venenum aſpidum damnabili calliditate diffundunt, ut lædant calumnioſis flatibus innocentem. Hi ſunt, quos propria vexat iniquitas, ut in agro bonarum mentium ſemina detractionis effundant. Ab horum inviis profecto non deviant; ſed eorum annumerari numero promerentur, qui obloqui & ſcribere detrahendo præſumunt, quod Henricum, qui ſe gerit pro Treverenſi electo, ab inquiſitionis examine commiſſo vobis per litteras apoſtolicas contra eum, liberare proponimus, ſi pecuniam in qua eccleſiæ Romanæ tenetur duxerit perſolvendam; qui etiam, ut audivimus, ad hujuſmodi mendacii promotionem adjiciunt, dictum Henricum pecuniam ipſam habere paratam, ut verum eſſe, quod iidem aſſerunt, alii ſuſpicantes, credant liberationem ipſius eſſe vicinam, & per hoc circa negotium inquiſitionis ejuſdem, quod laudabiliter incœpiſſe dicimini, proſecutio veſtra tepeſcat. Porro ſi non intendimus ipſi Henrico debitum eccleſiæ prædictæ dimittere, non eſt præſumendum, quod ob id in ipſo velimus offendere Deum ultionum, eumdem Henricum liberando talem ab his in quibus ipſum habere credit idem dominus debitorem.

Novimus etenim quod nos liberatio hujuſmodi arctius obligaret, dum ipſius peccata nobis imponeret contra nos, quod ſummopere, quantum nobis ex alto permittitur, vitare intendimus, in judicio deferenda, collo- que noſtro ejus culpas avertere, quas noſtras per hoc procul dubio faceremus. Nec oportet

»nos in negotio præfato tepeſcere, prætextu »debiti memorati, præſertim cum qualiſcum»que de ipſo exitus habeatur, nihilominus ta»men ad hujuſmodi debitum nobis eidem ec»cleſiæ Romanæ Trevirenſis eccleſia tenetur. »Propter quod non eſt veriſſimile quod in»choatam contra eum intendamus proſecu»tionem juſtitiæ præterire; immo ſi plenam »domum argenti & auri nobis idem Henricus »liberaliter expanſis manibus largiretur, non »pateretur noſtra conſcientia nos ipſius, qui ta»liter diffamatur, diſſimulare delictum, cum »vitium ſimoniæ, quo publice dicitur irretitus, »in ipſo tanto amplius deteſtemur, quanto »ampliori eum benevolentia proſequi ſoleba»mus. Ideoque devotionem veſtram rogamus »& hortamur attente, per apoſtolica ſcripta »vobis in virtute obedientiæ præcipiendo man»dantes, quatenus aures ab hujuſmodi men»daciis avertentes, in prædicto negotio juxta »formam vobis traditam cum debita diligen»tia celeriter procedatis; ita quod non contin»gat ipſius peccata de veſtris requiri manibus, »ſed exinde ſollicitudo veſtra meritum ſibi »comparet apud Deum, noſque illam com»mendare merito valeamus. Datum apud Ur»bem-veterem xv. cal. Maii pontificatus noſtri »anno ſecundo.

Henrici furor in monachos S. Matthiæ.

225. Verum cum tenor litteræ prædictæ ad notitiam prædicti electi perveniſſet, ultra quam credi poteſt turbatus eſt. Videns autem omnem ſuam artem & induſtriam ad amotionem inquiſitionis prædictæ in nulla parte prævalere, omne impedimentum ſibi factum dictis abbati & conventui S. Matthiæ imputans, cum ipſum abbatem lædere non poſſet, erat enim idem abbas, ſicut prædiximus, in diſtrictu domini ducis Lotharingiæ bene ſecurus, omnibus modis quibus potuit, & cogitavit & propoſuit ſe in conventu, videlicet fratribus ejectis, vindicare. Miſit igitur litteras ſuas per omnes parochias civitatis Trevirenſis, inhibens omnibus civibus civitatis ejuſdem ſub pœna excommunicationis, ne aliquis eorum prædictis expulſis fratribus in ipſa civitate manentibus, aliquid mutuarent vel concederent, vel in aliquo ipſis præſumerent ſubvenire. Fecit etiam vocari coram ſe ſcabinos civitatis, inhibens etiam & ipſis ſub obtentu gratiæ ſuæ, ne aliquis eorum eiſdem fratribus in aliquo contractu faciendo, mutuando vel concedendo aliquatenus ſubveniret. Unus autem ſcabinorum, qui tunc pro tempore ipſorum erat creditor, dicti monaſterii S. Matthiæ ſpecialis amicus, ſic dicitur electo reſpondiſſe coram omnibus, qui »ibidem aderant præſentes: Domine, etſi mihi »inhibueritis, ut dictis expulſis fratribus non »concedam aliquid vel mutuem, tamen ſi »eiſdem de bonis meis mihi a Deo collatis ali»quid gratis volo dare vel impendere, non po»teſtis nec debetis inhibere. Scire etenim debe»tis, quod quandiu prædicti fratres in exilio A fuerint conſtituti, omnia quæ habeo vel ha«bere potero ipſis gratis dabo, & ad neceſſita«tem victus adminiſtrabo. Audientes hoc om«nes circumſtantes mirati ſunt de ipſius viri tanta conſtantia. Electus vero videns ſe in his cœptis non poſſe proficere, confuſus eſt, nec tamen inhibitionem deinceps facere attentavit, ipſos tamen ubicumque potuit læſit & inquietavit.

Opem pontificis implorant.

226. Iſtis autem per aliquod tempus ſic durantibus, fratres ejecti ſaniori freti conſilio, ordinaverunt inter ſe, ut duos de ipſorum conſortio, qui ſibi ad hoc expedire videbantur, ad ſedem apoſtolicam deſtinarent, qui domino papæ & cardinalibus rem geſtam & proceſſum ipſius electi per ordinem exponentes, qualiter ad ſuum monaſterium reſtitui poſſent, conſilium & auxilium a domino papa & cardinalibus præfatis implorarent. Audiens autem dominus papa qualiter idem electus ipſos abbatem & conventum, non deferens appellationibus ipſorum, nec inhibitioni ſibi a ſede apoſtolica factæ, ipſum abbatem per ſententiam diffinitivam amoverat de facto, conventumque, qui eidem in hoc obtemperare noluerat, de ſui monaſterii habitatione violenter & contra juſtitiam ejecerat, commotus eſt; vocatiſque cardinalibus, qualiter dictis abbati & conventui ſubvenire, qualiterque dicti electi inſolentiam corrigere poſſent, deliberaverunt.

Ipſos ſuper ſuis ſcribus reſtituit, &c.

227. Habito igitur conſilio, viris venerabilibus & diſcretis abbati S. Martini Glandarienſis, & Johanni cantori eccleſiæ Trevirenſis, dominus papa direxit litteras ſuas ſuper ipſo negotio, ſub hac forma.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei «dilectis filiis abbati S. Martini Glandarienſis «Metenſis dioceſis, & cantori eccleſiæ Treve«renſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. «

D Quam ſit mundus poſitus in maligno & «abundet iniquitatum diluvium ſuper terram «manifeſte perpendit, qui prudenter advertit «pernitioſos exceſſus temporibus iſtis per viros «eccleſiaſticos, qui altitudine loci & debito «religionis alios ad bonum informare debue«rant, in civitate Trevirenſi commiſſos. Du«dum ſiquidem dilectis filiis fratribus Wilhel«mo & Rorico de ordine Minorum, inquiſitio«nem contra Henricum, qui pro Trevirenſi «electo ſe gerit, per noſtras litteras ſub certa «forma ſuper diverſis commiſimus criminibus «faciendara; & cum iidem inquiſitores ipſum «

E Henricum propter hoc ad ſuam præſentiam «evocaſſent, id eſt Henricus, qui tamquam «male ſibi conſciius, multipliciter inquiſitio«nem hujuſmodi viſus eſt hactenus & adhuc «nititur impedire, ad excogitatam malitiam «ſe convertens contra S. Matthiæ & S. Mariæ «ad Martyres Trevirenſes monaſteriorum ab«bates conſanguineos alterius inquiſitorum «ipſorum, ut forte per hoc ejuſdem inquiſi«tionis impediret proceſſum, vel iidem abba«

tes,

» tes , per quos ſuper hujuſmodi criminibus
» haberi poterat teſtimonium veritatis , ſe ſub-
» traherent a ferendo teſtimonia contra ip-
» ſum , aut eos ad hoc inhabiles redderet , ad
» inquiſitionem contra ipſos auctoritate pro-
» pria incœpit procedere ſuper quibuſdam cri-
» minibus , ſuper quibus nulla contra eos in-
» famia laborabat , & in ipſos , quamquam idem
» Henricus pro debitis in quibus Romanæ te-
» netur eccleſiæ foret excommunicationis vin-
» culo innodatus , propter quod alios ligare
» non poterat , vel contra eoſdem abbates ad
» inquiſitionem procedere , vel juriſdictionem
» aliquam exercere , excommunicationis ſen-
» tentiam promulgavit , in eluſionem mandati
» apoſtolici & ſcandalum plurimorum. Cum-
» que id noſtro apoſtolatui fide dignorum aſ-
» ſertione veridica reſeratum eſſet , nos vobis
» per noſtras litteras dedimus in mandatis ut
» hujuſmodi proceſſum & ſententiam ipſius
» Henrici , denuntiantes penitus non tenere ,
» ipſum , quod a ſimili eorumdem abbatum &
» quorumlibet aliorum ſubditorum eccleſiæ
» Trevirenſis gravamine omnino deſiſteret ,
» monitione præmiſſa , per cenſuram eccleſia-
» ſticam appellatione poſtpoſita cogeretis. In-
» juncto nihilominus vobis , ut ſi dictus Henri-
» cus propter hoc in abbatias monaſteriorum
» ipſorum aliquos intruſiſſet , intruſos hujuſ-
» modi amoveretis ſine difficultate qualibet ab
» eiſdem , ipſis abbatibus ad abbatias ipſas ple-
» narie reſtitutis , contradictores per cenſuram
» eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita com-
» peſcendo , invocato ad hoc , ſi opus eſſet ,
» auxilio brachii ſæcularis. Licet autem proceſ-
» ſum per dictum Henricum contra ipſos ab-
» bates in hac parte habitum , juxta formam
» vobis traditam nuntiaviſſetis irritum & ina-
» nem , ac ipſum Henricum eatumdem litte-
» rarum auctoritate monueritis diligenter , ut
» a qualibet ſuper hoc ipſorum moleſtatione
» deſiſtere procuraret , & cum , ſi ſecus faceret ,
» excommunicaveritis ſententia promulgata ;
» ipſe tamen conceptam nequitiam in opus per-
» ducens , quadam die , cum ex more ad dictum
» monaſterium S. Mathiæ devotionis cauſa ci-
» vium & populi Trevirenſis conflueret multi-
» tudo , quoſdam ſatanæ ſatellites cum hujuſ-
» modi multitudine doloſe dicitur ſubmiſiſſe ,
» qui orationis prætextu ipſum monaſterium
» fraudulenter ingreſſi , tandem turres ipſius in
» quibus campanæ pendebant , favente cuſtode ,
» proditorie aſcenderunt , ſicque munitioni-
» bus ejus captis , abbate quoque dicti mona-
» ſterii extra idem monaſterium pro ipſius ne-
» gotiis tunc agente , monachos ibidem inven-
» tos exinde cum lapidibus auſu ſacrilego eje-
» cerunt , illo , qui collectam in choro dicebat ,
» ex hujuſmodi jactu lapidis fere peremto. Ac
» protinus ſubſequens eos dictus Henricus Wil-
» helmum monaſterii S. Maximini Treveren-
» ſis dicti ordinis , infamem , diſcolum & per-
» verſum , in ejuſdem monaſterii S. Mathiæ

A abbatem intrudens , & adminiſtrationem præ-
dicti monaſterii ſanctæ Mariæ ad Martyres
Ægidio ipſius monaſterii monacho de facto
commitens , dictos monachos in conventu
ipſius monaſterii S. Mathiæ collectos , exhor-
tationibus & minis laboravit inducere , ut
eumdem pro abbate habentes , ei ut abbati &
paſtori animarum ſuarum in ſpiritualibus &
temporalibus obedirent. Sed ipſi ſuper hoc
obtemperare nolentes eidem , ſicut etiam nec
debebant , ad Trevirenſem eccleſiam , ut in
capitulo Trevirenſi ſuper his querelam de-
ponerent , acceſſerunt ; & tandem ad ipſum
B monaſterium S. Mathiæ , cum eſſent ejus tur-
res armatis munitæ , redire non irrationabili-
ter formidantes , diſperſi & profugi coacti
ſunt extra ipſum monaſterium S. Mathiæ mi-
ſerabiliter exulare : ſicque dictum monaſte-
rium , quod in illis partibus , & in tota Ger-
mania , velut religionis ſpeculum , in ſpiri-
tualibus & temporalibus florere ſolebat , ab-
batis regimine ac debitis monachorum obſe-
quiis deſtitutum , jacet totaliter deſolatum , &
Henrico & Wilhelmo intruſo prædictis prodi-
galitate continua dilapidantibus bona ejus ,
C abbas ipſe una cum eiſdem monachis cogitur
contemtibiliter exulare.

Sane quam ſit præſumtuoſus & deteſtabilis
exceſſus hujuſmodi , inſtituta canonica mani-
feſtant , quæ inter alia jubent præſulem , qui
ſcienter in locum viventis ſe intrudi permiſit ,
ei tradi cujus locum noſcitur occupaſſe , ab
ipſo in cuſtodia detinendum , vel tranſmitten-
dum ad ſedem apoſtolicam per eumdem.

Quia igitur latum pandit delinquentibus
ſinum qui non condemnat errata , diſcretioni
veſtræ per apoſtolica ſcripta in virtute obe-
dientiæ & ſub pœna excommunicationis di-
D ſtricte præcipiendo mandamus , quatenus
vos vel alter veſtrum ſuper his de plano & ſi-
ne judiciorum ſtrepitu , veritate comperta ,
dictos abbates quoad omnia ad eum ſtatum
reducere ſtudeatis , in quo erant quando præ-
dictus Henricus cœpit inquirere contra eos ,
ipſum abbatem monaſterii S. Mathiæ , priorem
& monachos in poſſeſſionem ejuſdem & om-
nium pertinentiarum ejus quantocius redu-
cendo , ac reſtituendo abbati prædicta ipſius
monaſterii ſanctæ Mariæ prædictam admini-
ſtrationem ejuſdem , & Ægidio ac Wilhelmo
E intruſo & occupatoribus prædictis ab ipſis
prorſus amotis , faciatis dictis abbatibus reſti-
tui univerſa quæ Henricus , Ægidius , Wil-
helmus intruſus & occupatores prædicti , de
bonis ipſorum monaſteriorum quomodoli-
bet habuerunt. Et quia ſine culpa non poſſe-
mus circa hujuſmodi culpam intruſi prædicti
relaxare vindictam ; volumus & ſub eiſdem
virtute ac pœna diſtricte vobis injungimus ,
quatenus ipſum intruſum in prædicto ſuo mo-
naſterio arctæ cuſtodiæ retradatis , ac eum
tunc demum cum per condignam pœniten-
tiam expiaverit tantum crimen , conventus

» ejuſdem monaſterii ſui conſortio reſtitutum, » faciatis in choro & capitulo ultimum perpetuo » permanere. Et ſi ſuper hoc ejus abbas & con- » ventus nimium difficiles ſe redderent, ipſum » Wilhelmum intruſum in alio monaſterio » ejuſdem ordinis vicinarum partium, juxta » præmiſſum modum retradere ſtudeatis, con- » ſtituentes eum eſſe ineligibilem ad admini- » ſtrationes ordinis cujuſcumque; ad hoc uni- » verſitatis Treverenſis & principum, baronum, » ac militum illarum partium auxilium invo- » cando; non obſtante appellatione quam Hen- » ricus & Wilhelmus intruſus prædicti, a vobis » dicuntur ad dictam ſedem apoſtolicam emi- » ſiſſe, cum tales audiri non ſoleant nec de- » beant, appellantes, contradictores per cenſu- » ram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, » compeſcendo. Et quia dictus Henricus ſen- » tentiam excommunicationis per nos in eum, » ut dicitur, promulgatam, quam incidiſſe dici- » tur, damnabiliter, ut intelleximus, vilipen- » dit; volumus & mandamus, ut ſi eum ſen- » tentiam ipſam incurriſſe conſtiterit, & ipſam » per tres menſes ſuſtinuerit animo indurato, » ipſum ſingulis diebus dominicis & feſtivis, » pulſatis campanis, candelis accenſis per om- » nes civitates & loca in quibus videritis expe- » dire, uſque ad ſatisfactionem condignam ex- » communicatum publice nuntietis & faciatis » ab omnibus arctius evitari: aggravantes hu- » juſmodi ſententiam contra eum, prout ejus » proteriam videritis promereri, contradicto- » res per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione » poſtpoſita, compeſcendo. Datum apud Ur- [a] » bem-veterem (a) tertio nonas Septembris, pontificatus noſtri anno ſecundo.

226. Executio vero judicum prædictorum, ſcilicet viri religioſi JOHANNIS Dei gratia abbatis S. Martini Glandarienſis Metenſis dioceſis, & viri honorabilis JOHANNIS cantoris eccleſiæ Treverenſis talis eſt.

» Licet igitur contenta in dicto authentico » eſſent notoria & manifeſta, ita quod non po- » terant celari aliqua tergiverſatione in civita- » te, dioceſi, & in tota provincia Treverenſi; » Volentes tamen nihilominus ſuper contentis » in eo inquirere veritatem, WILHELMUM de » *Meyſenburch* monachum S. Maximini Treve- » renſis, qui monaſterium S. Mathiæ Treve- » renſis detinet occupatum, citari fecimus ad » certam diem, ad quam quemdam cum man- » dato tranſmiſit procuratorem, non ut ſe de- » fenderet, ſed ut noſtro judicio illuderet. Fuit » enim dictus procurator pro offenſa manifeſta » excommunicatus & publice in civitate Tre- » verenſi excommunicatus, propter quod ip- » ſum non duximus admittendum. Et quia di- » ctus Wilhelmus monachus per totam diem » ſibi aſſignatam, & in ſequenti uſque ad ho- » ram ſextam expectatus, per ſe vel per procu- » ratorem idoneum non comparuit, Theode- » rico abbate S. Mathiæ Treverenſis per pro-

(a) Sic lego in meo mſ. Browerus vero legit tertio Kalendas.

A curatorem legaliter inſtitutum, & Engelber- « to priori dicti monaſterii S. Mathiæ pro ſe & « conventu ejuſdem monaſterii coram nobis « comparentibus, & quantum debuerunt ex- « pectantibus: Ideo dictum Wilhelmum mo- « nachum reputavimus contumacem, & ejus « contumacia non obſtante, teſtes duximus re- « cipiendos ſuper negotio nobis demandato. « Et cum ipſorum dicta publicaſſemus, & diem « ad definiendum aſſignaſſemus, cum ſemper « dictus Wilhelmus monachus per contuma- « ciam eſſet abſens, Dei præſentia ejus abſen- « tiam replente, cum omnia quæ in mandato « apoſtolico continentur invenerimus eſſe ve- « B ra, THEODERICUM abbatem dicti monaſterii « S. Mathiæ & ROBERTUM abbatem S. Mariæ « ad Martyres per diffinitivam ſententiam re- « ducimus in omnibus in eum ſtatum in quo « erant quando prædictus HENRICUS electus « Treverenſis incœpit inquirere contra eos. Ac « ipſum Theodericum abbatem, priorem & « monachos in poſſeſſionem ejuſdem mona- « ſterii S. Mathiæ & omnium pertinentiarum « ejus reſtituimus in omnibus, necnon ROBER- « TO abbati monaſterii S. Mariæ ad Martyres ad- « miniſtrationem ſimiliter reſtituimus ejuſdem, « & Wilhelmum monachum a dicto monaſte- « rio S. Mathiæ & Ægidium de *Manderſcheit* « C monaſterii S. Mariæ ad Martyres monachum « prædicti ab adminiſtratione ejuſdem ſenten- « tialiter amovemus. Item Wilhelmum mona- « chum prædictum conſtituimus eſſe ineligibi- « lem ad adminiſtrationem ordinis cujuſcum- « que. Item eidem Wilhelmo monacho intru- « ſo in dicti monaſterii S. Mathiæ abbatiam, « firmiter injungimus, ut uſque ad feſtum bea- « ti Martini hiemalis proximo venturum, mo- « naſterii ſancti Mathiæ * dicto Theoderico « abbati & monachis ipſius dimiſſo, ad S. Ma- « ximini monaſterium, cujus monachus exiſtit, « revertatur. Et decernimus eum arctæ cuſto- « D diæ mancipandum in ipſo monaſterio S. Ma- « ximini, donec expiaverit per condignam pœ- « nitentiam tantum crimen in prædicto mona- « ſterio S. Mathiæ commiſſum; ac ipſum Wil- « helmum monachum decernimus in conven- « tus ſui monaſterii S. Maximini conſortio, in « choro & capitulo ultimum perpetuo perma- « nere. Et ſi ſuper hoc abbas & conventus S. « Maximini ſe nimium difficiles redderent, di- « ctum Wilhelmum monachum in alio mona- « ſterio ejuſdem ordinis vicinarum partium, « videlicet civitatis, dioceſis, aut provinciæ « Treverenſis, juxta præmiſſum modum decer- « nimus retrudendum. «

* f. Suppleud. in gimine.

E Item ſupra dictum Wilhelmum mona- « chum intruſum & Walterum de *Meyſenburch* « filium fratris ipſius Wilhelmi, qui per ſe & « ſuos dictum monaſterium S. Mathiæ detinet « occupatum, ad faciendam reſtitutionem om- « nium ablatorum a die qua dictus Wilhelmus « fuit intruſus in dictum monaſterium S. Ma- « thiæ, quorum ablatorum ſumma eſt quinque «

millia marcarum denariorum Colonienſium, quæ ad ipſos & occupatores eorum pervenerunt, ſicut nobis conſtat per prædictorum Theoderici abbatis & conventus juramentum in eiſdem quinque millibus marcis, ipſis Theoderico abbati & conventui * ſententialiter condemnamus.

* Supplend. reſtituendis.

Lata eſt hæc ſententia in eccleſia Treverenſi, feria tertia poſt feſtum omnium ſanctorum continuata a die præcedenti in eamdem, præſentibus viris venerabilibus Simone majore præpoſito & archidiacono Treverenſi, ROBERTO abbate Mediolacenſi ordinis S. Benedicti Treverenſis diœceſis, FRIDERICO abbate Willarienſi ordinis Ciſtercienſis Metenſis diœceſis, multiſque aliis prælatis & canonicis & clericis & laicis Treverenſibus anno Domini MCCLXIII.

Henricum adhuc rebellem præcipit Urbanus inſtioribus anathematis ferirí.

227. Cum autem tenor ſententiæ ſuprædictæ ad notitiam dicti electi perveniſſet, induratum eſt cor Pharaonis, nec hac quidem vice filios Iſrael, qui erant diſperſi & profugi, videlicet abbatem & conventum S. Mathiæ reſtituere nec revocare curavit. Videns etiam papa dictum electum in ſua pertinacia perſeverare, ſcripſit ſuffraganeis eccleſiæ Treverenſis contra dictum ſub tali forma.

» Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei » venerabilibus fratribus univerſis epiſcopis ſuf- » fraganeis Treverenſis eccleſiæ, gratiam & » communionem eccleſiæ apoſtolicæ habenti- » bus, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, de- » canis, archidiaconis, conventibus, & capitu- » lis, rectoribus, canonicis, & clericis eccleſia- » rum provinciæ Treverenſis ſalutem & apo- » ſtolicam benedictionem.

» HENRICUS gerens ſe pro electo Treverenſi » propter deteſtabilem exceſſum, quem contra » dilectos filios S. Mathiæ & S. Mariæ ad Mar- » tyres monaſteriorum Treverenſium abbates » ſuperbæ temeritatis auſu commiſit, & aſſeri- » tur in locum ipſius abbatis S. Mathiæ, poſt » inhibitionem auctoritate litterarum noſtra- » rum ſibi factam, Wilhelmum de *Meyſenburch* » monachum S. Maximini Treverenſis temeri- » tate propria intrudendo, & adminiſtrationem » ejuſdem monaſterii S. Mariæ cuidam illius » monaſterii monacho illuſorie committen- » do, in excommunicationis ſententiam in » eum, ſi contra inhibitionem veniret hujuſ- » modi, auctoritate litterarum ipſarum rite » prolatam dicitur incidiſſe. Cum igitur eum » excommunicatum denuntiari, præmiſſis ve- » ris exiſtentibus, mandemus, & ab omnibus » uſque ad ſatisfactionem condignam arctius » evitari & aggravari hujuſmodi ſententiam » contra ipſum, prout ejus protervitas videbi- » tur promereri; univerſitatem veſtram roga- » mus, monemus, & hortamur attente, per » apoſtolica vobis ſcripta diſtricte præcipimus » mandantes, quatenus ad requiſitionem ju- » dicum quibus denuntiationem hujuſmodi » committendam duximus, vel ſubdelegato- » rum ſuorum, dictum Henricum tamquam ex-

A communicatum artius evitetis & faciatis vos « epiſcopi & archidiaconi a veſtris ſubditis evi- « tari. Alioquin ſententiam, quam iidem judi- « ces in vos propter hoc rite protulerint, ratas « habebimus, & faciemus auctore Domino uſ- « que ad ſatisfactionem condignam appellatio- « ne remota inviolabiliter obſervari. Datum « apud Urbem-veterem idus Septembris ponti- « ficatus noſtri anno tertio. «

Meiſemburgius S. Mathiæ monaſterium multo ære alieno obruit.

228. Verum prædictus Wilhelmus monachus ſentiens & intelligens quod non per longum tempus poſſet ſtare in monaſterio S. Mathiæ prædicto, præſertim cum videret quotidie & audiret nova mandata diverſis perſonis contra ipſum pro dicto Theoderico abbate S. Mathiæ ſcribi & deſtinari, cogitavit in corde ſuo & propoſuit, quod per varios contractus & mutationes ipſum monaſterium ad talem ſtatum vellet deducere, quod ſi etiam Theodericus abbas & conventus S. Mathiæ prædicti aliquando reſtituerentur, quod etiam verebatur, ipſum monaſterium tantis invenirent debitis obligatum, quod uſque in perpetuum numquam a debitorum onere poſſet relevari. Quod cum domino papæ ſignificatum fuiſſet, volens dicto monaſterio ſuper hujuſmodi contractibus faciendis præcavere, domino abbati S. Martini Glandarienſis ſuper hujuſmodi contractibus ſuas litteras direxit ſub hac forma.

Contractus ejus, omnes venditiones, &c. infirmat Urbanus.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei « dilecto filio abbati S. Martini Glandarienſis « ſalutem & apoſtolicam benedictionem. «

Res nimis horrida noſtris ſenſibus & quæ « juſtæ indignationis zelo viſcera noſtra com- « movit, nuper noſtrarum aurium moleſtavit « auditum, inſinuato nobis, quod Henricus, « qui pro Treverenſi electo ſe gerit, quaſi glo- « rietur cum male fecerit, & in rebus peſſi- « mis delectetur, dilectum filium Theoderi- « cum abbatem monaſterii S. Mathiæ Treve- « renſis ordinis S. Benedicti, non ſine multa « præſumtione de ipſius monaſterii abbatia re- « movit, & quemdam monachum nomine Wil- « helmum, ſuæ ut creditur pravitati confor- « mem, in locum ejuſdem abbatis intruſit: & « quod dictus intruſus ab iniquis ipſius Henrici « actibus non declinans, & ſciens quod modi- « cum tempus habeat, bona dicti monaſterii « vendit, obligat, diſtrahit, concedit, alienat, « & tamquam ille, cui non eſt cura de talibus, « indifferenter pro ſua voluntate conſumit. Nos « igitur indemnitati ejuſdem monaſterii provi- « dere ſalubri remedio & perverſorum obviare « malitiis cupientes; diſcretioni tuæ per apoſto- « lica ſcripta mandamus, quatenus omnes ven- « ditiones, obligationes, diſtractiones, con- « ceſſiones & alienationes hujuſmodi factas vel « faciendas, ſeu quoſcumque tractatus cujuſli- « bet alterius generis, ſuper rebus vel bonis « ejuſdem monaſterii per dictum intruſum præ- « ſumtos, vel in poſterum præſumendos cum « quibuſcumque perſonis, adjectas quoque pœ- «

» nas in cis & interpoſita juramenta ſeu ſcriptu- A
» ram quamlibet inde confectam, denunties
» auctoritate noſtra, in locis in quibus expedire
» videris, & per alium ſeu alios denuntiari fa-
» cias aliquatenus non tenere, ac nullius om-
» nino exiſtere firmitatis, contradictores per
» cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpo-
» ſito compeſcendo, non obſtante aliqua ſedis
» apoſtolicæ indulgentia per quam effectus præ-
» ſentium impediri valeat vel differri. Datum
» apud Urbem-veterem XII. cal. Novembris
» pontificatus noſtri anno tertio.

Scribit idem pontifex univerſitati & ſcabinis Trevirorum de eodem negotio.

229. Cum igitur prædicta littera per abba- B
tem S. Martini Glandarienſis præfatum exe-
cutioni fuiſſet demandata, & hoc ad Wilhel-
mi intruſi notitiam perveniſſet, turbatus eſt
& confuſus: quod videns dominus papa, om-
nibus fidelibus eccleſiæ Treverenſis, univerſi-
tati & ſcabinis civitatis Treverenſis litteras
ſuas direxit, continentes hunc tenorem.

» Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei
» dilectis filiis omnibus fidelibus eccleſiæ Tre-
» verenſis, ſcabinis & univerſitati Treverenſi ſa-
» lutem & apoſtolicam benedictionem.

» Quoniam timorem Domini & zelum ad C
» eccleſiaſticam libertatem mentibus veſtris in-
» ſuſos eſſe didicimus, vobis cum fiducia porri-
» gimus preces illas quæ beneplacito divino
» concordant, & defenſionem implorant ec-
» cleſiaſticæ libertatis. Sane inter alia quæ men-
» tem noſtram ſauciant, non minimum ipſam
» exaſperat horrendus exceſſus ſuperbæ temeri-
» tatis auſu commiſſus contra dilectos filios S.
» Mathiæ & S. Mariæ ad Martyres monaſterio-
» rum Treveren. abbates ordinis S. Benedicti,
» per Henricum ſe pro electo Treverenſi geren-
» tem, qui in locum ejuſdem abbatis monaſte- D
» rii S. Mathiæ damnabili præſumtione quem-
» dam intruſiſſe & ejus conventum exulare
» compellere dicitur, adminiſtrationem dicti
» monaſterii S. Mariæ cuidam ejuſdem mona-
» ſterii monacho committendo. Cum itaque
» ſuper hoc dictis filiis abbati S. Martini Glan-
» darienſis Metenſis diœceſis & cantori Tre-
» virenſi noſtras ſub certa forma litteras diri-
» gamus, univerſitatem veſtram attente re-
» quirimus & rogamus, quatenus pro noſtra
» & apoſtolicæ ſedis reverentia, ſuper hoc &
» eorumdem judicum requiſitionem opportu-
» num ac debitum auxilium largiri curetis, ita E
» quod vobis mediantibus ſuper correctione
» tanti exceſſus noſtris beneplacitis ſatisfiat, &
» nos vobis propter hoc ſpeciales gratias refere-
» mus. Datum apud Urbem-veterem V. idus
» Septembris pontificatus noſtri anno tertio.

Sententia excommunicationis in Henricum electum & Wilhelmum ceteroſque ejus fautores promulgatur.

230. Inter hæc fratres, qui, ut ſuperius di-
ximus, a domino abbate & fratribus ad ſe-
dem apoſtolicam miſſi fuerant, reverſi ſunt,
negotio ſuo pro quo ierant, favente divina
clementia, ſecundum voluntatem ipſorum
bene & optime peracto. Venientes autem &
procedentes ſecundum tenorem litterarum,
quas a dicta ſede tulerant, necnon ſenten-
tiam delegatorum ſedis ejuſdem, videlicet
abbatis S. Martini Glandarienſis & cantoris
Treverenſis, ipſam excommunicationis ſen-
tentiam in Henricum electum, Wilhelmum
monachum intruſum & in omnes complices,
fautores & adjutores eorum, per omnia mo-
naſteria & parochias civitatis, necnon totius
diœceſis Treverenſis promulgari & publicari
fecerunt. Vocatis autem ſcabinis & civibus ci-
vitatis Treverenſis, humiliter ipſos deprecа-
bantur, ut ob reverentiam omnipotentis Dei
& glorioſi apoſtoli S. Mathiæ ſediſque Ro-
manæ, ſicut in mandatis ab ipſa ſede acceperant, malefactores prædictos, videlicet Wil-
helmum intruſum omneſque ſibi faventes,
qui ipſum monaſterium beati Mathiæ apo-
ſtoli detinebant occupatum, brachio ſeculari
ab ipſo monaſterio S. Mathiæ, quod iniquе
poſſidebant, ejicere & expellere niterentur.

Tum vero Wilhelmus Metſembur-gius & ſuis monaſterio S. Mathiæ, Henrici electi juſſu abſcedunt.

231. Quod intelligens electus præfatus, timenſque ſibi ex hoc ingens periculum im-minere, mandavit Wilhelmo intruſo ſuiſque complicibus, ut monaſterio S. Mathiæ di-miſſo, ad ſuum monaſterium videlicet S. Ma-ximini de quo venerant, incontinenti redi-rent. Qui primo mandato electi obedire con-temnens, ibidem permanſit. Electus vero vi-dens ſibi majus periculum occurrere poſſe ex temeraria dicti Wilhelmi monachi præſum-tione, ſecundo & tertio mandato ei ſub ob-tentu gratiæ & honoris ſui ut cederet loco præcepit. Satellites vero Wilhelmi prædicti cernentes & conſiderantes quod mandatis & præceptis dicti electi diutius reſiſtere non poſ-ſent, ipſoſque in dicto monaſterio S. Mathiæ nulla ratione poſſe permanere, unus poſt unum recedens, tandem ſe ſinguli furtive ſub-traheutes, paulatim pene omnes abierunt. Videns autem Wilhelmus monachus intru-ſus ſuique ſatellites & fautores, qui adhuc ſecum erant, ipſos in ipſo monaſterio aliqua-tenus non poſſe ſtare, quodque famuli ſui de ipſo monaſterio furtive fugientes receſſiſſent, coſque omnibus modis cedere oportere, confuſi, nimiumque territi & turbati, cogi-taverunt & propoſuerunt omnia bona fra-trum ejectorum, quæ infra monaſterium erant, diſſipare & adnihilare. Cippum igitur qui retro tumbam beati Mathiæ apoſtoli ſta- E bat, in quem fideles eleemoſynas ſuas pro-jicere conſueverant, confringentes aperue-runt, & quidquid in ipſo invenerunt totali-ter abſtulerunt. Sed & candelis magnis, quæ in monaſterio ante tumbam & altare dicti apoſtoli ſtabant, depoſitis & confractis, loco earumdem candelarum ligneos truncos, co-loratos ad inſtar candelarum repoſuerunt, & tali arte ſimplices homines decipientes & il-ludentes, eum cui occulta cordium manife-ſta ſunt, fallere non potuerunt. Quod cum fratribus expulſis multorum relatione veridi-ca innotuiſſet, non modicum contriſtati, nec ſibi bene conſcii quid ipſis ſuper hoc eſſet fa-

Sed prius temptum ſpo-liant.

ciendum, unanimi consilio ad majorem præpositum, qui erat frater carnalis prædicti abbatis, cæteroſque prælatos ecclesiæ Trevirensis accedentes, lacrymabili voce consilium & auxilium super his quæ in monasterio ipsorum fiebant, humiliter postulabant.

Sacrilegorum facinus non ferunt clerus & populus Trevirensis.

332. Audientes autem prælati & canonici omnia enormia & execranda quæ in jam dicto S. Mathiæ monasterio committebantur, ultra quam credi potest territi & turbati, fecerant convocari omnes prælatos & canonicos civitatis Trevirensis ecclesiarum, necnon omnes scabinos, cunctosque cives civitatis Trevirensis, quos poterant habere meliores, & majorem campanam pulsare jusserunt, ut convenirent pusilli cum majoribus, audituri quidnam hoc esset. Quibus convenientibus, major præpositus, qui tunc inter omnes prælatos Trevirenses senior erat & facundior, taliter exorsus, ait: O vos omnes Christi fideles, flete intimo cordis suspirio, quoniam merito flere debetis miserabilem subversionis conculcationem magni patroni totius Alemanniæ, atque ejus basilicæ immanem evulsionem ab infidelibus malefactoribus perpetratam, videlicet Wilhelmo intruso suisque complicibus, qui velut lupi rapaces & bestiæ crudeles, quos fidelium humanitas sustinere non deberet, sanctissimum locum plurimorum sanctorum & præcipue ipsius apostoli Mathiæ defœdantes penitus destruunt & adnihilant; per quem locum tota civitas Treverensis honore, nomine, & rebus ditata esse cognoscitur, immo totius Alemanniæ regio honorata est & ornata.

Alemannicis rebus.

333. Audientes autem hanc querimoniam cives prædicti, misericordione moti sunt in tantum, ut vix a strepitu furoris in malefactores prædictos, revocari possent; accurrentesque omnes tam magni quam parvi, tam senes quam juvenes, arma sua apprehenderunt; Wilhelmum enim intrusum suosque complices & fautores de præfato monasterio S. Mathiæ, ipsos graviter lædendo dejicere & expellere proposuerunt. Quod videntes quidam de civibus prædictis, partem electi prædicti fovent es, deprecabantur populum ut modicum temporis iram suam mitigantes, a tali impetu vellent desistere, quousque ipsi electo super ipso facto modicum loqui possent; ut si ipse electus vellet & valeret, ipsos malefactores pacifice loco cedere, ne strages aliqua inter ipsos fieret, demandaret. Inter hæc nuntiis plurimis ad muniendum ipsos currentibus, audito sono magnæ campanæ præ nimio timore turbati & territi malefactores prædicti, & nuntiis diversis a suis familiaribus perceptis, quia timebant se a communi populo debellandos, & interficiendos, fugam viriliter, sicut latrones, per devia nec vias rectas capientes, nemine eos persequente, in-

Fugantur intrusi & sacrilegi cum suis præda.

(a) Vult Browerus, eo solum die æstimata fuisse damna monasterio illata, & ad certam pecuniæ sortem redacta; postridie vero monachos, *deducente eos tam ex clero quam e populo Leviatorum turba ad monasterium rediisse.*

A ierunt; & tamquam fures & sacrilegi, tabulam pretiosam, in qua plurimorum sanctorum reliquiæ auro & argento atque multis pretiosis gemmis condierant & reponi artificiose fecerant. Calices quoque & libros, ac universa ornamenta monasterii, quæ invenerant, *beatum etiam Mathiam* apostolum omnesque sanctos Dei ibidem requiescentes denudando, vindictam divinam non verentes, detulerunt, eaque in castris *Meysenburch* & Falconis Petra, in comitatu Lucenburgensi sitis locantes, absconderunt.

234. His itaque omnibus sic peractis, alB tera die electus præfatus convocans fratres monasterii sancti Mathiæ ejectos, in suum palatium eos ad se venire rogavit, cum quo abbates ejusdem ordinis [&] Cistercienses, & clerici atque alii quamplures viri providi & discreti erant ipsa die in palatio. Quibus videlicet fratres prædicti volentes in hac parte mandatis electi obedire, omnes qui tunc præsentes aderant, ante conspectum suum convenerunt, audituri quid sibi vellet hæc convocatio eorum tam repentina. Quos cum electus præfatus ad se taliter venire conspexisset, tristitia repletus eorumque constantiam admC miratus, sic eos allocutus est: Fratres charissimi, scitote me non modicum contristari, « necnon & satis mœstum esse, quia fateor « quod immerito & indebite, meo annuente « consensu, in tantum vos extitistis gravati & « turbati: quod nunc feciſſe me & annuisse do- « leo, & quamdiu vixero pœnitebo. His & aliis « pluribus verbis mitigatoriis consolans eos, se spopondit, procedente tempore, de hujusmodi fatigationibus ipsorum damna refundendo ipsis emendaturum. Cum magna etiam instantia ipsos humiliter deprecabatur, D ut ipsum certum promissionibus fide data assecurarent, ne postmodum periculum aut gravamen aliquod ab eorum abbate, sive ab eis, vel ab ipso, quod in eorum monasterium alium intruserat illicite pro abbate ipsorum, favente voluntate & consensu *ejus* incurreret; sed ipsum ubicumque possent de hujusmodi periculo tuentes defenderent & præmunirent. Qui singulariter fide data, sic se facturos pro suo posse promiserunt. Istis vero ut prædictum est peractis, fratres expulsi de prædicti sui monasterii habitatione jam a festo pentecosten usque in diem Clementis papæ sub- 1264. E sequentem, ipso die (a) testimonio probo- [a] rum virorum nobilium & discretorum, quos ut eorum damnum & sui monasterii dilapidationem factam æstimarent, deduxerunt, cum magno comitatu prælatorum & aliorum hominum sequentium, feliciter & gaudenter sunt ingressi. Qui cum sic essent in suum monasterium ingressi, commutatis omnibus ostiis & fenestris universarum domorum, clausiri & monasterii, ac capituli, totum lo-

Monachi S. Mathiæ exules restituuntur.

cum ſuum per omnes angulos clauſtri, vt pote ſtabulum aut aream porcorum fœdatum, conſumtiſque omnibus victualium ſuorum redditibus, delatis omnibus ornamentis, ſubverſiſque omnibus in tantum, ut vix ſuorum multitudine per multum tempus mundari & expurgari poſſet, reperierunt.

Henricus Romam profiſciſcitur & abbas Theodericus ad ſuum monaſterium revertitur.

235. Prædictis igitur fratribus in ſuum monaſterium, ut dictum eſt, regreſſis, & omnimodo ab iſtiuſmodi impetu quieſcere ſperantibus, electus vero præfatus a ſummo pontifice ad ſuam præſentiam ſæpius citatus ſed minime comparens, poſtremum cum diutius differre non auderet, timens ſibi majus periculum imminere, ad eamdem ſedem ſe cum ſuis ire diſponens, tandem in feſto beati Nicolai hiemalis, citationem proxime ſubſequenti iter eſt aggreſſus. Quod cum abbati ſancti Mathiæ prædicto innotuiſſet, qui adhuc propter præſentiam electi nondum in ſuum monaſterium intraverat, timens ne ab ipſo magis gravaretur, electo in ſuo itinere agente, idem abbas in feſto beatæ Barbaræ proximo ſubſequenti, cum magna multitudine clericorum & militum atque aliorum quamplurium honeſtorum virorum conſanguineorum & amicorum ſuorum, qui de ſuo ac aliorum fratrum exilio jam dudum mœſti & triſtes extiterant, reverti ad ſuum monaſterium laborabat. Hic dum per terram & diſtrictum ducis tranſiens ſic adveniret, univerſi civitatis Treverenſis prælati, canonici, clerici, & monachi, necnon ſcabini, & cives ejuſdem urbis una cum ſui monaſterii fratribus eidem occurrentes, honorifice ſuſceperunt, & gaudenter in ſua deduxerunt. Prædictique judices ipſum cum magna ſolemnitate, ſicut in mandatis a ſede apoſtolica acceperant, glorioſe reſtituerunt.

Ablata repetit.

236. His vero omnibus ſic peractis, abbas & fratres prænominati de perditione rerum ſuarum, atque aliorum omnium ornamentorum ſui monaſterii, necnon tabulæ eorum preciosæ non modicum contriſtati, quoniam tamquam exules omnibus rebus ſpiritualibus & temporalibus omnino ſpoliati fuerant reverſi, in omnibus monaſteriis & eccleſiis & conventibus, tam in parochialibus eccleſiis civitatis Treverenſis, quam etiam in aliis monaſteriis & eccleſiis totius dioceſis Treverenſis, in quocumque locorum malefactores ſuos ac rerum ſuarum detentores invenire poterant vel inveſtigare, ipſos per litteras apoſtolicas procurabant excommunicari, & in omnibus locis publice & inceſſanter denuntiari excommunicatos.

Falſas Urbani litteras Henrici electi cura confectas opponit Meiſenburgius.

237. Quod cum ſæpedictus Wilhelmus monachus ejectus cerneret ſe & ſuos a dictis abbate & conventu excommunicationum ſententiis undique fatigari & impugnari, nec aliquo alio modo ſe ac ſibi adhærentes ab hujuſmodi impetitionibus tueri valeret, & ſciens ſe non poſſe in patte aliqua prævalere, idem Wilhelmus quædam inſtrumenta reprobata nec juſta, tamen bullata neſcio qua ſiniſtra ſorte per electum Treverenſem, qui tunc in curia erat, procurata, ſibique tranſmiſſa exhibuit, quorum tenor talis eſt.

Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei « dilecto filio decano eccleſiæ S. Caſtoris in « Confluentia, ſalutem & apoſtolicam bene- « dictionem. «

Sua nobis Wilhelmus abbas monaſterii « S. Mathiæ Treverenſis, ordinis S. Benedicti, « petitione monſtravit quod cum Theodericus « quondam abbas ipſius monaſterii dilapida- « ret bona ejuſdem monaſterii, & homicidio, « incontinentiæ vitio & aliis diverſis crimini- « bus irretitus, & ſuper his infamia publica la- « boraret; dilectus filius Treverenſis electus, « cui de præmiſſis per inquiſitionem ſuper hoc « habitam legitime conſtitit, eumdem Theo- « dericum auctoritate ordinaria ſententialiter « amovit a regimine dicti monaſterii, juſtitia exi- « gente, ac ipſum Wilhelmum tunc S. Maxi- « mini monachum, prout ad eum pertinet præ- « fecit prælibato monaſterio canonice in abba- « tem. Verum prædictus Theodericus falſo « aſſerens quod idem electus ipſum ſine cauſa « rationabili amoverat a regimine dicti mo- « naſterii pro ſuæ libito voluntatis, noſtras ſu- « per hoc ad cantorem & Theobaldum de « Turre canonicum Treverenſem, ſub certa « forma litteras impetravit, nullam de amo- « tionis ſuæ cauſa facientes penitus mentionem. « Iidem vero cantor & canonicus in eum Wil- « helmum non monitum, non citatum, nec « ſe per contumaciam abſentantem, occaſio- « ne hujuſmodi excommunicationis ſententiam « contra juſtitiam promulgavit. Propter quod « præfatus Wilhelmus quam cito id ad ipſius « pervenit notitiam, ad noſtram duxit audien- « tiam appellandum, Quocirca diſcretioni tuæ « per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vo- « catis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde « propoſitis, quod canonicum fuerit, appella- « tione remota, decernas, faciens quod decre- « veris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter ob- « ſervari. Datum apud Urbem-veterem v. idus « Aprilis, pontificatus noſtri anno m. «

Decanus S. Caſtoris cui dirigebantur litteræ, aliter tum S. Maximini erat.

238. Decanus igitur S. Caſtoris in Confluentia prædictus, voluntarius exiſtens & promtus ad exequendum mandatum ſibi directum; erat enim totus pro parte electi Treverenſis, incontinenti fecit citari coram ſe apud Confluentiam ad certam diem Theodericum abbatem S. Mathiæ Treverenſis. Qui cum per procuratores idoneos in die ſibi præfixa comparuiſſet, iidem procuratores ſubtiliter procedentes, petierunt a domino decano ut copiam commiſſionis ſibi directæ, ſub ſigillo ſuo ipſis daret duplicatam. Decanus vero nihil mali ſuſpicans ex hoc poſſe provenire, copiam duplicatam, ſecundum quod petierant, ſigillo ſuo ſigillatam eiſdem aſſignavit. Revertentes igitur procuratores,

Procuratores abbatis illorum cenſuram exercent in decano contra Romam mittunt.

dicto Theoderico abbati copiam commissionis dicti decani S. Castoris duplicatam suoque sigillatam sigillo, secundum quod ipsis injunxerat, assignarunt. At ipse abbas magno gaudio repletus, unum par commissionis ejusdem per celerem nuntium & expeditum incontinenti ad sedem Romanam velociter transmisit, aliud par commissionis penes se reservans. Cum autem ad aliam diem sibi a decano dicto Confluentiæ assignatam dictus Theodericus abbas iterato per procuratores idoneos compareret, multisque rationibus hinc inde propositis, tandem cum viderent dictum decanum sibi in omnibus esse adversarium, partemque adversam fovere manifeste, ipsum recusaverunt tamquam suspectum, petentes arbitros sibi dari, coram quibus causæ suspicionum propositæ & proponendæ possent probari. Qui cum nulla ratione vellet admittere, sed in negotio sibi commisso omnibus modis vellet procedere, procuratores abbatis S. Mathiæ prædicti, habito consilio cum advocatis quos secum ibidem habebant, appellationem formaverunt, eamque coram dicto decano legerunt & publicaverunt. Cujus tenor talis est.

Ipsumque ut judicem recusarunt.

Denique appellant ad sedem apostolicam.

» Cum ego CONRADUS procurator domini » Theoderici abbatis monasterii S. Eucharii » Treverensis, nomine ipsius domini abbatis, » vos decanum S. Castoris in Confluentia, qui » vos esse dicitis judicem a sede apostolica de» legatum in causa appellationis, quam Wil» helmus de *Meyssenburch* monachus S. Maxi» mini Treverensis, qui se dicit abbatem S. » Mathiæ Treverensis, prosequi intendit co» ram vobis, contra dictum dominum Theo» dericum abbatem, occasione abbatiæ mona» sterii S. Mathiæ, recusem & recusaverim, » suspectum ex causis legitimis, videlicet istis.

» Primo quia estis fautor domini Henrici » electi Treverensis, qui electus auctoritate » ordinaria processit contra dominum Theo» dericum abbatem S. Eucharii Treverensis.

» Secundo quia estis consiliarius dicti domini » electi.

» Tertio quia de vestro consilio dictus ele» ctus processit contra dictum dominum Theo» dericum abbatem.

» Quarto quia vos fuistis dictator sententiæ, » qua procedebatur contra dictum Theoderi» cum dominum abbatem.

» Quinto quia vos fuistis recitator ipsius sen» tentiæ dictatæ contra dictum dominum Theo» dericum abbatem.

» Sexto quia vos subjectus & subditus estis » dicto domino electo,

» Septimo quia in nos spiritalem & tempo» ralem dictus electus habet in omnibus ple» nam jurisdictionem, de cujus facto agitur.

» Octavo quia vos fuistis & estis principalis » fautor Wilhelmi monachi S. Maximini Tre» verensis, qui ad vos litteram impetravit.

» Nono quia ex parte curiæ Treverensis, cui A præfuistis & præstis, invitati fuerunt prior & conventus monasterii S. Eucharii Treverensis, ut dicto Wilhelmo monacho intenderent & obedirent. «

Decimo quia expresse vos gessistis pro parte dicti Wilhelmi monachi. «

Undecimo quia publice defensiones pro dicto Wilhelmo monacho proposuistis, & petam & petierim cum magna instantia ipsas causas suspicionis a vobis admitti, & arbitros supra dictis suspicionibus probandis mihi dari. Et quia post dictas recusationum causas coram vobis propositas nec admissas, B arbitros coram quibus hujusmodi recusationes propositæ probarentur dare recusastis, ideo ego Conradus dicti domini Theoderici abbatis * sentiens dictum Theodericum abbatem ex hoc a vobis indebite gravari, nomine ipsius & pro eo, sub testimonio omnium astantium & præsentium, in scriptis sedem apostolicam appello. Facta est hæc appellatio in choro S. Castoris in Confluentia post completorium, anno domini MCCLXIV. sabbato ante octavam beatorum Petri & Pauli apostolorum, præsentibus multis venerabilibus viris quorum nomina hic inferere C non fuit necesse. « «

*f. Suppl. procurator.

239. Decanus igitur S. Castoris prædictus non deferens appellationi procuratorum dicti Theoderici abbatis coram eo factæ, sed in sua malitia perseverans, omnibus modis proposuit in negotio procedere supradicto, sicut & fecit. Missis igitur litteris suis, omnes quos judices sive executores dicti Theoderici abbatis excommunicaverant, absolvit, totumque processum in eosdem judices habitum revocavit. E contra judices sive executores dicti Theoderici abbatis prædictos D malefactores in pristinam sententiam retradentes, iterato denuntiari fecerunt excommunicatos, factusque est novissimus error pejor priore, amicis dicti electi & Wilhelmi eorumque fautoribus dicentibus, totum processum dicti Theoderici abbatis litteris apostolicis habitum nullum esse, omnesque litteras a dicto Theoderico abbate a sede apostolica obtentas esse falsas, ac numquam eas de conscientia emanasse domini papæ, & curiæ; sed eas in quadam curte dicti abbatis factas fuisse ac fabricatas. E contra amici E præfati Theoderici abbatis, Theodericum suamque partem foventes, dicebant litteras Wilhelmi ad decanum S. Castoris obtentas, esse falsas, nec umquam eas de conscientia papæ emanasse. Factus est error magnus in clero & in populo, ignorantes & dubitantes cujus mandatis securius possent obedire. Decanus autem S. Castoris prædictus, videns & considerans errorem & confusionem in clero & populo occasione sententiarum ex utraque parte hinc inde indiscrete discurrentium factam, scienſque litteras Wilhelmi per quas procedebat esse falsas, quamvis prop-

Decanus S. Castoris nullam habet rationem appellationis factæ.

At litteris falsis plane diffisus vices suas alteri committit.

ter timorem electi non auderet dimittere quin procederet per eas, timensque sibi a curia Romana periculum imminere, si in prosecutione ipsius causæ perseveraret, commisit vices suas cuidam Wilhelmo canonico S. Gereonis in Colonia, parte adversa minime requisita.

Inquiri jubet Urbanus in falsi crimen.

240. Inter hæc, dum sententiæ excommunicationum hinc inde fulminarentur, ecce nuntius ille, quem, ut superius diximus, dictus Theodericus abbas sancti Mathiæ cum transcripto litteræ Wilhelmi monachi, sigillo ipsius decani S. Castoris sigillato, ad curiam Romanam transmiserat, rediens venit de curia, deferens secum ad* Villarienscm & Gorzienscm abbates litteras apostolicas sub hac forma.

* Fridericum.

„ URBANUS episcopus servus servorum Dei „ dilectis filiis de Villario & de Gorzia Cister„ciensis & S. Benedicti ordinum Metensis dio„cesis abbatibus salutem & apostolicam be„nedictionem. In scripto transcripto litterarum „ quas sub nomine nostro confectas Wilhel„mus monachus S. Maximini, qui fallo se abba„tem monasterii S. Mathiæ Treverensis dice„bat, ad decanum ecclesiæ S. Castoris in Con„fluentia dicitur reportasse, si litteræ ipsæ tran„scripto concordant eidem, eas constat li„quido esse falsas. Transcriptum autem præ„dictum tale est.

„ Urbanus episcopus servus servorum Dei „ dilecto filio decano ecclesiæ S. Castoris &c. „ *ut supra.*

„ Ne igitur falsariorum culpa remaneat im„punita, discretioni vestræ per apostolica „ scripta mandamus, quatenus vos ambo, vel „ alter vestrum per vos vel per alios seu alium „ præfatas litteras vobis facientes exhiberi, de„tentores ad exhibitionem earum, si necesse „ fuerit, per censuram ecclesiasticam appella„tione postposita compellendo, si eas tales in„veneritis quale est transcriptum prædictum, „ easdem nuntietis esse falsas, & revocetis in ir„ritum quidquid est in occasione illarum præ„sumtum, ac fabricatorem earum, & quoslibet quos ipsis scienter usos esse constiterit, „ juxta constitutionem contra falsarios editam, „ appellatione remota castigetis, contradicto„res per censuram ecclesiasticam appellatione „ postposita compescendo, invocato ad hoc „ si necesse fuerit, auxilio brachii secularis. „ Datum apud Urbem-veterem v. cal. Julii „ pontificatus nostri anno tertio.

Citatur Wilhelmus Meisemburgius.

241. Prædicti igitur judices abbas Villariensis & collega suus abbas Gorzienscs, fecerunt citari Wilhelmum de *Meysenburch* monachum S. Maximini: primo, secundo ipso non comparante, nec aliquo procuratore pro eo, tertia vice ipsum citari fecerunt, cujus citationis tenor talis est.

„ Abbas de Villario Cistercienscs ordinis, „ Metensis diocesis, judex seu executor, una „ cum religioso viro abbate Gorzienscs ordinis S. Benedicti ejusdem diocesis, a sede apostolica deputatus STERKO, ISENBARDO, & HERBERTO, canonicis ecclesiæ Treverensis, salutem in Domino. Mandatum domini papæ ad nos & ad dictum abbatem Gorzienscm est directum in hæc verba.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, &c. *ut supra.* Datum apud Urbem-veterem v. cal. Julii pontificatus nostri anno tertio.

Cum igitur prædictus collega noster abbas Gorzienscs auctoritate mandati supradicti Wilhelmum de *Meysenburch* monachum S. Maximini Treverensis prædictum citari fecerit, ut in majori ecclesia Metensi coram eo compareret ad crastinum octavarum S. Laurentii, exhibiturus & traditurus litteras quas dicit apostolicas, per quas citari fecit virum religiosum dominum Theodericum abbatem S. Mathiæ Treverensis coram decano S. Castoris in Confluentia, & postmodum per easdem eumdem Theodericum abbatem citari fecit coram Wilhelmo canonico S. Gereonis in Colonia, subdelegato a dicto decano S. Castoris. Dictam citationem per nostrum collegam factam, cum tunc temporis non fuerimus in provincia Trevirensi, ratam habentes atque gratam, ad dictam diem assignatam personaliter venimus, & in majori ecclesia præsedimus cum MARSILIO canonico S. Salvatoris Metensis, cui præfatus collega noster commiserat vices suas secundum traditam sibi formam, quantum ad dictam diem & ejus continuationem. Idem Wilhelmus dicta die non personaliter comparuit, ut debebat, nec per se nec per alium litteras exhibuit supradictas: verum cum per sumtum seu transcriptum litterarum ipsius Wilhelmi ad decanum S. Castoris prædictum obtentarum, sigillo ipsius decani sigillatum, & per quædam alia documenta exhibita in judicio coram nobis, apparere valeat evidenter cuilibet intuenti, prædictas litteras ejusdem Wilhelmi monachi transcripto litteris apostolicis nobis & collegæ nostro directis inserto, absque ambiguitate qualibet concordare, & sic easdem litteras ipsius Wilhelmi esse subreptitias sive falsas, ac prætextu litterarum ipsarum dictum decanum S. Castoris seu quemcumque subdelegatum ab eo jurisdictionem aliquam non habere. Quare vobis sub pœna excommunicationis, quam tenore præsentium in vos ferimus, si non feceritis quod mandamus, firmiter præcipimus, quatenus dictum Wilhelmum monachum citetis peremtorie, ut in feria quarta post festum beati Bartholomæi apostoli in majori ecclesia Metensi personaliter compareat coram vobis, exhibiturus litteras suas quas dicit apostolicas, & eas nobis traditurus. Intimantes eidem quod, sive venerit sive non, nos dicta die nihilominus in commisso nobis negotio secundum formam nobis traditam procedemus. In executione vero hujus mandati alter alterum non expectet.

Datum

» Datum anno Domini MCCLXIV. feria IV. poſt
» aſſumtionem beatæ Mariæ virginis.

Citatur & canonicus S. Gereonis in Colonia cui vices ſuas committerat S. Caſtoris decanus.

243. Iidem etiam executores ſeu judices Wilhelmo canonico S. Gereonis in Colonia, cui decanus S. Caſtoris in Confluentia commiſerat vices ſuas, direxerunt litteras ſuas ſub hac forma.

» Abbas de Villario Ciſtercienſis ordinis Me-
» tenſis dioceſis judex ſive executor, una cum
» religioſo viro abbate Gorzienſi ordinis S. Be-
» nedicti ejuſdem dioceſis a ſede apoſtolica de-
» putatus, viris diſcretis & honeſtis decano ſcho-
» laſtico & cantori eccleſiæ S. Gereonis in Co-
» lonia, ſalutem in Domino ſempiternam.
» Mandatum domini papæ recepimus in hæc
» verba: URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum
» Dei &c. datum &c. Cum igitur, nobis proce-
» dentibus in dicto negotio ſecundum traditam
» nobis formam, tum per ſumtum exempla-
» tum coram decano S. Caſtoris in Conſluen-
» tia factum in judicio, tum per alia quædam
» documenta in judicio coram nobis exhibita,
» ceu cuilibet intuenti conſtare valeat eviden-
» ter, litteras præfati Wilhelmi apoſtolicas, ut
» aſſerit, concordare tranſcripto in litteris apo-
» ſtolicis nobis directis inſerto, ac per hoc, ſe-
» cundum mandatum nobis directum, juxta
» conſtitutionem contra falſarios editam, præ-
» fatum Wilhelmum, fabricatores earum-
» dem litterarum & omnes eiſdem ſcienter
» utentes incontinenti excommunicare poſ-
» ſemus; mitius tamen in dicto negotio pro-
» cedere cupientes, vobis ſub pœna ſuſpenſio-
» nis & excommunicationis, quam per præſen-
» tes in vos ferimus, ſi non feceritis quod man-
» damus, firmiter præcipimus, quatenus di-
» ctum Wilhelmum veſtrum moneatis canoni-
» cum, ut incontinenti poſt monitionem no-
» ſtram a vobis ſibi factam, ſubdelegationi a de-
» cano S. Caſtoris factæ auctoritate litterarum
» prædictarum ſuperſedeat, & quicquid aucto-
» ritate earumdem eſt præſumtum, quod per
» præſentes, quatenus præſumtum eſt, revoca-
» mus, faciatis per dictum Wilhelmum cano-
» nicum veſtrum revocatum nuntiari, ſi pœ-
» nam conſtitutionis contra falſarios editæ vo-
» luerit evitare. Alioquin diſſimulare non pote-
» rimus quin contra eum & omnes eidem obe-
» dientes ad mandatum litteræ prædictæ tam-
» quam contra falſarios editam procedemus.
» Quid autem ſuper his feceritis, aut quid vo-
» bis dictus Wilhelmus ſuper his reſponderit,
» nobis veſtras litteras patentes reſcribatis,
» Unus alios in executione præſentis mandati
» non expectet. Datum anno Domini MCCLXIV.
» feria quarta proxima poſt aſſumtionem bea-
» tæ Mariæ ſemper virginis.

Mandatum ſibi negotium inter-tenit prædictus canonicus S. Gereonis.

244. Wilhelmus igitur canonicus S. Gereonis prædictus taliter ipſis reſcripſit.

» Wilhelmus canonicus S. Gereonis in Co-
» lonia judex ſubdelegatus a decano S. Caſto-
» ris in Confluentia, judice a ſede apoſtolica de-
» legato in cauſa appellationis quæ auctoritate

A prædicta coram nobis vertitur inter Wil-« helmum & Theodericum, quorum uterque« ſe dicit abbatem S. Mathiæ Trevirenſis, ci-« tato coram nobis Theoderico ad craſtinum« beati Bartholomæi apoſtoli, ad proceden-« dum ſecundum retroacta, prout in citatorio« ſuper hoc confecto continetur, procuratore« dicti Wilhelmi coram nobis comparente, &« petente in dicta cauſa procedi quantum jus« dictaret, quædam litteræ lectæ erant coram« nobis pro parte adverſa, ab abbate de Villario« ordinis Ciſtercienſis, ut dicebatur, emiſſæ,« quarum tenor præſentibus eſt appenſus, per«
B quas ut dicebant venerabiles viri decanus &« cantor eccleſiæ noſtræ S. Gereonis nos mo-« nuerunt, ut ſubdelegationi nobis factæ a deca-« no S. Caſtoris prædicto ſuperſedere debere-« mus. Ad quod pro parte dicti Wilhelmi re-« ſponſum erat, quod tali monitioni non eſſet« aliquatenus deferendum, ſed in cauſa proce-« dendum, eo quod litteræ ad decanum S. Ca-« ſtoris obtentæ pro ipſo Wilhelmo, veræ eſſent« & bonæ, a ſede apoſtolica & Romana curia le-« gitime impetratæ. Quin quod litteræ dictæ per« quas dicta monitio procedebat ad abbates« de Villario & de Gorzia obtentæ, falſæ eſſent,«
C vel ſubreptitiæ, ita quod eis non eſſet paren-« dum ullo modo. Ad quod probandum ut ju-« ris eſſet petivit per ipſius Wilhelmi procura-« torem ſe admitti, & diem partibus cum lit-« teris hinc inde obtentis ad diſcutiendum de« ipſarum veritate apud ſedem apoſtolicam aſ-« ſignari. Nuntius vero dicti Theoderici, ſci-« licet Alexander monachus S. Mathiæ Tre-« verenſis, cujus nullus alius pro Theoderico« compareret procurator vel defenſor, inter-« rogatus a nobis ſi ſibi placeret quod litteræ« prædictæ ad ſedem apoſtolicam mitterentur,« vel ſi aliquid vellet ad præmiſſa reſpondere,«
D dicebat quod ipſe procurator non eſſet, nec« ad hoc nec ad cauſam mandatum aliquod ac-« cepiſſet, petens ut monitioni deferremus ſu-« pradictæ; parte altera inſtanter petente, ut« in cauſa procedere curaremus. Nos autem« auditis hinc inde propoſitis, habito perito-« rum conſilio, negotio & ſubdelegationi ſu-« pradictæ, ne juſtitiam in aliquo offendere vi-« deamur, ſuperſedendum duximus iſta vice,« donec plena deliberatione præhabita, de« juriſperitorum conſilio inſtrui poſſimus« aliud eſſe faciendum. Actum anno Domini« MCCLXIV. feria tertia poſt feſtum beati Bartho-« lomæi apoſtoli, continuata a die præcedenti«
E in eamdem. Et nos decanus & cantor eccleſiæ« S. Gereonis prædicti, mandatum abbatis de« Villario prædicti nobis directum executi, præ-« dicta acta Wilhelmi concanonici noſtri, ſi-« gillo ſuo & noſtris ſigillata, ipſi abbati re-« mittimus pro reſponſo. Actum & datum ut« ſupra. «

245. Cum autem Wilhelmus canonicus S. Gereonis prædictus executoribus taliter re-ſcripſiſſet, ac ipſi delegationi ſuperſederet, nec

ultra per dictas litteras Wilhelmi procederet, pendente citatione qua Wilhelmus monachus S. Maximini citatus fuerat ab executoribus præfatis, iidem executores aliis impediti negotiis, nec ipsi negotio commode intendere valentes, Johanni canonico S. Theobaldi Metensis in totum vices suas commiserunt. Quo præsidente in ecclesia majori Metensi, quarta feria post festum beati Bartholomæi apostoli, ad quam, sicut prædiximus, Wilhelmus monachus S. Maximini Trevirensis fuerat peremtorie citatus, ostensurus & traditurus in judicio litteras suas quas dicebat apostolicas, nemine pro eo prima die comparente, continuata est in diem subsequentem. Alia vero die ipso iterum præsidente, venit quidam, qui dicebat se esse dicti Wilhelmi procuratorem, qui cum aliquas frivolas causas proposuisset, per quas dictum Wilhelmum dominum suum indebitum * gravatum esse dicebat; tandem super his gravaminibus, ad sedem apostolicam appellavit. Et quia ipsa appellatio frivola fuit & vana, propterea non est eam prosecutus, & ubi incœpit, ibi eam dimisit. Sed cum nullus compareret coram judice qui litteras Wilhelmi, ut dicebat, apostolicas pro ipso Wilhelmo ostenderet, aut assignaret, licet idem Wilhelmus eadem die & hora diceretur esse in civitate Metensi, judex sententiando taliter pronuntiavit.

* f. indebite.

Litteræ Wilhelmi condemnantur falsi.

» 246. Nos Johannes canonicus S. Theo-
» baldi Metensis subdelegatus a viro & religio-
» so Friderico abbate Villariensi Cistercien-
» ordinis Metensis diocesis, judice seu execu-
» tore a sede apostolica deputato una cum ab-
» bate Gorzienſi ordinis S. Benedicti ejusdem
» diocesis, qui abbas Villariensis nobis in to-
» tum commisit vices suas. Cum in die assigna-
» ta Wilhelmus de *Meyssenburch* monachus S.
» Maximini Treverensis, ad exhibendum & tra-
» dendum litteras quas dicit apostolicas, ad de-
» canum S. Castoris in Confluentia Treverensis
» diocesis impetratas in causa appellationis,
» quam dicit se interposuisse, a cantore & Theo-
» baldo dicto de Turre canonicis Treverensi-
» bus ad sedem apostolicam, occasione abbatiæ
» monasterii S. Mathiæ Treverensis, contra
» venerabilem virum & religiosum dominum
» Theodericum ejusdem monasterii abbatem,
» dictus Wilhelmus monachus personaliter
» non comparuerit, nec per procuratorem ex-
» hibuerit litteras ad dictum decanum S. Casto-
» ris impetratas, & ex parte dicti domini Theo-
» derici abbatis S. Mathiæ, sicut exhibitum no-
» bis sumtum exemplatum in judicio coram
» decano prædicto, sigillatum sigillo ejusdem
» decani, quod sigillum apparet uniforme, in
» citatione qua mandavit citari dictum domi-
» num Theodericum abbatem, quæ apparent &
» sunt sigillata uno sigillo, una appensione si-
» gilli, & eadem circumscriptione sigilli ejus-
» dem, hoc videlicet sigillum Johannis decani S. Castoris in Confluentia. Et nobis constet per fide dignos, ipsum sigillum cognoscentes, qui nobis super hoc rescripserunt, dictum sigillum esse decani S. Castoris prædicti, & etiam per rescriptionem sacerdotum S. Laurentii, S. Gangulfi, sanctique Michaelis, quibus facta fuit copia litteræ quam dicit Wilhelmus monachus a sede apostolica impetrasse ad dictum decanum S. Castoris in Confluentia. Et ex sumto exemplato modo prædicto, invenerimus litteras quibus præfatus Wilhelmus monachus utitur contra dictum dominum Theodericum abbatem, ad dictum decanum S. Castoris in Confluentia impetratas, tales esse quale est transcriptum insertum litteris apostolicis ad Villarienſem & Gorzienſem abbates directis. Ideo litteras a dicto Wilhelmo monacho ad dictum decanum, quas dicit apostolicas, impetratas, nuntiamus esse falsas, & revocamus in irritum quidquid a dicto decano S. Castoris & a Wilhelmo canonico S. Gereonis in Colonia subdelegato ab eo, est illarum occasione præsumtum & attentatum, ac fabricatorem earum & quoslibet quos ipsis scienter usos esse constiterit, juxta constitutionem contra falsarios editam fore castigandos pronuntiamus. Facta est hæc pronuntiatio in majori ecclesia Metensi, feria quarta post festum beati Bartholomæi apostoli, præsentibus venerabilibus dominis Simone majore præposito Treverensi, item Simone majore decano, Walteroo majore, Wirico archidiaconis, Reynboldo cantore & archidiacono Metensi, Johanne præposito ecclesiæ S. Salvatoris, Gilone cancellario, & aliis quam pluribus canonicis & clericis Treverensibus & Metensibus. Anno Domini MCCLXIV.

In monasterium tandem suum reversus Wilhelmus Meissenburgius.

247. Wilhelmus igitur monachus S. Maximini prædictus, videns & intelligens litteram suam reprobatam, eamque in pleno judicio coram multis fide dignis falsam esse pronuntiatam, considerans etiam & advertens Wilhelmum canonicum S. Gereonis in Colonia, supersedisse subdelegationi sibi a dicto decano S. Castoris factæ, ipsumque in dicto negotio procedere nolle, confusus nec bene sibi conscius quid facere posset, ad suum monasterium S. Maximini de quo venerat, cum aliquem alium locum quo divertere posset ignoraret, reversus est. Sed non sicut de ipso suo monasterio aliquando recesserat, modo reversus est. Cum enim de suo monasterio olim recederet, iturus ad monasterium S. Mathiæ, cum magna pompa abbatum, priorum, clericorum, monachorum S. Maximini, necnon militum ac servorum elevata facie, erecta cervice, electo quoque Treverensi ipsum ducente, ad dictum monasterium S. Mathiæ glorioſe deductus est; modo autem humiliatus & confusus, & a suis omnibus derelictus, solus ad suum monasterium S. Maximini, nemine ipso ducente, ignominioſe re-

verſus eſt. Qui cum pro manifeſta offenſa ab executoribus dicti domini Theoderici abbatis eſſet excommunicatus, & non ſolum in ſuo monaſterio S. Maximini prædicto, ſed & in omnibus parochialibus eccleſiis civitatis & dioceſis Treverenſis eſſet excommunicatus denuntiatus, & propter hoc non auderet ſe immiſcere divinis, abbas ejuſdem monaſterii S. Maximini præbendam ſuam, quia ipſam non deſerviebat, dare & aſſignare denegabat: donec idem abbas, multorum precibus fatigatus, tandem vix a dicto abbate obtinuit præbendam ſuam ſibi dari & adminiſtrari. Idem enim abbas eidem Wilhelmo monacho gravis erat & durus, nec immerito. Nam tempore electionis ejuſdem abbatis S. Maximini, idem Wilhelmus cum tribus monachis ſibi cohærentibus, ſe eidem ſuo abbati oppoſuit, quamvis tunc, ſicut & nunc parum vel nihil profecerit; propter quod quamdiu vixit, ipſum in omnibus perſequebatur. Caveant ergo ſubditi omni diligentia, ne ſe prælatis ſuis quoquomodo opponant, quia rariſſime contingit prælatos ſuccumbere, & ſubditos prævalere.

Theodericus abbas S. Maximinæ opes abbatiæ exercet.

248. Nunc videndum eſt qualiter dicti THEODERICUS abbas & conventus tabulam ſuam pretioſam cum aliis ornamentis & libris ſuis a dicto Wilhelmo monacho & ſuis complicibus delatis fuerint adepti. Præfatus igitur Wilhelmus videns ſe omnimodis ſpe ſua fraudatum, ſeque a dicto electo eſſe illuſum; & quod non propter favorem vel honorem ſuum, ſed propter odium Theoderici abbatis S. Mathiæ ipſum intruſerat in abbatiam ſuam; videns etiam ipſum electum propter citationem ſæpius ſibi factam ad curiam Romanam iter arripuiſſe, & quod ſibi in aliquo ſuccurrere non poſſet vel ſubvenire, quippe qui de ſtatu negotii ſuiipſius nondum bene ſecurus fuit; cogitavit qualiter ipſe cum dicto Theoderico pacem ſuam poſſet habere & cum ipſo reconciliari. Propoſuit ergo in corde ſuo quod tabulam illam pretioſam cum libris & omnibus ornamentis aliis, quæ adhuc habebat repoſita in caſtro Falconis-Petra, numquam reſtitueret, donec pacem ſuam cum dicto Theoderico abbate eſſet adeptus; & quod idem Theodericus abbas redditus annuos ſibi diebus vitæ ſuæ de ſuo monaſterio dare & aſſignare deberet, nomine penſionis, ſicut etiam poſtea petivit; quamvis nihil fuerit conſecutus. Et ſicut dicitur, Homo proponit, Deus diſponit; aliter quam dictus Wilhelmus monachus cogitaverit & propoſuerit evenit. Nam dominus papa domino HENRICO comiti Lucemburgenſi litteras direxit, rogans & mandans ut ad requiſitionem judicum, quibus ſuper hoc miſit litteras ſuas, conſilium & auxilium dictis Theoderico abbati & conventui impenderet opportunum, ſicut & fecit. Tenor autem litteræ papalis eidem comiti directæ, talis eſt.

Litteræ Urbani ad comitem Lucemburgenſem.

« URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, « dilecto filio nobili viro comiti Lucemburgenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

« Quoniam timorem Domini & zelum ad « eccleſiaſticam libertatem menti tuæ infuſos « eſſe didicimus, tibi cum fiducia porrigimus « preces illas quæ beneplacito divino concor- « dant & defenſionem implorant eccleſiaſticæ « libertatis. Sane inter alia quæ mentem no- « ſtram ſauciant, non minimum ipſam exaſpe- « rat horrendus exceſſus ſuperbæ temeritatis « auſu commiſſus contra dilectos filios S. Ma- « thiæ & S. Mariæ ad Martyres Treverenſes « abbates ordinis S. Benedicti, per Henricum ſe « pro electo Treverenſi gerentem, qui in lo- « cum ejuſdem abbatis monaſterii S. Mathiæ « damnabili præſumtione, quemdam intruſiſſe « & ejus conventum exulare compellere dici- « tur, adminiſtrationem dicti monaſterii S. Ma- « riæ, cuidam ejuſdem monaſterii monacho « committendo. Cum itaque ſuper hoc dilectis « filiis abbati S. Martini Glandarienſis Metenſis « dioceſis, & cantori Treverenſi noſtras ſub certa « forma litteras dirigamus, nobilitatem tuam « attente requirimus & rogamus, quatenus pro « noſtra & apoſtolicæ ſedis reverentia, ſuper « hoc ad eorumdem judicum requiſitionem, « opportunum ac debitum auxilium largiaris, « ita quod te mediante, ſuper correctione tan- « ti exceſſus noſtris beneplacitis ſatisfaciat, & « nos tibi propter hoc ſpeciales gratias refera- « mus. Datum apud Urbem-veterem v. idus « Septembris pontificatus noſtri anno tertio. «

Qui mandat tabulam & alia ablata reſtitui.

249. Verum prædictus comes Lucemburgenſis, receptis litteris apoſtolicis prædictis, mandato etiam ſibi ab executoribus prædictis directo diligenter examinato, quamvis dictus Wilhelmus monachus in comitatu & in diſtrictu ipſius comitis multos haberet conſanguineos & amicos; ipſe tamen tamquam verus Chriſtianus volens mandatis apoſtolicis per omnia obedire, miſit incontinenti litteras ſuas domino Falconis-Petræ, mandans ei ſub obtentu gratiæ ſuæ, ut ſi vellet vitare ſubverſionem & devaſtationem totius terræ ſuæ, quod tabulam, libros, ac omnia alia ornamenta ad dictos Theodericum abbatem & conventum ſpectantia, quæ ad eum pervenerant, integraliter & ſine diminutione qualibet eiſdem abbati & conventui redderet & illæſa aſſignaret. Dominus autem Falconis-Petræ recepto primo mandato domini HENRICI comitis, ſperans quod ipſum negotium ſuper hujuſmodi negotio non deberet amodo ſollicitare, nec litteras ſuas ſibi dirigere, prima vice inobediens exiſtens, mandatis ſuis non curavit obedire. Secunda vice miſit unum de ſuis nobilibus, una cum fratribus dicti monaſterii, quos dominus THEODERICUS abbas miſerat ad comitem cum litteris executorum, mandans ei ſerioſe & dure, ut tertio mandato ſuo non expectato ſe finaliter de prædictis abbate & conventu expediret,

tabulam, libros & omnia alia ornamenta quæ in caſtro ſuo prædicto erant, nuntiis ipſorum abbatis & conventus qui ibidem aderant præſentes, integraliter aſſignaret. Dominus vero Falconis-Petræ videns quod nullo modo poſſet effugere manus comitis, nolens etiam pro re aliena totam terram ſuam ſubjicere periculo, tabulam cum omnibus quæ in dicto caſtro erant dictis fratribus, mediante nuntio domini comitis, integraliter & illæſa tradidit & reconſignavit. Sicque dicti fratres tabulam cum libris & omnibus ornamentis de caſtro prædicto deducentes, ad ſuum monaſterium cum magno gaudio ſunt reverſi.

Urbanus papa IV. litteras ſuas in Theoderici abbatis gratiam hactenus memoratas veras eſſe declarat, nec ſubreptitias.

250. Poſt hoc dominus papa intelligens quod quidam detractores de proceſſu dicti domini Theoderici abbatis per abbatem S. Martini Glandarienſis & cantorem Trevirenſem habito dubitarent, dicentes omnes litteras apoſtolicas eiſdem directas eſſe ſubreptitias vel falſas, ac numquam eas de conſcientia papæ emanaſſe. Propter quod volens omne ambiguum removere, Villârienſi & Gorzienſi abbatibus ſuper eodem negotio direxit ſcripta ſua ſub hac forma.

URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis de Villario & de Gorzia Ciſtercienſi & S. Benedicti abbatibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

„ Dilecti filii THEODERICUS abbas & conventus monaſterii S. Mathiæ Trevirenſis ordinis S. Benedicti, tranſmiſſa nobis petitione „ monſtrarunt, quod cum olim dilecti filii fratres Wilhelmus & Rosicus de ordine Minorum, quibus inquiſitionem faciendam ſuper „ diverſis criminibus contra Henricum Trevirenſem electum ſub certa forma commiſeramus per litteras noſtras, eumdem Henricum „ propter hoc ad ſuam præſentiam evocaſſent; „ idem Henricus inquiſitionem ipſam niſus eſt „ multipliciter impedire & contra eumdem abbatem conſanguineum alterius inquiſitorum „ ipſorum, ut per hoc impediret proceſſum inquiſitionis hujuſmodi, vel idem abbas, per „ quem ſuper hujuſmodi criminibus haberi poterat teſtimonium veritatis, ſe ſubtraheret a „ ferendo teſtimonio contra ipſum, aut eum ad „ hoc inhabilem redderet, ad inquiſitionem „ auctoritate propria incœpit procedere, ſuper „ quibuſdam criminibus, ſuper quibus nulla „ idem abbas infamia laborabat; & in eum, „ quamquam idem Henricus pro debitis in quibus Romanæ eccleſiæ tenebatur, foret excommunicationis vinculo innodatus, propter quod alios ligare non poterat, vel contra „ eumdem abbatem ad inquiſitionem procedere, ſeu juriſdictionem aliquam exercere, „ excommunicationis ſententiam promulgavit, in eluſionem mandati apoſtolici & ſcandalum plurimorum.

„ Cumque id ad noſtram audientiam perveniſſet, nos dilectis filiis abbati S. Martini Glandarienſis Metenſis dioceſis, & cantori eccleſiæ Trevirenſis noſtris dedimus litteris in mandatis, ut proceſſum hujuſmodi & ſententiam ipſius Henrici denuntiantes penitus non tenere, ipſum, quod a ſimili ejuſdem abbatis & quorumlibet aliorum ſubditorum eccleſiæ Trevirenſis gravamine omnino deſiſteret, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita coarctarent. Et ſi dictus Henricus propter hoc in abbatiam dicti monaſterii aliquem intruſiſſet, intruſum hujuſmodi amoveret ſine difficultate qualibet, ab eodem dicto Theoderico abbate ad abbatiam ipſam plenarie reſtituto, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo.

Verumetiam cum hujuſmodi mandatum noſtrum ad ipſius Henrici notitiam pervenireſet; idem quadam die ſubmiſit quoſdam ſatellites ſathanæ, qui prætextu orationis monaſterium ipſum ingreſſi fraudulenter, tandem turres in quibus campanæ pendebant, favente cuſtode, proditorie aſcenderunt, ſicque munitionibus ejus captis, dicto quoque abbate extra prædictum monaſterium pro ipſius negotiis tunc agente, monachos ibidem inventos exinde cum lapidibus auſu ſacrilego ejecerunt; ac protinus idem Henricus eoſdem ſatellites ſubſecutus, Wilhelmum monachum monaſterii S. Maximini Trevirenſis ejuſdem ordinis infamem, diſcolum & perverſum, in abbatem dicti monaſterii S. Mathiæ de facto intruſit. Propter quod idem Theodericus abbas una cum monachis ejuſdem monaſterii S. Mathiæ coactus fuit aliquandiu miſerabiliter exulare.

Sane hujuſmodi exceſſibus ad audientiam noſtram perlatis, nos prædictis abbati Glandarienſi & cantori per alias litteras noſtras injunximus, ut ſuper his veritate comperta, dictum Theodericum abbatem S. Mathiæ, quoad omnia reducerent ad eum ſtatum in quo erat, quando dictus Henricus incœpit inquirere contra eum, ipſum & monachos ſupra dictos in poſſeſſionem ejuſdem monaſterii S. Mathiæ ac omnium pertinentiarum ejus quantocius reducendo, prædicto intruſo amoto penitus ab eodem & arctæ cuſtodiæ in dicto monaſterio S. Maximini retrudendo, & quouſque expiaſſet per condignam pœnitentiam tantum crimen, conventus ejuſdem monaſterii ſui conſortio reſtitutus, ultimus in choro & capitulo perpetuo permanſurus, conſtitueretur per eoſdem judices ineligibilis ad adminiſtrationes ordinis cujuſcumque; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellationę poſtpoſita compeſcendo.

Quarum litterarum auctoritate dictus Theodericus abbas ad abbatiam ejuſdem monaſterii S. Mathiæ fuit plenarie reſtitutus, & contra dictum Wilhelmum, juxta formam mandati apoſtolici, ad dictas pœnas dicti judices ſententialiter proceſſerunt, quas ipſe damnabiliter vilipendens, & de prædicto monaſterio S.

» Mathiæ per noctis adjutorium effugiens, li-
» bros ejusdem, ornamenta & res alias secum
» ad castrum Falconis-Petræ sacrilegis manibus
» asportavit, in quo aggressoris more viatori-
» bus insidians, clericos & laicos indifferenter
» satagit deprædari.

» Porro idem Wilhelmus monachus tacito
» de præmissis & falso prætendens, ac menda-
» citer asserens quod Henricus idem super ho-
» micidio, dilapidatione, incontinentia & qui-
» busdam aliis criminibus contra eumdem
» Theodericum inquirens, ipsum, occasione
» hujusmodi criminum, a regimine dicti mo-
» nasterii S. Mathiæ, suadente justitia, duxerat
» amovendum, & ipsum W. eidem monaste-
» rio canonice præfecerat in abbatem; quod-
» que abbas Glandariensis & cantor prædicti,
» seu Theobaldus de Turre canonicus Treve-
» renſis, ipsum Theodericum * justitiam resti-
» tuerant ad abbatiam eamdem, & dictum Wil-
» helmum inde amoverant, in eum excommu-
» nicationis sententia promulgata; propter
» quod idem Wilhelmus ad sedem apostoli-
» cam appellarat super hoc ad decanum ec-
» clesiæ S. Castoris in Confluentia Treverensis
» diocesis, quasdam sub nomine nostro confe-
» ctas reportasse dicitur litteras inter alia conti-
» nentes, ut vocatis qui vocandi essent, & au-
» ditis hinc inde propositis super præmissis,
» quod canonicum foret, appellatione remo-
» ta, statuere procuraret, faciens quod decer-
» neret per censuram ecclesiasticam firmiter
» observari. Quarum litterarum prætextu di-
» ctus decanus peremtorie citasse dicitur di-
» ctum abbatem ad certam diem coram se,
» prout dictaret ratio, super his processurum,
» cordibusque simplicium suggerit idem Wil-
» helmus, quod nos eum ad abbatiam restitui-
» mus supradictam; sicque nonnulli fidem ad-
» hibentes hujusmodi mendaciis, ipsi Wilhel-
» mo propter hoc præstant favorem non modi-
» cum, bona ipsius monasterii S. Mathiæ te-
» mere occupantes.

» Cum igitur non sit verisimile quod nos
» contra hujusmodi litteras ad abbatem Glan-
» darienſem & cantorem prædictos obtentas a
» nobis, quæ de nostra certa conscientia emana-
» runt, aliquas litteras eidem Wilhelmo vel pro
» ipso duxerimus concedendas, propter quod
» litteræ hujusmodi obtentæ, sicut dicitur, ad
» decanum eumdem, creduntur subreptitiæ &
» falsæ. Discretioni vestræ per apostolica scrip-
» ta mandamus, quatenus prædictas & quas-
» cumque alias litteras similes ab eodem Wil-
» helmo super hujusmodi negotio sub nostro
» nomine fabricatas, nobis facientes exhiberi,
» detentores ad exhibitionem earum, si neces-
» se fuerit, per censuram ecclesiasticam appel-
» latione postposita compellendo, easdem no-
» bis transmittere non tardetis, faciatis nihilo-
» minus eumdem Theodericum abbatem in-
» terim pacifica ipsius monasterii & omnium
» pertinentiarum ejusdem possessione gaudere,

* f. secundum.

A contradictores per censuram eamdem appel- «
latione postposita compescendo. Datum «
apud Urbem-veterem, xiv. cal. Julii pontifi- «
catus nostri anno tertio. «

Prædicti igitur executores sive judices, mandatum sibi directum executioni demandantes, ipsam executionem in majori ecclesia Treverensi & in aliis locis ubi expedire videbatur, legi & publicari fecerunt.

Mortuo Urbano Clemens IV. ejus successor resistentiæ finem imponere studet.

251. His igitur omnibus, ut prædictum est, peractis, domino HENRICO electo Treverensi in curia Romana, THEODERICO vero abbate in sua abbatia in monasterio S. Mathiæ, Wilhelmo vero de *Meyſenburch* monacho in suo monasterio S. Maximini existentibus, dominus Urbanus papa sub quo hæc omnia feliciter & prospere tractata sunt & gesta, viam universæ carnis ingressus est. Cui successit in episcopatu Clemens vir magnæ auctoritatis & prudentiæ & in utroque jure, canonico videlicet & civili multum eruditus. Cum igitur negotium Treverense quod tunc per totam curiam celebre habebatur, necdum determinatum invenisset, & illud libentissime expediviſſet, dum processus ipsius electi Treverensis per dominum Urbanum papam prædecessorem suum habitus quæreretur, quædam acta ejusdem processus perdita fuerant, nescio qua sinistra fortuna contingente, quæ nulla ratione poterant inveniri. Intimatum est domino papæ, quod idem processus qui quærebatur apud inquisitores Treverenses duplicatus haberetur, & quod per procurationem abbatis S. Mathiæ Treverensis posset recuperari. Misit ergo incontinenti dominus papa literas suas ad abbatem S. Mathiæ prædictum, mandans ei ut omnibus negotiis postpositis, acta prædicta qualitercumque posset obtinere procuraret, ipsique per celerem nuntium & expeditum ad Romanam curiam transmittere non differret.

At Theodericus ab electi ministris in carcerem traditur cum duobus capellanis.

152. Cum autem idem abbas ad partes Rheni descenderet, consilium habiturus cum quodam magno advocato ibidem existente, qualiter eadem acta ad curiam Romanam transmittere posset, consilio requisito & habito, dum idem abbas ad suum monasterium reverti proponeret, ecce duo fratres dicti de *Paffendorff* * milites ejusdem electi officiati, ipsum abbatem invadentes, cum duobus suis capellanis ceperunt, eumque in castro ecclesiæ Treverensis dicto Thurum deduxerunt, ibique ipsum ferreis compedibus vinctum & oneratum, per tres annos & dimidium & novem dies una cum duobus capellanis suis prædictis continue detinuerunt. Cum autem dicti abbatis captivitas ad notitiam domini papæ perveniſſet, satis turbatus est & commotus, vocansque ad suam præsentiam Trevereniem electum, monuit eum rogans ut pro liberatione dicti abbatis, qui a suis officiatis captus & etiam in castro suo detentus esset, laboraret. Electus vero omnem

* Henricus & Thierardus.

Indignatus summus pontifex solvi eum jubet.

ſe adhibiturum pro ipſius abbatis liberatione diligentiam pollicebatur, ſed non perduxit ad effectum quod promiſit. Sed melius creditur quod idem electus ſemper ſcripſerit officiatis prædictis, ut dictus abbas fortius detineretur, non ut dimitteretur. Intelligens autem dominus papa quod dictus HENRICUS electus nec fideliter nec diligenter laboraverit pro dicti abbatis liberatione, & quod magis de ipſius detentione quam liberatione gauderet, mittens pro eo, inquiſivit ab eo quare pro liberatione abbatis prædicti, ſecundum quod ſibi promiſerat non laboraſſet. Qui ſic reſpondens dixit: Quia officiati mei ex quo non ſum in terra juxta eos, pro litteris meis nihil faciunt, niſi quod placet ipſis; ſed ſi placeret paternitati veſtræ, ut de veſtra licentia ſpeciali liceret mihi intrare fines epiſcopatus, ipſum abbatem cum duobus ſuis ſociis a vinculis abſolutos omni dubio poſtpoſito priſtinæ reſtituerem libertati. Audiens autem papa quod libenter de curia recederet, perjuramentum ei promiſit quod numquam de curia poſſet exire vel recedere, donec abbatem ac duos ſocios prædictos vivos vel mortuos ſibi ad curiam Romanam præſentaret. Sicque dominus electus vivente papa non potuit obtinere ut per aliquod tempus liceret ſibi recedere de Romana curia.

Electum ſibi dantem verba & Urbe excedere cupientem detinet.

253. Interim autem dictus papa in ipſo negotio Treverenſi de die in diem proceſſit, feſtinans ut ipſi negotio finem imponeret ſi poſſet; ſed heu non potuit. Quibuſdam enim cardinalibus partem dicti electi viriliter defendentibus, dictum negotium retardatum eſt; ita quod tempore ipſius domini Clementis non potuit nec debuit ad plenum determinari & expediri. Ad ultimum tamen in ipſo negotio in tantum coram ipſo domino Clemente proceſſum eſt, quod idem dominus papa per diffinitivam ſententiam amovit eum ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium eccleſiæ Treverenſis: tenor autem ejuſdem ſententiæ talis eſt.

Et ſuſpendit ab adminiſtratione.

CLEMENS epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. A via rectitudinis plures ducit in devium, plures à patrum terminis trahit in exterminium effrons malicia prælatorum, qui de ſua præſumentes potentia, dum ſibi peccandi pro libito vendicant libertatem, a ſubditorum animis Dei prorſus timorem abigunt, qui non eſſe timendum exiſtimant, quod à ſuis vident paſtoribus non timeri. Verus ergo vicarius J. C. cui cura debet eſſe de omnibus, cum ſit datus à domino ſuper omnes eccleſias ſpeculator; licet in tanta nequeat multitudine populi Chriſtiani ſingulorum vultus agnoſcere, debet ſaltem diligenter attendere, & fideliter indagare præſidentium famam & vitam, ne cum tandem ad manum venerit *numerantis, ab eodem grex perditus requiratur tanquam gregem ipſe perdiderit, cum ab ejus

* al. nunc rantis.

A cuſtodia furem vel mercenarium non amovit.

Hinc eſt quod felicis memoriæ Urbanus papa predeceſſor noſter, cum ad ejus perveniſſet auditum, quod Henricus Treverenſis electus, pallio non obtento in ſuis litteris archiepiſcopum ſe nominare præſumens, in Rheni flumine theloneum ſive pedagium motu proprio inſtituerat, & hoc ipſo ligatus excommunicationis ſententiâ divina celebrabat officia, immo, quantum erat in ipſo, potius profanabat. Erat inſuper ſimonia, perjurio, ſacrilegio, homicidio & criminibus aliis irretitus, bona Treverenſis eccleſiæ dilapidans & conſumens.

B

Inquiſitionem ſuper præmiſſis omnibus primo venerabilibus fratribus noſtris Wormacienſi & Spirenſi epiſcopis, & dilecto filio abbati de Rodenkirchen Præmonſtratenſis ordinis ſub certa forma commiſit, quorum proceſſus ſibi exhibitos idem prædeceſſor reputans defectivos, idem negotium fratribus Guillelmo & Rorico de ordine fratrum Minorum iterato commiſit; qui licet diu juxta datam ſibi peritiam, magis forte fideliter quam prudenter in negotio laboraſſent; quia tamen juris apices in omnibus non attenderant, nos eorumdem proceſſum nobis exhibitum de fratrum noſtrorum conſilio, juſtitiâ caſſavimus exigente, prædicentes eidem electo tunc in noſtra præſentia conſtituto, quod inquiſitionem contra ipſum ab eodem prædeceſſore commiſſam per nos vel alios, prout viderimus expediens, proſequi volebamus.

C

Cumque poſtmodum ſuper certis articulis ſibi traditis reſpondiſſet, nunc a nobis, nunc ab aliis, quibus hoc interdum commiſimus, requiſitus; à nonnullis eccleſiæ Treverenſis canonicis ſæpe fuimus excitati, ut reſponſiones ipſius diſcuteremus ad plenum, cum per eas, ut firmiter aſſerebant, ab ejuſdem jugo peſtifero dicta poſſet eccleſia liberari. Sane licet id diſtulerimus multo tempore, negotiorum undique confluentium impediti concurſu; reſponſiones tandem colligentes, eaſdem & quaſdam excuſationes ab eodem oblatas, tam ſuper articulis in reſcripto dicti noſtri prædeceſſoris contentis, quam ſuper aliis quæ noſtro tempore poſtmodum emerſerunt, collationem cum fratribus noſtris habuimus diligentem.

D

E

Et quidem ut omiſſo quod ſe non habens pallium archiepiſcopum nominavit, quod licet eſſet erroneum, ſimplicitati vel errori ſcriptoris poterat imputari; à theloneo quod impoſuiſſe dicitur ſumamus initium. Ex confeſſione liquet ipſius quod uno anno illum vendiderat & magnum pretium inde perceperat, quod utique novum eſſe videtur non poteſt ambigi, niſi conceſſione ſeu privilegio principis, aut continuata perceptione à tempore cujus non extat memoria, valeat

Arguitur Treverenſis electus, quod theloneum impoſuerit.

excusari. Quod si novi pedagii fuit impositor, latas dudum contra tales à Romanis pontificibus & annis singulis innovatas sententias non evasit; nec juvare se poterat, ut videtur, litteris bonæ mem. Hugonis S. Sabinæ Presbyteri cardinalis, à quo vel cujus authoritate fuerat absolutus, qui licet sedis apostolicæ pœnitentiarius generalis existeret, & à sententiis posset absolvere generalibus, si aliud non obstaret: ab hac tamen nequivit absolvere, cum super ea facta esset per nostrum prædecessorem, ut diximus, certis personis commissio specialis, per quam etiam mandabat citari ut veniret ad curiam pro meritis recepturus, cum neque generalis legatus in causis commissis alii specialiter, quidquam possit, & regulariter in omni jure generali per specialem deroget ur. Sed nec absolutio fratris Martini pœnitentiarii Minoris eidem utilis videbatur ratione consimili, nonobstante quod ejus littera continebat, se de dicti prædecessoris nostri mandato ab omni eum excommunicationis sententia absolvisse, cum de mandato non constet, & etiamsi constaret hujusmodi generalitas, illam specialem sententiam non includeret, de qua non extitit cogitatum, nisi de speciali commissione prædicta facta fuisset mentio in mandato. Sed nec ad istam sententiam de qua agimus absolutio potest extendi, super qua absolventis intentio minime ferebatur, cum prorsus incredibile, quin etiam detestabile videatur, ut ligatus pro certa pecuniæ quantitate, quam papali debebat cameræ, & à tali sententia absolutus, si prædictam pecuniam certa die non solveret, non in illam solummodo, sed in alias relaberetur sententias, sicut habet series litteræ fratris Martini prædicti. Unde rectus non patitur intellectus, quod de aliis sententiis senserit, quam de illis quæ in eum fortasse pluries, ob dictam pecuniam, quam se solucturum juraverat, prout dicitur, fuerant promulgatæ; ex quo videtur posse concludi ulterius, quod nec ab illis efficaciter extitit absolutus, si de aliis tacuit, cum talis absolutio prodesse nequeat, cum obreptitia sit censenda; quam etiam veritatem intelligens nullatenus exhibere deberet.

Quod vero ad defensionem dicebatur ipsius, latam contra impositores sententiam eum non tangere, cum prædecessor ipsius dictum pedagium recepisset, & sic non iste impositor dici poterat, sed impositoris successor; satis validum & ad ejus defensionem sufficiens aliqui reputabant, cum nec nominis dicatur impositor, quicumque nominat alium suo nomine, sed qui primus imposuit ipsum nomen. Ad quod poterat responderi, quod de factis licitis & illicitis non est dandum judicium uniforme. Quæ enim licite prædecessor obtinuit, quodam jure continuo ad ejus transeunt successorem: unde & una persona in talibus æstimatur. Ubi vero de illicitis agitur, (a) prædecessorem cum successore non unam personam dicimus, sed capita potius singulorum inspicimus qui delinquunt. Et idcirco promissoris, qui vim promisit non facere, jus in alia dicitur quam heredis, nec propriè est (b) continuatio in illicitis; unde vitiosa possessio alteri vel ex altera non accedit. Sanè quotquot primo succedunt novum ponunt (c) pedagium, & cum scelus primum prosequuntur, impositores utique sunt censendi. Nam in Machabeorum historia de pueris legimus Alexandri, quod imposuerunt sibi diademata ipsi, & filii eorumdem post ipsos, quod profecto sic debet intelligi, quod cum in regnis per violentiam occupatis, jus aliquod non haberent, novam singuli committebant injuriam, & ideo sibi singuli diademata imponebant. Hoc enim satis approbat canon antiquus qui episcopis prohibet ex usu etiam gravamen, seu (d) servile officium imponere subditis, evidenter insinuans, quod præcedens usus illicitus prosequentem usum hujusmodi impositorem non prohibet nominari. Civili rursum cautum est sanctione, quod licet executor pro magistri delicto, quem non ipse, sed alius imposuerat, teneatur interdum ignorans; si tamen scit & patitur ipse, adeo ipsum imposuisse videtur, ut secundum communem & celebrem intellectum non quasi pro imposito ab alio teneatur, sed potius à seipso. Si ergo ut dicit, percipiebat novum pedagium prædecessor, successor utique, qui scivit & passus est percipi, imposuisse dicendus est verius, quam impositum percepisse,

[a] [b] [c] [d]

Secundo videbatur idem electus pernicioſe fuisse negligens, cum per sex annos & amplius in pallii, quod instanter petere debuisset, petitione cessante; ex hoc ipso jure juxta sacrorum canonum sanctiones dignitate commissa carere debebat. (e) Qui licet felicis recordationis Alexandri papæ & Urbani temporibus prædecessorum nostrorum, se id per suos petiisse nuncios speciales assereret, addens quod etiam vacante ecclesia idem petierat à collegio cardinalium; confessus est tamen, quod nostro tempore non petierat, quia a fratribus nostris aliquibus ei dictum exterat, ut dicebat, quod contra ipsum inquisitione pendente nullo modo daretur eidem.

Quod pallium petere neglexerit.

[e]

Tertiò videbatur inexcusabilis, quod prout confessus est coram nobis, Philippum quondam Metensem episcopum confirmavit & consecrari mandavit, quem negare non poterat pati intolerabilem in litteratura defectum, cum id esset in partibus illis notorium; nec eum latere poterat, qui decanus Meten-

Quod Philippum episcopum Metensem confirmarit.

(a) *Al. addit.* seu delictis.
(b) *Al.* continuitas.
(c) *Al.* ponentes pedagium, cum scelus proprium prosequuntur.
(d) *Al* servitium imponere.
(e) *Al.* debeat.

sis ecclesiæ fuerat multo tempore, in qua idem Philippus erat canonicus cum eodem. Nec sufficere videbatur ad excusationem ipsius, quod non ipse examinaverat, sed examinandum commiserat personis [a] providis & discretis, cum patenter indigni examinandi non sint, sed à limine potius repellendi. Nec excusat negotiorum instantia quam allegat, cum ipsius defectum tam patulum, quamvis plenarie sibi notum, deprehendere facile, in transcursu etiam potuisset, & aliis in judicio publicare. Quanti similiter reatus existat indignos ecclesiis [b] collegiatis præficere satis indicat generale concilium, dum testatur nihil magis ecclesiis Dei officere; ex quo sequitur nihil superioribus arctius evitandum, nihil in transgressoribus arcius puniendum.

Quod per annos sex & amplius non celebrarit.

Quarto vero reperiebatur culpabilis, quia cum per VI. annos & amplius sacerdos fuerit, nec unam missam, prout habet ejus confessio, celebravit. Quod quam gravis sit culpa, satis indicat generale concilium, quod tam graviter illos arguit ac etiam puniendos ostendit, qui [c] vix celebrant ter vel quater in anno. Et quod dixit ab initio se excusans, quod non celebraverat quia pallium non habuerat, frivolum esse liquet, cum ante receptum pallium, licet quædam pontificalia non debuerit exercere, bene tamen & libere poterat celebrare. Sed non prodest quod addidit quod habebat conscientiam aliquantulum scrupulosam, quia eo peccavit gravius quod sibi salutari remedio non providit.

Quod inhibitum sibi consecrationis officium peregerit.

Quinto constabat per confessionem ipsius quod memorato Urbano prædecessore nostro altare quoddam in Urbe-veteri consecrante, ipse inter alios episcopos assistentes eidem una cum eis consecrationis peregit officium, quod sibi videbatur inhibitum, pallio nondum habito, cum non sit ratio cur cum alio debeat alibi consecrare, qui in sua existens diœcesi vel provincia præsumere talia non deberet.

Quod reus sit perjurii.

Sexto reus perjurii videbatur, quod per publicum instrumentum sigillo roboratum ejusdem, ex eo evidentius apparebat, quod certam quantitatem argenti in transacto jam dudum termino, quibusdam Senensibus mercatoribus solvere debuisset, quibus adeo satisfacere non curavit, quod etiam conquerentibus eisdem coram nobis, contendere quam cedere maluit, cum eis litem in judicio contestatus; sed ad sui deffensionem proposuit quod contractus hujusmodi extitit simulatus, conditionalis etiam, & non purus, facti processum in hunc modum proponens.

Dixit siquidem quod licet dictum contineat instrumentum se fuisse confessum, quod sexcentas marcas receperat à mercatoribus antedictis, nullam prorsus suscepisse, nec spe futura numerationis sibi faciendæ istud confessus fuerat; immo cum alio tractatum habuerat quod a rege Richardo dari sibi XII. millia marcarum argenti efficaciter procuraret, quæ prædecessori suo idem rex dare voluerat; & si hoc, ut prædictum est, ille cum quo tractaverat procuraret, tunc idem electus sexcentas marcas eidem dare debebat per manus mercatorum dictorum, & ideo se dictis mercatoribus obligavit in sexcentis marcis prædictis, quas tamen nec ipsi mercatores dare illi tertio, nec ipse electus mercatoribus tenebatur, donec essent præmissa per illum tertium efficaciter procurata. Verum continetur in instrumento prædicto quod si marcas prædictas in termino præfixo non solveret, nec pallium nec consecrationem peteret, nec reciperet, donec esset dicta quantitas persoluta, & ad omnia supradicta complenda juramento proprio se astrinxit.

Ex iis autem grandis objectio contra eum videbatur insurgere. Nam si quæ asserit non probaverit, cum stare oporteat instrumento, convincitur de perjurio manifesto; si vero probaverit quod proponit, commisisse videtur evidentissime simoniam, quam committi testantur canones, sive detur, sive promittatur vel recipiatur pecunia, ut spirituale quid fiat, sive etiam ut non fiat. Cum igitur iste (d) contraxerit mutuum sub conditione saltem, (e) ut dicit, & donec solvisset, ad non recipiendam consecrationem & pallium non petendum se juramento astrinxerit, censendus est simoniacus ut videtur: nec proderit si dicatur quod defecit conditio, & idcirco contractus habendus est pro infecto. Nam in contractibus conditionalibus, & potest suspendi obligatio, & pure simonia committi sicut in usurariis judicamus. Nam & qui promittit pecuniam si ecclesia sibi daretur (f) & qui stipulatur usuram, (g) si sors soluta sibi non fuerit certa die, reus est criminis, etiamsi conditio non existat. Nec est in casu hujusmodi simonia solius intentionis quæ debetur per (h) præsentiam cum sit hæc intentio non occulta, sed certis pactionibus denudata.

Quod abbatem & monachos S. Mathiæ in castro suo detinuit nec liberavit.

Septimo dicebatur quod excommunicationem incurrerat, quia abbatem sancti Mathiæ & duos ejus monachos sacerdotes in castro ejus captivos nec liberaverat, nec procuraverat liberari: ad quod respondebat se fecisse quod poterat, quia officiali Trevirensi & priori fratrum Prædicatorum ac guardiano fratrum Minorum in Confluentia mandaverat quod monerent eum, qui castrum tenebat, ut eos redderet, alioquin denunciarent excommunicatum eumdem & comminarentur eidem quod feudis quæ à Trevirensi tenet ecclesia privaretur. Ex iis vero suam malitiam satis detegere videbatur. Nec enim fideliter quæ facere debuisset fecit: nam licet habeat

(a) *Al.* probis. (b) *Al.* privilegiatis. (c) *Al.* non. (d) *Al.* receperit. (e) *Al.* ut dictum est. (f) *Al.* & qui promittit. (g) *Al.* si forte non solvat certa die. (h) *Al.* pecuniam.

communis

communis opinio, quod dictus abbas, quem ipse reputat inimicum, captus fuit saltem in favorem ipsius, & ipse electus plus non fecerit; cum tamen excommunicationem exequi per alium potuisset, & excommunicasse & excommunicationis aggravasse sententiam multis modis, non caret scrupulo societatis occultæ tam manifesto facinori desinens obviare.

Iis & aliis quæ ad præsens discuti poterant diligenter inspectis, licet multis præsentibus* videretur, quod nos contra memoratum electum procedere gravius valeremus, quia tamen aliqua de facto proposuit, quæ cum forsitan in aliquo relevarent; ut eo justius, quo & certius in negotio procedamus, ad aliqua infra certum probanda terminum cum admittere proponentes, prout requiret justitia & æquitas suadebit; ne in ipsius manibus Trevirensis ecclesia interim naufragetur, ab officio & beneficio eum suspendimus, summam aliquam taxaturi, quæ eidem ad prosecutionem negotii de redditibus sæpefatæ Trevirensis ecclesiæ ministretur, per eos quibus administrationem ejusdem in temporalibus & spiritualibus committemus, potestatem nobis plenam & integram reservantes. Ex iis de quibus jam liquet contra eumdem electum, nullis aliis probationibus aut processibus expectatis* quando & quoties nobis expedire videbitur, ad alia etiam procedendi graviora in allegationibus Juris, eidem juxta factum de quo constiterit audientiam minimè denegando. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Viterbii XIV. Cal. Januarii (Pontificatus nostri) anno tertio.

250. Electo igitur Treverensi ab administratione ejusdem ecclesiæ Treverensis per sententiam prædictam taliter suspenso, dominus papa eamdem administrationem ecclesiæ Trevirensis viro discreto magistro BERNARDO (a) de Castineto, auditori causarum palatii domini papæ, de consilio fratrum cardinalium commisit, injungens & præcipiens, ut super omnia pro liberatione abbatis S. Mathiæ quantum posset instaret. Qui veniens cum civitatem Treverensem ingredi non auderet, timens ne amici electi Treverensis aliquod malum sibi inferri procurarent, apud *Lucemburch* & apud Yvodium propter securitatem resedit, primo quia citari fecit coram se officialem Treverensem, cui Treverensis electus commiserat jurisdictionem ordinariam, repetensque ab illo sigillum curiæ Treverensis, ipsumque sigillum cuidam canonico Treverensi sua auctoritate commisit. Cum autem idem magister Bernardus super liberatione abbatis S. Mathiæ circa illos fratres de *Paffendorff* qui dictum abbatem detinebant, multum laborasset, nihilque se posse proficere videret, in ipsos ac eorum complices & fautores sententiam excommunicationis promulgavit, eamque per omnes ecclesias, monasteria, & ecclesias parochiales totius civitatis & diœcesis Treverensis fecit publicari. Magister igitur Bernardus quamdiu stetit in partibus istis, mansit in Yvodio & in *Luczemburch*.

254. Cum autem dominus Clemens papa in exordio sui apostolatus omnique tempore quo præfuit ecclesiæ Dei, negotio Treverensi libenter finem imposuisset, nec valeret aliis majoribus negotiis impeditus, raptus est ne malitia immutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animam ipsius. Multa enim proposuerat immutare in ecclesia Treverensi, & in meliorem statum, secundum considerationem animi reformare; sed antequam ad effectum propositum suum perduceret, sicut prædictum est, morte intercedente præventus est. (b) Consummatus ergo in brevi indeterminatum reliquit Treverense negotium. Defuncto itaque papa Clemente GREGORIUS substitutus est, sed non in continenti. Fratribus enim cardinalibus inter se nimium dissidentibus, electio pontificalis retardata est, vacavitque sedes per (c) quatuor annos immediate sequentes.

255. Electus vero Treverensis defuncto papa Clemente gavisus est, festinansque arripuit iter revertendi ad terram suam. Timebat enim quod si alius papa crearetur, immediate ipsum de curia exire prohiberet. Veniens igitur ad partes istas, non audebat intrare fines episcopatus Treverensis, sed in terra nationis suæ, videlicet Finistangis, & monasterium quod in diœcesi Metensi situm est, degens permansit. Videns etiam electus præfatus discordiam fratrum cardinalium super electione summi pontificis de die in diem augmentari, ipsamque electionem nimium prorogari, quippe cum non esset aliqua spes de pontifice futuro, cœpit per interpositas personas quærere omnes vias quas poterat, per quas abbati S. Mathiæ posset reconciliari. Et primo quidem statim in suo adventu procuravit dicti abbatis & sociorum suorum liberationem, & hoc non per ipsum vel per ipsos, sed per alias personas interpositas fecit hoc occulte procurari, ita quod captivitas vel etiam liberatio ipsius abbatis non posset sibi in aliqua parte imputari. Abbate vero & sociis ipsius de squalore carceris qualitercumque liberatis, electus præfatus fratri domini abbatis, qui erat justitiarius illustris viri ducis Lotharingiæ, viro magnæ prudentiæ & in omnibus multum circumspecto, dedit & contulit magnam pecuniæ quantitatem, aliisque

* *Al.* prudentibus.

* *Al.* inspectis.

Bernardus de Castineto Trevirensis ecclesiæ administrator.

[a]

Curas intendit ut Theoderico suum liberet e carcere.

Moritur interea Clemens papa XV.

[b]

[c]

Henricus electus Roma profugit.

Theoderici gratiam ambit.

Abbas carcere solvitur.

(a) Hic Bernardus de Castineto ex diœcesi Magalonensi & villa Montis-Pessulani traxerat originem, fuitque unus ex quatuor auditoribus causarum palatii apostolici, destinatis ad omnes causas audiendas quæ ad Romanam curiam undecumque deferebantur, exceptis causis electionum episcoporum & abbatum, quem Innocentius V. anno 1275. ad cathedram ecclesiæ Albiensis sublimavit, uti olim legimus in archivis ecclesiæ Albiensis. Vide Galliæ Christianæ tom. I. pag. 21.

(b) 29. Nov. an. 1268. (c) Per tres *tantum vacavit*, nec integros annos, electus quippe fuit Gregorius X. Septemb. 1271.

amicis abbatis multa dedit & plurima promiſit, rogans per ſe & ſuos ut ſuper reformatione pacis inter ipſum & abbatem prædictum faciendâ & ordinanda interponerent partes ſuas. Cum autem diverſæ viæ ſuper tractatu pacis hinc indè quærerentur, plurimique dies ab utraque parte in magnis expenſis obſervati eſſent, electo prædicto offerente facturum ſe omnia & ſingula quæ amici ipſius abbatis ſuper reformatione dictæ pacis ſtatuerent & ordinarent; abbas præfatus timens ne poſtquam idem electus pallio obtento gratiam curiæ acquireret, omnia quæ ſibi promiſerat infringeret, ſaniori fretus conſilio propoſuit in corde ſuo præciſe, dixitque conſiliariis utriuſque partis expreſſe, quod nullam pacem faceret hic in terra, niſi ipſa pax facta vel facienda per curiam Romanam ratificaretur & confirmaretur. Electo vero prædicto multum renitente, dictoque abbate aliter conſentire & adquieſcere nolente, tandem ab utraque parte in hoc ipſum voluntarie conſenſerunt.

Electo ſummo pontifice Theodericus ſtatim Romam proficiſcitur.

256. Prædictis igitur IV. annis per quos ſedes pontificalis vacaverat elapſis, tandem circa feſtum purificationis beatæ virginis inſtinctu Spiritus ſancti fratres cardinales concordaverunt & Gregorium decimum eccleſiæ Romanæ epiſcopum præfecerunt. Quod intelligens abbas prædictus gaviſus eſt, ſperans ſe finem optatum negotii ſui habiturum ſicut & habuit. In fine igitur Aprilis immediate ſubſequentis ſæpedictus abbas quamvis propter diuturnam captivitatem qua detentus erat, mulum eſſet in corpore debilitatus, tamen noluit dimittere quin prior veniret ad curiam Romanam, quod tamen dicto electo diſplicuit. Cumque idem abbas ad præſentiam domini papæ perveniſſet, interrogatuſque ab ipſo, modum liberationis ſuæ de carcere & ſociorum ejus, lacrymabiliter per ordinem expoſuiſſet, & quod detentores ſui ipſum ſub certis conditionibus dimiſiſſent; videlicet quod ipſum oportebat procurare eos abſolvi a ſententia excommunicationis quam magiſter Bernardus de Caſtineto adminiſtrator eccleſiæ Treverenſis, auctoritate apoſtolica in ipſos promulgaverat occaſione captivitatis prædictæ, quodque ipſi extorſerant ab eo quamdam pecuniæ quantitatem, condoluit eidem, volenſque ipſius abbatis conſulere indemnitati, litteras ſuas ad abbatem S. Martini Glandarienſis direxit ſub hac forma.

Cauſam ejus ſuſcipit pontifex; & quæ a Bernardo de Caſtineto facta fuerant confirmat.

» Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei
» dilecto filio abbati S. Martini Glandarienſis
» ordinis S. Benedicti Metenſis dioceſis ſalutem
» & apoſtolicam benedictionem.

» Sua nobis dilectus filius THEODERICUS abbas monaſterii S. Mathiæ Treverenſis ordinis
» S. Benedicti conqueſtione monſtravit, quod
» Henricus & Theitardus de *Paffendorff* fratres
» milites & eorum complices laici Treverenſis
» dioceſis, eumdem abbatem, Godefridum,
« Alexandrum & Hugonem preſbyteros monachos ſuos, non ſine violenta injectione manuum in eos, Dei timore poſtpoſito, temere capientes, ipſos per triennium & amplius detinuere captivos. Et licet milites & laici prædicti per dilectum filium magiſtrum Bernardum de Caſtineto capellanum noſtrum, tunc in partibus illis apoſtolicæ ſedis nuntium, ejuſdem ſedis auctoritate moniti fuerint diligenter, ut abbatem & monachos nominatos reſtituerent libertati, ac per ipſum eadem auctoritate vinculo excommunicationis aſtricti, pro eo quod monitioni hujuſmodi non parebant, cum hujuſmodi eorum exceſſus adeo fuerit notorius, quod nulla poterat ter giverſatione celari, ipſi tamen hujuſmodi & eam, qua ſacri canones tales aſtringunt, excommunicationis ſententias damnabiliter contemnentes, ipſos tandiu detinuerunt ra liter captivos, donec coactus extitit idem ab bas eis exſolvere quamdam non modicam pecuniæ quantitatem, & fidejuſſoriam cautionem præſtare, quod ipſos abſolvi faceret a ſententiis ſuprадictis. Sicque dictis abbate & monachis a captivitate hujuſmodi liberatis, Conradus plebanus eccleſiæ S. Mariæ in Confluentia Treverenſis dioceſis, de mandato dicti nuntii, ſe ſuper hoc ab eadem ſede poteſtatem habere dicentis, milites ipſos, nullâ paſſis injuriam ſatisfactione impenſâ, a dictis ſententiis, juxta eccleſiæ formam abſolvit. Quare dictus abbas, qui occaſione captivitatis & detentionis hujuſmodi damna gravia & expenſas ſe aſſerit incurriſſe, nobis humiliter ſupplicavit, ut providere ſibi in hac parte paterna ſollicitudine curaremus. Quocirca diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi tibi de hujuſmodi manuum injectione, captione & detentione conſtiterit, dictos ſacrilegos, niſi per te moniti, ſuper injectione, captione & detentione hujuſmodi ſatisfecerint competenter, in priſtinas reducas ſententias, & tamdiu, appellatione remota, excommunicatos publice nunties, & facias ab omnibus arctius evitari, donec ſuper his ſatisfecerint competenter, & cum tuarum teſtimonio litterarum ad ſedem venerint apoſtolicam abſolvendi. Ipſos quoque, ſi alia præmiſſa inveneris eſſe vera, quod præfatam pecuniam eidem abbati reſtituant, & de præteritis damnis & expenſis ſatisfaciant ut tenentur, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota prævia ratione compellas, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere. Datum apud Urbem-veterem nonas Auguſti, pontificatus noſtri anno primo. »

Electus hortatu amicorum ejus ad Romanam curiam pergit.

257. Adhuc autem electus Treverenſis nondum venerat ad curiam, nec venire voluit, timens quod abbas prædictus, quem in

tantum per ſe & ſuos læſerat, malum ſuum intenderet procurare apud dominum papam & cardinales; donec duo cardinales, qui erant ſui promotores, & alii clerici ſui, qui erant in curia, patentibus litteris ſuis ſcripſerunt eidem, mandantes ut ſecure veniret ad curiam, quia abbatem non haberet adverſarium, ſed promotorem. Receptis igitur litteris prædictis electus Treverenſis, aliiſque interſignis, quæ ſibi promotores ſui miſerant, confortatus eſt & animatus, arripuitque iter veniendi tunc demum ad curiam Romanam, & circa feſtum aſſumtionis beatæ MARIÆ Virginis apud Urbem-veterem, ubi tunc fuit curia, ſanus & incolumis pervenit. Convenientes igitur promotores & procuratores partis utriuſque, tractabant de die in diem de bono pacis & concordiæ, diverſiſque tractatibus hinc inde habitis, tandem de conſenſu amborum videlicet domini Henrici electi & Theoderici abbatis S. Matthiæ Treverenſis, procuratorum ipſorum, in viros venerabiles dominum WILHELMUM tituli ſancti Marci preſbyterum, & dominum OTTOBONUM tituli S. Adriani diaconum cardinalem de alto & baſſo extitit compromiſſum. Qui cardinales dictum compromiſſum in ſe recipientes, deliberatione diligenti præhabita, diemque partibus aſſignantes, tandem in die beati Mathiæ apoſtoli pacem inter ſe factam & ordinatam in ſcriptis protulerunt, eamque in tali modo pronuntiaverunt.

Ac tandem Theoderico abbati concilium.

„ In nomine Domini amen. Illarum corda „ pacifica perſonarum quæ veritatis rectitudi„ nem ſapiunt & doctrinæ Chriſti docentis pa„ cem erogandam hominibus diſplicia, licet „ aliquando humani generis inimico ſuperſe„ minante zizaniam odii fomite lacerentur, „ proceſſu tamen temporis, malignitatis expul„ ſa caligine ſummæ, per quam boni totius ſuc„ creſcit commoditas, illuſtrantur, ſicque fit „ ut jurgiorum diſpendioſa prolixitas debitæ „ brevitatis moderamine refrenetur. Porro ve„ nerabilis in Chriſto pater HENRICUS Dei gra„ tia Treverenſis electus, & religioſus vir „ THEODERICUS abbas monaſterii S. Mathiæ „ Treverenſis, ac fratrer ALEXANDER mona„ chus ejuſdem monaſterii attendentes, quod „ ex diſſenſionis materia ſuborta dudum inter „ ipſum electum ex una parte, & prædictos ab„ batem & conventum ex altera, de quibus „ idem frater Alexander componendi & com„ promittendi ſpeciale mandatum habebat, „ nonniſi turbationes & rancores & ſcandala „ oriuntur; advertentes etiam quod ex bono „ pacis poteſt utrique parti utilitas provenire; „ in nos miſeratione divina GUILELMUM titu„ li S. Marci preſbyterum & OTTOBONUM S. „ Adriani diaconum cardinales, de omnibus „ litibus, quæſtionibus, diſcordiis & querelis, „ injuriis, damnis, gravaminibus & expenſis, „ quæ ſunt & fuerunt ac eſſe potuerunt aliquatenus inter ipſos uſque in hodiernum diem,

A tamquam in arbitros arbitratores, amicabiles compoſitores, ordinatores, laudatores, & diffinitores alte & baſſe compromittere curaverunt. Conceſſa nobis a ipſis partibus plenarie poteſtate de & ſuper prædictis litibus, quæſtionibus & diſcordiis, controverſiis & querelis, injuriis, damnis, gravaminibus & expenſis laudandi, arbitrandi, componendi & ordinandi, diſponendi, declarandi, decernendi, pronuntiandi, diffiniendi & ſententiandi partibus præſentibus vel abſentibus, vel una earum abſente vel altera præſente, eis citatis vel non citatis, diebus feriatis vel non feriatis, eis quoque ſcientibus vel ignorantibus, ordine juris ſervato, alte & baſſe, qualitercumque, quomodocumque, ubicumque vel quandocumque nobis placeret, & expediens videretur, prout in compromiſſo inde confecto plenius continetur.

Nos itaque in nos hujuſmodi compromiſſo ſuſcepto, deliberatione habita diligenti, auditis etiam & intellectis omnibus quæ ſuper prædictis litibus, quæſtionibus, controverſiis, diſcordiis & querelis, damnis, gravaminibus, injuriis, & expenſis, partes prædictæ dicere & oſtendere voluerunt, & utriuſque partis diligenter inveſtigata & cognita voluntate, eiſque præſentibus coram vobis & hujuſmodi noſtrum laudum, arbitrium, compromiſſum, ordinationem, mandatum, compoſitionem, diffinitionem, decretum & ſententiam acceptantibus, approbantibus, & eis conſentientibus. Renuntiantibus etiam in præſcriptis omnibus & ſingulis, omni juris & legum auxilio canonici & civilis, necnon exceptioni doli & facti fori & clericali privilegio, conſtitutioni de duabus diætis editæ in concilio generali, omnibus etiam indulgentiis & privilegiis, inſtrumentis & ſcripturis publicis & privatis, litteris quoque apoſtolicis impetratis vel impetrandis, & omni alii exceptioni, actioni, defenſioni & rei quæ objici poſſet contra hæc omnia vel aliquod eorumdem pro bono pacis & concordiæ partium prædictarum, laudamus, arbitramur, componimus, dicimus, pronuntiamus, mandamus, decernimus, & hac arbitrali ſententia diffinimus, quod præmiſſo utrinque mutuo pacis oſculo, in ſignum ſolidæ amicitiæ inter ipſas partes omni tempore conſervandæ, rancores, inimicitiæ, injuriæ & offenſæ, qui & quæ fuerunt hactenus inter ipſos, remittantur hinc inde, nullo umquam tempore ſuſcitandæ, & altera partium alteram *in ſuis agendis bona fide pro poſſe juvabit*, prout ſecundum Deum honeſtati eorum & utilitati eccleſiæ Treverenſis & monaſterii ſupradicti viderint expedire. Et ſi altera partium de altera aliquod ſiniſtrum vel grande malum & notabile aliquando perciperet, ei per aliquem aut aliquos procurandum, illud quam cito poterit revelabit & bona fide impediat juxta poſſe.

» Idemque electus eosdem abbatem & con-
» ventum occasione aliquarum litterarum à se-
» de apostolica vel legato ipsius impetratarum
» vel in posterum impetrandarum, super sub-
» ventione sive subsidio ei faciendo per se vel
» per alium nullatenus molestabit, nec ipsarum
» occasione aliquem per se vel per alium aut
» alios directe vel indirecte exiget vel exigi fa-
» ciet ab eisdem, & quod pro bono pacis &
» concordiæ occasione, damnorum, expensa-
» rum, & interesse quæ & quas iidem abbas &
» procurator se & dictum monasterium fecisse
» & habuisse & incurrisse dicebant, mille libras
» Trevirenses idem electus eisdem abbati &
» suo procuratori conventus & monasterii præ-
» dictorum nomine stipulantibus & promissio-
» nem recipientibus, solvere tenebitur. Qua-
» rum sexcentæ libræ infra tres menses, post-
» quam ipse electus proximo intraverit civita-
» tem Trevirensem, & ad administrationem
» Trevirensis ecclesiæ restitutus fuerit; residuum
» vero ab illo tempore in annum continue
» numerandum, nisi de ipsius abbatis sponta-
» nea voluntate terminus utriusque vel alte-
» riusque solutionis prorogatus fuerit, persol-
» vantur. Ad quas mille libras sic solvendas,
» dictum electum eisdem abbati & procura-
» tori dicti conventus nomine hac arbitrali
» sententia condemnamus.

» Idemque abbas eidem electo obedien-
» tiam & reverentiam, tamquam patri & do-
» mino ac prælato suo exhibeat & fidelitatem
» observet. Utramque partem ab omnibus li-
» tibus, quæstionibus, discordiis, controver-
» siis, & querelis, injuriis, damnis, gravamini-
» bus & expensis, quæ sunt & fuerunt, ac esse
» potuerunt, quibuscumque modis vel occa-
» sionibus inter ipsos usque in hodiernum diem
» per eamdem sententiam absolventes, super
» ipsis utrique parti perpetuum silentium du-
» ximus imponendum.

» Mandantes nihilominus & injungentes
» eidem abbati quod omnibus litteris aposto-
» licis & aliis instrumentis, actis & munimen-
» tis & processibus habitis per easdem contra
» electum præfatum omnino renuntiet. Quibus
» omnibus idem abbas incontinenti renuntia-
» vit expresse. Quæ omnia & singula suprædicta
» secundum formam & obligationem in com-
» promisso contentas, & sub pœna ibidem ex-
» pressa, quam partem non servantem hujus-
» modi nostrum laudum, arbitrium, ordina-
» tionem, sententiam vel mandatum, totiens
» incurrere volumus & ab eo exigi posse cum
» effectu parti servanti solvendam, quotiens
» contra prædicta seu aliqd eorumdem ven-
» tum vel actum fuerit, seu aliquid attentatum
» arbitrando, laudando, componendo, decla-
» rando, disponendo, ordinando, senten-
» tiando, & diffiniendo dicimus, præcipimus,
» decernimus, mandamus & volumus per
» utramque partem inviolabiter observari. Quæ

(a) Vide infra Gregorii litteras, quibus latam adversus Hen-

quidem omnia & singula iidem electus, abbas & procurator, prout in compromisso & superius exprimitur, se omni tempore firmiter & inviolabiter observaturos in nostra præsentia juraverunt. In cujus rei testimonium prædicta omnia per Wilhelmum infra scriptum notarium scribi & publicari fecimus, & ad majorem certitudinem sigillorum nostrorum munimine roborari. Lata & pronuntiata sunt hæc apud Urbem-veterem in camera præfati domini Guillelmi cardinalis, sub anno Domini MCCLXXII. indict. XV. pontificatus domini Gregorii papæ decimi anno primo mensis Septembris XXI. die Mercurii, præsentibus dominis Boëmundo primicerio, Henrico circatore & Henrico dicto *Mucchet* canonico Metensi, & Guillermo de *Heyengen* clerico testibus ad hoc vocatis specialiter & rogatis. Et ego Guillelmus dictus Nepos de Ipra sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ publicus auctoritate notarius, prædictis omnibus interfui, & ut supra legitur, de mandato dictorum dominorum cardinalium scripsi & in hanc publicam formam redegi, ac meo solito signo signavi.

Henricus pallio acceptio reverenter & abbatem suis.

258. Cum igitur prædicti dominus electus & abbas per dictos dominos cardinales, sicut prædictum est, fuissent reconciliati; idem electus per eosdem cardinales ac alios suos promotores quos habebat in curia, gratiam ejusdem curiæ adeptus, *(a)* pallium suum quo jam diu caruerat, sibi dari obtinuit, ac non post multos dies, cum ipso pallio suo ad terram suam archiepiscopus est reversus. Abbas etiam cum suis in die beati Remigii de curia receffit. Cum autem veniffet apud Cremonam, & inveniffet ibi in hospitio Theutonicos & Gallicos, qui etiam repatriare volebant, adjunxit se illis. Die autem altera, videlicet in die beati Dionysii, cum essent in itinere non longe ab ipsa civitate, prædones subito irruerunt in eos, & alios quidem ex eis ceperunt, alios totaliter spoliaverunt, alios autem lethaliter vulneraverunt. Abbas & sui, gratia Dei eos protegente, salvis rebus evaserunt; quamvis Alexander dicti abbatis capellanus, per lanceam graviter fuerit vulneratus, ita quod nullus voluit credere quod mortem posset evadere, & tamen per auxilium Domini ad suum monasterium cum eodem vulnere pervenit, quamvis multos labores & dolores de ipso vulnere sustinuerit in via, & tamen usque ad festum nativitatis Domini vix potuit de ipso vulnere curari. Venientes itaque Treverim dominus Henricus Trevirorum archiepiscopus & abbas, divina gratia ordinante, ita factum est ut multo meliores essent amici, quam antea fuerant inimici. (4)

Abbas vero in præfinitum manus labitur.

259. Sciendum præterea quod omnes qui fuerunt in monasterio S. Mathiæ eo tempore quo Wilhelmus *de Meyfenbourch* fuerat in mo-

Electi & Meyfenburgii fautores in perfecu-

rtium sententiam, & superius editam revocat.

tione abbatis Theoderici à Deo omnes vindicantur.

nasterio prædicto, milites & servi, mala morte interierunt. Alii occisi, alii subitanea morte mortui, alii cæci effecti, sicut omnes vidimus de quodam milite de Ponte, qui vocabatur Johannes Lupus, qui statim post ejectionem Wilhelmi de monasterio S. Mathiæ cæcus effectus est, & apertis oculis nihil vidit, & sic usque ad mortem cæcus permansit. Item Johannes miles de Novo castro dictus *Slep*, nescio qua rabie temeritatis inflatus, de mandato Henrici Treverensis ac Arnoldi præpositi S. Paulini, qui cum exercitu præpotenti duas villas monasterii beati Mathiæ videlicet *Menniche* & *Krittenache* dictas vi occupabant, propria manu duas curtes scilicet *Esch* & *Kulkilberch*, ad venerabile monasterium prædictum spectantes, horribili & miserabili incendio devastare temere præsumpsit. Unde propheta: *incenderunt igni sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* Ecce quam enormiter supra sortem justorum extenditur virga peccatoris. Dum vero miles impius, minister sceleris & iniquitatis, servus diaboli, ministrator incendii, Neronis exercens tyrannidem, in possessionibus ecclesiæ sponsæ Christi sic ageret, & super antedicto curtium incendio gloriaretur, illico visu orbatus, à suis complicibus cæcus adducitur, qui dum ad propria remearet, uxorem suam cum duobus filiis suis prædilectis eadem plaga percussos apud Novum castrum invenit. Unde dolor & planctus in eodem castro oriebatur pariter & tumultus. Ipsi vero ictu mœroris & luctu graviter vulnerati, eodem anno miles, uxor, & duo filii vitam terminaverunt in dolore. O Deus ultionum Domine, qui nullum bonum irremuneratum, nullum malum impunitum prætermittis! Wilhelmus etiam de *Meysenburch* habens adhuc aliquam spem a domino Henrico archiepiscopo Trevirensi restitutionis sibi faciendæ ad abbatiam S. Mathiæ prædictam, intelligens Theodericum abbatem cum archiepiscopo esse reconciliatum, sentiensque se sua spe omnimodis esse frustratum, nimium confusus & contristatus, & sicut dicit Salomon: *animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa*, ipse Wilhelmus se sic illusum, propter vehementem tristitiam & cordis amaritudinem, exsiccata sunt ossa illius, sicque in mœrore & luctu complevit dies suos, licet fuerit juvenis & fortis, & appositus est ad fratres suos in cimiterio S. Maximini prædicto. Sciendum etiam quod omnes litteræ apostolicæ, quæ in processu continentur, adhuc habentur in superiori sacrario nostro sub bulla papali.

*Sschedulæ. Quanto zelo Theoderici abbatis causam tractarit Urbanus papa IV.

260. Notum sit omnibus quod inter cetera reputo fore dignum extremæ * cellulæ commendandum, quam benivole summus pontifex vir Christianissimus *Urbanus* papa IV. negotium venerabilis Theoderici abbatis & conventus monasterii S. Mathiæ Treverensis tractabat, non tepide sed plenissime cum favore ad hoc intentus, ut idem negotium felicissimo fine terminaret, ut in epistolis subsequentibus lucidius apparebit. O quam pius Romanæ sedis antistes qui temporibus suis causas pupillorum direxit & judicium pauperum judicavit, ut dicitur in propheta. Sed hæc hactenus, & quod instat agamus.

Revocat gratiam a præcessore suo factam electo Trevirensi.

URBANUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio *Henrico de Bollandia* archidiacono Treverensi, salutem & apostolicam benedictionem. Felicis recordationis *Alexander* papa prædecessor noster, dilecto filio electo Treverensi, conferendi personis idoneis, etiamsi alias beneficiatæ non forent, abbatias, prælaturas, dignitates, personatus, officia & alia ecclesiastica beneficia, quæ in civitate ac diocesi seu provincia Treverensi tanto tempore vacaverant, quod ipsorum collatio erat ad sedem apostolicam, secundum Lateranensis statuta concilii legitime devoluta, concessisse dicitur per suas litteras liberam facultatem. Quarum pretextu idem electus personatus, dignitates, officia & beneficia hujusmodi prout asseritur, conferre præsumit personis minus idoneis & alias beneficiatis, quæ in ecclesiis in quibus personatus, dignitates, officia & beneficia prædicta habentur, vel in illis in quibus prius beneficia obtinebant, nequeunt residere, sicque oporteret aliquas ex prædictis ecclesiis debitis obsequiis defraudari. Nos itaque id tolerare nolentes, & considerantes quod abbatiæ, prioratus, dignitates, personatus, officia & beneficia ad collationem nostram spectantia utilius per nos quam per electum conferri poterunt suprædictum; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus prædicto electo ex parte nostra inhibere procures, ut per hujusmodi litteras, quas penitus revocamus, de cetero procedere non præsumat, eum si necesse fuerit, quod a tali præsumptione desistat, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, ac sententias & processus, si quos vel quas prætextu litterarum ipsarum fieri vel haberi contigerit, decernendo irritos & inanes, non obstante si præfato electo a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit per litteras apostolicas, quæ de indulto hujusmodi plenam & expressam non fecerint mentionem. Datum Viterbii nonas Novembris pontificatus nostri anno primo.

261. URBANUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis prioribus ordinis fratrum Prædicatorum provinciæ Treverensis salutem & apostolicam benedictionem.

Monet Prædicatores ne impediant, sed promoveant pro viribus inquisitionem contra Treveren. electum.

Implacita de actibus quorumdam fratrum vestri ordinis relatio nuper nostrum turbavit auditum, videlicet quod eisdem dare tenentur opem & operam efficacem, ut de vinea Domini, in qua professores ipsius ordinis sunt cultores ab ipso Domino constituti, exstirpentur vitia, & ibidem plantentur virtutes,

» quominus quidam fratres de ordine Mino-
» rum auctoritate apoſtolica contra *Henricum*,
» qui pro electo Treverenſi ſe gerit, ſuper vitio
» ſimoniacæ pravitatis ad inquiſitionem pro-
» cedant, nituntur multipliciter impedire.
» Quod id ſi verum eſt, redundat in divinæ
» majeſtatis offenſam ac injuriam & contem-
» tum apoſtolicæ ſedis, quæ prædictum veſtrum
» ordinem dilatavit plurimum, ac ipſum & per-
» ſonas ejuſdem proſequitur ſpeciali gratia &
» favore. Univerſitatem veſtram rogamus, mo-
» nemus & hortamur attente per apoſtolica vo-
» bis ſcripta diſtricte præcipiendo mandantes,
» quatenus univerſi & ſinguli fratres prædicti
» ordinis veſtri eis ſubjectos, quod deſiſtant ab
» impedimento hujuſmodi, diſtrictione qua
» convenit compellentes, quod inquiſitio hu-
» juſmodi debitum & optatum proſequatur ef-
» fectum, impendatis conſilium ſalutare, pre-
» ces & præceptum noſtrum taliter impleturi,
» quod zelari videamur profectum animarum
» qui ex ea provenire ſperatur, noſque devo-
» tionem veſtram poſſimus exinde merito com-
» mendare. Datum idus Aprilis pontificatus
» noſtri anno ſecundo.

Mandat archidiacono Trevirenſi ut eos adjuvet quibus directa fuerint mandata ſua.

» 262. URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum
» Dei dilecto filio Arnoldo archidiacono Tre-
» verenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem
» Sicut nolumus indigna præcipere, ita cum
» digna præcipimus, ea volumus efficaciter ad-
» impleri. Satis credimus in illis partibus eſſe
» notum, qualiter *Henricus* qui pro Treverenſi
» electo ſe gerit, dilectum filium *Theodericum*
» abbatem monaſterii S. Mathiæ Treverenſis
» ordinis S. Benedicti, non ſine multa temeri-
» tate ab eodem monaſterio amoverit, & alium
» peſtilentem monachum nomine Wilhelmum
» intruſerit in eodem. Cum itaque nos contra
» intruſorem & intruſum hujuſmodi & fauto-
» res eorum diverſa mandata perſonis ſub cer-
» ta forma pro dicto abbate ipſiuſque monaſ-
» terio dirigamus diſcretionem tuam rogamus,
» monemus & hortamur attente, per apoſtoli-
» ca tibi ſcripta præcipiendo mandantes, qua-
» tenus illis ſubditis tuis, quos a nobis vel dele-
» gatis noſtris contigerit ſuper his hujuſmodi
» mandata recipere, ſic favcas, ſic aſſiſtas, quod
» ipſi tuo muniti favore injunctum eis manda-
» tum apoſtolicum in hac parte ſine trepidatio-
» ne aliqua exſequantur; tu quoque id exſequi
» libere ſtudeas, ſi quando tibi auctoritate noſtra
» fuerit demandatum, preces & mandatum
» noſtrum in hac parte taliter impleturus, quod
» odiſſe iniquitatem & diligere juſtitiam com-
» proberis, noſque devotionem tuam proinde
» poſſimus merito commendare. Datum apud
» Urbem-veterem, quinto calendas Octobris,
» pontificatus noſtri anno tertio.

Idem mandatum ad alium archidiaconum.

» URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei di-
» lecto filio Theoderico archidiacono Trevi-
» renſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.
» Sicut nolumus indigna præcipere &c. *ut ſu-*
» *pra.* Datum *ut ſupra.*

A URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei « Item abbatem Glandarienſem.
dilecto filio abbati S. Martini Glandarienſis « Glandarienſem.
Metenſis dioceſis ſalutem & apoſtolicam be- «
nedictionem. «

Sicut nolumus indigna præcipere, ita cum «
digna præcipimus, ea volumus efficaciter ad- «
impleri. Cum igitur HENRICUS qui pro electo «
Trevirenſi ſe gerit dilectum filium THEODE- «
RICUM abbatem monaſterii S. Mathiæ Tre- «
virenſis ordinis S. Benedicti ab eodem mona- «
ſterio non ſine multa temeritate removerit, «
& quemdam alium peſtilentiæ monachum «
nomine Wilhelmum intruſerit in eodem, & «
B nos pro dicto abbate contra intruſorem & in- «
truſum hujuſmodi ac fautores ipſius diverſa «
mandata ſub certa forma diverſis judicibus «
dirigamus; diſcretioni tuæ per apoſtolica «
ſcripta mandamus, quatenus dilectos filios «
Arnoldum & Theodericum archidiaconos «
Treverenſem ex parte noſtra moneas atten- «
tius & inducas, ut ſubditos ſuos non ſolum «
permittant exſequi libere directa eis a nobis «
C mandata vel delegatis noſtris ſuper his aut «
aliis qui monaſterium ſupradictum refor- «
ment; verum etiam ipſis favorabiliter ſuper «
hujus negotii proſecutionem aſſiſtant tan- «
quam juſtitiæ zelatores, eos ad id, ſi neceſſe «
fuerit, per cenſuram eccleſiaſticam appella- «
tione remota compellentes. Datum apud «
Urbem-veterem v. Cal. Octobris pontificatus «
noſtri anno tertio. «

URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum « Item noſtri ducis Lotaringiæ.
Dei dilecto filio nobili viro duci Lotharingiæ « Lotaringiæ.
ſalutem & apoſtolicam benedictionem. «

Quoniam timorem Domini & zelum *ut* «
ſup. Duci Lucemburgenſi *p.* 302. Datum &c. «

URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum « Item ſcabinis & univerſitati Trevirenſi.
Dei dilectis filiis ſcabinis & univerſitati Trevi- « ſitati Trevirenſi.
renſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. «
Quoniam timorem Domini &c. ſane inter «
alia quæ mentem &c. cum itaque &c. univer- «
D ſitate mveſtram attente &c. *ut ſup. pag.* 283. «
Datum apud Urbem veterem v. idus Septem- «
bris, pontificatus noſtri anno tertio. «

URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum « Item ſcabino & juratis Meten.
Dei dilectis filiis magiſtro ſcabino & tredecim « juratis Meten.
juratis Meten. ſalutem & apoſtolicam bene- «
dictionem. Quoniam timorem &c. *ut ſup. pag.* «
287. Datum apud Urbem-veterem v. idus « 287.
Septembris, pontificatus noſtri anno tertio. «

Hic etiam ſubjicere libet ſententiæ in Henricum
latæ revocationem, quam Romæ ex Regiſtro
Marini de Ebulo eruit Mabillonius.

Revocatur ſuſpenſio prædicta.

263. Dilecto filio HENRICO Trevirenſi elec- «
to S. & A. B. Felicis recordationis URBANUS «
papa prædeceſſor noſter perlato ad ipſius au- «
ditum quod tu Trevirenſis electus pallio non «
obtento, te in tuis litteris archiepiſcopum «
nominaras, in Rheni flumine novum peda- «
gium motu proprio inſtitueras, & hoc ipſo «

excommunicationis ligatus ſententia divina celebrabas officia, immo quantum erat in te potius profanabas, ac exiſtens ſimonia, perjurio, ſacrilegio, homicidio & criminibus aliis irretitus, bona Trevirenſis eccleſiæ dilapidabas & etiam conſumebas.

Inquiſitionem ſuper iis primo venerabilibus fratribus noſtris Wormatienſi & bonæ memoriæ Spirenſi epiſcopis, ac dilecto filio abbati de *Rodinkirchen* Præmonſtratenſis ordinis ſub certa forma committens, tandem eorum proceſſus ſibi exhibitos reputans defectivos, negotium hujuſmodi fratribus Guillelmo & Rorico de ordine Minorum iterato commiſit. Et licet illi diu in eodem negotio laborarint; tamen quia juris apices non ſervarunt, fel. rec. CLEMENS Papa prædeceſſor noſter proceſſum per eos habitum de fratrum ſuorum conſilio, juſtitia exigente, caſſavit, & prædicens tibi, tunc in ſua præſentia conſtituto, quod inquiſitionem ab eodem prædeceſſore URBANO commiſſam proſequi per ſe vel per alios intendebat ſub certis articulis ſibi traditis, nunc per ſe, nunc per alios quibus id commiſit, interdum tuas reſponſiones audivit: ex quibus contra te multipliciter invehi videbatur.

Varia accuſationis capita adverſus Rectum.

Et a theloneo, quod impoſuiſſe dicebaris, ſumens initium; ac tibi allegando primo excommunicationem imponens, pro eo quod ratione thelonei à tuo prædeceſſore impoſiti, quod uno anno, ſicut conſtitit ex tua confeſſione, vendideras magno pretio, ex hujuſmodi venditione. Secundo negligentiam quod per ſex annos & amplius in pallii petitione ceſſaras. Tertio te propterea inexcuſabilem arguebat, quod PHILIPPUM quondam Metenſem epiſcopum patientem notorie intolerabilem, ut dicebat, defectum in litteratura, confirmans conſecrari mandaras. Quarto inſuper ex tua confeſſione qua confeſſus fueras, quod nec unam miſſam per totum hujuſmodi ſex annorum ſpatium, quibus tamen ſacerdos exſtiteras, celebraras, te graviter culpabilem reputando. Quinto tibi per eumdem Clementem illud etiam ſimili modo gravem imponebatur ad culpam, quod dicto prædeceſſore Urbano altare apud Urbem-veterem conſecrante, tu inter epiſcopos alios exiſtens, eidem una cum ipſis conſecrationis officium, quod tibi pallio non obtento videbatur inhibitum, peregiſti.

Habet præterea ſexto loco hujuſmodi allegationum adjectio quod tu quibuſdam mercatoribus Senenſibus certam quantitatem pecuniæ ipſis ſub tuo juramento debitam, in præfixo ad hoc termino tunc etiam jam tranſacto adeo non curaſſes ſolvere, quod ſuper hoc coram eodem prædeceſſore Clemente cum ipſis litem etiam conteſtatus, litigare potius quam cedere maluiſti, perjurii eras crimine involutus; & cum in inſtrumento ſuper hujuſmodi quantitate confecto continetur expreſſe quod non ad petendum pallium, donec quantitatem ſolviſſes eamdem, te aſtrinxeras juramento, idem prædeceſſor Clemens ſubinferens hoc non carere vitio ſimoniæ, ac te cenſendum proinde ſimoniacum; arguens, & adjiciens ſeptimo te pro eo quod dilectum filium abbatem S. Mathiæ monaſterii, ac duos ejus monachos ſacerdotes in caſtro tuo captivos nec liberaveras nec procuraveras liberari, excommunicationem aliam incurriſſe.

Licet varias excuſationes pro parte tua ſuper præmiſſis inductas videretur idem multiplici* confutare, quia tamen, ſicut expreſſe continet ſeries hujuſmodi proceſſus ipſius, aliqua propoſuiſti de facto, quæ te in aliquo poterant relevare; ipſe, ut eo juſtius quo & certius in negotio procederet, ad aliqua infra certum probanda terminum admittere te proponens, prout requireret juſtitia & æquitas ſuaderet; & ne interim in tuis manibus, ut ſuis verbis utamur, naufragaretur eccleſia Treverenſis, te ab officio, beneficioque ſuſpendit, ſummam, ſicut in proceſſu hujuſmodi ſuſpenſionis expreſſit, aliquam taxaturus, quæ tibi de redditibus ipſius Treverenſis eccleſiæ deberetur, ad proſecutionem ejuſdem negotii miniſtrari, poteſtate ſibi nihilominus reſervata contra te ad graviora, nullis aliis expectatis probationibus, procedendi, quando & quoties expedire videret, ſicut hæc omnia in litteris prædeceſſoris ipſius ſuper hoc confectis perſpeximus plenius contineri.

ſup. ratione

Sane licet coram eodem prædeceſſore noſtro Clemente pro parte tua reſpondendo diverſimode ad præmiſſa dictum fuiſſet ad primum; te ratione thelonei quod tu non impoſueras, quamquam aliquid de ipſo impoſito à tuo prædeceſſore perceperis, excommunicationis ſententiam, quæ contra imponentes in terris ſuis nova pedagia tantummodo promulgatur, nullatenus incurriſſe, cum in veritate novi pedagii non fueris nec dici poſſis impoſitor; ſed impoſiti ab eodem prædeceſſore tuo potius proſecutor, ſicut nec qui nominat aliquem nomine ſibi ab alio impoſito, nominis impoſitor dicitur, ſed ille ſolum qui a principio impoſuit ipſum nomen: tamen in contrarium fuerat replicatum, te fuiſſe impoſitorem novi pedagii ea poſſe ratione convinci, quia licet in licitis teſtator & hæres perſona una & eadem exiſtimentur; in illicitis tamen inſpiciuntur capita ſingulorum, ita ut alia promittentis vim non facere, alia hæredis ejus violentia cenſeatur; & cum non ſit continuitas in delictis ſicut apparere dicebatur, ex eo quod juſta vel injuſta poſſeſſio non accedit; inferebatur ex iis prædeceſſoris tui delictum, qui teloneum primo impoſuerat, nullum tibi debere ſuffragium excuſationis afferre, quominus tu ex illo aliquid exigendo idem principaliter videbaris commiſiſſe delictum, principalis ſaltem pro tuo tem-

Reſponſio ejus.

pore impoſitor dici poſſes, ſicut & pueri Alexandri, unuſquiſque ſuo loco, ſibi omnes diademata impoſuiſſe leguntur, in quo intelligi dicebat allegans, quod ſinguli regnum per violentiam occuparunt, & per hoc colligi poſſe quod ſucceſſorem prædeceſſoris impoſitio non excuſat, quin & ſibi diadema impoſuiſſe leguntur, ac per conſequens impoſitor dici poſſit; quod quidem ex antiquo canone, qui epiſcopis prohibet ex uſu gravamen ſeu ſervile officium imponere ſubditis, poſſet argui evidenter; cum per hoc idem canon patenter inſinuet, propter præcedentem uſum illicitum & proſecutorem uſus ejuſdem ab impoſitoris nomine nullatenus excuſari. Adjiciebatur etiam, quod ſicut navis exercitor eum quem magiſter navi præpoſuit, fungi magiſterio patiendo ipſum impoſuiſſe videtur, ſic immo multo fortius tu qui dictum teloneum non ſolum paſſus exigi fueras, verum etiam tu ipſe exegeras, illud impoſuiſſe debebas non immerito reputari.

Excuſatur electus de impoſitione thelonei.

Ad quæ videbatur nomine tuo efficaciter reſponderi & dici poſſe ad primum, quod licet verum ſit, quod in delictis a pluribus ſive ſimul & eodem tempore, ſive ſucceſſive ac in temporum diverſitate commiſſis, cum delinquant ſinguli, ſingulorum capita ſunt ſpectanda, nec unus alterum excuſet, aut relevet quominus ſit quilibet puniendus; propterea ſequitur quod delictum incipiens & poſtmodum etiam ſcienter proſequens ſemper ad pœnam teneatur eamdem, ut eſt videre in illis, quorum alter raptam, ſciens delictum raptoris ſervavit. Quamquam enim non diſſimile ſit rapere, & raptam ſcientem delictum raptoris ſervare: pœna tamen eſt diſſimilis utriuſque ſaltem in amiſſione bonorum, quibus privatur rapiens, ſed non ſervans. Similiter & in caſu de quo agitur licet in obſervando ſcienter teloneum a tuo prædeceſſore impoſitum forſan delinquere dici poſſes, non tamen propterea ſententiam, quæ impoſitionem thelonei tanquam principium delicti proſequitur incurriſti. Cujus rei ratio ex illo textu legis aperte colligitur, in quo expreſſe cavetur, quod juſtius eſt eum qui princeps fuerit delicti teneri, quam eum quæri ad quem fuerint res ex delicto prolatæ.

Sic itaque dici rationabiliter poteſt, quod lata contra impoſitorem tanquam delicti principem excommunicationis ſententia te, ad quem ex impoſito pervenit aliquid, non involvit; nec quod dicitur, quod non eſt in delictis continuitas iis obſiſtit. Non enim ex impoſitione ſeu delicto tui prædeceſſoris, continuitas ſeu delictum continuandi licentia, vel juris alicujus acceſſio quæritur, ſed ſolum impoſitionis novi thelonei, contra quam ſolam fertur eadem ſententia, impoſtura repellitur, & ipſius ſententiæ oppoſitio confutatur.

Sed nec confutationi hujuſmodi contradicit quod allegatur de pueris Alexandri, ſiquidem illud ſecundum viam juris neceſſario ſuum recipit intellectum, ut per hoc, ſicut inducebat allegans, exprimi ſingulorum violentiæ videntur. Nam ſi aliquis rei poſſeſſorem immobilis, puta fundi, de illius poſſeſſione violenter ejecit, hæres violenti pacifice illam adeptus, licet rem violentiæ affectam vitio ipſam non ſit dubio poſſidere violentam: tamen dici proprie non poteſt ſe violentiam commiſiſſe. Unde ad id quod pervenit ad ipſum non interdicto vi, ſed in factum actione tenetur. Et in violentia rei mobilis, verum eſt raptorem in bonorum raptorum in hæredem etiam in id quod pervenit ad ipſum non eſſe licitam actionem, quia violentiam non commiſit, ſed ad rei proſecutionem conditionem ſufficere, reputaſſe. Aut igitur quod de pueris prædictis inducitur, ſic eſt neceſſarium intelligi, quod ipſorum ſinguli & eorum filii poſt eoſdem in rei veritate ſingulas violentias in adeptione regni ſubditis forſan vel poſſeſſoribus aliquibus inter prædeceſſorem & ſucceſſorem mediis reſiſtentibus commiſerunt, aut hiſtoriographus ipſos ſibi diademata impoſuiſſe narrando, non ipſorum delicta, ſed ſingulares uniuſcujuſque notat violentias; ſed ad facti veritatem exprimendam apertius, videlicet quod ſinguli pro regibus ſe geſſerunt, conſuetum loquendi, quem ad idem jura etiam frequenter attendunt, ſecutus eſt morem. Sic enim vulgariter quilibet maxime rex ſibi coronam ponere dici ſolet, cum regale aliquid facit, ſeu pro rege ſe gerit in aliquo, vel per ſolemnitatem in menſa forſitan corona utitur, ſeu alias coronatus incedit; nec tamen propter hoc notatur impoſitionis initium quoad veritatem coronationis primæ, cum quis in regem aſſumitur, coronatur & inangitur, eſt ſolummodo referendum.

Per hoc etiam addit, quod de canone antiquo fuerat oppoſitum, dicebatur ſufficienter eſſe reſponſum. Nam & ibi vulgarem modum loquendi ſecundum quem talliam ſeu collectam imponere dicitur, qui eam exigit vel extorquet, quamquam ſimilis a multis prædeceſſoribus, vel ab ipſo exacta fuiſſet, canon potius ſequi videtur, quam impoſitionis novæ principium voluiſſe notare, nec enim novi gravaminis impoſitio dici poteſt, quam uſus præcedit maxime antiquatus.

Quod autem de præpoſito a magiſtro apponitur, prorſus eſt a caſu noſtro diverſum. Nam ibi executor magiſtri, cui navis mandavit anchoram gubernandam, factum ratum habere poteſt, cum ille omnia authoritate ac nomine ſuo agat. Unde factum illius in eo quod alterum navi præpoſuit per patientiam ratum habendo, præpoſitum ab eodem non immerito ipſe impoſuiſſe videtur, quia ratihabitio, quæ ſecundum legiſlatoris Pauli ſententiam intervenire poteſt, non verbis tantummodo

» tummodo; sed & actu retro trahitur & man-
» dato similis æstimatur. At in casu de quo agi-
» tur tu factum prædecessoris tui, scilicet im-
» positionem thelonei ratam habuisse dici non
» potes, quia ipsam, utpote non tuo gestam
» nomine sed gerentis, ratificare, ut tu ipsum
» a principio imposuisse videreris, nec verbis
» explicitis potuisses; sicut enim jura clamant,
» ratum habere non possumus quod nostro
» nomine non est gestum. Unde ex tua præ-
» sumta thelonei venditione rati habitio ni-
» hil agit, ut tu imposuisse quod tuus prædе-
» cessor imposuit videaris.

De non petito pallio.

» Negligentiam quoque tibi secundo circa
» pallii petitionem objectam asserendo contra-
» rium excusabas, cum diu præsens in curia
» illud & facto ipso expresse petieris, & varia
» de quibus curiæ constare dicebas impedimen-
» ta suffecerunt, per quæ pallium nequivisti tan-
» to tempore obtinere.

De confirmatione electi Metensis.

» Asseruisti præterea factum in tertia objectio-
» ne supponi, videlicet te Metensem electum pa-
» tientem intolerabilem in litteratura defectum
» confirmasse scienter. Quod tu proponens te
» ipsius examinationem & confirmationem per-
» sonis idoneis commisisse, aperte negabas, nec
» testimoniis aut alio probationum genere, vel
» tua fuerat confessione probatum. Cum ta-
» men si etiam de hoc evidentius constitisset,
» pœna tibi sit longe major imposita, quam a
» jure sit in casibus hujusmodi expressa, cum
» jura eos qui defectum de quo prædicitur pa-
» tientem confirmando delinquunt, a primi
» successoris ejus, quem taliter confirmarunt,
» confirmatione suspendant. Tu vero quadrien-
» nio & amplius generaliter a spiritualium &
» temporalium administratione suspensus, nec
» successorem prædicti electi Metensis confir-
» mare, nec alium prout ad Treverensem spe-
» ctat præsulem potuisti.

Dreo quod non celebraverit per annos VI.

» Quartum insuper in quo pro eo arguebaris
» fore culpabilis, quod nec unam missam per
» VI. annos & amplius celebraras, tam propter
» illarum partium observantiam, quæ te cele-
» brare nondum obtento pallio prohibebat,
» quam propter quædam quæ conscientiæ tuæ
» ingerentia scrupulum, (licet in petendo cir-
» ca ea remedium negligens non fuisses) te
» abstinere à celebratione missarum, medio
» tempore suggesserunt excusando constanter.

Et inhibitum sibi consecrationis officium purgerit.

» Id quod quinto fuit oppositum, pro eo
» quod memorato prædecessori URBANO con-
» secranti altare inter alios episcopos astitisti,
» dicebas inter cetera, propterea excusabile re-
» putandum, quia si nondum ut præmittitur
» obtento pallio in missa ejusdem prædecesso-
» ris Urbani cum aliis prælatis existens vocatus
» ex parte prædecessoris ipsius, sicut in talibus
» fieri consuevit accessisti ad ejus præsentiam
» una cum prælatis eisdem, non magnus in
» hoc notari potest excessus, sed potius obe-
» dientia commendari, præsertim cum licet
» pallio non obtento id tibi principaliter agere

A in tua provincia non liceret; satis tamen ve-
« risimiliter credere poteras, quod in assistendo
« eidem, ubi nihil tanquam principalis agebas,
« sed ad decentiam potius assistere videbaris,
« te ipsius authoritas excusaret.

Purgatur de reatu perjurii.

« Ad sextum per quod ex eo de reatu perju-
« rii & simoniæ vitio vocabaris, quia dictis mer-
« catoribus pecuniam, quam per instrumen-
« tum publicum te ab ipsis mutuo recepisse, cer-
« toque ipsis reddere termino, adjecto quod
« non peteres pallium donec solvisses eamdem,
« juramento præstito promisisse monstrabant,
« transacto eodem termino non solvisti; repe-
« tita facti veritate quæ circa hoc fuerat coram
« eodem prædecessore Clemente proposita, &
« per fide dignorum assertionem coram nobis
« est plenius revelata, a prædictis perjurio & si-
« moniæ vitio dicebaris immunis; quia con-
« tractus inter te & dictos mercatores habitus
« omnino nullus fuerat, nec aliquid veritatis
« habuerat, nec spe futuræ munerationis tibi
« faciendæ ab ipsis intervenerat; sed cum qui-
« dam tertius promitteret se facturum quod
« claræ memoriæ rex RICARDUS in Romano-
« rum regem electus duodecim millia marcas,
« quæ prædecessori tuo dare voluerat, tibi da-
« ret, tu de illis sexcentas marcas eidem tertio
« & non antea persolvendas; cum idem ter-
« tius prædicta marcarum millia tibi solvi effi-
« caciter promisisset; quod cum non fuerit
« procuratum, tu nec dictas sexcentas marcas
« solvere tenebaris, nec eas non solvendo per-
« jurium incurristi, profecto nec vitium simoniæ;
« pro eo quod, donec illas solveres te in con-
« tractu, qui ex nulla sui parte in veritate con-
« stitit, videbaris ad non petendum pallium
« obligasse, præsertim cum hoc non sit prohibi-
« tum, quia simoniacum, sed quia per constitu-
« tiones argui potest forsitan prohiberi, consen-
« dum simoniacum videatur. In quo etiam si
« peccasses in aliquo, satis videri poteras tanti
« temporis suspensione punitus.

De injuria illata abbati & monachis S. Matthiæ.

« Verum illud quod ex omissa dictorum ab-
« batis & monachorum liberatione tibi septi-
« mo fuerat objectum, te scilicet propterea in
« sententiam canonis incidisse, tu pro eo frivo-
« lum reputans quod sicut coram prædecessore
« nostro Clemente fuerat allegatum, posse
« tuum feceras ad liberationem, nec omissio,
« quod contra te videbatur ab allegante sup-
« poni, probata exstitit, vel etiam probari po-
« tuisset, nec liquidum esse de jure quod exa-
« cta exigeretur in hoc diligentia, sed bonam
« fidem de cujus contrario non constabat, di-
« cebas sufficere ut dictam canonis sententiam
« evitares.

« Tandem humiliter supplicasti tibi immo
« potius Treverensi ecclesiæ quæ occasione
« suspensionis hujusmodi multis discriminibus
« patuit, damna incurrit gravia, & nisi reme-
« dio celeri succurratur eidem, adhuc gravio-
« ra veretur, misericorditer subveniri; præser-
« tim cum memoratus prædecessor Clemens,

» quamquam contra te allegationibus multum
» insisteret, ac confutatiis replicationibus con-
» tra tuas nunc propositas excusationes in sæ-
» pe fato processu videretur inniti: hoc tamen
» non tam asserendo fecisse quam discutiendo
» de hujusmodi negotii meritis videatur, ac te
» per excusationes easdem, etsi non excusatum,
» pro eo quia sibi adhuc nequaquam de facto
» quod proponebatur, nec de illius veritate
» constabat; tamen cum constaret excusabilem
» reputasse. Quod ex eo videtur liquido appa-
» rere, quia sicut præmittitur, te ad ipsarum
» seu aliquarum ex eis probationem admitte-
» re intendebat, licet id facere nequiverit sicut
» Domino placuit, morte preventus, nec ad
» definitionis processit calculum; sed te potius
» ex quadam sua, sicut præmissa verba: *ne in*
» *manibus tuis interim Treverensis naufragaretur*
» *ecclesia* satis patenter indicant, provisione sus-
» pendit. Hujusmodi quoque supplicationibus
» supplicitet & reverenter insistens, misericor-
» diam non judicium postulasti; adjiciens,
» quod etsi forsan in præmissis aliquatenus ex-
» cessisses, satis tamen poterat excessus hujusmo-
» di tam diffusi temporis suspensio expiasse.

» Nos itaque attendentes suspensionem eam-
» dem quæ ad provisionem dictæ Trevirensis
» ecclesiæ fuit ex intentione ipsius prædecessoris
» nostri Clementis indicta, in ejus grave dis-
» pendium redundare; considerantes quoque
» temporis instantis circumstantias varias, pro-
» pter quas ecclesia totaque Treverensis pro-
» vincia tua multum dignoscitur præsentia in-
» digere; nec omittentes in considerationis
» nostræ scrutinio, quod ejusdem suspensionis
» opprobrium cum multa humilitate, & pa-
» tientia tolerasti; deliberatione cum fratribus
» nostris habita, suspensionem ipsam de ipsorum
» consilio relaxamus, tibi nihilominus conce-
» dentes expresse, ut administrationem ejus-
» dem Treverensis ecclesiæ in spiritualibus &
» temporalibus, tam quoad ea quæ sunt ordi-
» nis, quam ad ea quæ sunt jurisdictionis,
» præmissis non obstantibus, ex quibus nullum
» tibi volumus parari præjudicium vel obstacu-
» lum interponi, libere gerere valeas sicut
» prius. Nulli ergo omnino hominum &c. hu-
» jusmodi relaxationis & concessionis &c.

Gesta ejusdem Henrici Trevirensis archiepiscopi ab alio Auctore conscripta.

Præfatio.

264. Historias conscribere multiplicis est utilitatis, quoniam ex hoc fonte hauriunt præteritarum rerum prius ignari, quo interior homo delectatur & venit ad cognitionem mirabilium operum quæ Deus gloriosus ante nostra tempora mirabiliter operatus est. His autem fideliter insudatur, ac rectam disciplinam & maxime rerum gestarum cognitionem habere volentibus patet strata regalis, per quam incedentes contemplantur diversi diversa quibus informatur vita modernorum, ad multa pericula evitanda, & ad æternam vitam obtinendam. Sed sic sub vitiis multorum corda tenentur, ut sint sicuti equus & mulus, quibus non est intellectus. Profecto *hi sunt illi qui bonum & arcanum divinum contemnunt.* Ad quod etiam summus Deus illos judicavit immeritos & indignos. In historiis enim & chronicis conscribendis multi sapientes viri laborant, sicut Hermogenes, Josephus historiographorum maximus, ac Orosius, & multi alii tam philosophi quam prophetæ. Porro ille mundi fabricator omnipotens, qui cognoscit omnia antequam fiant, sciens hominum memoriam labilem, ac dies paucos & defluentes sicut aqua quæ defluit & non revertitur, primos apices suo digito scribere dignatus est, digito nostram fragilitatem informans, sicut ceram mollem quæ recipit impresso formam a sigillo, ut operum suorum mira miracula posteris eluceserent plenius per scripturam. Quibus autem rerum necessitate coacti sunt, ut ea quibus interfuerunt cum agerentur scripturæ declaratione colligerent, quo facta vero magnitudo rerum utilium in occulto jacentium immutavit, ut historiam & his ad utilitatem deberent conferre communem. Nam sicut ipsa testatur Veritas, *non est bonum lucernam abscondere sub modio*, nec ea quæ recte gesta sunt ignorantiæ tenebris occultare. Horum igitur vestigia cupiens imitari quantum possum, licet segnities ingenii & tarditas intellectus obscuri repugnent; attamen nanus giganteis suppositus humeris, longius longiore conspicit; & piger dextrario insidens, celere celerius curris. Sed frequenter quod istorum exhilarat animos, illorum efficit tædiosos. Quis ergo tutus a morsibus æmulorum? beatus enim Hieronymus in cunctis suis præfationibus, consuevit suis æmulis respondere. Aggrediar ergo illud sapientis qui dicit: *Opto placere bonis, pravis odiosus haberi.* Pluries ab amicis meis invitatus, quibus placere cupio; qualiter postquam vir venerabilis dominus Arnoldus piæ recordationis Trevirorum archiepiscopus ab hujus carnis ergastulo fuerat a Domino feliciter evocatus, & inopinato casu, immo potius ex divina providentia domnus Henricus de Vinstinga vir alti consilii & magnæ patientiæ, decanus ecclesiæ Metensis, ad archipræsulatus honorem Treverensis ecclesiæ, non absque tamen immensis laborum sudoribus extitit sublimatus; quomodo fuerit electus, quotque annis administraverit officium sui pontificatus, & quantum ampliaverit ecclesiæ suæ statum, qualis fuerit ejus exitus, & quanta damna sustinuerit ex dispendiosa discordia orta inter ipsum & dominum Theodericum abbatem sancti Mathiæ, quæ materia dinoscitur alibi nimis diffuse fore conscripta, cum adjutorio Altissimi sub lucida veritate com-

Temus tor. rupens.

pendioſe perſtringam. Sed quædam per diverſa loca ante per aliquot dies acta & geſta proponam.

De Wilhelmo, Richardo & Rodulpho Romanorum regibus.

265. Anno Domini MCCXLVIII. WILHELMUS comes Hollandiæ in Romanorum regem eligitur, adveniente * Friderico imperatore, excommunicato & condemnato, & regnavit idem Wilhelmus annis novem, nondum regali diademate inſignitus. Qui ſuper glaciem pugnans cum Friſonibus, occiditur ab eiſdem. Poſt eum RICHARDUS dux Cornubiæ frater regis Angliæ eligitur, & deinde quidam alii, qui omnes in parte regni vix ſuſcepti paucis diebus regnabant. Tandem eligitur juſtus & ſtrenuus princeps RUDOLPHUS comes de *Hasburch*, miles inclytus & bellicoſus, qui multa caſtra prædonum dejecit, & illos decollari fecit. Plurima bella commiſit in omnibus victorioſe triumphans. Quarto anno regni ſui regnum Bohemiæ potenter invaſit; regis Bohemici tyrannidem & obſtinatam inobedientiam horrende vindicans, ipſum regem divitiis, armis & militia præpotentem in campali prælio bellicoſe proſtravit; ducatum Auſtriæ & provincias multas ſibi ſubjugavit, ac regnum Alemanniæ ſuis temporibus glorioſe gubernavit. Regali electioni hujus apud *Frankenvort* celebratæ, cum ceteris principibus interfuit antedictus domnus HENRICUS Trevirorum præſul armipotens & glorioſus præ ceteris principibus univerſis, cum MDCCC. armatis tam militibus quam armigeris & vaſſallis.

* *f.* adfuit ſiente.

De Ludowico IX. Franciæ rege.

266. Anno Domini MCCXLVIII. LUDOVICUS rex Franciæ transfretavit, hyemans in regione Tyri, proxima æſtate Damiatam cepit, & paulo poſt per retorſionem Nili, pluſquam centum millia Chriſtianorum capiuntur & occiduntur à Saracenis: rex capitur, & frater ejus occiditur ROBERTUS nomine. Rex autem redemtus pro DCCC. biſantiis aureis, ab altero principe pagano captus eſt & occiſus.(a) Saraceni Damiatam civitatem funditus evertentes, lapides projecerunt in Nilum.

[a]

Friderici imperatoris obitus.

Anno Domini MCCLI. obiit FRIDERICUS magnus imperator depoſitus & excommunicatus, & condemnatus uſque ad quartam generationem a domino Innocentio papa quarto in concilio Lugdunenſi. Obiit autem in vigilia beatæ Luciæ virginis, in qua nocte ſerena & gelida audita ſunt tonitrua maxima, & apparuit ante & poſtea magnus cometa.

Anno Domini MCCLII. S. Petrus de ordine Prædicatorum martyrio coronatur.

Anno Domini MCCLV. feria ſexta, luna decima ante feſtum beati Andreæ, cometes apparuit, & duæ lunæ viſæ ſunt in cœlo. Eodem anno deſcendit ignis de cœlo qui conſumſit civitatem Macometi, quæ vocatur Meccha, & omnem circa regionem, uſque ad tres dietas, & poſt multa tempora remanſit ignis ardens in quadam valle illius regionis.

Anno ſequenti ignis qui neſcitur unde veverit, conſumſit ſepulchrum Machometi diſtans a civitate dictas tres. Deinde anno tertio ſequenti rex Tartarorum expugnavit Baldach civitatem, quæ olim vocabatur Suſis, in qua Aſſuerus rex Heſter elegit in uxorem, repudiata Vaſti, in qua regnavit heres Machometi, quem Tartari interfecerunt cum uxoribus & liberis, & trecentis millibus equitum.

Anno ſequenti occupaverunt montana. Alius qui appellatur rex montis, deſtructis trecentis caſtris ſub ejus poteſtate ſitis. Quinto anno tranſierunt Tigrim, & debellaverunt & devaſtaverunt terram totam, quæ eſt inter Tigrim & Eufraten. Tranſeuntes autem Eufraten venerunt in Syriam gentes & populos proſternentes; tantuſque timor invaſerat omnes regiones longe vel prope ſitas, ut illarum incolæ venirent cum clavibus civitatum ad Hulaonum regem Tartarorum pro gratia obtinenda, & parceret eiſdem. Jam ſtylum ad materiam convertamus.

Textus corruptus in cod. mſ.

267. Trevirorum igitur eccleſia, quæ ſuper Gallos & Germanos primatum obtinet, ſuo patre & paſtore fideliſſimo viduata, corpore eccleſiaſticæ tradito ſepulturæ, die aſſignata ad eligendum, vocatis omnibus qui de jure intereſſe debuerunt, convenientibus autem prælatis & canonicis univerſis eccleſiæ Trevirenſis qui potuerunt & debuerunt commode intereſſe, invocata S. Spiritus gratia, placuit omnibus per viam ſcrutinii dictæ eccleſiæ de paſtore digno providere. Ipſis vero diſcrepantibus illa die, alia dies aſſignata eſt ad eligendum ut prius. Qua die humani generis inimico zizaniam ſeminante venenoſam, amariſſima invidia liveſcente, quæ *ſicut rubigo ferrum attenuat*, omnes virtutes obnubilat & conſumit, ingens orta eſt diſſenſio inter fratres capituli eccleſiæ prælibatæ, qui ſua vota diviſim direxerunt in domnum Arnoldum de Sleyda ex una parte, & domnum Henricum de Bolandia ex alia parte * archidiaconum eccleſiæ Trevirenſis, qui celeriter ad ſedem apoſtolicam pervenerunt. Ipſis autem per biennium in curia Romana exiſtentibus, continue ac pertinacibus litigiis ibidem irretitis, domnus ALEXANDER ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummus pontifex, dolens eccleſiam Treverenſem nobiliſſimam filiam, quam plantavit & genuit mater eccleſia primitiva, eſſe ſuo ſponſo eclipſatam, videnſque illam periclitari miſerabiliter, tamquam in medio nationis perverſæ, de communi conſilio fratrum cardinalium, dictas electiones in diſcordia celebratas caſſavit, & caſſatas eſſe publice denuntiavit, perpetuum ſilentium imponens eiſdem.

* *Al.* archidiaconos.

268. Illo autem tempore fuit in curia Roautem Ludovicus peſte correptus occubuit.

(a) Hæc forte famâ apud Germanos percrebuerat; ſanctus

mana Henricus decanus Metenſis prædictus, miſſus a domno Argentinenſi epiſcopo ſuo conſanguineo, pro quibuſque arduis negotiis, ut dicebat. Domnus papa & cardinales cernentes in eo profundam ſapientiam, compoſitam ſermonum eloquentiam, morum venuſtatem, generis claritatem, & multarum virtutum excellentiam, de perſona dicti Henrici in ſpiritualibus & temporalibus circumſpecti, providerunt eccleſiæ Trevirenſi. Anno Domini MCCLX. decimo tertio calendas Decembris miſſus eſt Treverenſi populo electus & paſtor memoratus, tamen non obtento pallio; quia remanſit in Romana curia multis & diverſis debitis obligatus. Qui ab univerſo clero & populo Treverenſi, ut decuit tantum virum, honorifice eſt receptus.

[a] Hoc tempore apparuerunt Vapulatores, (a) qui velata facie currentes, ordinatim & conjuncti per vicos & plateas in multis civitatibus quædam carmina ad laudem Dei decantantes, exutis veſtibus ſeipſos percuſſerant ſcuticis & flagellis.

Fons & origo diſcordiæ inter eum & Theodericum abbatem S. Mathiæ.

269. Præterea dictus domnus Henricus electionis ſuæ anno ſecundo venit in adjutorium domno Argentinenſi epiſcopo prædicto, in ejuſdem civitatis obſidionem, cum ingenti multitudine armatorum; qui cum victoria & gloria ad vallem Trevericam proſpere eſt reverſus. Cum autem exercitus ſuus in villa quæ dicitur *Cryttennache*, non longe ab urbe Treverica, quæ ſpectat ad monaſterium S. Mathiæ pernoctaret, ſatellites & vaſalli ſui, tamen præter ejus conſenſum, ut ſperamus, nam infrænata juventus plurimorum in armis exultans, ponit pro voluntate rationem, (illicitum licitumque ſimul miſcens ſine cura) villas dicti monaſterii incenderunt, & inde pecora abigerunt. Quam contumeliam & injuriam abbas dicti monaſterii aſſeruit ex præcogitata malitia ſibi fore factam. Hæc fuit cauſa multorum malorum, quæ poſtea eſt ad ſedem apoſtolicam devoluta. Abbas vero impedivit eumdem in obtentione pallii multis annis, imponens eidem, quod non obtento pallio, & abſque ſedis apoſtolicæ confirmatione, ſuffraganeum ſuum Philippum epiſcopum Metenſem confirmaſſet, & celebraſſet generalem ſynodum in eccleſia Treverenſi, & ſe in ſuis litteris archiepiſcopum nominare præſumſiſſet; allegantes etiam hinc inde crimina & defectus. Ipſe vero & conventus ſuus expulſi ſunt per aliquod tempus, & alter abbas ſubſtitutus, ex quo ipſum monaſterium ſuſtinuit maximas læſiones & jacturas. Dictus vero electus tenebatur pluribus annis vinculo excommunicationis innodatus. Dictus etiam abbas cum monachis ſuis in via Confluentina a militibus dicti electi ducti ſunt ad caſtrum *Thuron*, in quo tenebantur tribus annis & menſibus ſex vinculis mancipati; ſuper quo dominus papa multum commotus præcepit illos abſolvi, volens etiam contra dictum electum gravius agere, & uſque ad ejus depoſitionem procedere. Dictus autem abbas cum ſuis monachis ex mandato ſedis apoſtolicæ a vinculis abſolutus, feſtinavit ad curiam Romanam pervenire; quo pervento, citatus eſt dictus electus in propria perſona, ut ad certum diem domini papæ conſpectui ſe præſentaret, alioquin ejus abſentia non obſtante, procederet contra eum, ut dictaret ordo juris. Dictus electus non modicum perterritus hoc audito, ſed a quibuſque cardinalibus amicis ſuis eſt litteris conſolatoriis confortatus, ſub quarum conſolationis ſpe ad curiam pervenit eamdem. Tandem idem electus & abbas per viam compromiſſi & ordinationem ſedis apoſtolicæ reconciliati, amici facti ſunt. Ratione cujus miſerabilis diſcordiæ dictus electus damnificatus eſſe dignoſcitur in XXXIII. millibus marcarum ſterlingorum, XII. ſolidis, & IV. ſterlingis pro marca qualibet computatis, & ſic obtento pallio, reverſus eſt ad patriam. Quæ omnia per ordinem in dicto monaſterio S. Mathiæ noſcuntur plenius eſſe ſcripta.

270. Hoc tempore Alexander papa viam univerſæ carnis ingreditur, & Urbanus quondam Virdunenſis epiſcopus creatur.

His diebus domnus Henricus archiepiſcopus Trevirenſis caſtrum *Sviarzinberch* obſedit & expugnavit, ac nobiles & milites quam plures captivos inde deduci fecerat cum triumpho glorioſe revertens.

Manfredus occiditur in Apulia.

Anno Domini MCCLXV. nobilis vir Meffridus rex, filius Friderici imperatoris, occiditur in bello campeſtri in Apulia a Carolo comite Andegavenſi, nuper a ſede apoſtolica creato in regem Siciliæ.

Anno Domini MCCLXVIII. Carolus rex Siciliæ ſuperavit in prælio Curadinum fratrem dicti Meffridi, juvenem elegantis formæ & ætatis floridæ, quem fecerat decollari.

Concilium Lugdunenſe.

Anno Domini MCCLXXV. Gregorius papa X. celebravit concilium Lugdunenſe, in quo fratres Sacciferi & omnes ordines Mendicantes per univerſum orbem, exceptis paucis, ſunt depoſiti & reprobati, & bigami omnes condemnati ſunt; & decima poſita eſt in univerſo Clero, in ſubſidium terræ ſanctæ.

[b] Eodem anno (b) epiſcopus Virdunenſis volens in craſtino ſacros ordines celebrare, mane inventus eſt mortuus.

271. Anno Domini MCCLXXVII. *Berrinkaſtil* caſtrum ædificatur ab archiepiſcopo Henrico. Anno ſequenti comes Juliacenſis & filius ejus primogenitus, cum CCC. militibus electis, poſt multa guerrarum diſpendia, cum armata manu, hora diei nona, in die ſanctæ

(a) De his vide quæ fuſius ſcripſit Ægidius Muiſius Tornacenſis abbas S. Martini a nobis edendus tomo ſequenti.

(b) Immo præcedenti, ut conſtat ex ejuſdem epiſcopi epitaphio.

Gertrudis clanculo intravit Aquisgrani civitatem regiam, ardenter cupiens illam evertere. Factoque horrendo strepitu per vicos & plateas a civibus, in ore gladii corruerunt universi. Posthæc Aquenses meliore pace freti gaudebant.

Anno Domini MCCLXXX. HENRICUS archiepiscopus ædificavit castrum *Meyne*. Secundò, anno sequenti idem domnus Henricus emit castrum *Mailburch* cum advocatia de *Wittelich* pro MD. lib. Metten. denariorum, & expendit in renovatione muri & ædificiorum dicti castri D. lib. Treveren. den. Eodem anno firmavit Confluentiam & monasterium *Meynefelt* muris firmis. Sequenti anno oppositerunt se oppidani Confluentini eidem domino suo Henrico archiepiscopo recalcitrantes annis duobus; ipse vero congregato exercitu præpotenti, irruit super eos, effugatisque omnibus adversariis suis, oppido violenter expugnato, ædificavit ibidem firmissimum castrum ad reprimendum eosdem. Item munitiones totius dioceseos diversis structuris multipliciter roboravit. Quædam de novo opere valde sumtuose, videlicet *Berincastil* castrum, erexit à fundamento; *Meyene* villam condidit, & ibidem firmissimum castrum construxit. Item castrum *Sarburch*, palatium Treveris cum omnibus cameris & ædificiis, palatiolum, *Grinberch*, *Pillich*, *Manderscheit*, Novum-castrum, *Marienburch*, *Erbreistein*, *Monthabor*, *Hardinveils*. Hæc castra omnia magnis ædificiis sumtuosissime renovavit.

Item comparavit feoda & homagia plurima, comites, barones, nobilesque terræ, videlicet XXXI. Primo de Veldentia, Geminipontis, de *Sarwerdin* Hirsutum, de *Hoinberch* comites quinque, & alios viros nobiles & potentes fecit homines fideles in perpetuum & eorum heredes ecclesiæ Treverensis, assignans unicuique, prout eorum dignitas requirebat, feoda & pecuniam maximam pro feodis comparandis summa XIV. millia CCC. LXXX. librarum denariorum Trevirensium.

Item comparavit & emit plures redditus & multa bona per diversa loca in dioceseos Treverensi; scilicet castrum *Mailberch* cum advocatia de *Wittelich*, vassallis, castrensibus hominibus, pascuis, pratis, villis & universis attinentiis & juribus, pro duobus millibus & L. lib. denar. Item decimam de Altrea cum jure patronatus pro DC. libris. Item decimam de *Drone* cum jure patronatus pro CC. marcis & CCC. libris. Item advocatiam de Monasterio pro D. marcis. Item curtem de *Kriche* pro duabus millibus marcis. Item curtem de *Durzemuze* pro D. marcis. Item decimam de Confluentia pro DC. Item advocatiam de *Berinkastil* pro mille libris. Item redemit quædam bona apud *Meyne* pro mille & IV. marcis Colonienſibus; & etiam emit ibidem sex marcarum redditus, & alia multa infinita bona, decimas, redditus, possessiones, domos, vineas, campos, prata, quæ longum esset enarrare, comparavit. Summa omnium XL. millia & LXXX. tam librarum quam marcarum Colonienſium & Trevirensium denariorum, exceptis ædificiis & structuris novorum & antiquorum castrorum, & exceptis XXXIII. millibus marcis sterlingorum, quas solvit pro expensis in curia Romana factis. Unde multo majora quam aliquis prædecessorum suorum pontificum Trevirensium comparasset, si curiæ Romanæ tantam summam pecuniæ non solvisset ex causis & rationibus antedictis, videlicet discordia miserabili orta inter ipsum ex una parte, & Simonem summum præpositum, & fratrem suum Theodericum abbatem S. Mathiæ ex altera, & quosdam canonicos Trevirenses ipsorum fautores, qui ipsum X. annis in pallii sui impetratione impediverunt. Quid plura? vir magni consilii fuit, in spiritualibus & temporalibus circumspectus, & sagacissimus in acquirendo transitorias hujus mundi facultates, & quod laude dignum est, clerus & populus Trevirensis bona pace fretus sub ipso principe gaudebat, metasque jurisdictionis ecclesiæ Trevirensis fiducialiter dilatavit, ac totam provinciam suis temporibus feliciter gubernavit.

Moritur.

272. Cum adhuc ordiretur ætate validus, pontificatus sui anno XXIX. præcisa est, proh dolor! velut à texente vita ejus, ut placuit Regi regum altissimo, cujus occulta judicia colligere nemo potest, eo quod admiranda voce prophetica sint abyssus multa, nec valent arte mortalium evitari, nulli scrutabilia, nulli nota. Quis enim novit cœli ordinem, ut supernarum dispositionum videat prædestinationes occultas? aut quis ponere potest rationem in terra, ut ante humana corda talium secretorum vias aperiat, vel superiorum judiciorum mysteria considerando discutiat, manifestetque loquendo. Hæc itaque in hac vita positus facere nemo potest, ante hominem namque carne circumdatum labor est ista cognoscere, donec in Domini sanctuarium, in quo sunt omnia consilia super filios hominum, ergastulo corporis absolutus introeat, ibique non solum præsentia, sed & novissima intelligat & cognoscat. Horum siquidem consideratio miranda, nimirum stupenda pariter & tremenda, nos nec immerito admiratione sollicitat, mentesque nostras ingestione stuporis elicit concutitque timore. Idem pater venerabilis domnus HENRICUS Trevirorum archiepiscopus per unius anni spatium, ante finem ejus cœpit infirmari, tetigit eum manus Domini, paralysi & podagra laborans graviter ægrotavit. Hic dum in curru quem sibi fieri mandavit corio circumtecto, cunctis amicis dissuadentibus, ad sanctum Judocum peregre veheretur, invaluit in eum morbus incurabilis, liminibus tum dicti Sancti, ut Domino placuit, feliciter vi-

sitatis, dumque devotionis causa ab hinc tenderet versus Boventam * in littore maris sitam, in quo loco Mater Domini glorioſe veneratur, hujus ſtadium peregrinationis exivit, ingrediens viam univerſæ carnis ibidem, anno Domini MCCLXXXVI. in craſtino beati Marci evangeliſtæ, & a venerabili viro domno Wilhelmo archidiacono in eccleſia Treverenſi, comite ſui itineris, tranſlatus Treverim, in eccleſia ſancti Petri, in dextero latere templi ad murum, debitis exequiis peractis, eſt a clero & populo honorifice tumulatus, & ibidem juxta tumulum ſuum altare, quod ipſe largiſſimis honoraviit donariis, ad laudem Dei conſtructum eſt pro ſuorum remiſſione peccatorum, & ob felicem memoriam ſui ſempiternam. Dictus vero domnus archidiaconus, vir ætatis provectæ, divitiis & redditibus affluens, non poſt multum temporis * mundi vanitate relicta, in clauſtro *Hymmelroit* Ciſtercienſis ordinis factus eſt monachus & ſacerdos, divinis inſtans laudibus, ſeculi pompis ultrojectis.

* *Leg.* Bononiam ad mare.

* An. 1287. juxta Browerum.

273. Item idem pater habuit modum laudabilem, & conſuetudinem memoriæ dignam; cumque tractaret de ſtatu & negotiis temporalibus ſuæ dioceſis, aſſumſit ſibi viros conſultiſſimos in rebus temporalibus expertos, prout imminentis negotii perplexitas requirebat. Si circa milites aut vaſallos cauſa agebatur, aſſumſit barones & nobiles probatæ prudentiæ; ſi circa clerum & eccleſiaſticam libertatem negotium vertebatur, conſuluit viros litteratiſſimos. Si circa cives, idem fecit, prudentiores aſſumens, quemlibet venerans & ſalutans læto vultu & benigno, prout requirebat ſtatus & conditio eorumdem. Nec mutavit mores præſcriptos dum coram eo ventilabantur negotia invidorum, bene intelligens illud ſapientis: *Noli eſſe ſapiens apud temetipſum; ſed omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis.* Eſt enim boni prælati conferre cum prudentibus, & abſtinere, & non multum frequentare conſortia ſubditorum, & maxime vilium perſonarum, quia nimia familiaritas parit contemtum inter fatuos. Debet enim prudens princeps conſultor eſſe procerum, & contemnere bilingues, adulatores & ſuſurratores, nec illos exaltare, quos natura in imis jacere præcepit; ſed prudenter debet advertere quos honeſtæ vitæ, famæ bonæ, & ſcientiæ laudabilis expetunt ad altiora ſublimari. Inde oritur bona fama; & primum inſtrumentum intellectus eſt deſiderium bonæ famæ, & qui vere eam deſiderat, famoſus erit & glorioſus; & qui fictedeſiderat illam, per infamiam confundetur. Initium igitur ſapientiæ & intellectus eſt deſiderium bonæ famæ, ut dicit philoſophus in libro ſecretorum.

274. His etiam temporibus apparuit quidam ruſticus aſſerens ſe eſſe FRIDERICUM imperatorem magnum, qui ante tempora multa fuerat defunctus. Primo clandeſtine viſus eſt Coloniæ, deinde palam univerſis. Qui tandem captus & vinculo mancipatus, numquam verbum mutans quin diceret, ego ſum rex Fridericus. Tandem mancipatus a carcere in foro rerum venalium Colonienſi alte poſitus in ſcala, ut ab omnibus videri poſſet, diademate valoris unius oboli ſuper caput ejus poſito, depilata barba, illuſiones & opprobria maxima ſuſtintuit; tamen ſemper clamare non deſiit, rex moriar Fridericus. Ultimo poſt hæc depoſitus a ſcala, tamquam veſanus ejectus de civitate, venit Nuſſyam, * ibique denuo cœpit dominari. Oppidani autem loci illius exceperunt eum benigne, eidem largas expenſas adminiſtrantes, & in tantum exaltatus eſt, ut nonnulli nobiles & barones terræ, quibus ipſe litteras ſuas ſuo ſigillo facto ad inſtar ſigilli Friderici imperatoris ſigillatas deſtinavit, hæſitando putarent eum eſſe veraciter cæſarem & Fridericum. Nam opinio fuit multorum quod artem magicam cognoſceret, & illa quæ militibus quondam ſub Friderico imperatore militantibus clam vel palam acciderant, & hic ſuis litteris inſerere, cognito interſigno narrabat. Unde multi declinaverunt ad illum & venerabantur eum tamquam regem Fridericum. Cum iſte rumor validus nullum orbis angulum lateret, & in tantum elevatus eſſet, ut quodam modo regalis majeſtas in eo appareret, miſit litteras ſuas RODOLPHO Romanorum regi, ut ipſum tamquam dominum ſuum cognoſceret tali interſigno, & quod ipſe rex quondam ſub ipſo militaſſet. Dictus pacificus rex reſpondiſſe creditur: Domine Deus rex cœli & terræ, fiat voluntas tua, ſi hunc regnare velis, in omnibus parere cupio tuæ voluntati, nec etiam tibi reſiſtere valeo in ictu oculi, aut tuam juſtitiam tranſmutare. Dumque præfatus ruſticus ad tantam veſaniam deveniſſet, ut extra ſenſum raptus, in ſemetipſo rex putaretur, ſui immemor & oblitus, adire feſtinavit cum ſibi adhærentibus *Frankenwort*, ut ibidem principibus Alemanniæ convocatis, generale concilium celebraret, & in priſtinum honorem reſtitueretur & ſublimaretur in regem. Quem SIFRIDUS archiepiſcopus Colonienſis perſecutus eſt armata manu præpotenti uſque ad *Weſtlair*, illumque ibidem in campo extra civitatem ligatis manibus & pedibus in curru fecerat horribiliter concremari, triſte præbens exemplum univerſis qui ſpreta Dei gratia quæ datur hominibus, contendunt ardua ſcandere, propriæ conditionis immemores, quæcumque putant licita; & cum altius ſcandere non poſſunt, deorſum præcipitantur ad ima.

* Nus.

275. Anno Domini MCCLXXXVIII. commiſſum eſt prælium horrendum nimis juxta Coloniam apud villam *Wurunch* inter magnanimum principem JOHANNEM ducem Brabantiæ comitem de Monte de Vianna, & Julia-

censes comites ac cives Colonienſes ex parte una, ac bellicoſum dominum SIFRIDUM archiepiſcopum Colonienſem, Gelriæ & *Luczelmburch* comites, & dominum de *Vallrinburch* ex altera. Ex quo prælio congregati ſunt hinc inde electæ juventutis excellentiores milites Franciæ, Brabantiæ, & undique circa Rhenum atque Moſam, & viri pedites bellicoſi nimis uſque ad centena millia hominum, qui ſuffeciſſe creduntur una die ad tenendum campale prælium cum Saracenis univerſis. In quo conflictu miſerabili ceciderunt in ore gladii, proh dolor! miles clariſſimus HENRICUS comes *Luzelmburgenſis*, inclytus WALRAMMUS frater ejus, ac mille quadringenti viri bellatores, omnes tam equites quam pedites, nobiles & ignobiles indifferenter, & plures capiuntur.

Dictus domnus archiepiſcopus ductus eſt captivus in terram comitis de Monte, & comes Gelriæ ducitur in terram ducis Brabantiæ, ipſo duce cum ſuis, non abſque tamen multa ſanguinis effuſione ſuorum, victoriosiſſime triumphante. Cauſa autem hujus belli fuit hæc. Comes Gelriæ duxit in uxorem natam ducis Limburgenſis unicam heredem ipſius ducatus, quæ deceſſit ſine prole. Comes de Monte proximus heres, ut dicebatur, vendidit omne jus ſuum hereditarium quod habuit in ipſo ducatu, duci Brabantiæ pro XXXII. millibus marcis, comite Gelrenſi aſſerente quod ipſe dictam terram tenere deberet quoad vitam ſuam, ratione dotis ſeu ſponſalitio jure; comite Luczelmburgenſe etiam dictam terram dicente ad ſe eſſe jure hereditario devolutam; ac domno archiepiſcopo Colonienſi allegante, quod ipſa venditio non valeret, quoniam jure homagii eſſet adſtricta eccleſiæ S. Petri Colonienſis.

Explicit vita Henrici Treverenſis.

INCIPIUNT GESTA DOM. BOEMUNDI TREVERORUM ARCHIEPISCOPI.

Invectio contra æmulos.

ADmiranda Salvatoris voce teſtante, non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita, ſi etiam ipſa voluerit; mons enim qui eam portat, ut ibidem dicit Chryſoſtomus, facit eam omnibus manifeſtam. Sic virtuoſi viri qui fundati ſunt in Chriſto, etiamſi noluerint, tamen Chriſtus eos manifeſtat. Et ſi infinita lingua æmulorum obmuteſcat loris invidiæ laqueata, clara tamen præconia valide clamare non ceſſant bene geſta, & ambulant in cacumine ſicut cœli luminaria lumen emittentia in hunc mundum caliginoſum in maligno poſitum, quoniam iniquitatis diluvium abundat ſuper terram. Sed *juſtus*, ut ait Salomon, *quaſi leo confidens abſque pavore erit*; & idem: *Non contriſtabit juſtum quicquid ei acciderit.* Reproborum mentes, ait Gregorius, perverſis cogitationibus ſemper invigilant, ſed plerumque eis ſuperna diſpenſatio obviat; & quamvis pravitatem conſilii nec fracti adverſitatibus corrigant, tamen ne contra bonos prævaleant, eorum vires refrænat. Unde Job: *Qui comprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilia pravorum diſſipat.* Unde Gregorius ibidem: ſæpe nonnulli ſapientia humana inflati dum deſideriis ſuis divina judicia contraire conſpiciunt, aſtutis ei reluctare machinationibus conantur; quos Dominus in ipſa eorum aſtutia deprehendit, quod melius exemplo monſtramus. Ideo Joſeph venditus fuerat ne adoraretur, ſed ideo eſt adoratus, quia venditus. In Ægyptum ductus ſervituti ſubditur, ſed in tota Ægypto dominatur; luxuriæ acclamatione male damnatur, ſed prophetiæ dono illuminatur: ſic divinum conſilium dum devitatur impletur; ſic humana ſapientia dum reluctatur apprehenditur. Moyſes in Nilo projectus in filium adoptatur Athermuth *filiæ Pharaonis. Saül David perſequitur, & inde plus ſublimatus. Sic Jonas fugiens obedire renititur, & ad locum quo miſſus fuerat reus, ſuo carcere portatur, ſcilicet in ventre ceti. Unde miro modo fit, ut & quod ſine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non ſit, quia dum in bonum uſum male facta vertuntur, ejus conſilio militant, etiam quod ejus conſilio repugnant. Unde Salomon: Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Deum; verumtamen ſicut honorificum eſt gloriam Dei revelare, ſic ſcelus immenſum eſt bene geſtis livoris acumen derogare. Aſt omne quod arguitur, ut ait apoſtolus, a lumine manifeſtatur. Sed, ut dicit Galterus de Caſtellione, mirum eſt humanum genus a prima ſui natura, ſecundum quam cuncta quæ Deus fecit valde bona creata ſunt, ita eſſe depravatum, ut promtius ſit ad condemnandum quam ad indulgendum, & facilius ſit ambiguum depravare quam in partem interpretari meliorem. Ideoque beatus Hieronymus in ſingulis ſuis præfationibus conſuevit ſuis æmulis reſpondere, qui venenoſis ſtimulis opera glorioſa conabantur auſu temerario multipliciter offuſcare, quorum ſpinoſum ſemen adhuc pungens in orbe terrarum latius eſt diffuſum. Sæpe enim ſagittant in occultis immaculatum doloſa labia detractorum, ſæpe venenum aſpidum damnabili calliditate diffundunt, ut lædant calumnioſis flatibus innocentem. Hi ſunt quos propria vexat iniquitas, ut in agro bonarum mentium ſemina detractionis effundant. Merito ſecundum Paulum detractores Deo odibiles deſcribuntur. Hæc videt Chriſtus & ſilet, dicit Bernardus; hæc Salvator patitur & diſſimulat. Propterea diſſimulemus & nos quoque neceſſe eſt & ſileamus. Interim, maximeque de prælatis noſtris magiſtris eccle-

* *ſ.* a Thermuth filia.

siarum, benignos semper & mites exhibeamus nos, invicem supportantes in omni patientia, scientes quod aquæ Siloë vadunt cum silentio & quiete. Nam, sicut ait Gregorius, qui zelo Dei utitur, a pravis hominibus dehonestatur; & deteriores ex prædicatione Dei facti sunt Judæi, quibus manna pluit Deus in deserto, tanti beneficii ingrati murmurabant contra Dominum & electos ejus Moysen & Aaron, quos lapidibus obruere festinabant, nisi gloria Domini fugientes ad tabernaculum præveniendo prorexisset insontes. Ob hoc non immerito & transgressores subito secuta est a Domino plaga terribilis & horrenda. Unde sæpe accidit, dum ingratitudo subditorum meretur insicia iram summi Judicis, cujus judicia sunt abyssus multa; hanc obstinati multifarie multisque modis impingere ferociter & mendose non expavent in noxiis actibus prælatorum. Nam ingratitudo, ut dicit Bernardus, est ventus urens exsiccans fontem pietatis, venas misericordiæ, fluenta gratiæ; sicque fit ut perversi & ingrati suis laqueis magis innodentur, dum hos dolo cupiunt studiosius evitare. Mendacium quippe stare non potest, veritas autem manet in æternum.

Prologus materiæ.

Non obstante ergo æmulantis aculeo procedant ad lucem & notitiam futurorum, inclyta gesta super montem elevatum posita reverendi patris & felicis recordationis domni Boemundi Trevirensis archiepiscopi de *Varinsberch* geniti, qui velut solaris radius emicans inter reges & principes sæculi, fuit vir alti consilii & profundæ sapientiæ. In ornatu, apparatu & epulis, præ cunctis Germaniæ & Alemanniæ principibus apparuit gloriosus; inter domesticos & privatos valde benignus extitit & jocundus, exemplum beati Annonis Coloniensis archiepiscopi in se colligens, qui fratribus de monte *Syberch* (a) dixisse legitur: Quamvis pompositus appaream militibus meis, tamen inter hæc ante conspectum æterni Judicis pavidus, atque dejectus intus incedo, & magis quam ulli patescat. Sed sunt nonnulli qui dum eximia virtutum dona percipiunt, ab alto corruunt; dum magis muneribus exaltantur, semetipsos ignorant: sed pastor bonus per dignitatis altitudinem semetipsum gloriam appetendo non transcendit, nec alta petens proximorum infirma despicit elevatus. Unde Paulus cœlum contemplatione transcendit, nec tamen statum carnalium sollicitudine deseruit. Unde idem ait: *Factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer &c.* non imitando fidem, sed extendendo pietatem. Et iterum: *Omnibus omnia factus sum*, ut omnes facerem salvos; condescendendo appropinquavit infidelibus, non cadendo. Quis ignorat qualis & quantus idem pater & dominus Boemundus Trevirensis archiepiscopus habebatur apud sereniſſimos dominos Rodulfum, Adolphum & Albertum, tres inclytos Romanorum reges successive. Primum veneratur ut patrem, secundum amplectebatur ut filium, tertium instruxit & prænonuit ut amicum. Qualiter autem per obitum reverendi patris dignæ memoriæ domni Henrici Trevirensis archiepiscopi, dictus domnus Boemundus tunc præpositus & archidiaconus ecclesiæ Trevirensis, ac primicerius ecclesiæ Metensis electus fuerit, in archiepiscopum confirmatus, quot annis rexerit sui præsulatus officium, quantum augmentaverit ecclesiæ suæ statum, & quomodo migraverit ab hoc sæculo, annuente Domino, compendiosius explanabo. Quædam etiam de incidentiis temporum admiranda non modicum annotabo, quæ tempore sui præsulatus evenerunt, prout hæc inferius continentur, quæ nos sæpius ab assumta materia digressionem facere compellunt.

Qualiter fuerat electus.

Anno Domini MCCLXXXVI. reverendo patre domno Henrico Trevirensi archiepiscopo viam universæ carnis ingresso, & die assignata ad eligendum pastorem ecclesiæ Trevirensis, vocatis & convenientibus prælatis & canonicis omnibus ejusdem ecclesiæ qui debuerunt de jure, & potuerunt commode interesse; placuit omnibus & singulis fratribus capituli per viam scrutinii dictæ ecclesiæ de pastore digno providere. Sed impii seminator consilii, corda perturbans pacifica, in opaca nocte zizania superjecta suffocavit triticum pastorale, sciens quia scriptum est: *Omne regnum in se divisum desolabitur*, livoreque livescente exterminatoris, suggestio prævaluit corrosiva. Fratres capituli vota sua divisim direxerunt in tres personas; quorum major & senior pars vota sua direxit in virum laudabilem domnum Boemundum superius nominatum; reliqua vero parte divisa in duas partes, quarum altera elegit domnum Ebertum cantorem ejusdem ecclesiæ, & altera domnum Johannem de Syrkis in dicta ecclesia archidiaconum, qui statim supersedit, & electioni suæ abrenuntiavit. Dictis autem Boemundo archidiacono & Eberto cantore electis, ad sedem apostolicam celeriter properantibus, lite & causa diutius in curia Romana durantibus, dictus Ebertus cantor obiit ibidem, sede apostolica etiamtunc vacante. Fratres cardinales, licet de sua sollicitudine forent non modicum occupati, nobilem filiam Trevirensem ecclesiam nuper suo sponso & pastore viduatam fideliter consolari cupientes, communi consilio & unanimi voluntate dictam electionem ad sedem apostolicam legitime devolutam, cun-

(a) Id est monasterii Sigebergensis, quod in ea diœcesi Coloniensi fundaverat, in quo & sepeliri voluit.

[a]

ctis admirantibus, de ſpecialiſſima gratia remiſerunt fratribus dicti capituli denuo celebrandam. Quo viſo, hoſtis noſter, qui non dormit, ſed ambulans per loca ſua arida non habet requiem, aſſumtis ſeptem ſpiritibus nequioribus ſe, reverſus eſt ad dictum capitulum, ſua vaſa recognoſcens. Periculoſior diſſentio iterum orta eſt inter fratres. Pars autem fratrum capituli quæ prius dominum Boëmundum elegerat, manſit immobilis, & plures de capitulo adjuncti ſunt eidem; reliqui vero vota ſua direxerunt in dominum GERARDUM DE EPPINSTEYN archidiaconum in eccleſia Treverenſi, domino Boëmundo adhuc exiſtente in curia Romana. Gerardus archidiaconus non ſtatim iter arripiens, ſolemnes nuntios pro ſe miſit ad curiam. Medio autem tempore frater HENRICUS Moguntinæ ſedis archiepiſcopus, ordinis fratrum Minorum, migravit a ſæculo; cujus eccleſiæ fratres in ſe diviſi, vota ſua direxerunt in dominum GERARDUM prædictum ex una parte, & ſcholaſticum ejuſdem eccleſiæ ex altera. Hiſque peractis, dicti electi feſtinanter ad apoſtolicum pervenerunt. Cauſa & negotio hinc inde ventilatis coram domino NICOLAO papa IV. nuper creato, * poſt varias altercationes, electio dicti ſcholaſtici caſſata extitit & annullata, electionibus dicti domini Gerardi tam eccleſiæ Treverenſis quam Moguntinæ pendentibus adhuc, & judicio domini papæ reſervatis. Summus autem pontifex dolens nobilem ſponſam Trevirenſem eccleſiam, quam in Chriſto genuit princeps apoſtolici cœtus, ſanctus Petrus apoſtolus adhuc vivens in carne, ex longa jam vacatione diverſis ſubjacere periculis, & per diutinam paſtoris abſentiam omni ſolatio deſtitutam, in ſpeculo conſiderationis ſuæ conſiderans dictum dominum BOEMUNDUM virum eſſe magnarum virtutum, ut poſtea patuit, ſanguine clarum, ſapientiæ, eloquentiæ, & morum venuſtate præditum, in ſpiritualibus & temporalibus ſubtili indagatione circumſpectum, ſicut etiam fere omnes Trevirenſis, Metenſis, Tullenſis & Virdunenſis dioceſeon prælati ac civitas Trevirenſis ſuis litteris domino papæ directis publice teſtabantur. De quo etiam dominus HENRICUS Treverenſis archiepiſcopus prædeceſſor ſuus in extremis conſtitutus, ſibi ſentiens horam mortis inevaſibilem imminere, cum magno deſiderio cupiens Treverenſi eccleſiæ de idoneo ſucceſſore provideri, ſub periculo animæ ſuæ, ac in verbo ſacerdotii teſtabatur; & publice lamentabiliter exclamavit, quod poſt ejus obitum non relinqueret virum in rerum natura, quem tantum eccleſiæ crederet & provinciæ Trevirenſi pro metropolitano expedire, ſicut dominum Boëmundum archidiaconum memoratum, & juramento affirmans quod præmiſſa non aſtruxit, ut per ea dictus archidiaconus promoveretur, ſed ob amorem & honorem eccleſiæ Treverenſis, quam ipſum relinquere oportuit deſolatam. Verum cum ipſum attingeret nulla linea conſanguinitatis, ac quondam in curia Romana ſuus exſtiterit adverſarius principalis, merito laudandus eſt & omni honore dignus, in quo concurrunt tot virtutum inſignia teſtimoniis idoneis approbata. Idemque ſummus pontifex de perſona dicti dom. BOEMUNDI ſcientis & valentis in ſpiritualibus & temporalibus eccleſiæ Trevirenſis gubernacula gubernare & jura defenſare, eccleſiæ providit eidem, & de perſona dicti domini GERARDI archidiaconi providit eccleſiæ Moguntinæ.

* 2. Febr. 1288.

Quod confirmatus fuit & conſecratus.

Anno Domini MCCLXXXVIII. Dominica *Reminiſcere* utriuſque electio confirmata eſt a domino papa, & proximis ſtatutis temporibus promoti ſunt ad gradus ſacerdotii ſimul una die, & ſolemniter conſecrati, & in ſequenti dominica Palmarum pallio nobili ſignaculo ſingulariter inſigniti, & cum benedictione apoſtolica dominus BOEMUNDUS primas Galliæ & Germaniæ, & metropolitanus Treverenſis eccleſiæ, Galliæ, Arelatenſiſque archicancellarius, reverſus eſt ad patriam; a populo & clero Treverico diu deſideratus, & dominus GERARDUS adiit ſedem Moguntinam.

Quare Treverenſis archiepiſcopus dicatur primas.

Quare ſancta Treverenſis eccleſia primatum obtineat ſuper Gallos & Germanos, & quare in geſtis antiquorum Trebir ſecunda Roma appelletur, a quo condita extiterit, unde gens Trebirorum ortum habuerit, & quomodo a paganiſmi ſordibus abluta fuerit, & femina vitæ ſuſceperit, quot pontifices Trevirenſem eccleſiam rexerint a tempore ſancti Eucharii uſque ad tempora domini Boemundi luculento ſtylo ſub mira brevitate perſtringam. Quæ materia tamen alibi diſjuncte ſub prolixitate non modica noſcitur eſſe ſcripta &c. (a) [a]

De bono Wernero.

Anno Domini MCCLXXXVII. domino Boëmundo adhuc in Romana curia exiſtente, puer quidam Chriſtianus & mendicus Wernerus nomine, cum apud Weſaliam villam Trevirenſis dioceſis de cellatio cujuſdam Judæi cum cophino terram exportaret, & hora quadam dum facultas ſe obtulit opportuna, inito conſilio, perfidi Judæi Chriſtiani nominis inimici, irruerunt in eum, qui diverſis plagis innocentem puerum afficientes membratim laniabant, & tandem crude-

(a) Hæc omnia quæ integris quinque foliis continentur omiſi ex induſtria; utpote quæ alibi reperiuntur non ſemel edita, ſcatent fabulis, & ſunt hic maxime extra locum ſuum poſita.

li morte peremerunt, corpuſque exanime & exſangue longius a villa in dumis & vepribus abſconderunt. Deus autem corpus ſui martyris a beſtiis & avibus conſervans intactum, inventum eſt a quodam ruſtico, qui ibi juxta terram arabat, & ad hoc ſpectaculum vicinis convocatis, exortum eſt murmur in populo, quod impii Judæi hoc facinus perpetraſſent, ſicut etiam ancilla quædam Chriſtiana Judæis ſerviens teſtabatur, quæ aſſeruit ſe per rimam parietis præmiſſa conſpexiſſe. Quamobrem homines illius terræ longe vel prope poſiti, in miſeros Judæos crudeliter exarſerunt, quoſdam ſuffocantes, alios cum uxoribus & parvulis concremantes, alios ſubmergentes, ac plures gladio perimentes. Tantum illi qui ſe in caſtris & munitionibus nobilium recipere poterant, ab hujuſmodi peſte vix tuebantur. Corpuſque venerabile martyris tranſlatum eſt Bachariacum, & ſtatim ibi ad honorem Dei & ſui martyris capella conſtruitur opere ſumtuoſo. Cujus mortem pretioſam in conſpectu ſuo Dominus pie creditur multis miraculis declaraſſe. Ad cujus tumulum ſpe veniæ peregrinorum turbæ de propinquis & longinquis regionibus catervatim cucurrerunt.

Verſus de morte ejus.

Anno milleno centum bis & octnageno
Septeno Chriſto nobis de Virgine nato,
Eſt puer occiſus Wernerus poſtea viſus.

De bello apud Wurunch.

Anno Domini MCCLXXXVIII. nonas Junii commiſſum eſt terribile bellum prope Coloniam apud villam quæ *Wurung** dicitur, inter JOHANNEM ducem Brabantiæ, comitem de Monte, & Juliacenſem & de Vianna comites & cives Colonienſes ex una parte; & dominum SIFRIDUM archiepiſcopum Colonienſem, Gelriæ & *Luzzelenburch* comites ex altera. In quo prælio HENRICUS comes Luzzelenburgenſis & WALRAMMUS frater ejus ac mille & quadringenti viri bellatores, tam equites quam pedites, in ore gladii corruerunt. Archiepiſcopus & comes Gelriæ, ac multi alii capiuntur, duce Brabantiæ in omnibus victorioſe triumphante. Cauſa belli fuit hæc. Comes Gelriæ duxit in uxorem natam ducis Limburgenſis unicam heredem patris, quæ deceſſit ſine prole. Comes de Monte heres proximus, vendidit ducatum duci Brabantiæ pro triginta & duabus millibus marcis, comite Gelriæ aſſerente quod ipſe dictam terram poſſidere deberet quoad vitam ſuam dotali ſeu ſponſalitio jure. Comes Luzzelenburgenſis dixit ratione conſanguinitatis ſe propinquiorem eſſe venditioni, archiepiſcopo allegante quod ſine conſenſu ſuo venditio non valeret, nam jure feodali eſſet adſtricta eccleſiæ Colonienſi.

Woringia.

De reditu domini Boëmundi, qualiter receptus fuerit.

Anno Domini MCCLXXXIX. in die Nativitatis beatæ Mariæ Virginis dominus BOEMUNDUS Treverenſis archiepiſcopus a domino Nicolao papa IV. miſſus cum pallio & ceteris pontificalibus ornamentis, ut decuit tantum virum, diu deſideratus & expectatus a clero & populo univerſo, vallatus maximo comitatu, glorioſe ſuſceptus eſt in urbe Treverica cum gaudio magno valde, in patrem & paſtorem eccleſiæ Treverenſis. Reſonabat terra plauſibus in adventu tanti principis. Aderant etiam dominus SIFRIDUS Colonienſis archiepiſcopus, ac FRIDERICUS dux Lotharingiæ, comites, barones & nobiles infiniti, & ſecundum conſuetudinem eccleſiæ Trevirenſis, a clero & religioſis longa vulgi circumſtante corona, cum ſolemnitate magna introductus eſt & inthroniſatus; ſtatimque miſſarum ſolemnia in honore intemeratæ Virginis in eccleſia beati Petri devotiſſime celebravit. Quibus finitis, omnes invitantur ad epulas, palatium nulli clauditur, ſed omnibus aperitur, qui lætiores facti, poſt convivium largius jocundantur; plebs ruit ad ſpectacula novi præſulis ac reliquorum principum & baronum, totaque civitas gaviſa tali principe, congratulabatur eidem.

Cauſa quare divina fuerint ſuſpenſa in eccleſia Treverenſi.

Eodem anno ſuſpenſa ſunt divina in eccleſia ſancti Petri Treverenſis, & ſic ſuſpenſa continue remanſit cunctis diebus dom. Boëmundi jam dicti. Cauſa ſuſpenſionis fuit hæc. Tempore conſecrationis domini Boëmundi præfati, præpoſitura eccleſiæ ſancti Petri per aſſumtionem ejus in archiepiſcopum, necnon & cantoria ejuſdem eccleſiæ per mortem domini Eberti prænominati in curia Romana vacabant, magiſtro Petro phyſico Rudolphi regis Alemanniæ, & magiſtro Johanne officiali curiæ Treverenſis in curia Romana exiſtentibus, dominus papa prudentiam, ſcientiam & honeſtatem dictarum perſonarum attendens, ob honorem regis Alemanniæ, providit dicto domino phyſico de præpoſitura eccleſiæ Treverenſis, ac ob amicitiam ſpecialem quam habebat ad dominum Boëmundum, dicto magiſtro Johanni providit de cantoria eccleſiæ prædictæ cum canonicatu & præbenda, qui cum gratiis hujuſmodi Treverim pervenerunt; & his lectis & publicatis coram canonicis & prælatis dictæ eccleſiæ, & ſupplicantibus ſibi fieri quæ circa præmiſſa dinoſcuntur pertinere, magna pars capituli oppoſuit ſe graviter eiſdem, & cum ſibi adhærentibus ſedem apoſtolicam appellavit. Aſſerebant enim canonici dictæ eccleſiæ ſe juramento aſtrictos eſſe, & ſuper hoc publicum confirmationis inſtrumentum ſedis apoſtoli-

Eccleſia Treverenſis interdicto ſuppoſita, ob certamen de genteris nobilitate a canonicis ibi-tum.

cæ impetrasse, quod personas, quantumcumque litteratas, humilis nationis, nisi tantum de clara stirpe genitas admittere vel recipere non debeant in canonicos & in fratres; cum tamen personarum acceptor non sit Deus, & sola sit nobilitas quæ animum moribus & virtutibus ornat: homo enim videt in facie, Deus autem intuetur cordis interiora. Quibus etiam pactionibus dominus papa se fore contemsit obligatum, sed super his & omnibus similibus quæ excogitari possent, ac legum edictis ipsum absolutum & liberrimum esse non dubitamus. Cum enim fama dictæ provisionis domini papæ ad dictos canonicos celeriter pervenisset, priusquam litteræ & gratiæ publicarentur, de dictis dignitatibus suis concanonicis providerunt, videlicet fratrem comitis Gemini-pontis in præpositum, & fratrem domini *de Befort* in cantorem eligentes. Hinc orta est dissentio maxima inter fratres capituli prædicti. Nam dominus Boëmundus, ac decanus & archidiaconi, & magna pars dicti capituli, parebant mandatis apostolicis, reliquis suspensis & excommunicatis, & dicta ecclesia suppositia extitit interdicto, ex quo divini nominis cultus, religionis observantia, necnon & ecclesiastica disciplina penitus dissipantur.

De destructione castri Nigri-montis.

Anno 1230. His etiam temporibus dominus Boemundus archiepiscopus obsedit castrum Nigrimontis, vulgo *Svvarzenberch* dictum, ab octava Laurentii usque ad exaltationem sanctæ Crucis, cum magno exercitu, ac una cum illustri viro domino Friderico duce Lotharingiæ coadjutore suo, qui etiam ipsum castrum fundis & machinis horribiliter impetierunt, & tandem funditus everterunt, ne de cetero ibi latescant vispiliones.

De vacatione dignitatum.

Item nota quod in diebus domini Boemundi archiepiscopi omnes dignitates archidiaconatuum & abbatiarum, prælaturæ diocesis Trevirensis, atque sedes scabinorum Trevirensium vaçabant, sicut etiam idem legitur evenisse temporibus Hillini & Arnoldi archiepiscoporum Trevirensium, quas benigne & honeste disposuit, quod nulla postmodum de eis quæstio fuit. In diebus suis a bellis & incendiis terra quievit.

De modo se habendi & prudentia.

Reverendus pater idem & dominus Boemundus, qui cum summa pace diebus suis diocesim Trevirensem salubriter gubernaret, quotidianis missarum solemniis, ordinum sacrorum celebrationibus, ac horis canonicis extitit mirabiliter intentus, in rebus mundanis acutissimus indagator, & consultus procerum ac consultor prudentissimus, discordiarum sedator, pacis reformator, ac totius honestatis exemplar & informator. Jurium & consuetudinum patriæ subtilissimus & honestissimus recitator, & ob ejus miram & profundam sapientiam, apud principes & barones sæculi habebatur venerandus, civesque Treverenses paterna sollicitudine amplectebatur, eorum pervigili cura procurans libenter pacem & honorem, sicque eos reddidit cunctis suis beneplacitis benivolos & intentos. Habuit etiam idem pater consuetudinem valde laudabilem, nam quotidie missa & horis suis canonicis dictis, læto vultu processit in publicum, portis & omnibus ostiis apertis, intrabant divites & pauperes qui volebant, ac patuit omnibus ad eum facilis accessus. Alii graves querimonias super injuriis sibi illatis coram eo deponebant, alii jus & justitiam requirebant, alii super arduis & perplexis negotiis consilium & auxilium postulabant; quorum strepitum & tumultum non vitans, molem oneris & honoris pastoralis officii trementer attendens, gregem sibi commissum in cunctis suis allisionibus relevare satagebat: nec enim minus est meritum indigentibus & errantibus pie subvenire, quam hæc contemplationi inhærendo clausis oculis præterire. Isaias enim quærenti Domino quem mitteret, ultro se obtulit dicens: *Ecce ego mitte me.* Jeremias autem mittitur, & tamen ne mitti debeat humiliter reluctatur dicens: *A, a, a Domine Deus ecce nescio loqui quia puer ego sum.* En ab utrisque exterius diversa vox procedit, sed non diverso fonte dilectionis emanavit. Duo quippe sunt præcepta, Dei videlicet amor Dei & proximi. Per activam igitur vitam prodesse proximis cupiens Isaias, officium prædicationis appetit; per contemplativam vero Jeremias amori Conditoris sedulo inhærere desiderans, ne mitti ad prædicandum debeat, contradicit. Quod ergo laudabiliter alter appetit, hoc humiliter alter expavet. Iste ne contemplationis lucra perderet loquendo, ille ne damna studiosi operis tacendo sentiret. Quod Moyses utrumque miro opere explevit, quod præesse tantæ multitudini etiam noluit & obedivit. Superbus enim fortasse esset si ducatum plebis innumeræ sine trepidatione susciperet; & rursum superbus existeret, si Auctoris imperio obedire recusaret. Moyses suadente Domino trepidat, & infirmus jam quisque ut honoris onus percipiat anhelat, & qui ad casum valde urgetur, ex propriis humerum libenter opprimendus ponderibus submittit alienis. Reverendus pater Boëmundus hæc veritus, se gregis sui petitionibus exponens, super diversis quæstionibus suos subditos benignissime expedivit, & ob ejus mellifluam eloquentiam omnes eum libenter auscultabant.

Quanta fecerit in vita sua.

Item munitiones & castra totius diocesis plurimum emendavit, inferius castrum de

Numagio, Alben, & domum qui Baptiſmus dicitur erexit a fundamento. *Montabur, Hardinvels, Billithe, Meyene*, & alia caſtra plurima, & præcipue *Berincaſtel*, aulis, cameris, muris, turribus & propugnaculis ac diverſis ædificiis copioſe decoravit. Præterea in expeditionibus, conciliis & parlamentis regum & principum, inter quos ſemper apparuit præ ceteris glorioſus, magnum theſaurum largiſſime expendebat. Unde ſæpius ab eccleſiis ſubſidia poſtulabat. Corpori ſuo, rebus & amicis numquam parcens, ſed cuncta liberaliter exponens pro jure & honore imperii conſervandis, ac diœceſis ſuæ ſublimatione & commodis promovendis. Cujus fidem inclytus dominus ADULPHUS rex piiſſimus alto corde conſiderans & attendens, & quod jam in promotione ſui & imperii multa millia marcarum expendiſſet, regale caſtrum dictum *Cocheme* cum oppido adjacente & cum omnibus ſuis pertinentiis & caſtris videlicet *Clottene* & *Kemplun* cum ſuis attinentiis, & conſenſu & voluntate omnium principum regni Alemanniæ, irrevocabiliter contulit eidem eccleſiæ Treverenſi in perpetuum, pleno jure, ſine calumnia qualibet poſſidenda libere & quiete; necnon regale donum ſuo & regni principum ſigillorum munimine roboravit: melius & nobilius membrum ac utilius pro defenſione terræ ſuæ nullus prædeceſſorum ſuorum umquam comparavit. Item idem pater diverſa bona comparavit eccleſiæ Trevirenſi, videlicet bona *de Piſpurt* ab eccleſia Trevirenſi diu alienata redemit pro DCCC. marcis. Item advocatiam *de Meyene* emit pro CCC. & L. marcis. Item quartam partem advocatiæ *de Edegrin* emit pro centum marcis, & bona de Coverna pro totidem marcis. Item bona *de Iſenach* & *de Gildinsheym* emit pro quadringentis libris. Item bona *de Ludindorff* pro quingentis marcis, & multa alia quæ longum eſſet omnia per ordinem enarrare.

De homagiis.

Item feoda & homagia multa comparavit eccleſiæ Trevirenſi. Domino *de Dudenlendorff* contulit ducentas libras Trevirenſium denariorum pro feodo comparando ut eſſet homo & fidelis eccleſiæ Trevirenſis. Item domino Johanni advocato *de Hunolſtein* ducentas libras. Item domino Friderico de Novo-caſtro ducentas libras. Item Wernero Ringravio ducentas libras. Item domino *de Blankenheim* ducentas & quinquaginta libras. Item Johanni domicello *de Mailburch* ducentas libras. Item domino Reyſoni *de Bruberch* ducentas marcas. Item comiti de Vianna quingentas libras. Item domino *de Berreper* centum & quinquaginta libras. Item domino Simoni *de Keyle* quadringentas libras Turonenſes. Item domino Conrado & Wernero *de Wanisberch* trecentas libras Turonenſes. Item Iſembardo *de Heys* trecentas libras Turonenſes. Item domino Friderico *de Tettingen* ducentas libras. Item domino Boëmundo de Sarapente quadringentas libras, ut caſtrum *de Dageſteyn* ligium eſſet eccleſiæ Trevirenſi. Item comiti Gemini-pontis & domino *de Kirkele* mille libras. Item domino Godilmanno *de Dorvilre* ducentas libras. Item domino *de Manderſcheit* centum & quinquaginta libras. Idem domicello *de Brandinberch* centum & quinquaginta libras. Item domino Henrico *de Helginſteyn* ducentas marcas. Item comiti *de Ditze* ducentas marcas. Item comparavit homagia alia multo plura, pro quibus centum libras, aut paulo plus vel minus ſingulis contulit pro redditibus comparandis vel aſſignandis, ſeu pro homagiis antiquis emendandis & augendis, quæ propter tædium & narrationem prolixam breviter præterivi. Verum hæc plenius alibi annotata & regiſtrata fore dinoſcantur, quorum ſumma expenſarum omnium propter diverſam pluralitatem ſub mera certitudine facile comprehendi non poteſt.

De ornamentis quæ comparavit.

Item comparavit ornamenta eccleſiaſtica pretioſiſſima, qualia numquam a ſuis prædeceſſoribus Treverenſibus archiepiſcopis fuerant comparata, & præcipue ornamenta pontificalia, infulas, caſulas, cappas, dalmaticas & ſubtilia, quarum quinquaginta petiæ fuiſſe dinoſcuntur. Calices aureos & argenteos, cruces gemmatas & utenſilia & clenodia aurea & argentea pretioſa nimis, & gemmas electas, ac libros eccleſiaſticos multos & ordinarios pro officiis pontificalibus, & ſacris ordinibus canonice peragendis; quæ clenodia & ornamenta capellæ ſuæ ſpecialiter ad ſummam & valorem trium millium librarum aſcendere dinoſcebantur. Unde ob admirandam conſtantiam & fidem ipſius approbatam, famoſus & præclarus habebatur apud dominum BONIFACIUM papam VIII. & apud omnes cardinales: nam de ejus experta ſapientia & fidelitate virtuoſa in omnes fines terræ jam fama pervolabat, licet tamen in vita ſua multos habuerit æmulos detractores, qui ſuis felicibus actibus invidebant. Quod idem legitur de ALBERONE Trevirorum archiepiſcopo, viro magnifico & in cunctis ſuis actibus glorioſo. Hos ſtimulos ſæpe ſentiunt adhuc viri virtuoſi; ſed de his omnibus liberat eos Dominus, diſſipans conſilium Achitophel, & David fidelem erigit eliſum. Velit nolit Saül æmulus, David proſperatur.

Qualiter Tripolis deſtructa eſt.

Anno Domini MCCXC. Tripolis civitas nobiliſſima terræ ſanctæ, multo ſanguine & ſudore Chriſtianorum conquiſita & conſervata, in medio perverſæ nationis ſita, peccatis exigentibus, quoniam diminutæ ſunt ve-

ritates a filiis hominum, & in universali ecclesia non modicum refriguit caritas plurimorum, capitur & deletur funditus a Saracenis, loca sancta polluuntur, virgines defloruntur & Christianus populus infinitus occiditur, & quibus pepercit gladius in servitutem rediguntur. Et quare hoc? Quia dereliquerunt fontem sapientiæ: nam si in via Dei ambulassent, hereditassent utique in pace sempiterna. Heu! cæcitas umbrosa rationalis creaturæ, quæ sic in te lumen æternæ sapientiæ concupiscentiarum tenebris offundis, ut totum quod in te factum est per misericordiam, revertatur in vindictam. Facile est enim multos concludi in manus paucorum, dicit Machabæus, & non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis aut in paucis; quia non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Sed *scimus quia peccatores non exaudit Deus*, ut cæcus natus testatur in Evangelio; & hoc Dominus per Isaiam manifeste declarat dicens: *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis; quod si nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius meus devorabit vos, & cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam vos: manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Moyses enim vicit Amalech prece, non armis: quamdiu autem filii Israël steterunt in præceptis Domini, victores extiterunt; transgressores vero facti, ab inimicis prostrati doluerunt.

De destructione Achon.

Anno Domini MCCXCI. post dolorosam eversionem Tripolis, soror ejus Achon habens oculos & non videns, aures & non audiens, velut aspis surda, nec tot & tantis sororis prostratæ flagitiis emendata, diadema regni sola adhuc erecta cervice portavit indigne, peccatorum multitudine miserabiliter excæcata. Quod Dominus prævidens conqueritur per prophetam dicens: *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Et per Ezechielem clamando minatur: *Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ. Nunc finis super te, & immittam furorem meum in te, & judicabo te extra vias tuas.* Cum autem Achon civitas plena populo, rebus, armis & militia, divitiis & deliciis mundi supereminens glorioſa, firma pace frueretur, & adhuc firma radice persisteret, & incolæ ejus dicerent: pax & securitas, ecce repentinus supervenit eis interitus; nam flagellum suum misit Dominus ut flagellaretur urbs scelerata. Soldanus enim Babyloniæ cum ingenti barbarorum multitudine circumvallavit civitatem undique, machinis & tormentis variis muros impetens, & suffodiens per vias subterraneas. Per dies paucos eam expugnavit (a) & delevit usque ad internecionem, nec lapidem super lapidem dereliquit. Post hæc omnia castra & munitiones terræ sanctæ Soldani dominio subito subjugantur. Proh dolor! sanctum datur canibus, & margaritæ mittuntur ante porcos, ut conculcent eas pedibus. Quis marmore durior, adamante solidior, qui non defleat desolationem terræ sanctæ, virginum defloraciones, matronarum illusiones, raptarum deductarumque suspiria, Christiani sanguinis effusionem in circuitu, & non erat qui sepeliret. Et ut ait Isaias, *facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum. In omnibus his non est aversus furor Domini, sed adhuc manus ejus extenta*, quod utique dolor est audire; sed dolorosius multum, quod hoc exigit iniquitas perversorum. Plangite & ululate filii Effrem, male tendentes arcum, & sagittas pejus emittentes, turpiter in die belli conversi retrorsum. Superbia vestra magna & insatiabilis avaritia sunt causa perditionis terræ sanctæ. Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni, regionem vestram coram vobis devorant alieni, & adhuc Domine *superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. Quiescere ergo faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo*, dicit Dominus. *Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.* Ad vos hoc verbum filii Belial dispersionis oves. Ad vos est hoc verbum, pro quibus totus mundus prorumpens in verba obloquitur. Sathanas princeps aquilonarius qui in se divisus est, habitat in medio vestrum, tamquam qui ministrat, persuasor discordiæ, spiritus tenebrosus, qui posuit linguas vestras in divisiones, & in pluralitatis articulos vestram disgregare compulit unitatem.

De morte Rudolphi regis.

Eodem anno obiit serenissimus princeps Rudolphus Romanorum rex, qui multa castra prædonum dejecit, multa prælia commisit, regem Bohemiæ in bello prostravit, ac regnum Alemanniæ in diebus suis strenue gubernavit. Qui etiam ad petitionem domini Boemundi Trevirensis archiepiscopi, quem sincere dilexit, quinque oppida in dioceſi Trevirensi sita, videlicet *Montabur, Berincastel, Witelich, Pilliche* & *Sarburch* regali auctoritate liberas esse statuit, & hoc sigilli sui munimine confirmavit pleno jure, prout regalis magnificentia civitates & oppida liberare consuevit; quam libertatem inclyti domini Adulphus & Albertus Romani reges publice confirmarunt.

De electione Adulphi regis & morte ejus.

Anno prædicto domino Rodulpho Romanorum rege defuncto, Adolphus comes de Nassowe, vir magnanimus & princeps clementissimus, bellorum titulis & militia præ-

(a) De expugnatione urbis Accon duos subsequente tomo libros dabimus ab auctore coævo conscriptos.

clarus, ab univerſis Alemanniæ principibus electoribus in Romanorum regem concorditer eligitur, cunctis admirantibus & laudantibus occulta judicia Salvatoris. Qui conſecratus & regali diademate inſignitus celeriter extitit cum ſolemnitate magna. Quos tamen electores, qui ſibi graviter adverſabantur in principio, ſolus dominus Boemundus archiepiſcopus inclinavit ad electionem prædictam, & cum ſumma prudentia conſenſum omnium obtinuit, & eoſdem reddidit ſibi benivolos & pacatos. Qui cum regni ſui anno ſecundo marchionatum Miſnenſium ac plures urbes & caſtra armis & militia victorioſe debellaſſet; creſcenteque ejus gloria in omnes fines terræ, inimica & odioſa detractio, quæ ex invidia diaboli in mundum introivit, contra inclytum Adolphum crudeliter exarſit. Collegerunt pontifices & Pharifæi concilium in unum, & adverſus principem unctum Domini convenerunt. Quid facimus, inquiunt, hic homo de hoſtibus ſic triumphat, ſi ſic ipſum dimittimus, omnem ſibi ſubjiciet gloriam Alemannorum, & more Cæſareo veniens non tardabit. Obſtemus ergo principiis, ne forte ſcintilla tenuis in flammam tranſeat deſtructivam; nec ſagitta noſtra plus lateat, ſed procedat; ſic procedat quod feriat, ſic lædat ut jaceat, ſic proſternatur quod amplius non reſurgat. Sic moti ſunt contra Romanum principem oberrantes, quod auctores malitiæ facti ſunt ſimul, & judices aperte judicium perverterunt. Dominus Gerardus archiepiſcopus Moguntinus, conſanguineus ipſius domini regis, cum regni inimicis ſibi adjunctis, jam occulte affectabat Albertum ducem Auſtriæ in regem ſublimare. Dux autem juramentis peractis, & promiſſionibus allectus, cum ingenti militia feſtinanter Moguntiam veniens, quod jam conceperat palam apparuit, & regnum invadens oppoſuit ſe regi jam manifeſte. Ex quo bella campeſtria, ſtrages hominum, ac incendia quamplurima ſunt ſubſecuta. Rex etenim cum ſtrenua militia armatorum properanter occurrit eidem. Exercitibus hinc inde conſertis, & nihil aliud præter bellum ſpirantibus, rege vero ſuorum amicorum adventum expectante, numerus ſuorum augebatur quotidie, ac multa millia hominum ad ejus ſubſidium venire feſtinabant. Quod dum ſtudioſe conſiderans, & ſuorum ingens periculum imminere, doloſe fugam ſimulans, longius retroceſſit. Quo cognito rex inſecutus eum nimis incaute, quos fuga lapſos & deſperatos jam ſperabat, armatos & ordinatos ad bellum reperit acriores. Commiſſum eſt e veſtigio campale prælium doloroſum, ibique rex clementiſſimus, famoſus & præclarus, cum magna ſtrage ſuorum proſtratus in ſua propria pro jure & honore regni occubuit innocens ſine cauſa, anno Domini MCCXCVIII. Super cujus morte dominus Boemundus Trevirorum archiepiſcopus conſolari non potuit cunctis diebus vitæ ſuæ; quia ſicut mater unicum amat filium, ita eum tenere diligebat. His temporibus Florentius comes Hollandiæ a quibuſdam ſuis armigeris occiditur, & poſt paucos dies filius ſuus unicus heres ſuperſtes intoxicatus veneno interiit. Johannes autem comes Hannoniæ terram occupavit tamquam jure hereditario ad ſe devolutam.

De Cæleſtino papa & Bonifacio papa.

Hoc tempore dominus Cælestinus papa, poſtquam ad ſummi pontificatus apicem aſſumtus fuerat, curas & tumultus ſæculi contra eum inſultantes, quæ corda dulcis contemplationis rore perfuſa ſauciant & enervant, quieto pectore ferre non valens, nam idem elegerat ab olim, poſtquam ad hoc ei Dominus tribuit intellectum, abjectus eſſe in domo Domini, & ſanctæ contemplationi vacando, ſedere ad pedes ipſius, auditurus verba cœlica cum Maria, & cum illa partem teſtimonio ipſius Domini optimam eligens, ne implicitus mundi turbinibus cum Martha erga plurima turbaretur. Propter quod a ſuæ juventutis auſpiciis religionem intravit, ut in humilitate ſpiritus Deo ſpirituum deſerviret, Sed dum per hæc ad Rachelis obtinenda conſortia ſolido inhiaret propoſito, Liam lippis oculis eſt expertus ei expoſitam pro Rachele. Nec mora retraxit pedem, quem in ingreſſu mundi levi motu & non fixum poſuerat, molemque injuncti operis trementer attendens & timens, ne ſic premat & opprimat quod portantis debilitas molis ejus immenſitati ſuccumbat, convocatis fratribus cardinalibus, & decreto ſuper hoc edito, ſummi præſulatus honorem in manus fratrum cardinalium libere reſignavit. Quem Bonifacius papa VIII. ſucceſſor ejus tenuit ſub privata cuſtodia quoad vixit, & hoc ex induſtria, ne forte error oriretur in populo & verteretur in ſcandalum & conculcationem eccleſiaſticæ libertatis. Iſte eſt Bonifacius papa qui ſextum librum decretalium compilavit. Item idem dominus papa condemnavit & depoſuit per definitivam ſententiam dominum Jacobum de Columna & dominum Petrum cognatum ſuum cardinales nobiles Romanos præ ceteris potentiores, ac nobile caſtrum eorum dictum Columna, duodecim milliaria ab urbe ſitum, potenter aggreſſus a manu forti, expugnavit & delevit funditus, necnon & in contemtum & perpetuam memoriam, ut numquam reſurgat, vel fructus utiles ibi creſcant, infra & in circuitu multa ſalis onera ſpargi fecit, dictique cardinales facti profugi, vix invenerunt locum tutum in toto orbe. Sic condemnati uſque in quartam generationem.

Hæc eſt ſententia depoſitionis dominorum Jacobi & Petri de Columna cardinalium, lata a domino papa Bonifacio octavo anno Domini MCCXCVII. *decima menſis Maii, in palatio juxta ſanctum Petrum.*

1] Exũrgat (a) Deus & diſſipentur inimici ejus. Poſtmodum propoſuit loco prothematis hanc auctoritatem, exurgat impius, exurgat juſtus, exurgat Deus. Cujus auctoritatis talis expoſitio fuit: Exurgat impius ad diſſipandum, ut intelligamus active, & ſic loquitur primum thema propoſitum, Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus. Secundo, Exurgat Deus ad judicandum & ad condemnandum, & ſic in pſalmo legitur: *Exurge Domine, judica cauſam meam.* Tertio, Exurgat Deus ad miſerendum, & ſic Pſalmiſta loquitur: *Tu exurgens miſereberis Sion.* Deinde aſſumſit hæc verba: *Ecce inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput, malignaverunt concilium, & cogitaverunt adverſus ſanctos tuos.* Deus ſi hæc faciunt, quis ſimilis erit tibi? Ne taceas neque compeſcaris ab eis, ſed in chamo & fræno maxillas eorum conſtringe. Duobus ultimis illius auctoritatis articulis omiſſis, Exſurgat juſtus. Reſumo primum membrum, Exurgat impius &c. & ut breviter deſcendatur ad factum; ſcire debetis aut ſcitis, quod olim dominus JOHANNES de Columna damnatæ memoriæ cardinalis exiſtens tempore domini Gregorii papæ noni, fuit notus perſecutor eccleſiæ Romanæ, & Romanum populum excitavit in tantum, quod contra dominum GREGORIUM clamabant: Moriatur, moriatur papa. Nihilominus FREDERICUM imperatorem prope portas urbis adduxit, qui obſedit Romanum populum, cardinales & papam tunc in urbe manentes. Idem vero Gregorius in S. Johanne de Laterano exiſtens, quadam die aſſumpſit capita beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & tunc cœpit proponere verba iſta. Romani filii, ego peccator vilis & inutilis paſtor, hic ſunt veſtræ fidei Petrus & Paulus noſtri paſtores, defendatis eos per crucem. Et tunc audito ſermone Romanus populus devotione accenſus, crucem aſſumſit, & tanta fuit multitudo crucem aſſumentium, quod chlamys D. papæ cum multis aliis ornamentis in ejus confinio poſitis, fuerit propter crucis aſſumtionem conſumta. Quo audito imperator retroceſſit ab obſidione. Demum idem Gregorius cogitavit & deliberavit circa puniendum exceſſum dicti cardinalis de Columna; & deliberatione habita cum peritis, & maxime cum domino Hainbaldo de Hainbaldis, ac domino Matthæo de filiis Urſi, voluit & deliberavit dictum deponere cardinalem. Sed morte præventus, quod conceperat non potuit conſum-

A mare. Ecce initium Columnenſium, quomodo cœperunt eccleſiæ Romanæ eſſe devoti: & ſi non vidiſtis hæc quæ dicta ſunt, vos filii Romani, patres etiam veſtri hæc annuntiaverunt vobis; deinde Johannes de Columna miles, qualis fuit & unde proceſſerit, notum eſt vobis Romanis. Gaudebat dum fabulando poterat, inter vicinos & proximos, & a modico tempore cum cœpit habitare urbem, & poſtmodum propter favorem & honorem Romanæ eccleſiæ, cœpit opprimere conſanguineos, ſuppeditare vicinos, & alios ſibi notos. Hæc provenerunt ex adipe Roma-
B næ eccleſiæ: nam dum Jacobus de Columna fuit ad cardinalatus honorem aſſumtus, cœpit in eis ſuperbia exaltare fimbrias ſuas, quia a domibus quas inhabitabant, uſque ad capitolium, ut videtis, poſuerunt columnas ſuas. Nam antea dictus Jacobus fuit unus canonicellus in eccleſia ſancti Petri, & dominus NICOLAUS papa tertius de domo Urſinorum fecit eum cardinalem, & credidit eum fidelem amicum domus ſuæ, & conſtituit majorem perſecutionem, quam umquam habuit domus Urſinorum. Et qualis idem Ja-
C cobus, & in quo ſtatu erat, ſciunt illi qui viderunt. Poſtmodum venit Petrus de Columna caput ſuperbiæ. Nam pater ſuus pluries dixit nobis, quod eſſet ruina & deſtructio domus ſuæ, per ſuperbiam quam habebat, & qualis fuerit annuntiamus vobis. Item fuit caput Gibellinorum & perſecutorum eccleſiæ, recollegit omnes rebelles dictæ eccleſiæ Romanæ; & plus conſtat nobis, tam per prælatos, reges & magnates, ac per litteras quas ipſe mittebat & recipiebat, quod Jacobum Arragonum, tunc eccleſiæ rebellem, nunc fidelem & amicum ipſius eccleſiæ concitavit ut ſeditionem facerent & moverent contra eccleſiam Romanam. Ecce quæ merita red-
D didit filius matri ſuæ, cujus ubera ſuxit, cujus adipe ſatiatus fuit. Sed alia multa tacemus propter decentiam ſtatus noſtri. Ipſi vero non contenti præteritis, voluerunt delicta præterita recenſere modernis. Quia vos audiſtis, quod cras erunt octo dies, quod nos ſpoliaverunt theſauro quem acquiſieramus tempore noſti cardinalatus; quanta fuerit hæc injuria, necdum dici poteſt atrox, ſed atrociſſima. Nam injuria dicitur atrox ratione loci & perſonæ; quod ratione loci ſit apparet, quia in januis urbis Romanum noſtrum theſaurum invaſit. Hæc injuria nedum facta eſt no-
E bis, ſed etiam populo Romano. Quis enim auderet ſummum pontificem requirere, quod in urbe faceret manſionem, ex quo ſibi a tam vilibus hominibus fieret injuria. Certe ſi Romanus populus hæc ſub diſſimulatione tranſiret, magnam partem ſuæ intentionis perdidiſſet, quia huc curia de cetero non veniret.

(a) Plures aliæ latæ ſunt ſententiæ contra Columnenſes. Rainaldus ad annum 1297. pag. 505. prolixiorem unam edidit, cujus tale exordium: *Præteritorum temporum nefandis &c.* Item pag. ſeq. aliam ſic incipientem: *Lapis abſciſſus de monte ſine manibus.* Edita quoque eſt in illos conſtitutio quæ inſerta fuit in ſexto decretalium libro.

Conſideret etiam unuſquiſque nobis inferior, quod ſi Romano pontifici violentia facta fuit, quomodo fieri non poterit multo magis uni de cardinalibus, vel alii inferioris ſtatus? Si hæc fiunt in viridi, in arido quid fiet? Hoc eſt ſi fiat papæ, qui eſt lignum viride, multo fortius quomodo non fiet in arido, hoc eſt uni inferiori? Unde quia facta ſunt nobis inuſitata, rem novam aggredimur; quia facta ſunt inſolita, faciemus inuſitata. Quare nos conſiderantes tantæ temeritatis exceſſum, & exemplo pernicioſum, non quod ex ablata pecunia dolcamus; ſed ſi ſineremus ex patientia, ſive ex negligentia, tam grave ſcandalum impunitum conniventibus oculis præterire, nobis poſſet improperari. Quomodo præſumimus judicare reges & principes orbis terrarum, & vermiculum aggredi non audemus? Ideo more boni medici volumus tollere morbum per quem impeditur cauſa ſalutis. Quia ſcimus quod coronæ Ebron & Ephrem inebriant, hæ ſunt coronæ cardinalium, qui ex adipe Romanæ eccleſiæ ſunt ſaturati & impinguati, & nunc recalcitrare cœperunt. Voſque videntes quod hi qui nobiſcum dulces capiebant cibos in eccleſia Dei, & nobiſcum ambulaverunt cum conſenſu, ponebant ſcandala contra nos & ipſam eccleſiam, quæ uſque nunc tacuimus & ſuſtinuimus patienter. Sed urgente conſcientia & zelo domus Dei, cogimur ponere ſecurim ad radicem, ut illa evulſa, ramuſculi peſtiferi de cetero non vireſcant. Licet quæ dicta ſunt cum cordis amaritudine poſtulemus; & cum magno dolore referimus quæ ſequuntur. Ipſum quidem JACOBUM DE COLUMNA, quondam diaconum cardinalem tituli ſanctæ Mariæ in [a] (a) Via lata, & PETRUM DE COLUMNA, quondam cardinalem ſancti Euſtaſii, omni commodo perpetuo ac æternaliter privamus cardinalatus honore, & omnibus eccleſiis urbis commiſſis eiſdem: cetera beneficia eccleſiaſtica quæ tenebant diſpoſitioni noſtræ reſervamus, ut ſi viderimus eos in humilitatis ſpiritu perſiſtere, agamus ſuper illis miſericorditer cum eiſdem. Et ſi, quod abſit, in ſpiritu rebellionis ſeu inobedientiæ proſilirent, ipſos ex nunc ſchiſmaticos judicamus. Et hæc facimus de fratrum noſtrorum conſilio, & ampliori qua fungimur & poſſumus plenitudine poteſtatis. Clericos vero beneficiatos, per maſculinam vel femineam lineam deſcendentes, uſque ad quartum gradum privamus omnibus eccleſiaſticis beneficiis, ſive præbendæ, perſonatus, ſive dignitates exiſtant, vel quocumque nomine cenſeantur, & * ſ admitti. quod de cetero admittere * non poſſint ad cardinalatus honorem; quin immo ipſos ſuperius nominatos, ſive ex linea maſculina, ſive feminina deſcendentes, quantum ad hunc gradum cardinalatus, judicamus & definimus perpetuo & æternaliter inhabiles & indignos. Et ideo caveant Romani ne cum ipſis matrimonia contrahant in futurum. Obſecrantes vos fratres cardinales præſentes & poſteros adjurantes per ſanguinem JESU-CHRISTI, ut hanc noſtram ſententiam æternaliter teneatis. Prædicimus quod ſe per nos de cetero reſtitui non confidant, quia illa hora qua hæc faciemus, nedum perdamus vitam temporalem, ſed careamus æterna. Et ſi qui eis auxilium, conſilium vel favorem præbuerint clam vel palam; ſi laïci fuerint, ipſe jure ſententiam excommunicationis incurrant, & omnibus bonis quæ tenent a Romana eccleſia ſub titulo fidei ſive nomine cenſuali, vel alio quocumque titulo, volumus eſſe privatos; & illa bona Romanæ eccleſiæ confiſcamus. Si vero clerici fuerint in beneficiis vel dignitatibus conſtituti, illis ipſo facto & in perpetuum ſint privati. Decernentes ipſos omnes fore in vitium ſchiſmatis incidiſſe, qui prædictos quondam cardinales in eorum errore quo vellent contra noſtram ſententiam perſiſtere, auſi fuerint quoquomodo * AGAPITUM autem & STE- * f. adjuvare. PHANUM DE COLUMNA citamus peremtorie, & pro citatis haberi volumus, ut infra decem dies veniant mandatis Romanæ eccleſiæ parituri, alioquin excommunicationis ſententiæ ſubjaceant, & omnia quæ tenent a Romana eccleſia vel quibuſlibet aliis, ſint ipſo facto privati. Ipſe vero Agapitus ſcripſit hominibus de Columna, quod ſibi darent contra Romanum pontificem auxilium & ſuccurſum; at nos contra proponentes facere quod in pſal. legitur: *Diſperdamus eos, & non memoretur nomen eorum ultra*, poſſet dicere aliquis quod hæc noſtra ſententia contra quoſdam cardinales lata videretur injuſta, pro eo quia qui deliquerint puniri mererentur, & non alii; & hoc videntur dicere multa jura. Et alibi dicitur: *Filius non portabit iniquitatem patris*. Hæc jura & ſimilia intelliguntur, quæ ſpiritualiter infiguntur. Sed aliter eſt in his quæ temporaliter imponuntur: & licet ſpiritualiter ab aliquibus intelligeretur; nos tamen volumus quod generaliter intelligatur in cauſa præſenti, propter enormitatem ipſius. Præterea videntur nobis oſtendere jura dicentia, quod aliquis non eſt puniendus ſine culpa, punitur tamen ex cauſa, & tamen ipſi cardinales ſint cauſa perpetrati delicti, quia propter eorum ſuperbiam & malitiam ac potentiam qua abutebantur, exceſſus multiplices ſunt commiſſi, ſicut apparuit in vacatione Romani pontificis ultima, quæ fuit Perufii. Nam idem JACOBUS vacationem tam diutinam procuravit, & quod homicidia & diſpendia ſunt ſecuta ex vacatione prædicta, novit ille qui nihil ignorat. Occupaverunt inſuper, & occupari fecerunt, & a ſubjectione Romanæ eccleſiæ ſubtraxerunt civitates & caſtra, & loca quam plurima Romanæ ec-

(a) Legitur in mſ. cod. *Inviolate*. Quæ cauſa fuit, ut opinor, Browero ſæpius errandi.

cleſiæ

cleſiæ pleno jure ſubjecta, & caſtra quæ tenebat dictus Jacobus de Columna in manu ſua, ſibi & fratribus ſuis & nepotibus ejus dolo deſiit poſſidere, & ea tradidit illis, & fidelitatis juramentum & homagium ipſis fieri procuravit. Et vos Romani vidiſtis, quod hoc anno hæc tranſivimus negligenter : unde propter cauſas hujuſmodi, & propter ſcelera præterita, ut multis graſſantibus opus ſit exemplum, ne in futurum ſimilia fiant per eoſdem, eradicare volumus illam ſtirpem maledictam, & illum ſanguinem peſtiferum, quia ſemper habuerunt erecta capita & ſuperbiam & contemtum. Poterit aliquis dicere quod cardinales ſtatum non habeant. Habent & non habent, cum ex eorum electione canonica eligatur is & procedat, qui eſt ſuper omnes in poteſtatis plenitudinem conſtitutus, & qui habet ſolvere & ligare ſicut vicarius JESU-CHRISTI. Et certe non eſt aliquis poſt Romanum pontificem tam nobilem ſtatum habens. Conſtat quod ipſi ſunt membra capitis noſtri. Etenim non habent ſtatum ut ſummus pontifex eminentem, cum non ſit niſi ſolus papa aliquis alius habens ſtatum, quia ipſe non eſt ſub ſtatu alicujus inferioris eo. Sed cardinales ſtatum habentes, ſunt ſub ſtatu Romani pontificis, qui habet eos corrigere & punire : unde propter ſuperbiam & alios exceſſus graves, papa poteſt animadvertere contra eos ; nec miretur aliquis ſi cardinalis in tanto ſtatu poſitus, propter ſuperbiam deponatur : nam ſupernus artifex diſpoſuit hierarchiam in eccleſia ad modum eccleſiæ triumphantis, ſicut legitur de lucifero, qui digniorem ſtatum habuit in angelica hierarchia, propter ſuperbiam corruit in profundum, & caruit cœleſtis beatitudinis viſione ; ſic iſti a ſtatu felici quem habebant in eccleſia militanti, propter ſuperbiam ceciderunt : & dignum eſt ut induantur confuſione qui maligna loquebantur, & ſuper me faciebant malum, & cogitabant dolum adverſus patrem ſuum; propter quod eorum facies ignominia repleantur & erubeſcant, & conturbentur, confundantur & pereant in ſæculum ſæculi, ut cognoſcant quod nomen Romani pontificis eſt notum in omni terra, & eſt ſolus altiſſimus ſuper omnes.

De vineis congelatis.

Item per ordinem præpoſterum revertar ad incidentias temporum. Anno Domini MCCXCV. per totam dioceſim Treverenſem vineæ congelantur, & vindemiis ceſſantibus, non pauci ad vindemiandum vineas intrare dedignabantur. Sicut Iſaias prædixit, *decem jugera vinearum facient lagunculam unam.* Et paulo poſt ſequitur : *Vinum in torcular non calcabat qui calcare conſueverat ; vocem cantantium abſtuli, dicit Dominus.* Anno Domini MCCXCVI. inundaverunt aquæ Treviros, & flumen Moſellæ elevatum eſt ſuper muros Treverenſes in ripa Moſellæ ſitos, ita quod cellaria in medio civitatis ſita aquis replerentur, quod etiam prius numquam viſum eſt a diebus antiquis. His diebus iterum orti ſunt Vapulatores (*a*) qui ſe ſcuticis & flagellis rigide percuſſerunt, per civitates, oppida & villas decurrentes, ſub quadam ſpe ſanctitatis quædam nova cantica decantabant. [*a*]

De electione regis Alberti.

Poſt occaſum pacifici regis Romani ADULPHI, convenientibus principibus Alemanniæ apud Frankenwort, die aſſignata ad eligendum regem, concorditer elegerunt virum ſtrenuum & bellicoſum ALBERTUM ducem Auſtriæ prædictum, Rudolphi regis filium : nam litteris, juramentis & pactis omnes electores regales, excepto domino BOEMUNDO Trevirorum archiepiſcopo, aſtricti fore dicebantur eidem, ut nullum alium in regem eligerent præter eum. Ad quam diem dominus BOEMUNDUS præſul Trevirenſis perveniens, & ſe cernens undique fraudibus circumventum, timens etiam diſcrimen corporis & rerum, nec declinare valens a dextris vel ſiniſtris, ad ſe reverſus vir miræ prudentiæ, ac ſano uſus conſilio, omnibus promiſſionibus, pactis & juramentis dictum ducem Auſtriæ ad cautelam fecerat abrenuntiare. Quo facto dicti principes ad electionem regiam libere proceſſerunt, dictum ducem, ut prætactum eſt, concorditer eligentes. Deinde in proximo feſto beati Bartholomæi apoſtoli Aquiſgrani inthroniſatus conſecratur, inungitur & coronatur cum ſolemnitate debita & conſueta. Et eodem videlicet anno Domini MCCLXXXVIII. * vir totus miſericordiæ operibus deditus Francorum rex benigniſſimus ſanctus LUDOVICUS per ſedem apoſtolicam canonizatus, (*b*) catalogo ſanctorum adſcriptus eſt, & prima dies natalis ejus in proximo Bartholomæi apoſtoli ab univerſis principibus & prælatis regni Franciæ ad hoc convocatis, reverentiſſime celebrata eſt in eccleſia beatorum Dionyſii & ſociorum ejus, in qua eccleſia ſacratiſſimum corpus ante multos annos extitit tumulatum. * *l.* MCC. XCVIII [*b*]

De occiſione Judæorum.

Eodem anno clamor validus pene omnium Suevorum nobilium, plenus quidem furore & querimoniis, quæ gravem injuriam indicabant, contra Judæos invaluit, & ſatis diræ perturbationis jaculo Chriſti fidelium mentium interiora tranſivit, dum ex eorum clamore concordi etiam querula voce cognoverant perfidos Judæos puerum cujuſdam nobilis & potentis viri, in contemtum Chriſtiani nominis jugulaſſe, quod ſcelus im-

(*a*) De his vide quæ ſcripſit Ægidius Muiſius abbas ſancti Martini Tornacenſis, tomo ſequenti.

(*b*) Bullam canonizationis edidit Jacobus Bongarcius, & poſt eum Querecetanus tom. 5. hiſt. Franc. pag. 486.

mensum diu latere non potuit, sed prodiit in publicum; nam justus Judex hoc transire noluit impunitum. Surrexerunt Swevi velut lupi rabidi, dum irrumpunt caulas ovium, quas omnes strangulant, dum tamen cuilibet posset sufficere una ad suam ingluviem refrenandam. Arma sumunt Swevi, & virum quemdam nobilem dictum *Rintfleis* eligentes in principem & ductorem, congregatoque exercitu maximo, Judæos ferociter invaserunt, nulli parcentes, elevatis signis & vexillis bellicis, per diversas terras transeuntes, violenter civitates, munitiones & castra in quibus Judæos esse cognoverant, potenter infringentes, per loca diversa multa millia Judæorum occiderunt.

De rege Franciæ & comite Flandriæ.

His temporibus PHILIPPUS rex Francorum totius Franciæ viros & vires exponens contra GUIDONEM comitem Flandriæ movit castra, & cum potenti exercitu intravit fines Flandriæ, castra, villas & oppida destruens, nulli parcens. Ipse enim comes paucos ex suis fideles invenit. Nam cives omnium oppidorum Flandriæ per promissiones & munera dolose corrupti, fautores regis extiterunt, occulte vero eorum domino malum pro bono reddentes, captabant in animam justi. Valida jam conspiratione facta, recalcitrantes sub suavi jugo comitis, qui semper suos subditos cum magna pietate regere & defensare consuevit. Deinde post strages hominum & incendia multa, comes Flandriæ una cum filio suo ROBERTO comite *de Nyvers*, cui pater etiam jam comitatum Flandriæ tradidit pleno jure, & seipsum devestivit, de communi consilio duodecim principum Franciæ, qui pares nuncupantur, ad sententiam & ordinationem quorum omnia jura, judicia & consilia totius Franciæ dependent, dicti comites pater & filius se committentes gratiæ regis, sub spe pacis & veniæ, prisionem intraverunt servaturi, interimque tota Flandria potestati regiæ subjugatur; quorum fines rex Franciæ aggredi numquam ausus fuisset, si homines eorum stabiles & fideles invenisset. Origo dissensionis & causa præcipua fuit hæc. Comes Flandriæ filiam suam desponsavit primogenito filio regis Angliæ, quem longa guerrarum dispendia Francis reddiderant odiosum, & quod Francigenis ex dictis nuptiis oriri posset in posterum non modicum periculum & discrimen. Nobilis vero comes Flandriæ, & inclytus ROBERTUS filius ejus, cujus hasta numquam abiit retrorsum, proh dolor! male decepti, & sine causa legitima vinculis mancipantur, ruptoque fœdere male pertractantur, velut flores marcidi bestiarum pedibus ferocium conculcantur. Hinc dolor & timor viris nobilibus quod sanguis generosus ex alta prosapia, magnipotens prudentia, honor, opes & famosa militia prostrata dolet, & odiosa detractio jam regnat coronata. Regnum quod stabilivit ab olim justitia & rectitudo, jam repletur spinis & sentibus, & radix HUGONIS quondam ducis Aurelianensium in ramos pestiferos pullulat pungitivos.

De rege Tartarorum.

Anno Domini MCCXCIX. post lamentabilem terræ sanctæ depopulationem, placatus Dominus super malitia populi sui, recordatus est desolationis terræ sanctæ, ac solita misericordia de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Volens vindicare sanguinem servorum suorum qui effusus est, non invenit virum idoneum inter filios ecclesiæ qui pugnare velit bella Domini, omnium oculos dextros eruit Naas Ammonites, *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Quapropter iratus Dominus ait: *Ecce nationem filiorum reprobavi*, testante Psalmista, sicut prædixit Isaias: *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos; ipsi regnaverunt, & non ex me; principes extiterunt, & non cognovi, dicit Dominus.* Quos tamen, ut ait Gregorius, internus judex provehit & non cognoscit; quia quos permittendo tolerat, profecto per judicium reprobationis ignorat, sicut ipse ait: Recedite a me operarii iniquitatis, nescio qui estis. Væ regibus & principibus solo nomine Christianis, qui tenentes legem nesciunt auctorem legis; qui vero ea quæ Domini sunt nesciunt, a Domino nesciuntur. Unde Paulus, *Ignorans ignorabitur*, quia *noluit intelligere ut bene ageret; sed propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus. Prope est ut veniat tempus ejus: miserebitur enim Dominus terræ populi sui, & eliget adhuc de Israëlitis veris, & quiescere eos faciet super humum suam, & erunt capientes eos qui se ceperant, & subjicient exactores suos*, ut ait Zacharias; *possidebit Dominus partem suam in terra sanctificata, eliget adhuc Jerusalem.* Verecundantur principes nostri impinguati, dilatati, qui pascunt semetipsos. Quod crassum est devorant, quod ægrotum projiciunt, fractum non alligant, erroneum non reducunt, nec perditum requirunt. Ergo per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Proh dolor! inter mille millia Christianorum sub cœli cardine militantium, non est inventus homo qui ascendat ex adverso, & opponat se murum defensionis pro domo Israël, ut stet in prælio in die Domini, qui descendens ab arce poli factus homo, se totum nobis dedit in pretium, ut nos de manibus inimicorum nostrorum liberati

ſerviamus illi in ſanctitate & juſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris. Nec eſt qui recogitet vel vicem rependat : ut quid enim Chriſtus, ait Apoſtolus, *cum adhuc infirmi eſſemus, ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt ; vix enim pro juſto quis moritur, nam pro bono forſan quis audeat mori. Propterea hæc dicit Dominus Deus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dextram ut ſubjiciam ante faciem ejus gentes, & dorſa regum vertam.* Dominus qui tartara confregit, & Tartaricum principem debellavit, nunc elegit ex univerſis gentibus regem Tartarorum, prophetica voce clamante, qui dixit : *Nonne de multis quæſivit Deus virum qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra ſe pro terra, ne diſperderet eam, & te reperit? Quem mittam, dicit Dominus, & quis ibit nobis?* Et dixit rex alienigena : Ecce ego ſum, mitte me, nam Chriſtiani reges ſteterunt omnes. Et dixit Dominus : Vade & ulciſcere ſanguinem ſervorum meorum, quia vindictam retribuam in hoſtes eorum, & propitius ero terræ populi mei. Subito ſurrexit rex fidelis, alienus a fide, fidei pugil egregius, cum ingenti armorum ſtrepitu & horribili turbine bellatorum quaſi peſtis ab originalibus ſedibus Tartarea clade depulſa, & velut moles ingens per abrupta montium & declivium fluminis jactibus & fulminis ictibus devoluta in ſanctam civitatem Jeruſalem irruiſſe crudeliter nuntiatur, fremens & frendens cuncta proſtravit ; terror ejus jam invaſerat totam Aſiam ac omnes regiones Sarracenorum. Soldanus autem Babyloniæ, & ſoldanus Atticus, & ſoldanus Damaſci, cum regibus & ſatrapis multis, magno collecto exercitu barbarorum occurrentes eidem, commiſſum eſt campale prælium nimis horridum a mane uſque ad veſperam. In quo bello ceciderunt hinc inde, ut creditur, centum millia hominum. Interque micantes gladios fumabant arva tepido ſanguinis profluvio rubricata. Soldanus vero Babyloniæ anguſtiatus nimis videns ſtragem ſuorum, & Tartarorum audaciam, & quod parati ſunt ſtare aut mori, ſine mora fugam iniit cum his quos fortuna belli non oppreſſit, quos Tartarorum dominus clangentibus tubis graſſanter inſecutus eſt, vulnerando, ſternendo quos attingere poterat gladiis & ſagittis, donec ſuperveniente noctis caligine, infra munitionem firmam dicti Sarraceni ſe reciperent tremebundi. Deinde noctis beneficio tutiores, a magno uſque ad minimum, migraverunt hinc viribus deſtituti. Mane autem facto rex Tartarorum inſultum faciens, & locum deſertum inveniens, turres, muros & munitiones ſolo coæquavit. Deinde montes & valles ac ampla deſerta veloci curſu tranſiliens, cuncta vaſtabat. Item collecto exercitu ſoldanus Babyloniæ eidem occurrere feſtinavit. Acie inde ordinata, & turmis congredientibus, cum horrendo ſtrepitu fundibularii & baliſtarii, velut tonitruum fragore terribili, exercitus provocabant ad prælium, belloque conſerto, rex Tartarorum magnificus, ruptis hoſtium cuneis, velut leo famelicus diſſipans & conculcans gregem armentorum, in arcu & gladio Babylonicam potentiam victorioſe dejecit ; Soldanuſque cum ſuis qui ſupererant, declinavit a prælio deſperatus. Quos rex præpotens potenter inſecutus eſt, nulli parcens, donec ſuperveniente noctis umbra, in locum munitum hoſtes ſe reciperent fugitivi. Deinde vice tertia ſoldanus Babylonicus reſumtis viribus, & evocatis regibus & ſatrapis, ab extremis terræ ac maris inſulis gentibus infinitis, & quidquid virium habere poterant barbarorum exteræ nationes, mirabiles acies ordinavit. Rex vero Tartaricus ſuos recolligens, properavit ad pugnam velut aper indomitus ſpumoſis labris, dum volucri gyro, radenti dente catellos tranſverberat inſequentes. Deinde bellicis turmis diſpoſitis, in congreſſu valido tubarum clangor, ingens clamor & colliſiones armorum terrifico ſonitu replebant aëra pulvere turbulentum, ſubitoque commiſſum eſt prælium abhorrendum, volitantque per inania mortes. In quo bello pene omnes viri bellatores & vires Saracenorum in ore gladii ſine numero ceciderunt. Sed ſoldanus cum paucis vix evaſit, fugiens Babylonem, in qua ſe cum ſuis inclufit. Rex autem Tartarorum cum triumphali victoria potiretur, Jeroſolymorumque regno ſuæ ditioni ſubacto, omnia regna adjacentia per poteſtatem luſtrando perdomuit. Deinde Jordanem, Eufratem & Nilum tranſiens, omnes gentes longe & prope ſitas virtute martia ſubjugavit. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Vere de vultu Domini judicium prodiit, & a ſummo cœlo ſententia juſta egreſſa eſt, ut placuit Regi regum altiſſimo, cujus occulta judicia nemo colligere poteſt, eo quod admirante voce prophetica, ſint abyſſus multa. Ab ore gladii Tartarici mirabile verbum prodiit, quod & juramento firmavit, videlicet ſe numquam receſſurum, ſed omnia mortis pericula ſe cum ſuis potius ſubiturum, quam declinaret a dextris vel ſiniſtris, donec Babyloniam & omnes fines paganorum ſuæ ſubjiceret poteſtati. Deinde victorioſi triumphi gloriam celeriter & cum ſolemnitate magna nuntiavit domino Bonifacio papæ VIII. cum pleno gaudiorum corde & deſiderio magno ſupplicavit attente, quatenus Chriſtiani a terra ſancta expulſi, libere reverterentur, & inhabitarent terram deſolatam, civitateſque deſtructas reædificarent. Inſuper publice notificavit, quod bellatores acres & vernaculos expeditos ad prælia ſufficientes haberet, nec etiam indigeret auxilio Chriſtianorum. Item mandavit domus hoſpitalis ſancti Johannis Jeroſolymitani & militiæ templi, ac aliarum domorum magiſtris univerſis, ut ad

loca ſua depopulata tranſirent, & ea poſſiderent ſine tributo, libere & quiete. Dictarumque domorum magiſtri repleti gaudio magno valde, in omnes fines terræ hilariter litteras ad ſuos ſubditos tranſmiſerunt, mandantes ut fratres habiles & robuſti ad quæque pericula toleranda infra certum terminum tranſfretarent. Summus autem pontifex receptis litteris de tanta regis victoria, publicam ſtationem indixit in Urbe; & ordinata proceſſione laudabili, cum devotione magna univerſus populus viſitavit limina Sanctorum. Summo Patri luminum, a quo profluxit hoc donum munificum in cordis & oris jubilo dignas laudes ac gratiarum immenſas ſatagebant impendere actiones. Hæc aſpiciens a longe Iſaias, clara voce prædixit: *Domine excelſum brachium tuum, Deus Sabaoth, corona ſpei, que ornata eſt gloria, exultet deſertum, & exultent ſolitudines Jordanis, & populus videbit altitudinem Domini; notas facite in populis virtutes ejus; cantate Domino, quia mirabilia fecit, annuntiate hac in univerſa terra.* Ecce Chriſtianæ fidei principibus ſcandalum univerſis, quod fidem ignorans eſt fidei robuſtiſſimus propugnator, vigilique cura ſudores bellicos & æſtivos pulveres non vitans, & populus Chriſtianus dormit in lecto, id eſt in ſecuritate, audacia & opportunitate peccandi, ſicut dicit Haymo, non ut quieſcat, ſed ut febre langueſcat & phreneſim ſuſtineat. Nonne jam omnes langueſcunt principes noſtri? Vere ſic: ſi præteritorum temporum geſta percurras, videbis quot & quanta pericula Romani principes quondam pro defenſione reipublicæ ſuſtinuerunt, quot reges & regna magnus Alexander Macedo celeri victoria tranſvolavit, qualiter Titus cum Veſpaſiano Jeroſolymorum urbem viſitationis ſuæ temporis ignaram delevit cum populo, ut in ipſa vaſtitate hoſtili nobiles & teneræ mulieres præ famis anguſtia ventris ſui fructum avide devorarent. Et hæc egerunt bellatores inclyti pro vana mundi gloria idolis ſervientes. Nunc Chriſtiani milites inter ſe mutuo præliantur, Chriſtianos ſpoliant, devorant, rapiunt & occidunt, religioſos, viduas & orphanos opprimunt, nec Deum timent, nec hominem verentur. Sanguis Chriſti, qui pro eis effuſus eſt, ab eis non curatur, & inimici crucis occupant terram ſanctam. Ploret & ululet omnis Chriſtianitas quod in amplo matris eccleſiæ gremio non eſt inventus homo dignus & idoneus, peccatis exigentibus, ad expugnandum inimicos Chriſti; ſed honorem noſtrum Dominus dedit alieno, & elegit ad hoc virum ſecundum cor ſuum, hominem ignotum, dominum Tartarorum. Nec mirum, ut dicit Hieronymus, ſi radicis amaritudinem dulcedo fructuum recompenſat, & viles virgulæ balſama pretioſa deſudant: hinc pudor ingens militibus Chriſtianis, ſi pudor eſſet. Tartaros quidam autumant Tarſenſes & Ismahelitas, de quibus ſcribit Methodius quod egreſſuri ſunt ante finem mundi, & obtenturi orbem terræ octo hebdomadibus annorum, id eſt LVI. annorum, & multa mala facturi.

De demembratione imperii propter nuptias.

Eodem videlicet anno Domini MCCXCIX. exorſus eſt ſermo inter principes Alemanniæ ſuper matrimonio contrahendo inter primogenitum filium Romani regis ALBERTI & ſororem PHILIPPI regis Franciæ, hac conditione adjecta, quod regnum de Arleblant** dotalitio jure propter nuptias cedere d beret dicto filio regis Alemanniæ & ſuis heredibus in perpetuum pleno jure. Quod regnum Arelateneti reges Franciæ jam dudum occupaverant violenter a tempore depoſitionis Frederici imperatoris: nam ad ipſum imperium ſpectare dinoſcitur pleno jure, & archicancellaria dignitas ad archiepiſcopum Trevirenſem dinoſcitur pertinere. Convocatis autem principibus Alemanniæ, & baronibus Franciæ, ad diem certum apud villam quæ *Foris dicitur, juxta Tullum. Dictiſque re-* gibus ibidem convenientibus cum maximo apparatu, ex parte dictorum regum factum eſt verbum ad principes memoratos, quod ipſi ſuper his ſponſalitiis donis conſenſum liberum adhiberent, & hæc ſuis litteris & ſigillis publice communirent, aſſerentes quod ex hoc poſſet univerſo orbi pax & utilitas provenire. Sed heu! maxime quærentes quæ ſua ſunt, non quæ JESU-CHRISTI, ad demembrationem imperii avide aſpirabant, & ſub mente tacita latebat anguis habens aconita. Quod vir miræ prudentiæ BOEMUNDUS Trevirorum archiepiſcopus, dolore tactus intrinſecus, acumine aquilini intuitus, ſolis radium tranſverberans, & prædam aſpiciens a longe, non obſtante longi intervallo ſpatii, ſuper læſione & demembratione imperii doluit & ingemuit vehementer, ab imo pectore ducens ſuſpiria, dolum prævenire viſus eſt, ne morbus fiſtilare incipiens, non abſciſus ſerpat uſquequo perveniat in medullas. Sed heu! res mutata eſt in contrarium, mortis anguſtia præcurrente. Cumque ſic anguſtiaretur pro auguſti imperii dignitate anguſtianda, cum maximo apparatu adire concilium principum princeps egregius egregie anhelabat, & his conſtanter intentus, cœpit irruente infirmitatis moleſtia graviter ægrotare & non poſt multos dies vitam finivit. Cum autem ſentiret ſe debilitatum nimis, reverendo viro domino WICKEBOLDO archiepiſcopo Colonienſi fideli amico ſuo, qui tunc præſens aderat, arcana cordis ſui cum magna fiducia fideliter reſeravit, inculcans ſibi per omnia ſuam voluntatem. Deinde valefacto, idem dominus Colonienſis archiepiſcopus ad dictum concilium celeriter pro-

** Arelatenſe.

* Fouzieres

peravit. Quo perveniente, ex parte dictorum regum adauctæ felicitatis auſpiciis allegatis hinc inde, quæ poſſent ex his imperio & regno Franciæ, & per conſequens univerſo orbi, ſtabilita pace, utiliter pervenire, ſi principes electores præmiſſis conſenſum legitimum adhiberent; cunctiſque principibus applaudentibus & conſentientibus, dominus archiepiſcopus Colonienſis vir conſtans & imperii ſublimitatis zelator fidelis, ſolus ſurrexit in medium imperterritus, ac voce libera proclamavit, quod ipſe una cum domino BOEMUNDO Trevirenſi archiepiſcopo, cui idem in hac parte vices ſuas commiſerat, in detruncationem honoris & ſtatus imperii minime conſentirent, & donationi factæ propter nuptias publice contradixit, ceteris electoribus donationem hujuſmodi confirmantibus ſuorum munimine ſigillorum. Hi vero duo archiepiſcopi fideles, nec iis conſentiebant, nec ſigilla ſua apponebant. Totus orbis non immerito in admirationem ducitur, quod ubi promovendus eſt honor, & injuria propulſanda apud eos qui tenentur & debent pro culmine imperii ſe murum defenſionis opponere, ab inſurgentibus ex adverſo ipſis ſcientibus & diſſimulantibus, immo conſentientibus & procurantibus, contrarium patiatur.

De obitu domini Boëmundi Trevirorum archiepiſcopi.

Poſt multos vero labores & ſollicitudines ſæculi, reſpiciens Dominus militem ſuum emeritum, & ſervum ſuum bonum & fidelem, ſicut ei placuit, in requiem & gaudium Domini ſui vocare dignatus eſt. Prænotato anno Domini MCCXCIX. feria quarta poſt feſtum beati Nicolai epiſcopi, hora ſexta, pontificatus ſui anno undecimo, reverendus pater & dominus BOEMUNDUS Trevirenſis archiepiſcopus, princeps fideliſſimus, decumbens in palatio Treveris, ab hoc carnis ergaſtulo evocatus, plenus dierum in ſenectute bona fideliter migravit ad Dominum, de labore tendens ad requiem, cœlum penetravit empireum, ut ſperamus, terrenis terrena relinquens, & ſepultus eſt in clauſtro quod *Hymmenrait* dicitur, Ciſtercienſis ordinis, quem locum ſemper ſpeciali veneratione dilexit in vita & morte, quem etiam ſingulis annis in die Palmarum, quoad vixit, viſitare conſuevit. Si qua vero in eo remanſit peccati macula, quam poſt contritionem & confeſſionem veram pœnitentiæ lima plenarie non purgavit, deleat eam Dominus, qui miſericors eſt & multus ad ignoſcendum. Qui manu benigniſſima & plena gratiarum, abſtergat omnem lacrymam ab oculis ſanctorum, & colligat animam ejus, qui veræ ſophiæ philoſophantium animas ad ſe colligit, quas jam ſolutas corporibus ex toto credimus immenſo illi pelago æterni luminis & luminoſæ æternitatis immerſas. Felix homo ille qui ex toto corde ſuo & ex tota anima ſua diligit dulciſſimum Dominum JESUMCHRISTUM. Unde Bernardus: O amor ſanctus & caſtus, o dulcis & ſuavis affectio, o pura & defæcata intentio voluntatis! eo certe defæcatior & purior, quo in ea de proprio nil jam admixtum relinquitur; eo ſuavior & dulcior, quo totum divinum eſt quod ſentitur: quomodo ſtilla aquæ modica multo infuſa vino deficere a ſe tota videtur, dum & ſaporem vini induit & colorem; ſic omnem tunc in ſanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo neceſſe erit a ſemetipſa liqueſcere atque videri penitus transfundi voluntatem. Alioquin quomodo Deus erit omnia in omnibus, ſi in homine de homine quidquam ſupererit; manet quidem ſubſtantia, ſed in alia forma, alia gloria, alia potentia. O quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te! ad quam nos pervenire concedas, qui es benedictus in ſæcula. Amen.

De cometis quæ apparuerunt.

Ante obitum reverendi patris domini Boëmundi prædicti, anno eodem præcedente, apparuit cometa circa horam noctis tertiam, duodecim noctibus continuis, radium aculei ſui habens a plaga ſeptentrionali verſus urbem Trevericam, quaſi capitales diſſenſiones indicans, ſicut etiam rei exitus comprobavit. Nam multæ tribulationes poſt mortem domini Boëmundi hanc urbem invaſerunt. Defuncto autem dicto patre, in inſtanti tantum nocte Natalis Chriſti, paulo poſt noctem mediam tenebrarumque denſitas inſolita caligine cuncta cœli ſidera offuſcabat, ac pruina nebuloſa nimis ſuperficiem terræ mirabiliter obumbrabat. In ipſis tenebris apparuit cometa in modum phœbes diſtenta, quaſi dependens in aëre, ardenti rubore perfuſa, quæ poſt momentum horæ diſparuit, & iterum interjecto modico intervallo, duæ cometæ apparuerunt ſimul ab invicem modicum diſjunctæ, quantitatem & ardorem prioris repræſentantes; ſed illico diſparuerunt. Tertia vice poſt horam breviſſimam apparuit una per ſe prætendens per omnia formam & colorem priorum, quæ etiam illico evanuit; cujus rei conjectura non latuit efficaciter intuentem.

Comes Luczenburgenſis obſedit urbem Trevericam.

Poſt obitum domini Boëmundi præſcripti, ætate proxima ſequenti, ſcilicet anno Domini MCCC. incommoda plurima Treverenſibus incumbebant. In vigilia enim beatæ Mariæ Magdalenæ HENRICUS comes Lutzellinburgenſis cum electa militia & ingenti multitudine armatorum, vallem Trevericam intravit, ſeductus in opinionem quod civita-

tem Treverenſem vi vel dolo poſſet ſubjugare, caſtra fixit juxta villam quæ Vrium nuncupatur, non longe a civitate Treverenſi ſitam, domos & curtes incendens, cuncta ſubvertens, fructus terræ conculcans & depaſcens, ligna fructifera & vineas abſcidens. Populus vero Trevericus non exiens ad campale prælium, tranſitus viarum ultra pontem potenter obſervabat. Comes autem, quia ulterius procedere non valebat, cum diebus aliquot ſtetiſſet in eodem loco, retrocеſſit, & juxta villam quæ *Merzelich* dicitur, flumen Moſellæ tranſvadavit, aliquibus de ſuis ſubmerſis ibidem, ſeceſſitque juxta villam, quæ *Kuntz* nominatur, omnia in circuitu depopulans & devaſtans. Deinde appropians civitati caſtra ſua locavit in campo ſpatioſo, juxta villam ſanctæ Crucis, & iterum in abſciſiones arborum & vinearum crudeliter exarſit, ipſam villam ſanctæ Crucis, & omnia torcularia in circuitu & in ripa Cleviæ, juxta Montem-novum ſita, incendio devaſtavit. Die autem duodecima adventus ſui, ſcilicet in die ſancti Petri ad vincula, cum ulterius progredi proponeret ad exterminationes innocentum, Dominus qui cuncta diſponit, ſanctorum conculcationem amplius non ferens, in ſequentis noctis tenebris, dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, ſuborta eſt in exercitu comitis gravis diſſenſio: omnes repente ruerunt in arma, & acriter præliantes mutuo ſe occiderunt, non pauci proſtratis & vulneratis, territi & ſtupefacti moverunt caſtra. Terruerat enim eos Dominus, qui terruit *Benadab* regem Syriæ, dum Samariam obſedit, diſſenſionem magnam mittens ſuper eos. Nam beatus Mathias apoſtolus & ſancti martyres Treverenſes bellarunt inviſibiliter contra eos, & ut Delbora cecinit ſtellæ pugnaverunt adverſus Cyſaram; & ſicut legitur in epiſtola Machabæi, quinque viri apparuerunt de cœlo in equis albis, qui in adverſarios tela & fulmina jaciebant. Deinde fine mora unuſquiſque rediit ad propria, mente conſternata; nuſquam tamen poſt ſe virtuoſæ militiæ veſtigia reliquerunt, niſi tantum quod cum arboribus, vineis & plantis ac rebus inſenſibilibus quotidianum certamen inierunt. Quid enim mali egerunt pauperes Chriſti, religioſi, remoti & vicini monachi & moniales, quorum victum & veſtitum abſtulit ſæva manus, bona eorum crudeliter invadendo. Non eſt honor neque decus armatæ militiæ inermes invadere, & eleëmoſynas eorum diſcerpere, quas Chriſti fideles quondam pro ſuis delictis, religioſis pro Chriſti nomine humiliter obtulerunt. Cives Treverenſes hanc læſionem vix ſentiunt; ſed Chriſti pauperes & eccleſiaſtici viri flagella pariter graviter pertulerunt. Sed heu! ut dicit Auguſtinus, non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Inhumanum eſt enim valde quod filius tam adultus nequaquam recognoſcit ubera ſuæ matris, cujus lacte paſcitur abundanter, & ſub cujus umbra vivit, pauſat dulciter & quieſcit; ſed ſanguinem eliciens eam nititur ſuffocare. Non eſt veriſimile quod tanta veſania ex nobili corde radicem produxerit, ſed favor populi & adulatorum detractio trahit locum a potentia vel a voluntate: nam urbs vel gens Treverica non eſt adeo debilitata in viris & viribus, quod ſe gratis permittat cujuſque calcaribus perurgeri; ſed dolet proſtrata nobilis & ſancta Treveris eccleſia metropolitana, quæ ſeptuaginta & duas matrices eccleſias cum ſuis appendiciis advocatiæ filii ſui comitis ſubdidit, ut ſe pro jure ſuæ matris defendendo ſe murum defenſionis opponeret ex adverſo. Nunc autem erectus adverſus eam, tanti beneficii ingratus, honorem debitum non rependit eidem. Revertere, revertere, & attendens cogita quod ad radicem poſita ſit arboris ſecuris. Ecce Judex ante januam ſtat judicans & quærens judicium, & velociter reddens quod juſtum eſt, & quid de te ſit futurum penitus ignoras. Cauſa diſſenſionis fuit hæc. Comes ædificare cœpit quoddam caſtrum in quadam inſula fluminis Moſellæ, juxta villam dictam Machra,* ponens ibi thelonarios & prædones, qui indifferenter religioſos & peregrinos, mercatores ac alios quoſcumque per alveum Moſellæ navigantes, timore Dei poſtpoſito, ſine miſericordia ſpoliabant. Quam injuriam cives Treverenſes diutius ferre non valentes, inchoatum caſtrum & opus diabolicum in manu forti flamma & igne aggreſſi ſunt, nec lapidem ſuper lapidem, nec lignum ſuper lignum reliquerunt. Hæc cauſa dictum comitem ad tantum flagitium medullitus exercendum excitavit. Sed quod in his omnibus mirabile & laudabile, ac donum Dei præcipue fore creditur, manus Trevirorum ab effuſione ſanguinis inimicorum Dominus conſervavit innoxias; tantum curtes, villas, & domos plurimas in comitatu Luzzenburgenſi potenter incendio devaſtarunt, & prædam multam abigerunt, captivoſque plures in Treveris vinculis detinebant.

* Machera.

De anno jubilæo.

Eodem videlicet anno Domini MCCC. fuit annus jubilæus, & a cunctis orbis angulis utriuſque ſexus homines infiniti Romam catervatim pro ſuorum abſolutione peccatorum devotiſſime properabant. Quorum devotionis affectum & laborum pericula dominus papa intuens, paterna pietate omnes ſanctorum Petri & Pauli apoſtolorum limina viſitantes, & vere confeſſos & contritos miſericorditer abſolvit a pœna & a culpa ſecundum formam infra ſcriptam.

Reſcriptum domini papæ de anno jubilæo.

Bonifacius ſervus ſervorum Dei. Ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum &c.

Declaratio dicti reſcripti.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentibus & futuris. Silveſter domini papæ ſcriptor. Veram pacem, &c. Miranda &c.

Hic ſequi deberent geſta Dietheri Trevirenſis archiepiſcopi. Ea ſtrictius refert auctor in capite primo vitæ Baldevvini; uti & Trithemius in hiſtoria Hirſaugienſi. Sed ea fuſius ex diverſis monumentis proſequutus eſt. Brovverus, quem ſi lubet conſule.

Incipiunt Geſta venerabilis domini domini Baldevvini de Luczenburch, Trevirenſis archiepiſcopi.

[a] BEATA (a) conſideratione conſiderans dies antiquos glorioſorum geſtorum magnificorum virorum incurioſitate ſcriptorum immemorabiliter, proh dolor! præteriri.

ANIMADVERSIONE diſceptavi annos æternos retributionis præmiorum laborum ſingulorum hic operatorum poſt hanc vitam unumquemque pro mercede reperire.

TAUDES igitur rerum geſtarum digne recolendarum ſub modio non ponantur, nec offuſcato ignorantiæ nubilo aliqualiter involvantur,

[b] DICENDO (b) cum propheta, *Memor ero mirabilium tuorum*, & ſub lingua mea exultabo, & mire miranda mirabilia tua prout potero narrabo.

BI ergo qui eſt fons & origo omnium bonorum, ad honorem, ut ipſe in ſuis creaturis glorificetur, ſunt temporum geſta vivæ memoriæ jugiter commendanda.

[c] AIVÆ (c) quia memoriæ res geſtæ tunc aliqualiter donantur, cum litterali deſcriptioni commendantur, ut in eis poſteri emendentur, & glorioſa anteceſſorum geſta provide imitentur.

AOCIS enim viva locutio velut umbra dinoſcitur more defluentis aquæ pertranſire, & ſicut fumus in aërem diſperſus evaneſcens non ſolet revenire;

[d] TUBILOQUE ſicut cum armonico (d) quotienſcumque chordæ tanguntur, totiens auſcultantium corda jocundantur; ſic glorioſa magnatorum geſta litterali deſcriptioni tradita, quotienſcumque recitantur, totiens probi & diſcreti virtutum hau-

(a) Auctor ſic ſingulas præfationis ſuæ periodos &c. diſpoſuit, ut ex ptimis cujuſque verbi litteris acroſtichen componat hujuſmodi; *Baldevvinus de Luzzelinburch archiepiſcopus Trevirorum*, quam Baluzius repræſentare neglexit.

(b) Apud Baluzium hæc verba ſunt omiſſa, *Dicendo cum propheta, Memor ero mirabilium tuorum, & ſub lingua.*

(c) Hæc ita legit Baluzius: *Vivæ memoriæ res geſtæ tunc aliqualiter donantur, ut in eis poſteri.*

A riendo exemplaria lætificati meliorantur.

[e] ZUNC ſicut videmus quod (e) omnipotens Deus non ſolum verbo tenus Moyſi legem tradere, ſed digito ſuo tabulæ inſculptam lapideæ, ut ſemper ejus jugis & viva perſeveret memoria, dignatus eſt miniſtrare.

[f] COLO (f) igitur ego, prout ſe facultas offert meæ parvitatis, non tumeſcentis laudis adulatione, ſed humilis mentis imo (g) audaciſſima præſumtione magnifica geſta glorioſi principis almi Galliæ Germaniæ primatis venerabiliſque patris & domini domini Baldewini *de Luczelinburg*, Treverenſis archiepiſcopi, ſcriptis commendare; ſed cum (h) non ſufficiam, ſcriptoris vernula fiam.

[g] B SCRIBERE igitur incipiam, inprimis capitulorum ponendo diſtinctiones, & poſtea eorum proſecutiones quæ per eum geſta ſunt, & quæ eorum temporibus evenerunt, quæ vidi, & quæ veridica proborum & diſcretorum relatione famaque generali voluntate audivi, ponere non omittam. Invoco ergo adjutorium Patris luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio; a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendens eſt in corde hominum, ut mihi Spiritum ſanctum mittat in adjutorium, & hoc opuſculum, immo mihi opus permaximum, Domino noſtro JESU-CHRISTO ad honorem, & reverendo domino domino BALDEWINO archiepiſcopo ad favorem, omnibuſque poſteris ad exemplar utilitatis valeam inchoare, pertractare, & fine optimo conſummare. Hoc mihi dignetur præſtare Deus Trinus & Unus.

[h] C

Incipiunt Capitula.

LIBER PRIMUS.

DIGNUS *De vita & morte anteceſſoris.*
ECCLESIÆ. *De ejus poſtulatione.*
FUMEN *De ejus confirmatione.*
AERITATIS. *De ejus conſecratione.*
ZONA *De ejus receptione.*
ZELI *De ejus genealogia & obitu patris.*
HST *De ejus phyſionomia.*
IUX *De ejus pueritia & adoleſcentia.*
IUCENS *De pacis & juſtitiæ obſervatione.*
IUSTITIÆ *De ejus vita & converſatione.*
ZOBIS *De ejus proviſione.*
BALDEWINUS. *De ejus familiæ promotione.*

(d) Apud Baluz. *Cum aromate quotieſcumque corde tanguntur*, quæ verba nullum referunt ſenſum.

(e) Apud Baluz. deeſt *quod*.

(f) Baluz. *Volo igitur, prout ſe facultas offeret mea parvitati.*

(g) Baluz. *in imo*, omnino male.

(h) Baluz. *Sed quod non ſufficiam, ſcriptorum vernula fiam.*

LIBER SECUNDUS.

A

LOX *De Henrico ejus germano Romanorum imperatore ſeptimo.*

REGALIS. *De electione per dominum Baldevvinum archiepiſcopum procurata.*

CONSTANTIÆ *De Henrici regis conſecratione & coronatione.*

HONORANDÆ. *De Coloniæ ſecunda viſitatione.* (a) [a]

AUCTOR *De nundinis per dominum Baldevvinum a rege impetratis, & ejus receſſu.*

B

REGUM. *De Johanne Henrici regis nato in regem Bohemiæ creato.*

CUSTODIA *De Adulphi & Alberti Romanorum regum ſuorum anteceſſorum per Henricum regem facta tranſlatione.*

HUMILIUM. *De domini de Wirtemberg expurgatione.*

IUSTITIA *De via Lumbardiæ arreptione.*

EPISCOPORUM. *De obitu comitis de Sarvverden, & Alpium tranſcenſione.*

PERSECUTOR *De triumpho & Mediolano obtento, & ejus ibidem ſecunda corona receptione.*

C

IMPIORUM. *De privilegio Trevirenſis eccleſiæ per Baldevvinum ibidem impetrato, & ſubcancellarii concrematione.*

SOLLICITUDO *De juſtitia domini Thebaldi* (b) *Bruſach facta, & Brixienſis civitatis expugnatione.* [b]

CAUSARUM *De obitu reginæ, introitu Romæ & cella quatuor Coronatorum per Baldevvinum facta inhabitatione.*

OMNIUM. *De Capitolii, triginta turrium & monaſterii Minorum violenta expugnatione.* D

PASTOR *De multorum caſtellorum & caſtrorum expugnatione, & prælio in Lantſiſe* (c) *& Florentinorum obſidione.* [c]

TERUS *De caſtelli ſanctæ Mariæ Novellæ per dominum Baldevvinum facta violenta expugnatione & repatriatione*

SUBDITORUM. *De imperatoris obdormitione.*

LIBER TERTIUS.

TEMPERANTIA *Prologus libri tertii.*

PANCORIS *De Ludovici* (d) *regis per Baldevvinum procurata electione & coronatione.* [d]

E

HORUM *De Johannis Regis obſeſſi per Baldevvinum facta liberatione.*

ITÆ *De pacis terræ conſpiratione, Bruel* (e) *prope Coloniam obſidione & in manus domini Baldevvini donatione.* [e]

TERNÆ *De Moguntinenſis eccleſiæ prima vice domino Baldevvino facta commiſſione Crucenache, Keſtelini, Speyrheim obſidione, & Baldinſtein fundatione.*

RECIPERE *De Friderico duce capto per Johannem regem Bohemiæ & Furſtenberg obſidione.*

OMEN. *De Bopardiæ expugnatione, ſancti Wendelini emtione, & eccleſiæ Moguntinenſis domino Baldevvino facta ſecunda commiſſione.*

ROGATUR (f) *De fundo Carthuſienſium emto & Baldenelez fundatione.* [f]

VOCE *De monaſterii Carthuſienſium conſecratione, caſtri montis ſancti Johannis conſtructione, dominii in Limpurch emtione.*

NUTORUM *De Vermich & dominii de Coverna emtione, & de Solmecze* (g) *deſtructione.* [g]

AMEN. *De Monckeler, Lyesheym, Hoſolmecze, (h) Elkeruſen deſtructione, (i) & domini Baldevvini obdormitione.* [h] [i]

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM. *De vita & morte anteceſſoris.*

DIgnus a dignis digniſſime laudatur, licet ab invidis laudis generoſitate inaniter deſtituatur. Dicendæ ergo laudis gratia licet parumper ad ſuperiora aſcendere, ut hujus valeam materiæ intellectum exprimere planiorem. Anno dominicæ incarnationis MCCXCVIII. in die beatorum Proceſſi & Martiani martyrum, prope monaſterium *Monſterdreyſſe* ordinis Præmonſtratenſis, ALBERTUS dux Auſtriæ ADOLPHUM DE NASSAVA Romanorum regem, ſæviter occidit congreſſione præliali, ſeſeque in regno intromiſit, quod firmiter credidit gladio obtinuiſſe triumphali. Verumtamen procuravit ab electoribus ſe in Romanorum regem electionis jure ſublimari, & Aquiſgrani ſolemniter coronari. Contra quem ſummus tunc pontifex dominus BONIFACIUS VIII. eo quod uxor ejus eſſet de viperiali genimine feminis Frederici, aliiſque multis de cauſis, rigidas exercere ſententias publiciſſime ſublimavit, & dominum DYCHERUM regis defuncti Germanum, cauſa ejus veſaniæ reſiſtendi, in Trevirorum archiepiſcopum non poſtulatum, nec ab aliqua parte capituli electum, celeriter ſublimavit. Capitulum tamen elegerat HENRICUM DE VIRNEBURCH, cui major pars ſubditorum eccleſiæ jam obediebat. Statim eccleſiæ ſuæ terras plurimas & redditus pignorali cautione & litterali obligatione, conſtangiis gravibus damniſque datas, impignoratasque per maxima debita contraxit, de quibus parum dicitur perſolviſſe; & cum in honore eſſet non intellexit, viriliterque contra AL-

(a) Hic titulus integer deſideratur apud Baluz.
(b) Baluz. *de Theolaldis.* (c) Baluz. *Lantiſe.*
(d) Male apud Baluz. *Ludolfi.* (e) Baluz *Brul.*
(f) Hic titulus deſideratur apud Ba. uz.
(g) Baluz. *Solinze.* (h) Baluz. *Hofelbach, Sarroch.*
(i) Baluz. addit *Duns in Syſtia & Triis acquiſitione, & ejus obdormitione.*

BERTUM regem reſtitit & etiam contra Confluentes ſibi rebellantes; univerſum etiam ſuæ dioceſis clerum contra ſeipſum ad inimicitias tumide provocavit. Unde concors caterva clericalis ipſum ad præſentiam domini CLEMENTIS tunc ſummi pontificis, dura de eo querimonia facta, vocari in propria perſona procuravit. Quo citationis termino imminente, de carnis ergaſtulo quantocius migravit anno Domini MCCCVII. XXIII. die menſis Novembris, [a] eccleſiam ſuam non modicum diſturbatam, debitiſque gravatam, dilapidatam, impignoratam, diſſipatamque relinquendo: ita ut ipſa ab imo cordis ſuſpiria poſſit cum propheta flebiliter clamare: *Dediſti me tamquam oves eſcarum, & ſine pretio vendidiſti*, & obligando me multipliciter diſpertiſti.

CAPUT II. *De ejus poſtulatione.*

ECcleſiæ ergo ſuæ Trevericæ Deus totius conſolationis gemitus & ſuſpiria, parva mora protracta, breviſſime terminavit divino munere bonitatis. Anno Domini MCCCVII. die ſeptimo menſis Decembris, capitulo Treverenſi coadunato, & ad futurum præſulem eligendum, vocatis omnibus vocandis, congregato, a majori & ſaniori parte capituli venerabilis dominus BALDEWINUS DE LUTZELINBURCH, præpoſitus & canonicus dictæ eccleſiæ, adhuc ipſo Pariſienſi ſtudio fideliter mancipato, anno nativitatis ejus XXII. [b] (*b*) in gaudium & lætitiam totius cleri & populi, divina cooperante gratia, in Treverorum erat archiepiſcopum ſolemniter poſtulatus. Hinc ovat clerus altiſonis vocibus pſallens *Te Deum laudamus*. Hinc fit cunctarum pulſatio campanarum, concurſus populorum catervatim congregatorum, ſic utipſa eccleſia jucunde poſſit canere cum pſalmiſta: Saccum meum conſciſiſti, & me miſericorditer circumdediſti multiplicata lætitia ſalutari.

CAPUT III. *De ejus confirmatione.*

LUmen a luminis flamma incenditur; ſic a jure electionis, vel poſtulatione electus confirmatur. Unde prædicta poſtulatio electionis (*c*) [c] nuntios per ſolemnes procuratoreſque eximios Pictavium extitit delata, & ſanctiſſimo patri domino CLEMENTI papæ publice intimata. Quam quidem poſtulationem ipſe ſummus pontifex, inquiſitionem faciens condecentem, tam de perſona poſtulata, quam de poſtulantum converſatione & vita, parte adverſantium frivola appellata, totaliterque caſſata, benigne approbavit, & de minoritate annorum ſecum etiam diſpenſando, ipſum fore admittendum, ſuo cum cardinalibus præſidens conſiſtorio in propatulo publicavit, & more conſueto ipſum admittendo ſententialiter confirmavit.

CAPUT IV. *De ejus conſecratione.*

VEritatis igitur fama ejus approbationis Pariſius ſibi revelata, ipſe BALDEWINUS confirmatus una cum domino Henrico (*d*) [d] & fratribus ejus germanis Pictavium veniens, ſummo ſe pontifici lætanter præſentavit. Quem ipſe (*e*) gratanter recepit, & amicabiliter ſalutando. Et anno Domini MCCCVII. [e] ſexto idus Martii, more Treverico (*f*) [f] ſcribi conſueto, ipſe dominus Clemens papa V. per cardinalem in Pictavienſi eccleſia dictum dominum Baldewinum in preſbyterum ordinavit, ſequenti die cum pluribus aliis archiepiſcopis & epiſcopis in Trevirorum archiepiſcopum divinitus conſecravit. Ipſe vero dominus (*g*) [g] cum fratribus multiſque aliis, cardinalibus & amicis diverſis, curiarum ſolemnitatibus habitis, papam valedicens, ad propria cum ſuis eſt reverſus. In qua tamen reverſione in littera ſibi à domino PETRO Moguntinenſi archiepiſcopo deſtinata, intellexit ALBERTUM Romanorum regem humanæ conditionis debitum perſolviſſe. Nam ab ejus cognato JOHANNE duce videlicet, fratris ſui filio, cui quia ipſe Albertus ad inſtinctum ſuæ uxoris reginæ, volentis hereditare filios ſuos ducatum Auſtriæ, poſtquam dictus Albertus occiderat Adolphum regem, violenter ſuum patrimonium, videlicet ducatum Auſtriæ, recepit & detinuit, eſſe dinoſcitur interemtus. Et illud evangelicum fuit adimpletum in hoc caſu: *Menſura qua menſi fueritis remetietur vobis.*

CAPUT V. *De ejus receptione.*

ZOna tranquillitatis, pacis & concordiæ totius patriæ aliquandiu ſub anteceſſore non modicum extitit dilaniata, & cleri caterva de nimia rancoris materia multipliciter perturbata. Sed miſericors & miſerator dominus, de excelſo throno ſuo proſpiciens, eccleſiæ ſuæ duriſſimas & lacrymoſas oppreſſiones ſervituti Babylonicæ digne comparatas, per dictum Baldewinum, pacem & concordiam reformando, miſericorditer relevavit. Nam dictus Baldewinus ejus in primo adventu lætiſſimo totam per dioceſim cunctis ſuis officiatis & judicibus diſtricte mandavit, ut in cunctis ſuis territoriis tam advenis quam

(*a*) Sepultus eſt in æde fratrum Prædicatorum, non longe a ſumma ara, eumque S. Antoninus inſcripſit catalogo virorum illuſtrium familiæ ſuæ.

(*b*) Ita codex S. Maximini & Baluzius; at Browerus, quo auctore neſcio, annos ei viginti tres tribuit. Retinenda tamen videtur lectio noſtra: nam cum Baldewinus annos vixerit omnino LXVIII. præfuerituque eccleſiæ Treverenſi annos XLVI. cum præeſſe cœpit, annorum XXII. ætatem non excedebat.

(*c*) Apud Baluzium deſiderantur hæc verba: *vel poſtulatione electus confirmatur. Unde prædicta poſtulatio electionis*, quorum defectus tollitur hujus loci ſenſus.

(*d*) Baluz. *& vulgariter*, quod redundat.

(*e*) Baluz. *quod ipſe* male.

(*f*) Quo ſcilicet annus a die Martii 25. incipiebat, *quem conſtanter hactenus calculum eccleſia Treverenſis in ſuis conſtitutionibus decretiſque ſecuta eſt, licet in cæteris a vulgari non deflectat*, inquit Jacobus Maſius. (*g*) Baluz. *dictis.*

incolis, non per tyrannicum rigorem, ſed per incutiendum timorem, univerſos pacem ſervare unanimiter coarctarent, ſi ejus gratiam ſervare & indignationis rubiginem cuperent evitare. Et ſic in amœnitate pacis & concordiæ anno Domini MCCCVIII. die ſancto Pentecoſtes, *cum multorum procerum proborum caterva non modica, velut zelotypus ſponſam ſuam viſitando, Trevirim eſt ingreſſus. Hic fit concurſus populorum, coadunatio clericorum, voce tamquam præſaga cives apoſtolorum pacem portaverunt, patriamque illuminantes hodie advenerunt*, & ſic cum lætantiſſime receperunt, & ſuam in eccleſiam proceſſionaliter adduxerunt, præſente matre, fratribus, ſorore & multis ſpectabilibus, ubi [a] (*a*) eodem die miſſarum ſolemnia celebravit, curiam ſolemnem faciens & ſumtuoſam, cunctos advenientes lautiſſime procuravit, [b] a nobilibus & ſubditis huldas (*b*) & ſubjectiones debitas acceptavit, & feodalia feodalibus in feoda condonavit; cunctaque anteceſſoris debita perſolvit, diſſipata & obligata omnimode ſatisfaciens, ad jus & proprietatem ſuæ eccleſiæ viriliter revocavit.

CAPUT VI. *De ejus genealogia & obitu patris.*

ZEli ſcribendæ hiſtoriæ eſt parumper ad ſuperiora aſcendere, ut ejus ſeriem clariori luce valeam pertractare. Anno dominicæ incarnationis MCCLXXXV. nobilibus de parentibus, videlicet HENRICO comite Luczelinburgenſi patre, & domina BEATRICE de Bellomonte in Hannonia matre, dominus [c] Baldewinus nobiliter (*c*) extitit natus. Avus ejus eodem nomine Henricus dictus *Blodel*, glorioſi domini ducis Walrami ducis Lim- [d] burgenſis filius noſcitur fuiſſe, (*d*) qui domini Baldewini protavus ſcitur publice extitiſſe, qui ducatus à Colonienſibus finibus longe lateque circa Rhenum extenditur, & multas habens munitiones & caſtra, ultra Moſam protenditur, & feodum Colonienſis archiepiſcopi eſſe in parte perhibetur. Iſto Walramo defuncto, Henricus dicti Baldewini avus in patrimonio ſuccedere debuerat paterno: ſed dux Brabantiæ illum ſibi indebite hodierna die noſcitur uſurpaſſe. Iſto vero Henrico de medio facto, Henricus pater domini Baldewini in comitatu Luczeburgenſi ſucceſſit. Eo tempore caſtrum *Vorinche* inter Coloniam & Nuſſiam quondam ſituatum, quod prius archiepiſcopi ad patriæ tuitionem juvamine conſtruxerant, de quo rapinæ erumpebant, amore pacis pro aliqua pecu- [e] niæ ſumma ab archiepiſcopo, ut illud (*e*) deſtrueret comparaverunt. Qui hoc caſtrum ad terram dejiciens annihilavit, & aliud in fortiori loco ad littus Rheni reædificavit; quem cum officiatus ſuus interrogans de quo caſtrum deberet retinere, cum annuis careret redditibus, dicitur reſpondiſſe: Quatuor viæ ſunt trans Rhenum ſituatæ. Quod ille audiens, alveum Rheni tranſineantes thelonicis exactionibus aggravavit, terram vero tranſeuntes multipliciter rapinis moleſtavit. De quo cum archiepiſcopus rogatus a Colonienſibus, non deſiſteret; Colonienſes dictum caſtrum obſidione circumſepſerunt. Quam obſidionem archiepiſcopus ſolvere cupiens, exercitum permaximum congregavit. Tunc Colonienſibus in adjutorium, quia cives ſunt eorum, dux Brabantiæ, & comes de Monte celeriter concurrerunt. Qui comes dicto duci partem ducatus Limburgenſis ſe contingentem pro quadam pecuniæ ſumma noſcitur vendidiſſe. E contra HENRICUS comes Luczelinburgenſis ducem Brabantiæ pro dicto ducatu Limburgenſi impetens, & ipſius partem a Colonienſi archiepiſcopo in feodum recipiens, ducem diffidavit, & cum Walramo germano ſuo aliiſque duobus fratribus militibus, obſcure tamen natis, in archiepiſcopi adjutorium properavit. Hic diſcordia diſcordiæ ſociatur, & guerra guerræ rigide cumulatur. Quodam ergo die ſabbatino, archiepiſcopo prælium inire voluntario, a Colonienſibus mandatur eos ſibi & omnibus adhærentibus per biduum victualia miniſtraturos, ſi ob honorem Dei ſequentem dominicalem diem ejuſque genitricis præſentem diem ſabbatinum a prælii vacando dignaretur celebrare, maxime cum ſua turba dictenus ſumeret augmentum, eorum vero nullum ſperarent ſumere incrementum. Quod archiepiſcopus accepiſſet, ſi Henricus comes non dixiſſet: Heu! non debemus hodie propter clericum timoroſum prælium inire glorioſum? Hoc cum archiepiſcopus intellexiſſet dicitur reſpondiſſe: Probior (*f*) [f] mea clericatura in campis ejus militia noſcitur fuiſſe, mandans Colonienſibus ut ſe præpararent, & inire prælium ſecum non tardarent. Hic clangor auditur tubarum, reſonantia fiſtularum, ſonus tympanorum, clamor populorum in mortem ſe præparantium. Heu heu! cujuſlibet partis acies tres (*g*) di- [g] viditur in turmas. Primo Colonienſes cum archiepiſcopo prælium inchoantes, partem deteriorem habere. Secundo HENRICUS comes cum duce prælium commiſcens, duce ad jactum lapidis retropreſſo, comes viſus fuit prævalere. Tertio comes de Monte inermibus ſuis cum ruſticis in vulgo *Kempen* appellatis, in Colonienſium & ducis adju-

(*a*) Apud Baluzium deeſt *ubi*.
(*b*) Hulda eſt hominium ſeu fidei ſacramentum.
(*c*) Baluz. *Nobilis*.
(*d*) Baluz. hanc periodum ita corrupte legit: *Avus ejus eodem nomine Henricus dictus* Blondel Fuille, *qui dominum Baldewinum protavus ſcitur publice extitiſſe*.
(*e*) Apud Baluz. hæc ſunt prætermiſſa: *ut illud deſtrueret comparaverunt. Qui hoc caſtrum ad terram dejiciens annihilavit, & aliud.*
(*f*) Baluz. *Probrior*.
[g] Baluz. *acies ejus* omiſſo *tres*.

torium prælium aggreſſus, archiepiſcopi & Henrici partes infirmavit, ſeparavit, diſſipavit totaliter & proſtravit. Heu miſerabile ſpectaculum! Hic captivatur, illic trucidatur, hic morti addictus ſpoliatur, ille in Rhenum fugiens ſuffocatur, in nemore vero paludinoſo ſubmerguntur plures, ſubſtantiæ capiuntur, fugæ a multis rapiuntur. Archiepiſcopus vero a comite de Monte capitur, & cuſtodiæ in *Breusbure* (*a*) mancipatur. [a] Proh dolor! ubi comes Henricus miles imperterritus fugere neſcius, cum Walramo germano proprio duobus aliiſque prædictis fratribus miſerabiliter fuerat interemtus anno Domini MCCLXXXVIII. ſabbato, die beati Bonifacii martyris. Hic ploratus & ululatus de tam parvulis pupillis, Henrico, Walramo & Baldewino, Baldewino vero nondum trimatus anno completo, patre orbatis. Quid eſſent acturi, quove diverſuri, a nonnullis queruloſe in altum elevatur. Sed illud diſfortunium eis in fortunam numen mutavit divinum. Nam HENRICUS in imperialis dignitatis apicem, ut infra patebit, fuit elevatus, BALDEWINUS vero in Trevirorum archiepiſcopalem dignitatem extitit ſublimatus.

CAPUT VII. *De ejus phyſionomia.*

EST etiam ejus phyſionomia ad poſterorum utilitatem memoriæ commendanda, ad utilitatem inquam, quia animæ ſequuntur complexiones corporum, ut poſteri ejus complexionem cognoſcentes, probabiliter credant morum ut virtutum ejus inſignia, quæ ponuntur poſtea, in eo omnimode extitiſſe. Fuit enim ſtaturæ mediocris, caput ſicut ſphæram parumper impreſſam, formoſum habuit & rotundum; capillos capitis & barbæ ſubtiles, in colore citrinos, medios ſimplices, medios criſpos, quæ omnia ſubtilis cerebri ſubeſſe (*b*) indicia referuntur. [b] Anticiput qualibet parte elevatum, quod eſt bonæ apprehenſivæ ſignum. Occiput elevatione amplatum, quod bonæ memoriæ ſignum eſſe determinatur. Naſum pulchrum, groſſitudine mediocrem; auditum acutum, vocem dulcem habuit & acutam, oculos limpidiſſimos, a prope aliqualiter ſurſum videndo acutiſſimos, ſed a remotis videndo Limburgenſium more obtuſos, aures rotundas. Hæc bona organorum diſpoſitio ſenſuum perfectionem noſcitur denotare. Collum vero ejus in longitudine & brevitate mediocriter diſpoſitum, forte tamen & nervoſum. Scapulas largas, brachia & crura fortiora & nervoſa cum muſculis non multum carnoſis. Pectus amplum & elevatum, dorſum rectum & bene diſpoſitum, cutem albam rubore aſperſam, carnes molles, ingenium bonum repræſentantes, corpus vero totum mediocre, agile & ſubtile noſcitur habuiſſe: quæ omnia prudentiæ & fortitudinis eſſe ſigna a naturalibus allegantur. Unde ſi virtutum ejus inſignia poſtea recitantur, nemo miretur, cum per ſubtiliora aurifabri inſtrumenta opus ſubtile fabricetur.

CAPUT VIII. *De ejus pueritia & adoleſcentia.*

LUX irradiationis intellectualis morum & virtutum limpidiſſimum acquiritur per ſtudium. BALDEWINUS igitur annis infantiæ ſuæ lapſis, ſcholaſticæ diſciplinæ magiſtris moribus, virtutibus, atque artium litteris imbuendus tradebatur, a quibus ipſe uſque ad annum nativitatis ſuæ decimum tertium in Hannonia cum ſua matre in comitatu Lutzelinburgenſi exiſtens, ſuis in puerilibus informabatur, & ſuos coætaneos in litteratura excellens, quia limpidiori pollebat ingenio, promtior habebatur. Fuit Pariſius circa quinquennium, logicam & philoſophiam audiendo. Deinde ſcholas per biennium dimiſit, propter guerras inter Francigenos & Flandrenſes exiſtentes: quando in *Curtray* flos Francigenarum occubuit per Flandrenſes. Duobus ſolemnibus cum magiſtris magnæ litteraturæ viris, camerariis, domicellis, nobilibus ejus ſtatum condecentibus, Pariſienſi ſtudio fuerat deſtinatus; ubi omnium artium principia, terminoſque ſubſtantiales, ſtudio inhærendo frequentiſſimo, memoraliter retinebat, arabicis arithmeticiſque figuris ſcribebat, & aſtronomiæ inſudando ſphæram addiſcebat. Specialiter tamen juris canonici ſtudiis frequenter inſiſtebat, & in iis uſque ad adeptionem archiepiſcopatus (*c*) noſcitur perduraſſe. [c] Qui fuerat annus milleſimus trecenteſimus ſeptimus. Quo etiam anno in archiepiſcopum Trevirenſem fuerat poſtulatus, ut ſuperius ſufficienter eſt expreſſum. Nemo ergo exiſtimet me hic aliqua ſuperflua tumeſcentis animi ambitione poſuiſſe, cum ſine eis meram hiſtoriæ veritatem nequaquam potuiſſem expreſſiſſe. Nunc igitur revertar ad propoſitum, Deo trino & uno gratiarum referendo actiones.

CAPUT IX. *De pacis & juſtitiæ obſervatione.*

LUcet ceteris clarius qui eſt virtutum floribus moribuſque adornatus. Sicut ergo lux ſolaris tenebroſis interpoſitis nubibus, quin dieſcat, nequit occultari, ſic morum ejus vita virtuoſa, ut laticeſcat, a nullis poterit offuſcari. Generali enim fama volitante (*d*) reformator & conſervator pacis [d] & juſtitiæ fuiſſe perhibetur. Nam pacis terræ amiciſſimus conſervator, raptorumque fue-

[a] Baluz. *Bensbure.*
[b] Baluz. *Subſtantia.*
[c] Baluz. legit corrupte *adoptionem artus.*
[d] Baluz. *volutante.*

rat horribiliſſimus exſtirpator, quos ſua magna cum prudentia ſubjugavit. Nam plurima caſtra & fortia juxta prædonum fortalitia, per quæ ipſi jugiter tamquam obſeſſi habebantur, malis eorum gratibus funditus ædificavit, & ſic eos ad pacis obſervantiam, quantumcumque magnos violenter coartavit. Et rem memoria dignam hic duxi interſerendam, ut hic enarratis teſtimonium adhibeam veritatis. Friderico de *Numagen* domicello, qui a mercatoribus Moſellæ alveum deſcendentibus, non rapinam ſed cautionem, ut ipſe aſſerit, receperat pignera-
B lem ſui caſtri, ſub obtentu diſtrictiſſime demandavit, ne Treverenſem exiret civitatem, in qua tunc erat, niſi conquerentibus cuncta ablata prius reſtituiſſet, quod præceptum
[a] celerrimum (*a*) productum fuerat ad effectum. Et ſic defenſor mercatorum, amator bonorum, exterminator iniquorum, rigi-
[b] diſſimo (*b*) in judicio juſtiſſimus habebatur. Nam proprium occultæ nationis fratrem, qui propriam uxorem occulte interfecerat,
[c] ſpe ſolemnioris obtinendæ, (*c*) licet ab archiepiſcopo pro fratre eſſet reputatus, ſupplicio rotali interimere permiſit. Et ſic ne-
C mini parcendo cunctos maleficos timore perterritos ſuis procul a finibus fugere compellebat; ut ſicut Salomon ſapiens & pacificus dignepotuerit appellari.

CAPUT X. *De ejus vita & converſatione.*

JUſtitiæ paciſque iſte conſervator, vitæ venerandæ converſationiſque fuerat glorioſæ. Nam in cibo potuque capiendo moderatiſſimus habebatur. Omnia ſtatuta jejunia & quamplurima alia ſæpiſſime obſervando, horas canonicas multaſque privatas orationes devote orando, caſtiſſime vivendo, D omni die miſſam celebrando, aliam audiendo, ſolitarius otioſitatis tempore exiſtendo, ſuæ eccleſiæ privilegia ſæpius perlegendo,
[d] intelligens otia miniſtrare vitia, (*d*) numquam otio vacavit alieno. Cum magnatis magnifice, cum mediocribus mediocriter, nulli ſubditorum nimis familiaris exiſtendo, honorifice inceſſit, ſciens nimiam familiaritatem contemtum generare; pauperum cauſas defendendo, vanis & mulierum ſpectaculis ludiſque illicitis ſe rariſſime immiſcendo. Cauſas ſubditorum & diſcordias ſedando,
E & prudenter terminando promtiſſimus eſt inventus. Numquam etiam aliquod negotium dimiſit indiſcuſſum. In inceſſu, dictis & factis, veridicus ſtabilis fuerat, & ſemper ſerioſus. Tempore vero jucunditati opportuno ſuæ juventutis, occulte cum ſuis militibus, capellanis & cameratiis, domicellis, velut eorum minimus dicens: Epiſcopalem dignitatem ſuſpendimus ad parietem, nunc ſuperior, nunc inferior, ſocius jucundiſſimus currendo, ſaltando leviſſimus, lapidem ceteris præjactando, eos viribus præcellere cernebatur. Nam tanta fortitudine pollebat, quod in domo Abbacenſium in Pinguia famulum curſanti equo inſidentem cum equo ad terram velociter dejecit. Aliquem quoque nimium laudari, aut ullo modo vituperari noluit aliqualiter tolerare. Nam carminum recitatorem de inebriationis verbositate in dominum Henricum, tunc Colonienſem archiepiſcopum turpia proferentem, licet
B dictus Henricus tunc ſibi capitalis eſſet inimicus, viriliter reprehendit, dicens: Vade tu miſerrime, non licet de (*e*) dominis turpia [e]
recitare. Etiam rancoris materia inter eum & cives Trevirenſes fuerat exorta. Nam cives tempore Dietheri ſibi aliqua eccleſiæ jura illicite uſurparunt, pro quo dominus Baldewinus nimium offenſus, guerram cum eis habiturus, primo anno creationis ſuæ Treverim exivit: ſed dominus Walramnus hoc intercipiens, concordiam ordinavit, jura archiepiſcopi & eccleſiarum valide conſervan-
C do, ut in litteris hinc inde datis continetur. Suis etiam hoſtibus guerrarum tempore tyrannicus fuerat inimicus, quos tamen numquam aliquo aggrediebatur odio; pace reformata, cunctis dimittens veniam poſtulantibus, ut ei Omnipotens dimittere dignaretur.

CAPUT XI. *De ejus proviſione.*

NObis ejus facta inſignia proviſionis luciditſima dant exemplaria provide vivendi. Nam numquam aliquid ad ſua utenſilia vel victualia comparavit tempore cariori. Omnia ſua caſtra & domicilia vino, blado, pabulo, in annuma de anno, velut Joſeph in Ægypto, congregatis, & fere (*f*) ultra nu- [f]
merum multiplicatis redundabant: quæ tamen tempore cariſtiæ ſuos per officiatos ſuis ſubditis indigentibus, & cautionem præſtantibus, ut tantum in novis futuris perſolverent fructibus, quantum de antiquis reciperent, nihil ultra requirendo, miſericorditer diſperſit; & ſic ſuos ſubditos in ſuis poſſeſſionibus jugiter conſervavit. Diſcreta etiam proviſione omnia eccleſiæ ſuæ privilegia, primo papalia, ſecundo imperialia, tertio homagialia, & alia perpetua, timens amiſſione diſtractionem, antiquorum cereorum fragilium ſigillorum, propter diuturnalem revolutionem, privilegiorum fracturam diſpendioſam multumque damnoſam poſſe poſteris imminere, in unum volumen congregando, & tranſcribi mandando utiliter ordinavit, & illud triplicavit; unum eccleſiæ ſuæ capitulo

[a] Editio Baluzii *celeberrimum*, minus bene.
[b] Baluz. *rigidiſſimus* non ita recte.
[c] Baluz. omiſit *obtinendæ* quæ vox melius quadrat.
[d] Baluz. hunc locum ita legit *ſapius perlegendo, fugiendo vitia, numquam otio vacavit alieno.*

[e] Baluz. *non licet te dominis turpia recitare*, longe melius codex noſter *non licet de dominis turpia recitare.*
[f] Baluzii editio corrupte *& vere ultra numerum multiplicatis redundabat.*

& capitulari loco, aliud ſuæ & ſucceſſorum ſuorum cameræ Treverico in palatio, tertium vero ſuo (a) & ſucceſſorum ſuorum feriato ſemper camerario ad omnia & ſingula quo diverteret loca devehendum providè deputavit, ut in omni loco archiepiſcopus poſſet ſua homagia, litteras & privilegia ſaltem ſub copia providere, necnon unicuique dum opus eſſet recitare: *Hoc & hoc a nobis in feodum dinoſceris habere.* Et omnium eccleſiarum ſuarum collegia ad ſua privilegia oſtendenda, ut in iſta ſcriberentur volumina diſtrictiſſime coarctavit, & quotquot erant ſibi oſtenſa, quæ tamen ſub bullis apparuere veris, inſcribi verbotenus procuravit: ut ſi in poſterum aliqua privilegia rapinis, incendiis, antiquitate conſumta, ſeu malæ cuſtodiæ deputata, vel quocumque modo perderentur, in prædictis voluminibus perpetua memoria perdurarent. Sic ergo velut Joſeph providiſſimus habebatur. Vivant igitur ejus proviſionis inſignia in ſæcula ſæculorum.

CAPUT XII. *De ejus familiæ proviſione.*

[b] Baldewinus iſte tanto vixit tempore, (b) quod omnes eccleſiæ ſuæ dioceſis prælaturæ, necnon beneficia ad ejus collationem ſibi ſpectantia vacavere; quibus in perſonis idoneis, ut pervigil paſtor, noſcitur providiſſe. Legiſtas enim, canoniſtas, phyſicos, artiſtas, philoſophos capellanos, clericos, laïcos etiam, multos milites, nobiles, domicellos, alioſque miniſteriales numero multum valde multiplicatos, ſuo miniſterio deputatos, decenter ſuſtentavit: quos omnes & ſingulos, alios archidiaconos, quoſdam præpoſitos, nonnullos decanos ſcholaſticoſque præbendatos, canonicos & paſtores fieri procuravit. Nam de tam excellente magnatorum progenie extitit oriundus, quod nullum habuit affinem ſeu cognatum, quem ad præpoſituram majorem, vel aliquem archidiaconatum vellet promoveri. Unde Joffridum in majorem præpoſitum, alterum vero ſuorum pædagogorum in majorem decanum ſublimavit. Clericos ſuos variis beneficiis providendo; laïcos vero ſolemniſſime uxorando, poſſeſſionibus, domibus, agris, vineis in perpetuum allodium eis diſtributis, ditiſſimos faciebat. Quid plura? numquam aliquis ejus, licet in parvulo, diu morabatur ſervitio, quin rebus & honoribus fuiſſet multipliciter honoratus. Unde digne poſſum dicere: *Gloria & divitiæ in domo ejus.* Vivat igitur memoria perenniter merito recolenda, nunc & ſemper, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit liber primus geſtorum domini Baldevvini de Luczenburch archiepiſcopi Trevirorum, tractans de ejus vitæ generalitate.

(a) Baluz. *ſuorum & ſucceſſorum ſuorum*, male omnino.
(b) Præfuit enim annis 46. ſeptimanis ſex & diebus quatuor, ut dicitur infra.

Incipit prologus libri ſecundi.

De Henrico ejus germano imperatore VII.

VOx ſapientiæ meis intonet auribus, ut mel intelligentiæ de duriſſima & vera Petra, id eſt Chriſto, valeam ſugere, quo laborem inchoatum, mihi utique permaximum, poſſim adimplere. Cum igitur hanc famoſam hiſtoriam dicti domini Baldewini, quam de geſtis fratris ejus ſereniſſimi principis domini Henrici VII. imperatoris Romanorum, ſicut (c) huc uſque ulterius non poſſum ſeparare, quia ipſe dominus Baldevinus dicti imperatoris ad imperialis apicis dignitatem acquirendam collateralis noſcitur extitiſſe, & glorioſi hiſtoriographi, magnæ litteraturæ viri, quoniam non eſſet dignus pediſſequus appellari, eam hiſtoriam amborum geſtis indiſſolubiliter conglomeratam cernuntur minime ſcriptitando, proh dolor! præterire; egò tamen cum ſim ſcriptorum minimus, hanc hiſtoriam perpulcram tam turpiter evaneſcere nebuloſis ignorantiæ tenebris involutam non poſſum aliqualiter tolerare, juxta illud:

[c]

Scribimus indocti doctique poëmata paſſim.

Licet plures æmuli, livore nimio conglobati, grandia verba trutinantes, tumidis ſuis latratibus dentibuſque detractoriis me ſtudeant dilaniare: quod tamen dixi patienter ſufferendum. Nam patientia malitiam legitur ſæpiſſime ſuperare. Propono ergo pro meis viribus quantulumcumque parvulis, iſtam præſcribendo hiſtoriam perſeverare: quia ſecundum Gregorium, ſi non poſſum garbam integram ad horreum importare, non debeo tamen vacuus remanere: unde quod potero faciam, ſcriptorum vernula fiam. Quomodo ergo ſcribendo incipiam? materia enim ſignata eſt & clauſa, & quis aperiet mihi? Recordor vocis illius qui dixit: *Petite, & accipietis; pulſate, & aperietur vobis.* Habentem ergo clavem David rogitabo, ut me in cellam ducat vinariam, ubi ſlabit ejus Spiritus ſapientiæ & intellectus, & ſtuent aquæ dulcedinis. Ibi de fontibus Salvatoris limpidiſſimum intellectum hauriam, quo hanc hiſtoriam ei ad laudem, Trevirenſi vero eccleſiæ ad honorem, domino Baldewino ad favorem valeam recto tramite pertractare, ... qui eſt æternus, trinus & unus Deus per cuncta ſæcula benedictus.

Explicit prologus ſecundi libri.

CAPUT I. *De electione per dominum Baldevvinum procurata.*

REgalis dignitatis celſitudine regni Romanorum per lamentabilem mortem quondam Alberti regis non modicum di-

(c) Baluz. *ſic.*

sturbata, dominus BALDEWINUS aliique sex coelectores villam *Rense*, inter Confluentiam & Bopardiam sitam, ubi ex antiqua consuetudine, ad tractatum de electione habendum consueverunt convenire, ad ipsum tractatum (a) habendum concorditer diverterunt. Ubi anno Domini millesimo trecentesimo octavo, gratia summi Spiraminis cooperante, & domino BALDEWINO id procurante, in ipsius fratrem dominum HENRICUM comitem Luczelinburgensem in futurum Romanorum regem eligendum, suis exigentibus meritis, communiter concordarunt. (b) Exigentibus dico suis meritis. Fuit enim (c) miles imperterritus, in armis strenuus, hastiludiorum & torneamentorum, a mari usque ad mare in juventute semper quæsitivus, in quibus inter ceteros, quorum tamen virtutibus non est detrahendum, glorioſior habebatur, judex justissimus, pauperum, pupillorum, mercatorum, peregrinorum promtissimus defensator; raptorum, malefactorum, tyrannorum rigidissimus exterminator, semper illud gerens animo: *Juste judicate filii hominum*. Omnibus enim fuit affabilis (d) & benignus, in quibus tamen permixtim seriositatem judicialem, honoris & dignitatis (e) serenitatem; prudentiæ quoque & discretionis amœnitatem nullo umquam tempore deserebat. Virtutum & bonorum morum concatenationem optima cum temperantia jugiter retinebat, & se semper bonis moribus omnium in omni tempore insignissime conformabat, omnibusque se ita socialem & tractabilem præbebat cum intermixtione, ut dixi, officii & dignitatis, ita quod ab omnibus hominibus amore constrictus nimio habebatur. Et tamen iis qui sunt mundi non segniter reddendo, non minus quæ sunt Dei, Deo noscitur reddidisse. Nam cum domina MARGARETA sorore ducis Brabantiæ sua collaterali prædicta ita continenter a tempore contracti matrimonii creditur vixisse, quod numquam ad aliquam aliam adhuc post obitum dicitur accessisse. Capellæ quoque (f) suæ ornamenta, missalia magni ornatus, ac pretiosa, ad quæcumque loca perrexerat, adhuc comes existens, suis cum sommariis secum vehere faciebat, & omni die coram se, & collaterali sua, quando aderat, per suos cantores electos canticis cum musicalibus, missas & horas canonicas, impedimento non interveniente; sed impedimento (g) urgente, vesperas saltem & completorium, & hoc nulla die prætermittendo, celebrare solemniter faciebat. In missis vero audiendis horisque canonicis cum die dicendis maxima devotione pollebat; ita quod suis sacerdotibus capellanis maximam devotionem dicitur præstitisse. His igitur virtutibus quia fuerat adornatus, merito illud propheticum ejus debuit auribus insonare: *Specie tua*, quoad justitiam humanitatis, & ad vitam activam; *& pulchritudine tua*, scilicet bonorum operum, divinitatis & ad vitam speculativam, *intende prospere, procede & regna*. Unde dominus BALDEWINUS aliique sui coelectores, cum totius Alemanniæ principibus nobilibusque, ipsum *Franckenfort* ad locum electioni deputatum duxerunt, & ibidem in Christi fidelium solatium cunctorum, Dominicæ incarnationis anno millesimo trecentesimo octavo, XXVII. die mensis Novembris, in regem Romanorum vivis vocibus concorditer elegerunt, & toti mundo ad monarchiam obtinendam in futurum imperatorem unanimiter præsentarunt.

CAPUT II. *De Henrici regis consecratione & coronatione.*

COnstantiæ maximæ probitatisque eximiæ dominus BALDEWINUS, & alii sex principes coelectores anno millesimo trecentesimo octavo, dominum HENRICUM septimum Romanorum regem ad auream regni sedem Aquisgrani per Carolum imperatorem situatam, adduxerunt. Ibi eum cives Aquenses clavibus civitatis plusquam per leucam obviam portatis & traditis, in Romanorum regem lætabundis vocibus receperunt; & ibi per dominum HENRICUM Colonienſem archiepiscopum, quia in ejus provincia fuerat, installatus, & ipso die Epiphaniæ Domini eodem anno (h) ibidem in Romanorum regem honorifice divinitus consecratus, & una cum sua collaterali prædicta sibi assistente in vestitu deaurato varietate circumdata, cum corona regni fuerat solemniter coronatus, & ab inde solemniis curiis habitis, Colonienſem civitatem regiam rex ipse fuerat ingressus, & tres reges (i) beatos Regis Infantis Christi primos adoratores tribus pretiosissimis baldechinis aurifrigiatis etiam totidem oblatis, auro gemmisque pretiosis suppliciter adoravit, & ad imperialem ibi aulam divertit: de qua Colonienſis archiepiscopus ipsi regi, ut tenebatur, cedebat. Tres vero præpositi Colonienses, videlicet major archiepiscopo Colonienſi; sancti Cuniberti præpositus, archiepiscopo Trevirenſi; sanctæ Mariæ ad Gradus præpositus archi-

(a) Baluzius omittit hæc verba, *ad ipsum tractatum habendum*, quæ tamen necessaria videntur.

(b) Si Browero lib. 17. art. 7. creditur, auctores fide digni tradunt Philippum Franciæ regem vehementer sollicitasse pontificis animum, quo Carolum Valesium fratrem imperio Romano accingeret, destituta Germania. Sed fides sit penes illos auctores.

[c] Baluzius omittit iterum hic *enim*, quod sensus requirit.

[d] Baluz. *amabilis*.

[e] Baluz. *honorem & dignitatem*, omnino male.

[f] Editio Baluz. *Capella vero sua*.

[g] Hic locus apud Baluz. adeo corruptus est, ut intelligi nequeat; hic vero omnino planus est.

(h) Si nimirum annus incipiatur in Paschate.

(i) Nam tres reges Magos qui Christum adoraverunt infantem, Coloniam translatos Mediolano a Friderico primo imperatore, idque ad Raynaldi archiepiscopi supplicationem quamplures tradunt auctores haud ignobiles.

epiſcopo Moguntinenſi, de ſuis curiis, præpoſituris antedictis deputatis cedebant, ut antiquo jure tenentur. In qua præpoſitura ſancti Cuniberti dominus BALDEWINUS pro eccleſiæ ſuæ jure conſervando aliquandiu morabatur; ſed propter nimiam diſtantiam ab aula, non diu multum perſeveravit, ſed ex oppoſito aulæ juxta eccleſiam ſancti Johannis Evangeliſtæ ſe ſecurius collocavit. HENRICUS vero rex iſta vice non diu Coloniæ moram protraxit, ſed in ſuum comitatum remeavit, & ibidem illo anno cum domini Baldewini conſilio in regni gubernacula recipienda ſe prudentiſſime præparavit. Iſto anno dominus Baldewinus ivit Hannoniam, & *Tuyn* reformavit.

CAPUT III. *De Coloniæ ſecunda viſitatione.*

HOnorandæ diſpoſitionis proviſione facta, ad regni loca perluſtranda ipſe HENRICUS rex una cum domino Baldewino aliiſque quamplurimis, anno Domini milleſimo trecenteſimo nono ante feſtum Natalis Chriſti Coloniam ſecunda vice remeavit, ibidem omnia feoda requirere volentes ſpectavit, præſidens judicio, ſententias contra rebelles ſua feoda non requirentes, ſervato juris ordine, promulgavit. De antiqua enim conſuetudine in regem Romanorum electus ſine omni confirmatione habet & poteſt regalia miniſtrare, ut habetur XCVI. di. *Cum ad verum*, & cap. *Duo ſunt*, & cap. *Si imperator* XCIII. di. cap. *Legimus*, ſuper hoc verbo *imperator* in gloſſa. Hic gaudia gaudiis cumulantur, haſiludia continua, choreæque ſolemnes celebrantur. Ibidem continue ipſe rex cum principibus & nobilibus, totoque vulgo, ſpecialiter in die Natalis Domini, ſolemniſſimam habens curiam convivando feſtinavit. Iſto tempore fuit frigus permaximum, cujus æquiparantia a nullo tunc vivente potuit recordari. Ibi etiam rex a Colonienſibus huldas acceptavit, eorumque privilegia renovavit & confirmavit. Regem vero Colonienſes multis muneribus honorarunt. Et deinde Confluentiam divertens, [a] ibi Trevirenſis eccleſiæ thelonii privilegia (*a*) perpetuo duratura, precibus Baldewini inclinatus, favorabiliter indulſit anno Domini [b] milieſimo trecenteſimo nono, VI. (*b*) die menſis Februarii, regni vero ejus primo. Sed [c] HENRICUS (*c*) a domino Baldewino rogatus, civitatem Trevirenſem, quam prius ob injuriam & offenſam condignam ab ea ſibi injurioſe ſæpius iliatam, ante regni adeptionem hoſtiliter obſedit, nunc amicabiliter viſitavit.

CAPUT IV. *De nundinis per dominum Baldewinum Trevirenſem a rege impetratis, & ejus receſſu.*

AUctor ab augendo, tam' ſuæ eccleſiæ reditus, quam civitatis honorem patriæque melioratione[m] iſte BALDEWINUS merito appellatur. Nam eccleſiæ ſuæ reditus ultra quam invenit vere duplicavit; territoria & homagia, ut poſtea tractabitur, multipliciter ampliavit; civitatis & terræ augmentationem, ſi cives gratanter acceptaſſent, quamplurimum procuravit. Nam etiam a fratre HENRICO rege nundinas nundinarumque libertates, ut Franckenfordienſes habent, quando eis expirant, videlicet a nativitate beatæ MARIÆ Virginis, uſque in diem beati Remigii in capite Octobris, duraturas civitati Trevericæ, ob ejus & circumjacentis terræ melioration[em], donari & indulgeri ſub ſigillo regio impetravit. Quam nundinarum libertatem Trevirenſes, ſaltem circumquaque proximam per leucam, ut dicitur, eis bannitam obſervare & defendere recuſarunt. Unde talis benivola impetratio & utiliſſima, eſſe noſcitur fruſtrata. Inde rex cum domino Baldewino comitatum Luczenburgenſem ingreſſus, ſolatiis plurimis inſiſtendo, ad civitates regias viſitandas, eaſque regno coadunandas ſe quam plurimum diſponebat.

CAPUT V. *De Johanne Henrici regis nato in regem Bohemiæ creato.*

REgum Alemanniæ ſepulturæ civitatem deputatam, id eſt Spiram, deinde ipſe rex cum domino Baldewino, aliiſque multis principibus & nobilibus divertebat, ubi feodalia feodalibus in feodum condonavit. Et etiam ibidem iis diebus rex Bohemiæ WENEZELAUS, relicta tantumdem filia, ſine maſculino ſucceſſore hereditario, extitit ſublatus. Per cujus deceſſum regnum regi Romanorum noſcitur vacaviſſe; cujus filia ELIZABETH appellata, propria in perſona Spiram veniens, aures HENRICI regis cœpit interpellare, ut de ipſo paterno Bohemiæ regno in feodum donando ſibi dignaretur providere. Rex vero cum domino PETRO Moguntinenſi archiepiſcopo, & cum domino BALDEWINO conſilio inito, JOHANNEM filium eidem ELIZABETH matrimonialiter copulavit, & eumdem in Bohemiæ regem glorioſius ſublimavit; & ibidem ſolemnibus nuptiis celebratis, eos ambos cum (*d*) domino Moguntinenſi & domino B. *de Henneberh*, multa potentia eis ambobus Bohemiam deſtinavit. Et ſic ipſum regnum JOHANNES rex pacifice eſt adeptus, & ibi glorioſiſſime regnum regnavit, & ſibi reſiſtentes proſternendo, ut poſtea habetur, domini BALDEWINI adjutorio invictiſſime triumphavit. [d]

CAPUT VI. *De Adulphi & Alberti Romanorum regum ſuorum anteceſſorum per Henricum regem facta tranſlatione.*

CUſtodia tota adimplevit legis mandata operaque caritatis. Nam duos ſuos an-

(*a*) Baluzii editio *privilegium perpetuo duraturum.*
(*b*) Apud Baluz. deſideratur VI.
(*c*) Baluz. *ſed hic a domino.*
(*d*) Apud Baluz. deeſt *eum*, cujus defectu tollitur hujus loci intelligentia.

teceſſores reges ADULFUM & ALBERTUM de loco ſepulturæ regum Alemanniæ deputato multum remotæ terræ commendatos ecineravit & relevavit, & per plures epiſcopos & abbates, multoſque clericos, tam ſæculares quam religioſos, cum cereis infinitis, cultibuſque ſumtuoſis regum funeribus deputatis & deputandis Spiram adduci & transferri cultu regio procuravit. Et ipſe Henricus rex funeri [a] (a) ADULPHI, eo quod eſſent de eadem linea conſanguinitatis, cum multis ducibus, baronibus, militibus, aliiſque nobilibus & ignobilibus caterva non modica, ad quam plurimam diſtantiam inceſſu pedum gradiendo obviavit & lamentando: *Quomodo ceciderunt inclyti*, Chriſtum Domini acceptavit, & eodem die anno Domini milleſimo trecenteſimo nono, regni vero ejus primo, amborum exequias in Spirenſi eccleſia devote celebrare per epiſcopum Spirenſem procuravit, & ut olim Tobias, eos juxta alios anteceſſores reges ſolemniter collocavit.

CAPUT VII. *De domini de Wirtemberg expugnatione.*

HUmilium ſicut Henricus fuerat exaltator, ſic ſuperborum rebellantium extitit rigidiſſimus extirpator. Nam cum ipſe Henricus ſe ad Alpium montana tranſcendendo præpararet, dominus *de Wirtemberg* ſe ipſi regi tyrannice oppoſuit: propter quod ipſe rex dominum *de Winſperch* provincialem advocatum præfecit, & omnibus illarum partium regni fidelibus, caſtellanis & civitatibus diſtrictiſſime præcepit, ut ſibi tamquam ſuo vicario in omnibus intenderent & obedirent, & ejus juſſionibus per omnia parerent. Qui regis ad præceptum cum fidelibus regni & civitatibus dictum Suevum *de Wirtemberg* armis bellicoſis ſæviter proſequendo ſuo in territorio, de loco in locum fugere, & ejus quadraginta [b] (b) tam oppida quam caſtra viriliter expugnavit, & ad talem internecionem deduxit, quod tantum terrunculæ vix poterat obtinere, quod vitæ neceſſaria valeret, pauperrime [c] (c) vivendo, aliqualiter habere. Eo anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo dominus Baldewinus in Treveti [d] (d) exiſtens, ſe ad Alpium montana tranſcendenda quamplurimum præparavit.

CAPUT VIII. *De viæ Lombardiæ arreptione.*

JUſtitia & judicium correptio ſedis ejus, Henrici regis. Nam ipſe in Spita præſidens judicio contra Johannem de Auſtria, dictum *Sunderlant*, juſtitialiter vocatum, & juris ordine damnatum, quia ſuum anteceſſorem ALBERTUM regem Romanorum callide interfecerat, ſententiam ſanguinis diſtrictiſſime promulgavit, & deinde ad Alpium montana tranſcendenda iter arripiebat. Eodem tempore dominus Baldevinus de Treviri (e) [e] per *Erenbergh*, anno videlicet Domini milleſimo trecenteſimo decimo, feria quinta (f) [f] poſt exaltationem ſanctæ Crucis, per Zaurem in Haynheim (g) divertit, ubi ſibi JOHANNES rex Bohemiæ & regina obviaverunt; quos [g] amiciſſime ſalutando, & ſumtuoſe convivando, eos & dominum PETRUM Moguntinenſem archiepiſcopum, & dominum *de Hennenberg* Bohemiam euntes in die beati Mathiæ valefaciendo, currum cum auro & argento maxime onuſtum, ſecum ducendo, Columbariam devenit, ubi HENRICUM Romanorum regem fratrem maximo cum exercitu invenit, & ibi ipſi regi permaximæ pecuniæ ſummam favorabiliter mutuavit. Deinde per *Molenhuſen*, *Sleeſtat*, *Falkenſteyn*, *Solecter*, ubi comes de Sabaudia, (h) obviam venit, Bernam cum gaudio intraverunt. Ibi in die ſancti Michaëlis ſunt recepti, ubi & ſe requiei ſecuriſſime ſubdiderunt. [h]

CAPUT IX. *De obitu comitis de Sarwerden, & Alpium tranſcenſione.*

EPiſcoporum, clericorum, tam ſæcularium quam religioſorum, non modica caterva congregata, dominum JOHANNEM DE SARWERDEN comitem ibidem anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo, feria ſecunda poſt feſtum ſancti Remigii obdormientem, ejus celebrando obſequias, lamentabiliter tumularunt. Deinde per Mortem * Lauſanniam, Leonon, Genevæ, Ha- * Bern. legit Morteniam.
ctevillæ, Scameleti, & per ſanctum Michaëlem, Modanam, *Lengenburch*, & Tranſmorthenis monte, tamen maximo cum labore & periculo aliquo, tamen ſine damno, tranſcendendo, ipſe dominus HENRICUS & BALDEWINUS exercitu cum maximo XXIV. die Octobris, Suſam Italiæ civitatem primam honorifice intraverunt, & per ſex dies ibi quieſcentes moram ſubtraxerunt, abhinc per Avilianam (i) in feria VI. ante omnium Sanctorum Turrim devenerunt, & ipſum feſtum, [i] omnium animarum ibidem peragendo per octo dies continuo permanſerunt. Hinc per *Kir* euntes, in craſtino (k) beati Martini, *Aſt* [k] appropinquaverunt, ubi cives multum ornati, clavibus (l) civitatis regi portatis, ipſum [l] cum domino Baldewino jocundiſſime rece-

perunt.

(a) Baluzii editio *funeris*, & ſic unius litterulæ adjectione tollitur hujus loci ſenſus.
(b) Codex ſancti Maximini legit *quadrata*.
(c) Baluz. *pauperiem*, omnino male.
(d) Baluz. *in Trevirim*, male.
(e) Baluz. *de Treverim*, male.
(f) Apud Baluz. deſideratur *quinta*, cujus defectu mutatur omnino loci hujus ſenſus.
(g) Baluz. *Hauheym*.

(h) Amedæus ſcilicet, qui per Mariam uxorem, quæ ſoror erat reginæ, & filia ducis Brabantiæ, Henrico affinitate conjunctus erat.
(i) Baluz. *Fivilianam*. Browerus *Wiglianam ad Duriam*.
(k) Browerus id in feſto ipſo ſancti Martini aſſerit accidiſſe.
(l) Baluz. *claves civitatis regi obviam portaverunt*, omiſſis verbis ſequentibus, *cum domino Baldewino jocundiſſime receperunt. Ibi rex.*

perunt. Ibi rex cum domino Baldewino & Walramo fratribus, ducibus, (a) comitibus, nobilibus, militibus, regina cum dominabus solemnissimam & sumptuosissimam curiam habendo jocundissime festivarunt, (b) & ibidem triginta diebus continuatis, multis insiste do solatiis, conviviis, hastiludiis, unanimiter perduraruntur.

CAPUT X. *De triumpho & Mediolano obtento, & ejus ibidem secundæ corone acceptione.*

PErsecutor omnium iniquorum iste BALDEWINUS cum domino Henrico rege, & aliis numero infinitis, instituit per *Casile, Vercel. Novarre* & per *Gargente,* civitati Ambrosianæ appropinquabat, de qua cives ipsi domino Henrico regi obviam erumpentes, ipsius Mediolanensis civitatis claves plus quam per leucam offerentes, ipsum in regem Romanorum humiliter receperunt. Et sic Mediolanum anno Domini millesimo trecentesimo decimo, feria IV. ante natale Domini, strenuissime intravit: ubi Guido de Turri, sicut sibi vice-comitatum ibidem, Mapheo vicecomite de eo potentialiter ejecto, nequiter usurpavit; ita etiam domino Henrico ingressum suum ibidem in palatium fatuiter denegavit. Dominus vero BALDEWINUS ipsius civitatis portam Romanam, vel Ambrosianam appellatam intrans, sua sub clausura conservavit, claustrum sancti Ambrosii inhabitavit, & dominica sequenti cum Leodiensi episcopo, (c) Lupoldo duce Austriæ, Walramo fratre, Dietardo *de Catzzenelenboge* comite, Henrico *de Spaynheim*, domino de Huselis, & aliis multis lætanter convivavit, & ibidem dictus dominus Henricus rex sequenti die Epiphaniæ Domini, in S. Ambrosio a Mediolanensi archiepiscopo una cum sua regina corona ferrea ad instar lauri margaritis pretiosis perornata, de calybe tamen per ipsum Henricum regem cunctis successoribus facta, eo quod corona regum antiqua ex negligentia esset amissa: (nam a nullo regum, de tempore Friderici imperatoris fuerat requisita,) gloriosissime extitit coronatus, permaximo insidens palefrido, famulis præcedentibus & sequentibus, & in lateribus, tamen a remotis, equitantibus sub celeo (d) pretiosissimis sametis purpureis & baldekinis facto, aliisque famulis, saccis apertis, pecuniam non modicam, videlicet Venetianos imperialibus admixtos, extra viam projicientibus, quam totus colligens populus, viam patefaciendo, suum ibidem in palatium pacifice & gloriosissime est ingressus. Et amici Guidonis de Turri multis vicibus armaverunt se, & Imperiales similiter. Post hæc meridiano tempore, regnante solis ardore, quo homines solent fervorem declinare, & dormiendo membris quietem ministrare, filii Guidonis de Turri aliis cum infinitis proditorie regem occidere toto conamine laboraverunt. Sed hoc avertat numen divinæ bonitatis. Nam LUPOLDUS dux Austriæ de campo quo equitaverat causa spatiandi, per vicum illum de Turri fuerat reversus; in quo proximos strepitus rixosos equorum, cum hinnitibus eorum, frequenter audiebat, tandem (e) per unam portam casualiter apertam armatorum multitudinem respiciebat. Qui statim suos suo remisit hospitio, ut omnes Theutonicos excitarent, congregarent, & se occulte ad prælium cum eis committendum festinantissime præpararent. Ipse vero versus palatium equitavit, regem excitavit, & causam sui adventus indicavit: qui statim domino Baldewino mandavit, quod suos coadunaret, & se armarent, & portam civitatis quam inhabitavit non exiret, sed eam non tegniter observarent. Ipse vero rex sua speciali cum familia suum palatium firmiter custodivit. Hinc ille probissimus de Austria LUPOLDUS se celeriter præparavit, & cum suis & aliis pluribus inimicos acriter invasit. Hic clamor multorum, sonitus tympanorum, resonantia fistularum ascendit in altum. Ibi proditores prosternuntur, jugulantur, occiduntur. Plurima corpora exanimata in vicum crudeliter jaciuntur. Isi ab Alemannis rigidissime præliatur, & rigidissime triumphatur. Hic proditorum domus publicantur, spoliantur, aurum & argentum, omnisque cultus pretiosus a baronibus distrahitur. Hic insiliens aurum, ille argentum, hic vestes, illeque utensilia avidissime rapiebant. Tres vel quatuor vestem vel baldakinum rapientes pretiosum altercatione (f) quilibet frustum tenendo sæviter laceraverunt. Quid plura? tot ibi sunt barones rapina ditati repatriantes, quod ultra mensem plusquam baronum duo millia in exercitu deficere videbantur. Ipse Guido hoc factum intelligens, suique filii, in quoddam castrum extra civitatem rapiendo fugam turpiter evaserunt, ubi eos rex obsidere faciebat. Sed ipse Guido inde, occulte tamen, recedendo dicitur evasisse. Filii tandem castrum in manus regis donando, & totam terram perjurando noscuntur recessisse. Et ecce laqueum proditorie paraverunt, & eumdem miserabiliter inciderunt.

CAPUT XI. *De privilegio Trevirensis ecclesiæ per Baldewinum ibidem impetrato, & subcancellarii concrematione.*

IMpiorum extirpatione facta, dominus HENRICUS rex Romanorum, una cum domino Baldewino in Mediolano præsidens ju-

(a) Baluz. addit *Sabaudiæ.*
(b) Baluzius *festinarunt.*
(c) Baluz. *Theobaldo de Bar.* [d] Baluz. *teleo.*
(e) Apud Baluz. deest *tandem.*
(f) Baluz. *a lacerazione*; sed melius, ut nobis videtur, *altercatione.*

dicio, mortis ſententiam contra Guidonem & filios, & fautores horribiliter fulminavit, & inimicorum ædificia, turres, manſeola publicavit, & ad terram dejiciendo fundinis exſtirpavit. Hic Brixienſes per ſuos legatos ſe regi ſubdiderunt, quibus Theobaldum *Briſach* capitaneum & vice-comitem, accepto ab eo fidelitatis ſacramento, præfecit: quod tamen poſtea in ſuam damnationem, ut patebit, perfidiſſime violavit. Hic dominus Baldewinus privilegium perpetue duraturum ab Henrico rege ſuæ (a) Trevericæ eccleſiæ ſuper thelonio Conſtantino, anno Domini milleſimo trecenteſimo undecimo, regni ejus tertio, nonas Februarii, prudentiſſime impetravit. Hinc rex, una cum domino Baldewino Papiam eſt ingreſſus, & huldam recepit & poſtea Mediolanum remeavit. Quodam igitur die, cum rex in ſecreto ſuo eſſet ſilentio, quidam miles feſtinanter in hæc in Henricum (b) & his ſimilia prorupit verba: »Cur rex tua crudeliſſima in Theutonicos in»dignatio exarſit furioſa? cur omnes tam in»nocentes quam reos tua occultiſſima & ve»hementiſſima damnavit ſententia? Obſecro, »ſi non vis reis, ut tamen innoxiis, pietate re»gia miſereris. Recordare quod propter te »exilia patiuntur, & parce illis qui pro tuo »amore laboribus & periculis tuis continue »ſubduntur. Rege vero non modicum perterrito, & quidnam hoc eſſet ſciſcitante, ſer»tur reſpondiſſe; Inferior tuus cancellarius, »quem titulo militari decoraſti, quampluri»mas ſcripſit litteras, regio ſigillo minori tam »ſigillatas, quam ſigillandas, cunctis Lombar»diæ civitatibus deſtinandas, iſto ſenſu con»textas, ut tuo regio ex præcepto, uno & eo»dem die ipſis litteris intitulato, omnes Theu»tonici capiantur, & omni mora poſtpoſita, »celerrime interficiantur. Quæ rex audiens, nuntios ſecum miſit, qui eum cancellarium cum litteris ceperunt, & vinculativæ cuſtodiæ addixerunt. Qui captus ſtatim confitebatur, ſe hoc in regis necem feciſſe, & propter hoc in ejus ſervitio perſtitiſſe, & ſe ſæpe regem tractaviſſe, & ſi ſibi opportunitas potuiſſet occurriſſe, ſe ipſum regem interfeciſſe, eo quod cerneret omnes Gelfinos omnimode fore deſtruendos, & eos de Turri interficiendos, de quorum linea conſanguinitatis eſſet oriundus, & quod ſex carratas albi vini infeciſſet, & Theutonicis cauſa intoxicationis (c) potandum dediſſet. Tandem eum rex cremari, & oſſa ejus in cinerem redigi imperavit. Et ſic in cinerem redactus, in quadam civitatis planitie hanc vitam miſerabilem terminavit. Et hinc per Laudem, (d) Creme, Furiſim, (e) Poerne, & hoſtium turres & ædificia totaliter deſtruendo, Cremonam (f) divertit, & ibi cum domino Baldewino præſidens judicio, portas & turres ejus ad internecionem deduxit, & leonem deauratum (g) effringendo totaliter deſtruxit. Et abhinc per *Quintay Pompiay* cum exercitu permaximo Brixiam obſidione circumſepſit, & montem, in cujus pede ſituatur, ejus exercitus ex utraque parte (h) deſtruxerun. anno incarnationis Dominicæ milleſimo trecenteſimo undecimo, in vigilia aſcenſionis ejuſdem, quæ fuerat xix. die menſis Maii, regni vero ejus tertio. Terra enim in conſpectu ejus noſcitur tacuiſſe.

[a] [b] [c] [d] [e] [f] [g] [h]

CAPUT XII. *De juſtitia domini Bruſach facta, & Brixienſis civitatis expugnatione.*

SOllicitudo cordis Henrici fuit, omnia imperialia ad jus & proprietatem imperii revocare. Unde Brixiam rebellantem, quam hoſtiliter obſedit, bellis permaximis crudeliter ſæpiſſime invaſit. Nam quodam die Brixienſes armati exivere, cum quibus regis & Baldewini exercitus cœpit bellum commiſcere. Hic tubarum clangore, populorumque vociferatione, in aërem pulveris elevatione, crudeliſſima interfectione, bellum fuerat maxime aggravatum. Partes regis viriliter inſiſtunt, illi acriter reſiſtunt; hoſtiliter iſti impellunt, illi viriliter repellunt; hic trucidatur, ille perforatur. Quid plura poſſum referre de parte regis? Optat quiſque mori niſi belluni cedat honori. Ibi multi Brixienſes fuerunt interfecti, & ille fex militiæ, procurator perfidiæ Thybaldus *Bruſach*, aliis pluribus in civitatem fugientibus, extitit captivatus. Contra quem rex mortis ſententiam proferebat, & caput ſibi amputatum ſupra mitæ altitudinis haſtam infigebatur, (i) corpus vero in quatuor partes diviſum ſupra quatuor rotas ſtipitibus infixas digniſſime locabatur. (k) Poſt hæc dum dominus Walramus frater regis, & domini Baldewini germanus, exercitum circuiret, emiſſa de muro ſagitta, ad colli & humeri conjunctionem, ſumtis ſacramentis, verus ut catholicus, viam univerſæ carnis eſt ingreſſus: quem in Verona diverſis cultibus funus ejus condecentibus lamentabiliter tumularunt. Poſtea aëre ibidem corrupto, plures moriebantur. Tandem Brixienſes, conſilio inito, exercitum regis invadere nocturnali tempore callide diſponebant, & apertis portis exilientes in montem, (l) baliſtariorum validis exortis clamoribus, tentoria incenderunt, quos partes regis imperterrite petierunt congreſſione præliali. Hic fortiſſimum commit-

[i] [k] [l]

(a) Apud Baluzium deſideratur *ſuæ*.
[b] Baluz. prætermiſit *in Henricum*.
(c) Baluz. *incoxicationis*, male.
[d] Baluz. *Laude*, etiam male.
[e] Baluz. Suriſim.
[f] Baluz. *Cremoniam*.
[g] Baluz. *deauratam*, male.

[h] Baluz. *ex utraque incendio*; omiſſo *parte*, quod neceſſarium, & addito *incendio*, quod redundare videtur.
[i] Baluz. *infigebat*.
[k] Albertus Argentinenſis, quem recentiores nonnulli ſequuntur, tauris alligatum in diverſum concitatis crudelius diſcerptum memorat.
[l] Baluz. *in monte*.

titur bellum, hic clypei, galeæque acriter percussi resonantia sonitum referunt in cœlum, hic illatis ictibus immensis ensem reverberat ensis; undique rigidissime bellatur, belli fortuna vagatur, ab utrisque permaximus auditur tumultus; sed (a) Theutonici fugere nescii tot tot occiderunt, & residui in civitatem fugerunt, & paulo post omnes Brixienses se regis gratiæ, capistris propriis collis impositis submiserunt anno Domini millesimo trecentesimo undecimo, feria quinta post festum Matthæi. Tunc rex civitatis (b) muros & portas funditus destruere, fossata planitiei terræ præcepit adæquare; & sic Brixiam tamquam villam patentem per fossata planata, (c) non per portas intravit, & in ea una cum Baldewino judicio præsidens, omnes ejus munitiones radicitus exstirpavit, & deinde per *Soruyn*, *Cremone*, *Playsente*, *Castel S.* Johannis, *Pamenogie*, *Cortone*, *Sarzual*, *Gaio*, Tridentum, Januam divertit. Cives Januenses claves civitatis offerentes obviantes venerunt, juramentumque fidelitatis præstiterunt, & ipsum in regem Romanorum suumque verum dominum unanimiter receperunt.

[a] Baluz. *seu Theutonici* longe melius codex S. Maximini *sed Theutonici*.

[b] Baluz. *Tunc rex civitatem, muros* omnino male & contra auctoris mentem, nam civitatem non destruxit.

[c] Baluz. *Fossata plenaria* male.

CAPUT XIII. *De obitu reginæ, introitu Romæ & cella (d) quatuor Coronatorum per Baldewinum facta inhabitatione.*

[d] Aliter hunc titulum & minus dilucide legit Baluzius.

CAusarum multarum expeditione facta Januæ, domina MARGARETA regina cœpit multum ægrotare, & infirmitatis crescente malitia, (e) ducta fuerat ad extrema, & suo spiritum qui condidit illum reddidit Creatori. Hic dolor regis intima cordis læsit vitalia: nam cum ea, ut turtur castissimus cunctis vixerat temporibus. O mors truculenta quid fecisti? Cur lunam de mundo sustulisti? Antea sol & luna lucem dederunt unà, nunc sol solus sine luna. Hinc ejus solemnissimæ parabantur exsequiæ. Luctu maximo & lamentatione corpus ejus conditum aromatibus ibidem apud Minores decentius per episcopum & multos nobiles terræ fuerat solemnissime commendatum, multisque miraculis divinitus ibidem coruscabat, anno Domini millesimo trecentesimo undecimo, die undecima (f) mensis Decembris. Ab hinc rex eodem anno XXIV. Februarii per mare navigio per Pottum-Veneris portui Pisano applicavit; & in sexta die Martii Pisam adiens civitatem, clavibus civitatis sibi obviam portatis; & juramento ab eis recepto fidelitatis, ibidem aliquandiu decrevit permanere. Tunc ante Lucam plurimos probitatis viros maximo cum exercitu destinavit, qui cum eis multa prælia durissime strenue commiserunt, & circumquaque plurima castra & fortalitia vi expugnando viriliter ceperunt. Deinde cum domino Baldewino & aliis multis XXIV. die Aprilis per Rausegonem, *Bibone*, (g) *Campillo*, *Castellion*, transeundo actum *Grosset*, & per Admeliam (h) Montabor, Viterbium (i) & per campos de *Bakenvelle* transit, *Pont-Mole* (k) perante turrim *Tripezon*, de qua plurimi fuerant sagittati anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo nonas maii Romam strenuissime fuerat ingressus, ubi RODULFUM ducem Bavariæ cum aliis multis nobilibus insignivit titulo militari. Et intrans ad S. Johannem Lateranis, orationem multum humilem & devotam suo oravit Creatori. Et dehinc divertens ad locum Militiis appellatum, & ibidem multo tempore habitavit. Et ipso die Pentecostes (l) cum tribus cardinalibus, archiepiscopis, episcopis, ducibus, comitibus, & universis incedens & comedens, coronatus (m) in palatio Neroniano (n) solemnissime festivavit. Dominus vero Baldewinus cellam quatuor Coronatorum ad archiepiscopi Trevirensis habitationem, cum Romam venerit, pertinentem intravit, & eam ad suæ ecclesiæ Trevirensis proprietatem pertinere ad memoriam revocavit utiliter. Eo ibi existente, omnia beneficia ibidem vacantia habet conferre ut (o) præpositus.

[e] Baluz. *Molestia*.

[f] Baluz. inter ansulas apposuit *die* XIII. quod in suo decrat mſ.

[g] Codex S. Maximini *Bibole*.

[h] Baluz. *Admesiam*.

[i] Baluz. *Vitrebium* omnino corrupte.

[k] Baluz. *Pontinole* littera *m* mutata in *n* sed male.

[l] Baluz. *Pentecosten*.

[m] Baluz. *Coronandus* nec forte inepte, nam Romam imperiali corona donandus advenerat; neque tamen male *coronatus* hic dicitur, nam duplicem jam acceperat coronam.

[n] Baluz. corrupte *Nevorians*.

[o] Baluzius omisit *ut* quod requiritur.

CAPUT XIV. *De Capitolii, triginta turrium & monasterii Minorum violenta (p) expugnatione.*

[p] Baluz. prætermisit *violenta* quæ vox optime quadrat.

OMnium inimicorum suorum dominabitur. Nam suus & Baldewini exercitus Gelfinos imperii inimicos se in monasterio Minorum, in Capitolio, & diversis turribus Romanis resistendi causa observantes rigidissime invaserunt, & illi non segnes tela & lapides de supra fluentes, illos obruentes, istos ferientes se militialiter (q) defensarunt. Tandem Theutonicorum exarsit animositas furibunda, qui viriliter muros transcendebant, istos occiderunt, hos præcipitaverunt, & sic hoc monasterium cum violentia ceperunt. Eodem modo Capitolium invadentes, nec tela nec lapides timentes, plurimos interimentes, (r) audacia cum maxima tyrannide ascendentes, & ipsum violenter obtinuerunt. Nam reperti ibidem inimici, en

[q] Baluz. *multipliciter*.

[r] Baluz. *invenientes* omnino male.

male turbantur, moriuntur, præcipitantur, quia crevit in hoc bello protervia Theutonicorum. Et ulterius procedentes; nec hostes nec arma metuentes, triginta turres violentia expugnarunt & cum gloria triumpharunt. Tandem rex præsentibus cardinalibus, domino Baldewino, & pluribus aliis Romæ in Capitolio præsidens judicio, proferendo [a] sententias, dominum Ludolfum *(a)* de Sabaudia dignitate senatoria benivole decoravit. [b] Post hæc Ursini qui *(b)* & Gelphini conglomerati bellum permaximum genti regiæ intulerunt. Ibi hostis horribiliter irruit in hostem, hic verberando, ille perforando, alter alterum de equo præcipitando. Hi gladiis, alii baculis pugnant. Ibi dominus Balduinus de Columna & Petrus *(c)* [c] strenuissime bellaverunt, & multi prostrati permanserunt. Hic clypeum clypeus ictum reverberat ictus, & magnus erat tubæ clamor crepitantis in urbe. Hic viri eximii, magnæque probitatis gloria coruscí, videlicet THEOBALDUS Leodiensis episcopus, abbas de *Wißemburch* & Petrus de Sabaudia inclyti *(d)* [d] Israel, bello in hoc gloriosissimo strenuissime pugnando, heu! heu! ceciderunt, & morti debitum persolverunt. Nam hoc bello mota fuerat Romania tota. Ibi regis exercitus Romam citra Tiberim obtinuerunt, & sic obtenta, tribus a cardinalibus a latere papæ ad hoc specialiter destinatis in S. Johanne Lateranis anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, regni vero ejus tertio, die Passioni Petri & Pauli consecrato, quæ est xxix. Junii, in imperatorem solemniter consecratus, & ab ecclesia in monarcham dignissime approbatus. Et ab hinc recedens, legem Mosaïcam rotulo *(e)* [e] inscriptam sibi porrigentibus reddidit Judæis. Et ad sanctam divertens Susannam, ibidem curiam habendo sumtuosissimam cum cardinalibus, domino Baldewino, & pluribus infinitis nobilibus & cunctis advenientibus solemnissime festivavit. Ipso tempore die B. Mariæ Magdalenæ fuerat hora diei tertia solis ecclypsis permaxima in signo Virginis causata, cujus, proh dolor! significatio anno patebit proximo. Deinde imperator contra imperii adversarios acies dirigens, & fortalitium Cappe de Bove *(f)* [f] appellatum bellicosissime expugnavit, & incendio devastavit. Eodem anno xxi. die Julii, *Tyberbuch* declinavit, ubi dux Rodulfus Bavariæ & plures domini dominum imperatorem valefaciendo, maximo cum gaudio, successu de tam prospero repatriarunt.

[a] Baluz. *Ludovicum.*
[b] Baluz. *Et Gelphini*, omisso *qui.*
[c] Codex S. Maximini *Petrum* omisso &.
[d] Baluz. *Invicti.*
[e] Baluz. *Rotilo* male.
[f] Baluz. *de Bont.*
[g] Baluz. *Lancsiti.*
[h] Baluzius corrupte *Plulibus.*

CAPUT XV. *De multorum castellorum & castrorum expugnatione, & prælio in Lantsise (g) & Florentinorum obsidione.* [g]

PAstor gentis metropolitanæ & urbis Trevericæ imperatorem nondum noscitur deseruisse. Nam secum eodem anno die fuerat xxiv. Viterbium ingressus. Hinc per *Amilione*, *Cortone*, Tudertum, *Castellion* violenter expugnabant. Marscalcus vero cum pluribus *(h)* confederatis *Markant* * celeriter invasit, & cum aliis sex castris, cunctis hostibus refrænatis, violenter expugnavit, & totam illam terram usque Preuse *(i)* rapinis incendiisque devastavit. Deinde imperator *Moncelbarch (k)* & castellum S. Johannis bellicose expugnata igne concremavit, & nonaginta duos castellanos capistris collis impositis secum ducendo graviter captivavit. Post hæc ante *Lantsise* prælium fuerat gloriosum. Ibi inimicus inimicum, vultibus distortis, validis clamoribus ortis, acriter impugnant. Hic percutit, ille repugnat; hic decollatur, ille trucidatur; multi præcipitantur, plures strangulantur; ibi diversi diversos ictus perinultant, clypei galeæque resultant, maxime hoc prælium fuerat ingravatum. Sed & Theutonici conglomerati, iracundiaque provocati, inimicorum exercitus maximis cum laboribus per medium diviserunt, & ibidem pluribus in fugam versis, multisque occisis, triumphum validissime obtinuerunt. Qua obtenta victoria, domini imperator & Baldewinus aquam transeundo in sancto Salvo *(l)* anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, die prima Octobris castris & tentoriis ibidem situatis, obsidione Florentiam vallaverunt. Ibi tantus coadunatus fuerat exercitus, quod prima nocte suos adaquando equos, aquam currentes *(m)* periculose transequitabilem, vix eam transierunt, *(n)* quam ita desiccaverunt quod mane facto ejus fluxum minime invenerunt, & ibidem multis pugnis Florentinos molestarunt, & totam illam terram rapinis & incendio devastarunt. Ab hinc ultima die Octobris tentoriis replicatis & deportatis, castris incensis discesserunt, & Pecti-paradis *(o)* declinaverunt. Quos Florentini hostiliter insequentes usque ad pontem acidum supra Laymam *(p)* venerunt. Quod partes Henrici & Baldewini cognoscentes, capitibus clypeisque reversis, ut lupus in agnos, in eosdem se rapuerunt. Fit strepitus multus, fit magnus utrimque tumultus. Capita truncata cadunt, lacerantur membra decora. Acriter pugnatur, belli fortuna vagatur, tandem Floren-

[g] [5]
[h] [b] * Browerus intelligit Marchiam Anconitanam.
[i] [i]
[k] [k]
[l] [l]
[m] [m]
[n] [n]
[o] [o]
[p] [p]

[i] Baluz. *Prusse.*
[k] Baluz. *Montewark.*
[l] Baluz. *in sancto Saulo.* Browerus interpretatur S. *Salviani edem.*
[m] Baluz. *currentem.*
[n] Baluz. *vadum transierant.*
[o] Baluz. *Petitperdis.*
[p] Browerus legit *Einam.*

tinorum exercitus segregatur. Hi cornu dextrum cædunt, aliique sinistrum. Tandem Theutonici magis animositate quam ferro armati, tot tot occiderunt, quod reliqui fugerunt. Dimissa parma fugit hic sua dum capit arma. Alter prostratus cadit in capiendo moratus. Plurima quid dico? Nullus succurrit amico. Et sic glorioso triumpho obtento domini Henricus & Baldewinus ad sanctum Cassianum diverterunt, & ibi aliqualiter permanserunt.

CAPUT XVI. *De castelli sanctæ Mariæ Novellæ per dominum Baldewinum facta violenta expugnatione & repatriatione.* (a)

[a] VErus fratris adamator imperatoris iste BALDEWINUS, anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, die XVI. Novembris, castellum S. Mariæ Novellæ situando tentoria obsidione circumsepsit; maximam habendo pugnam. Sui sagittis & ictibus muros & inimicos hostiliter petierunt. Illi viriliter defendendo non segnes tela, lapides jacentes, tandem nimiis defensionibus fatigati de-
[b] fecerunt, & se in domini Baldewini (b) gratiam eodem anno XXV. die Novembris una-
[c] nimiter donaverunt. Deinde (c) dominus Baldewinus plurima capiendo castra die Novembris ultima burgum S. Cassiani est ingressus. Isto tempore Marschalcus *Cafele* & totam terram violentia usque ante *Sene* rapinis incendiisque devastavit. Hic dominus
[d] Baldewinus privilegium (d) suæ ecclesiæ quod Bopardienses & Vesalienses in sturis
[e] (e) & aliis Trevirorum archiepiscopo obediant & intendant, in pignore ab imperatore benivole obtinuit, quo utiliter impetravit. Datum apud S. Cassianum in castris ante Florentiam anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, regni ejus quarto, imperii vero primo, idus Decembris sexto. Isto anno
[f] die Epiphaniæ & multis aliis sequentibus (f) visa fuerat cometa in signo Virginis tamquam situata. Fuit etiam eclypsis lunæ multorum futurorum malorum prænosticativa. Abhinc domini imperator, & Baldewinus
[g] Pugebon (g) devenerunt, ubi imperator eodem anno XV. die Januarii more Trevirico scribi consueto libertatem situavit, civitatem initiavit, & primum ponendo lapidem, Montem-imperialem appellavit. Post hæc civitate bene firmata eodem anno octavo die
[h] Martii per Postelle (h) Pisanæ civitati appropinquavit, ubi sibi cardinalis Ostiensis & multi alii byantes, humiliter inclinantes A solemniter receperunt. Post hos (i) tot triumphos choreæ diversæ parabantur, multimoda hastiludia exercebantur. Quid plura? Gaudia gaudiis cumulantur. Ibi dominus Baldewinus ad suam terram visitandam, breviter tamen reversurus (k) dominum imperatorem [i] [k] valefaciendo XIX. die Martii in portu Pisano cœpit navigio repatriare anno Domini millesimo trecentesimo tertio decimo, XV. die Maii Trevirim in cunctorum lætitia m solemniter fuerat ingressus.

CAPUT XVII. *De imperatoris obdormitione.*

B SUbditorum cunctorum mitissimus defensator, rebellatorum vero rigidissimus extirpator, iste HENRICUS ad vesaniam ROBERTI Siciliæ regis perdomandam, versus Neapolim, ubi ipse habitavit, iter capiebat, (l) & [l] veniens *Bencovent* * eodem anno XV. Augusti, id est Assumtionis B. Mariæ Virginis, missam more solito devote audiebat, & a quodam ordinis Prædicatorum religioso Dominici corporis Christi sacramentum devote recipiebat: cujus sodalis ejusdem professionis C ablutionem sumendam in calicem fundebat, quem ipse imperator fideliissime sumebat, & statim postea totius corporis molestiam sentiebat. Postea sui prudentissimi intelligentes medici ipsum nulla infirmitate alia quam intoxicationis materia graviter laborare, (m) [m] sibi indicarunt, devotissime supplicarunt, quod hanc intoxicationis materiam sineret eos per inferendum sibi vomirum radicitus revocare. Quibus fertur respondisse: malo migrando ad Dominum diem claudere extremum, quam generare scandalum in sacramentum (n) Dominicum & detrimen- D tum Christianorum. Et sic in illa infirmitate usque ad diem Augusti XXIV. laboravit, qui est dies beati (o) Bartholomæi omnium [n] [o] apostolorum secundum sanguinem nobilissimi, ipse omnium Christianorum nobilissimus spiritum suo, qui fecit illum, reddidit Creatori. Proh dolor! prospera in contrarium mutantur. Nam illud gloriosissimum Romanorum imperium a nullo fuerat regum de tempore Fridrici imperatoris requisitum: unde fere (p) fuerat totaliter dissipatum: [p] quod per istum maximis cum laboribus præliis & bellis anno Domini millesimo trecentesimo decimo tertio, die prædicta.... Et ecce cometæ & solis eclypsis in signo Virginis prius causalis significatio cunctis viventibus lamentabilis, heu! heu! hic adimpletur. Quis

* Senarum est castellum.

(a) Paulo aliter hunc titulum legit Baluzius.
[b] Baluz. *dominum Baldewinum* omnino male.
(c) Baluz. *quod inde.*
[d] Baluz. *privilegia.*
[e] Baluz. *in Staris.*
[f] Apud Baluz. deest *sequentibus.*
[g] Baluz. *Gebon.*
[h] Baluz. *Pyesoulle.*
(i) Baluz. *hic post.*
(k) Baluz. *reversus* longe melius *reversurus* ut in codice S. Maximini.

(l) Baluz. *capiendo.*
(m) De veneno cum Eucharistia imperatori porrecto plures illorum temporum scriptores insimularunt fratres Prædicatores; verum ab hac eos calumnia purgat Johannis regis Bohemiæ imperatoris filii epistola a Baluzio edita tom. I. Miscellaneorum, pag. 162. & fusius Browerus in Annal. Trevir.
(n) Baluz. *factum.*
[o] Baluz omisit *beati.*
[p] Baluz. *vere.*

enim habitat fidei catholicæ solem ecclypsim passum fuisse, cum post istius mortem multæ hæreses noscuntur extitisse? Quis superstes non vidit cometam comas caristiarum & discordiarum in omnes mundi partes quamplurimum diffudisse? Nam illud gloriosum Romanum imperium vere fuerat revocatum, coadunatum, & in maxima parte restauratum; cujus recuperationis finis imminebat, quod, proh dolor! ista mors pessima toti catholicæ fidei nociva pessime prohibebat. O mors pessima! quid fecisti? cur solem de mundo recepisti? solatium sæculorum, dominum armorum, æquitatem judiciorum, solatium viduarum & pupillorum rapuisti & quicquid fuit juris, rigoris, mundi decoris, fidei, honoris interemisti, infecisti, & heu! omnimode confudisti. Corpus vero ejus a domino Henrico de Flandria marschalco suo & suis fidelibus flebiliter lamentantibus, Pisis fuerat relatum, aromatibus conditum, imperiali more redimitum, in ecclesia Pisana eodem anno secunda die Septembris solemnissime fuerat terræ commendatum, spiritus vero ejus cum sanctis martyribus coronatus, in cælestibus electis conregnet omnibus per infinita sæculorum sæcula amen.

LIBER TERTIUS.

Prologus libri tertii.

TEmperantia est virtutum perfectissima, qua nec superflua nec diminuta attentantur, [a] quia circa abundantiam & defectum virtutes morales esse negantur, sed temperato inhærere medio in ethicis affirmantur. Unde singuli historiographi singulos persequentes stilo quadam scriptitare temperantia conantur, ut nec superflui nec diminuti quomodolibet inveniantur. In hac igitur historia, quæcumque superaddita seu conglobata inveniuntur, non superflue ponuntur, [b] sed ut legentes ejus (b) intelligentiam capiant planiorem. Cum ergo ego cunctorum vernula scriptorum, qua potui temperantia, non magistrali, sed rudi fateor stilo hanc historiam huc usque pertractaveram, dignum est ut ei finem imponam, secundum illud: *Nemo immittens manum aratro, respiciens retro, regno adaptatur divino.* Dixi ideo corde intimo, *Custodiam vias meas*, terminando eas. Quomodo igitur procedam? Divinæ recordor vocis Moysi dicentis: *Fac secundum exemplar quod tibi monstratum est.* Exemplar enim hujus historiæ rubiginosis est quamplurimum maculis obfuscatum. Nam oblivioni est in maxima parte jamjam ministratum. Divinum ergo invoco auxilium, ut mihi det exemplar mente innovatum, memoriæ revocatum, objecto clarissimo probatum, septuplum purgatum; de suæ quoque magnitudinis sede sapientiam mihi mittat in adjutorium, ut mecum sit, mecum laboret, & me ab uberibus suæ consolationis dignetur lactare, & torrente voluptatis domus suæ potare, ut hanc historiam bono fine Deo, Trevirensi ecclesiæ ad honorem, domino Baldewino & præsentibus ad favorem, & omnibus futuris ad exemplar utilitatis valeam terminare per eum qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat unus Deus per omnia sæcula benedictus. Amen.

[a] Editio Baluzii *quæ nec superflua nec diminuta attentatur* male omnino.
[b] Baluz. omisit *ejus*.
[c] Hæc & sequentia de electione Ludovici imperatoris hic

CAPUT I. *De Lodowici regis per Baldewinum procurata electione & coronatione.*

RAncoris materia, heu! per lamentabilem mortem domini Henrici imperatoris, principis strenuissimi, toti mundo illata, domini Almanniæ principes electores vota sua in duo diviserunt. Nam dominus BALDEWINUS (c) cum PETRO Moguntinensi [c] & WOLKMARO Brandeburgensi & duce Saxoniæ, & Johanne rege Bohemiæ, qui ultra mille galeatos Bohemicos secum adduxerat ante *Franckenfort* anno Domini millesimo trecentesimo decimo quarto in crastino beati Lucæ evangelistæ dominum LUDOWICUM ducem Bavariæ; HENRICUS vero Colonienses archiepiscopus per nuncios suos, & RODOLPHUS dux Bavariæ dicti Ludowici frater in *Sassenhusen* FRIDERICUM Austriæ ducem in Romanorum regem elegerunt. Qui Fridericus in Bunna per Colonienses archiepiscopum extitit coronatus; sed Ludowicus electus per dominum Baldewinum Aquisgrani fuerat adductus cum potentia, habens secum WILLELMUM Juliacensem, ADULPHUM DE MONTE comites, & alios quamplures comites, & nobiles, quos sua pecunia acquisierat, ultra quatuor millia galeatorum in propriis expensis una suisque expensis per terram Colonienses archiepiscopi contra ejus voluntatem Coloniam duxerat, quem cives ad domini Baldewini preces communiter receperunt. Hic domnus Baldewinus libertates suæ ecclesiæ & privilegia fecerat innovare & confirmare, sibi ab imperio impignorata corroborare, & comites Palatinos pro se & omnibus suis heredibus omni suo juri (d) in [d] Mon. & Thuron. procuravit simpliciter renunciare. Fecerat etiam dominum JOHANNEM regem Bohemiæ & Petrum archiepiscopum Moguntinum ad omnia prædicta consensum suum adhibere, & per omnia approbare. Isto etiam exemplo pontes lapideos unum supra ripam Keile (e) prope Vrancs, alterum [e] super ripam Rovere (f) dictam funditus in- [f] stauravit. Hinc sancti Beati juxta Confluen-

clare, apud Baluzium valde confuse enarrantur.
[d] Baluz. *omni suo jure*.
[e] Baluz. *Kile*.
[f] Baluz. *Riviere*.

[a] tiam (a) collegium duodecim canonicorum paravit, & per papam confirmare procuravit. Isto tempore fuit fames, permaximaque cariſtia in tota iſta terra: ita quod maldrum
[b] ſiliginis vendebatur Treveris (b) pro quinquaginta ſolidis monetæ tunc gravis. Cellis in Hammone venditum eſt maldrum tritici ſeptem libris Hallenſibus gravium Trevirenſium pro XIV. Hallenſis. Etiam peſtilentia univerſalis erat adeo magna quod multorum pauperum corda ex nimia fame & peſtilentia fame infecta in ſtratis publicis (c) inve-
[c] niebantur, & a pluribus civitatibus magnæ generales foveæ in cimiterium conſecratæ parabantur, & pretia ſtatuebantur, ut ipſa cadavera ſepulturæ traderentur. Iſtæ plagæ, heu! poſt mortem lamentabilem Henrici imperatoris in flagellum omnium nationum ſtatim eſſe cœperunt, & pluſquam triennium miſerabiliter duraverunt, unde quidam metrificator: *Ut lateat nullum tempus famis eſſe cucullum.*

CAPUT II. *De Johannis regis obſeſſi per Baldewvinum facta liberatione.*

EOrum regem & dominum Baldewini nepotem aliqui in Bohemia domini, ſcilicet dominus de Lippa & ſui, volentes cum de proprio pellere regno: quod factum
[d] nuncium per celerrimum (d) ad aures principis Baldewini Trevirim fuerat delatum; qui momentaneum colligens exercitum nobilium pluſquam mille galeatorum, aſſumto cum eo PETRO Moguntino archiepiſcopo Bohemiam hoſtiliter invaſerunt, & caſtra & oppida viriliter expugnaverunt, quod intelligentes inimici, fugam turpiter inierunt; & ſic rege liberato, apud.... rex & Baldewinus convenerunt, & obviis ſe manibus lætantiſſime receperunt, & in amplexus amicabiles irruerunt, & ultra dimidium annum in Bohemia pro pace reformanda & fortalitiis recuperandis dictus Baldewinus remanſit. Eodem tempore domini Johannes & Baldewinus LUDOWICUM ſuum regem in Bavaria per FRIDERICUM ducem quaſi obſeſſum intellexerunt: cui toto ſuo cum cuneo, Petro archiepiſcopo in Bohemiam remanente, perrexerunt, & in *Ezzelingen* convenerunt, & ibidem in ripa permaximum permiſcentes prælium diei circa crepuſculum cum accenſis cereis acriter pugnarunt. Ibi dominus Baldewinus regem Bohemiæ militem fecit, propriis cum manibus pretioſiſſime armatus, glorioſius præliabatur. Tandem Fridericus cedere coactus, abhinc declinavit, & ſe per fugæ ſubſidium turpiter abſentavit. Sequenti anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo quinto, videlicet in ipſo ultimo cariſtiæ anno LUDOWICUS & FRIDERICUS ante Spiram convenerunt, ubi Ludowicus in præſidium ſuorum ſe recepit in cimiterium Judæorum, ubi ambo maxima victualium penuria laborarunt: ita quod adhuc nobiles rapas effodientes, eſurici ſatisfacientes, ipſas comedere artabantur: quod dominus Baldewinus intelligens, maxima cum potentia & victualium quantitate copioſa adveniens, plurima regi Ludowico victualia miniſtravit, & ipſe cum Friderico duce præliandi caſtra ante Spiram ſituavit. Fridericus vero cernens Ludowicum regem & Baldewinum archiepiſcopum prævalere, Auſtriam repetivit. Ibi Baldewinus multa ſuæ eccleſiæ impetrans privilegia & Bobardiam & Weſaliam & additionem *Galgenſcheit* (e) in pignore ſuæ eccleſiæ [e] cum hulda acquiſivit, & Trevirim remeavit.

CAPUT III. *De pacis terræ conſpiratione, Bruel (f) prope Coloniam obſidione, & in manus domini Baldevvini donatione, (g)* [f] [g]

VItæ laborioſiſſimæ iſte Baldewinus noſcitur extitiſſe. Nam anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo ſexto dominus Baldewinus & fere omnes principes electores Aquenſem & civitates Rheni majores ad Ludowicum regem in *Norembech*, & poſt in Bacheraco congregati, totius terræ pacem juramentis confirmantes, conſpiraverunt, thelonia minoraverunt, & comitem Hannoniæ terræ advocatum partibus in inferioribus præfecerunt. Hic dominus Baldewinus Bacheracenſes & Ronbulla (h) cum hulda [h] pro maxima pecuniæ ſumma eccleſiæ ſuæ in pignus recepit. *Sterzenbech* alienis obligatum (i) ſibi donari redimendum impetravit: quod & redemit, & eo ſuam augmentavit eccleſiam. Sequenti vero anno domini milleſimo trecenteſimo decimo ſeptimo, dominus HENRICUS Colonienſis archiepiſcopus pro Tulpeto reddendo ſuæ eccleſiæ W. comitem Juliacenſem diffidavit. Cui comiti dominus Baldewinus in adjutorium expeditionem non modicam ſuis ſumtibus deſtinavit, cum inimicitiæ adhuc inter dictos archiepiſcopos regnarent propter electionis diſſentionem. Quam expeditionem comes in Tulpetum per duodecim hebdomadas & quatuor dies collocavit. Unde in dicta expeditione exiſtens, ſæpe cum Henrici partibus diverſos habendo conflictus, alios necando, alios vulnerando, continue triumpharunt, & Tulpetum defenſando viriliter conſervaverunt. Eodem anno *Stirberch* prope Egram a lantgravio de *Luckenbergh* legitima emtione facta, feudum ligium & aperibile ſuæ in perpetuum eſſe

[a] Baluz. *Confluenſe.*
[b] Hic locus apud Baluz. corruptus ſic legitur: *vendebatur Trevirim pro ſexaginta ſolis. Tunc Gravifcellis in Hammone venditum eſt maldrum tritici ſeptem libris Hallenſibus, groſſis tribus, pro* XIV. *h.*
[c] Baluz. *publice.*
[d] Baluz. *cellerarium* omnino corrupte.
[e] Baluz. *Balgincheit.*
[f] Baluz. *Bruil.*
[g] Baluz. *& etiam domini Baldewini dominatione.*
[h] Baluz. *Rotibula.*
[i] Baluz. *Sterneubergh alienis legatum.*

ecclesiæ, ut in litteris continetur, utiliter ordinavit. Isto etiam tempore *Witlich* & *Meien* muris circumdedit, & canonicos regulares [a] de Loenche (*a*) propter frequentem hospitum visitationem depauperatos in *Meyen* transtulit, ecclesiam ibidem eis incorporavit, clausstrum eisdem ædificavit, ut regulam canonicorum possent liberius conservare. Isto etiam anno & sequentibus HENRICUS Colonienſis archiepiſcopus, JOHANNES comes de *Crucenache* & plures alii, cum essent de [b] parte Frederici (*b*) ducis, conspiratam terræ pacem frivole violarunt. Nam omnes sua territoria transeuntes rigide spoliarunt. Propter quod cives Colonienſes castrum *Bruele* [c] (*c*) anno Domini millesimo trecentesimo decimo octavo plusquam per tres menses obsidione compresserunt. Tandem hoc castrum voluntate civium in manus domini Baldewini fuerat collatum, tamen in hunc modum, quod si HENRICUS Colonienſis archiepiſcopus pacem terræ non servaret, ipse dominus Baldewinus hoc castrum in manus Colonienſium traderet destruendum. Et post in Septembri magnus terræ motus per longam moram perduravit. Sequenti vero anno mil- [d] lesimo trecentesimo decimo octavo (*d*) dominus Baldewinus magnum conglomerando exercitum in Ludowici regis adjutorium contra Fridericum ducem castra ante *Weſebadem* in loco *Scherſſteyn* dicto situavit, ubi Fridericus dux intelligens Ludowicum & Baldewinum prævalere repatriavit. [e] (*e*) Baldewinus vero quod Bopardienſes, si ei non vellent obedire, posset auctoritate regia diffidare, impetravit, & Trevirim remeavit. Isto etiam tempore & anno cives Colonienſes Henricum eorum archiepiſcopum pacem terræ violasse coram domino Baldewino legitime probaverunt, supplicantes castrum *Bruele* sibi dari violandum, pro quo etiam [f] maximam (*f*) pecuniarum summam spoponderunt. Quod dominus Baldewinus, licet archiepiſcopus Henricus sibi tunc capitalis esset inimicus, facere recusavit. Nam dilapidationem Colonienſis ecclesiæ nequaquam voluit tolerare, sed in manus dedit eorum, non violandum, sed archiepiſcopo resignandum pace reformata. Quam pacem ipse dominus Baldewinus postea in *Wravvenchirchen* [g] (*g*) prope Andernacum benivole ordinavit.

CAPUT IV. *De Maguntinenſi eccleſia prima vice domino Baldevvino commiſſa, Cruczenache, Kaſtelim obſidione, & Kaldenſtein* [h] *(h) fundatione.*

ÆTernæ memoriæ dominus BALDEWINUS anno Domini milleſimo trecentesimo decimo nono, maximis armatorum catervis in auxilium sui Ludowici regis Argentinam sumtuosissime perrexit, ubi cum Friderico duce prælium libentissime miscuisset, si ipse Fridericus perstitisset; qui cum suam partem deteriorem cerneret, vadum *Bruzz* transequitavit, & ut ita dicam non fugiendo, sed plures coadjutores requirendo repatriavit. Isto tempore PETRUS Moguntinus archiepiſcopus recordationis feliciſſimæ defunctus sæculo, de carnis ergastulo feliciter migravit, Quo defuncto, Maguntinense capitulum ante Argentinam venit ad dominum Baldewinum totaliter congregatum, & ad sanctam Maguntinenſem sedem in capitulo concorditer ipsum postulaverunt. Et ecce quidam nigrorum de ordine monachorum MATTHIAS (*i*) nomine, electus & confirmatus a papa in archiepiſcopum Moguntinenſem destinatus, qui se omnimode in domini Baldewini gratiam donavit, electionem dominum Ludowici regis per dominum Baldewinum approbavit, & cum ipso sibi utiliter conspiravit. Unde dominus Baldewinus ipsum a capitulo in archiepiſcopum receptari feliciter procuravit, de sua postulatione facta gratiarum multimodas referendo actiones. Post hæc anno Domini milleſimo trecentesimo vigesimo RUDOLPHUM ducem Bavariæ, comites de *Spayneym*, *Naſſauwve* & JOHANNEM comitem de *Cruczenache* armis fuerat bellicis viriliter aggressus, & castrum *Sprendelingen* captum violenter obtinuit. Deinde ante *Cruczenache* venit incendia usque ad portas inferendo, & Johanni comiti ibidem plurima in blado & vino inferendo damna, ad maximam interemtionem deduxit. Postea in *Spaynheim* quæcumque extra castrum reperierat crudeliter vastavit, & dehinc *Keſtelim*, quod erat Simonis antiquioris fratris domini Johannis comitis circumdedit; & cum ibidem multa intuliſſet damna, neptis sua *Valkenburc* exorta, illius terræ comitiſſa, suis cum infantibus descendit, & se aspectui domini Baldewini præsentavit, & flebili voce allatis filiis clamavit: O pater reverende, numquid carnem tuam vis & sanguinem egestati dare, quam potius debueras a cunctis defensare, cum tui sint consanguinei? Pater recordare, & parce nobis hodie. Nam potens es salvare. A quibus dictis pietatis visceribus ab intimis motus humiliter recessit. Eodem anno *Baldenſteyn* supra Lanam propter rebellionem Reyneri & Johannis fratrum (*k*) de *Weſtenburch* a fundamentis violenter erexit, castrumque *Richembereh* tunc construxit, quod Willelmo comiti *Katzenelenboge* in feudum ligium cum omnibus pertinentiis dedit, & anno Domini milleſimo [i] [k]

(*a*) Baluz. *Lonche.*
(*b*) Baluz. omisit *Friderici.*
(*c*) Baluz. hic & infra *Brule.*
(*d*) Baluz. *nono.*
(*e*) Deest apud Baluz. *repatriavit.*
(*f*) Deest etiam apud Baluz. *maximam.*
(*g*) Baluz. legit *Wravventeathen.*
(*h*) Apud Baluz. *Baldeſteyn.*
(*i*) Morbacensis monasterii monachus, nobilis Burgundus ex comitum Burcheghiorum stirpe.
(*k*) Apud Baluz. deest *fratrum.*

trecentesimo

trecenteſimo viceſimo primo ipſius caſtri *Baldenſteym* fundum (*a*) ab illis de *Weſterburch* ſuæ eccleſiæ in perpetuum allodium comparavit. Et eodem anno conveniens in Bacheraco (*b*) ipſum caſtrum auctoritate regia libertati procuravit, & retentiones in omnibus imperii caſtris contra quoſcumque, & quod omnia imperii obligata ubicumque poſſet redimere, impetravit, & caſtrum *Schadecke* (*c*) feudum ligium & aperibile facta emptione legitima procuravit, & *Eſch* prope *Clotten* muro circumduci & libertari fecit. Iſto etiam anno dominus Baldewinus illos de *Dorſvvilre* (*d*) ad ſatisfaciendum ſuæ Trevirenſis (*e*) eccleſiæ capitulo maxima expeditione congregata coartavit.

CAPUT V. *De Friderico duce capto per Johannem regem Bohemiæ, & Furſtenberg obſidione.*

RECipere pacem jure ſuo ſemper ſalvo, iſte BALDEWINUS promtiſſimus habebatur. Nam anno Domini milleſimo trecenteſimo viceſimo ſecundo feria v. poſt Bartholomæi cum heredibus Rodulfi ducis Bavariæ & comitibus *Naſſauve* & *Spaynheim*, qui adjutores erant Friderici ducis Auſtriæ electi contra Baldewinum, fuerat pacificatus & (*f*) multorum precibus inclinatus caſtrum *Kirperch* (*g*) ſuæ eccleſiæ aperibile ligium a Simone de *Spaynheim* comite acquiſivit, & terram quam undique violenter acquiſierat reſtituit. Dicti enim ducis Bavariæ pignus Bacheracum domino Baldewino per Ludowicum aſſignatum confirmarunt. (*h*) Eodem anno LUDOWICUS rex & Fridericus convenerunt in *Ochingin* & *Molendorff* congreſſione præliali. In quo prælio dominus Johannes rex Bohemiæ domini Baldewini nepos ſtrenuiſſime pugnavit, & totum ipſius Friderici exercitum diſſipavit, adnihilavit totaliterque proſtravit die ſanctiſſimi anteceſſoris ſui Wenceſlai regis; ipſumque Fridericum regem cepit, & captum Ludowico regi, ſub hoc pacto quod ipſum non occideret, honeſtiſſime aſſignavit. Sequenti vero anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo tertio, & pluribus ſequentibus annis Mars & Saturnus in geminorum erant coadunati ſigno, de quo aſtrologorum erat prænoſticatio, quod multa deberent prælia per diverſa mundi climata ſæviter regnare, diverſæ quoque hæreſes in Dei eccleſia, proh dolor! pullulare. Eodem anno dominus Baldewinus *Vellenſteyn* prope *Cruzenache* a Friderico duce (*i*) Silveſtri, *Nuenbergh* prope Kircaſtrum & turrim *Seynheim* feodum ligium & aperibile comparavit, & regem Bohemiæ feodo in *Symeren* renuntiare procuravit, quod ligium & aperibile GEORGIUS comes Hirſutus a Baldewino & eccleſia ſua Trevirenſi cum pertinentiis recepit, exceptis infinitis (*k*) feodis caſtrenſibus, ut in ſuo privilegiorum libro plenius continetur. Poſt hæc anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo quarto *Smydburg* (*l*) & partem de *Virnenburg*, *Bylſtein* prope Wetflariam, *Wilre* & *Neyne* feoda ligia & aperibilia fecit, eccleſiæ comparavit, & comitem de *Hennenberch* XLI. marcarum argenti annuorum redituum feodalem ſtatuit, quos reddidit Trevirenſi eccleſiæ, & in ſua terra aſſignavit. Iſto etiam anno Domini, Baldewinus, rex Bohemiæ, (*m*) dux Lotharingiæ & comes Barenſis confœderati fines Meteníium exercituali potentia ingreſſi, quicquid extra civitatem proprietatis habuerunt, decoris, & honoris, funditus deſtruxerunt, & eorum rebellionem nefandam penitus perdomarunt, & ſingulis ad emendam præſtandam, prout exceſſus imponebatur, coartarunt. Iſto anno fuerat quidam ſacerdos Coloniæ degradatus & propter hæreſim crematus, & fere (*n*) tota civitas fuerat infecta pravitate hæretica & vix purgata; quæ hæreſis a Moguntia (*o*) fuiſſe dicitur initiata. Poſt hæc anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo quinto dominus Baldewinus *Furſtenbergh* circumdedit, & in obſidione diu manſit: poſtea condignam recipiens ſatisfactionem receſſit. Eodem anno *Wintenbergh* a Johanne comite *Spaynheim* feodum ligium & aperibile eccleſiæ comparavit. Et anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſexto Ludowicus rex fuerat Romam pacifice ingreſſus abſque electorum ſuorum conſilio, & non ab eccleſia, ſed a Senatu fuerat in imperatorem coronatus.

CAPUT VI. *De Bopardiæ expugnatione, ſancti Wendelini emtione, & eccleſiæ Moguntinenſis domino Baldevvino facta ſecunda commiſſione.*

OMen bellicoſum ſæpius iſte Baldewinus fuerat ſortitus. Nam anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſeptimo dominus Baldewinus domino MATHIÆ Maguntinenſi archiepiſcopo, qui marchionis Miſnenſis oppidum *Suden Geyſen* appellatum obſidione vallaverat, & expugnare nequiverat, adjutorialem expeditionem deſtinavit, deinde perſonaliter veniens: unde hoc oppidum viriliter expugnavit, & cum tota ſua

(*a*) Baluz. *feodum.* (*b*) Baluz. *Bacheraco* omiſſo *in.*
(*c*) Haud procul Vilmaria apud Leganum amnem.
(*d*) Nobilis eſt familia & in Crikingenſi florens.
(*e*) Apud Baluz. deeſt *Trevirenſis.*
[*f*] Apud Baluz. deeſt *fuerat pacificatus &.*
(*g*) Quod oppidum hodie aſpera inter Moſellam & Navam regione celebre Tabernis eſt.
(*h*) Baluz. hanc periodum ſic legit: *Dicti etiam duces Bavariæ Bacheracum domino Baldewino p. l. confirmaverunt aſſignatione.* (*i*) Baluz. male *& Friderici Silveſtri.*
(*k*) Baluz. *exceptis Miſmicis & Caſtrenſibus.*
(*l*) Baluz. totum hunc locum ſic legit: *Smydeburch & partem Nurenbergi ligia & aperibilia fecit, & comitem de Hennebergh* XLI. *marcharum argenti annuorum redituum feodalem ſtatuit, quos reditus eccleſiæ Trevirenſi in ſua terra aſſignavit.*
(*m*) Baluz. *Romanorum rex.* (*n*) Baluz. *vere.*
[*o*] Baluz. *Moguntinenſibus.*

acie in adjutorium domini Baldewini Bopardiæ properavit : ubi dominus Baldewinus cum eis magnam habendo pugnam, eorum portas invadendo viriliter violavit, potenter intravit, & forinſeci Bopardiæ partem oppidi cum ſuburbio, contra tamen intentionem domini Baldewini cremaverunt; ſic eos requirere gratiam ſuam malis eorum gratibus coartavit, qui ſe, oppidum, bona & corpora, ſuam implorando gratiam, voluntati ſuæ unanimiter reddiderunt, & ſibi & ſuæ eccleſiæ ſubjectionem & fidelitatem perpetuam juraverunt, juribuſque, libertatibus & privilegiis ſuis renuntiantes, omnia domino Baldewino ſe & ſua ſubmiſerunt. Iſto anno totum S. Wendelini caſtrum & diſtrictum comparavit. Sequenti vero anno Domini milleſimo trecenteſimo viceſimo octavo quædam diſſenſionis materia inter dominum Baldewinum & comitiſſam de *Starkenberch* ſuper quibuſdam bonis de *Birkenfelt* exorta, ſuper qua Henricus de *Spaynheim* præpoſitus Aquenſis & Emicus (*a*) de Lapide [a] milites pro comitiſſa & ſuis treugas domino Baldewino in manus ſuas *Grimbergh* promiſerunt. Interim dominum Baldewinum per Moſellæ alveum navigio deſcendentem, non præmunitum, non diffidatum, dicta comitiſſa proditorie, (*b*) pendentibus treugis captivum in ſuo [b] caſtro de *Starkenbergh* tenuit captivatum; a qua captivitate, proiniſſione facta ſe in ſua vita nullum caſtrum in *Birkenfelt* conſtructurum, liberum tamen ædificandi arbitrium ſuis relinquendo poſteris (*c*) fuerat liberatus. [c] (*d*) Eodem anno MATTHIAS Moguntinenſis archiepiſcopus viam univerſæ carnis [d] fuerat ingreſſus. Hic fratres Moguntinenſis capituli dominum Baldewinum in ſuum archiepiſcopum unanimiter poſtularunt, & poſtea dominum Baldewinum in propria venientem perſona ſuæ diœceſis tutorem fecerunt, & caſtra & munitiones in ejus manus aſſignarunt. Qui ſtatim cuncta ipſius eccleſiæ debita ab anteceſſore (*e*) multipliciter [e] contracta, quia longiſſima cum lantgravio Haſſiæ fuerat in guerra, quæ nondum erat ſedata, ne aliqua ſupercreſcerent damna, de ſua propria pecunia funditus perſolvebat. Iſto tempore dominus de *Wirnenburch* Henricus a papa fuerat in archiepiſcopum electus, confirmatus, & directus. Cui canonici crimina imponendo & defectus, ad ſedem apoſtolicam appellarunt. Iſto anno dominus BALDEWINUS vallem ſub *Hoënberg* ſituatam, renunciationem (*f*) *Wiskirche* & *Lyesheim* [f] caſtrorum feoda (*g*) & aperibilia ſuæ Tre- [g] virenſi eccleſiæ, recepta ſtipulatione, ut in privilegiis cernitur, adjecit. Sequenti vero anno milleſimo trecenteſimo viceſimo nono LUDOWICUS imperator, quemdam Nicolaum (*h*) de ordine fratrum Minorum antipapam creavit, & in ſedem beati Petri collocavit, [h] cardinales, epiſcopos &c. Et ecce hæreſis prænoſticata hic fuerat conſummata. (*i*) [i] Iſto tempore itinera juxta *Cochime*, Triis, *Stupam* & *Nene* (*k*) ubi equus inonuſtus vix [k] poterat deduci, in tantum ampliavit quod equus farcinatus ſeu aſinus onuſtus ſecure poterat pertranſire.

CAPUT VII. *De fundo Carthuſienſium emto & Baldenelez fundatione.*

ROgatur itaque dominus Baldewinus jura Moguntinenſis eccleſiæ rigidus obſervare. Nam cives Moguntinenſes per excogitatam ſuæ malignitatis aſtutiam ſub quadam æquitatis ſpecie quædam jura eccleſiæ ſibi frivole uſurparunt, & dominum Baldewinum pro ipſius eccleſiæ tutore recipere recuſarunt. Quorum fines dominus Baldewinus circumquaque exercituali manu forti deprædando, devaſtando, humiliter ingreſſus, eorum inflatam ſuperbiam rigidius edomavit. Oppidum quoque *Elteville* appellatum inter Moguntiam & Pigwam ſituatum ædificavit, & eccleſiam de *Fleirsheyn* inca-ſtellavit, ut mercimonia & alia quæ de *Frankenfort* Maguntiam (*l*) ſecrete devehebantur auferrentur, aliaque fortalitia circumcirca Moguntiam (*m*) acquiſivit, ut per ea [m] prohiberet, quod victualia & alia neceſſaria nulla poſſent adduci, ſuique cum Moguntinenſibus plura bella & rixas habuerunt; ibique multi occiſi & læſi fuerunt, coactique frequenter Moguntinenſes per pontes & foſſata uſque ad portas civitatis fugati fuerunt, de quo eos in eccleſia tutorem ſe recipere coartavit anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo. Iſto etiam anno caſtrum *Smideburg* tam comparando quam ædificando addidit (*n*) Trevirenſi eccleſiæ. Eodem [n] etiam anno juxta Trevirim ſanctum Albanum ab abbate (*o*) & conventu S. Matthiæ [o] comparatum ædificiis Carthuſienſibus aptis cœperat decorari. Sequenti vero anno Domini milleſimo trecenteſimo trigeſimo primo domini de *Elez*, *Exenberch*, *Waldeke*, *Schonecke*, ſuis quampluribus cum complicibus cupientes domini Baldewini magnanimitatis magnificentiam aliqualiter incurvare, rapinis terræ ſemitas perturbando, unanimiter conſpirarunt. Contra quos dominus Baldewinus exercituali potentia acies direxit, *Elez* circumdedit, & *Baldenelez* a fundamento conſtructum, quo ejus potentiam nihilavit, mirabiliter firmavit. Eodem anno

[*a*] Baluz. *Emericus*. [*b*] Baluz. *proditione*.
Al. *poſtea*.
(*d*) Extant, inquit Browerus, in archivis hujus pactionis vel concordiæ tabulæ, ſub multis ſigillis capituli Trevirenſis, principum, comitum, nobilium hominum & civitatum, ita ut in libera do Baldewino multorum auctoritas conſpiraſſe videatur.

[*e*] Baluz. *anteceſſoribus*. [*f*] Baluz. *renovationem*.
(*g*) Apud Baluz. deeſt *feoda*. (*h*) Baluz. *Nicer*.
(*i*) Baluz. iterum *præſticata*. (*k*) Baluz. *Nove*.
(*l*) Apud Baluz. deeſt *Maguntiam*.
(*m*) Baluz. *Maguntinenſes*.
(*n*) Baluz. *dedit*. [*o*] Eberardo Warſnebergio.

castrum *Solmoze* feodum ligium & aperibile fecerat. Winterana (*a*) suæ Trevirensi ecclesiæ construxerat ad tuitionem. Alio sequenti anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo secundo guerra durante contra dicta quatuor castra, castrum *Rusenberch* a fundamentis ædificavit, de quo potentiæ suæ malleo erecta contrivit cornua superborum. Eodem anno episcopatum Spirensem ad instantes preces *Walrami* (*b*) comitis Veldenciæ ibidem episcopi & capituli, qui tot debitis erant gravati & guerris, quod ulterius regere non poterant, ceperat regendum in temporalibus. Et ecce tres episcopatus simul strenue regebat, debita persolvit, distracta ad jus & proprietatem fideliter revocavit. Unde sequenti anno millesimo trecentesimo trigesimo tertio domini de *Elez*, *Erenberch*, *Waldecke*, *Schonecke*, videntes se suæ resistere potentiæ non posse, post guerrarum tessarum diu duratarum excidia pacis dulcedinem postularunt, quam dominus Baldewinus pacis amator poscentibus fuerat largitus, & Johannes* de *Elez* de suo castro *Baldenelez* suæ ecclesiæ perpetuum juratum & fidelem burgravium duxerat statuendum. Isto etiam anno die Mariæ Magdalenæ in meridie, fecerat Treviris (*c*) subitaneum fluvium aquæ diluvium permaximum, ita quod cuncti perterriti submersionis periculum timebant affuturum. Postea anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quarto dominium de *Scurenberch* a domino de *Winsberh* (*d*) comparatum ecclesiæ addidit Moguntinensi. Eodem anno dux Lotharingiæ die Novembris XIII. de homagio suo a domino Baldewino recepto munimina tradidit litterarum. Alio anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quinto, ad instantiam Erfordiensium dominus Baldewinus personaliter cum magna potentia marchionem Misnensem & comites de *Hoynsteyn* hostiliter invasit, eosque per incendia & bella multum damnificavit. Sequenti anno Erfordienses domino Baldewino rebellarunt, contra quos misit marchionem & armatos suos, qui contra eos bella quamplurima habuerunt. Isto anno die Simonis & Judæ fuerat ventorum turbo in valitudine tanta, quod multa alta ædificia corruendo fuerint disrupta, unde quidam metrista

SIMonIs eXCeLsI sternVntVr tVrbIne LVCI.

In quo versu computando MCCCXXXV. annos Domini poteris reperire. Anno vero Domini millesimo trecentesimo trigesimo sexto dominus Baldewinus episcopatum Spirensem a debitorum gravaminibus relictum, relevatum, & multum melioratum, pace reformata, dictoque Walramo episcopo de medio sublato, maxima gratiarum actione recepta, duxerat resignandum, & Gerardum (*e*) de *Eremberch* Spirensis diocesis in episcopum eligi procuravit. Eodem anno turbat vina gelu, ventus segetes, equos sprue.* * *Esparvain.*

CAPUT VIII. *De monasterii Carthusiensium consecratione, castri montis sancti Johannis constructione, & Welsberch destructione, dominii in Limpurch emptione.*

VOce imperativa papali & cardinalium consilio emissa anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo septimo domino Baldewino & capitulo Moguntinensi fuerat mandatum, ut episcopatum Moguntinensem in manus dominorum (*f*) legatorum ad hoc a papa in Pingwiam destinatorum tamquam in manus papæ libere resignarent. Cui mandato dominus Baldewinus obediens, accessit Bacheracum, convocans ibidem capitulum & officiales ecclesiæ Moguntinensis; præcepitque eis ut mandatis apostolicis obedirent, & juramento sibi per eos præstito libenti animo renuntiarent. Quo audito, quia videbant quod eis amplius prodesse non vellet, inobedienter ab eo recesserunt, & contra voluntatem papæ & domini Baldewini Henricum de *Virnenburg* eis a Johanne papa destinatum, contra quem prius crimina & defectus opponendo appellaverant, nunc in archiepiscopum acceptarunt; qui statim post omnia sua temporalia ab Ludowico imperatore in feodum recepta, cum domino Baldewino est pacificatus. Isto anno apparuit cometa Judæorum interfectionis prænosticativa. Nam quidam depauperati nobiles sibi regem præfecerunt, cui nomen *Arenlieder* (*g*) imposuerunt, qui civitatibus adhuc magnis expugnatis Judæos quotquot invenire poterat crudeliter trucidavit. Alio anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo octavo EDWARDUS rex Anglorum regem Franciæ supra ducatum Normanniæ diffidavit, & de Almannia multis terrarum dominis plurima stipendia donavit, Franciam potenter intravit, cremando, spoliando, sed minime profecit. Postea anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo nono die Kiliani, dedicationis S. Maximini, Agritii, & Nicetii, necnon & Johannis evangelistæ Patronorum (*h*) fuit eclypsis solis plusquam duarum horarum tempore meridionali, & postea in autumno dicti de *Suzzen* (*i*) in Berna plures interfecerunt prælio triumphali. Isto etiam anno dominus Baldewinus regi Anglorum tamquam infinitis

[*a*] Baluz. *Winterava.*
[*b*] Baluz. addit *fratris.* Id factum tradit Browerus anno 1330. translato ad ecclesiam Argentinam Bertholdo Spirensi episcopo, verum si Sammarthanis credimus Walramus sedem Spirensem occupavit ab anno 1319. ad 1336.
[*c*] Baluz. *fuerat Trevirim.* [*d*] Baluz. *Vonisterch.*
[*e*] Baluz. *Gerlacum.* (*f*) Baluz. *duorum* & forte melius.
[*g*] Baluz. *Arindeler.*
[*h*] Apud Baluz. hæc verba desiderantur *dedicationis S. Maximini, Agretii, & Nicetii, necnon & Johannis evangelistæ patronorum.*
[*i*] Baluz. *Suvizeve.*

pecuniarum ſummis mutuatis coronam regni prædicti pro pignore acceptavit. Sequenti vero anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo circa *Lætare* viſa fuit cometa tamquam in cancro ſituata, & poſtea nundinæ
[a] Monſtnele (*a*) per comitem Hannoniæ & dominum de *Valkenburch* fuerant ſpoliatæ,
[b] multis occiſis. (*b*) Eodem anno rex Anglorum die nativitatis beati Johannis Baptiſtæ transfretavit, & multis Francigenis interfectis, pluribuſque phaſelis captis, glorioſius triumphavit. Eodem etiam anno dominus BALDEWINUS ad veſaniam comitum Walrami de *Crucenache* & comitis Silveſtris de Duna perdomandam, Dunam circumdedit, & caſtrum Montis S. Johannis appellatum a fundamentis erectum contra Dunam fortiſſime firmavit. Et poſtea die Thomæ monaſterium & conventum Carthuſienſium juxta muros Trevirenſes ab eo funditus conſtructum ſolemniter dedicavit. Sequenti anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo primo in Maio comes de *Spanheim* per dominum Ludowicum imperatorem domino Baldewino fuerat reconciliatus, comes vero Silveſter de Duna in caſtro quodam *Velsberch* dicto retentus, domino Baldewino per aliqua tempora magna inferendo damna, nocturnali tamen tempore per ſpolia & incendia periſtebat, quæ dominus Baldewinus, tamquam ſe dormire ſimulans, ſupportavit, tandem evigilans, rugitu ſuo maxima exercituali potentia *Velsberch* obſidione vallavit, quam obſidionem dux Lotharingiæ cito ſuo conamine cupiens ſolvere, conſilia & auxilia collegerat opportuna, eo quod caſtrum ſuum eſſet feodum ſuoque in territorio ſituatum. Videns etiam potentiam domini Baldewini eſſe præeminentem, timore coactus
[c] (*c*) ad dominum Baldewinum in obſidionem properavit, ſecumque ſe con-
[d] tra (*d*) quoſcumque colligavit. Obſeſſi vero domini Baldewini videntes animoſitatem, cernenteſque operum & machinarum horribilitatem, quibus violenter expugnari metuebant, ſalvis rebus & corporibus in manus ducis caſtrum ad domini Baldewini voluntatem violandum tradiderunt, quod poſtea ad domini Baldewini juſſionem funditus fuetra deſtructum, de qua tam regalis & tantæ fortitudinis caſtri violenta & celebri deſtructione eſſet mire mirandum, ſi ultioni divinæ non eſſet intitulandum. Nam ante obſidionem aura frigida & turbulentiſſima ante feſtum B. Martini, & in vigilia B. Martini qua obſedit, & poſtea in obſidione aura levis
[e] & gratiſſima omnino tempori (*e*) contraria regnabat; ſed caſtro ad violandum tradito, cunctos, ut prius, auræ intemperies moleſtabat. Unde totus vulgus ſanctos ſe vindicare proclamabat. Alio ſequenti anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſecundo comes Silveſter de Duna feſſus guerrarum excidiis, poſcens amœnitatem pacis, in propria perſona metu coactus ad dominum Baldewinum Treviricum ingreſſus palatium, ſe omnimode ſuæ gratiæ condonavit: cujus amicorum precibus dominus Baldewinus inclinatus, eum in ſuam gratiam acceptavit. Iſto etiam anno Durdrachum in maxima parte proprio igne divinitus flagellatum in tantum quod ſupra aquam,.... dictam naves cum vino & mercimoniis, ita quod aquarum inundantia non poterant extingui, cremabantur. Poſtea in vigilia Jacobi maxima erat aquarum inundantia per totum Rhenum, non a Rheno ſed a fluvio Mogos dicto, quod tamen contra ſuam eſt naturam, in flagellum cauſata, ita quod integræ villæ ruptæ & deſtruxæ cernebantur. Eodem anno comes Barenſis a domino Baldewino homagium & feodum juramento innovatum acceptavit, & ſuper eo duplicia tradidit muniminá. Alio quadrageſimo tertio anno Ludowicus de Bavaria imperator, illuſtris principis domini Johannis regis Bohemiæ filio de terra Carintiæ, quam prius ſibi donaverat, ejecto, uxorem ejuſdem raptam & ſuo filio fraditam abſque eccleſiæ judicio, non deſponſandam (*f*) immo adulteratam dedit & terram fraudulenter obtinuit Carintiorum. Sequenti vero anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo quarto dominus Baldewinus pontem trans Moſellam in Confluentia ſumtuoſius conſtruxit. Eodem anno dominus Reynerus de *Weſterburg* dominum Baldewinum diffidavit. Unde dominus Baldewinus exercituali collecta potentia, *Schadeck* ſimul & *Granſen* (*g*) expugnata ſuæ eccleſiæ obtinuit Trevirorum. Eodem anno medietatem dominii de *Limpurch*, facta emtione legitima, ſuæ eccleſiæ adjecit. Alio quadrageſimo quinto anno Friſones comitem Hannoniæ eis bellum inferentem ſæviter occiderunt. Eodem anno dominus Baldewinus privilegium perpetuum per totam ſuam diœceſim contra mendicantium ordines ſuper quarta parte legatorum parrochialibus eccleſiis donanda impetravit. Sequenti anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto HENRICO DE VIRNENBURCH Moguntinenſi archiepiſcopo propter fautoriam domini Ludowici de Bavaria ab omni pontificali honore a Clemente ſexto privato, & * Nicolao de Naſſavya in Moguntinæ ſedis præſulem creato, ac ipſo Ludowico de Bavaria ab omni dignitate regia ſententialiter depoſito, principes electores, videlicet dominus BALDEWINUS Trevirenſis, WALRAMUS de Juliaco Colonienſis, omnino obſcurus.

* L. Gerlac.

[a] Baluz. *Monſtruele.* [b] Baluz. *multi occiſi.*
[c] Baluz. *tactus.*
[d] Deeſt apud Baluz. *contra* cujus defectu locus hic ſit
[e] Baluz. *annuo tempore.*
[f] Baluz. *deſponſatam.* [g] Baluz. *Granſan.*

GERLACUS DE NASSAVVA Moguntinenſis, dux Saxoniæ, & JOHANNES rex Bohemiæ, aliis vocandis vocatis, non tamen comparentibus, dictas compoſitiones ratificantes, auctis procerum regni ſententiis in Renſe, detinentibus, quod prædictis ſic ſe habentibus, eos ad electionem regis fore proceſſuros, qui unanimiter vota ſua in dominum KAROLUM Johannis regis Bohemiæ primogenitum direxerunt, & invocato Spiritus Sancti adjutorio in Romanorum regem anno prædicto tertia poſt Kyliani, XI. die Julii concorditer elegerunt. Eodem anno inter reges Francorum & Anglorum prælio permaximo perpetrato, princeps ſereniſſimus domini Baldewini nepos, miles imperterritus, dominus JOHANNES rex Bohemiæ, licet cœcitate fuerit percuſſus, non minus tamen fuerat armatus, ſagittis Anglicanorum lethaliter vulneratus, viam univerſæ carnis viceſima ſexta die Auguſti fuerat ingreſſus. Anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo, die Aprilis XX. quæ fuerat feria VI. infra octavas Paſchæ Reynardus de *Veſterburch* auxilio Ludowici de Bavaria & conſilio domini Baldewini, Burgravio proditore (*a*) ejecto, reſiduum de *Granſau* (*b*) ſibi uſurpavit, quod oppidani Confluentiæ reexpugnantes & recuperare volentes, dum hoſtiles inſidias adeſſe ignorarent, ſe ut levius ambularent, dearmarunt, (*c*) arma famulis bajulanda commendarunt, ſe ambulando diſgregarunt, plures capti, quamplures valde crudeliter fuerant trucidati. Eodem anno poſtquam Ludowicus de Bavaria mala malis plicuiſſet, nec ſe ſaluberrimis eccleſiæ monitionibus correxiſſet, ſeptima (*d*) die Octobris, dum de venatione reverſus fuiſſet, ſe membratim aggravatum ſentiviſſet, & denuo allevationis cauſa equum aſcendiſſet, ſpatium iniiſſet, creſcente dolore ſe incurvans, a ſuis per brachia receptus, amplexatus, ſuſtentatus, ſpiritum celerius exhalavit. Iſto etiam anno die exaltationis S. Crucis, vineæ & nuces congelabantur caumate pruinali, (*e*) ita quod maxima vinorum cariſtia fuerat ſubſecuta. Alio anno quadrageſimo octavo dominus de *Weſterburch* & peregrini Vilmar (*f*) ingreſſi multa intulerunt damna.

[a] Baluz. *proditorie.* [b] Baluz. *Grenzeu.*
[c] Baluz. *dearmarent.... commendarent.... diſgregarent.*
[d] Baluz. *die* XI. [e] Baluz. *pruinali.*
[f] Baluz. *peregrini Vilmarienſes multa dioceſi mala intulerunt.*

CAPUT IX. *De Vermich & dominii de Coverna emtione, & de Solmecze deſtructione.*

MUltorum conſilio dominus Baldewinus, facta emtione legitima, Wermich caſtrum cum ſuis pertinentiis ſuæ Trevericæ eccleſiæ comparavit, & duci Juliacenſi, in cujus territorio ſituatur, in feodum perpetuum condonavit, & Juliacenſis tunc marchio a filiis ſuis captivitati addictus, domini Baldewini conſilio, (*g*) terrore, & auxilio fuerat liberatus. Anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo octavo dominus Baldewinus in curia domini Caroli imperatoris Maguntiæ celebrata confirmationem privilegiorum ſuorum & ſuper archicancellariatu regni Arelatenſis obtinuit, ubi etiam per totam Galliam & Germaniam tutor & Mumburnus (*h*) fuerat conſtitutus regni Romanorum, quo plures ſua feoda requirentes infeodavit. Quo etiam anno *Hozolmecze* cum pluribus confœderatus (*i*) deſtruens, ſolo coæquavit. Eodem anno in capite Auguſti, collecta exercituali potentia, Vilmar obſidione vallavit, ubi cum per quindecim dies contra Moguntinenſium diffidationem ſumtuoſius poteſtative perſtitiſſet, pluribus hoſtibus occiſis, turres machinis diruiſſet, adverſarii cum domino Baldewino placitare inceperunt, & eo modo convenerunt, quod caſtrenſes recedentes, caſtrum & oppidum in manus trium nobilium ſpecificatorum conſervandum traderent. Quod ſi dominus Baldewinus ipſum ad ſuam pertinere eccleſiam competenti teſtimonio oſtenderet, ſibi ſuæ eccleſiæ nomine perpetuo jure conſervandum aſſignarent, & vice verſa adverſariis miniſtrarent. Quod obſeſſi corporali juramento præſtito ſponderunt, & dominum Baldewinum de obſidione recedere ſeduxerunt, quod ſubito ut ſupra in *Granzau* temere infregerunt. Eodem anno dominus Baldewinus caſtra & territoria *Vrendenberch*, *Vrendeſteyn*, Coppa & caſtrum & dominium de Coverna cum ſuis caſtrenſibus & pertinentiis comparata, & *Bobengen* feodum ligium & aperibile, facta emtione legitima, eccleſiæ addidit Trevirorum. Sequenti anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo nono GUNTERUS comes de *Suvatzenburch* a domino HENRICO DE VIRNENBURCH depoſito Moguntino, & domino LUDOWICO filio Bavarii, marchione de *Brandeburch*, & domino RUDOLFO duce Bavariæ, domino de *Heydelberg* contra dominum CAROLUM in Romanorum regem electus, ante *Franckenfort* caſtra ſituavit; cui dominus CAROLUS domini Baldewini adjutorio prælium acturus manu exercituali prævalida obviavit. Nam fortificatus fuit, quia filiam dicti ducis de *Heydelberch* ſibi deſponſavit. Unde dictus Gunterus intoxicatione, ut dicitur, infirmus, videns ſe deceptum, corporis viribus deſtitutum, ſuos electores cum domino Carolo (*k*) concordes, coactus in propria perſona domino Carolo ſigillum ſuum regium & ſigna regalia reſignavit: quem dominus Carolus in gratiam acceptavit. Eodem anno

[g] Hic magnus hiatus apud Baluzium.
[h] Baluz. *Mamburnus.* [i] Baluz. *confœderatis.*
[k] Baluz. *Rodulfo.* in codice S. Maximini legitur *Reynerò* ſed in imagine altera manu *Carolo.*

nova Flagellatorum ſecta ſurrexit, ſed effectu cujus ignoratur. Qui Flagelliferi nudo corpore, capite capucio & pileo, & pudendis lineo velamine tectis, cruce & vexillis, & candelis ardentibus prælatis, carmina hæreſi mixta decantando, ſe duriſſime ad ſanguinis effuſionem acubus flagellis intextis verberando, ſæpius proſtrando, ſub quadam ſpecie pœnitendi inceſſerunt, quam pœnitentiam non a ſacerdotibus, ſed a laïcis ſuſceperunt, quos magiſtros præfecerunt: quibus etiam confitebantur, & ab eis abſolvebantur, & pœnitentiam injunctam peregerunt. Quam ſectam ut hæreticam dominus papa CLEMENS VI. damnavit, & domino Baldewino mandata deſtinavit, quæ dominus Baldewinus non per plebanos, quos laïci [a] interfeciſſent (a) ſed per ſuos burgravios & ſchultetos & ſcabinos executioni mandavit, & eam vix extirpavit. Iſto etiam anno Deus genus humanum triplici plaga flagellavit: ita quod pluſquam medietas hominum ceſſit ab humanis; primo epidimia videlicet, cui gibbus crevit quacumque corporis parte, & omnes anhelitum ejus capientes celerius interierunt: ſecundo hemoroïda; tertio... id eſt ſacro igne; ita quod corpora ſepulta in ſeipſis celerius fuerant conſumta; ſic quod ab orbis initio non fuerant tempora periculoſiora. Quæ plaga fuerat Judæis impoſita, ſic quod aquam in omni terra intoxicaſſent, de quo aër infectus, tales plagæ in omnia climata pullulaſſent. Quibus de cauſis in omni terra Judæi alii ſuffocati, alii ſubmerſi, alii perforati; quidam prius ſuos pueros, poſtea ſemetipſos igni injecerunt & ſe voluntarie peremerunt. Et iſta per ſequentem annum duraverunt.

CAPUT X. *De Monckeler, Lyesheym, Hoſolmecze, Elkeruſen deſtructione, & domini Baldewvini obdormitione.*

AMen, dicit Dominus Petro, quidquid ligaveris vel ſolveris ſuper terram, in cœlo ratificatur. Unde anno Domini MCCCL. dominus Clemens VI. papa annum Jubilæum in Urbe celebravit, & peccamina pœnæ & culpæ relaxavit. Eodem anno Jacobus de *Moncleyr* litteras compoſitionis & concordiæ inter ipſum factas ſigillo proprio & multorum amicorum ſuorum ſigillatas infregit: quem dominus Baldewinus, amicis ſuis id ordinantibus, ad hoc deduxit, quod ſe captivitati ad Domini voluntatem adjecit, & in Treverico palatio tanquam pro ſerviendo [b] (b) aliquandiu manſit. Tandem dominus Baldewinus precibus inclinatus amicorum, acceptis litterarum muniminibus, ipſum ſub conditione acquitavit. Qui ſtatim poſt domini Baldewini terras ſpoliando, eremando violavit. Unde dominus Baldewinus anno Domini MCCCXI. Maii die ſecunda *Moncleyr* obſidione vallavit, villam Ham navali introitu cepit & turrim, quam ædificans *Grineck* (c) appellavit. Tandem partes domini [c] Baldewini ſuburbium ictibus ſagittis hoſtiliter invaſerunt; illi viriliter defendendo repulerunt. Ibi dominus Hartaldus de *Sconeck* non lapidatus, nec ſagittatus, ſed armorum ſtructura ſuffocatus, ſpiritum celerius exhalavit, (d) quem dominus Baldewinus apud [d] S. Matthiam ſolemniter tumulari mandavit. Tandem dominus exercitu commiſſo Confluentiam properavit. Ibi comes de Seyna tradens litteras, caſtrum hoc recognovit pertinere ad eccleſiam Trevirorum. Ibi etiam comes de Berga caſtrum ſuum *Windecke* domino Baldewino venditum, ab eodem feodum ligium & aperibile ſuæ Trevericæ eccleſiæ, homagiumque de *Orvvelſz* acceptavit, & ſe juratum hominem ſubdidit eccleſiæ Trevirorum. Reverſus dominus ad exercitum; foſſatoribus conductis, qui malleis rupium duritiem conterentes, turris fortioris ſuburbii fundamentum ligneis ſtipitibus imponentes, ſepo, pice, ſulfure linientes, incendentes ipſam turrim cum parte muri dejecerunt, & ſolo coæquaverunt. Et dum obſeſſi unanimiter pranderent (e) aliqui de [e] parte domini inſilierunt, & totum ſuburbium ceperunt, & eos artiſſima obſidione compreſſerunt. (f) Obſeſſi vero penuria [f] aquæ laboraverunt, & ad fontem ſcaturientem ſituatum in foſſatura caſtri ſubterraneam viam fecerunt. Quo partes domini Baldewini diverſa opera ſumtuoſius facta, laboroſius conduxerunt, & periculoſius per ſcalas de rupe in rupem a latere ſituatas fontem hoſtiliter petierunt, & cum obſeſſis in eorum caverna ad fontem facto conflictu maximo, nimia ſanguinis effuſione caverna diſrupta & obtenta (g) glorioſius fontem [g] obtinuerunt. Unde obſeſſi omnis humoris ſolatio privati, viſo erecto ante caſtrum patibulo perterriti, gratiam quæſierunt. Quibus dominus Baldewinus ſuæ potentiæ magnificentiam nobilitatis pietatiſque manſuetudine temperavit, & eis quos jam violentia devicit, ſua gravia faciens damna, miniſtravit gratiam. Nam indulſit quod per duodecim dies omni die de ſuo exercitu ad eorum victum vinum ac... emerent, & caſtrum ſine ſui læſione obſervarent: ita quod ſi ſibi aliquod adjutorium diſſolvendæ obſidionis & juvamen domino Baldewino nocendi quocumque poſſent modo ſociarent; ſi vero nullum, tunc termino elapſo ſinguli quæ vellent & poſſent una vice exportando

[a] Hæc verba *quos laïci interfeciſſent* deſiderantur apud Baluzium. [b] Al. *proterviendo.*

[c] Baluz. *& turrim ibi ædificans, Grüneck appellavit.*

[d] Baluz. *hunc* periodum ita legit; *non modicum lapidatus, & parum ad brachium unum ſagittatus, ſed magis armorum ſtructura & aëris & ſolis ſuffocatus ſpiritum celerius exhalavit.*

[e] Baluz. *protraderent.* [f] Hæc verba *& totum ſuburbium ceperunt & eos artiſſima obſidione compreſſerunt*, deſunt apud Baluz. (g) Codex S. Maximini *obtecta.*

caſtrum in manus domini Baldewini miniſtrarent, quod in craſtino B. Thomæ productum fuerat ad effectum. Hunc magnificum & glorioſum triumphum dominus Baldewinus non ſuæ potentiæ juſſit adſcribi, ſed clementiæ divinæ bonitatis Dei, cui ad honorem in caſtro (a) natale Domini in horis [a] & miſſis dominus de *Moncleyr* effectus devotus celebravit, & cum ſuis lautius con- [b] vivando ſolemnius feſtivavit. (b) Caſtrum vero poſtea ſolo coæquavit, & ex oppoſito in S. Petri allodio fortius caſtrum ædificavit, & *Sarſteyn* appellavit. Iſto etiam anno caſtrum Triis cum pertinentiis ſibi jure cedens feodali eccleſiæ addidit Trevirorum. Sequenti anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſecundo dominus Baldewinus videns terrarum ſemitas multiplicatas, raptoribus nimium perturbatas, quorum inſultibus volens obviare, pluribus magnatibus ſibi confœderatis, regio nomine generalem terræ pacem & ejus advocatum dominum de Sleyda ordinavit, & tertia die Junii exercituali potentia Dunam in Eiflia in ſuas manus tradi coartavit: cujus tamen poſteriorem partem poſtea voluntarie Colonienſi archiepiſcopo aſſignavit, & plurima caſtrenſium domicilia circa Dunam & Ulmenam, quæ fuerant raptorum receptacula, devaſtavit, & ultra Rhenum progrediens caſtra [c] *Sazroch* & *Hoenſilbach*, (c) de quo obſeſſi tempore nocturnali metu corporeo coacti ſeceſſerant, annihilavit. Et poſt hæc *Elberf-* [d] *huſen* (d) quaſi inexpugnabile vallavit, & patibulo erecto obſeſſis taliter tantum metum incuſſit, quod aveſio deportato, caſtrum tradiderunt, quod igne crematum ſolo complanavit. Poſt hæc *Harckenberch* obſidione [e] vallando (e) Reynerum de *Weſterburch* coar- [f] tavit, quod Henricum de *Graiſchoff* (f) captum liberum dimitti procuravit, & cum triumpho reverſus fuerat glorioſo. Alio anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo [g] tertio dominus Gerlacus de *Schonecke* (g) juxta Trevirim Bohemos in adjutorium regis Francorum contra regem Anglicorum properantes pignera cautione, ut aſſeruit, cepit & ſpoliavit, & eos in Leysheim conſervavit; quos dominus Baldewinus liberavit, & poſt hæc caſtrum disjectum nihilavit, [h] & *Gerckſteyn* (h) obſidione vallavit, ubi in tanta aquarum penuria laboravit, quod nihil proficiens abhinc remeavit. Eodem anno Fridericus comes Silveſter tertia die Septembris recognovit quod caſtrum *Dronecke* diſtractum Marchadictu (i) cum appenditiis, & *Talvanch* teneat ab eccleſia Trevirenſi in feodum, & ſuper eo duplicia tradidit munimina litterarum. Eodem anno Baldewinus, præſente domino Carolo Romanorum rege, Colonienſi & Moguntinenſi archiepiſcopis, in vigilia Natalis Domini in eccleſia Moguntinenſi veſperas, & in capella regis matutinas & primam miſſam Natalis Domini celebravit, regem communicavit, & confirmationem multorum privilegiorum impetravit, & XV. calendas Februarii Trevirim reverſus, infirmitatis moleſtia gravatus, receptis Sacramentis, & auctoritate apoſtolica a pœna & a culpa abſolutus, XII. calendas Februarii circa crepuſculum ſpiritum ſuo, qui condidit illum, creatori in die S. Agnetis anno Domini MCCCLIII. more Trevirico ſcribi conſueto, anno nativitatis ſuæ LXVIII. Sedit annis XLVI. ſeptimanis VI. dies IV. & vacavit dies XII. cujus exſequias capitulum ſolemniſſime per epiſcopum Ulmacenſem cooperante epiſcopo Acconenſe, & abbate.... infulato XIV. [k] (k) calendas Martii, præſente domino Caroſo rege & pluribus magnatibus peragendo celebravit. Requieſcit in poſteriori choro eccleſiæ Trevirenſis, (l) cujus anima pa- [l] radiſiaca capiat gaudia per æterna ſæcula ſæculorum. (m) [m]

[i]

Domnus Baldewinus archipræsul Treverinus.

Cæſaris Henrici ſepteni frater aprici
Auguſti ſemper capit hic mundus bona quem per
De *Leymburch* natus, & *Luczenburg* generatus,
Clauſtra duo gratus Carthuſis eſt operatus.
Iſtud formavit juxta muros Treverorum,
Quod bene dotavit pro ſumma denariorum,
Et conſecravit dum lux Thomæ numeravit
Annum millenum c. ter, x. quatuor fere plenum,
Sunt appellati reliqui de Monte beati.

Auwe fundavit, *El Elzſteyn* primitiavit,
Hæc bene firmavit, & cum Baldeyn vocitavit,
Gelsbergh damnavit, *Rufinberch* ædificavit,
Moncler vallavit, fregit, *Sarſteynque* paravit:
Magnificus, juſtus, patriæ lux, mente venuſtus,
Lutzlunburch natus, ſepteni denique gratus.
Cæſaris Henrici germanus juris amici.
Utilis eccleſiæ pater hujus dote Sophiæ,
Quam bene reſpexit augens permultaque rexit.
Sex quadraginta fere ſimul annis, queis ſibi vere
Guerra frequens crevit graviter, quia rato quievit
Vincere prædones, & caſtra per obſidiones,
Anno milleno c. ter L. I. ter, duodeno
Carne Calendarum fuit exitus Februarum,
Quem pie rex Chriſte clementer ad æthera ſiſte.
Amen.

(a) Baluz. hunc locum ita legit, *bonitatis Dei ad honorem; in craſtino*, &c.
(b) Baluzius *feſtinavit* male. (c) Baluz. *Hoſclebach*.
[d] Baluz. *Elkerhuſen*. [e] Baluzius *vallavit*.
(f) Baluz. *Graſchaff*. [g] Baluz. *Gerardus de Schonecken*.
[h] Baluz. *Gerolſteyn*. [i] Baluz. *Marcha dictam cum appenditiis de Talevanck*. (k) Baluz. *xii*.
[l] Baluz. addit S. *Nicolai* quod videtur redundare.
(m) Apud Baluz. deſunt ſequentes verſus ſed eorum loco habetur ſequens epitaphium.

Epitaphium præſcripti domini, ut habetur in ejus tumba.
Hic Baldewinus jacet antiſtes Treverinus,

Heynſelbach ſtravit, *Helekrus Saſztoch* nichilavit;
* Novavit. Extraque vaſtavit Ulmen Dunamque * notavit.
Circum muravit *Eſch*, *Piſch*, *Meyen* ſituavit,
Et libertavit *Tranck*, *Witlich* ſociavit
Irradicavit Leyſcheym....

Pignore donatum cepit *Bopart* ſibi gratum;
Hillinſcheimque datum *Weſel Bacherach* ſociatum.
Inſuper emptatum *Limpurch* medium dominatum,
Et Counantum *Sterrenbergh* perpetuatum,
Diſtrictum lacum Windelinumque beatum;
Ad propriumque ſtatum *Keyſerſuteren* vocitatum,
Smydburgh optatum, ſic *Svvarczenberg* reparatum,
Freudenberg ornatum *Coppe*, *Sarbuch* mediatum,
Windeck comparatum, dat Bergenſem feodatum.

Vermich comparat hic, Juliacenſem feodat ſic,
Lotharium Baurumque duces ſua feuda novare
Luczenburgenſem fecerat comitemque Barenſem,
Et Conſluctinum, ſimul *Tranch* & Zoverinum,
Suffodiens fontes facit iſtos condere pontes,
Spira, Moguntina, Wurmacia, cum Treverina
Sunt ſibi commiſſæ, ſunt uſuris quia ſciſſæ,
Quas ſimul erexit, & protexit, bene rexit,
Debita perſolvit, ut in vulgo fama revolvit,
Undique conſtruxit, Deus omnipotens ſibi duxit.

Amen.

Luczenburgh, *Limburch* hic Baldewinus generatus,
Gratus erat virium, exuit orbis germina pacis
Pacis & erector, rector, jubar utile turbis,
Urbis protector, hector probitatis amore,
More beatorum conſtruxit clauſtra bonorum,
Atque tyrannorum deſtruxit caſtra malorum.
Semper ei laus ſit, nam plura prioribus auxit,
Urbes erexit, rex ſit quoniam bene rexit.
Exit ab hoc mundo mundo ſpiramine functus,
Unctus deceſſit, quem præſens tumba capeſcit;
Inque Kalos pleno tranſit Februi duodeno
Anno milleno c. ter, L. que ter j ſub amœno
Junctus Chriſte tibi defunctus ſit probus iſte.

Amen dicant omnia.

[a] Mamburnus idem ſignificat ac tutor, ſuntque duo hæc verba quaſi ſynonyma.

Incipiunt geſta domini Cunonis archiepiſcopi Treverorum.

GEſta nota, digna litterali ſunt deſcriptione commendanda. Hinc eſt quod vitam & actus domini CUNONIS de *Falkenſteyn* ſcribere intendimus, qui tamquam leo ſtrenuus inimicis & affabilis amicis, verus in dictis, jurejurando immutabilis, nec terrore concutitur, nec blandimentis immutatur, ut manifeſtius apparebit in proceſſu. Hic dominus CUNO nobilibus ortus parentibus; ſcilicet nobilis, honorabilis & exſpectabilis viri domini de *Falkenſteyn* & de *Mynizenberg*, & glorioſæ JOHANNÆ de *Sarvverden* filius fuit. Qui puericiæ tempora moribus & virtutum floribus adornatus percrevit. Anno Domini MCCCXX. natus fuit, cujus fratres uterini fuerunt dominus PHILIPPUS ſenior, & dominus JOHANNES junior. Dominus quidem PHILIPPUS frater domini Cunonis primogenitus, uxorem duxit, filiam. præclariſſimi domini de HANAUW, ſed dominus Cuno cum fratre ſuo Johanne, canonici eccleſiæ Moguntinenſis ſunt ordinati, ubi dominus CUNO in adoleſcentia litterarum ſtudia eſt amplexatus, vitam & ingenium limpidioris capacitatis & intellectualis profunditatis eſt Deo diſponente adeptus. Immo non ſolum clericali ſtudio, verum etiam militari exercitio quamplurimum ſe mancipavit.

Cunonis patres & fratres.

Cujus patre de hac luce per mortem carnis ſubtracto, dominus Philippus ejus germanus, fratrum primogenitus in dominio ſucceſſit, & ſtrenue gubernavit. Tandem intervalli temporis diſcurſu, eodem domino Philippo mortuo, comes Veldentiæ & dominus *Hanauve*, tamquam tutores & mamburni (a) nec. filiorum domini Philippi, intromiſerunt ſe dominio de *Falkenſteyn* & *Mynczemberg* contra voluntatem domini Cunonis & domini Johannis fratris ſui. Dominus vero CUNO, quia ſenior fuerat domino Johanne, nolebat conſentire in tutores prædictos, ſed volens obtinere pro ſe & pro ſuo fratre dominium de *Falkenſteyn*, nullus officiatorum vel caſtrenſium ſeu civium volebat eum intromittere, ſeu obtemperando obedire, quia dominus PHILIPPUS frater ſuus, tempore mortis ſuæ ita diſpoſuit de caſtris, oppidis & munitionibus, & tradidit ad manus tutorum prædictorum anno domini MCCCXLII. Unde dominus Cuno motus animo videns dominium ſibi innatum in manus alienigenarum tranſlatum, conticuit, & ad imperialia præſidia refugit, prædictos tutores & officiatos ad præſentiam domini LODOWICI imperatoris citari fecit, & ad terminum deſtinatum eos vocari procuravit. Quo facto, dominus LODOWICUS imperator, tutoribus non apparentibus, ſententialiter eos

Nepotum ſororum eum Ludovico obtinuerat [a]

amovit

amovit de tutorio, & domino Cunoni commendavit.

Tutores a fuo fratre conſtitutos rebellantes cuere cogit.

Poſt hæc dominus de *Hanauwe* contra imperatorem & ejus mandatis rebellavit. Quapropter dominus idem de *Hanauwe* imperiali ſententia fuit proſcriptus, & de tribus caſtris fortioribus ſuis fuit expulſus. Tandem imperialis dignitatis præſidio dominus Cuno roboratus, dictos tutores armata manu cum grandi exercitu hoſtiliter invaſit, & dominum de *Hanauwe* prope *Biſchoffsſteyn* cepit in prælio, & traditione violenta fidem tradere coarctavit anno ſuo xx. ſecundo. Poſtea ſtatim eodem anno cum valida manu apud *Peddensheyn* convicit, & cepit comitem Beldentiæ, & immediate fuit facta ſecum compoſitio ſic, quod tutores ambo reſignarent ſibi totum dominium, quod illud gubernaret & regeret per ſex annos continuos; & frater ſuus Johannes cum filiis fratris ſui Philippi, ulterius dominium tenerent & regerent ſimul & ſemel, uſque ad annos diſcretionis junioris Philippi jam domini. Et ſic tota rancoris materia fuit ſedata. Ibi etiam dominus Cuno dominium exactionando, grandem pecuniam, ſcilicet ſummam xxx. millium florenorum congregavit, quam ſummam ad eccleſiam Moguntinam ſibi commiſſam aſportavit.

Fit proviſor eccleſiæ Moguntinæ.

Anno Domini MCCCXLVI. ætatis ſuæ anno XXVI. dominus prædictus Cuno eſt poſtulatus, & ab omnibus vocatus in proviſorem eccleſiæ Moguntinæ, tempore domini HENRICI de *Virnenburg* archiepiſcopi Moguntinenſis & poſtea depoſiti. Quam eccleſiam ſtrenue rexit & gubernavit per IX. annos, uſque ad obitum domini HENRICI archiepiſcopi depoſiti prænominati, & hoc contra Clementem papam & contra Innocentium ſuum ſucceſſorem, & hoc propter juramentum quod domino Henrico fecit. Quam eccleſiam invenit depauperatam, diverſis debitis obligatam, maximis guerris oppreſſam, quam Deo juvante reformavit. Marchionem Miſzenenſem eccleſiæ Moguntinenſi ſubegit, lantgravium Haſſiæ contra eccleſiam litigantem, ſtrenue devicit & coegit, ut ſingulis annis ei dare ad cameram ſuam centum marcas argenti puri præſentaret, quouſque pacem cum eccleſia habere recuſaret.

Carolo intergem Rom. electo ſe opponit.

Item contra CAROLUM electum in regem Romanorum ſe oppoſuit, & dominum GUNTHERUM comitem de *Swvarczenburg* elegit, & ante *Franckfort* in caſtris & grandibus expenſis in regem Romanorum ſtatuit & introduxit anno Domini MCCCXLVII.

Item anno Domini MCCCXLIX. obſedit oppidum *Oppenheym*, & obtinuit ſuam voluntatem, & traditores ibidem damnavit.

Item anno Domini milleſimo præſcripto circa Aſcenſionis Domini deſtruxit monaſterium S. Victoris extra muros Moguntinenſes; ſed Moguntinenſes ipſum impugnare volentes, triduo expectavit, & cum eis præliari deſideravit: ſed Moguntinenſes timentes nec venientes, tandem in pace cum ſuis receſſit.

Item Gerlaco a ſede apoſtolica confirmato Moguntinenſi.

Item domino GERLACO per ſedem apoſtolicam in archiepiſcopum Moguntinenſem contra dominum HENRICUM DE VIRNEBURG confirmato, extra epiſcopatum refugere fecit, necnon terram comitum de *Naſzauwe* penitus devaſtavit, & omnes villas & partem emunitatum ſuarum funditus hoſtiliter delevit. Poſtea ſubſtituto illo de *Kirckil* in proviſorem eccleſiæ Moguntinenſis, reſtituit. Quid pejus, malum pro bono reddere? Sic ille de *Kirckil* per dominum Cunonem abſolutus, cogitabat rehabere eccleſiam Moguntinenſem. Dominus vero Cuno nolebat reddere, niſi prius ſolutis damnis & periculis. Videns hoc de *Kirckil*, malum cogitabat contra dominum Cunonem, mediante Ulrico de *Cronenberg*, qui fuit vicedominus & coadjutor domini Gerlaci de *Naſzauwe*, & ſic convenerunt quomodo dominum Cunonem traderent, ſive mortuum ſive vivum, & ſic fraudulenter venerunt in *Ayſſchaffenburg*, in noctis ſilentio introierunt caſtrum, & uſque ad cameram domini Cunonis pervenerunt, ubi dominus Cuno videns ſe fore traditum, & audiens Ulricum de *Cronenberg* ita proclamantem: Quicumque adduxerit dominum Cunonem vivum vel mortuum, habebit centum florenos. Audiens hoc dominus Cuno, ſubmiſit ſe ad foſſatum caſtri per arctam feneſtram cum lintigamine, & ſic evadente ortum diei craſtino Simonis & Judæ, circa annum Domini MCCCXLIX.

Conſpiratio in ipſum.

Item anno Domini MCCCL. oppidum *Pingvve* cum civibus volens rebellare, ſtrenue reformavit. Volebant eum capere Pingwenſes cum ſexcentis armatis ex Ringauwia, ante ortum diei ipſum quieſcentem in lecto ſuo, dicentes: Domine Cuno trade nobis *Clopp*, quia ſic oportet eſſe aut morieris. Dominus Cuno, quia nudus erat, cogitabat qualiter evadere poſſet manus eorum, allocutus eſt eos ſermonibus blandis ut expectarent ad modicum tempus, & quicquid poſſet pro utilitate patriæ facere, libenter annueret, & ſic evaſit per feneſtram ad foſſatum.

Pingwenſium manus evadit.

Eodem anno Pinguenſes videntes ſe fore deceptos, propoſuerunt expugnare caſtrum *Clopp*, & pro ſe illud habere. Dominus vero Cuno tunc exiſtens in *Erinfels* ex oppoſito *Pingvve*, nolens intrare oppidum propter traditionem, ſed audiens clamorem populi & canglorem campanarum: videns Pingwenſes velle caſtrum *Clopp* expugnare; ſtatim ſurgens de lecto, congregans exercitum magnum, & primus in foſſatum caſtri *Clopp* armatus proſiliens, caſtrum defendit, traditores captivavit, & quoſdam exilio relegavit. Sic Dominus Cuno eccleſiam Moguntinen-

Cloppenſe oppidum ab ipſis oppugnatum defendit.

sem in diversis periculis constitutam, cum providentia & labore gubernavit, & se totiens in mortem pro ipsa destinavit. O fidelis servus & prudens, quia ita fideliter laboravit, nec mori timuit, nec regem nec papam propter jusjurandum verebatur!

Tandem dominus Cuno videns dominum suum de *Virnenburg* Henricum viribus deficere, & morti appropinquare, cogitavit istud Evangelii: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*, volens strenue suum commissum terminare, veniens cum exercitu grandi & rege suo Gunthero de *Swarczenburg* in *Eltfel*, contra Carolum regem Bohemiæ eum cupiens expugnare; sed dux Bavariæ filiam suam Karolo *tunc temporis* desponsavit, & cum Carolo contra Guntherum Moguntiam venit; ubi Guntherus intoxicatus, sciens se non posse evadere, regnum resignavit Carolo, quia defraudatus per principes rediit *Frankfort*: ibi mortuus & sepultus quievit anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo.

Cum Gerlaco archiepiscopo Moguntino mediante Carolo imperatore pacem facit.

Tunc dominus Cuno animadvertens, domino Gerlaco a papa destinato viriliter restitit, & episcopatum sibi commissum defensavit. Omnes adhærentes sibi & ejus partem fóventes tam in spiritualibus quam in temporalibus spoliavit, ac exactione gravavit, carcerali squalore molestavit, & in opere hoc strenue perseveravit usque ad obitum domini de *Firnburg*; quo occulte de hac vita subtracto, capitulum Moguntinense dominum Gerlacum a papa destinatum, in archiepiscopum acceptavit. Dominus vero Cuno territorium diocesis sibi commissum resignare penitus denegavit, nisi debita & damna sibi essent plenarie persoluta, & sic altercationis discordia inter eos fuerat exorta. Tandem principes inclyti & dominus Carolus rex & dominus Baldewinus archiepiscopus Treverensis, cum aliis principibus Moguntinens. congregati, ad tractandum de statu regni, dominum Cunonem vocaverunt & concordiam inter Gerlacum & dominum Cunonem fecerunt; ita ut dominus Cuno ei restituetet territorium Moguntinense, & ipse pro pignore, pro debitis, expensis & laboribus reservaret usque ad plenariam satisfactionem de munitionibus & castris sibi competentibus, scilicet Pingwiam cum oppido *Erenvels* cum teloneo; & sic pacificati & amicabiliter compositi resignavit territorium & episcopatum domino Gerlaco cum honore & reverentia. Tunc rex dixit domino Cunoni: Cuno intelleximus & est verum, dominum de *Firnburg* fore defunctum. Cui dominus Cuno imperterrite respondit & viriliter: Domine rex, si dominus Henricus de *Firnburg* adhuc in humanis esset, ista compositio & reformatio nullo modo interveniisset; & sic commissionis sibi factæ laudabilem finem dinoscitur tradidisse.

Tandem rex dominum Cunonem adamavit, ei rebellionem domini de *Wirtenburg* contra imperium querulose denuntiavit, petens ut sibi fidelis contra eumdem de *Wirtenburg* adhæreret in expugnatione rebellionis ejusdem. Dominus vero Cuno petitionem regis gratanter accepit, inflatamque superbiam illius de *Wirtinburg* cum armata manu & exercitu regali in nihilum redegit. Ipsum tandem pacifice cum rege pacificavit. Post hæc dominus Gerlacus Moguntinensis, a domino Cunone castra & munitiones, quas pro laboribus & expensis sibi obligavit, ab ipso redemit in triginta millibus florenorum, & tamquam infamando propter quoddam foramen in *Clopp* factum subterraneum, propter cautelam effugiendi periculum prævisum infamavit. Quam infamiam dominus Cuno coram rege & principibus tam prudenter & efficaciter defendit & se excusavit, quod ipse cum honore, & domino Gerlaco cum pudore recedente, omnis infamia in nihilum redacta desiit.

Carolo imperatori consiliat dominum de Wirtinburgo.

Tandem dominus Boemundus secundus, archiepiscopus nonagesimus tertius Treverensis post dominum Baldewinum electus & confirmatus, anno Domini MCCCLIII. a generali capitulo Treverensi fuit electus & confirmatus. Qui omni sapientia & prudentia fuit adornatus, licet senio gravatus: credebant eum in pace territorium episcopatus gubernare, & soli Deo contemplare. Quod videntes comites militares & nobiles quamplures, ecclesiæ Trevericæ juramentis constricti, proh dolor! juramentorum immemores, dictæ ecclesiæ munitiones & castra, quæ quondam justo venditionis titulo domino Baldewino vendiderunt, unusquisque jam tamquam sua propria usurpaverunt, & conspiratione simul facta diviserunt. Et armata manu contra Boëmundum archiepiscopum rebellantes, possederunt; necnon comes de *Starckenburg* minus juste contra episcopum se violenter opposuit, totam provinciam devastando, spoliando, ac flammis consumendo depopulavit. Cui dominus Boëmundus armata manu restitit, ipsum comitem oppugnando tandem pacificavit. Ita dominus Boëmundus magnis periculis involutus, cum prudentia utilissima remedia cogitando quid faciendum esset contra tot oppugnantia & resistentia, quia senio aggravatus esset, & viribus deficientibus deficeret. Et incidit sibi consilium bonum. Recordatus qualiter honorabilis Cuno de Falkensteyn Moguntinam ecclesiam rexit, protexit & defensavit, ut ipsum haberet in coadjutorem maxime desideravit, & cum communi consilio capituli Treverensis ipsum advocare disposuit, quod & fecit. Vocavit & petivit ut Trevirim veniret, quia secum de negotiis arduis tractare vellet. Ipsum i° in canonicum elegit, & postmodum dominus

Boemundus II. Treverensis archiepiscopus nonagesimus tertius electus Canonicus.

Cuno audiens tot & tanta perfidiæ incitamenta contra ſanctam eccleſiam Treverenſem, animo motus ſpopondit fidelia coadjutoralia defenſionis præſtare, Deo juvante, juvamina, quod & fecit.

Primo tamquam leo rugiens cum duce Luczemburgenſi contra quemdam capitaneum, qui dicebatur Archipreſbyter, qui totam provinciam diſpoſuit depopulare, cum ſuo exercitu effugavit, devaſtavit, & ſic patriam ab eorum inſultibus cum duce Luczellenburgenſi victorioſe protexit.

Item Philippum de *Iſemburg* no metuens cum ſuis complicibus, qui caſtrum periculo ſuæ dioceſis fundare & erigere & fortificare diſpoſuit. Cui obviam venit cum grandi exercitu, & manu valida ipſum effugavit, Philippum captivum duxit cum ſuis, caſtrum funditus deſtruxit, ſolo coæquavit; terra illa hoſtili invaſione liberata, pacem faciens venerabili domino Boëmundo denuntiavit, cui congratulans Boëmundus, Deum laudavit, qui ſibi talem hominem in coadjutorem dedit.

Atque ab apoſtolica ſede confirmari poſtulavit. Tandem dominus Boëmundus cognoſcens ſe viribus deficere, dominum Cunonem loco ſui in archiepiſcopum Treverenſem diſpoſuit eligere & confirmare. Et ſicut ſcribitur de S. Valerio Hipponenſi epiſcopo & Auguſtino, ſeptima quæſtione, *Quamvis.* ita ordinare diſpoſuit, & ſanctiſſimo patri Innocentio ſedis Romanæ apoſtolico, cum communi aſſenſu capituli litteratorie notificavit, fideliter rogans, ut dominum Cunonem ſuum coadjutorem in archiepiſcopum Treverenſem electum confirmare dignaretur.

Idque annuit Innocentius papa. Univerſalia communi utilitate facta prælaudanda ſemper ſunt & cordialiter conſervanda. Et ecce inſignia geſta domini Cunonis per multa diſperſa ſunt climata, & ad aures papæ & cardinalium pervenerunt, qui eum diu ad magnam dignitatem promovere diſpoſuerunt. Et hoc honorabili viro domino Boëmundo de curia Romana litteratorie fuit inſinuatum; & cupiens prævenire ipſum Cunonem ſibi a Deo proviſum, ita reſervare cogitavit, & ad hoc promovere procuravit, domino apoſtolico Innocentio patenti teſtimonio deſcripſit & fieri petivit. Quam deſcriptionem dominus papa & cardinales gratanter accipientes, dominis reverendis archiepiſcopo Pragenſi & epiſcopo Argentinenſi hujuſmodi inquiſitionem examinare, & facti evidentiam ſibi renuntiare fideliter demandavit, utrum morum decentia, animi prudentia dominus Cuno poſſet dioceſim conſervare, gubernare, & potentia corporali regere & defenſare. Qui diligenti inquiſitione & examinatione peracta, reſcripſerunt totum illud negotium ad utilitatem patriæ & domini Boëmundi eſſe exortum, & precum inſtantia cordiali eſſet vix obtentum. Unde domnus apoſtolicus ipſum ad archiepiſcopalis Trevericæ eccleſiæ dignitatem in Dei nomine ſublimavit, conſecrare mandavit; & ſibi exiſtenti in dioceſi Treverenſi pallium deſtinavit. Quem capitulum Trevericum coadunatione cleri & populi cum ſolemnitate qua decuit ſolemniter acceptavit.

Anno Domini MCCCLXII. CUNO archiepiſcopus Treverenſis nonageſimus quartus conſecratur, introducitur & confirmatur per dominum Boëmundum, ut præfatum eſt. Qui licet eſſet archiepiſcopus, tamen fideliter obedivit & voluntatem ejus in omnibus adimplevit uſque ad obitum. Qui dominus Boëmundus obiit anno Domini MCCCLXVII. in die Scholaſticæ virginis, ſepultus in eccleſia Treverenſi. Dominus vero Cuno eccleſiam ſuam fideliter rexit, ſublimavit divitiis & honore ditavit, pacem in omnibus conſervavit, & tam clero quam populo benigne præfuit. Conſecratur.

Non poſt multum temporis cives Treverenſes rebellare cœperunt, & clerum civitatis graviter impugnarunt, quibus cum ſapientia reſtitit, eos ad imperatorem citavit, eos in curia imperiali devicit, eoſque in expenſis damnavit. Tandem concordia facta, ad cameram ſuam tria millia librarum denariorum Treverenſium ad tempora vitæ ſuæ, ſingulis annis dare & perſolvere promiſerunt, & ſic pacificati ſunt. Rebellantes cives Trevirenſes domat.

Dominus LUDOLPHUS DE MARCA archiepiſcopus Colonienſis cum ſuo capitulo, videns ſe & ſuam dioceſim multis debitis & diverſis gravationibus aggravatum; cogitavit communi conſilio qua ordinatione poſſet eccleſiam Colonienſem ab omnibus incommodis liberare. Cum ſuo capitulo communiter ad memoriam revocaverunt, qualiter honorabilis CUNO archiepiſcopus Treverenſis, eccleſiam Moguntinenſem ac Treverenſem defenſaſſet, gubernaſſet, rebus & honoribus ampliaſſet, ipſum in coadjutorem domini Ludolphi unanimiter convocaverunt. Dominus vero Cuno motus pietate, id domino Boëmundo inſinuavit, & ejus conſilio coadjutoriam (a) epiſcopatus Colonienſis cum gratiarum actione accepit. Cui dominus Boëmundus congaudebat, quod ſuum electum etiam alii præeligerent. Factus ergo coadjutor domini Colonienſis, eccleſiam a debitis abſolvit, ac potentia rexit & utiliter gubernavit. Nam comitatum in *Arnſzberg* eccleſiæ emit, omnes circumjacentes duces, comites, dominos, nobiles rebellantes expugnavit, raptores damnavit, civitatem Colonienſem rebellantem & juribus eccleſiæ injuriantem, ad ſatisfactionem compulit. Cives in Andernachum contra epiſcopum repugnantes expugnavit, judicio ceſſit Cunonem coadjutorem ſuum adſcivit. Fit coadjutor Colonienſis. [a]

(a) Si Sammarthanis credimus non Ludolfus ſeu Adolfus, ſed Engelbertus de Marca ejus nepos qui ei anno 1364. ſuc-

in civitate perſonaliter præſedit, reos capitali ſententia damnavit.

*Engelberto. Eligitur archiepiſcopus. Tandem mortuo domino * Ludolpho, capitulum Colonienſe dominum Cunonem vocavit, & conſenſu unanimi ipſum in archiepiſcopum elegerunt. Sed dominus Cuno acceptare recuſavit, & cum Treverenſibus remanere promiſit, capituloque conſilium dedit, ſi domnus apoſtolicus conſentiret, adminiſtrator cum ſollicitudine eccleſiam gubernaret, ſicut huc uſque, donec cum providentia eccleſiæ de epiſcopo provideret. Tandem tempore aliquo tranſacto, dominus Cuno ſe deficere viribus conſiderans, capitulo Colonienſi ſuam adminiſtrationem cum honore, maximis ſolutis debitis, reſignare diſpoſuit, petens ut conſanguineum ſuum, filium comitis de *Sarwverden*, qui in ſtudiis eſſet, in archiepiſcopum eligerent, ipſe vero eum cum ſuis expenſis per ſedem apoſtolicam confirmare ordinaret. Cui conſentiens capitulum, ſi curam gerere ipſius promitteret, donec ad notitiam ipſius epiſcopatus & capituli veniret, quod dominus Cuno gratanter accepit. Cognatum ſuum ad epiſcopatum Colonienſem promovit, & ad confirmandum & conſecrandum ſuis expenſis ordinavit, ipſius coadjutor fuit, & per aliquot annos in ſuis expenſis tenuit. Tandem eccleſiæ Colonienſi præſentavit, & ut perſonaliter epiſcopatum gubernaret, ſibi fideliter indixit, ſalvis tamen quitantiis de omnibus proventibus domini Cunonis receptis. Qui dominus Colonienſis avunculum ſuum in omnibus ſequens, eccleſiam ſuam hoſtili manu defendit, cum adjutorio domini Cunonis, ut cunctis patet.

Archiepiſcopatum nepoti ſuo reſignat.

Moguntinum recuſat. Dominus vero Cuno a Colonienſibus abſolutus, poſt obitum domini Gerlaci archiepiſcopi Moguntinenſis, a communi capitulo in archiepiſcopum ejuſdem eccleſiæ petitur & eligitur; quod dominus Cuno recuſavit cum gratiarum actione, eccleſiam Treverenſem ſe tenere uſque ad mortem eis nunciavit, & ſic remiſſis, imperator Carolus dominum Johannem filium comitis S. Pauli ſuum conſanguineum, Moguntiæ epiſcopum eligere & confirmare procuravit. Dominus vero Cuno in Treveri manens, ipſam præ Colonienſi & Moguntinenſi prælegit, rexit, & gubernavit. Quis umquam talem virum vidit, cui tot honores & beneficia applauderentur?

Præclare ab eo geſta in epiſcopatu Trevirenſi. Dominus vero Cuno archiepiſcopatum ſuum Trevirenſem ampliavit, omnia caſtra & fortalitia firmavit, muros exaltavit, frumento & vini abundantia ditavit: caſtrum *Schonecke* cum ſuis attinentiis a duce Luczelburgenſi oppigneravit. Tandem reſoluto a duce & ipſo mortuo, a rege Wenczelao iterum oppigneravit majori pecunia. Ducem Lotharingiæ pecuniis conceſſis ſibi amicabiliter propter pacem patriæ reconciliavit, comitem de *Wede* cum Iſemburgenſibus tamquam ſpoliatorem provinciæ expugnavit, & ad reſtitutionem rapinæ coarctavit, eccleſiam in Enggero, quæ ejuſdem comitis erat, ſibi retinuit, munitionemque de eccleſia & villa fecit.

Imperatorem pluries recepit. Imperatorem Carolum pluries recepit, eique cum ſuo exercitu in expenſis abunDanter providit. Primo quando fratrem ſuum ducem Brabantiæ captum a duce Julienſi reſolvit, & quando filium ſuum Wenczelaum in regem Romanorum procurare curavit; quem etiam dominus Cuno cum aliis principibus electoribus in regem elegit ac coronari Aquiſgrani promovit. Ipſum vero regem poſt mortem domini ducis Brabantiæ, quando ducatum ſibi jure paterno eſt tranſlatum, cum reverentia ſuſcepit, & in expenſis laudabiliter providit. Provinciam vero Treverenſem univerſaliter ab inſultu & infeſtatione diverſorum malorum ſocietate præmunivit cum exercitibus & expenſis. Primo contra quemdam capitaneum nomine Silveſtrum, ſecundo contra dominum de Coſſino cum ſuo exercitu, quibus ſi non reſtitiſſet cum potenti & valida manu, totam patriam cum violentia devaſtaſſent, ſicut aliis provinciis fecerunt.

Archiepiſcopatum Trevirenſem Wernhero reſignat. Tandem honorabilis dominus Cuno ſentiens ſe in infirmitate corporis ac debilitate gravari, cœpit cogitare qualiter eccleſiæ Treverenſi de bono proviſore provideret, antequam ab hac luce per mortem diſcederet, & pluribus perſonis examinatis nec inventis, quia multi ſunt qui honores appetunt, ſed diſpenſationem honoris & laborem non quærunt; implicatus ergo, quid faceret ignoravit. Tandem inſpiratione divina incidit ſibi conſilium bonum, ut Wernherum conſanguineum ſuum de * *Falkenſteyn*, natum ex filia fratris ſui domini Philippi bonæ memoriæ, diu in curia ſua probatum, tam in archidiaconatu Treverenſi, necnon in præpoſitura S. Florini Confluentiæ, ac præpoſitura S. Paulini fideliter examinatum, ſimplicem & rectum, providumque inventum, promoveret ordinari in locum ſuum, quia idoneus & providus eſſet. Quod quidem conſilium ſuis intimis conſiliariis & amicis intimavit, quibus omnibus placuit. Et ſicut dominus Boëmundus ſecum fecit, ſic & ipſe dominus Cuno cum domino Wernhero facere diſpoſuit, mittens ſuum legatum providum & honeſtum, ſcilicet dominum Johannem de *Lynſe* curiæ * Trevirenſis tunc officialem, cum litteris ſupplicationis ad dominum Urbanum papam, ut negotium illud domino apoſtolico intimaret, & de vita & honeſtate domini Wernheri, necnon de ſenio & debilitate domini Cunonis, atque utilitate patriæ nihil reticeret. Quam petitionem dominus Urbanus cum cardinalibus gratanter accepit, dominoque Colonienſi

* de Konigſtein.

* Brev. legit Conſiſtentiæ curiæ.

*Rorico. *Wilhelmo. ac domino abbati S. Maximini * necnon domino abbati * S. Mariæ ad Martyres hujuſmodi ſupplicationem & inquiſitionem examinare & facti evidentiam ſibi renuntiare fideliter demandavit, utrum dominus Wernherus morum decentia, animi prudentia poſſet dioceſim conſervare, gubernare ac defenſare. Qui reverendi domini mandato apoſtolico obedientes, diligenti inquiſitione & examinatione peracta, invenerunt dominum Wernherum in omnibus idoneum, tamquam virum approbatum & archiepiſcopatu dignum, renunciaverunt domino apoſtolico cum humilitate & reverentia, ut decuit, dominum Wernherum eſſe dignum, necnon illam reſignationem eſſe factam ad utilitatem eccleſiæ Treverenſis & univerſalis patriæ, & benivolentia & promta voluntate domini Cunonis. Dominus vero apoſtolicus cum cardinalibus ſuis reſponſionem illam accepit, & factum approbavit, dominum Cunonem ab archiepiſcopatu Treverenſi abſolvit, & dominum Wernherum ad archiepiſcopatum eccleſiæ Treverenſis in Dei nomine ſublimavit, confirmavit, & conſecrare mandavit. Executoribus eiſdem litteris apoſtolicis ſtricte precepit, ut rebelles ac contradictores hujus utiliſſimæ ordinationis per cenſuram eccleſiaſticam coarctarent, donec obedirent & expenſis ſatisfacerent.

Inſuper domino WERNHERO exiſtenti in dioceſi Trevirenſi, pallium tranſmittere promiſit, & ſic omnia circa dominum Cunonem & dominum Wernherum ſunt debita forma conſummata. Capitulum vero eccleſiæ Treverenſis ſe aliquomodo oppoſuit, eo quod dominus Wernherus capitulariter electus non eſſet, timentes canonici ne jus electionis perderent. Sed tandem auditis cauſis & examinatis & inventis, quod pro utilitate eccleſiæ & totius patriæ factum fuerat, conſenſum dederunt, dominum Wernherum elegerunt, electum & confirmatum recipere unanimiter promiſerunt.

Dominus vero CUNO domino Wernhero archiepiſcopatum Treverenſem reſignavit, & laudabiliter introduxit ad caſtra & munitiones, & ad totam terram ipſius eccleſiæ introducere & ſibi præſentare ordinavit, cum debitis honore & ſolemnitate, cum abundantia magna vini & frumenti abſque debitis, cum pace & tranquillitate. Ita dumtaxat, ut aſſeritur, quod in centum millibus florenorum & multo amplius repertum eſt in meliori ſtatu, quam dominus Cuno in ſuo introductu invenit, quia promtuaria omnia erant plena. Hæc facta ſunt anno Domini MCCCLXXXVIII. in Maio.

Ejus obitus. Dominus vero CUNO timens ne juvenis WERNHERUS electus & introductus larga manu theſaurum eccleſiæ expenderet, theſaurum ſub ſua cuſtodia reſervavit, non, ut quidam malæ fidei putaverunt, & etiam promulgaverunt, non ut eccleſiæ alienaret, ſed ita reſervavit, ut tempore debito domino Wernhero præſentaret. His omnibus ita factis, dominus Cuno heu quod præ dolore dicere non poſſum, mortuus eſt. * Et quia juſtus quacumque morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit.... ſepultuſque eſt Confluentiæ ad ſanctum Caſtorem eodem anno ſtatim in Junio, quinta feria infra octavam Pentecoſtes: cujus anima requieſcat in pace, amen. Dominus vero WERNHERUS domini Cunonis exequias fieri ordinavit ſtatim in Julio poſt ejus obitum, ſcilicet in feſto S. Jacobi: ubi dominus Colonienſis & honorabilis dominus dux Bavariæ ADULPHUS, cum aliis multis principibus, comitibus, dominis nobilibus ſecularibus & ſpiritualibus cum debita reverentia exequias peregerunt, & dominus Wernherus omnes expenſas largiter ibi fieri juſſit, & elemoſynas larga manu dari ordinavit. XXI. Maii 1388.

Ordinatio Cunonis archiepiſcopi pro S. Nicolai & S. Georgii capellanis.

In Dei nomine amen CUNO Dei gratia ſanctæ Treverenſis eccleſiæ archiepiſcopus ſacri imperii per Galliam archicancellarius ad perpetuam rei memoriam.

Dudum recolendæ memoriæ reverendus in Chriſto pater & dominus dominus BOEMUNDUS de Saraponte, olim archiepiſcopus Treverenſis prædeceſſor noſter, animadvertens ſedulo quomodo altaria S. Nicolai & Agnetis, Georgii & S. Trinitatis in eccleſia Treverenſi, reſpectu ſervitiorum & laborum incumbentium paucis ſunt dotata reditibus, & ſpecialiter SS. Nicolai & Agnetis altaria ante dicta, quæ ex primaria ſui fundatione ſingulis diebus certis horis diei ſingulas miſſas expoſcunt. Conſiderans inſuper quod laborioſum & difficillimum eſſet uni preſbytero omni die miſſam celebrare, concepit quaſdam ſalubres ordinationes infra ſcriptas. Et ut hujuſmodi ordinationes tanto ferventius quanto devotius ſervarentur, redditus annuos ſingulorum altarium prædictorum diſpoſuit, juſſit, & fecit cum ſingulis viginti libris Treverenſium denariorum uſualium cenſualibus annuis augmentari. Verumtamen ſicut Domino placuit, morte præventus, ordinationes prædictas per ipſum devota & ſancta mente conceptas, non adimplevit totaliter juxta vota. Nos igitur pia intentione affectantes, ut ſicut eidem domino prædeceſſori noſtro in archiepiſcopali honore, altiſſimo diſponente, ſucceſſimus, ita & in præconceptis per ipſum ſaluberrimis ordinationibus ſuccedamus, & bona opera per ipſum inchoata non remaneant inexpleta; ad laudem Dei omnipotentis & glorioſiſſimæ Virginis matris ejus ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ac patronorum altarium prædictorum, necnon ad capellanorum eorumdem altarium commodum & profectum, de conſilio venerabilium devo-

torum noſtrorum decani & capituli eccleſiæ Trevirenſis, juxta mentem, propoſitum & devotum conceptum memorati prædeceſſoris noſtri, ordinare & ſtatuere decrevimus, ac ordinamus & ſtatuimus per præſentes, ut deinceps capellani pro tempore altarium S. Nicolai & Georgii prædictorum in officiandis eiſdem altaribus, mutuo ſibi ſubveniant; utque capellanus altaris S. Nicolai, quod omni die circa horam dicti officium miſſæ expoſcit, idem altare in officio miſſæ per unam integram ſeptimanam deſerviat, & alia ſeptimana integra immediate ſequenti capellanus altaris S. Georgii idem altare S. Nicolai ſimili modo in officio miſſæ deſerviat, ut eſt moris. Et pro hujuſmodi ſeptimana capellanus altaris S. Nicolai, altare S. Georgii quod omni die officium miſſæ ex debito non requirit, laudabiliter deſerviat ut eſt moris. Qua quidem ſeptimana finita, capellanus altaris S. Nicolai deſerviat, & illa finita, iterato præfatus capellanus altaris ſancti Georgii altare S. Nicolai, & capellanus altaris S. Nicolai altare ſancti Georgii per aliam ſeptimanam immediate ſequentem deſerviat, & ſic deinceps alternis ſeptimanis dicti duo capellani in deſerviendo & officiando eadem duo altaria mutuo viciſſim ſibi ſubveniant, prout utriuſque altaris onus expoſcit. Volumus etiam & ordinamus, ut illis vicibus & ſeptimanis quibus alter ex dictis capellanis altare alterius eorumdem officiabit & deſerviet, capellanus deſerviens capiat, habeat & recipiat ad opus ſuum omnes & ſingulas oblationes altaris quod deſerviet & quæ ad idem altare provenient pro tempore, in pecunia numerata duntaxat; aliis omnibus & ſingulis oblationibus in cera, ovis, thure, & aliis quibuſcumque rebus conſiſtentibus proprio & vero capellano ejuſdem altaris nihilominus remanſuris. Exceptis tamen diebus feſtivis SS. Nicolai & Barbaræ, in quibus omnes & ſingulæ oblationes ſive in pecunia numerata, ſive quibuſcumque aliis rebus ad dictum altare S. Nicolai pervenerint, erunt & eſſe debebunt veri & proprii capellani dicti altaris S. Nicolai, nonobſtante ſi eiſdem feſtis aut eorum aliquo capellanum altaris S. Georgii dictum altare S. Nicolai officiare & deſervire contingat.

Simili modo decrevimus, ordinavimus, decernimus, ordinamus, & ſtatuimus per præſentes, ut deinceps capellani pro tempore altarium S. Agnetis & S. Trinitatis, quorum alterum videlicet altare S. Agnetis ex primæva ſui inſtitutione, omni die & circa horam dicti officium miſſæ requirit in officiandis & deſerviendis eiſdem altaribus, ſingulis alternis ſeptimanis mutuo ſibi ſubveniant & ſubvenire debeant, prout de aliis duobus capellanis & altaribus ſuperius eſt expreſſum. Circa oblationes tamen ad iſta duo altaria pro tempore provenientes, ſive in pecunia numerata, ſive quibuſcumque aliis rebus conſiſtant, ordinavimus & præſentibus ordinamus, ut illis vicibus & ſeptimanis quibus alter ex eorumdem altarium capellanis altare alterius officiabit & deſerviet; capiat, habeat & recipiat ad opus ſuum omnes & ſingulas oblationes quæ ad idem altare provenient pro tempore juxta morem. Volumus etiam eoſdem capellanos & eorum quemlibet obligari, conſtringi, & arctari, cogi & compelli per cenſuram eccleſiaſticam, necnon privationem altarium eorumdem & alia juris remedia opportuna, ad deſerviendum & officiandum altaria ante dicta juxta ordinationes noſtras prædictas, & per præfatum prædeceſſorem noſtrum devotiſſime præconceptas. Mandamus igitur & ſub excommunicationis poena diſtricte præcipimus eiſdem capellanis & eorumdem cuilibet, quatenus hujuſmodi noſtras ordinationes ſanctas & ſalubres, actione quarum redditus & proventus ſingulorum altarium prædictorum ſingulis cenſualibus annis XX. libris Treverenſium denariorum uſualium ſunt adaucti ſumma, opere alacri, ſtudio & debita reverentia ſuſcipiant, & illis cum omni humilitate & devotione obediant & intendant, præfatum prædeceſſorem noſtrum & nos commendaturos Deo omnipotenti, beatiſſimæ & glorioſiſſimæ Matri ejus, beato Petro & patronis altarium prædictorum quotiens in eiſdem altaribus miſſarum ſolemnia celebrabunt. In quorum teſtimonium nos CUNO archiepiſcopus antedictus, ſigillum noſtrum, & nos Nicolaus de Pictinga decanus & capitulum eccleſiæ Treverenſis, quia præmiſſa & eorum ſingula de noſtro conſilio proceſſerunt, ſigillum noſtrum capitulare appendi fecimus ad præſentes. Datum anno Domini MCCCLXVIII. ſexta die Aprilis.

Geſta domini Wernheri archiepiſcopi Treverenſis nonageſimi quinti feliciter incipiunt.

Multa adverſa patitur in initio pontificatus.

DOminus WERNHERUS archiepiſcopus Treverenſis nonageſimus quintus electus & confirmatus, nondum conſecratus, clipeo patientiæ ſe armavit, quia ſtatim poſt obitum domini CUNONIS bonæ memoriæ cœperunt tentationes ipſum invadere. Primo dominus PHILIPPUS DE FALKENSTEYN ſuus avunculus theſaurum eccleſiæ, quem dominus Cuno reliquit, petiit dicens, quod dominus Cuno tutor in juventute ſuæ puericiæ fuiſſet dominii in *Mintenburg*, & collectum theſaurum inde aſportaſſet quem eccleſiæ Treverenſi adminiſtraſſet; illum rehabere vellet. Etiam dominus Wernherus ad archiepiſcopatum non veniſſet, ſi ipſum non promoviſſet, & ſic cum ingratitudine rece-

dere disponebat. Dominus vero Wernherus patienter & sagaciter cum consilio suorum respondebat, quod dominus Philippus non commoveretur, nec ingrate reciperet, quia thesaurum quem peteret alicui dare sibi non valeret, donec exequias domini Cunonis cum devotione peregisset. Ibi cum consilio principum electorum imperii ac amicorum utriusque vellet facere, salvo honore, quod amici permanerent. Eadem forma dominus Colonienſis etiam thesaurum petivit, quem dominus Cuno de administratione ecclesiæ Colonienſis deportasset, immemor beneficiorum sibi factorum a domino Cunone tam in promotione archiepiscopatus seu quitantiarum omnium solutione. Cui dominus Wernherus benivole respondit, suum non esse thesaurum ecclesiæ alicui dare absque consilio illorum quorum interesse videretur. Etiam speraret quitantiis & aliis patentibus literis ipsum instruere, quod nihil ei teneretur, salvo tamen jure melioris affirmationis. Insuper in Septembri dominus Karolus rex Franciæ venit cum magno exercitu & inæstimabili contra ducem Gelriæ, quem proponebat expugnare. De quo exercitu quidam contra dominum Wernherum se erigere proposuerunt. Statim dominus Wernherus se eis opponere disposuit, munitiones & castra sui archiepiscopatus munivit cum exercitu militari, ubi gravibus expensis semper expectavit eos, & expugnare cum Dei adjutorio disponebat, & ita usque ad recessum regis contra suos adversarios viriliter se tenebat. Etiam licet præpeditus illis & aliis anxietatibus, impedientibus omnibus exclusis, se ad Deum convertit, ordinem presbyteratus suscepit, ac se in episcopum consecrari fecit secundum mandatum apostolici anno Domini MCCCLXXXVIII. in Septembri, circa festum S. Matthæi. Etiam dominus Wernherus virtute armatus omnibus officiatis suis firmiter mandavit, ut omnes suos subditos religiosos, canonicos regulares, moniales, & eorum bona defenderent, gubernarent, & de manibus raptorum eriperent, & tamquam sua bona præservarent. Sit ergo nomen Domini benedictum in sæcula. Amen.

Bonifacius IX. dicto Treverensi, jus testandi assignat postulante domino Wernhero.

Bonifacius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Apostolicæ sedis providentia circumspecta singulorum fidelium, præsertim ecclesiasticarum personarum actiones & consuetudines laudabiles discutiens, circa statum earum prosperum diligenter invigilat, & ea quæ in his ad ipsarum noxam & detrimentum ecclesiasticæque libertatis diminutionem redundare prospicit, studet opportunæ provisionis remedio submovere. Sane nuper pro parte venerabilis fratris nostri Wernheri archiepiscopi & dilectorum filiorum capituli nec non cleri civitatis & diocesis Treverensis nobis exhibita petitio continebat, quod in dictis civitate & diocesi a longinquis retroactis temporibus observatum & tentum est, & adhuc servatur & tenetur, & quasi in præscriptam consuetudinem, quæ merito non consuetudo, sed potius confusio seu corruptela dici meretur, introductum extitit, quod quotiens aliquem ex beneficiatis in civitate vel diocesi prædictis sive testatum sive ab intestato decedere contingit, archiepiscopus pro tempore existens de omnibus & singulis ipsius decedentis bonis se intromittit, eaque recipit & convertit in suos usus. Quodque propterea in eisdem civitate & diocesi in personis ecclesiasticis ac eorum rebus & bonis ecclesiastica succumbit libertas, cleruſque servili subditur conditioni, necnon beneficiati tam a parentibus quam a creditoribus eorum in necessitatibus suis sæpissime derelinquuntur, ac defectus & damna gravia & quandoque penuriam sufferre coguntur, odia quoque & scandala non modica inter clerum & laicos dictarum civitatis & diocesis pluries exorta sunt & timentur etiam verisimiliter exoriri. Quare pro parte dictorum archiepiscopi, capituli & cleri nobis fuit humiliter supplicatum, ut consuetudinem & introductionem; seu potius confusionem vel corruptelam hujusmodi penitus submovere & abolere, ac archiepiscopo Trevirensi pro tempore existenti de alicujus alterius honestæ subventionis auxilio in recompensam providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes super præmissis salubriter providere, hujusmodi supplicationibus inclinati, introductionem & consuetudinem hujusmodi auctoritate apostolica tenore præsentium penitus submovemus & etiam abolemus, & nihilominus quod archiepiscopus Treverensis qui pro tempore fuerit in recompensam abolitionis hujusmodi fructus primi anni quorumcumque beneficiorum civitatis vel diocesis prædictarum, quotiens ea vacare contigerit, salvo tamen jure cameræ apostolicæ & cujuslibet alterius, recipere libere & licite possit, eadem auctoritate concedimus per præsentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ submotionis, abolitionis vel concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc autem attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum v. Calendas Junii pontificatus nostri anno octavo.

Decretum domini Wernheri quo jus testandi clero suo concedit.

Wernherus Dei gratia S. Treverensis ecclesiæ archiepiscopus, sacri imperii per Galliam & regnum Arelatense archicancellarius ad perpetuam rei memoriam.

Militantis ecclesiæ ad solidanda in ipsius

basibus fundamenta, montibus sanctis licet immeriti communati, ac in partem sollicitudinis ex pastorali nobis credito officio convocati, curis excitamur continuis, sedulisque mentis urgemur discursibus, ac noctes plerumque ducimus insomnes, ut juxta officii nostri debitum commissi nobis, ecclesiæ fundamenta in subditorum nostrorum commodis & prosperitatibus foveamus. Illorum præcipue qui obsequiis mancipati divinis, viri ecclesiastici ecclesiæ fundamenta veluti firmissimi bases quotidianis consolidare noscuntur precibus, quibus auctore Deo plus armis militaribus publicum bonum salubriora suscipit incrementa. Pro quorum prosperitate voluntarios nonnumquam amplectimur labores, ab eis inquietudines & scandala quantum nobis ex alto permittitur, exstirpare cupientes, ut dum eorum alleviamus onera & scandala removemus, pacis auctorem in pace liberius, quod utique affectamus, possint collaudare; nosque ex eorum tranquillitate quiescere ac recordato pacis auctori in extremo valeamus examine debitam inde reddere rationem. Sane nonnulli bonæ memoriæ nostri prædecessores immediati archiepiscopi Treverenses, æmulis atque sinistris laicorum, qui ut antiquitas tradit, oppido sunt clericis infesti, cæterorumque privilegii & honoris clericalis invidorum suggestionibus inducti, immo verius seducti, bona clericorum ab intestato decedentia per suos officiatos capere procurarunt, & se de hujusmodi intromittentes, suis usibus applicarunt, quamdam consuetudinem, verius abusum & corruptelam nullo jure fulcitam, immo reprobatam allegantes, sic per eorum officiatos, ut capta præda inter se hujusmodi dividerent spolia, frequentius licet damnabilius inferrent. Denique præfati æmuli adeo cupiditatis cæcitate, quæ mater est omnium malorum, infecti, sed fiducia hujusmodi bonorum præfatis nostris prædecessoribus præsentandorum, non veras quæ prædecessorum prædictorum, sed fide ficta quæ sua fuerunt quærentes, quod etiam dum in minoribus fueramus sæpius experimento didicimus, dictos prædecessores nostros ad hæc convertentes, immo miserabiliter pervertentes & inducentes, quod ipsi clericorum bona præmissorum prætextu sive ab intestato sive testati & alias qualitercumque decedentium receperunt, spoliaverunt & manus violentas apposuerunt, ac inverecunde suis usibus applicaverunt. Et illo pejus testamenta clericorum & ultimas ipsorum voluntates ad suas conati sunt voluntates & indulta restringere, quasi talia sine ipsorum consensu & voluntate fieri, neque debitæ demandari executioni deberent contra piissimas, canonicas & legales sanctiones, cum nihil sit juxta easdem quod majus debeatur hominibus, quam ut supremæ voluntatis libera permaneat dispositio. Ex quibus indubie divinæ majestatis oculus plurimum offendebatur, cum viri ecclesiastici liberi facti sant, ut ab eis nihil præter divinum sit exigendum officium. Jus lædebatur publicum, quod in sacris & sacerdotibus consistere perhibetur: libertates ecclesiasticæ quarum ipsi ex credito sibi officio debebant esse conservatores penitus succumbebant: non modica etiam ex his scandala, rixæ & brigæ atque lites in nostris civitate & dioceſi Treverensi exoriebantur, modo inter defuncti clerici sic spoliati bonis suis parentes & agnatos, modo inter ipsius creditores universaliter inter clericos & laicos de hujusmodi spoliationis improperio. Inde homicidia fuere secuta, inde beneficium defuncti ex hujusmodi spolio divinis sterit obsequiis debitis viduatum, defunctus clericus plerumque veluti peregrinus aliquis omnibus bonis suis spoliatus, absque obsequiis christianis consuetis ac ecclesiæ suffragiis tumulatus permansit, cletus ubique in nostris civitate & dioceſi patuit despectui, & quos ob clericalis dignitatis honorem lex divina & humana præ ceteris voluit decorari privilegiis & gaudere libertatibus, habebantur perfidis & ab eadem lege damnatis viliores. Et idcirco viri scientia & moribus illuminati, atque ecclesiæ & dioceſis nostrarum potiores, quorum consiliis & auxiliis veluti firmissimis basibus præfatæ ecclesiæ nostræ fundamenta firmabantur, cum acquisitis etiam in nostris civitate & dioceſi, ad alienas cogebantur se civitates & dioceses transferre. Honestas tepuit ordinis clericalis, & divinum ministerium, proh dolor! lamentata inde suscepit detrimenta in grave & grande damnum & præjudicium nostri & ecclesiæ nostræ Trevirensis. Nos itaque qui clericorum nostrorum princeps & superior ex vocali merito & defensor ordinis clericalis participio atque libertatis ecclesiasticæ conservator a lege divinitus sumus deputati, non ad instar Juliani apostatæ proprii ordinis persecutoris, sed more boni pastoris, juxta evangelicam veritatem pro ovibus sibi commissis animam suam ponentes, hujusmodi scandalis, damnis & improperiis nos & clericalem ordinem offendentibus, obviare eaque penitus exstirpare, ac de nostris civitate & dioceſi Treverensi abolere & evellere avide cupientes, virique ecclesiastici nostrarum civitatis & dioceſis prædictarum per sacratissimas canonum & legum sanctiones nobis & eisdem ob unius & ejusdem ordinis clericalis dignitatem & honorem libertatibus & privilegiis datis & concessis, sicuti & nos gaudemus, ita & in suis gradibus ne eadem professio honore & turpitudine erubescat, libere gaudeant & licite perfruantur. Et ut ecclesia nostra Treverensis in ecclesiasticis viris tanquam in suis basibus firmo stabiliatur fundamento, atque divinus cultus,

quem

quem noſtris deſideramus augeri temporibus, velut vitis abundans in lateribus domus Dei undique coamplietur, multis dudum & diverſis deſuper tentis & præhabitis tractatibus cum honorabilibus præpoſito, decano & capitulo eccleſiæ noſtræ Treverenſis, prætenſam conſuetudinem, quæ potius corruptela & abuſio fuerat, ſpoliationes, receptiones, uſurpationes bonorum clericorum prædictas, pro nobis & noſtris ſucceſſoribus archiepiſcopis Treverenſibus in perpetuum duximus tollendas, exſtirpendas, abolendas, evellendas, revocandas, & ex certa ſcientia cauſiſque ſupradictis penitus caſſandas, & præſentibus tollimus, exſtirpamus, abolemus, evellimus, revocamus & caſſamus, nullo umquam tempore de cetero duraturas. Et juri, ſi quid nobis, quod abſit, in hoc damnato facto & auſu temerario competiit aut competere potuit, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris perpetuis etiam ex certa ſcientia & cauſis ſupra recordatis, renuntiamus temporibus, eodem nullo umquam tempore per nos aut ſucceſſores noſtros utendum. Volentes & ex aſſenſu & decreto capituli noſtri prædicti indulgentes, ordinantes, atque ſtatuentes pro nobis & ſucceſſoribus noſtris archiepiſcopis Treverenſibus in perpetuum, ut præmiſſis huc uſque damnabiliter perpetratis miſericorditer obſiſtentes, clerici noſtrarum civitatis & dioceſis prædictarum cujuſcumque dignitatis, gradus, eminentiæ, ſervitii vel officii ſeu conditionis exiſtant, de bonis ſive de labore, ſive de beneficiis & alias qualitercumque & undecumque acquiſitis, de cetero & temporibus perpetuis teſtari, & eadem ſua bona in vita vel poſt donare, legare, vendere, alienare, & ad uſus quos appetunt convertere, & de eis diſponere juxta eorum omnem voluntatem & deſiderium libere & licite poſſint & valeant. Quod ſi etiam abſque hujuſmodi diſpoſitione aliquem clericorum contingat decedere, quod abſit, agnoſcat & recipiat ille bona defuncti clerici qui proximior alias ex jure ſucceſſor legitimus habebitur abſque contradictione vel impedimento quocumque noſtri & ſucceſſorum noſtrorum aut aliorum quorumcumque. Hoc ſalvo, quod quia clericus beneficiatus primo & principaliter illis tenetur obnoxius, a quibus beneficia recepiſſe dinoſcitur, idem clericus, ſi dignitatem habuerit, duas marcas argenti; ſi canonicatum, unam marcam; ſi eccleſiam curatam, unam marcam; ſi altare ſeu aliud ſimplex beneficium, mediam marcam primo & ante omnia in ſuo teſtamento donet & leget ad fabricam eccleſiarum in quibus hujuſmodi beneficium ſeu officia obtinebat. Quod ſi plurimis in beneficiis fuerit, ſingulis eccleſiis ſuorum beneficiorum juxta modum prætaxatum donet & leget hujuſmodi marcas in teſtamento ſuo, niſi clericus teſtator ex inſpirata devotione uberiora ipſis eccleſiis voluerit facere dona, ſeu legata. Quod ſi clericus ab inteſtato deceſſerit, agnoſcentes bona ſua juxta quantitatem & qualitatem beneficiorum defuncti, primo & principaliter eccleſiis ipſis in quibus erat beneficiatus, marcas argenti integraliter perſolvant, juxta modum prætaxatum, ipſas eccleſias ſingulis aliis creditoribus præferendo. Quæ præmiſſa omnia ſic fieri & compleri per clericos & eorum bona cognoſcentes ordinamus, ſtatuimus, & præcipimus pœnis ſub infra ſcriptis. Et ut quod nobis non licet, præfatis indicemus noſtris ſucceſſoribus, nos pro nobis & dictis noſtris ſucceſſoribus archiepiſcopis Treverenſibus promiſimus, & per præſentes promittimus bona fide ac ſub juramento eccleſiæ noſtræ prædictæ præſtito, præfatos clericos ſeu viros eccleſiaſticos, ipſorum bonorum liberam, ut præfertur, diſpoſitionem ac alios in hujuſmodi bonorum ſucceſſione prædictis nullo umquam tempore per nos vel noſtros homines vel officiatos quoſcumque præſentes vel futuros, publice vel occulte, directe vel indirecte, quacumque cauſa vel occaſione impedire, turbare, vel moleſtare qualitercumque, etiam quibuſcumque arte vel ingenio. Et ob hoc diſtrictius inhibentes univerſis & ſingulis officiatis noſtris & eccleſiæ noſtræ Treverenſis præſentibus & futuris clericis & laicis cujuſcumque officii vel conditionis exiſtant, atque eis ſub privatione officiorum ſuorum ac excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiarum pœnis, quas ipſo facto ex ſtatuto præſenti volumus incurrere, ultra alias pœnas in tranſgreſſores eccleſiaſticæ libertatis a jure promulgatas, & in virtute juramenti nobis & eccleſiæ noſtræ præſtiti firmiter præcipiendo mandamus, quatenus ordinem clericalem Dei præcipue & ejuſdem ordinis honore & reverentia præ oculis, ſicut tenentur, habentes, de cetero bona clericorum civitatis & dioceſis noſtrarum prædictarum viventium & qualitercumque etiam decedentium nulla occaſione nullave arte vel ingenio capiant; domus, horrea, vel cellaria eorumdem, invitis & contradicentibus executoribus vel proximioribus defunctorum, ut hactenus aliquando improvide factum eſt, introeant, vel conſcribant, manus per ſe aut familiares ſuos quoſcumque ad eadem bona clericorum apponant, aut nobis vel ſucceſſoribus noſtris vel etiam qualicumque modo in toto vel in qualicumque parte reſervent, ſed clericos ſeu eorum executores aut heredes de præmiſſis ſuis bonis libere diſponere ac eiſdem gaudere juxta deſiderium ſuarum voluntatum permittant; ſalvo quod ſi quis officiatorum vel alia eccleſiaſtica ſeu ſecularis perſona, contra quemque clericorum occaſionem aliquam movere

voluerit, faciat coram dicti clerici judice competenti, coram eodem pro meritis causæ juſtitiam recepturus. Et ne quod una via ſalubri concluditur, alia damnabiliori adinventione aperiatur, volumus & ſub pœnis prædictis ſtatuimus & ordinamus, ut ſi contingat teſtamentarios quoſcumque etiam cujuſcumque perſonæ ſeu ipſarum ultimarum voluntatum executores, de commiſſa ſibi executione nobis ſeu ſucceſſoribus noſtris vel ſucceſſorum noſtrorum officialibus aut aliis commiſſariis computationem facere ac rationem reddere, juxta ſacri concilii Trevirenſis ſtatutum, aut alias ex juris communis diſpoſitione, quotienſcumque id fieri contingat, de quitantia ſeu receſſu eiſdem executoribus per nos, noſtros ſucceſſores ſeu noſtros & noſtrorum ſucceſſorum officiatos ac commiſſarios dandis vel datis, ſive de ſigillo cancellariæ archiepiſcopalis, ſive de ſigillo curiarum noſtrarum Trevirenſis vel Confluentiæ, non plus recipiatur ab eiſdem executoribus, niſi de quolibet teſtamento & & ipſius executione & receſſu ac litteris ſigillatis, una marca argenti pro ſex florenis curſibilibus Rhenenſibus computata. Et inſuper ut noſtra & capituli noſtri prædicti ordinatio & ſtatutum adeo ſalubriter digeſtum ob eccleſiaſticæ libertatis dignitatem perpetuis temporibus inconcuſſe & inviolabiliter obſervetur; ſtatuimus & una cum præfato noſtro capitulo ordinamus pro nobis & ſucceſſoribus noſtris in perpetuum, ut de cetero nullus cujuſcumque gradus, dignitatis vel conditionis exiſtat, per dictum capitulum vel ipſius qualemcumque ſeu quotamcumque partem in archiepiſcopum Trevirenſem eligatur, vel proviſus a ſede apoſtolica ab eo capitulo recipiatur, ſeu eidem in aliquo obediatur, niſi idem proviſus primo & principaliter juret tactis corporaliter ſacroſanctis, * clerum civitatis & dioceſis Trevirenſis in ſuis conſervare atque defendere libertatibus & privilegiis, ad quod etiam juris tenetur præcepto, atque præmiſſam noſtram ordinationem & ſtatutum inviolabiliter obſervare, datis etiam deſuper clero ſuo litteris. Quam quidem ordinationem & ſtatutum ac præmiſſa, ſi proviſus a ſede apoſtolica, pro tempore ultra operoſam dicti capituli noſtri diligentiam ad hæc ut proviſus promittat & juret ſupradicta exhibitam & impenſam, idem proviſus dictam noſtram ordinationem & ſtatutum promittere, & ut præfertur jurare contemſerit ſeu recuſaverit, quod abſit, ex tunc in antea præfatum noſtrum capitulum eidem proviſo nullum caritativum ſubſidium vel aliquod aliud cujuſcumque exactionis genus in clerum vel populum Trevirenſem aliquo modo concedant, vel ut dictus proviſus hujuſmodi caritativum ſubſidium vel aliam ſublevet exactionem quamcumque ſuum præbeat conſenſum tacite vel expreſſe, niſi prius dictam noſtram ordinationem & ſtatutum promiſerit, &, ut præfertur, juraverit, datis clero deſuper ſuis litteris. Quod ſi proviſus occaſione præmiſſorum dictum capitulum Trevirenſe perturbaverit vel moleſtaverit, quod abſit, clerus civitatis & dioceſis prædictarum dicto noſtro capitulo adhærebit, & eidem effectualiter & pro viribus aſtabit, committentes nihilominus noſtra & capituli noſtri prædicti auctoritate univerſis & ſingulis præſentibus & futuris eccleſiæ noſtræ Trevirenſis officiatis, eiſque ſub pœnis ſupraſcriptis, & in virtute ſuorum juramentorum nobis & eccleſiæ noſtræ præſtitorum, diſtrictius etiam inhibentes, ne hujuſmodi electo vel proviſo aliqua caſtra, fortalitia, oppida, terras & poſſeſſiones eccleſiæ noſtræ Trevirenſis tradant vel aſſignent, ſeu eumdem intromittant, tradi, aſſignari vel intromitti minime permittant, niſi prius a capitulo noſtro prædicto, quod hujuſmodi, ut præfertur, præſtiterit juramentum, & litteras ſuas clero deſuper dederit, & fuerint per ipſius capituli litteras patentes certificati, ad hoc adjicientes atque ſtatuentes, ut de cetero nullus cujuſcumque etiam gradus vel conditionis exiſtat, in canonicum capitularem per capitulum eccleſiæ noſtræ Trevirenſis aliquatenus aſſumatur, niſi prius omnia præmiſſa & præſentem noſtram ordinationem atque ſtatutum, corporali juramento mediante promiſerit ſe fideliter ſervaturum, & quantum in eo ſit efficaciter adimpleturum.

Pro quorum etiam omnium præmiſſorum commemoratione perpetua ordinamus, & ſub pœna ſupradicta ſtatuimus, ut ſingulis annis in perpetuum ſemper craſtino omnium animarum, eccleſiæ collegiatæ in civitate noſtra Trevirenſi, ut alias moris eſt, mane ad eccleſiam noſtram ſummam, in Confluentia collegia & eccleſiæ ad ſanctum Florinum conveniant, aliaque eccleſiarum collegia & eccleſiæ parochiales in ſuis eccleſiis prædicto craſtino ſolemniter & cum devotione vigilias, & immediate poſt has, miſſam animarum decantent pro bonæ memoriæ noſtris progeniebus, domino Cunone avunculo ac prædeceſſore noſtro immediato, necnon Boemundo, Baldewino, aliiſque noſtris prædeceſſoribus & ſucceſſoribus, omnibuſque aliis noſtris & eccleſiæ noſtræ Trevirenſis, ac prædictarum aliarum eccleſiarum benefactoribus.

Nos etiam omnibus hujuſmodi vigiliis & miſſis intereſſentibus clericis & laicis & confeſſis & contritis, beatorum Petri & Pauli apoſtolorum auctoritate confiſi, quadraginta dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. In præmiſſis quidem omnibus debita ſubſidiorum clericorum, ac conſueta carnium ac vecturarum nobis & eccleſiæ noſtræ Trevirenſi per

* f. add. Evangeliis.

abbates & monaſteria debitorum contribu- A tione atque præſtatione, necnon canonica correctione, nobis & ſucceſſoribus noſtris archiepiſcopis Treverenſibus a jure permiſſa in facinoroſos & delinquentes clericos nobis & eiſdem noſtris ſucceſſoribus ſemper ſalvis. In quorum omnium teſtimonium & roboris firmitatem præſentes litteras fecimus ſigilli noſtri majoris munimine roborari; exhortantes etiam atque rogantes præfatos honorabiles præpoſitum, decanum & capitulum eccleſiæ noſtræ Treverenſis, ut quia B præmiſſæ ordinationes atque ſtatuta de ipſorum decreto pariter & aſſenſu proceſſerunt, & nos illas una cum eis, ob publicum eccleſiæ & dioceſis noſtræ Treverenſis bonum duximus faciendum & confirmandum, quatenus etiam ſigillo majori capituli prædicti præſentes noſtras litteras faciant in teſtimonium præmiſſorum communiri. Et nos Arnoldus de *Berevvart* præpoſitus, Gerlacus de *Lympurg* decanus, Robertus de *Hoenecke* archidiaconus major, Cuno de *Nuvvenburg* in *Diekerich* archidiaconus, Johannes de *Hamerſteyn* ſcholaſticus, Arnoldus de *Hoenecke*, C Theodoricus de *Urley*, Henricus de Duna, Conradus de *Hoenburg* cuſtos, Theodericus de *Cromnavv* cellerarius, Winandus *Bock* cantor, Ægidius *Wabe de Lemen*, Henricus de *Mailburg*, Henricus de *Fleckenſteyn* canonici & totum capitulum eccleſiæ Treverenſis prædictum, publice recognoſcimus per præſentes, quod conſideratis clericorum opprobriis, & effectibus miſerabilibus inde ſecutis ſuperius plenius enarratis, ac evidenti eccleſiæ & dioceſis Treverenſis publico bono attento, pluribus & diverſis, ut per dictum dominum noſtrum gratioſum archiepiſcopum Treverenſem præfertur, inter nos deſuper tentis & habitis tractatibus, præmiſſas ordinationes atque ſtatuta cum dicto domino noſtro inivimus & fecimus, eaſque approbavimus & laudavimus, & præſentibus inimus, facimus, approbamus & laudamus. Et nihilominus ut univerſa & ſingula ſic, ut præmittitur, per dominum noſtrum archiepiſcopum prædictum ſuo & ſucceſſorum ſuorum nomine & nos ordinata & ſtatuta E inconfracta inconcuſſaque inviolabiliter perpetuis obſerventur temporibus, præmiſſa ordinata & ſtatuta, mediante corporali juramento præſtito, promiſimus & præſentibus promittimus nos fideliter ſervaturos, quantum in nobis eſt efficaciter impleturos, nec de cetero in antea aliquem in canonicum capitularem eccleſiæ noſtræ prædictæ aliquatenus recipiemus, niſi publice & ante omnia mediante ſuo corporali juramento promiſerit præmiſſa ordinata & ſtatuta fideliter ſe ſervaturum, & quantum in eo eſt efficaciter adimpleturum. Faciemus quoque hujuſmodi ordinata & ſtatuta ad alia noſtra & eccleſiæ noſtræ Treverenſis præcipue ſignare ſtatuta. In quorum etiam omnium præmiſſorum teſtimonium & veritatem præſentes litteras fecimus capituli noſtri majori ſigillo, dicti domini Treverenſis ſigillo cum pendenti majori roborari. Datum, ordinatum, ſtatutum atque actum Treveris anno Domini MCCCXCVII. juxta ſtilum ſcribendi in civitate & dioceſi noſtris Treverenſibus, (a) [a] die ſexta menſis Februarii.

Geſta Ottonis archiepiſcopi Trevirenſis.

POſt mortem reverendiſſimi patris & domini domini WERNHERI DE FALKENSTEYN archiepiſcopi Treverenſis anno Domini ſcilicet MCCCCXVIII. * in die S. Lubentii con- * 4. Octob.
feſſoris, dominus OTTO comes * *de Tzegenhayn* præpoſitus & canonicus eccleſiæ Tre- * a Zigenheim.
verenſis, per capitulum concorditer fuit electus,* & per papam MARTINUM quintum con- * 13. Octob.
firmatus in archiepiſcopum Treverenſem. Qui civitatem cum magno gaudio & ſolemnitate introductus fuit cum multitudine principum, comitum, baronum, nobilium & aliorum proborum virorum. Qui OTTO hujuſmodi ſuam ſponſam & eccleſiam laudabiliter, magnifice & provide tam in ſpiritualibus quam in temporalibus undecim rexit annis, clericos & preſbyteros ipſemet ordinando & conſecrando, ac alia pia opera apud pauperes Chriſti exercendo. Nobiles & ignobiles plurimum humiliter & quandoque ſatis rigoroſe regendo & tractando. Sæpius noctes inſomnes duxit, jejuniis & orationibus vacando, atque in terram proſternendo, eidem crebra oſcula præ nimia compunctione & devotione imprimendo, etiam ut frequenter appropinquantibus ſolemnioribus feſtivitatibus puta Paſchæ, Pentecoſtes, Nativitatis Chriſti, Aſſumtionis MARIÆ, ſe in aliquo loco devoto, videlicet religioſorum & devotorum virorum cum paucis ſuis reciperet, quatenus eo liberius & expeditius ſervituti Dei vacare & intendere poſſet; prævio per triduum ante diem feſtum talem in ſolo pane & aqua jejunando. Succedentibus ſibi virtutum ac actuum virtuoſorum cumulis, in diebus ſuis vitam caſtam & ſanctam ducendo, corpus ſuum cum quotidiano cilicio caſtigavit. Sacrum etiam Dominicum ſepulchrum cauſa maximæ devotionis in hujuſmodi ſui epiſcopatus annis, ſemel perſonaliter & clandeſtine abſque ſcitu ſui capituli & ſubditorum ſuorum cum quinque aut ſex perſonis ſibi ſecretioribus viſitavit, committendo interim terram & dioceſim ſuam regendam & defendendam nonnullis comitibus & aliis nobilibus ſuæ dioceſis pauco numero, qui eaſdem in magna pace uſque ad reditum præfati reverendiſſimi patris & domini Ottonis rexerunt & gubernaverunt.

(a) Trevirenſes annum inchoant 25. Martii in actis publicis.

Idemque dominus duabus vicibus perſonaliter cum maximis expenſis & laboribus, multitudine gentium nobilium & ignobilium armatorum ad Bohemiam contra infideles hæreticos Huſſitas viriliter pugnando equitavit, & poſt ejus ad ſuam dioceſim reditum, ſuam ſponſam eccleſiam & capitulum Treverenſe zelo optimo & ſincero reformare, & ad meliorem ſtatum reducere cupiens; cui canonici capitulares Treverenſes fortiter ſe oppoſuerunt, illi reſiſtere cupientes, prout ſe cum amicis & cognatis ſuis oppoſuerunt & reſtiterunt, tandem ſentiens ipſe dominus & pater reverendiſſimus OTTO ſe non poſſe ſolum proficere in hujuſmodi ſancto & bono inchoato opere, quemdam legatum ſedis apoſtolicæ HENRICUM cardinalem * de Anglia, de ſanguine regis Angliæ natum, ſecum Treverim cum multitudine doctorum virorum adduxit, ſperans inde conſequi aliquam bonam reformationem & optatum fructum. Sed proh dolor! ſator mali ſeminis corda canonicorum Treverenſium obcæcavit in tantum, quod ipſi canonici tam cardinali quam archiepiſcopo præfatis reſtiterunt, ita quod ambo nil proficerent; ſed abſque aliquo optato fructu reformationis receſſerunt: permittentes canonicos ipſos in ſuis antiquis conſuetudinibus vel abuſionibus.

Treverenſes canonicos reformare conatur.

* Vintonienſem.

Idemque dominus OTTO monaſterium S. Matthiæ apoſtoli ordinis S. Benedicti extra muros Treverenſes, cum magnis laboribus & expenſis ad regularem obſervantiam reduxit, abbatem inibi deponendo, Carthuſio ibidem ſumendo * & in abbatem præficiendo monaſterio prædicto. Qui abbas cunctis diebus vitæ ſuæ cum omnibus monachis ſuis eamdem obſervantiam laudabiliter continuavit, prout adhuc ibidem de Dei gratia obſervatur & tenetur.

Monaſterium S. Matthiæ reformat.

* Johanne Rode.

Idem dominus OTTO caput S. Matthiæ de caſtro *Erenbretſteyn* ad eccleſiam Treverenſem ſuam ſponſam magnifice tranſtulit & apportari fecit. Idemque dominus Otto omnia caſtra ſuæ eccleſiæ reformavit & reædificavit, eaque frumento & vino abundantiſſime replevit, non ſuæ avaritiæ, ſed reſiſtendi æmulis, & ſubveniendi pauperibus ſibi ſubditis tempore cariſtiæ, cauſa. Quibus pauperibus advenientibus caſtris in omnibus cellerariis ſiliginem in bono foro vendi & concedi fecit * anno nihil ab eis rehabendi; ſed ne occaſio ôtiandi daretur ipſis pauperibus, procuravit recipi ab eis cautionem de reſtituendo hujuſmodi ſiliginem, licet nihil ab eis petiit. *Waſſerpilch* * contra duos fratres milites de *Gymmenich* cum magna multitudine gentium armatorum & expenſis non modicis viriliter expugnavit, devaſtavit & totaliter in terram projecit. Caſtrum & dominium *Kempenich* vi & poteſtate debellavit, & ad eccleſiæ ſuæ dominium reduxit, tamquam bona feodalia libere ad eccleſiam ſuam devoluta. Caſtrum *Wytlich* incœptum ab antiquo uſque ad ſuperficiem terræ, ipſe dominus Otto ulterius ædificavit, continuavit & conſtruxit magnifice, ſicut liquet intuentibus. (a)

f. pro anno.

* Waſſerpilligh.

[a] De eo hæc ſcribit Hermannus Kornetus in chronico ad annum 1419. *Fuit vir magnæ prudentiæ & probitatis. Hic confirmatus in archiepiſcopum omnes Judæos de ſua provincia expulit, magis eorum exhorrens malitias, quibus ſuam diœceſim maculavent, quam pondevans lucrum vel commodum quod ex eis habere potuiſſet. Bona vero eorum omnia confiſcavit, reſtituens cuilibet Judæo xxx. denarios in memoriam venditionis Chriſti pariter & vindictam. Reddidit etiam pignova circa eos inventa omnibus debitoribus eorum, qua ipſi pro mutuis a Chriſtianis acceperant, poſtulans ab iiſdem debitoribus ſolam ſummam a Judæis ipſis conceſſam.*

Geſta Rabani archiepiſcopi Trevirenſis.

POſt mortem venerabilis patris OTTONIS DE * TZEGENHAYN capitulum Treverenſe diſcorditer elegit, quia major pars capituli dominum JACOBUM DE SYRCK canonicum & ſcl laſticum eccleſiæ Treverenſis elegit; dominus vero Fredericus de Cronia præpoſitus, & dominus de *Pittingen* canonicus eccleſiæ Treverenſis cum comitibus de *Virnenburg* & aliis nobilibus dominum ULRICUM DE MANDERSCHEYT decanum majoris eccleſiæ Colonienſis elegerunt, ipſumque cum domino Jacobo de Syrck altari depoſuerunt, a quo poſtea magna & prolixa controverſia inſurrexit, ut exitus rei proh dolor edocuit. Ipſi vero electi ambo poſt feſtum Paſchæ & in Rogationibus ſe ad Romanam curiam tranſtulerunt negotia ipſorum proſequendo, & fuit comes de *Wyrnenburg* cum certis nobilibus perſonaliter in curia Romana, & propoſitis hinc inde negotiis domino Martino quinto, & teſtibus deſuper examinatis, & partibus auditis, ambæ partes vacuæ de ipſa curia receſſerunt. Quapropter comes prædictus & ceteri nobiles indignati, licet de facto ſe ſedi apoſtolicæ oppoſuerunt, mandata apoſtolica non curando, ex quibus non modica incommoda ſecuta ſunt. Nam coarctaverunt plebanos & preſbyteros ceteroſque contra mandata apoſtolica ſe divinis immiſcere, & aliqui id recuſantes expulſi quaſi exulati fuerunt. Et quod pejus eſt Damarus de *Gunderſtorff* de Colonia aliquos adduxit profugos preſbyteros neſcio quales, qui eccleſias in *Monthabur*, *Nydenberg*, *Valenderet* ubique ſuper Moſellam & alibi invaſerunt, ſacramentalia ubique de facto, licet a jure prohibita miniſtrando. Quapropter generale interdictum fuit poſitum in dioceſi Treverenſi, quod duravit quatuor annis, vel circa. Tandem dominis Colonienſi, Moguntinenſi & Wormacienſi convenientibus, hujuſmodi turbatio ceſſavit, & dominus RABANUS DE HELMSTAT præſul.

* 2 Zegenheim.

Electio in diſcordia facta irrita declarata.

Rabanus Spirenſis epiſcopus fit Trevirenſis archiepiſcopus.

epiſcopus Spirenſis, cui per papam prædictum fuit de eccleſia Treverenſi proviſum, extitit per aliquos de capitulo intromiſſus. Qui etiam poſtmodum eccleſiam Treverenſem pacifice retinuit & poſſedit, licet comes de *Wirnenburg*, & alii ſibi rebelles fuerint. Coarctavit tamen idem dominus Rabanus prædictum comitem de *Wirnenburg*, & alios eidem præſtare homagia poſt circumvallationem civitatis Treverenſis caſtri *Schoneck*, & combuſtionem parvæ Confluentiæ, quod combuſtum fuit anno Domini MCCCXXXVI. in vigilia undecim millium Virginum.

Treviri obſidentur.

Anno Domini MCCCCXXXII. & XXXIII. circa feſtum Epiphaniæ Domini, & poſt, obſeſſa eſt civitas Treverenſis per dominum Ulricum de *Manderſcheit*, comitem de *Virnenburg*, & alios nobiles dioceſis Treverenſis, & duravit illa obſeſſio quaſi per duos annos; in qua omnia quæ ille venerabilis Otto de Tzegenhayn accumulavit fuerunt conſumta & penitus ad nihilum redacta, videlicet in *Lympurch*, *Menthabur*, & *Erembreidſteyn*, monaſterio *Meynfels*, *Meyen*, *Kochem*, *Witlich*, & *Sarburch*, ac aliis cellerariis totius dioceſis Treverenſis. Et poſtea alio anno videlicet triceſimo quarto prædicti comes & alii circumvallaverunt *Schoneck*, ubi modicum profectum habuerunt. Confluentini in omni illo interdicto laudabiliter ſe habuerunt, non arctando collegia, neque clauſtra, neque alias perſonas aut ſubditos.

Otto Tzegenhayn fuit antiſtes Treverenſis:
Rectificans clerum fovit, expellens & Hebræum:
Quem refutant plerique proceres populi quoque cleri.
Ob hæc flagellum poſt hunc ſuſcepimus unum
Anno milleno vigeno ſubde noveno
C. quater aſciſce: moritur venerabilis iſte.
Hunc poſt Ulricus Treverorum ſtat inimicus
Manderſcheyt dictus, in cunctis erat quaſi victus,
Quem *Virnenburg* ſtatuens per eum populumque deludens,
Annos plus quinque terram vaſtant utrobique,
Vallantes urbem multo populo Treverenſem.
Spargunt hi clerum, ſpoliant, ſervant & Hebræum:
Obſtant conſilio papæ & Cæſario juſto,
Spirenſem RABANUM bene qui firmat ſtatuatum.
Ex his commiſſis extat locus hic ſine miſſis.
Multos tunc vanos cleros faciuntque prophanos,
Schoneck hinc rectus Spirenſis fœdere nexus
Iſtius caſtrum reputavit deſcribere totum,
Quod non ad votum poterant ſibi facere notum,
Nobilibus junctis cum civibus ac fere cunctis.
Huic inſtant menſe; plus læduntur *Schoneck* enſe
Trigeno quinto poſt M. cum C. quater anno
Chriſtus reſpexit Treverenſes atque direxit,
Pontifices ſimul ac proceres doctos ſapientes
Guerram fœdantes ac terram pacificantes.
Iſtos laudemus, ſemper Domino jubilemus.

RABANUS epiſcopus Spirenſis poſt multas guerras & tribulationes, per dominum Martinum quintum de eccleſia Treverenſi extitit proviſus, & etiam adeptus fuit poſſeſſionem pacificam. Hic in occidua ætate conſtitutus, modicum profuit eccleſiæ Treverenſi; ſed omnia quæ habere potuit ſive in pecuniis ſive clenodiis, aut impignorandis fortalitiis & caſtris ſuis adaptavit. Tandem inito conſilio & tractatu cum domino Jacobo de *Syrch*, ipſam eccleſiam Treverenſem & dioceſim pro magna quantitate pecuniæ, & ut dicitur centum * millibus florenorum, reſignavit & per modicum tempus in dioceſi Treverenſi rexit circa quatuor vel quinque annos, licet dioceſis per ſuos multum fuerit gravata & ſpoliata; quia habuit quemdam cancellarium nomine Erneſtum *Duſel*, qui libros, imagines, & plura alia quæ anteceſſores ſui laudabiliter ſervarunt, pro poſteris ſuis archiepiſcopis omnia verſus Spiram deportavit. Qui quidem epiſcopus cum cancellario modico tempore ſupervixerunt præmia recipiendo. Nota quod vulgus Confluentinus in receptione domini RABANI ad præſtandum homagium fecit rumorem, concitantibus partibus domini de *Manderſcheyt*, ſic quod dominus RABANUS declinavit ad caſtrum Confluentinum, & per portulam circa Moſellam verſus *Erenbreitſteyn* evaſit, ſed tamen ſecundo die reverſus, recepit homagium ante eccleſiam S. Caſtoris toto populo & communitate in armis exiſtente anno Domini MCCCCXXXIV. menſe Junio.

Rabanus reſignat.

Brower ut ſexaginta tantum.

Geſta Jacobi Syrch archiepiſcopi Trevirenſis.

JACOBUS DE SYRCH (*a*) ſcholaſticus eccleſiæ Treverenſis circa annum Domini milleſimum quadrageteſimum trigeſimum nonum de menſe Maii eccleſiam Treverenſem eſt adeptus, & hic fuit in ordine epiſcoporum nonageſimus octavus. Hic fuit multum aſtutus in negotiis, quod nullus potuit eum intelligere, neque de ipſo confidere, quia ſemper in parabolis loquebatur cum nobilibus ſuis, & numquam cordialiter neque confidenter. Hic etiam multum fuit infeſtus toti clero, excepto capitulo Treverenſi, & hoc

[*a*]

[*a*] De iſto archiepiſcopo fuſius Kyriander ex alio, ut opinor, ſcriptore, qui magis ipſi favet, quam hic noſter.

ſolummodo propter pecunias extorquendas, & extorſit maximam ſummam imponendo ſubſidia. Et impetravit aliqua privilegia papalia per cameram apoſtolicam expedita, principaliter contra clerum & contra totam dioceſim a domino Nicolao papa quinto, qui eidem extitit favorabilis. Quæcumque voluit obtinuit, pecunia mediante. Tandem theloneum Bopardienſe & alia ibidem accidentia comiti de *Catzenellenbogen*, ad multa millia florenorum impignoravit & cetera officia in dioceſi etiam nobilibus pro pecunia tradidit, de ſuis incolis nemini confidit, forenſibus a quacumque patria venientibus ſervitia ſecreta commiſit, quoniam & frequenter eidem ſubtrahendo fecerunt recompenſam. Omnes ſuas neptes, filias videlicet Arnoldi fratris ſui, comitibus copulari procuravit, ut progenies ſua alta videretur, pro quibus maritandis dioceſim ſuam expoſuit, communitatibus neſcientibus, niſi poſt mortem ejus. Infirmitas ejus incœpit in menſe Novembri & duravit uſque ad menſem Maii quaſi ad finem, licet medio tempore multotiens dicebatur mortuus Confluentiæ & alibi in partibus circa Rhenum, quia infirmabatur in palatiolo in ſcholaſtria ibidem quam pro tunc habuit, & adhuc dominus Sifridus *Dreckenach* ſecretarius ipſius domini Jacobi archiepiſcopi. Et infirmitas ejus fuit incurabilis ex nutu divino, quia peſſime rexit populum ſuum, & avaritia excæcavit cor ſuum. Et obiit ſine intellectu & ratione (a) viceſima octava die menſis Maii, ſepultus in eccleſia S. Mariæ virginis ante chorum circa majorem eccleſiam, anno Domini MCCCCLV. Et licet fuerit in quibuſdam actibus defectuoſus, tamen etiam multa bona in vita geſſit, reformando monaſteria, dedicando per ſeipſum eccleſias, & in feſtivitatibus, in collegiis, in monaſteriis celebrando divina, & in cena Domini lavit pedes religioſorum, & communicavit eos omnes. Et ſunt multa alia geſta ejus bona & laude digna pro quibus miſereatur ei omnipotens Deus. Amen.

Expliciunt geſta Treverorum archiepiſcoporum Deo gratias.

(a) Veneno petitus ut quidam volunt.

APPENDIX
AD GESTA ARCHIEPISCOPORUM TREVIRENSIUM.

LIBELLUS DE PROPUGNATA adversus archiepiscopum Trevirensem libertate Epternacensis monasterii, deque institutione festi commemorationis sancti Willibrordi.

Ex mſ. Epternacenſi antiquo.

CUm operante Deo, qui ſanctis ſuis facit magna & inſcrutabilia, per merita ſancti *Willibrordi* frequenter Epternaci innoveretur ſigna, & immutentur mirabilia, merito ingratitudinis notaremur indiciis, ſi non devotis laudibus tanti Dei reſponderemus beneficiis, quem jubemur ſemper in ſanctis ſuis laudare, & omni tempore benedicere & magnificare. Ad laudem igitur Dei & gloriam S. Willibrordi venerantes memoriam, mutationem dexteræ excelſi, quæ ſuis meritis contigit in eccleſia Epternacenſi, volumus memoriæ commendare, & rem geſtam quam verius poſſumus cupimus præſentibus & futuris enarrare.

Anno igitur Incarnationis dominicæ MCXCII. cum præfata Epternacenſis eccleſia, poſt varios eventus afflictionum, induſtria prælatorum ſuorum jam paulatim inciperet reſpirare, & contenta præſentibus, intenderet ruinoſa ſua ſuſtentare, diruta reparare, invidit & impedivit eam adverſarius, qui ſemper omni bono eſt contrarius. Annus ille undecimus erat GODEFRIDI, qui ab epiſcopo etiam tunc aliam abbatiam tenebat Treviris apud S. Matthiam, cum XVI. Kal. Junii dominica *Exaudi* ante Pentecoſten, JOHANNES archiepiſcopus reverſus a curia Wormacienſi, litteras attulit, quibus magnum damnum intulit non ſine ſuo diſpendio eccleſiæ Epternacenſi. Si quidem cum nuper, evolutis ſeptem annis, quibus circa electionem RODOLPHI præpoſiti & Fr. archidiaconi in diverſa ſtudia ſcindebatur Treverenſis eccleſia, ipſe ARNOLDO archiepiſcopo ſucceſſiſſet, & ſemel & ſecundo Epternacum divertens, honeſte ſuſceptus & liberaliter habitus fuiſſet, cupiditate animi, libertatem ipſius eccleſiæ, quæ ſemper in ditione & mundiburdio imperii erat, callide exploraverat, & magnis expenſis apud imperatorem HENRICUM ſextum & aulicos, ut idem locus pro concambio caſtri *Naſſovve* in ſuam ditionem deveniret, omnimodis laboraverat: ſuper hoc litteræ quas abbati & conventui attulit iſta continebant.

Johannes archiepiſcopus Trevirenſis redit cum imperatore cõcordia, venit ad abbatiam Epternacenſem.

UNIVERSITATI veſtræ ſignificare noſtra decrevit ſerenitas, quod nos intuitu dilecti noſti JOHANNIS archiepiſcopi eccleſiæ Trevirenſis reſpectu, de conſilio principum & fidelium noſtrorum, abbatiam Epternacenſem eccleſiæ Trevirenſi tradidimus, eo jure poſſidendam, quo eam imperium uſque ad hæc tempora dinoſcitur poſſediſſe. Te itaque dilecte GODEFRIDE abba ab ea fidelitate, qua de ratione ejuſdem abbatiæ nobis teneris, abſolventes, diſcretioni tuæ mandamus, ut omni occaſione poſtpoſita, eamdem abbatiam a manu prædicti JOHANNIS archiepiſcopi recipias, & ei, ſicut tuam decet prudentiam, obediens & devotus exiſtere non omittas. « Litteræ Henrici VI. imperat. ad conventum Epternacenſem.

Tunc abbas his litteris Treviris recitatis coram omnibus in idipſum in capitulum majoris eccleſiæ congregatis, dicentibus ei, quod qui nutritus erat inter eos, non deberet contradicere promotioni Trevirenſis eccleſiæ; reſpondit quod tam gravi objectioni non poſſet reſpondere abſque ſcitu & conſilio illius eccleſiæ. Petiit itaque diem deliberationis, & vix obtinuit uſque in proximum ſabbatum, ut, habito conſilio, cum eccleſia, finaliter ea die redderet reſponſum. Statimque litteras imperatoris miſit Epternacum, mandans conventui, ut prudentes viros & diſcretos in proximam quartam feriam convocarent, & ſe præſente quid facto opus eſſet deliberarent. Cum Epternaci mandatum Cæſaris eſſet prolatum, pro gravi dejectione & ſua deſpectione præſentem ſortem ſic deteſtans quaſi mortem, eccleſia conturbata eſt valde & conſternata. Tan-

Epternacenses sun de libertate monasterii privilegia Cæsari præsentare deliberant.

dem in hoc convenerunt, ut abbas imperatori privilegia prædecessorum suorum de libertate ecclesiæ ostenderet, & per hæc judicio principum jus ecclesiæ defenderet. Super hæc destituti consilio & humano auxilio, gemebundi servi Dei, fiducia bonæ spei, rebus in adversis ut consulat, & prope mersis Willibrordum implorabant patrem, & sic orabant.

O rerum columen nostrarum, gloria, lumen,
Willibrorde sacer pater, hostis quos premit acer,
Auxilio celeri clemens dignare tueri,
Ne manibus subjici contingat nos inimici.

Abbas etiam ad hoc eos exhortabatur, scribens eis quod propter improvisos rumores nimium anxius, multa apud se volveret quid sibi faciendum esset, maxime qui quodam modo divisus esset, & consilium non inveniret, cui inniti posset, præter solum & unicum divinæ miserationis auxilium. *Cui*, inquit, *benefacite intendentes*, juxta verba cujusdam sapientis. Ubi desunt humana, divina sunt imploranda auxilia, sicut Deus ipse promittit: *In tribulatione invocasti me, & exaudivi te.* Ut ergo, inquit, adsit nobis in auxilio opportuno, in missis & orationibus pro redemtione nostra diligenter supplicate Domino. Cumque archiepiscopus insisteret, ut abbas ad curiam non accederet, nec obtineret, omnibus modis eum gravare nitebatur, maxime quia & aliam abbatiam ab eo tenere videbatur. Unde prælati Trevirenses consuluerunt, ut abbas ad curiam accedens, pro jure ecclesiæ suæ laboraret; & si nihil apud imperatorem obtineret, rediens ipsam abbatiam aut dimitteret, aut ab episcopo reciperet.

Henricus comes & advocatus Epternacensis, auctoritatem suam pro monachis interponit.

Interea illustris comes & advocatus HENRICUS Epternacum venit, & benigne abbatem & ecclesiam convenit, sanum consilium ostendit, auxilium & adjutorium magnificum pro jure ecclesiæ laborantibus spopondit. Siquidem & apud eum tunc agebatur, ut accepta ingenti pecunia & conditionum immensa copia, advocatiam imperatori redderet, & ab episcopo eam reciperet. Quod ille reputans sibi & successoribus suis esse inglorium, scripsit domino CONRADO Moguntino archiepiscopo, & aliis amicis suis de curia, ut ab intentione illius concambii averterent imperatoris animum. Misit etiam imperatori honesta munera, scribens ei & rogans pro Epternacensi ecclesia.

Per Conradum Moguntinum antistitem efficitur ut causa retractetur.

Cumque pontifex instaret, & abbatem coarctaret, ut votis suis pareret, aut abbatia careret, regni censura defenderet ut sua jura: ille ad regis curiam hanc retulit injuriam, prius expetito & obtento præfati domini Maguntini & SIGILLONIS protonotarii & MARQUARDI dapiferi magnifico suffragio. Horum consilio imperator quæstionem audiens, & rationem firmam privilegiorum prædecessorum suorum, ut sapiens æque moderans pro tempore quæque, distulit audientiam ad principum sententiam. Et primo quidem non posse infringi quod fecerat reputavit; sed postea ab abbate rogatus, ut saltem judicio principum secum ageret, dilationis præfatæ formam in hæc verba archiepiscopo mandavit.

Epistolæ Henrici IV. ad Pasc. II.

« VENIENTES ad majestatis nostræ præ-
« sentiam fideles nostri abbas Epternaci & quidam fratres ejusdem ecclesiæ, privilegiis antecessorum nostrorum, & plurimis instrumentis, multisque rationibus conati sunt ostendere, quod nos de justitia nec de ratione illam ecclesiam alii ecclesiæ concedere possimus, nec eam ab imperio aliquomodo rescindere debeamus. Super eo discretioni tuæ mandamus, quatenus facti hujus consummationem differas, neque prædictum fidelem nostrum abbatem, sive aliquos de familia prædictæ ecclesiæ, ad faciendum tibi hominium aliquo modo compellas, quousque nos ad partes Rheni revertamur; omnibus interim in eo statu permanentibus, in quo hactenus permanserunt. Scias autem quod in proximo reditu nostro & abbatem & fratres, totamque familiam ejusdem ecclesiæ ad nostram vocabimus præsentiam, & quicquid in facto isto facere poterimus, libenter sicut promissum est prosequemur. »

Gelasius abbatia Epternac. ejic.

Itaque abbas rediens de curia cum imperatoris gratia, præfatas litteras archiepiscopo præsentavit, quibus perlectis, in tantam prorupit iram, quod convitiis plurimis affectum, in contumeliam litterarum & mandati imperatoris, sine sententia de possessione abbatiæ quam ab eo tenebat eum eliminavit. Unde prælati ecclesiæ timentes sibi in simili casu, convenerunt eum, ut abbatem restitueret, & postea secum si vellet, districto jure ageret. Revocatus ergo ad satisfaciendum pro se coram ecclesia stetit, ubi sibi hæc capitula objecit: Quoniam fide data promisisset, quod rediens de curia sine exceptione abbatiam Epternaci vel ab eo reciperet, vel omnino dimitteret. Ad quæ cum abbas responderet, quod valde stultum esset, ut bona ecclesiæ eundo vel redeundo hac conditione expenderet, & hoc omnino negaret: simul compromiserunt illorum veritati adquiescere, qui interfuerunt. Commoniti ergo, veritatem quidem in hoc dixerunt, quod post reditum, ab archiepiscopo recepturum se promisisset vel dimissurum abbatiam; sed de adjectione gratiæ imperatoris omnino tacuerunt. Cum vero abbas insisteret ut modum promissi manifeste dicerent; se non esse interpretes verborum dixerunt: sed tantum nuda verba tenerentur dicere quæ audierunt, & sic circumventum,

a causa

a cauſa eum cadere fecerunt. Cumque ab omnibus inclamaretur, ut de objectis alterum faceret, neque excuſationem ſuam prætendit, neque quod illi a vero declinarent oſtendit: ſed reſpondit quod abbatia quidem cederet; epiſcopo vero quod ab eo non accepiſſet, neque redderet, neque ab eo umquam reciperet. Ita diſceſſum eſt. Hoc Epternacenſes audito, convenerunt, & ſimul compromiſerunt, quod ad omnia extrema ſe prius redigerent, quam ex parte epiſcopi vel de ſe vel de alia eccleſia abbatem eligerent. Ita enim fama diſperſerat, quod abbas omnino abbatiam dimiſiſſet, tantum cauſam ſuam cum excuſatione nec appellatione coram epiſcopo defendiſſet. Sed altius conſiderantibus viſum eſt ſapienter eum feciſſe, quia ſi de oppoſitis innocentiam prætendiſſet, * juram incurriſſet; ſi appellaſſet, non ſine offenſa & damno illarum perſonarum etiam illi eccleſiæ de qua agebatur, magnum laborem & damnum intuliſſet. Quia ergo aliud fuit cedere, aliud dimittere, maluit ad tempus non dimittendo cedere, quam inſiſtendo & ſe & illos & maxime eccleſiam illam amplius lædere.

* *f.* injuriam.

Epternacenſes itaque facta confirmatione, nuntios ad imperatorem direxerunt, qui ex reſponſo abbatis & querimonia omnes ei injurias ab epiſcopo in contumeliam litterarum & mandati imperatoris ſibi illatas expoſuerunt. Hoc autem multum ad rem profuit, quod archiepiſcopus tunc non bene in gratia imperatoris fuit. Nam ſuggerente Hermanno de Numaga, pro verbis quibuſdam ſuperfluis non ſolum imperatoris offenſam incurrerat, ſed & domini Moguntini, & pene omnium aulicorum odium promeruerat.

Theodericus Epternacenſis monachus eruditiſſimus monaſterii ſui cauſam ſuſcipit.

Erat tunc temporis THEODERICUS unus ex eccleſiæ illius diſcipulis, a puero fere uſque ad provectam ætatem clauſtralibus inſtitutus diſciplinis, qui pro eo quod multa audierat & viderat & legerat, ſtatum eccleſiæ & eventum a principio optime noverat, & quod ſæpe variis fortunæ jactata proventibus, numquam a ditione regum & imperatorum alienata fuerat. Is ergo permotus atrocitate tam ſubitæ mutationis, & dolens ſupra quam credi poteſt de ruina tantæ ſuæ dignitatis, & antiquæ inſtitutionis, ſcripſit imperatori ex parte eccleſiæ epiſtolam, ex qua prærogativam a prædeceſſoribus ſuis ſibi collatam cognoſceret: quam ne ipſe immutaret tota eccleſia genibus clementiæ ejus provoluta, ſuppliciter depoſceret. Inſinuavit etiam ei ipſe eccleſiæ procurſum & varium ſtatum per annos principum & abbatum breviter annotatum, & quomodo regnum Lotharingiæ in ducatu Brabantiæ & comitatu Lucſelburgenſe de reditibus ejuſdem eccleſiæ fuerit amplificatum. Cujus epiſtolæ talis eſt modus.

Epiſtola conventus Epternaci ad Henricum VI.

SERENISSIMO domino ſuo HENRICO glorioſiſſimo Romanorum imperatori & ſemper auguſto, conventus humilis Epternacenſis eccleſiæ anguſtiatus uſquequaque & afflictus, cum miniſterialibus & civibus omnibus, æternam in Deo patre ſalutem & gloriam, & lætam de quocumque hoſte victoriam.

Non moveat dignitatem majeſtatis veſtræ, clementiſſime domine, quod diſcretioni ſerenitatis veſtræ ſcribere præſumimus, licet parum vobis cogniti, utpote in arduis Ardennæ finibus ſepoſiti; tamen mente & corpore ſemper vobis devoti & ſubditi, atque ad ſupplicandum Deo pro ſalute culminis veſtri promtiſſima voluntate uſquequaque parati. Scribimus autem excellentiæ veſtræ, neceſſitate cogente, pro eccleſia Epternacenſi, dignitate & honoribus quondam tam affluenter pollente, ut regni Lotharingiæ vires ejus prædiis & poſſeſſionibus non parva ex parte ſint augmentatæ, & dignitates, ducatus ſcilicet Brabantinus, comitatus de *Gelre*, & comitatus Lucelburgenſis, ad ſcutum regalis exercitus complendum, de bonis ejus ſint ſagaciter ordinatæ; præter illa quæ comes Flandriæ & comes Hollandiæ de manu imperii habent, in maritimis ſcilicet locis Walachria, in Schalda, & in utraque Bivilandia & in Brinſila. Harum vero omnium dignitatum bona, quamvis de manu veſtræ benignitatis ſuſcipiantur, tamen perpendere debet clementia veſtræ ſerenitatis, quod in archivis noſtræ eccleſiæ adhuc privilegia eorum ſumma diligentia conſervantur. Qui & quales fuerint nobiles, duces, comites, & ceteri Francorum principes, qui hæc ſancto Willibrordo contulerunt, & quomodo poſtmodum propter incurſionem Normannorum ab ARNOLDO imperatore, ad ſupplendum, ſicut diximus, ſcutum regium delegata, in præfatos dignitates conceſſerunt. Ut enim taceamus de *Atwerpo caſtello & ceteris oppidorum vel vicorum nominibus, quæ vel dux Brabantiæ, vel comes de *Gelre*, & ceteri habent de manu veſtræ majeſtatis in Texandria, in Bedele, in Berſua; illud ſummatim veſtræ celſitudini ſignificare dignum duximus de Lutzemburgenſi comitatu, qui ſint & quam nobiles, utpote ſalicæ conditionis & libertatis *, ex inquam parte homines, qui hominium debent ad eumdem comitatum de beneficiis * debentibus & hereditario jure de regno attingentibus, de præfatis bonis S. Willibrordi, quæ ipſe ſanctus firma & rata teſtamentorum confirmatione delegaverat eccleſiæ ſuæ Epternacenſi.

* *Anvers.*

* *f.* ea.

* *f.* dependentibus.

Sed prius operæ pretium videtur veſtræ pandere clementiæ, quod eumdem locum

De fundatione monaſterii Epternacenſis.

» Epternacum ab Irmina filia Dagoberti regis A vangerum eis præficiens, ut in suo & suc- «
» inclyti, & Pippino seniore sibi concessum, cessorum suorum mundiburdio, sicut fuerat, «
» præfatus sanctissimus quondam Willibror- semper idem locus maneret, imperialibus «
» dus archiepiscopus cognomento Clemens, hunc præceptis & testamentis munire cura- «
» de transmarinis partibus prædicationis gra- vit. Fecerunt & hoc clementissimi succesſo- «
» tia veniens, temporibus Justiniani imperá- res sui Otto filius ejus, & Otto tertius ne- «
» toris & Sergii papæ, ejusdemque Pippini pos ejus. Ab illo ergo abbate Ravangero «
» Francorum principis, monachorum habita- & cum illo est iste decimus abbas Gode- «
» tioni aptum prævidens, ædificavit, & collo- fridus, quem nunc habemus. Summam «
» catis ibi, quas a Roma detulit, sanctorum enim nostrorum abbatum ita colligimus. A «
» reliquiis, monasterium in honore SS. Trini- transitu beati Willibrordi & ab anno Do- « Abbatum
» tatis, & apostolorum Petri & Pauli dedica- minicæ Incarn. dcclxxix. sub vii. abbatibus, « ries.
» vit, & monachus ipse & episcopus, mona- Alberto scilicet, qui xxxvii. ann. post S. Wil- «
» chos aggregavit. Prævidens vero in spiritu, librordum præfuit; Bernerado Senonensi «
» & veritus hinc ex vicinia Trevirensis episco- B episcopo, qui xxii. annis: Adone, qui xx. «
» patus varias incommoditates & assidua hos- Sigoaldo Spolcano episcopo, qui viii. «
» pitia, & servitia præsulum, illinc autem ex suo Theotgaudo, qui v. Hettino episcopo, qui «
» episcopio Trajectensi, quod prius instituerat, sex; Jeronimo abbate, qui x. annis præ- «
» ob longum terrarum interstitium, grave præ- fuit, per cix. annos in nostro loco conver- «
» donum periculum, & rarum, vel potius sati sunt monachi. Post quos, ab anno Do- «
» nullum auxilii impendium; neque vicinæ minicæ Incarnat. dcccxlix. sub xi. abbatibus, «
» Treverensi, neque longinquæ suæ sedi Tra- Adalardo scilicet comite, qui xiii. Rober- «
» jectensi voluit in rebus esse materialibus sub- to comite, qui iii. Rabodo episcopo, qui «
» ditum; sed rata concessione ac firma testa- iii. Reinero comite, qui xix. Beringaudo «
» menti conscriptione, tradidit in jus & mun- præposito, qui xx. Giselberto duce, qui «
» diburdium regum & imperatorum in ordine xxiv. Herino & Godino præpositis, sub du- «
» sibi legali succedentium. cibus Hermanno & Sifrido præfato, xxv. «
» Ibi anno Dominicæ Incarnationis dccxxix. C præfuerunt; hunc eumdem locum canonici «
» indict. vii. anno vero ordinationis ejus 46. per cxxv. annos obtinuerunt, ac demum «
» ætatis 81. vii. idus Novembris plenus virtu- agente eodem Sifrido duce, anno Incarna- «
» tibus & insignis miraculis ipse beatissimus tionis Domini dcccclxxiv. ab Ottone primo «
» pater & pontifex præsentem vitam finivit, monachi cum abbate Ravangero inducti «
» & ibidem in oratorio suo sepultus, quantum sub x. abbatibus, usque ad hunc decimum «
» nunc apud Deum meritis valeat, miraculis annum Godefridi abbatis, qui est annus In- «
» quotidie ostendit. carnationis Domini mcxci. per annos ccxviii. «
» Post cujus decessum multo tempore sub licet variis fortunæ eventibus agitati, locum «
» monachico ordine & regulari vita cum ele- Epternacensem incoluerunt. Quos annos ita «
» ctione illustrium abbatum locus ipse per- colligimus. Ravangerus xxxiii. annis præ- «
» mansit, donec facta post cruentam congres- fuit, Urolbus xxi. Humbertus xxiv. Regin- «
» sionem apud Fontaniacum inter fratres re- bertus xxx. Theofridus xxviii. Gerardus xl. «
» ges filios Ludovici Pii regni Francorum di- Godefridus xxxiii. & semis, Gerardus xviii. «
» visione, eadem abbatia regalis Karlomanno D Ludovicus viii. Godefridus vero hic noster «
» filio Karoli regis Franciæ, quam pater pro- jam x. qui est a transitu S. Willibrordi cccclii. «
» pter tyrannidem quam exercebat, cum cle- Sed nec ab re videtur hoc loco annos «
In eo clerici monachis substituti. » ricus & diaconus esset excœcaverat, a Lu- principum regum & imperatorum a Pippino «
» dovico patruo suo rege Lotharingiæ, ad sub- seniore, qui suscepit S. Willibrordum, usque «
» sidium vitæ suæ est concessa. Qui licet ante ad vestræ sublimitatis tempora extendere; «
» eum plusquam xx. annis, ejectis monachis ut & vos sciatis, a quantis & a qualibus tam «
» inducti fuissent clerici, monachos quosdam alti sanguinis venam trahatis, & nos cogno- «
» adhuc superstites fugavit, congregationem scentes, qui & quales fundatores & propa- «
» destruxit, monasterii possessiones satellitibus gatores nostræ ecclesiæ fuerint, propensio- «
» suis divisit, & pro monachis, seculares cle- rem memoriam apud Deum in orationibus «
» ricos inducens, quæ sancta & justa erant E nostris studeamus eis impendere. «
» mutavit & dissipavit. Sicque ille sacratissimus Pippinus itaque senior filius Beggæ soro- « Series ge-
» quondam locus per multa tempora, a prima ris S. Gertrudis, ex Ansgiso filio S. Ar- « nerationum.
» institutione sua est dilapsus, donec postmo- nulphi, cujus cartam donationis & immu- «
» dum anno Incarnat. dcccclxxiv. imperator nitatis habemus, primo dux Austrasiorum, & «
» Otto primus apud Magdeburch, suggeren- postea major-domus regni Francorum fuit «
Clericis mo- » te Sifrido duce & comite, deficientibus cle- xxv. annis. Præfuit in eadem dignitate Car- «
nachi. » ricis, monachos restituit; abbatemque Ra- lomannus (a) filius ejus post monachus v. « [a]

[a] Carolomannus, non Pippini sed Caroli Martelli filius extitit, frater Pippini qui postea rex Francorum fuit; quare hic vitio scriptoris aliquid de Carolo Martello filio Pippini & patre Caroli magni omissum existimamus, sed & vacillat auctor hujus epistolæ in serie sequentium imperatorum, quorum aliquos omittit scilicet Ludovicum Lotharii filium & Carolum Calvum; quin & imperii singulorum annos referens a vero etiam aberrat aliquando.

» annis. PIPPINUS vero frater ejus alter filius
» Martelli consilio Zachariæ papæ inunctus a
» S. Bonifacio in regem Francorum, prius
» missio HILDERICO rege in monasterium, re-
» gnavit XIX. annis. Hunc S. Willibrordus ba-
» ptisavit, & multa de ejus & successorum suo-
» rum sublimitate prophetavit, quod post-
» modum rerum eventus probavit. Hujus fi-
» lius CARLOMANNUS regnavit tribus annis, CA-
» ROLUS MAGNUS rex fratet ejus imperator au-
» gustus XLVII. cujus filius LUDOVICUS PIUS
» XXVII. annis imperavit. LOTHARIUS filius ejus
» major, a quo Lothâringiæ regnum dicitur
» apud Fontaniacum pugnavit cum fratribus
» suis LUDOVICO & CAROLO; & deinde facta
» regni divisione, ipse cum aliis regnis impe-
» rium Romanum obtinuit, XVIII. annis impe-
» ravit, & factus monachus Prumiæ, sæculum
» mutavit. Ejus filius LOTHARIUS excommuni-
» catus XV. annis regnavit. Post quem LUDO-
» VICUS patruus annis VI. cujus filius LUDOVI-
» CUS annis VI. Ejus etiam frater CAROLUS
» imperator annis VI. Quo ejecto ARNOLDUS
» imperavit annis XI. qui sicut diximus pro-
» pter incursionem Normannorum, de bonis
» sancti Willibrordi auxit comitatum Lutzel-
» burgensem ad supplendum scutum regalis
» exercitus. In inferioribus etiam & in mari-
» timis locis de ejusdem sancti bonis magni-
» fice cum augmentavit. Hujus filius non le-
» gitimus ZUENDIBOLDUS, regno Lotharingiæ
» cum VI. annis præfuisset, a comitibus GE-
» RARDO & MATFRIDO occisus fuit. Post LU-
» DOWICUS filius Arnoldi legitimus, regnavit
» annis XII. cuique successit CONRADUS rex
» Germaniæ annis VIII. Deinde translatum
» est regnum ad HENRICUM humilem de *Qui-*
» *delenburch* filium OTTONIS ducis Saxoniæ,
» quod XV. annis rexit strenue. Hujus filius
» OTTO primus imperavit XLI. annis, & de san-
» cta ADELINDA augusta genuit secundum OT-
» TONEM; qui imperans XI. annis, genuit de
» THEOPHANIA, filia Constantini imperatoris
» Constantinopolitani, OTTONEM III. qui post
» XIX. annum imperii sui decessit sine liberis.
» Cui succedens HENRICUS, filius HENRICI du-
» cis Bavariæ, filii HENRICI ducis Saxoniæ, fra-
» tris primi OTTONIS imperatoris, regnavit
» XXIV. annis & decessit sine liberis. Tunc
» unus de primoribus de genere illo excellen-
» tissimo Ottonum CONRADUS de Wenelinga,
» elevatus in regem, XV. annis præfuit, & ex
» GISLA de *Lympurch*, quæ de nobilissima re-
» gum Francorum & Burgundiæ prosapia pro-
» cesserat, HENRICUM imperatorem, Claudum
» cognominatum, genuit; qui cum post eum
» XVIII. annis imperaret, de AGNETE impera-
» trice HENRICUM IV. progenuit, qui LIII. annis
» imperans, HENRICUM V. edidit, qui XIX. an-
» nis imperavit. Inde iterum translatum est
» regnum ad LOTHARIUM ducem Saxoniæ, qui
» ROGERUM de Sicilia fugavit de finibus Apu-
» liæ, & cum XIV. annis strenue imperasset

A & obiisset, CONRADUS filius sororis Henrici
v. imperatoris, regnum XIV. annis obtinuit.
Post quem FREDERICUS, FREDERICI ducis Suc-
viæ, fratris præfati Cuonradi filius, pater
vester, Romanum imperium strenue & glo-
riose gubernavit annis XL. uno minus. Cui
vos, domine, Deo auctore, heres dignissi-
mus, successistis, & imperii fasces jam XXV.
annis in justitia & judicio digne & laudabi-
liter regitis, & recte. De talium enim &
tantorum parentum propagine, quia nascen-
do in hunc mundum venistis, radicis pul-
chritudinem, quasi in virgulto, retinetis;
B dum tantos patres moribus & vita incessan-
ter repræsentatis, & ut divinum quiddam
interseratis, per sapientiam Salomonis &
per fortitudinem David regis, scitis parcere
subjectis & debellare superbos. Testatur hoc
Bohemia, Saxonia, Burgundia, Anglia, omni-
sque Italia, & Apulia, & omnes in cir-
cuitu nationes, quas vel consilio sapienter
subjecistis, vel justitia armis fortiter perdo-
muistis, per eum qui est Rex Regum, qui
dicit: *Meum est consilium & æquitas, mea pru-*
dentia, mea est fortitudo; per me reges regnant,
C *& conditores legum justa decernunt.*

Per hanc ergo auribus vestræ clementiæ
miserandam calamitatem nostram, ô glorio-
se imperator, latius explanare curamus;
quia per hunc ipsum, qui dedit vobis judi-
care populum suum in justitia, & pauperes
suos in judicio, majestatem vestram ad mi-
sericordiam & justitiam ecclesiæ nostræ fa-
ciendam, inflectere indubitanter speramus.
Idcirco etiam majores vestros ante oculos
reduximus vestræ serenitatis, ut cognoscatis,
quod ipsi singuli, immo fere omnes, quos
enumeramus, validissimis legibus & privilegiis
D suis confirmaverunt præfatæ ecclesiæ jura in-
commutabilis libertatis, quam nunc ambi-
tiosi homines callidis factionibus nituntur
abripere, & serenitatem vestram prætextu
concambii seducentes, ampliora & digniora
de manibus vestris ad suos usus, re autem
vera ad detrimentum regni, & ad damnum
nostrum, conantur eripere: ita ut ecclesia,
quæ omnium antecessorum vestrorum re-
gum vel imperatorum clementia & liberali-
tate libera esse cognoscebatur, nunc ancilla
servorum suorum fieri cogatur. Quod vero
ampliora & digniora illo concambio non
E solum de ecclesia & civitate nostra, sed &
de comitatu Lutzelburgensi a regno & de
manibus excellentiæ vestræ velit extorquere,
majestatem vestram non debet latere; quia
hoc nos non possumus nec debemus retice-
re: maxime de his, qui inbeneficiati sunt a
conventu de bonis illis, quæ sicut prædixi-
mus, ad regna translata sunt, & quorum
donationes scimus nos adhuc in ecclesia no-
stra habere.

In primis domnus Arnoldus de castro Ru-
pis habet beneficium vexillarii, & Cuono

» frater ejus de *Belpere* habet de præfatis bonis, » Walterus de *Wilz*, & de *Belfurt*, Walterus » nepos ejus de *Meſenburg*, Tid. & Beccelinus » frater ejus de *Viſchebach*, Anſelmus de *Kavelre*, Tider de VII. fontibus, Wezel de » Zolvera, & frater ejus Robertus de Biztinga, Iſenbardus de *Holvels*, caſtrum Theodoniſvilla cum beneficio. Arn. de Rodemachra, quod caſtrum eſt in proprietate eccleſiæ Heicenga, Heſtinga, *Pris*, *Atcelpelth*, » *Haſſele*, Daniel de *Rouvels*, Johannes de » Witra & de *Burſcheth*, God. de *Aſch*, & » Henricus de *Ham* frater ejus & Voſeldinga, » domnus Brunicho de *Malberch*, & domnus » Rudolfus, caſtrum Bettinga, quod tenet » domnus Brinicho. Theofridus de *Schonevels*, » Herbrandus de *Valkenſtein*, quod eſt in fundo eccleſiæ, Walterus & Cuono de *Ruolant*, » Udo de *Aſch*, Wiricus de *Schiudice*, Walterus de *Berge*. Tider de *Manderſcheit*, quod » cum altero vicino eſt in fundo eccleſiæ, » Tider de *Brouche*.

» Summa caſtellorum eſt pluſquam XXX. » abſque *Lutzelburgh*. Ipſi autem caſtellani tenent maxima beneficia de bonis illis, quæ » ſicut prædiximus a regibus quondam & ducibus, comitibus, ceteriſque nobilibus ſancto Willibrordo & eccleſiæ Epternacenſi collata fuerunt, & poſtea, propter incurſionem » Normannorum reprimendam, ab ARNOLDO » imperatore, pro ſupplendo ſcuto regio & » comitatu Luczelburgenſi augendo, regno » delegata fuerunt. Perpendat itaque diſcretio » imperialis majeſtatis quale ſibi conſilium dederunt, qui talem dignitatem a regno & a » tam nobilibus heredibus ſequeſtrare voluerunt. Hæc vero prædicta, ſunt tamen de Epternacenſi eccleſia.

» Ceterum alia multa majora ſunt ad comitatum pertinentia, præter hoc quod comes eſt advocatus ſummus in oppido Epternacenſi, & in omnibus villis quæ pertinent » ad proprietatem præbendæ noſtræ, ſive in » epiſcopio Trevirenſi, ſive Metenſi, in quibus habet 777. manſos, de quibus inbeneficiati ſunt plurimi noſtræ terræ nobiles.

» Ecce clementiſſime imperator ſtatum & » procurſum eccleſiæ noſtræ ſerenitati veſtræ » ſignificavimus, & quod a beato Willibrordo » inſtituta, non alias umquam, quam in ditionem commiſſa ſit regiam, propalavimus; » quod regnum in dignitatibus ſuis de ea decoratum & ditatum ſit, enarravimus; quod » majorum veſtrorum inviolabili auctoritate » perpetua libertate donata ſit, explicavimus; » & ſi hoc fuerit immutatum, ſicut jam apud » vos ab archiepiſcopo eſt elaboratum; quantum dedecus, quantus error, quantum detrimentum, non tam nobis, quam & reipublicæ inde proveniat, vobis enarravimus. » Quid igitur hinc ſtatuatis, quid cum principibus regni decernatis, veſtri eſt juris, clementiæ & majeſtatis. Non eſt autem veſtrum, qui judicatis omnem terram, ſi ſalva gratia veſtra dicamus, ut ne quaquam faciatis judicium, & patiamini nos, qui veſtri ſumus, pati injuriam & proſcriptionis præjudicium, ut locus noſter, qui imperio numquam oneri, ſemper autem fuit uſui, a regno evellatur, & ad ſervitium hominum redigatur, qui cum ſua nequeant defendere, conantur dominationem ſuam in aliena extendere. «

Ad quod etiam illud conſiderandum eſt & præcavendum, quod dominus archiepiſcopus in maritimis & remotioribus locis, ubi præbenda noſtra maxime ſtatuta eſt, parum vel omnino nihil poſſet prodeſſe, cum niſi adeſſet & prodeſſet nobis ibi terror nominis veſtri, in nihilum reverteretur ibi noſtrum poſſe vel eſſe. Sed quid de illis loquimur? Ecce juxta nos & inter nos advocati & ſubvocati noſtri, generali ubique hoc malo ſæviente, terras ſanctorum invadunt, depræ-« dantur, vaſtant; pauperes cultores earum cum dolore, fame, nuditate vivere faciunt; precariis, immo prædationibus terræ vel quater in anno, tormentis etiam, uſquequo eos profugos reddant, affligunt; & non invenitur de his judex vel epiſcopus, qui vel ſæculari, vel eccleſiaſtico jure ea diſcutiat, vel qui ſtet ex adverſo, & ſe murum pro domo domini ſe opponat. «

Inter quæ mala dominus archiepiſcopus de curia reverſum abbatem noſtrum conviſiis affectum, in contumeliam litterarum veſtrarum & mandati veſtri, ſine ſententia de abbatia quam ab eo tenebat eliminavit; ſed poſtea conſultu Trevirenſis eccleſiæ revocatum, ad ſatisfaciendum pro ſe coram eccleſia de objectis citavit. Objecit vero ei, quomodo fide data promiſiſſet, quod rediens de curia ſine exceptione abbatiam Epternacenſem vel ab eo reciperet, vel omino dimitteret. Quod cum abbas omnino negaret, ſimul compromiſerunt illorum veritati acquieſcere, qui interfuerunt. Commoniti ergo, cetera quidem veraciter dixerunt, ſed de adjectione gratiæ veſtræ, quam interpoſuerat, omnino tacuerunt. Tunc inſiſtente abbate, ut modum promiſſi manifeſte diceret, ſe non eſſe interpretes verborum dixerunt, nuda tantum verba tenerentur dicere quæ audierunt, & ſic circumventum a cauſa eum cadere fecerunt. Tunc inclamatus ab omnibus ut de objectis alterum face-« ret, nec excuſationem prætendit, nec, quod illi a vero declinarent, oſtendit: ſed dixit, quod abbatia quidem cederet, epiſcopo vero, quod ab eo non accepiſſet, nec redderet, nec ab eo umquam reciperet. Ita diſceſſum eſt. «

His itaque infeſtationibus, ô ſereniſſime imperator, archiepiſcopus abbatem noſtrum fatigare, noſque abſtractos a regno contendit, & feſtinat ſibi ſubjugare, nec præſentiam veſtræ majeſtatis, ſicut ei mandatis,

„ vult expectare. Quapropter, clementiſſime
„ domine, omnes ad pedes majeſtatis veſtræ
„ provoluti, ſupplicamus, pro dignitate pa-
„ rentum veſtrorum, pro eleemoſyna regni,
„ pro majeſtate imperii, ut nobis tantis ærum-
„ nis deformatis, clementem animium habea-
„ tis miſerendi, & reſtituentes nobis abbatem
„ noſtrum, immo veſtrum, præjudiciis homi-
„ num a nobis avulſum, ſibi & nobis detis lo-
„ cum & facultatem, auctoritate & privilegiis
„ majorum veſtrorum, libertatem eccleſiæ no-
„ ſtræ coram principibus defendendi, & nos in
„ vocatione qua vocati ſumus, cum omnium
„ anteceſſorum veſtrorum, tum veſtris bene-
„ ficiis, eodem jure, eadem libertate, qua ha-
„ ctenus uſi ſumus, uti permittatis; ac, ſicut
„ ipſi, ita & vos nobis hoc confirmetis decre-
„ to magnæ veſtræ auctoritatis.

Finit epiſtola conventus ad imperatorem.

Imperator ſententiam mutat.

Dicitur imperator, lecta hac epiſtola, ſta-
tim mutata voluntate, multa ſecum agitaſſe,
utpote qui ſe ſeductum paulatim intelligeret a recto tramite deviaſſe. Interim ſervi Dei in Epternaco jejuniis intenti, & vigiliis adjuti, & aliarum eccleſiarum ſuccurſu flebant, orabant, contrito corde rogabant, ut Dominus inclinaret cor regis & immutaret: ſic autem afflicti pro peccatis pulſabant aures ſummæ pietatis.

Spes pia lapſorum, JESU, bona vita bonorum,
Quos peccata ligant, hoſteſque perinde fatigant,
Wilbrordi meritis diſſolvens vincula litis,
Tu de cunctorum nos eripe clade malorum.

Quibus dominus de alto meritis S. Willi-
brordi aurem ſuæ pietatis inclinavit, & animum imperatoris miro modo ab intentione facti concambii cum epiſcopo revocavit. Audiens enim a nuntiis, quos diximus ad eum directos fuiſſe, abbatem abbatiam propter vim epiſcopi dimiſiſſe, non diu expectavit, ſed protinus litteras has de electione alterius abbatis eccleſiæ deſtinavit.

Litt. de novi abbatis electione litter.

„ HENRICUS Dei gratia Romanorum im-
„ perator & ſemper auguſtus, dilecto ſibi ca-
„ pellano Epternacenſi gratiam ſuam & omne
„ bonum.

„ Hillinus præpoſitus & Thiedericus came-
„ rarius eccleſiæ veſtræ confratres, ad præſen-
„ tiam noſtram accedentes, ex parte veſtra
„ nobis retulerunt, quod GODEFRIDUS, qui ab-
„ batiam Epternacenſem huc uſque tenebat,
„ eam penitus dimiſerit, & ad aliam abbatiam,
„ ſancti Matthiæ videlicet apud Trevirim, quam
„ & ante tenebat, ſe tranſtulit. Quod ſi ita
„ eſt, ne eccleſia eadem paſtore carens, in
„ pejorem ſtatum perſonarum inibi Deo ſer-
vientium tranſire debeat & immutari, au-
ctoritatem damus vobis eligendi perſonam
idoneam in abbatem, ut tandem ab univerſitate veſtra veſtrum conſilio electa, & nobis rite præſentata, regalibus a noſtra majeſtate inveſtiatur, & inveſtita vobis cum ſolemnitate debita adhibita remittatur.

Monachi rogant Cæſarem ut electio differatur.

His litteris Epternaci lectis, omnis eccleſia magno gaudio exultavit, & hymnum Deo magna alacritate jubilavit. Diu vero pertractantes de permiſſa ſibi a Cæſare electione, tandem ſaniori conſilio acquieverunt, ut quia abbas nec imperatori nec eccleſiæ adhuc abbatiam reſignaſſet; quamvis pro ſupra memoratis cedendo quodammodo ſe humiliaſſet, nuntius ad eum velociter mitteretur, qui dilationem electionis ſuggerens, quid ei faciendum eſſet percontaretur, diceretque ſibi, quod in tali rerum articulo omnes ſatius ducerent, ſe adhuc regi velle ſuæ prælationis adminiculo, quam certa pro incertis mutare, & in dubio electionis vel ſolemnitate inveſtituræ alterius abbatis vel parum laborare. Nuntius itaque Treviros reverſus, ille abbatem jampridem cum epiſcopo in gratiam reductum, & cum eo ad curiam proficiſcentem, velocius quam credi poterat conſecutus, injunctum ſibi mandatum ſagaciter aperuit, & ad curiam imperatoris eum proſecutus, non deſeruit. Ibi archiepiſcopus, nec tunc bene exiſtens in gratia imperatoris, conſurgens Epternacenſem abbatiam imperatori reddidit, & pacto de ea inter eos facto, penitus abrenuntiavit. Imperator etiam e contra concambium de *Naſſauw* factum omnino exfeſtucavit. Cumque imperator abbatem redargueret, quare ſuam pro epiſcopo abbatiam dimiſiſſet; reſpondit, quod eam non dimiſſet, ſed propter epiſcopum uſque ad reſponſum gratiæ ſuæ ceſſiſſet pro tempore. Quod imperatori ita cedit ad gratiam, ut abbas ejus gratiæ ſtatim obtinuerit efficaciam. Nam præcepit ei, ut deinceps ſub imperialis majeſtatis ditione abbatiam illam regeret, certus, adjiciens, quod præ multis aliis ſibi cuperet melius. Statim ipſe renovatus abbas, ſcripſit de curia conventui, miniſterialibus & civibus Epternaci hanc de tribulatione lætitiam.

Imperator communionem cum archiepiſcopo Trevirenſi factam irritam facit.

Abbatis ad conventum epiſtola.

„ GAUDETE in Domino ſemper, iterum
„ dico gaudete, modeſtia veſtra nota ſit om-
„ nibus hominibus, Dominus prope eſt. Nihil
„ ſolliciti ſitis, ſed in omni oratione petitio-
„ nes veſtræ innoteſcant apud Deum. Laqueus
„ contritus eſt, & nos liberati ſumus. Domi-
„ nus enim imperator caſtrum *Naſſauw* eccle-
„ ſiæ Trevirenſi reddidit, & donum quod ar-
„ chiepiſcopo de noſtra abbatia contulerat,
„ recepit, nec permittit me abbatia cedere;
„ ſed vult me pro abbate ſuo adhuc habere.

Has litteras Epternacenſes cum ingenti gaudio ſuſceperunt, & diem ſolemnem in condenſis uſque ad cornu altaris agentes,

in honorem S. Willibrordi Domino laudis hostiam immolaverunt. O quanta exultatio, quanta gratulatio ; quod laqueus contritus est, quod gemitus sopitus est dexteræ mutatione Dei & salvatione. Omnes gaudebant, laudesque Deo referebant. Congratulabantur etiam omnes qui hæc audiebant, & ultra quam credi potest admirantes, dicebant : Vere hæc est mutatio dextræ Excelsi. Vere enim dextera Dei virtutem magnam fecit & salutem, cum reddidit consolatos, afflictos & tribulatos, ad merita declaranda Willibrordi veneranda. Non post multos vero dies abbas cum summo honore rediens de curia, cum ingenti totius ecclesiæ & civitatis suæ in occursum ejus effusæ, susceptus est lætitia. Quibus in unum congregatis, præsentavit has litteras imperatoris, continentes formam restitutæ libertatis.

Litteræ imperatoris ad conventum Epternacensem.

„ H. Dei gratia Romanorum imperator & „ semper augustus, dilecto sibi conventui & „ universis fidelibus suis beneficiatis, ministerialibus, & toti familiæ Epternacensis ecclesiæ, gratiam suam & omne bonum.

„ Ea quæ ad profectum & honorem eccle„ siarum pertinent, facilem semper ab impe„ ratoria benignitate debent invenire proces„ sum, ut quæ ad ipsarum spectant utilitatem, „ effectum in omnibus sortiantur, & quæ ipsis „ damnosa existunt, debita retractatione re„ scindantur. Inde est quod ecclesiam Epterna„ censem nullo commutationis titulo ab impe„ rio alienari volentes, omnia quæ in com„ modum ipsius, in facto concambii esse vi„ debantur, infirmare studuimus, & in irri„ tum revocare. Mandamus igitur vobis & „ præcipimus, ut dilecto nostro abbati vestro „ obedientes in omnibus existatis, sciturí, quod „ nos universitatem vestram a pravorum mo„ lestiis hominum, & perturbatione manu te„ nere curabimus & defendere.

Instituitur commemoratio S. Willibrordi.

His ita perlectis, omnes qui aderant Deum benedicentes, iterum in honorem S. Clementis W. laudis hostiam summæ Trinitati immolaverunt, & ut hæc dies qua mutatio hæc facta est, celebris in perpetuum, ob venerationem ipsius sancti & sancti Oswaldi regis, cujus eo die festum est, apud se & posteros suos quotannis peragatur, devote instituerunt : sed nec in his contenta fuit provida filiorum sedulitas. Legatos namque idoneos ad imperatorem miserunt, postulantes, ne simile quid deinceps paterentur, ut eis provideret sua imperialis auctoritas. Quibus annuens imperator, fecit conscribi & sigillo suo insigniri hoc privilegium, ut ecclesia Epternacensis, non a se nec a successoribus suis, ab imperio processu temporis aliquo titulo fieri debeat aliena in perpetuum.

DECLARATORIÆ CONTRA Henricum Treverensem præsulem electum, qui pallio non habito archiepiscopum se in litteris nominavit, & sacris immiscuit.

Ex mſ. cardinalis Ottoboni, qui postea fuit Alexander papa VIII. eruit Mabillonius.

PRIMÆ LITTERÆ PAPALES CONTRA eum electum, & plures aliæ sunt contra eumdem in camera domini nostri papæ.

URBANUS episcopus servus servorum « Dei. Venerabilibus fratribus Warma- « censi & Spirensi episcopis ; ac dilecto filio « abbati monasterii in *Rodenkirchen* Præmon- « stratensis ordinis Moguntinæ diœcesis, salu- « tem, & apostolicam benedictionem. Ad au- « dientiam nostram pervenit quod Henricus « Trevirensis electus, &c. *ut supra pag.* 259. «

Frater HUGO &c. dilecto in Christo re- « Litteræ pœni- « tentiarii domini papæ. ligioso viro priori fratrum Prædicatorum « Treverensium salutem &c. «

Ex parte venerabilis viri Henrici Treve- « rensis electi, fuit nobis humiliter supplica- « tum, quod dubitet pro violatione fidei no- « mine juramenti datæ, seu transgressione, « vel receptione telonei, vel pedagii ; aut pro « eo quod excommunicationis seu suspensio- « nis ligatus sententiis se ingesserit divinis, « excommunicationis seu irregularitatis se vin- « cula incurrisse ; cupiens quod super his ad « cautelam sanctæ sedis apostolicæ providere « curaremus. Re igitur prædictæ cautelæ quid « desit, ut creditis, in hac parte, auctoritate « domini papæ, cujus pœnitentiariæ curam « gerimus.... vestræ committimus.... * post- « quam quod dictæ suspensionis vel excom- « municationis sententiæ, si quæ fuerint latæ « & juridicæ fuerint, relaxare possitis, eum « ab excommunicationis sententia, si quam « incurrerit ex receptione dicti telonei, post- « quam ipsum teloneum resignaverit, juxta « formam ecclesiæ absolventes ; demum ip- « sius confessione diligenter audita, providea- « tis ei super aliis præmissis de quibus confes- « sus vobis fuerit, eidem imponentes pœni- « tentiam salutarem, ac super irregularitate « prædicto modo contracta, eum absolvatis, « prout secundum Deum animæ suæ saluti vi- « deritis expedire. Datum Viterbii XII. Kal. « Jan. pontificatus D. Urbani papæ IV. anno I. «

* *f.* postquam

Reverendo in Christo patri ac domino « Litteræ prioris fr. Prædicat. Treverensis exequentis mandatum domini Hugonis. H. Dei gratia Treverensi electo & in archie- « piscopum consecrato Fr. Daniel prior humi- « lis Fr. Prædicatorum Treverensium oratio- « nes in Domino devotas. «

Litteras & mandatum R. patris D. H. ti- « tuli sanctæ Sabinæ presbyteri cardinalis ge- «

» rentis curam pœnitentiariæ domini papæ re-
» cepimus in hæc verba. F. Hugo miſeratio-
» ne divina tituli S. Sabinæ preſbyter cardinalis,
» dilecto in Chriſto viro religioſo priori fra-
» trum Prædicatorum Treverenſium ſalutem
» in Domino. Ex parte venerabilis viri H.
» Treverenſis electi &c. *ut ſupra.* Hujus aucto-
» ritate mandati, vos juxta formam eccleſiæ
» ad cautelam abſolvimus ab excommunica-
» tione, ſi quam incurreratis ex receptione
» telonei, quod nuper homines veſtri in Con-
» fluentia de conniventia veſtra, ut creditur,
» dicuntur recepiſſe, cum nobis conſtet quod
» vos Confluentinis expreſſe mandaſtis, ne de
» cetero colligerent teloneum ante dictum,
» & vos abſolvimus ad cautelam ab omni ex-
» communicatione, de qua ex virtute ejuſmo-
» di litterarum abſolvere vos valemus: diſ-
» penſantes vobiſcum ad cautelam ſimiliter
» ſuper violatione fidei, nomine juramenti da-
» tæ, ſeu juramenti trangreſſione, ſi fidem vel
» juramentum in aliquo violaſtis. Diſpenſa-
» mus etiam vobiſcum ad cautelam ſuper ir-
» regularitate, ſi quam incurriſtis, ſuſpenſus
» vel excommunicatus ingerendo vos divinis,
» cum ſuper eis & aliis veſtram audiverimus
» confeſſionem & vobis pœnitentiam injun-
» xerimus ſalutarem. Datum anno Domini
» MCCLXII. *in vigilia* Paſchæ.

Litteræ archiepiſcopi Wormacienſis, epiſcopi Spirenſis & abbatis de *Rodinkirken*.

» Sanctiſſimo patri ac domino ſacro ſanctæ
» Romanæ ſedis ſummo pontifici. C. & H. mi-
» ſeratione divina Wormac. & Spirenſ. epiſc. &
» abbas de *Rodinkirken* Præmonſtratenſis or-
» dinis, Maguntinæ diœceſis, cum debita ſub-
» jectione & reverentia devota pedum oſcula
» beatorum.

» Litteras veſtras recepimus in hæc verba
» *ut ſupra in prima littera papali.* Sane de hoc
» quod dicebatur ſe archiepiſcopum nominaſſe,
» ad excuſationem ſuam prætendit, quod non
» ex propoſito, ſed ſecundum conſuetudinem
» Allemanniæ, qua electi in archiepiſcopos
» & epiſcopos conſueverunt, confirmatione
» obtenta, archiepiſcopi & epiſcopi nominari,
» hoc forſan poterat accidiſſe. Nam & in quo-
» dam apoſtolico reſcripto nobis oſtenſo,
» cuit archiepiſcopus nominatus; & cum non
» inveniſſemus eum de novo conſtituiſſe te-
» loneum vel pedagium ſupradictum; & ſi
» juxta conſuetudinem ſui prædeceſſoris, no-
» mine ſuo aliquod receptum fuerat, receptio-
» nem pedagii ſeu thelonei remiſerat, ante-
» quam veſtrum vel noſtrum mandatum ſu-
» per iis ad ipſum perveniſſet; & ſi culpam
» aliquam in recipiendo contraxit, abſolutio-
» nem ſuper hoc & diſpenſationem a reveren-
» do P. D. Hugone veſtræ ſanctæ curiæ ſum-
» mo pœnitentiario obtinuit ad cautelam, ſi-
» cut per litteras fuit nobis oſtenſum. Et cum
» nullus compareret, qui dictum electum in-
» famaret, nec eum inveniſſemus ſuper dictis
» criminibus aliqua reſperſum infamia, dicto-
» rum religioſorum prælatorum, canonicorum
decani chriſtianitatis, & ſacerdotum Trever. « A
ſuper bona fama & converſatione dicti elec- «
ti ex abundanti accepimus juramenta, per «
quæ etiam nobis conſtitit, quod licet dictus «
electus in ſacerdotem ſit promotus, & in ar- «
chiepiſcopum conſecratus, nullam adhuc «
miſſam, quia *pallium* non habuit, celebra- «
vit; nec etiam ipſum invenimus ſuper præ- «
dicta dilapidatione ſuſpectum. Poſtremo con- «
ſiderantes quod ulterius in ipſo negotio quid- «
quam facere non poteramus, ipſum negotio «
tium vobis remittimus, ſicut habuimus in «
mandatis, veſtram ſanctitatem ſuper hoc «
conſulentes. Factum & datum Cellæ, Ma- « B
guntinenſis diœceſis, anno Domini MCCLXII. «
feria tertia poſt Aſcenſionem Domini contri- «
nuata a die præcedenti. «

Poſtmodum mandatum veſtrum ſecunda- «
rio recepimus in hæc verba: «

URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum « Litteræ ſe-
Dei, venerabilibus fratribus Wormacienſi « cundæ papa-
& Spirenſi epiſcopis, & dilecto filio abbati « les.
de *Rodinkirken* Præmonſtratenſis ordinis Ma- «
guntinenſis diœceſis ſalutem & apoſtolicam «
benedictionem. «

Contra H. Treverenſem electum ſuper ſi- «
monia, ſacrilegio, perjurio, homicidio, & «
aliis diverſis criminibus, quibus irretitus eſſe « C
dicitur, de fratrum noſtrorum conſilio vo- «
bis inquiſitionem meminimus commiſiſſe: «
ſed quibuſdam, ut intelleximus, falſo vobis «
ſuggerentibus, quod inquiſitio ipſa præha- «
bito eorumdem fratrum conſilio, non pro- «
ceſſit; voſque prætextu hujuſmodi, ea qua «
decet diligentia non proceditis in eodem. «
Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica «
ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præci- «
piendo mandamus, quatenus in negotio in- «
quiſitionis hujuſmodi ſine difficultate & di- «
latione qualibet procedere ſtudeatis juxta di- «
rectarum ad vos ſuper hoc continentiam lit- «
terarum, ita quod de inobedientia redargui « D
non poſſitis, ſed de promtitudine ac obe- «
dientia merito commendari. Datum Viter- «
bii 11. Kalendas Aprilis, pontificatus noſtri «
anno primo. «

Verum, quia viſo ſecundo veſtræ ſancti- « Concluſio
tatis mandato, quod ad nos poſt feſtum « proceſſus eo-
beati Johannis Baptiſtæ pervenit, proceſſi- « rumdem in-
mus tantum, prout ſuperius eſt expreſſum, « quiſitorum
auctoritate veſtri prioris mandati, cujus tran- « primorum.
ſcriptum habuimus, & apud vos authenti- «
cum, *quod petivimus ab eo, qui nobis oſten-* «
dit, & habere non potuimus, debebat po- «
tius remanſiſſe; nec ulterius procedere po- «
tuimus ex cauſis prælabitis, & ab iſtis ſubſe- « E
quentibus; videlicet, quoniam cum ſecure «
Treverenſem eccleſiam non poſſemus acce- «
dere, nec in inquiſitione nobis auctoritate «
veſtra commiſſa aliis, ſecundum plurium «
opinionem, poſſemus committere vices no- «
ſtras, citationem fecimus ad locum omnibus «
venire volentibus & qui ſua crederent in- «

» tereſſe competentem, videlicet ad eccleſiam
» Cellenſem Moguntinæ diœceſis, cujus præ-
» poſituram tenet major præpoſitus titularis
» qui fovet partem domini H. de Bolandis, ar-
» chidiaconi Trevirenſis, cujus frater germa-
» nus videlicet Philippus de *Walkenſtein* do-
» minum Treverenſem electum conduxit ad
» eamdem ſupradictam eccleſiam & reduxit,
» qui etiam dicto archidiacono fratri ſuo &
» aliis, ſi neceſſe fuiſſet, & petiviſſet ab eo,
» ſi contra electum dictum voluiſſent in ali-
» quo proceſſiſſe, conductum, ut creditur,
» nobis negaſſet, aut ipſum Treverenſem nul-
» latenus conduxiſſet; nec ibi aliquis adverſa-
» rius contra eumdem Treverenſem compa-
» ruit coram nobis: unde cum in hujuſmodi
» negotio aliter quam proceſſimus non fuerit,
» ſicut videbatur pluribus litteratis quorum
» uſi ſumus conſilio, procedendum, ſanctita-
» tis veſtræ gratiæ humiliter ſupplicamus, qua-
» tenus in hac parte nos habere dignemini
» excuſatos, cum in prædicto negotio, ſi ul-
» terius procedendum fuerit, etiam certam
» formam nobis dirigendam decreveritis pro-
» cedendi, ac in omnibus aliis, tamquam de-
» voti obedientiæ filii veſtri, ſumus ſemper
» parati parere monitis & præceptis.

Secundæ litteræ domini Hugonis poſt recidivationē electi ad ſagitia.

» Frater Hugo miſeratione divina tituli S.
» Sabinæ preſbyter cardinalis, viro religioſo
» priori Prædicatorum, &c.

» Venerabilis in Chriſto patris domini H.
» Treverorum electi, petitionis ſeries contine-
» bat, quod idem in flumine Rheni apud op-
» pidum de Confluentia Treverenſis diœce-
» ſis, in quo ipſe juriſdictionem ſpiritualem &
» temporalem obtinet, percepit interdum pe-
» dagium ſeu teloneum, quod bonæ memo-
» riæ Treverorum archiepiſcopus prædeceſſor
» ſuus percipere aliquando conſuevit: verum
» idem electus dubitans ne hujuſmodi peda-
» gium ſeu teloneum fuerit impoſitum ab an-
» tiquo, & ne per ipſius perceptionem incur-
» rerit excommunicationis ſententiam, in im-
» ponentes nova pedagia generaliter promul-
» gatam, poſtulavit ſibi ſuper hoc per ſedem
» apoſtolicam ſalubriter provideri. Nos itaque
» auctoritate domini papæ, cujus pœnitentia-
» riæ curam gerimus, præſentium vobis aucto-
» ritate committimus, quatenus electo injun-
» gentes eidem, ut a perceptione prædicti pe-
» dagii ſeu telonei omnino deſiſtat, ipſum ab
» excommunicatione, ſi quam propter hoc in-
» curreriſ, ad cautelam, juxta formam eccle-
» ſiæ, abſolvatis; & injungentes ſibi ſuper hoc,
» quod animæ ſuæ ſaluti videritis expedire,
» diſpenſetis cum eo ſuper irregularitate, ſi
» quam contraxit hujuſmodi ligatus ſententia
» ſe divinis officiis immiſcendo. Datum Viter-
» bii VI. Kalendas Junii, pontificatus domini
» papæ Urbani IV. anno primo.

Litteræ fratris Martini quibus actorem declarat.

» Univerſis præſentes litteras inſpecturis fra-
» ter Martinus domini papæ pœnitentiarius ſa-
» lutem in Domino ſempiternam.

Univerſitati veſtræ tenore præſentium vo- «
lumus eſſe notum, quod nos auctoritate do- «
mini papæ, & de ipſius ſpeciali mandato fa- «
cto nobis oraculo vivæ vocis, venerabilem «
patrem HENRICUM electum Treverenſem, ab «
omnibus ſententiis, quibus innodatus habe- «
batur, juxta formam eccleſiæ abſolvimus, «
& injuncto ſibi quod ſecundum Deum ex- «
pedire vidimus, ſuper irregularitate, ſi quam «
contraxit, ligatus eiſdem ſententiis ſe divi- «
nis officiis immiſcendo, diſpenſamus miſe- «
ricorditer cum eodem: mandantes ei ſub «
debito præſtiti juramenti, quod mille quin- «
quaginta unam marcas argenti, in quibus «
cameræ domini papæ tenetur, infra octo «
dies poſt hujuſmodi præceptum cum integri- «
tate cameræ ſatisfaciat eidem, alioquin ip- «
ſum excommunicationis ejuſdem ſententiis «
innodamus. Datum apud Urbem veterem «
VI. Kalendas Februarii pontificatus domini «
Urbani papæ IV. anno primo. «

De ſuſpicionē inferitur ſi- quentia.

Idem vero electus iſtis ſecundis litteris do-
mini HUGONIS uſus eſt, ſicut dicit, & per eas
abſolutus, quod probare vult; ſed ſine pro-
batione. Ponatur quod ita ſit, ſicut dicit.
Poſt hæc dominus Urbanus intelligens quod
electus colluſerat cum primis inquiſitoribus,
& inquiſitionis promotoribus, quod ex poſt
facto ſatis apparuit, tam ex tenore primæ re-
miſſionis, qua uſus eſt electus, quam ex ad-
ventu ad curiam cum electo comitis Hir-
ſuti, nepotis archidiaconi de Bolandia, &
conductu fratris ipſius archidiaconi, poſt
eamdem remiſſionem oſtenſo, quem archi-
diaconum, electus Philippus poſt hanc pro-
motionem inquiſitionis etiam capitalem ini-
micum, ſicut ſcitis, propoſuit, coram vobis
ipſam inquiſitionem faciendam fratribus Mi-
noribus Guillelmo & Roricō; primo ſub
pœna ſuſpenſionis, & ſecundo ſub pœna ex-
communicationis, quam ferebat in eos, commi-
ſiſſe: quorum proceſſum vobis remiſſum
occaſione injuriarum hujuſmodi & appella-
tionis cujuſdam allegatæ, de quibus non fuit
aliquatenus facta fides, in irritum revocaſtis,
& inquiſitionem, quam in curia fecerat do-
minus Albanenſis, pronuntiaſtis non tenere,
ut planius negotium poſſetis decidere, & ei-
dem electo, tamquam graviter infamato,
dediſtis articulos ſuper quibus priuſquam
meram & plenam diceret veritatem; falſo
reſpondit, & varie. Propter quod teſtes in
curia recipi mandaviſtis: verum idem ele-
ctus fratres cum quibus nequivit colludere
priuſquam inquirerent contra eum, volens
affligere in conjunctis, contra ſancti Matthiæ
& ſanctæ Mariæ abbates Treverenſes fratres
carnales proceſſit, ſicut per infra ſcriptas lit-
teras apparebit.

De falſitate bullæ S. Matthiæ.

Litteræ quibus falſitas declaratur.

URBANUS epiſcopus ſervus ſervo- «
rum Dei, dilectis filiis abbati monaſterii «
ſancti Martini Glandarienſis, Metenſis dioe- «
ceſis & cantori eccleſiæ Treverenſis ſalu- «

tem

» tem & apoſtolicam benedictionem.

» Inquiſitionem faciendam &c. *ut ſupra pag.* » 273.

De eodem. » URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum » Dei dilectis filiis abbati ſancti Martini Glan- » darienſis Metenſis diœceſis & cantori eccle- » ſiæ Treverenſis, ſalutem & apoſtolicam be- » nedictionem.

» Quam ſit mundus poſitus, &c. *ut ſupra* » *pag.* 280.

Quomodo per prædictas litteras ſit proceſſum.

» NOS Johannes Dei gratia abbas ſancti B » Martini Glandarienſis Metenſis diœceſis, & » Johannes cantor eccleſiæ Treverenſis judi- » ces ſive executores a ſede apoſtolica conſti- » tuti, proceſſum inquiſitionis habitum a do- » mino Henrico electo Treverenſi contra » Theodericum ſancti Eucharii & Robertum » ſanctæ Mariæ ad Martyres abbates Treveren- » ſes ſuper quibuſdam criminibus & ſenten- » tiam excommunicationis, ſi quam tulit in » eoſdem, &c. *ut ſupra pag.* 274.

Qualiter autem reus ſit de facto dictus Philippus, patet ex litteris proxime ſubſequentibus cum aliis argumentis.

Quomodo de facto quæ in ſpecie præmittit in facto D. Philippi. » URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum » Dei ad perpetuam rei memoriam.

» Metenſis eccleſia paſtoris ſolatio deſtituta, » & duabus electionibus, una videlicet de PHI- » LIPPO tunc theſaurario, & alia de quodam » THEOBALDO cantore ipſius eccleſiæ in diſ- » cordia inibi celebratis, idem Philippus ac » Verricus archidiaconus, & Albericus cano- » nicus ejuſdem eccleſiæ, ipſius Philippi ele- » ctores, occaſione hujuſmodi electionum ad » ſedem apoſtolicam appellarunt, ac felicis D » recordationis Alexander papa prædeceſſor » noſter, hujuſmodi ſibi appellationibus præ- » ſentatis, dilectum filium noſtrum O. ſanctæ » Mariæ in via lata diaconum cardinalem » deputavit in hujuſmodi negotio auditorem: » cui tum dictum cantorem & omnes alios, » qui dicti Philippi electioni ſe vellent oppo- » nere, & ſua crederent intereſſe, in audien- » tia publica citari fecit, ut coram eo præfixis » ſibi terminis comparerent. Porro prædicto » negotio taliter ad ſedem ipſam devoluto, & » coram dicto cardinali pendente, Henricus, E » qui ſe gerit pro electo Treverenſi, loci me- » tropolitanus, auctoritate propria, immo te- » meritate potius, Philippum & cantorem præ- » dictos ſuper eodem negotio ad ſuam præ- » ſentiam evocavit: & tandem, licet ſibi de » dictis appellationibus conſtitiſſet, ſicut per » acta coram ipſo habita probatum extitit co- » ram nobis: ipſe tamen eidem ſedi non de- » ferens, dicto cantore ſuo juri cedente, di- » ctam electionem celebratam de præfato PHI- » LIPPO, de facto, cum de jure nequiverit, A confirmavit, & ei fecit munus conſecratic- « nis impendi. Verum dilectus filius Herber- « tus de Vireio, canonicus Metenſis, qui pro « dicto cantore ac ſuis electoribus contra di- « ctum Philippum, prædictum negotium apud « ſedem proſequebatur eamdem, audito quod « præfatus cantor juri ſuo ceſſerat; cauſam, « quam contra dictum Philippum pro eodem « cantore ac ſuis electoribus aſſumſerat, no- « mine ſuo, tamquam canonicus Metenſis, « incœpit coram cardinali proſequi ſupradicto, « petens per varios libellos confirmationem « hujuſmodi, & quicquid per dictum electum « ſuper hoc taliter attentatum fuerat, utpote « poſt appellationes prædictas, & coram dicto « cardinali negotio ipſo pendente, de facto « præſumta caſſari & irritari, immo potius « caſſa & irrita nuntiari. Eodem itaque coram « memorato cardinali legitime ordinato & « examinato negotio, ac omnibus rite pera- « ctis, nos audita ipſius cardinalis relatione fi- « deli, & cum fratribus noſtris negotio ipſo « plene diſcuſſo; quia tam per ea, quæ coram « cardinali eodem, quam per illa quæ acta ſunt « poſtmodum coram nobis, de prædictis ap- « pellationibus conſtitit evidenter; quodque « poſt ipſas appellationes memorato prædе- C « ceſſori præſentatas, & ſuper ipſis auditorem « deputatum ab eo, necnon & diverſas cita- « tiones ab eodem auditore factas; ſicque poſt- « quam ſæpefatum negotium erat ab examine « dicti Treverenſis electi prorſus exemtum, & « apud ſedem ipſam coram eodem auditore « pendebat, idem electus electionem de dicto « Philippo celebratam confirmare præſumſit, « & ipſum fecit temerarie conſecrari: confir- « mationem hujuſmodi, & omnem memorati « Treverenſis electi proceſſum in hac parte ta- « liter attentatum, de prædictorum fratrum « noſtrorum conſilio ſententiando caſſamus, « annullamus, irritamus; immo caſſos, nullos « & irritos nuntiamus; declarantes Philippo me- « morato uti pontificalibus, vel exercere pon- « tificale officium, aut adminiſtrationem præ- « dictæ Metenſis eccleſiæ in ſpiritualibus vel « temporalibus gerere non licere; & ne præ- « dicta exequatur eidem ſententialiter inhibe- « mus. Nulli ergo hominum, &c. Datum apud « Urbem veterem VIII. Kal. Octobris, pontifi- « catus noſtri anno III. «

Interſeritur modicum de facto. ITEM magiſter C. ſanctæ MARIÆ plebanus apud Urbem veterem in præſentia domini Urbani & omnium cardinalium denuntia- vit pro teloneo hoc electum excommunica- tum veluti pro notorio delicto auctoritate quæ ſequitur.

Litteræ apoſtolicæ contra litteras D. Hugonis. URBANUS epiſcopus ſervus ſervorum « Dei, dilecto filio plebano eccleſiæ ſanctæ « Mariæ in Confluentia Treverenſis diœceſis « ſalutem & apoſtolicam benedictionem. «

Ad audientiam noſtram perlato, quod « HENRICUS Treverenſis electus de novo quod- « dam pedagium ſeu teloneum in flumine Rhe- «

» ni constituerat motu propriæ voluntatis, & A
» quod idem electus erat diversis criminibus
» irretitus, venerabilibus fratribus nostris Var-
» maciensi & Spirensi episcopis, & dilecto fi-
» lio abbati monasterii de *Rodeinkirchen* Præ-
» monstratensis ordinis Maguntinensis diœce-
» sis, litteras nostras direximus, inter alia con-
» tinentes; ut cum id quod de institutione ejus-
» modi pedagii seu telonei proponebatur, non
» posset in illis partibus non esse notorium,
» ipsi si hoc de plano eis plene constaret,
» eumdem electum propter hoc excommuni-
» catum, singulis diebus dominicis & festivis
» pulsatis campanis & candelis accensis usque B
» ad satisfactionem condignam publice nun-
» tiarent, & facerent ab omnibus arctius evi-
» tari. Verum episcopi & abbas prædicti, sicut
» intelleximus, in hujusmodi negotio ea qua
» decet diligentia non procedunt. Quia vero
» cordi nobis est, ut in eodem negotio proce-
» datur, & de impositione prædicti pedagii seu
» telonei per facti evidentiam tibi plene con-
» stare poterit: discretioni tuæ per apostolica
» scripta mandamus, quatenus in ejusmodi
» negotio dicti pedagii vel telonei procedas
» per te vel per alium, invocando ad hoc,
» si opus fuerit, auxilium brachii sæcularis,
» juxta directarum ad episcopos & abbatem C
» prædictos continentiam litterarum, inquisi-
» tione facienda contra eumdem electum, su-
» per hujusmodi criminibus eis totaliter reser-
» vata, nonobstante aliqua absolutione, si qua
» est ab eodem electo ab excommunicationis
» sententia, quam pro impositione præfati pe-
» dagii seu telonei incurrit, absque auctoritate
» apostolicæ sedis obtenta. Datum Viterbii
» VIII. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno
» primo.

De facti narratione parum plus.

Sane cum, sicut est certum, articulos quos sibi dederatis negavisset, & in aliquibus variasset dejerando, multos testes, qui de par- D
tibus illis venerant ad curiam, per abbatem sancti Johannis Angeriacensis & magistrum Bernardum de Casteneto recipi mandavistis; ex quorum depositionibus de pluribus criminibus ejusdem electi, sicut creditur, poterat apparere. Sed quia hoc moram habere poterat, & electus, pendente judicio, de captivitate abbatis sancti Matthiæ, prædicti magistri Conrardi, & aliorum detestabilium flagitiis suspectus merito habebatur, ac in civili judicio per suas litteras ac confessionem erat de multis criminibus convictus; dedistis E
ei articulos evidentes, secuti Dominum, qui ait in Luca: *Quod si dixerit servus ille in corde suo: moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere pueros & ancillas*, &c. *veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & dividet eum.*

Ad quosdam autem illorum articulorum juratus respondit sicut inferius sequitur, & alii responsione non indigebant, quia seipsos exhibebant.

Pontificatus Domini Clementis papæ IV. anno secundo nonis Januarii, idem dominus papa, Trevirensi electo in ipsius præsentia constituto, fecit interrogationes subscriptas. Hic sunt confessiones electi ipsius.

Quantum temporis est quod fuit provisum de eo ecclesiæ Trevirensi? Respondit quod sex anni.

Quare cessavit tanto tempore petere pallium? Respondit quod numquam fuit in mora; quod fecit illum peti tempore domini Alexandri, &, vacante ecclesia, a collegio; & tempore domini Urbani ab eodem. A vobis vero non petiit, quia dictum fuit ei quod non daretur sibi inquisitione pendente.

An aliquam missam celebraverit? Respondit quon non, quia non habebat pallium.

Per quos scivit captionem Conradi plebani Confluentiæ? Dixit quod per adversarios suos, & postea per quemdam clericum qui vocatur Thomas; hic est suus clericus.

An ipse teneat castrum Confluentiæ? Respondit quod sic, sed est ibi quidam officialis, qui ipso invito stat in officio.

An teneat castrum in quo est captus abbas sancti Matthiæ cum duobus monachis C
sacerdotibus? Dixit quod illi qui ceperunt abbatem tenent castrum ipso invito.

Quid fecit pro liberatione ipsius abbatis, postquam a nobis monitus fuit, quod eum faceret liberari? Respondit, quod per duos fratres Prædicatores, quos illuc misit, mandavit officiali Trevirensi, Guardiano fratrum Minorum, & priori Prædicatorum Confluentiæ, quod præciperent illis, qui prædictum abbatem captivaverant, sub pœna feudorum, quæ tenebant ab ecclesia Trevirensi, quod eum dimitterent, & si nollent facere, denuntiarent eos excommunicatos in civitate & diœcesi Trevirensi; & denuntiarent eisdem, quod nisi dimitterent, ipse privaret eos dictis feodis.

Requisitus si aliud fecit? Dixit quod plures alios nuntios ad hoc misit.

Quot sunt dies ex quo audivit captionem Conradi prædicti? Dixit quod in septimana post festum Natalis Domini.

Quid fecit pro liberatione ejus? Respondit quod paravit nuntium quem vult illuc mittere pro eo liberando.

An percipiatur teloneum in Confluentia, pro quo fuit aliquando excommunicatus? Dixit quod non, sed conductus recipitur ibi.

An illud vendiderit uno anno 90. marcas argenti? Respondit quod teloneum vendidit unum tantum annum.

An Philippum tunc Metensem electum confirmaverit, & fecerit consecrari? Respondit quod sic.

Hic incipiunt protestationes & excusationes electi.

Cum igitur non restaret nisi definitiva sententia proferenda; electus excusationes

tradidit subsequentes, ex quibus satis liquet, quod sunt illi articuli evidentes qui sunt propositi contra eum.

Anno Domini MCCLXVII. ut impetrata venia, salva reverentia, salvaque dignitate, salva quoque plenitudine potestatis apostolicæ sanctitatis, loquatur dominus Henricus ecclesiæ Treverensis electus: ante omnia protestatur in processu habito contra eum, per quem ad depositionem ejus intenditur, non fuisse illum ordinem judiciarium observatum, qui in talibus secundum sacros canones est servandus. Per modum accusationis contra eum non proceditur, cum a nemine in publico accuseturr; neque denuntiationis, cum a nemine sit delatus. Et si per aliquos forsitan defertur, quod per modum inquisitionis agitur contra eum; attendat vestræ sanctitatis immensitas, quod humani transcendit consilii ac providentiæ longe metas, quod fundamentum, unde & qualiter, & ex quibus talis inquisitio trahit orum: An per canones & veritatem evangelicam talis inquisitio approbetur. Nam inquiritur contra ipsum super aliquibus, de quibus apud canonicos suæ ecclesiæ, vel quoscumque alios bonos viros & graves, numquam extitit diffamatus.

Sunt namque ex iis quæ sibi imponuntur aliqua, quæ si concinerent plenariam veritatem, prout potest ex qualitate horum colligi, in partibus suis non potuit aspergi infamia, vel notari.

Sunt & quædam alia super quibus licet malivoli maledici sui capitales & quasi notorii inimici, non ex zelo justitiæ, sed ex malignitatis fomite ipsum in curia ista per se & per alios nisi fuerunt diffamare; etiam ex quo de facto, quamquam non de jure, ex falsis causis injustis & insufficientibus, contra ipsum inquisitio fuerit inchoata, quod sicut novit scrutator cordium & cognitor secretorum, in nullo deliquerit contra eos, propter quod in ipsum turbari debuerint, vel moveri, propter quod ipsum diffamare debuerint, vel per alium, vel alios facere diffamare. Sed ex hoc forsitan turbati sunt, licet indebite & injuste, quod eorum violentias & excessus corrigere nitebatur: tamen apud bonos, justos & rectos corde, non quærentes quæ sua sunt, sed Christi, super iis non extitit diffamatus. Unde, pater sanctissime, vos novistis ceteris melius, quod super talibus prætextu talis infamiæ nec potest nec debet fieri inquisitio, jure ac justitia prohibente. Quare prædictus electus, protestatione præmissa, quod salvum sit sibi jus super omnibus & singulis supra scriptis, & aliis quibuscumque exceptionibus & defensionibus sibi competentibus & competituris, protestatur & asserit, quod per aliquod juramentum ab eo præstitum vel præstandum, responsionem factam, vel in posterum faciendam, renuntiare juribus, exemptionibus seu defensionibus suis, vel ratificare processum contra ipsum habendum vel habitum non intendit: immo quidquid juravit super his, quidquid respondit vel est in posterum responsurus fecit & facit invitus & coactus ob vestræ sanctitatis præceptum, cujus gratiæ se semper & sua subjicit, cui ullo umquam tempore contradicere non intendit, sperans firmiter & indubitanter confidens, immo est sibi certo certius, quod cum sitis pater misericordiæ, juris & justitiæ conservator, qualitercumque processum fuerit contra eum vel in posterum procedatur, quod ipse gravetur finaliter contra juris injuriam, circumspecta vestræ sanctitatis benignitas nullatenus patietur, quin ipsum de jure, qui jura cunctis redditis, qui justitiam conservatis, in omnibus suis juribus benigne, plenarie & effectualiter audiatis.

Aliæ confessiones electi quas quidam rationes dicunt & rationabiliter eum loqui ubi se accusat: sed irrationabiliter eum excusat.

Salvis igitur protestationibus supradictis, ad præceptum vestrum ad ea quæ sibi imponuntur injuste & indebite sic respondit. Et primo super eo quod sibi de captivitate Theoderici dicti abbatis sancti Matthiæ imponitur, ita dicit, quod dictus Theodericus ipso mandante, sciente, vel ratum habente, non extitit captivatus, immo in absentia, prout scivit & potuit, ut liberaretur dedit operam efficacem, hoc excepto, quod non guerram præcepit ob hanc causam fieri, nec fecit: tamen si de vestra processerit voluntate, paratus est personaliter ad locum accedere, & liberationem ipsius totis viribus diligenter & sollicite procurare, exerendo etiam contra detentores sæculare brachium, si hoc ei duxeritis injungendum. Nec per aliquem cogitetur vel falso suadeatur, quod electus procuret propriam, si hoc contigerit, fieri captionem, ut non procedatur contra ipsum in inquisitionis negotio tempore captionis. Nam paratus est fidem facere juramento, & cavere pro posse ad vestrum beneplacitum & mandatum quod nec fraudem adhibebit in hoc negotio neque dolum: immo in tantum confidit de Christi misericordia, qui sperantes in se minime derelinquit, quod dummodo montes secure transeat, in hac parte reputat se convictum, si ultra montes per aliquem capiatur.

De detentione abbatis S. Matthiæ.

Idem respondet & dicit per omnia de captione Conradi perpetui vicarii ecclesiæ sanctæ Mariæ in Confluentia, qui nuper fuisse dicitur captivatus, hoc excepto quod cum non tantum temporis sit effluxum, adhuc non dedit operam, quia nec potuit, super liberatione ipsius, nisi in hoc quod litteras suas ut liberari debeat destinavit: verumtamen in absentia & præsentia paratus est dicere in utroque legaliter posse suum, & secundum quod ei duxeritis injungendum. Nec inimicis suis & æmulis asserentibus quod nullus in civitate vel diœcesi Treverensi

De detentione Conradi.

mandata vestra audeat exequi apostolica, A sanctitas aures præbeat levitatis, nam paratus est publicare & publicari facere litteras vestras, monita & mandata per civitatem & diœcesim, sicut de vestra processerit voluntate.

De ordinatione Philippi Metensis. Super eo veto quod PHILIPPUM olim Metensem episcopum insufficientem & minus idoneum dicitur confirmasse, breviter sic respondet; quod cum ipse esset tunc temporis variis & diversis negotiis Trevirensis ecclesiæ præpeditus, & prædicti PHILIPPI tunc electi instanter confirmatio peteretur; B quia ipse vacare non poterat, ne confirmatione dilata ecclesia Metensis in temporalibus & spiritualibus detrimentum pateretur, tribus discretis providis & honestis, scilicet præposito sancti Castoris & præposito Dorcensi canonicis ecclesiæ Trevirensis, & officiali Argentino, examinata forma electionis, ut decuit, personæ electæ examinationem faciendam commisit: qui facta examinatione diligenti, ut asserebant, in qua viros jurisperitos alios sibi associare curarunt, concorditer & unanimiter retulerunt, quod eum C sufficientem invenerant & idoneum ad onus prædictæ dignitatis portandum; & quod præsentibus omnibus canonicis, qui tunc erant in ecclesia Trevirensi præsentes, de eorum consilio & assensu, nemine contradicente, in capitulo, ut moris est, confirmavit eumdem. Non credit circa hoc deliquisse: si tamen sanctitati vestræ contrarium videretur, sibi quod justum fuerit injungetis; nam paratus est vobis obtemperare in omnibus & humiliter obedire.

De teloneo. Ad id vero quod sibi imponitur quædam D de teloneo apud Confluentiam recepisse. Respondet, quod dictum teloneum prædecessores sui qui fuerunt pro tempore perceperunt, & quod cum ipse, confirmatione obtenta, ad ecclesiam accessisset, invenerit prædecessores suos fuisse in quasi possessione percipiendi ejusmodi teloneum, aliquibus asserentibus, quod hoc eidem ecclesiæ competebat de jure, tam auctoritate privilegiorum temporalium, quam consuetudinis, cujus principii memoria non existit. Aliis asserentibus in contrarium quod sine peccato non poterat percipi, etsi ab imperatoribus sit concessum. In hoc ergo dubio E de consilio sapientum, specialiter domini Hugonis & aliorum virorum religiosorum & honestorum, quamvis primo anno promotionis suæ incepisset uti quasi possessione prædicta, ipsum tamen postea percipere prætermisit, & quod non percipietur ulterius disposuit & præcepit, & auctoritate litterarum prædicti domini Hugonis, tunc curam vestræ pœnitentiariæ gerentis, ad cautelam extitit absolutus, si ex hoc quod percepit aliquam sententiam incurrisset, sicut per ejusdem domini Hugonis patet litteras, & illorum quibus & commisit, quarum tenor talis est.

Fr. Hugo, &c. *ut sup. p.* 468. Et licet secundas litteras prioris fratrum Prædicatorum non haberet præ manibus, tamen paratus est facere fidem vobis, quod per dictum priorem secundum formam prædictarum litterarum domini Hugonis fuerit absolutus. Verum post prædicta, habito quorumdam jurisperitorum consilio, sibi dictum est per eosdem, quod male faceret, eo quod teloneum percipere omisisset. Nam si id quod de concessione imperiali & consuetudine dictum est, verum erat, sine injuria percipere hoc debebat, & potissime cum jam dicta ecclesia & prædecessores ipsius in quasi possessione percipiendi fuissent, unde eam dimittere non debuit, quousque per sententiam seu sedem apostolicam inhiberetur eidem: quare supplicat vestræ sanctitati quatenus super hoc indemnitati suæ ecclesiæ, prout expedire videritis, dignemini providere.

Præterea dicit & asserit, quod cum quidam inimici sui domino Urbano papæ fere eo tempore quo idem electus primo venit ad curiam apud Urbem veterem tunc temporis residentem, suggesserunt eumdem electum propter dictum teloneum & alias causas fore excommunicationis sententia irretitum; idem dominus papa per fratrem Martinum Pœnitentiarium fecit illum absolvi ab omni vinculo excommunicationis quo tunc teneretur astrictus, antequam civitatem ingrederetur vel se ejusdem domini papæ conspectui præsentaret, & sic munere absolutionis sibi impenso, dictus dominus Urbanus eum ad pedem admisit & pacis osculum tamquam ab omni excommunicationis ligamine absolutum. Quare cum semper postea se pro absoluto gesserit & nunc gerat, sicut ille qui nec se sentit ligatum aliqua sententia, nec super hoc habet conscientiam scrupulosam, & vos dixeritis ei viva voce, non præcipiendo, sed per preces, quas præceptum reputat, ex innata vobis humilitate, qua nihil splendidius apparet in principe, porrigendo, quoniam ad officium vestrum non veniat, nec intret ecclesiam coram vobis, ad serenandam vestram conscientiam & placandam S. V. idem electus supplicat humiliter & devote, quatenus, cum hoc credat, immo pro certo sciat cedere in infamiam & debilitationem jurisdictionis & potestatis ipsius, in confusionem amicorum & devotorum suorum, in ejusdem manifestum præjudicium & evidens detrimentum, in vanam inimicorum gloriam, sublimationem, & exaltationem indebitam omnium æmulorum, si post prædicta non est ad plenum vestræ conscientiæ satisfactum ad eam serenandam, non dicit suam, cum non habeat, nec, ut credit, habere debeat ipsam læsam; sed paterno compatientes affectu ta-

liter dignemini providere, & veſtram ex prædictis conſcientiam informare, ne contingat ipſum pro nihilo diffamari, vel dici ligatum, cum conſtet eumdem de mandato ſpeciali prædicti domini Urbani fuiſſe generaliter ab omni ſententia abſolutum, ſuper quo exhibet litteras dicti fratris, tenorem hujuſmodi continentes: Frater Martinus, &c. *ut ſupra pag.* 471.

Ad illud quod objicitur, quia conductum recepit apud Confluentiam loco telonei, & ſic, mutato in fraudem nomine, idem percipit nunc ut ante; dicit quod aliud eſt conductus, qui vix aliquando valorem XL. marcarum tranſcendit; aliud eſt teloneum, de quo in anno quandoque quingentæ, quandoque octingentæ, quandoque etiam conſueverunt percipi mille marchæ, & utrumque ſimul teloneum ſcilicet & conductum prædeceſſores ſui qui fuerunt pro tempore perceperunt. Ipſe vero electus telonco dimiſſo, conductum quandoque percipit, quia nec de ipſo audierat quæſtionem referri: immo dicentes teloneum de novo impoſitum, aſſerunt ſemper conductum fuiſſe receptum, & quod quin conductus deberet recipi, niſi forſan procuratoribus æmulis (numquam) extitit dubitatum. Tamen quam cito dictus electus audivit quod ſibi falſo maledici imponebant, eum conductum recipere loco & nomine telonei, in fraudem nomine ſic mutato, incontinenti præcepit quod nomine conductus nihil percipereture ulterius, quouſque manifeſtata veritate publice appareret qualiter umquam labia perverſorum doloſe concinnant & obſtruunt veritatem. Et ſi tunc perceptum eſt vel percipitur ex conductu amplius quam deberet, vel etiam quod deberet, contra voluntatem ejus percipitur & mandatum; & ſi ſanctitati veſtræ videbitur expedire, per ipſum nec recipietur nec ulterius repetetur. Nam qui mille marcas annuas dimiſit de conſilio honeſtorum virorum, ſatis eſt veriſimile quod ad mandatum veſtrum libenter velit dimittere quadraginta. Aliqualiter tamen affligitur & compatitur eccleſiæ Treverenſi, quod aliis prælatis teloneum & conductus, qui magis dicuntur novi quam illi quos conſuevit percipere eccleſia Treverenſis, in eodem flumine, ſcilicet Rheno, inferius & ſuperius ſine querela & in pace percipientibus, ſola ſua Treverenſis eccleſia ſic læditur. Nempe inimici & æmuli feſtucam videntes vel videre credentes in oculo eccleſiæ Treverenſis, trabem portantes in proprio non ſentiunt nec attendunt. Quidquid tamen ſit, voluntas veſtra in omnibus impleatur. Si tamen de omnibus mandaretis inquiri æqualiter, qui deberent remanere vel percipi decernentes, facilius hæc portaret eccleſia Treverenſis, ut quæ ſimilem ſentit vitam cum ceteris convicinis, ſimilem ſentiret in legibus diſciplinam.

Ad id vero quod imponitur prædictum electum in quodam inſtrumento fuiſſe confeſſum ſe quoddam mutuum a mercatoribus Senenſibus de ſocietate Bonaventuræ & Franciſci ſexcentas marcas pro ſuis negotiis & eccleſiæ recepiſſe, promiſiſſe & juraſſe ſe certa die ſub certis pœnis & conditionibus ſoluturum, & quia non ſolvit, pœnas & perjurium incurriſſet: reſpondet quod etſi continerent veritatem omnia ſupradicta, cum ex qualitate eorum ſatis colligitur manifeſte, quod ſint inimici & æmuli, procurantes quod de prædictis eidem electo quæſtio moveretur, ſi contra ipſum ſcirent aliqua gravia, non celarent. Dicit inſuper quia iſte modus procedendi contra prælatum novus eſt, nec hactenus uſitatus. Multi enim prælati alii multos conſimiles & difficiles inierunt contractus in curia, de quibus non fit inquiſitio aliqua, nec umquam uſque ad hæc tempora fuit facta; ſed mirum, inimici & æmuli magis diligunt ſalutem animæ prædicti electi, vel videntur diligere quam ſuam propriam vel ſuorum; & licet & qualitate dictorum ſit liquidum & apertum, quod dictus electus ſuper his in ſuis partibus apud bonos & graves eſſe non potuit diffamatus, non tamen iſta recenſuit, ut prædictum articulum dubitaret, ſed ad declarandum potius caritatem illorum, qui talia ſibi procurarunt. Sane cum a mercatoribus jure ordinario in curia veſtra impetatur, ſatis conveniens videtur debere inquiſitionem ceſſare ſuper tali contractu, ſi contineret etiam veritatem. De reata perjurii.

Ex quo tamen vobis placet quod & ſuper hoc articulo reſpondeat, ita dicit: Quod contractus ille contentus in inſtrumento illo quod producitur contra eum, non verus, ſed ſimulatus exiſtit, quia nullus ex mercatoribus ſocietatis prædictæ, vel aliquis alius pro eiſdem ſibi de prædictis ſexcentis marcis nuſquam ullo tempore adnumeraverint; nec illo tempore, quo dictus contractus mutui dicitur celebratus, actum fuit inter electum & mercatores prædictos, ut mercatores ei in veritate illam pecuniam numeraſſent, vel in poſterum numerarent; immo expreſſe inter eos contrarium agebatur; ſcilicet, quod quamvis eidem electo non numeraſſent, nec intenderent numerare, idem electus, licet ab eiſdem mercatoribus vel recepiſſet vel recipere ſperaret ex cauſa mutui, nihilominus eiſdem mercatoribus certo loco & certo termino prædictas ſexcentas marcas ſolvere teneretur, non ab eiſdem mercatoribus retinendas, nec ſuas in perpetuum faciendas, immo alii perſonæ per manus dictorum mercatorum tradendas, cui prædictus electus ſe obligaverat, & ſe eodem modo dictis mercatoribus obligabat, ad utilitatem ejuſdem perſonæ; non in veritate ex cauſa mutui, quicquid videatur in verbo-

rum ſuperficie contineri, ſed ex cauſa donationis; non, ſicut ſcriptum eſt, pure, ſed ſub certa conditione facta quæ quomodo poſtea non extitit, nec exiſtit.

Et eſto ſine præjudicio quod contractus illius mutui eſſet verus, & electus ſpe futuræ mutationis ſe, ſicut ſæpe conſuevit fieri, obligaſſet; tamen ſibi per mercatores vel alios pro eiſdem nihil fuit de dicta pecunia numeratum.

Et ſi forſan diceretur quod talis exceptio apponi nequeat a modo mercatoribus; ſaltem inquiſitionis promotori obſici poterit ſeu opponi, vel etiam, ſalva reverentia & venia implorata, ipſi inquiſitori. Nimirum licitum eſt electo ſe innocentem & immunem oſtendere a peccato, dicens: Domine non peccavi, non dejeravi, ſi non ſolvi quod in veritate non habui nec recepi: in quo ſecundum Deum & veritatem obligatus non fui, licet ex eo quod ſperabam me recepturum, & ſub illa ſpe me verbaliter obligaſſem. Et quamvis credat electus contra prædicta ſatis eſſe veſtram conſcientiam informatam, ita quod ſine ſcrupulo conſcientiæ poteſtis & debetis, ut ſibi videtur, hunc articulum pertranſire; ſupplicat tamen quatenus ſuper his, ſi placuerit, confratribus veſtris ſecreto & ſingulatim ad partem & in communi, & etiam cum ipſis mercatoribus conferatis: nam, ipſis auditis, ſperat electus quod ſanctitati veſtræ erit planiſſime ſatisfactum. Oportet etiam fieri plenam fidem de prædictis per teſtes omni exceptione majores; & ſi forte aliqua de prædictis nimis poſita generaliter videantur, paratus eſt ſufficienter ſpecificare & declarare, quando iſtud ei duxeritis injungendum.

Et ſicut patet ex prædictis, quod ex cauſa mutui in inſtrumento contenti, non fuit, nec eſt mercatoribus obligatus; & ſic juramentum, vel aliæ conditiones, ſeu pœnæ eumdem per conſequens non aſtringunt, quia peremto principali, omnia alia tamquam acceſſoria enervantur.

Ea vero quæ in dicta reſponſione continentur, vel tantum ex illis, quod quoad abſolutionem dicti electi faciendam ſufficere debeat, quatenus factum eſt, de pecunia ſeu marcis non fuiſſe numeratum, & ad hæc pertinentibus probari poſſunt, ſicut credit dictus electus firmiter, per dominum Portuenſem epiſcopum, & fratrem Johannem monachum de ordine Ciſtercienſi, tunc camerarium ſuum, & mercatores Renerum, Bonaventuram, Franciſcum, & alios eorum ſocios, & Anchierium tabellionem; & quod dicta pecunia, ſi ſolveretur, debebat reddi domino Portuenſi, cui ex cauſa puræ donationis promiſſa fuerat, & non debebat remanere penes mercatores; & etiam reverendi patres dominus Octavianus & dominus Jordanus camerarius veſter, magiſter Johannes quondam auditor cameræ, datus auditor a felicis recordationis domino URBANO, domino Portuenſi epiſcopo, &c. ſupradictis, Robertus Barro, ſuper his aliqua audierant.

Hæc ſunt nomina teſtium per quos dictus electus intendit probare conditionem de qua mentio fit in actis, & pecuniam non fuiſſe numeratam contentam in inſtrumento, maxime infra terminum etiam in inſtrumento contentum.

Dominus Portuenſis, frater Johannes monachus Ciſtercienſis ordinis, tunc camerarius ſuus, Lodowicus ſcholaſticus S. Salvatoris Metenſis, magiſter Henricus de *Achenheim* canonicus S. Thomæ Argentinenſis, Andræas filius Gerardi militis de *Berge* Metenſis dioceſis, Renerus & Franciſcus, & alii ſocii eorum, cives & mercatores Senenſes, & Ancherius tabellio.

Item alios intendit producere, quorum nomina ſcire poteritis per teſtes prædictos & clericos ſuos qui tunc temporis in curia fuerunt.

Item petit ut interrogentur reverendi patres domini cardinales, dominus Octavianus & dominus Jordanus quid ſuper hoc audierint. Proteſtatur etiam de aliis defenſionibus.

Quantum autem ad probandum conditionem prædictam, & ad ipſam pertinentia, nominat camerarium prædictum dominum Portuenſem, Lodowicum ſcholaſticum ſancti Salvatoris Metenſis, magiſtrum Henricum canonicum S. Thomæ Argentinenſis, & Andream filium domini Gerardi de *Berge*, & alios quos iſti, vel aliquis iſtorum nominaſſint, de quibus ad præſens recordari non poteſt electus ſupradictus: ſed proteſtatur etiam de aliis exceptionibus & defenſionibus.

Ad id vero quod eidem imponitur, quod in præſentia veſtra apud Urbem-veterem præſumpſerit conſecrationi cujuſdam eccleſiæ intereſſe, reſpondet, quod non ex ſe, quod ſine dubio verum eſt, ſed ex parte felicis recordationis domini papæ fuit ad hoc per ſuos nuntios invitatus, & de aliis prælatis, qui interfuerunt tunc temporis, credit idem; nec credidit in hoc, ex quo ex parte ſua * invitabatur, peccare, maxime quia iſtud non tamquam archiepiſcopus, ſed tamquam epiſcopus faciebat. Et niſi audiret a vobis aliud, ita credit, quia quicumque eſt electus in archiepiſcopum, & confirmatus & conſecratus, poteſt in aliena provincia, ſi ad hoc fuerit invitatus, dedicare baſilicas, celebrare ordines, chriſma conficere, & omnia quæ ſunt epiſcopalis ordinis, quamvis etiam pallium non receperit, exercere. Quid igitur, ſi ad hoc per ſummum pontificem inviteretur, de cujus potentia non eſt dubitandum? Petit tamen veniam, ſi videatur vobis quod in hoc peccaverit, & para-

Quod dedicationi eccleſiæ intereſſe.

* fama ſuaſ-tificis.

tus est vestris ex hinc obtemperare mandatis.

De pallio non petito. Ad ultimum, quod sibi falso objicitur; quod pallium non petiit sibi dari, per interemtionem respondet, dicens: Quod ipsum petiit pluries & instanter, & tandem dictum fuit sibi per aliquos cardinales, quod frustra circa hoc laborabat, quia quamdiu pendebat inquisitio contra ipsum, pallium nullatenus obtineret.

Omnia & singula supradicta, quæ ad objecta respondet, asserit esse vera; & si in aliquo de prædictis forsitan dubitaveritis, offert quia paratus est, quantum ad ea quæ factum tangunt, vobis facere plenam fidem.

Supplicat igitur præfatus electus, vester fidelis, humilis & devotus, quatenus sibi & ecclesiæ suæ, quæ occasione inquisitionis factæ contra ipsum diu languit, ac quasi viduata permansit, quæ in temporalibus & spiritualibus multa damna & pericula fuit passa, & quotidie patitur & incurrit, paterno compatientes affectu, vestræ placeat sanctitati huic inquisitioni finem imponere, & talibus ac tantis periculis obviare.

Supplicat etiam ecclesia Treverensis & petit instanter, ut prædictum electum suum pallii munere dignemini decorare, & ipsum palliatum ad ipsam desolatam remittere expeditum. Quæ autem sit illa ecclesia, quæ ipsius electi expeditionem felicem desiderat & affectat? Respondetur, quod clerus & populus universus, sicut patet per litteras quæ sanctitati vestræ hic præsentialiter offeruntur.

De confirmatione Philippi Metensis episcopi. Circa articulum confirmationis domini Philippi electi Metensis episcopi, hoc addit Treverensis electus, quod etiam ambo fuerint canonici in Metensi ecclesia, non tamen steterunt simul, immo pro majori parte dictus Philippus fuit in studio, & dictus electus in curia; & quando erant Metis, raro videbant se; & quando videbant se ad invicem, non litteraliter, sed vulgariter loquebantur: sed nec tunc attendebat electus ad litteraturam ipsius Philippi, quia nec de hoc multum curabat: nec est consuetum, quod ad experientiam scientiæ alterius habendam quis se reddat multum sollicitum & attentum, cum nec sibi illius examinatio sit commissa: sed ipsum videat in ecclesia bene legere & cantare; sed etiam quando fuit confirmatus dictus Philippus, sciebat ipsum esse capellanum domini papæ, unde & supponebat quod competentis esset litteraturæ. Et etiam audivit ab aliquibus, quod non erat examinandus, quia ex quo quis per dominum papam in capellanum recipitur, approbatus & idoneus reputatur, nec indiget examinatione. Ipse tamen nihilominus commisit examinationem personis discretis, idoneis & honestis, sicut in cedula, quam dominationi vestræ fecit porrigi, continetur; de quibus nihil siniſtri, nil fraudis sive malitiæ, vel negligentiæ sive ignorantiæ poterat suspicari. Nec hoc fecit dictus electus in fraudem, immo ad exonerationem sui & onus ipsius Philippi examinandi, quia illi, quibus hoc commisit, & illi, quos secum assumserunt, tanta pollent scientia, quod ipse tunc electus credebat, quod melius examinaretur per eos & rectius, quam si ipse in propria persona examinaret eumdem.

Scit etiam & vidit multos confirmari in Alemannia & in aliis multis partibus, qui forsan non ita sufficientes reputantur, sicut idem Philippus: etiam credit quod & hoc sciat vestra dominatio, & etiam domini cardinales; & per hoc apparet, quod circa hæc etiam potest dici, quia defectus si quis esset notorius, non foret sibi imputandus; & quia, quantum ad confirmationem prædictam, nec malitiosus, nec negligens reperitur. Ideo etiam & proponit idem electus, quod si de his, quæ consistunt in facto, & in hac vel alia cedula, quam sanctitati vestræ fecit præsentari, continentur, sunt aliqua, de quibus dubitatis in aliquo; ex quo determinari sibi feceritis, quid sit illud, paratus est ei, & offert se esse paratum de omnibus & singulis, quæ in facto consistunt, per legitimas probationes fidem facere infra dilationem congruam, sibi super hoc assignandam.

De teloneo. Protestatur dictus electus Treverensis, quod ipse non credit, nec scit se aliqua excommunicationis sententia fore ligatum; & specialiter protestatur, quod non credit se aliquam excommunicationem incurrisse occasione telonei de Confluentia, cum ipse nullum teloneum de novo imposuerit, & sit notorium quod prædecessor suus hujusmodi teloneum percipere consuevit in loco prædicto, & in hac possessione, vel quasi, percipiendi hujus telonei invenerit ecclesiam Treverensem: ex abundanti tamen, & ad majorem cautelam hujusmodi litteras exhibet, & protestatur quod adhuc habet alias litteras in Allemannia super absolutione hujusmodi, quas infra dilationem competentem paratus est exhibere.

Rationes & responsiones contra electum Treverensem. Pereas ex ore proprio convincitur in suis excusationibus.

Timui ego quod nudus essem, & abscondi me... Gen. 3. 10.

Et post pauca, Adam, maligna ejus excusatione repulsa, a Deo de paradiso justissime est ejectus, factus miser.

Primo contra timidam protestationem electi Treverensis, cujus scelera pene totus orbis undique ad sedem confluens apostolicam agnovit, in quæstione prima scelus retulit, & deinde contra excusationes suas videatur, & divinæ se conformant.... sententia subsequetur.

Quia de perpetratis in curia diffamatio A can. expectetur abſentium, aut ſuper evidentibus, vel incidentibus, ſeu variationibus in judicio factis, abſque delatore novo minime procedatur; & in alio judicio, etiam civiliter intentato, crimine qualicumque manifeſtato, major judex punire non debeat, nec dubitant qui proponunt, nec inſiſtunt, nec dubitandum eſt quod evangelicus homo recedat ab evangelica vel canonica veritate.

De modo autem procedendi ceſſante non dilatoria, cum, pluries datis articulis poſt ju- B ramentum de plena & mera veritate dicenda, & confeſſiones, & rei evidentiam, & præſumtiones, teſtes & inſtrumenta, & alios proceſſus legitimos, non reſtet niſi ſententia definitiva proferenda ſive depoſitionis, ſive amotionis, aut repulſionis a pallio, quod bene providebit modeſtia judicantis; nec reputabit inimicos qui odio peccata habent; non hominem, qui de inſolentiis non corripuit aliquem canonicum Treverenſem, in quos conſtat cum juriſdictionem aliquam habere, ſuperfluum eſt curare. Sed quia invitus juravit & reſpondit, plane credendum C eſt: tamen judicium redditur in invitum, & timor in quem quis ex propria culpa incidit, non excuſat, & multo minus timor judicis, qui percutiens non intendit lædere, ſed ſanare. Sane quoad excuſationes electi, dicit Auguſtinus, quod homo tegit, Deus detegit, qui non ſinit in terra ſuum ſanguinem operiri, verificatur de occultis: de manifeſtis vero non poteſt abſcondi civitas quæ poſita eſt ſupra montem.

De abbatis S. Matthiæ detentione.

Ecce enim quod de abbate ſancti Matthiæ dicit electus, & occultare ſacrilegium ſuum putat, per hoc quod ait; quod paratus eſt ad liberandum ipſum in partes illas perſonaliter procedere, & exercere contra detentores brachium ſæculare, ſi hoc ſibi duxeritis injungendum, quod hactenus ſe in eos non exercuiſſe confitetur. Item quod gardiano Minorum, & priori Prædicatorum & officiali ſuo mandavit, ut ſub pœna privationis feodorum, &c. denuntiarent excommunicatos captivatores, nec aliud fecit. Ex his quatuor quadruplex apparet ejus malitia & culpa; cum enim affectat reditum, quem E & publice ſemper requiſivit, in magno ſe ponit periculo, qui dicit quod repatriare velit, ac pro uno monacho laborare; ac ſi dicat: Faciam mala, ut veniant nobis bona: immo, ut quod legitur Job 12. *Deridetur juſti ſimplicitas*, in vobis & veſtris minimis impleatur. Veraciter conſtat his verbis eum veſtrum deridere evidentius puritatem, & innuere manifeſte, quod, quia hic detinetur, & abbas debeat illic detineri.

Ad ſecundum quod ait ſe exercere brachium ſæculare, ſi ei duxeritis injungendum; per conſequens dicit, & patet ſe non exercere, ſi ſibi non duxeritis injungendum: ſed cum a jure veſtrum brachium habeat ſpecialiter ille locus xv. quæſt. vi. *Auctoritatem*, non ſolum ſuperfluum ſed malignum, & hoc culpabile eſt, quod jure communi conceditur, nolendo velle precibus immo ſine precibus impetrare.

Ad tertium quod ait, quod hactenus non exercuit, patet ejus & negligentia & culpa; quia poterat & debebat omnibus viribus ſine mora ad liberationem ipſius laborare; & ratihabitio, quæ ſecundum canones locum habet, etſi non eſſet ejus nomine perpetratum, ut notat. extra de reſtitut. ſpol. *Cum ad ſedem* circa finem, tacita ex ore ſuo eluceſcit, xvi. quæſt. vi. paragrapho *Is autem* Extravag. de ſe.... ex parte.

Ad quartum quod ait, ſe illud tantillum, ſcilicet comminationem cujuſdam pœnæ & denuntiationem excommunicationis, propter quam quis amplius non ligatur, mandaſſe per nuntios, & non dicit quod per litteras, quæ nec apparent, gardiano, &c. detegitur etiam dolus ejus, quia mandando verbotenus, immo ſi cui videatur eum id feciſſe ſic mandando, potius deberet reprehenſionem incurrere, qui ſine ſcripto excommunicatos nuntiari & interdici mandabat, & verbotenus privilegiatis, idem eſt ac ſi non mandaſſet, etſi negavit quod demandaſſet. §. Qui ſatis do. ca. *Si fide juſſo*. &c.

Item ejus prævaricatio contemtus eſt apoſtolici præcepti. Cum enim in feſto beatæ Agnetis, fuit annus, eidem electo præceperitis & indixeritis viva voce, ut infra duos menſes abbatem vivum vel mortuum vobis in curia præſentaret, & ipſe terminum illum duxerit acceptandum; nam cum primo, requiſito [illegible] eſſent dietæ, præcepiſſetis ei D quod infra [illegible] ex ſeptimanas vobis eum redderet, archiepiſcopus Terragonenſis, qui tunc præſens erat, obtinuit ut ad id faciendum ſibi concederetis duos menſes; non eſt tam ſera ejus excuſatio admittenda. Extr. de re judic. quæſt. *ad conſultationem*.

Item cum electus propoſuerit in ſcriptis & adhuc proponat coram vobis, quia dominus Boëmundus erat ſuus capitalis inimicus, ac per hoc proceſſum habitum curiæ contra eum per fratres Minores ejus conſanguineos, ex hoc de inimicitiis ſuſpectos, procuraverit revocari, nec contra ſe recipiat electus, quod abbatis S. Matthiæ, avunculi ipſius domini Boëmundi, etiam eſt & præſumitur inimicus, propter quod ſuper hoc ei non eſt credendum in æternum, quantumcumque vocem ſubmittat, quin procuraverit eum capi, vel in ſuo caſtro faciat aut diſſimulet detineri.

Item in capite ejuſdem abbatis electus eſt capitalis inimicus; ejecit enim eum & ſuum conventum de ſuo monaſterio proditionaliter, & intruſit alium in locum ipſius, ſicut patet per litteras domini Urbani papæ, & proceſſus

proceſſus earum & rationes electi, ubi dicit: THEODORICI abbatis S. Matthiæ... Si enim ſcriptura notat Deum diligere Moyſen, quia eum vocaverit ex nomine, e converſo notum eſt illum non diligi, cujus nomen injurioſe ſupprimitur, & nomen præcipuæ dignitatis.

Item electus combuſſit curtes ejus, & interfectus fuit quidam monachus apud S. Matthiam per famulum electi, ipſo præſente, ſicut patet per inquiſitionem revocatam.

Item idem abbas detinetur in caſtro electi, Turoni ſcilicet, per Dietardum de *Paſſendorf*, cui electus matrimonialiter copulavit neptem ſuam, ſororem Gerardi de *Libenges*, quam & matrem ejuſdem Dietardi nuper mandavit per ſuas quas habetis litteras ſalutari & confortari.

Illud ergo caſtrum de *Turon.* quod *Ar.* archiepiſcopus duci Bavariæ juſte abſtulit, nullum habet habitatorem, niſi familiam illius qui eſt pro tempore archiepiſcopus Treverenſis. Attendatur igitur ſi receptator eſt ſacrilegorum, etiam ut ſacrilegus puniendus ff. de recept. lib. 1. & 2.... De ſacrilegio magiſtri. C. Quia idem reſpondet quod de abbate idem ex præmiſſis tribus rationibus concluditur contra eum. Etiam ex hoc quod brevitatem temporis allegat, ſcilicet quod hactenus non potuit ejus liberationem procuraſſe, deprehenditur ejus malitia. Cum enim fuerit captus in craſtino animarum, & in Confluentia, ubi ſe temporale & ſpirituale dominium in ſecundis litteris domini H. confitetur habere, quæ quidem Confluentia a curia ultra 20. dietas non diſtat, qua fronte dicit quod propter brevitatem temporis non potuit procurare, ſed nec * primum introitum præparavit. Quid autem, audita captivitate ejus captivatoribus & pluribus aliis de Confluentia mandaverit, apparet per litteras quas habetis, quibus mandabat cauſam ſuam nunc eſſe in meliori ſtatu quam umquam antea extitiſſet.

* al. prætium.

Item in utriuſque nominatione, ſicut de abbate prædictum eſt, poſſunt inimicitiæ deprehendi, cum etiam cunctos qui non ſunt ejus fautores, electus reputet & nominet inimicos.

Quod autem ait, quod eo invito officiatus eſt in Confluentia, obviat quod confitetur, conductum idem ſe actualiter recipere, & ſe temporalem ſimulque ſpiritualem loci illius eſſe dominum eſt confeſſus, in quo ſint tria millia loricatorum, & multa alia millia armatorum, duæ eccleſiæ magnæ collegiatæ canonicorum, conventus Prædicatorum & Minorum, abbatiæ, hoſpitale ſolemne, domus Theotonicæ, duo caſtra ſua, unum interius & aliud ſupra oppidum. Quomodo veriſimile igitur eſt, quod officiatus ſit per violentiam quam nec exprimit. Si invito; in hoc ſonat, id eſt petiſſet, & de manu ejus reciperet hic conductum; aut ſi invito ſonat, id eſt, quamdam noluntatem, non proficit, cum ad actum non proceſſerit reſiſtendi, & ſibi imputet, qui talem præfecit ad tales, ut dicit, redditus colligendos, cum ſine nova deditione etiam antiquitus aut ignoranter teneatur de delicto ſuæ familiæ publican. ff. de publica rec. lib. prim. 1. reſp. in fine.

De Dietardo autem affini ſuo, qui pauper eſt & impotens, qui in corde archiepiſcopatus caſtrum illud *Turon*, quod fortiſſimum eſt de Alemannia, violenter occupaverit, &c. ut in primo articulo fortius, quod in affini, & cum aliis præſumtionibus, quæ ſuperius ſunt expreſſæ. Sed etiam abuſio, nec poteſt dici quod eo invito, cum ipſe ſibi commiſerit caſtrum ipſum, prout apud Peruſium coram vobis eſt confeſſus, invito nihilominus quandoque *confertur* & offertur, nec excuſatur. XLV. diſtinct. Et qui emendat. Et L. VI. diſtinct. *Si evangelico*, XV. quæſt. 1. *Merito.*

De promotione Philippi in epiſcopum Metenſem.

De facto domini Philippi facti qualitas malitiam electi non ſinit occultari. Dicit enim electus quod ipſe examinavit negotium electionis, & ne propter vacationem diutinam Metenſis eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus pateretur detrimentum, impeditus trinam examinationem perſonæ tribus hominibus exquiſitis, ſcilicet de tribus provinciis commiſit, ut dicit; de Colonienſi dioceſi præpoſito *Deiſſay*, diſtanti a Treverenſi ultra quatuor dietas; de dioceſi Treverenſi præpoſito ſancti Caſtoris in Confluentia, diſtanti ultra duas dietas; de dioceſi Maguntina illi Argentinenſi, diſtanti ultra tres dietas, ut ultimus a primo ad ſeptem dietas (diſtaret,) ne poſtmodum cum Metenſem devoraſſent eccleſiam, poſſent iſti tres vultures convenire ac dicere ſuper hoc veritatem; & ipſemet electus, ut dicit, electionem ejuſmodi confirmavit. Sed cum examinatio perſonæ fiat quaſi in momento, quomodo propter tantam morulam Metenſis perire debebat eccleſia? Et quomodo qui potuit vacare examinationi negotii totius, etiam & confirmationi illi modico tempore vacare non potuit? Aut ſi forſitan ad horam alicubi declinaverat, non potuit in tanto articulo expectare? Dolum ſiquidem ex perſpicuis indiciis probari oportet. Quin etiam ne conjecturis opus ſit, electus dolum ſuum dilucide confitetur. Dicit enim quod commiſit ut ſe exoneraret, & Philippum, cujus onus, juxa legem Chriſti, portare debuerat, oneraret, quid apertius dici poteſt? Extr. de off. del. *Paſtorum.*

Inſuper præpoſitus *Deiſſay*, conſanguineus electi, qui nondum erat in clericum tonſuratus, particeps criminis ſimoniæ Metenſis, in proſecutione cauſæ deceſſit apud Urbemveterem; & præpoſitus S. Caſtoris in Con-

fluentia erat electo ad ratiocinia obligatus, propter quod de patria modo fugit; istique duo sine dispensatione tunc habebant quatuordecim ecclesias cum cura animarum, quæ possent, si necesse esset cum calculo numerari. Officialitas autem Argentinensis non datur aliquoties litteratis, & omnes erant notorii idiotæ, quod patet, quia dicit electus, quod jurisperitos secum sumserant, & addit alios, id est penitus alienos prætendit; quodque in Alemannia etiam in culminibus dignitatum deteriores Philippo sint quamplures de consuetudine, sicut dicit, prædictos tres vero nominat, vel quia non sunt in rerum natura, vel quia non possent de facili reperiri.

Item si dictus Philippus duodecim annis, quibus iste electus fuit Metensis decanus, hic subdecanus, magis quoque scire debuit insufficientiam Philippi, qui cum simplex canonicus in scholis studuit, videtur modicum profeciſſe. Examinationem reliqua non excludunt,

Item quando fecit eum, sicut asserit, consecrari, saltem examinare eum debuit. L. *nosum* XXIII. dist. quæst. episc. ubi de hoc.

Item cum dicat eum non examinandum fuisse, sicut credit, prout in veritate in confirmatione non erat examinandus, quia notus; sed in limine repellendus, postquam malitiose examinationem se commisisse confitetur; & hoc est quod dicit, quia exonerare se volebat. Præterea de causa quæ ad eum aliquatenus non spectabat, ut patet per definitivam sententiam domini URBANI, se scienter & subdole intromisit; propter quod ei, sicut dicit, crimina sunt etiam fortuita imputanda; & sine hoc non excusatur de facto examinantium, præcipue exterorum, & ille præcipue qui noverat eum talem, ac ex consuetudine quam prætendit, patet quam sit pœnitens, & quid in casu simili attentaret. Dici etiam potest, secundum magistrum Remundum, quod metropolitanus non potest examinationem delegare. art. qui dicitur *de dolis a principe*. ex. de off. dol. civit.

Deteloneo. De teloneo vero & conductu & duabus litteris domini Hugonis & una prioris Prædicatorum Treverensium, quæ apparet, & alia quæ non apparet, sed ponatur; primo considerandum est, quod narratio quam facit electus in cedulis, & illa quam facit in litteris, necnon ipsæ litteræ ad invicem sibi contradicunt. Fabricat enim in cedulis quod anteceſſores sui teloneum & conductum pacifice possidebant, & quod de consilio domini Hugonis teloneum recipere prætermisit. In prima vero littera domini Hugonis asserit se electus violatorem fidei, perjurum & novi telonei receptorem, vel saltem alterius istorum. Si forte hæc disjunctio *aut* non resolvitur in conjunctam, quæ in hoc casu videtur potius resolvenda, hac in utraque littera non consilii sed necessitatis verba continentur expresse; & hoc factum prioris subsequens manifestat. Mandavit enim dominus Hugo, qui plene de illo teloneo, tamquam qui fuerat legatus in Alemannia, noverat ut non prius relaxaretur sententia, quam teloneum resignasset; post quam resignationem prior Prædicatorum absolvit eumdem; & sic postquam dimisit teloneum, non de consilii libertate, sed de mandati & facti a priore excusatione.

Item in cedula dicitur quod dubitabat utrum licitum esset teloneum. In prima littera dicit se certum quod erat illicitum, quia novum, etiamsi juris ignarus & de irregularitate quam propter sententiam incurrerat, aut de humanis excommunicationibus forsitan dubitasset. Nec enim verbum *dubitat*, quod est in ipsa littera, refertur nisi ad illa nomina quæ regit transitive, ibi scilicet, dubitet se incurrisse maculam irregularitatis, &c. Sed de violatione fidei, perjurio, & rapina telonei nullatenus dubitabat, nec poterat dubitare, unde illa disjunctio, *aut* electi crimina non disjungit, sed ad facta refertur potius aliena; sed si dicatur quod de his etiam dubitabat, hoc erat, ne de his puniretur in hoc judicio, cum ante mensem emanasset inquisitio super his contra ipsum, & de hoc illam cautelam tam ipse quam favens sibi pœnitentiarius etiam hoc sciens, quia de fratrum consilio mandabatur inquiri, credidit præcavere, & ista dubitatio ex protestatione electi, qua se timere vos dicit, & is sensus patet ex conclusione litterarum domini Hugonis & usu earum. Non enim mandabatur ut dimitterentur crimina ad cautelam, quasi bonarum esset mentium ibi dubitare, &c. aut quod relaxarentur sententiæ ad cautelam, licet prior Prædicatorum hoc fecerit, mandati fines improvidus excedendo: propter quod etiam primi inquisitores mandatum receperant, quod ex determinatione causæ per primos inquisitores satis patet; sed & primarum litterarum domini Hugonis prædictus intellectus per secundas litteras ejusdem domini Hugonis comprobatur. Nam detur quod vult: vel recidivaverat in teloneum, propter quod secundas impetravit *litteras*; & quod recidivaverit, patet per inquisitionem Warmacienſis episcopi & collegarum suorum ante secundam litteram domini Hugonis expeditam, qua dicit quod teloneum dimiserat, & erat per dominum Hugonem absolutus, & sic reatum perjurii incurrit, cum in forma ecclesiæ per priorem absolutum se asserat per primas litteras ad cautelam, quæ absolutio sine juramento non procedit. Ext. de sen. ex *Venerabili*; cui quid injunxit per juramentum patet per easdem litteras ubi subjungitur: cum constet quia mandatis; & idem patet per

primam inquiſitionem remiſſam, qua uſus eſt, &c. Vel non recidivaverat, ſed quod in primis litteris aſſeruerat, in dubium deducere voluit in ſecundis: ſimili variatione utens, ubi loquitur de conductu, quem ſimpliciter & pure primo confeſſus, in dubium nunc reducit, quæ qualiter ſibi mutuo adverſentur poteſt quilibet intueri; nec dubitandi verbum aut cautela poteſt aliter intelligi, quam ſuperius eſt expreſſum. In his enim quæ per ſe mala ſunt, mentem in diverſa rapi diabolica eſt tentatio, nec de factis ſuis maxime recentibus poterat dubitare, & in dubio, debebat etiam in alio homine excommunicationem evitare, licet etiam poſtquam dubitavit, ut dicit, recidivavit in hunc morbum: immo etiam, poſtquam teloncum abjuravit & dimiſit. Quod autem ſententia lata fuerit pro manifeſta offenſa, apparet per utramque litteram domini Hugonis, quia, ſicut dictum eſt, ante relaxationem mandabatur teloneum reſignari; & per factum prioris Prædicatorum, quo ait: Cum conſtet, &c. Nam in offenſa dubia aliter caveretur. Ex. de verbo ſig. *ex parte*. Et qualitercumque ab excommunicatione fuerit abſolutus, ſatisfactionem de præterito non impendit nec prætendit. Remanſit ergo proditio etiam in mora, quid de talibus. Ex. de pœnis ſuæ XIV. quæſt. v. *perſonale*.

Poſtremo ſciendum eſt quod neutræ ſibi proſunt litteræ nec proceſſus, quin ut fingat eum qualemcumque vult, placeat indicanti. Primæ litteræ domini Hugonis non valent in hoc judicio, valeant autem impetranti, juxta menſuram ſuæ fidei, in externo. Emanavit enim inquiſitio contra eum ſuper his criminibus & aliis primo anno domini Urbani, decimo Kal. Decembris, & prima littera domini Hugonis duodecimo Kal. Januarii poſt ſequentis, de hac non faciens mentionem. Ex. de off. leg. *ſtuduiſti*. f. præſentatio & textum. Secunda vero littera domini Hugonis primæ derogans, quoad utilitatem electi, non quoad damnum, poſtquam jam erat prima inquiſitio per Warmacienſem epiſcopum & collegas ſuos, præſente electo & procurante, totaliter expedita & remiſſa; quæ expedita ſiquidem fuit feria tertia poſt Aſcenſionem Domini, & ea electus uſus eſt in Peruſio coram vobis, quid magis contrarium? quid magis imputandum, quam de tribus his ſcripturis ab eadem parte productis, duabus ſcilicet domini Hugonis cum ſuis proceſſibus & remiſſione dicti Warmacienſis epiſcopi & ſuorum collegarum? & hæc ſecunda littera domini Hugonis fuit data poſt hæc, ſcilicet ſecundo Kalendas Junii.

Item utriuſque litteræ domini Hugonis forma eſt contra jus manifeſte; non enim ſufficit reſignare teloneum, niſi ſatisfaciat de ablatis. Ex. de ſen. ex. de ſol. ibi non ante relaxetur ſententia quam ſufficiens, &c. & abſolutio injuſta nam ſi. Ex. de offic. ordi. *ex parte* ubi de hoc. Ibi ſcilicet qualiter abſolutus. Sed etiam poſito quod ſit abſolutus ab excommunicatione, non tamen a crimine pro quo fuit excommunicatus, quia non emendavit, etiamſi deſtitit; nec abſolvendi ab ipſo prior aliquid habuit in mandatis: non ſolum enim qui recipit, ſed qui recepit lege notatur. Mandavit inſuper dominus Urbanus electum denuntiari excommunicatum per magiſtrum Conradum plebanum S. Mariæ in Confluentia, aliqua abſolutione quæ auctoritate ſua non proceſſerat nonobſtante; hanc clauſulam intelligens cauſative, id eſt quia non proceſſerat. Ext. de verb. ſign. *abbate*, cum littera domini Hugonis conta jus, & contra factum inquiſitionis, & contra formam litterarum domini Urbani, quibus, donec ſatisfeciſſet de teloneo, mandabatur excommunicatus nuntiari, & hoc tacito, obtenta non præſumatur de propria conſcientia emanaſſe.

De conductu vero quod confitetur in re, reſponderi poteſt, quod ſicut damnatur novum teloneum, ſic pedagium vel conductus, quocumque nomine cenſeatur: quod autem ait etiam falſo, duplici contritione ſolere conteri terram illam, & telonei conductus, prima eſt telonei conditio, quod qui teloneum recipiunt, debent ob hoc conducere ſolventes, ut probatur in auth. de man. pa. cap. *oportet*. Etiam expreſſum XXIII. quæſtione VIII. *Tributum*. Nec excuſat de conductu quantitas quam prætendit, cum major ſit offenſa inclinari tentatione minima quam majori; & qui in modico infidelis eſt, etiam infidelis eſt in majori. Luc XV. Veriſſimum eſt tamen quod conductum ſuper teloneum duplicavit. Abſolutionem fratris Martini ad debita cameræ reſtringi per concluſionem & reſtrictionem per ſe patet. De conducta.

De his quæ contra inſtrumentum conditione ſcilicet & alias prætendit, etiam quod ſi principale non tenet, etiam acceſſorium non tenebit. Quod obſervatur in acceſſoriis, quæ per ſe ſtare non poſſunt, ſecus in aliis ut XX. quæſtione tertia *conſtituit*. Et fortius in illis quæ neque per ſe, neque cum aliquo poſſunt conſiſtere principali, ſicut eſt in peccatis; conſideretur quam falſo & varie & contradictorie loquitur in hac parte. Ait enim, quod ſimulatus fuit contractus; & poſtea ſubjungit, quod titulo donationis illam pecuniam promiſit alteri, & ſe ad donandum alteri & ſolvendum mercatoribus obligavit, non quidem retinendam per mercatores, ſed alteri dandam per mercatores, & pro electo. Si igitur alteri pro ipſo mutuari voluit, & mandavit, numquid ſibi mutuatum plenius intellexit? C. *de duobus reis*. L. *ſi propter mutuam* ubi eſt caſus: voluitne de alterius De inſtrumento.

corio tam largam corrigiam elargiri, cum in simili casu rei donatio non valeat alienæ. cap. de dona. L. *si facultates.* Sed etsi petebatur ab ipso qui solvere curaverat ex causa mutui, & ipse mutuum inficians, confitetur juraſſe, id eſt ſe ſoluturum, non ex causa mandati vel donationis, numquid ex sua cónfessione de perjurio plane liquet? nec inquiritur super hoc perjurio contra eum: sed per se paret nemine requirente, nec super hoc articulo alibi quid dependet. Nonne sunt hæc simulationi vel dolo contraria? præcipue cum in alio judicio sit decisum, quod exceptioni doli vel non numeratæ pecuniæ quoad personam suam de cetero non sit locus, etiam mirum eſt, quod contra juramentum audet hoc iterum refricare, nisi quia eſt perjurii dulcis panis.

Item cum justam causam debiti seu donationis exprimat, de non numerata pecunia nunc non eſt mœrendum. Cap. de non numerata pecunia, adversus.

Item variavit hic multipliciter, & dejeravit. Primo enim apud Perusium juratus vobis totaliter denegavit, & statim convictus per instrumentum confessus pure eſt, verum esse, scilicet, se solviſſe. Postmodum in simili judicio coram camerario juratus confessus eſt contenta in instrumento, sed adjecit, non pure, & deinde coram magistro B. conditionem tam sine causa quam impossibilem a jure, ac turpissimam declaravit, de qua alibi grandis sermo & interpretabilis. Contradictoria nunc loquitur, cum ait causa donationis obligatus, & postmodum conditionem talem exprimit quasi veram jurisdictionem vel contractum innominatum ostendit. ff. de donatione. L. *licet jure.* §. *habeo.* Licet enim sub conditione posset fieri donatio, puta tali, quæ dependet ex insidiis fortunæ, vel alia quæ possit ad utrumlibet se habere: ubi tamen talis exprimitur conditio, quæ naturæ donationis contradicit, hæc sibi ad invicem mutuo adversantur, ut in dicta lege, unde ab instrumento non cancellato, &c. Ex iis contradictoriis allegatis & juri incognitis, etiam non eſt aliquatenus recedendum. Sed &, sicut dicit, vestra conscientia potest esse super his plenius informata. Non autem ut sit adeo suspectum mutuum sicut donum tam immensum & tam recens per octo dierum spatium curiæ attentatum.

De adinventa vero stipulatione sine causa similiter attendatur. Quæ enim causa eſt cur mercatores, qui lucra sectantur, non solum jactarent sexcentas marcas, sed donec electus obtineret a tertio XII. millia marcarum indebita, non tantum differrent sua repetere, sed remitterent debitum? hæc eſt leonina societas, ut mercatores, quos confitetur pro se illi tertio promisisse, omnia damna subirent, tam electus quam ille tertius omnia lucrarentur. Post hæc videatur modus qui sine rubore prætenditur, scilicet negotiationis usurariæ, cupiditatis, & alterius semen doloris, qui se dat intelligere, quamvis non aliter exprimatur; & tam turpia sunt, quod nunc nec contra se audiendus eſt, immo graviter puniendus. Ultimo consideretur de pignore adjecto, qualiscumque fuerit ille contractus: nemo enim dubitat quin spiritualia vel in pura, vel in conditionali stipulatione deducere in pactionem vel in cautionem, speciem habeat simoniæ. Ex. de pac. c. ult. de simili conditione habetur. Ext. *de rerum præmio.* cap. ult. Nam & ubi eſt conditio, sive contractus per conditionem resolvitur, sæpius eſt usura ext. de pignor. illo. Immo conditio exprimit simoniam ext. *de simonia. Cum essent.* I. quæstione n. *sicut episcopum*, etsi simonia ibidem alias non esset, propter conditionem erit, solaque spes stipulationis conditionalis faciet simoniacum sicut usurarium. XIV. quæst. 3. cap. I. *Nec prodeſt.* Si dicatur non juravit non petere pallium, & cetera propter illud, sed propter aliud, quia ubi unum propter alterum, utrobique tantum; & probatur ob. per Aug, XV. quæst. I. Iterato præterea in conditionali debito ab initio potest intervenire pignus ff. de proprio herede. lib. quæst. I. prima responsio & ff. ex quibus capite *ipsos* & lib. *impositionem*, ubi de hoc. Sed si quis creditor pignore ejusmodi uteretur posset furtum committere inſt. de obligat. quæst ex delicto §. nos se itaque suus creditor. Ergo in illo casu ponamus sic in quo uti & non uti par esset delictum; ubi re obligata non utitur quis contra voluntatem Domini, par erit pœna: sed in simonia talis eſt casus, qui sit affirmative & negative, extra *de simonia.* Ergo non petere pallium & non recipere ordinem vel consecrationem, quæ in cautione deducta sunt, quantumcumque fuerit conditionale debitum, simonia eſt; & recipere, perjurium eſt; & sola cautio simonia eſt, & non uti ex pactione. I. quæst. in. si quis. prehendas contra voluntatem Domini * simonia eſt, sicut & remittere simonia eſt. Ex. de restitutione. Necessitas & gratuitum dici non potest, ubi facta fuit obligatio etiam pignoris ff. ad Trebel. l. si legatur. & respondeo in fine & ff. de verb. sign. l. horum. Eſt autem dominus hujusmodi pignoris Deus, cui sic displicet, quod tales personaliter flagellavit, & si non esset aliud, nisi quod Deum fecit servum, ponendo eum & suam gratiam in pignore, criminosus nimis esset Isaiæ XLIII. *Servire me fecisti in peccatis vestris.* I. quæst, *per eos.* Quicquid enim sit de conditione resolvenda, ab initio tenuit cum mala intentione, cum opere subsecuto, obligatio sacramentorum. Nec potest dici quod non fecerit pro pecunia, ut in prædicto canone. L. v. q. I. *immerito.* de hujusmodi vero, cum sint juris vel facti notorii, probationes non reci-

* f. minus.

piuntur. Et non potest dici factum in fraudem de contractu ad contractum; ubi uterque contractans tenere poterat. Nam cum mandati vel donationis obligatione teneri potuisset, non potest dici factum in fraudem, si scriptum sit de mutua; sed & in talibus contractibus qui fierent in fraudem; multa possent intervenire crimina, ut ex. de dona. inter dilectos. Nec valet quod magnos nominat, ut referant quod audierunt, cum non valeat testis de auditu; alii quos nominat, vel sunt de sua familia, & turpes, ut Andreas, Henricus, & Lodowicus: vel mortui, ut Johannes camerarius; vel actores, vel participes, ut etiam patet in dicto Henrico, quem nominat in conditione & in teste, & de illo magno viro; & mercatores qui jam per socium jurarunt & conditionem negarunt, non sunt in testes admittendi, nisi velit eis deferre juramentum. Sed esto quod juxta suum dictum donationem hujusmodi etiam sub conditione valeat allegare, ut sic instrumentum valeat impugnare, certissimum est quod per testes quoscumque & quotcumque probare nequeat ipsum. Est enim hic unus de casibus qui probandus est per scripta, ex quo quingentos excedit solidos, ut cap. de dona. lib. ple. in fine. Et sic contra eum remanet illa lex, cap. de non un. parte generaliter & suis adinventionibus res concludit. Dominus sit benedictus, & an pecunia numerata fuerit non interest donatoris ut in prædicta lege *si propter*. Item concordare possunt instrumentum & donatio, & debent. Ex. de testi. Item quicquid sit, perjurus fuit ab initio, quia non juramenta, sed perjuria, &c. non potest perjurium effugere.

Item juramentum salvare poterat resignando. ff. de re jure qui petit. Insuper conditionis propositæ fines sibi ipsi contradicit. Cum enim dicit quod satisfieret, & quoniam solveretur quod ad debitum retorquetur, & alibi, quia voluit dare quod daretur, cum nihil deberetur. Item non tantum conditionem, sed alium contractum allegat, scilicet donationis.

Præterea cum dicat quod pallium a domino petiit Alexandro, constat quod in morte ejus nondum defecerat conditio, cui saltem tempus inerat, quod tanta summa indebita potuisset commode precari. Immo numquam defecit conditio, si quæ fuit: quia duo millia marcarum, de quibus tangit conditio, habuit a rege Richardo, in quibus sortem suam de sexcentis marcis solvere plene poterat, & negotiari de residuo, sicut solet. Nec deficiet forte conditio, donec posse desinet adimpleri, nec prætenditur quod certa die debuerit adimpleri, sive fuerit numeratum, sive simulatum; super quo, quantum ad suam personam decisum, sive per novum doni sui mandatum vel negotium gestum, aut obligatio naturalis, aut civilis; semper illa pactio turpissima intervenit & contractus donationis & mandati, qui confitetur contractum mutui, quod per instrumentum probatur, aliquatenus non excludit. Immo quod donavit & solvi mandavit mutuo recepit. Et quicquid sit de causa in libello mercatorum edita, confessus est iste causam debiti, nec juramentum negat, immo totum instrumentum confessus est, adjiciens: Non pure: credendum enim est sibi, quod nec hoc, nec aliud agit pure, sed impure & immunde.

Item cum quatuor testes nominet ad probandam conditionem, quorum unus est mortuus, per tres alios, etiamsi essent idonei, nequit publicum reprobare instrumentum suo sigillo maxime roboratum, ut not. ex. de fi. dist. *Cum Johannes.*

De negligentia pallii.

Item de pallio neglecto patet, nec sufficit petiisse, nisi modum habuit in petendo, de quo loquitur can. c. di. *prisca.* Quem modum se habuisse usque nunc non prætendit, nisi quod nunc dicit quod instanter; & ideo deficiente modo nihil egit. Ex. de resti. spo. *Pisanis.* Quod autem modus sibi defecerit ex hoc patet, quod ipse personaliter non petivit, postquam venit, nec alter pro eo. Immo nec videtur sibi placuisse, si in ejus absentia sit petitum. Item saltem ultima mora qua a vobis non petiit pallium sibi nocere debet. ff. de p. l. ibidem. A singulis enim apostolicis debuit petere. art. 26. xii. quæst. 2. *longinquitate* & *constanti fine.* Nec prodest si dicat quod propter inquisitionem non petiit: nam sive sit in culpa ut ff. ex quibus causa l. *si cui.* §. *tamdiu.* ff. *si quis.* can. lib. 2. §. *si quis* sive in negligentia, subveniendum non est ei. Cum enim integer esset status ejus, maxime appellatione interjecta ff. de injusto un. vel in per. tes. l. *si quis ex heredato.* §. *sed etsi* decurione. §. *si provocavit* & viii. qu. ii. nonne jus suum non debuit negligere? Insuper petere potuisset antequam inciperetis inquirere contra eum, quia ad hoc habuit quinque menses, nec debuit divinare utrum nolletis sibi dare. Et Dominus vos conservet, quia eamdem excusationem inveniret, quam de duobus vestris prædecessoribus adinvenit, si offerret ei similis se facultas. Sciendum etiam est quod die lunæ post Ascensionem Domini, modo sunt duo anni, processum factum revocastis. Præterea, quicquid sit, semper remanet ratio illius can. c. dist. *quoniam.* & semper est in mora quantumcumque potuit petere, & a vobis non petiit, nisi nunc demum quando redarguebatur & sententiam super hoc expectabat. Et credendum est quod ideo nunc petat, quia declaratum est quod juravit non petere, ut in sordibus plus fordescat.

Item cum in præscriptionibus consideretur ultima & immediata possessio, ut ex. de cap. potest; & in hoc casu quo secundum illum canonem. iv. dist. *quoniam* propter negli-

gentiam trium menſium præſcribitur contra metropolitanum, attendendum eſt de ultimo & immediato jure ad vos per hanc negligentiam devoluto ff. de di. *& tempore* præſcribitur. l. in uſucapione & c. ne de ſtatu def. *ſi mater.* cum ſicut protractum eſt agere, hoc eſt, petere pallium potuiſſet, & in talibus præſcriptionibus canones ſunt pro titulis & bona fide ex. de conſuetis præbendis. *Nulla* ex. de eb. *ne per defectum.* Apparet etiam quod fortiter non petiit, nec anchoræ ſpei innixus fuit, qui tanto tempore tacuit, voſque hoc jus per tropum loquendo per biennium & amplius pacifice quaſi poſſediſtis, nemine reclamante. Quis enim dubitat, ſi potuit petere a vobis ut debuit, & non petiit, quoniam neglexerit? Aut quis majus tempus dabit ei in hac ultima negligentia, quam canon det in prima expreſſum? Quod non C. de longo tempore præſcrip. lib. 1. Sed eſto quod duplicaretur ei tempus, quid proderſſent ſex menſes, cum & major ſit præſentis negligentia, quam abſentis? Non prodeſt ei quod ab anteceſſoribus petiit, ut dicit, ſi infra tempus non petiit a vobis per legem proxime dictam. In perſonalium autem præſcriptione non requiritur poſſeſſio. ff. de peti. hujuſmodi l. & in fine & negligentiam ſemeſtrem omnes doctores appellant præſcriptionem ut notat. Extra de præſcript. cum non liceat etiam pro innocenti. *Ex tranſmiſſa.* Sed nec plus tenemini dare pallium poſt hujuſmodi negligentiam ejus quam ſi jam ei dediſſetis liberaliter, nam ſolutio & curſus temporis ſunt paria ff. de adim. in fi. l. c. Videte ergo ſi ſana conſcientia poteſtis denegare, immo ſi poteſtis dare. Nam ſi ſibi non debetur, & patet quod non debetur; & datis ei, de novo creaſtis eum in archiepiſcopum, & de eo tenemini in diſtricto examine reſpondere.

De miſſa & quod ſine pallio conſecrationibus ſe ingeſſit.

Item quia numquam celebraverit miſſam, etiam poſt moram pallii, & in ſtatu dubio ſe ingeſſit conſecrationibus, licet in litteris primæ inquiſitionis ſpecialiter fuiſſet articulus contra eum, ſed quia non obtento pallio ſe præſumebat archiepiſcopum nominare, & ad hoc conſuetudinem Allemanniæ allegavit, ſicut primi inquiſitores reſcripſerunt, quis poteſt illam opinionem non jus prætendere, quod proceſſerit tamquam epiſcopus aut quod fuerit vocatus, cum etiam vocentur monachi ad miſſas principales & electi? Nec ſequitur quod ob hoc debeant altaria conſecrari.

Diverſas quoque fecit reſponſiones, & verum non poteſt eſſe quod diſſonat, ut dicit Hieronymus ſuper prologum Joſue, & de hoc non exceptatur accuſator cap. de teſtibus. *Ullum.*

Summa omnium.

Poſtremo omnes excuſationes etiam juſtas, ſicut dictum eſt, amputat decretalis ex. de accuſ. *cum dilecti.* Ex præmiſſis igitur colligitur quod ille tam de abbate ſancti Matthiæ Trevirenſi, quam de magiſtro Conrado capellano veſtro ſacrilegus deriſorie dicit, quod in terram ſuam paratus eſt ire, & ad liberationem utriuſque pro viribus laborare.

Item quod brachium ſæculare quod habet a jure, malitioſe dicit quod non exercebit, niſi ſibi præcipiatis; & quod hactenus non exercuit, nec ad liberationem ſibi ad certum terminum indictum quidquam fecit, niſi quod commutationem cujuſdam pœnæ temporalis & denunciationem excommunicationis jam latæ a can. ex qua quis amplius non ligatur quibuſdam privilegiariis & officiali ſuo commiſit, ut dicit, qui officialis merito propter dictum eſt ſuſpectus, cum abbatis, pro nepote ſuo domino Boëmundo electus, juxta propriam allegationem præſumptus, etiam quia privavit eumdem abbatem; & alium intruſit in abbatiam proditionaliter, verus ſit capitalis inimicus. Quin etiam patet quod non vult eum abbatem nominare, & quia in ſuo caſtro & per ſuum vaſſallum detinuit, quod patet, ubi ſe mandaſſe dicit quod privaretur feudis, ſed per Dietardum ſuum affinem detinetur, cujus matrem & uxorem nuper per ſuas litteras ſalutabat & etiam confortabat.

De magiſtro C. vero quia electus temporalem & ſpiritualem in Confluentia ſe dominum confitetur; ubi cum oppido fortiſſimo duo habet caſtra munitiſſima unum infra oppidum; aliud ſupra, in quibus ambobus detentus eſt ſucceſſive, nec mora poteſt excuſari de loco illo ad xx. dictas hinc remoto, & ratihabitio tacita locum habet & ſpecialiter in publicano etiamſi ejus nomine non ſit actum, inimicoſque capitales omnes adverſarios ſuos electus reputat, & conſtat quod in curia ipſum excommunicatum pro novo teloneo nuntiavit. Ex tribus quoque dictis cauſis aliis de abbate idem penitus eſt cenſendum, nec prodeſt, nec præſumitur, quod hæc facta ſint eo invito, quod etiam patet ex iis quæ contra hoc fecit; quia minus quam tria nihil.

Item, de facto domini PHILIPPI patet, quod ſi commiſit examinationem, malitioſe commiſit, cum totum reſiduum examinaverit, & ipſe confitetur quod per dolum fecit, ſed ut ſe exoneraret, & Philippum oneraret, & quia ipſe qui fuerat ejus decanus ſcire præſumitur ejus inſufficientiam, & quia ipſe eum quantumcumque notum & ob hoc in confirmatione non examinandum, ſed in limine repellendum, in conſecratione debuit examinare. Quamquam tenetur de facto examinatorum præcipue exterorum, ac conſuetudo, quam de præficiendis deterioribus Philippo prætendit, docet quoniam ſit pœnitens, & quid in caſu ſimili veſtra conſcientia de eo exoptaret, nec potuit committere ſcilicet fratrem Remundum.

De telonei & conductu.

Item de facto telonei & conductus, quia no-

vum teloneum recepiſſe eſt confeſſus, nec de hoc peccato abſolutionem prætendit, quia nec de hoc domini Hugonis faciunt litteræ mentionem: quin etiam contra jus ſunt obtentæ, licet de excommunicatione propter hoc lata bis varie & contradictorie, ac præter formam mandati abſolutum ſe prætendat; & poſt inquiſitionem de fratrum conſilio emiſſam, prima littera domini Hugonis, & poſt eam expeditam & remiſſam ſecunda littera ipſius domini Hugonis recidivationem in teloneum & perjurium denotans eſt uſus ejus. Inſuper relationi inquiſitorum, qua uſus eſt electus, obvians, ejuſdem domini Hugonis eadem ſecunda littera emanavit, & quod cedulæ & litteræ ad invicem adverſantur, & in prima littera domini Hugonis confitetur ſe violatorem fidei & perjurum pro novo teloneo, quin prædonem & irregularem quod idem eſt teloneum quod quidagium vel conductus; nec refert, immo plus aggravat inclinari minori tentatione quam majori. Nec de facto ſuo recenti maxime poteſt aliquis quin perpetraverit dubitare.

In his vero quæ per ſe mala ſunt, mentem in diverſa rapi non excuſat; nec illa disjunctio *aut* refertur ad electi crimina, ſed ad ſententias alienas. Et falſa pietas quam habet, quia Treverenſis eccleſia non percipit teloneum ſicut alii, conſonat quibuſdam Pariſienſibus perſonis, quæ bonas cappas clericorum, non eorum abſentiam lacrymantur.

Item perjurus apparet, quia ibi dicit quod vel fecit pro liberatione abbatis, ubi quod & alibi dicit, quod ut ſcivit & potuit ut liberaretur dedit operam efficacem.

Item quod de facto inſtrumenti & confeſſionis quod exceptione non numeratæ pecuniæ vel doli ſeu ſimulationis contra inſtrumentum proponendo cum de hoc ſit deciſum quoad perſonam ejus perjurus apparet manifeſte.

Item conditio donationis quam confitetur, & ipſa conditio in ſe ipſa ſibi contradicit, & venditionem vel contractum innominatum exprimit qui nihilominus in ſe turpis eſt, nec audienda, nec deficit, & quidquid ſit de hoc, pactum pignoris turpiſſimum, ſcilicet de non petendo pallium, &c. ſimoniam induxit, quia in conditionali debito poteſt pignus intervenire, & eo poſſet aliquis male uti, & juramentum temerarium ſervare poterit reſignando: nec refert perjurum eſſe vel confiteri pro mutuo non ſoluto vel pactione doni aut mandati minime perſoluti; & quia in civili judicio crimen quod liquet, a ſuperiore punitur; nec reſtat in hoc caſu inquiſitio facienda, ſed tantum pœna canonica infligenda, nec eſt ab inſtrumento pro contradictoriis allegationibus & juri non cognitis recedendum, & mutuum & donatio, ſeu mandatum ſeſe compatiuntur, nec per teſtes probari poteſt donatio tam immenſa; ſed nec numerus teſtium etiamſi eſſent idonei, cum tamen tres ſint de familia electi & turpes & participes, ſufficiens contra inſtrumentum prætenditur, cum ille frater Johannes camerarius quartus teſtis, qui poſtea fuit Cartuſienſis prior in Campania, ſit defunctus, & ita, etſi non jus, probatio deficit ſibi juris, cum non habeat niſi tres teſtes tales quales, ſicut dicit & patet, & ſi plures nominavit varians, in quatuor ſolum ſtetit.

De facto pallii quod ſaltem a vobis uſque modo non petiit, etiam ultima mora imputatur, nec ſibi plus debetur, quam ſi jam habuiſſet, & dando eum crearetis de novo in archiepiſcopum, quod indecet. De pallio non petito.

Quod ſe violatorem fidei, perjurum, prædonem & irregularem, vel ſaltem eorum aliquid immo omnia confitetur.

Quod juratus variavit multipliciter, & verum non poteſt eſſe quod diſſonat, & qui variat ſine accuſatione punitur.

Quod numquam celebravit miſſam, & poſt moram & redargutionem pallii conſecrationibus ſe ingeſſit.

Quod dilapidavit eccleſiam Trevirenſem & pro alienis debitis obligavit, ut patet ex ſuis rationibus de ſexcentis marcis illis.

Quod abſolutiones domini Hugonis non proſunt, ſed obſunt. Sed nec abſolutio fratris Martini, quæ quantumcumque generaliter incipiat, cauſa tamen & retruſio docent quod ad debitum cameræ reſtringatur.

Recidivationem in teloneum expreſſius edocet inquiſitio Warmacienſis epiſcopi & ſuorum collegarum, qua uſus eſt electus in Peruſio: in qua continetur quod teloneum dimiſerat, & fuerat per dominum Hugonem abſolutus. Ergo cum poſtmodum abſolutionem novam impetraverit, patet quod de novo recidivavit contra juramentum in prima abſolutione priori Prædicatorum præſtitum. Sufficit vero ipſi ſententialiter pallium, quod nunc petiit, denegari, quia hoc planum eſt, tantum cum narratione præmiſſorum; & per conſequentiam ab eccleſia ſententialiter amoveri, nec ſuper criminibus pronuntietur, niſi velit circumſpectio judicantis, extra de dol. con. *Veritatis*. Recidiva in teloneum.

Illaqueatus eſt homo ille verbis oris ſui, & Dominus ipſum in ſtultum finem adduxit, cetera ſupleat diſcretio veſtræ reverendiſſimæ ſanctitatis. Nec tædeat ſi reſpondendo plura inſeri oportebat, quia viſciſſitudo multitudinem, & multitudo quodammodo obumbrationem inducere conſuevit, nec a noſtris, quorum fundamentum, articulis recedatis: quia non poſſet eos vel eorum aliquem infringere totus mundus, licet aliquis de contrario glorietur cujus gloria ſita eſt in vento, cum hoc ſolum ſufficeret impœnitenti non eſſe parcendum, quia qualicumque mortali etiam impœnitens appareat, qui conſuetudinem in peccatis allegat, ac ex ore ſuo pateat inſufficiens ad regimen tantæ eccleſiæ,

qui propter carentiam pallii per ſex annos non celebravit miſſam, ſaltem pro defunctis, ſi viventes non diligit, ſicut patet.

Hic eſt actus civilis.

Anno Domini MCCLXVI. indictione IX. pontificatus domini papæ Clementis quarti anno II. j. Nonas Julii, dominus Petrus archidiaconus Senonenſis dicti domini papæ camerarius & capellanus ex parte ipſius domini papæ & præcepto ſibi facto oraculo vivæ vocis ab eodem domino papa, præcepit & dixit domino magiſtro B. Laguicelli capellano ipſius domini papæ, quod ipſe audiat & definiat ſummarie cauſam quæ vertitur inter Franciſcum Guidi mercatorem Senenſem, ex una parte & dictum Henricum Treverenſem ex altera, ſuper quadam ſumma pecuniæ. Et eodem die incontinenti facto mandato ſeu præcepto ipſi domino magiſtro B. a memorato domino camerario. Ego G. publicus ſanctæ Romanæ eccleſiæ auctoritate notarius, de mandato domini magiſtri B. præſentem commiſſionem in Peruſino cartulario modo poſui & fideliter ſcripſi, & eodem die ſcilicet tertio Nonas Julii comparuit Baldo ſocius & procurator dicti Franciſci Guidi ex una parte, & dictus dominus Henricus electus Treverenſis pro ſe ex altera. Et tunc dictus auditor aſſignavit eidem electo diem, ſcilicet in craſtinum mane, ad declarandum illud verbum *non pure*, quod verbum *non pure* continetur in reſponſionibus factis per dictum electum ad interrogationes factas per dominum Petrum archidiaconum ſupradictum. Qua die in mane comparuerunt partes principales, & dictus dominus Henricus electus ad certificandum auditionem prædictam ſuper ipſo verbo *non pure*, prout ad hoc terminus fuerat aſſignatus, tradidit cedulam quamdam cujus tenor talis eſt.

Tenor quæſtionis in civili judicio propoſitæ.

Dominus electus Trevirenſis certificando verbum illud quod dixerat coram vobis domino camerario, ſcilicet quod *non pure*, ſicut continetur in inſtrumento producto contra eum, promiſerat; & dicit & exponit verbum illud *non pure*, quod antequam fieret illud inſtrumentum, & quando factum fuit, actum fuit expreſſe inter ipſum dictum electum & dictos mercatores, quod illas ſexcentas marcas, de quibus fit mentio in dicto inſtrumento, non teneretur ſolvere idem electus in eodem termino vel poſtea, niſi prius ſibi plenarie ſatisfieret a domino RICHARDO rege Allemanniæ de duodecim millibus marcarum ſterlingorum, quos dare voluit idem rex prædeceſſori ejuſdem electi ante obitum ipſius; & quod tunc poſt ſolutionem hujuſmodi ſibi plenarie factam & non ante nec aliter, teneretur idem electus ſolvere dictas ſexcentas marcas, aut aliquid de eiſdem mercatoribus prædictis; immo liber & immunis eſſet ab omni promiſſione & juramento, ſi quod feciſſet vel faceret de ſolvendis dictis ſexcentis marcis mercatoribus prædictis, nonobſtante quocumque inſtrumento publico ſeu quibuſcumque litteris confectis ſeu conficiendis ſuper hujuſmodi ſolutione facienda in termino præfixo, ſeu etiam præfigendo.

Item actum fuit expreſſe inter eumdem electum & præfatos mercatores ac reverendiſſimum patrem dominum Johannem nunc Portuenſem epiſcopum, tunc ſancti Laurentii in Lucina preſbyterum cardinalem, & camerarium cardinalis ejuſdem ac Henricum de Hargenum, antequam dictum fieret inſtrumentum, & quando confectum fuit quod idem cardinalis haberet dictas ſexcentas marcas, & quod ſibi ſolverentur tunc demum, & non ante, nec etiam aliter, quin videlicet procuraſſet idem cardinalis ac feciſſet quod dicta duodecim millia marcarum ſterlingorum ſolverentur & darentur plene & integre a præfato rege electo prædicto, & nihilominus dixit quod *non pure*, ſed ſub conditione prædicta fuit confeſſus.

Poſtmodum dictus Franciſcus produxit in judicio quoddam inſtrumentum pro vero & publico ponendo & probando ſigillo cereo pendenti roboratum, cujus inſtrumenti dictus dominus Henricus electus petiit copiam quæ fuit ei conceſſa.

Item libellus mercatoris, & contractus, ut de perjurio puniatur. Articuli notorii.

Poſt hæc electus doli & non numeratæ pecuniæ exceptioni; qua ſuum juramentum propoſuit quaſi perſonæ ſuæ non competere per interlocutoriam declaratis, & poſtquam in rem tranſiit, quoad injudicatam, eaſdem circinat aures ut dubitationi de ſuo perjurio ulterius non ſit locus. Articuli vero notorii aliis & nunc confeſſati, ſunt iſti.

Quia ſcienter & malitioſe præfecit in Metenſi eccleſia idiotam.

Quia pro pecuniario pretio vel obſequio curavit non petere pallium, &c. Quia multis perjuriis irretitus; quia percepit novum teloneum & idem eſt guidagium vel conductum; quia propter hoc excommunicatus, nihilominus ingeſſit ſe divinis. Quia neglexit petere pallium ſaltem a vobis: quia ſine pallio impetrato conſecravit altare in curia: quia dilapidavit eccleſiam Treverenſem & pro alienis debitis obligavit, & litteras ſuas inde dedit. Quod ſacrilegus eſt de abbate ſancti Matthiæ & ſuis monachis, & de magiſtro Conrado de Confluentia. Quia numquam celebravit miſſam, quia patet inſufficiens, quod propter defectum pallii ſe non celebraſſe propoſuit: quia ſuper his omnibus eſt impœnitens, qui bibens ſubſannationem ſicut aquam, conſuetudinem in horum flagitiorum majoribus allegavit & revocati proceſſus aggravatione factum eſt. Extra ad petitionem & factum Philippi III. q. VI. LXXXI. di. *Tantis Danielis.*

FRAGMENTUM

FRAGMENTUM CHRONICI S. Mathiæ Trevirensis.

Ex MS. S. Mathiæ.

MXV. Decessit Megingaudus archiepiscopus.

MXXIII. Obiit S. memoriæ Richardus abbas, succedit Bertolfus abbas de S. Euchario.

MXLVII. Obiit Poppo, successit E.... archiepiscopus.

MXLIX. Obiit Bertolfus & succedit Reginardus abbas S. Eucharii.

MLXI. Decessit abbas Reginardus, successit abbas Roupertus.

MLXVI. Decessit Everhardus episcopus.

MLXVII. Successit Udo archiepiscopus.

MLXXIV. Decessit abbas Roupertus, successit Bernardus abbas.

MLXXV. Hic dominus Anno archiepiscopus Colonienſis decessit.

MLXXVIII. Decessit Udo archiepiscopus.

MLXXIX. Hic successit Engilbertus episcopus.

MLXXXIII. Ordinatio Engilberti archiepiscopi.

MXCI. Hoc anno concrematum est monasterium ..... lini Kal. Augusti.

BREVE CHRONICON Epternacense.

Ex MS. Epternacensi.

ANno Incarnationis Domini DCCXXXVIII. indict. VII. migravit ex hoc mundo S. Willibrordus relinquens hujus loci provisorem ALBERTUM abbatem, fuitque temporibus regum Clodovei filii Dagoberti & Clotarii filii Clodovei, & Theoderici fratris Clotarii, & Childeberti fratris Theoderici, atque Dagoberti filii Childeberti, necnon Chilpenici qui non de eodem genere fuit, principumque Francorum Pippini filii Anschisi ex Begga sorore S. Geretrudis ac filii ejus Karoli bellicosi cognomento Martelli.

ALBERTUS præfuit huic loco XXXVIII. annis *I. IX. & VII. *anno magni Karoli regis, qui est annus Incarnationis Domini DCCLXXVII. indictione XV. Berneradum Senonensem archiepiscopum reliquit hujus loci provisorem & abbatem.

BERNERADUS XX. annis regens hunc locum XXVII. anno magni Caroli regis, Incarnationis vero Domini DCCXCVII. indict. V. Adonem abbatem reliquit sibi successorem.

ADO etiam XX. annis administrans regimen hujus loci IV. anno Ludovici Pii filii Caroli magni, qui est annus Incarnationis Domini DCCCXVII. indictione X. Sigoaldum Spolitinæ urbis episcopum in regimine hujus loci sub nomine abbatis habuit successorem.

SIGOALDUS autem postquam per X. annos rexit hunc locum; XIV. anno Ludowici Pii, ac Incarnationis Domini DCCCXXVI. indict. V. cessit Hettino Trevirorum archiepiscopo regimen hujus loci cum nomine abbatis.

HETTINUS rexit hunc locum XI. annis & XXXV. anno Ludovici Pii, qui est annus Incarnationis Domini DCCCXXXVIII. indictione I. Hieronymus post eum suscepit nomen abbatis.

HIERONYMUS etiam præfuit huic loco XI. annis, & X. anno Lotharii imperatoris filii Ludovici Pii, Incarnationis vero Domini DCCCXLIX. indictione XII. nescimus quo ordine vel quo eventu Adelardus comes suscepit nomen abbatis, introductisque clericis, Hiltgerum præpositum præfecit eis.

Ab obitu S. Wilbrordi usque ad X. annum Lotharii imperatoris filii Ludovici Pii computantur C. & XI. anni.

ADELARDUS comes & abbas præfuit huic loco VII. annis, id est a decimo anno Lotharii imperatoris usque ad annum II. Lotharii regis filii ejus, qui est annus Incarnationis Domini DCCCLVI. indict. IV. Hic Lotharius rex excommunicatus est a Nicolao papa pro Valdrada pellice sua, quam duxit, relicta Thietberga regina. Sub Adalardo comite & abbate, fuerunt Hilgerus & Guntrannus præpositi canonicorum. *Abbates canonicorum.*

HUTTO episcopus & abbas successit Adelardo, præfuitque huic loco VIII. annis id est a secundo anno Lotharii regis usque ad X. annum regni ejusdem, qui est annus Incarnationis Domini DCCCLXIV. indict. XII.

RAGINARIUS comes & abbas successit Hattoni, rexitque hunc locum VII. annis, id est a decimo anno Lotharii regis, usque ad XVI. annum regni ejusdem, qui est annus Incarnationis Domini DCCCLXX. Quo anno idem rex pro absolutione Romam veniens, ab Adriano papa absolutus, apud Placentiam obiit, regnumque suum patrui ejus Karolus & Ludovicus filii Ludovici Pii, æquis partibus inter se diviserunt.

Sub Raginario abbate & comite fuit Altpertus præpositus canonicorum.

Anno Incarnationis Domini DCCCLXXI. indictione IV. CAROLUS rex frater Lotharii imperatoris, filius Ludovici Pii Karlomannum filium suum, qui per apostasiam diaconatus officium spreverat, & turbam prædonum ac latronum sibi sociaverat, cum quibus regnum patris infestabat, ac ecclesias Dei devastabat, captum oculis privavit, cui a patruo suo Ludovico rege cœnobium Epternacense concessum est ad subsidium vitæ. Invenimus etiam cartulam, quæ anno VIII. post obitum Lotharii regis, qui est annus Incarnationis Domini DCCCLXXVII. indictione X. suis temporibus facta est, in qua continetur Carlomannum nomen habuisse abbatis. Quo VII. anno post amissionem oculorum suo-

rum defuncto, ADELARDUS junior comes A succeſſit ei ſub nomine abbatis anno II. Ludovici regis Germanniæ, qui fuit filius Ludovici filii Pii, qui eſt annus Incarnationis Domini DCCCLXXVIII. indictione XI. ſub quo Folcricus & Hemeradus fuerunt præpoſiti canonicorum.

Præfuit autem huic loco ADELARDUS junior XIII. annis ac III. anno Arnulfi regis filii Carlomanni regis Bawariorum, qui fuit filius Ludovici filii Ludovici Pii, qui eſt annus Incarnationis Domini DCCCXC. indictione B VIII. Locus iſte delegatus eſt cuidam Ruoberto comiti ad regendum, ſub quo fuerunt Helingaudus & Hilduinus præpoſiti canonicorum.

ROBERTUS cum VIII. annis huic loco præfuiſſet X. anno Arnoldi regis ac Incarnationis Domini DCCCXCVII. indictione XV. Reinerus comes adeptus eſt hunc locum cum nomine abbatis, ſub quo fuit Berengaudus præpoſitus canonicorum.

REINERUS XIX. annis præſidens huic loco anno Incarnationis Domini DCCCCXV. indict. III. anno XXI. regnante Karolo filio Ludovici Balbi ex Adeleida regina, obtulit huic C loco *Berge* & *Ruodmachra*, *Waderloi* & *Thremethe*, cum eccleſiis & ceteris omnibus ſuis appendiciis. Et poſt hæc X. anno GISELBERTUS filius ejus ſucceſſit ei in regimine hujus loci ſub nomine abbatis, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXIV. indictione XII. anno vero Heinrici regis VII. cujus temporibus Goduinus & Herinus fuerunt præpoſiti canonicorum.

Poſtquam autem XXIII. annis rexit hunc locum, anno Incarnat. Domini DCCCCXLVII. indictione VI. HERIMANNUS dux ſucceſſit ei, D anno regni primi Ottonis XI. quo anno Rinera huic loco eſt reſtituta.

Poſt Herimannum ſucceſſit dux SIGEFRIDUS, cujus hortatu idem Otto imperator anno XXXIV. regni ſui, imperii vero XII. Incarnationis autem Domini DCCCCLXXIV. indictione II. canonicos ex hoc loco expulit, & turmam monachorum hic adunavit, abbatemque Ravengerum eis præfecit. Hæc apud Magdeburch fancita ſunt. Fuerunt autem canonici in hoc loco CXXV. annis.

Pulſis canonicis, ſuccedunt monachi quibus præfecti ſunt deinceps abbates regulares.

Præfuit autem huic loco vir venerabilis abbas RAVENGERUS annis XXXIII. id eſt a noviſſimo anno primi Ottonis uſque ad VI. annum E Heinrici, qui poſt tertium Ottonem elevatus eſt in regem.

Anno Incarnationis Domini MVII. indict. V. UROLDUS abbas ſucceſſit ei, cujus X. ordinationis anno contigit incendium monaſterii & clauſtri XI. Kal. Septembris, & eodem anno fundamentum poſitum eſt novi, qui eſt annus Dominicæ Incarnationis MXVI. indict. XIV. Qui infra XI. annos hoc monaſterium uſque ad feneſtras perfecit, caſicem aureum & tabulam auream & multa alia, quæ noſtra non recolit memoria huic eccleſiæ ab eo ſunt collata. Præfuit autem huic loco XXI. annis, id eſt a VI. anno Heinrici uſque ad IV. annum Cuonradi; tandemque propter incontinentiam corporis eſt depoſitus, locumque regiminis ſuſcepit abbas HUMBERTUS, ex monaſterio ſancti Maximini aſſumtus. Depoſitus itaque abbas Uroldus *Wizenburch* ſeceſſit, ibique ſexto anno depoſitionis ſuæ ex hoc ſæculo migravit; ſed poſtea a ſucceſſore ſuo Humberto inde eſt tranſlatus, ac in eccleſia ante altare ſancti Stephani honorifice ſepultus.

Vir itaque venerandus dominus abbas HUMBERTUS opus ab anteceſſore ſuo inceptum devotiſſime conſummavit, ac IV. anno ordinationis ſuæ a Treberenſi archiepiſcopo Poppone, anno Dominicæ Incarnationis MXXII. dedicari fecit, imaginibus & picturis decentiſſime decoravit, analogium argento adornavit, monaſticum ordinem ante ſe pene neglectum ſtrenuiſſime reparavit; multa ſuis temporibus huic loco acquiſivit, & XXIV. ordinationis ſuæ anno, id eſt Dominicæ Incarnationis MLI. indict. IV. V. idus Auguſti ex hoc ſæculo migravit, ac retro altare omnium ſanctorum ſepulturam meruit. Cui ſucceſſit dominus Reginbertus in Kalendis Decembris, non impar meritis ſui prædeceſſoris. Præfuit autem huic loco dominus abbas Humbertus a IV. anno Cuonradi uſque ad XIII. annum Henrici III.

Domnus itaque abbas REGINBERTUS aſſumto paſtorali officio, ut fidelis ſervus & prudens diſpenſator, ſubditos ſibi fratres, ut pater filios, educavit ac dilexit. Abbatiam ſub deſcriptione poſuit, ex quibus locis, & quibus temporibus quiſque fiſcus fratribus conſtitutam præberet annonam, ac diurnalia ſervitia inſtituit. Pani fratrum quadrantem appoſuit, præbendam in ovis & caſeis & uncia adauxit, addens unicuique fratrum ad ſtatutum ovum unum, & caſeum qui antea inter IV. dividebatur, inter III. partiri juſſit; & ad unciam XVIII. denarios addidit. In præcipuis diebus a natalitiis ſanctorum, necnon in anniverſariis patris ac matris & duorum fratrum ſuorum, diurna ſervitia conſtituit. Ad poſtremum ſucceſſorem ſibi domnum TIOFRIDUM deſignavit, ſicque XXX. ordinationis ſuæ anno III. idus Decembris in pace quievit & in ſepulchro quod ipſe ſibi vivens in conventu paraverat, ab Egilberto Trevirorum archiepiſcopo ac devotis ſibi filiis anno Incarnationis Domini MLXXXI. indict. IV. ſepultus eſt, Heinrico IV. imperatore cum exercitu in Italia degente, anno XXVI. regni ejus. Præfuit autem huic loco a XXII. anno regni Heinrici III. uſque ad XXVI. annum regni Henrici IV.

Quem poſt biennium adiens dominus abbas TIOFRIDUS, Romæ anno Incarnationis Domini MLXXXIII. XII. Kal. Decembris, ab-

batiam ſuſcepit, eamque per XXVIII. annos, in omnibus ſequens veſtigia prædeceſſoris ſui, ut verus Iſraëlita, ſtrenuiſſimè rexit. Gichilingun, allodium apud Burnen, & *Aldeſtorph* comparavit,* eaque fratrum uſibus delegavit, ac anno Incarnationis Domini MCX. indictione tertia, tertio nonas Aprilis in ſenectute bona obdormivit in Domino, ſepultuſque eſt in conventu a Brunone Trevirenſi archiepiſcopo; cui ſucceſſit GERARDUS abbas IV. Kal. Maii. Præfuit autem huic loco beatæ memoriæ dominus abbas Tiofridus a XXVIII. anno Heinrici IV. uſque ad III. annum regni Henrici V.

* Vide inſtrumentum de adveſtito Henrico. t. 1. p. 550.

Adepta itaque Geraldus abbatia, multa in rebus eccleſiaſticis intulit diſpendia. Immutavit omnia ab anteceſſoribus ſuis fratribus inſtituta, quæque potuit laïcis feodavit, quorum conſilio depravatus, ſuccidi fecit circumadjacens nemus.

ALIUD BREVE CHRONICON Epternacenſe, ſeu prioris continuatio.

Ex MS. Epternacenſi.

RABODO Trevirorum archiepiſcopus & abbas præfuit huic loco VIII. annis, id eſt a V. anno regni Arnulfi imperatoris, uſque ad I. annum Zuendiboldi regis, qui eſt annus Incarnationis Domini DCCCXCVII.

REINERUS comes & abbas præfuit huic loco IX. & X. annis, id eſt a tertio anno Znendiboldi regis uſque ad IV. annum Caroli regis filii Ludovici Balbi, qui eſt annus DCCCCXV. Incarnationis Domini. Berengaudus præpoſitus loco abbatis præfuit huic loco IX. annis; id eſt a IV. anno regni Caroli, uſque ad VIII. annum Henrici primi regis, qui eſt annus Incarnationis Domini DCCCCXXIII.

GISILBERTUS dux & abbas, filius Reineri, præfuit huic loco XXIV. annis, id eſt ab VIII. anno Henrici humilis, uſque ad XV. annum regni primi Ottonis, qui eſt annus Incarnat. Domini DCCCCXLIX.

Godowinus præpoſitus, cum Herino præfuit huic loco .... annis, ſub ducibus Heremanno & Sifrido, hoc eſt a XV. anno regni primi Ottonis uſque ad XXXIV. ejuſdem. qui eſt annus Incarnationis Domini DCCCCLXXIV. Quo anno initio Martii idem imperator, petente Sifrido comite, deficientibus in hoc loco canonicis, monachos hic reſtituit, abbatemque Ravangerum eis præfecit. Actum eſt autem hoc publice apud Magdeburch coram principibus.

RAVANGERUS abbas miſſus ab Ottone primo, cum XL. monachis, præfuit huic loco XXXIII. annis, id eſt a noviſſimo anno ejuſdem primi Ottonis uſque ad VI. annum Henrici ſecundi imperatoris, qui poſt tertium Ottonem regnavit, ac anno Incarnationis Domini MVII. XIX. Kal. Septembris in pace quievit.

UROLDUS abbas præfuit huic loco XXI. annis, id eſt a VI. anno Heinrici uſque ad IV. annum Cuonradi imperatoris. Anno vero Incarnationis MXXVIII. ab abbatia depoſitus, *Wizenburch* ſeceſſit, ibique anno ſeptimo depoſitionis moritur: ſecundo idus Novembris obiit. Hujus decimo ordinationis anno contigit incendium monaſterii & clauſtri XI. Kal. Septembris, eodemque anno fundamenta poſuit novi, qui eſt annus Incarnationis Domini MXVI. & infra XI. annos uſque ad feneſtras ædificavit.

HUMBERTUS abbas præfuit huic loco XXIV. annis, id eſt a IV. anno Cuonradi regis, uſque ad XIII. Heinrici regis III. ac anno Incarnationis Domini MXXXI. a Poppone Trevirorum archiepiſcopo hoc monaſterium dedicari fecit, eademque die corpus beati Wilbrordi ſub principale altare a loco ſepulturæ ſuæ tranſtulit. Hic etiam monaſterii opus a prædeceſſore ſuo inchoatum conſummavit, clauſtrum quoque ædificiis, diſciplina & religione prius neglecta, emelioravit.

REGINBERTUS abbas in Kal. Decembris ſuſcepta abbatia præfuit huic loco XXX. annis, id eſt a XXII. Henrici tertii uſque ad XXVI. annum regni Heinrici IV. qui eſt annus Incarnationis Chriſti MLXXXI. ac tertio idus Decembris obdormivit in Domino. Hic præbendam fratrum ſub deſcriptione poſuit, diurnalibuſque ſervitiis, ſcilicet in præcipuis feſtis & quorumdam ſanctorum honeſte augmentavit.

THEOFRIDUS abbas anno Incarnationis Domini MLXXXIII. XIII. Kal. Decembris abbatiam Romæ ſuſcepit, eamque per XXVIII. annos ſtrenuiſſime rexit, ac anno MCX. Incarnationis Dominicæ tertio nonas Aprilis ex hac luce migravit. Præfuit autem huic loco a XXVIII. anno regni Heinrici IV. uſque ad III. annum regni Henrici V. ſubtiliſque ingenii monimenta plurima in proſis & metris & diverſis hiſtoriarum cantibus, in quibus mirifice floruit, dereliquit.

GERARDUS abbas IV. Kal. Maii ſubrogatus abbatiæ, præfuit huic loco XIII. annis. Anno vero Incarnationis Domini MCXXII. juſſu Henrici imperatoris & archiepiſcopi Brunonis, propter multimoda diſpendia eccleſiaſticis rebus illata, paſtoralem virgam III. Kal. Novembris ſuper altare reddidit, dieſque XX. tantum ſupervivens, anno XV. regni Henrici quinti XIII. Kal. Decembris obiit.

CODEFRIDUS abbas, ſuſcepta abbatia Kal. Januarii, rexit hunc locum XXXIII. annis & ſemis, id eſt a XVI. anno Henrici quinti uſque quintum annum Friderici imperatoris. Hic annis XVII. apud nos ſtrenue agendo ſpectabilis factus, defuncto ALBERONE Prumienſe abbate eodemque Baſilienſi epiſcopo, a Cunrado rege, filio ſororis Henrici impera-

toris, qui Lothario ſuccedens, tertium annum agebat in ſceptris, communi fratrum & fidelium expoſtulatione, Prumienſi quoque eccleſiæ in patrem eſt ſubrogatus, primiſque & mediis ſuæ prælationis temporibus hic & ibi ſatis auſpicialiter utilem ſe exhibuit, & in clauſtralibus & in ſæcularibus actionibus. Cum vero poſtea, ut ipſe dicebat, pro veneficiis quibus infectus fuerat, neſcimus quo auctore, graviter infirmaretur; Prumienſes ab eo defecerunt, ut a ſui regimine ceſſaret cum Arnaldo Colonienſi archiepiſcopo, apud imperatorem Fridericum XIII. anno ex quo ibi venerat, effecerunt. Verum ad nos reverſus, tribus tantum annis ſupervixit, in quibus excoctus igne ingravescentis infirmitatis, anno V. Friderici imperatoris, qui eſt annus Dominicæ Incarnationis MCLV. felici conſummatione IX. Kal. Junii ſæculum mutavit, ſepulturamque in medio monaſterio ante altare omnium ſanctorum meruit.

GERARDUS abbas præfuit huic loco XVIII. annis, id eſt a quinto imperii Friderici imperatoris anno ... qui eſt annus Incarnationis MCLXXIII. Qui propter multimoda rerum eccleſiæ diſpendia, in Aſſumtione S. Mariæ paſtorali virga ſuper altare S. Willibrordi reddita, abbatiam reſignavit, & reliquos dies vitæ ſuæ in omni humilitate & religione peregit.

LUDOVICUS abbas S. Eucharii Treveris XXIII. imperii Frederici imperatoris anno electus, præfuit huic loco VIII. annis, id eſt ab anno Incarnationis Domini MCLXXIII. uſque ad annum MCLXXXI. & apud dictum imperatorem abbatiam hujus loci reſignavit, in qua Godefridus ejus capellanus ſubrogatus eſt, & ipſe ſe ad eccleſiam ſuam Treveris contulit.

GODEFRIDUS abbas præfuit huic loco XXVIII. annis, ab anno Incarnat. Domini MCLXXXI. uſque ad annum MCCX.

BARTHOLOMÆUS præfuit huic loco XXI. annis, id eſt ab anno MCCX. uſque ad annum MCCXXXI.

REINERUS abbas præfuit huic loco XI. annis ab anno Incarnationis Domini MCCXXXI. uſque ad annum Domini MCCXLII. a Theodorico archiepiſcopo confirmatus, abbatia ab Henrico ſeptimo Romanorum rege ſuſcepta.

ARNOLDUS abbas venerabilis dignus æterna memoria, electus in abbatem, ab Arnolfo Trevirorum archiepiſcopo confirmatus. Abbatia ſuſcepta, a Guirado auguſto filio Friderici ſecundi apud Haganoe anno Incarnationis Domini MCCXII. eamdem ſuis temporibus ſtrenuiſſime rexit, & fratres ſibi ſubditos ut pater filios educavit & dilexit. Frequentia gravamina ſuo tempore orta ad glorioſum finem perduxit. Præbendam fratrum ſuorum in pane, vino & aliis pitantiis copioſe auxit. Ad curtes *Berg* & *Mondrichen*, quas ſua induſtria de novo ædificavit, & ad ædificia ſuper Moſellam aliarum curtium, ſeu ad molendinorum reparationes quadringintas libras & amplius expendit. Inſuper in augmentationem reddituum temporalium, quos ſuis temporibus comparavit ſeu conquiſivit, quingentas libras & amplius expoſuit: abbatiam etiam quam in ſuæ confirmationis novitate quadringentis libris debitorum & amplius invenerat obligatam, juribus monaſterii diſtricte conſervatis, & univerſis ſuæ curæ connexis ad felicem ſtatum redactis, a debitorum onere penitus exemit & abſolvit. Sui etiam tempore paſtoratus monaſterium ac monaſterii ambitus teſtudinibus cooperta, feneſtrarum picturarumque ornatibus ſunt decorata. Cum itaque dictus ARNOLDUS abbas venerabilis hujuſmodi regiminis exercitio a ſuæ electionis tempore XXVII. annis efficaciter & laudabiliter inſudaſſet, teſtamento ſubſcripto in Dei omnipotentis & ſanctorum laudes, ac confratrum ſuorum utilitatis commodum præordinato & ſtatuto, ab ergaſtulo hujus vitæ ſolutus, glorioſo fine migravit ad Dominum anno Dominicæ Incarnationis MCCLXIX. XVI. Kal. Januarii, & morte ſua corda totius congregationis intolerabili mœrore concuſſit.

HENRICUS Gallicus abbas præfuit huic loco uno anno, id eſt ab anno Incarnationis Domini MCCLXIX. uſque MCCLXX. obiit V. idus Octobris, cujus memoria ſit in benedictione.

RICHARDUS abbas præfuit huic loco XXVI. annis, obiit III. nonas Junii. Diverſa ipſius inſtrumenta conſpiciuntur pro utilitate monaſterii, data annis 1280. 1288. 1290.

LUDOVICUS abbas præfuit huic loco duobus annis, id eſt ad annum Incarnationis Domini MCCXCVIII. obiit XVII. Kal. Septembris.

HENRICUS DE SCHONECK abbas præfuit huic loco XXXI. annis. Abbatiam ab Alberto Romanorum rege ſuſcepit, XIII. Kal. Octobris anno Domini MCCXCVIII. regni Alberti anno primo, indict. XII. Hic abbas vir fuit magnæ liberalitatis & honeſtatis, ob quod etiam omnibus dilectus, abbatiam ſtrenue rexit, & III. Kal. Octobris in pace quievit.

ARNOLDUS abbas in abbatem electus, a venerabili viro BALDEWINO archiepiſcopo Trevirenſi confirmatus, abbatiam a Ludovico Romanorum rege, in Colonia ſuſcepit, anno Incarnationis Domini MCCCXXIV. regni vero ejuſdem anno X. quam ſuis temporibus, tamquam pius pater, ſtrenue rexit. Fuit enim homo devotus, pacificus, bonus, manſuetus, verecundus, oſor vitiorum & præcipue pollens caſtitatis decore. Modicum ſibi uſurpans de rebus monaſterii, ſed convertens in debitorum ipſius ſolutiones, ut claruit in ejus teſtamento. In civitate Treverenſi ab hujus ergaſtulo vitæ ſolutus bono fine migravit ad Dominum X. Kal. Junii in vigilia Pentecoſtes, anno Domini MCCCXXIX. Poſt

quem craſtino diei Pentecoſtes electus eſt in abbatem Theodericus.

THEODERICUS DE ARE abbas electus in abbatem, impeditus fuit confirmari per quatuor menſes & amplius a Baldewino reverendo viro Trevirenſi archiepiſcopo, quem comitiſſa de *Spanheim* in caſtro ſuo *Starckenberg* mancipatum tenebat: quo tandem ſoluto, fuit idem Theodericus ab eo confirmatus. Abbatiam autem a Ludovico rege Romanorum ſuſcipere verebatur, quia pontifices ſummi Johannes XXII. & Benedictus XII. excommunicabant eum, dicentes non rite fuiſſe electum in regem. Nihilominus tamen ipſe Theodericus oppoſuit ſe murum pro domo Domini vigilanter, & non ſegniter infudando alienata a monaſterio ſuo revocare, jura defendere & conſervare, pro quibus defendendis & conſervandis ſæpius non formidavit pericula corporis & rerum. Propter quam quidem animi ipſius alacritatem, multa incumbebant eidem incommoda, gravamina & damna. Fuerunt enim temporibus ejus horreum infra muros & ſepta monaſterii, plenum frugibus ab ignotis incendiariis nocturnis in vigilia S. Willibrordi, & curtis de *Bergh* in ſeditione quam epiſcopus Metenſis contra dominum de Coden machia habuit, ab ipſius ſatellibus epiſcopi combuſta. Seditione etiam non levi inter oppidanos in Epternaco, juſtitiam ibidem regentes, & plebem exorta, dictus dominus Theodericus prudenter perpendens & præcavens in futurum, & videns quod hujuſmodi mota ſeditio gravis poſſit afferre impedimentum & detrimentum ipſius juſtitiæ Epternaci, juſtitiam regentibus adhæſit, & probiter adſtabat apud dictum dominum Baldewinum Trevirorum archiepiſcopum, cui tunc temporis ſuberat præpoſitura de *Bidburch*, a Johanne rege Bohemiæ & comite Lucemburgenſi ejus conſanguineo, titulo pignoris obligata, laborando quod dicta gravis diſcordia fuerat ſopita cum dictorum juſtitiam regentium honore ſalvo. Quod male ferentes quidam nequam de vulgo, domini abbatis ipſius torcular ulterius nocturnis incendiis deleverunt: quæ omnia ſic incendio devaſtata, idem in multo meliorem ſtatum ædificando reformavit, aliaque multa præclare geſſit. Cum tamen ſemper timeret, ne ita prodeſſet ſicut voluiſſet, convocata capituli ſui congregatione, baculo paſtorali renuntiavit anno Domini MCCCXL. XVI. Kal. Martii, die videlicet S. Valentini martyris. Conventus vero ejus confidens prudentiæ & circumſpectioni ejus reſignationem noluit acceptare, flendo & ululando exorantes unanimiter, ut eos paſtore deſolatos deſerere non vellet. Ipſe vero in ſuo conſtans propoſito eorum precibus & fletibus non potuit molliri. Fratres vero videntes ejus animi invincibilitatem, eum conſuluerunt pro alio utili & digno paſtore ſibi eligendo. Qui cum aliquibus ſuis confratribus ſeorſum receptis ſecedens, in dominum Joannem eleemoſynarium, virum benemeritum & dignum, tamquam in paſtorem & abbatem concordavit, cum conſenſu omnium fratrum eum eligens in abbatem, & ſic bene concludens, abbatiam ſtrenue ſuo tempore gubernatam, ſine magnis debitis reliquit.

JOHANNES DE WYNNINGEN abbas electus in locum avunculi ſui Theoderici prædicti, qui abbatiam reſignaverat, cum ipſius avunculi ſui Theoderici prædicti voluntate & unanimi fratrum omnium conſenſu, anno Domini MCCCXL. præfuit huic loco XIII. annis, & obiit anno Domini MCCCLIII. ſeptimo die menſis Octobris.

JOHANNES DE NOVAVILLA prædicti Johannis ſucceſſor confirmationem ſuſcepit ab Innocentio, anno pontificatus illius quarto. Quot annis hi duo præfuerint ignoratur. Exſtat ipſius teſtamentum datum anno MCCCLV.

WILLELMUS DE KERPENA abbas regalia ſua ſuſcepit a Carolo quarto, anno Domini MCCCLXII. diverſa inſtrumenta pro utilitate monaſterii fecit an. MCCCLXXI. MCCCLXXIII.

HERTRUINUS DE WALDECK.

PHILIPPUS filius Arn. comitis de *Homburg*, electus in abbatem obiit ante confirmationem anno MCCCLXXVII.

ROPERTUS præfuit annis duobus, obiit an. MCCCLXXIX.

VIRICUS DE ATINBACH abbas confirmationem ab Urbano recepit pontificatus illius anno primo, a quo etiam bullam promotorialem ad Cæſarem impetravit, Carolum ſcilicet quartum. Regalia ſuſcepit a Wencelao Romanorum rege anno MCCCLXXIX. Diverſa inſtrumenta edidit pro utilitate monaſterii 1386. 1393. 1400. ultima Maii.

PETRUS GYMNICH nepos præcedentis, confirmationem ſuam recepit a Bonifacio papa pontificatus ſui anno undecimo: a quo impetravit mandatum ad ſubditos vaſſallos & miniſteriales Epternaci, ut illum ſuſciperent, & fidelitatem ſolitam & conſuetam ei exhiberent. Regalia recepit a Venceſlao Romanorum rege anno 1400. XX. Septembris: anno 1411. ſolvit archiepiſcopo Trevirenſi ſubſidia.

NICOLAUS DE GYMNICH regalia ſua recepit Confluentiæ a Sigiſmundo Romanorum imperatore anno Domini MCCCCXIV. XIX. Auguſti. Præerat adhuc anno 1418.

PETRUS DE HUBEN 1426. 1429.

WINANDUS DE GLUVEL anno Incarnationis Domini 1418. venit Epternacum, ubi per preces avunculi ſui Godefridi de *Gluvel* obtinuit locum, factuſque monachus regulariter & devote ibidem ſervivit, ac poſt anno Domini 1437. die 14. menſis Januarii unanimi & concordi omnium fratrum electione in abbatem electus eſt. WILHELMUS

autem abbas S. Martini Trevirenſis immiſit ſe abbatiæ poſt mortem Petri de *Huben* titulo reſignationis. Unde & dictum dominum Weynandum electum in jus traxit: ſed per diffinitivam ſententiam reverendi patris domini BURCHARDI (*a*) epiſcopi Aquenſis judicis & commiſſarii a ſacroſancta generali ſynodo Baſileenſi deputati, cum condemnatione expenſarum cedere compulſus eſt. A quo epiſcopo idem electus ex decreto ejuſdem ſynodi benedictionis munus accepit Baſileæ, in eccleſia fratrum Minorum, anno 1439. die Dominico 28. menſis Decembris pontificatus SS. domini Eugenii papæ quarti anno octavo. Obiit hic Winandus, ut colligi poteſt ex electione Colini abbatis, anno regiminis 28.

COLINUS PLIECK de *Oirvvich*, vacante abbatia per mortem domini Wynandi abbatis, & per ceſſionem fratris ſui germani, in quem electio ceciderat, de conſenſu ſcitu & voluntate totius conventus obtinuit abbatiam anno ab Incarnatione Domini 1466. nona die Februarii, & benedictionem a JOHANNE epiſcopo Liberienſi, reverendi patris domini LUDOVICI DE BORBON vicario, in monaſterio canonicorum regularium S. Martini, *in oppido Lovanienſi* recepit anno pontificatus Pauli II. ſecundo.

BERNARDUS DE BEFFORT ſucceſſit, ut colligitur ex quadam ſupplicatione aliiſque litteris, frater Johannis & domini de *Beffort*. Sub domino Vinando & ſub Colino abbate decanus extitit.

FRANCISCUS PLICK ceteris merito adſcribendus, jam pridem ultro oblatos honores mira animi altitudine averſatus repudiarat, eligens abjectus eſſe in domo Domini, ac ſubeſſe magis quam præeſſe: rarum exemplum viroque religioſo dignum; verum germano fratre abbate prædeceſſore ſuo Colino, cui dictos honores detulerat, rebus humanis ſublato, ex altera vice unanimi fratrum voto abbas eligitur, eorumque precibus victus, ægre aſſenſum præbens, paulopoſt vi vel metu ſæculari coactus fuit eidem electioni renuntiare, & conventus in ejus locum eligere Jacobum a Fay, jam tum monaſteriorum S. Vincentii Metis commendatorem, & divæ Mariæ Luxemburgi abbatem, cujus vel amicorum *intatiabili ambitioni* Franciſcus fruſtra reluctatus, tandem ſuccubuit, aut verius pacem iniit.

JACOBUS FAY de Novo caſtro ſuſcepit habitum religionis & ordinis S. Benedicti in monaſterio S. Eugendi Lugdunenſis dioceſis, viceſima prima menſis Januarii, anno Domini 1473. ac illico poſt factus eſt commendator monaſterii S. Vincentii Metis, & abbas monaſterii S. Mariæ apud Lucemburgum, & poſt anno Domini 1476. vacante abbatia Epternacenſi, per mortem domini Colini *Plick* de *Oirvvich*, ſe electioni, quæ per fratres jam altera vice canonice facta fuerat, in dominum Franciſcum *Plick* ſupradicti domini Colini fratrem objecit, per vim ſe intrudens. Cauſam hanc traxit electus ad Romanam curiam, ubi cum diu multis expenſis agitata fuiſſet, ſub concordia * ſedata eſt per cardinalem Mediolanenſem ſubſcripta & ſigillata. De hac controverſia multa Bertelius hiſtoriæ ſuæ *Lucemburg*, catalogo abbatum Epternacenſium folio 173. ac potiſſimum Munſterienſium. Sedit in poſſeſſione pacifica a 17. Februarii ad 14. Sextilis 1490. undecim annis ſex menſibus.

* Subſcriptum Romæ, quæ in camera apoſtolica ad eos dicatur ſunt tenuit.

BURCHARDUS POISS WYNN de Novocaſtro anno Domini 1455. ſuſcepit habitum religionis in monaſterio noſtro. Hic lite pendente in Romana curia inter Franciſcum *Plieck* electum & Jacobum *Fay* de Novocaſtro intruſum, contendentes de abbatia, ac bonis monaſterii per dictum Jacobum & ejus adhærentes vi direptis & diſtractis, conſtitutus eſt adminiſtrator generalis & ſpecialis omnium cauſarum & rerum monaſterii, per reverendum dominum archiepiſcopum Trevirenſem. Mortuo domino Jacobo abbate, unanimi fratrum electione electus eſt in abbatem anno Domini 1490. Hic anno regiminis numquam ſatis laudati ſexto, reformationem per fratres aliquot religioſæ vitæ de monaſterio S. Maximini introduxit, irreformatis certa annua penſione contentis. Anno vero decimo introductæ reformationis, id eſt anno Domini 1506. obiit ſepultus ante ſacrarium.

ROBERTUS A MONREAL de *Malburgh* anno Domini 1506. ſacerdotii ſui ſecundo, electus abbas, & anno ſubſequenti a Julio ſecundo pontifice maximo confirmatus, ut nobilitate generis, ſic vitæ meritis mirum exſplenduit, Dei nutu ſpartæ Willibrordinæ circa turbulentiſſima tempora quibus hæreticorum pravitas germinare cœperat ſubmiſſus, ut immunitates, juriſdictiones & ſummorum pontificum necnon imperatorum ac regum conceſſa monaſterio privilegia ſua auctoritate contra invaſores defenderet: quod & eo felicius eſt executus, quod reges & principes eccleſiaſticos juxta & ſæculares ſingulari quadam dexteritate & epiſtolarum frequenti correſpondentia ſibi conciliarit, atque ita conatus perverſorum hominum facili negotio reddiderit innocuos. Religioſos ſuæ curæ commiſſos fraterne habuit, divini cultus zelator ferventiſſimus. Arcem Bollevillanam fere collapſam reſtauravit, vennamque ibidem piſcationi accommodam in fluvio Sura erexit, multa alia reparavit & etiam acquiſivit & redemit. Dum hunc in modum interius exteriuſque pro regulari obſervantia & monaſterii commodis per triginta tres annos ſtrenue deſudaſſet, laboribus tandem fractus, anno 1539. tertia Maii moritur, & juxta

(*a*) In Gallia Chriſtiana dicitur Bernardus Laplanca.

prædeceſſorem ante fores ſacriſtiæ ſepelitur.

MATHIAS A LUTZERADT.

JACOBUS AB ALTEN EBERSTEIN.

GODEFRIDUS AB ASPERMONT.

ANTONIUS HOVÆUS ab Hecmunda. Vide Bertelium.

MARTINUS MASIUS a Meerbeck.

JOHANNES GLATTIUS A LUTZEMBURGO.

JOHANNES BERTELS A LOVANIO.

PETRUS A RICHARDOT.

PETRUS FISCH A ROSPORT.

RICHARDUS PASCHASIUS DE BEURE.

BREVE CHRONICON

Ex MS. Prumienſi.

ANnus MXXXIX. Rambertus epiſcopus monas Junii obiit. Cuonradus imperator. Richardus abbas Fuldenſis. Cuonradus dux. Willihelmus comes. Radolfus abbas. Obiit Heinricus Babenbergenſis abbas. Reginboldus epiſcopus.

Annus MXL. Hildolfus epiſcopus obiit. VII. Kal. Julii obiit Sunzo abbas. II. idus Auguſti obiit Eberhardus Babenbergenſis epiſcopus.

Annus MXLI. obierunt Ernuſt & Burchart comites. Ruotharius epiſcopus. Godehardus comes. Ditmarus archiepiſcopus. Erpo comes. Arnoldus abbas.

Annus MXLII. II. idus Aprilis obiit Helias abbas. Heribertus epiſcopus. Bobbo patriarcha.

Annus MXLIII. XVI. Kalendas Martii obiit Giſela imperatrix. V. Kalendas Aprilis obiit Eiginardus Fuldenſis eccleſiæ abbas. VII. idus Maii obiit Bruningus Laureshamenſis abbas. Ercamboldus abbas.

Annus MXLIV. obiit Hazecho Wormatienſis eccleſiæ epiſcopus. Adilgerus epiſcopus. Eclypſis ſolis facta eſt x. Kal. Decembris a prima hora uſque ad octavam.

Annus MXLV. Brun epiſcopus.

Annus MXLVI. Cuono ſcholaſticus.

Annus MXLVII. Eppo epiſcopus. Boppo archiepiſcopus. Diedericus epiſcopus. Hageno abbas. Anshelmus abbas. Heinricus dux. Obiit Clemens papa, VII. idus Octobris, Otto dux. Ruhingus abbas.

Annus MXLVIII. Annus MXLIX. Diedericus dux. Clemens abbas. Ratmundus abbas, Herrant abbas. Gamnolt abbas.

Annus ML. obiit Hunolt epiſcopus. Wicburc abbatiſſa. Gerhardus ſcholaſticus. Geroldus abbas.

Annus MLI. Hunfridus archiepiſcopus. III. Idus Junii obiit Bardo archiepiſcopus. Rodolfus epiſcopus. Gozwin comes. Gumbrat ſcholaſticus.

Annus MLII. Eppo miles. Nithardus epiſcopus. Hugo abbas. Adelolt abbas. Aaron abbas. Radebodo comes.

Annus MLIII. Brun ſcholaſticus. Hezechint epiſcopus.

Annus MLIV. Leo papa. Sigebodo epiſcopus. Ruoggart abbas.

Annus MLV. Odalricus epiſcopus. Cuonradus puer filius imperatoris. Biotmar abbas. Buolo abbas. Arnoldus epiſcopus. Cuono dux. Welf dux. Duitvinn epiſcopus. Welteri epiſcopus.

Annus MLVI. Heriman archiepiſcopus. Henrich comes. Henricus imperator.

Annus MLVII. Theodericus epiſcopus. Victor papa.

Annus MLVIII. Beatus Stephanus papa. Helpoldus abbas. Wiſilo abbas. Ekkebertus abbas. Gunthardus abbas.

Annus MLIX. Winitharius epiſcopus. Meinherus abbas. Gotahelmus abbas. Burchardus epiſcopus. Lyubpolt archiepiſcopus.

Annus MLX. Adalbertus comes. Arn. abbas. Brunningus comes. Gobchardus epiſcopus. Malthildis abbatiſſa.

Annus MLXI. Abbelinus abbas.

Annus MLXII. Sigebodo comes. Adalbardus abbas. Bardo abbas.

Annus MLXIII. Otheri ſcholaſticus. Diobolt comes. Heinricus epiſcopus. Engilhart archiepiſcopus. Meinhardus epiſcopus.

Annus MLXIV. Annus MLXV. Thomas epiſcopus. Sigefrid comes. Guntheri epiſcopus. Arnnoldus epiſcopus.

Annus MLXVI. Adilhelmus abbas. Guntherus comes. Eberardhus archiepiſcopus Trevirenſis. Burchardus comes occiſus. Buggo comes. Bicho abbas.

Annus MLXVII. obiit Gozwin comes. Gerbart comes. Werinhart comes. Eberhardus comes.

Annus MLXVIII. Egberdus comes. Sigifridus abbas. Hugo comes occiſus.

Annus MLXIX. Herimannus comes. Godefridus dux.

Annus MLXX. Herimannus comes. Dedi comes. Sigefridus comes. Stephanus comes.

Annus MLXXI. obiit Saricho abbas. Meinwardus abbas. Ricmundus & Wideroldus comites occiſi.

Annus MLXXII. Diodericus abbas. Emehardus ſcholaſticus. Degano abbas. Adilbertus archiepiſcopus. Zeizolf comes & Bellunc occiſi.

Annus MLXXIII. obiit Arnnoldus abbas. Alexander papa. Gerhart comes. Sigebodo comes. Wizelinus comes.

Annus MLXXIV. Ezelinus abbas. Sarcho preſbyter & abbas. Ruothardus abbas.

Annus MLXXV. Meinhardus epiſcopus. Heinricus epiſcopus. Odalrich abbas. Gundekar epiſcopus. Anno archiepiſcopus.

Annus MLXXVI. obiit Immit epiſcopus.

Gozelo dux. Ruothardus abbas.

Annus MLXXVII. Eberhardus comes.

Annus MLXXVIII. Folcradus abbas. Udo comes. Richardus abbas. Udo archiepiſcopus.

Annus MLXXIX. Hezil epiſcopus. Sofronius patriarcha. Wernherus abbas.

Annus MLXXX. Gregorius ſolitarius. Ruodulfus dux.

Annus MLXXXI. Annus MLXXXII. Erenfridus epiſcopus. Reginbertus abbas. Heriman comes.

Annus MLXXXI'I. Otto dux.

Annus MLXXXIV. Fridericus epiſcopus. Sigebertus abbas. Sigefridus archiepiſcopus.

Annus MLXXXV. Willerannus abbas. Arnoldus comes.

Annus MLXXXVI. Cuonradus comes occiſus.

Annus MLXXXVII. obiit Hezil abbas. Reinbertus abbas.

Annus MLXXXVIII. annus MLXXXIX. annus MXC. Sigemundus abbas.

Annus MXCIII. Cuonradus comes.

Annus MXCIV. Fridericus abbas. Berngerus abbas.

A Annus MXCVI. obiit Hartmannus abbas. Altwinus epiſcopus. Ruthardus abbas.

Annus MXCIX. obiit Heremannus Colonienſis archiepiſcopus. Cuonradus Trajectenſis epiſcopus.

Annus MC. Godofridus dux. Otto epiſcopus.

Annus MCI. Godofridus comes. Gozwinus comes. Beredolfus comes.

Annus MCII. Godofridus comes. Heinricus imperator cum exercitu terram Ruperti comitis Flandrenſis intrat, caſtrum *Bolzain* B cum multis aliis caſtellis capit & incendit, & firmiſſimum caſtrum Scluſam expugnat & incendit, multis captis & paucis occiſis. Rupertus victoriæ imperatoris invidens ſua ipſe munitiſſima caſtella comburit, ſcilicet Inci, Bapalmas, Demeis, Marcon, quod ipſe conſtruxerat contra Cameracum.

Annus MCIII. Rudpertus Leodii imperatoris gratiam impetrat. Obiit Bruno corepiſcopus.

Annus MCIV. Otto abbas de Werda, Hroda incluſa de Prumia.

ANNALES NOVESIENSES

Ex MS. codice Noveſienſi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

HISTORIÆ archiepiſcoporum Trevirenſium, aliiſque ad eorum diœceſim pertinentibus monumentis apte ſubjungimus Annales Noveſienſes, utpote qui Colonienſium etiam archiepiſcoporum geſta paſſim attingunt. Nam etſi Wernerus Titianus eorum auctor, ſui præſertim monaſterii hiſtoriam conſcribendam ſibi propoſuit; id ita tamen præſtitit, ut ſimul archiepiſcoporum, civiumque Colonienſium aliarumque circumpoſitarum regionum res geſtas intactas non reliquerit. Eſt autem Noveſium, vulgo Nuys, *haud ignobile oppidum Germaniæ inferioris, ad confluentes fluvii Erſti & Rheni, fere e regione Dußeldorpii ſitum, a Colonia ſeptem leucis diſtans, totidemque a Ruremunda. Ejus in ſuburbio quondam fuiße aiunt Liberi patris fanum, quod collapſum ac ſemirutum Aldevvinus archiepiſcopus anno 690. in templum beatæ Mariæ Magdalenæ ſacrum convertit: anno vero 881. Normannis Coloniam Agrippinæ, Bonnam, Liſpiacum, Noveſiumque igne depopulantibus, etiam templum illud in favillas redactum fuiße, quod poſtmodum Sigevvinus archiepiſcopus anno 1091. in amplioris formæ & magnificentiæ baſilicam reſtauravit, & in honorem beatæ Mariæ conſecravit. Philippus autem archiepiſcopus anno 1181. canonicorum regularium ordinis ſancti Auguſtini monaſterium ibidem inſtituit, ut vitæ communis, quæ ad ejus uſque tempora in majori Colonienſi eccleſia perſeverarat, abrogationem quodammodo compenſaret. Adduni canonicos Colonienſes ampliſſimos novo monaſterio reditus ſponte conceſſiſſe, ex eiſque nonnullos vitam religioſam fuiſſe profeſſos. Hæc ex tranſmiſſis nobis e Noveſio ſchedis. Sed ea juvat fuſius hic ex magno chronico Belgico referre. Sic enim ibi ad annum Chriſti 1074. legimus.*

Ordinis regularium reparatio per univerſam Latinitatem ſe dilatarat, quemadmodum ſupra tempore Gregorii ſeptimi hujus nominis habetur, incœpit anno ſalutis 1074. ſæculares vero canonici pro parte ad regularis vitæ tramitem unde exciderunt non ſunt reverſi. Ex quibus canonici majoris eccleſiæ Colonienſis, domini videlicet in ſummo templo extiterunt. Nam antea ſub abbate Deo regulariter militaverunt. Prout etiam Carolus Magnus rex & imperator in Aquiſgrano & in Hoyo & aliis diverſis locis inſti-

tuit. In recompenſam tamen memorati domini in ſummo, monaſterium canonicorum regularium ſub præpoſito ſecundum regulam beati Auguſtini Deo militans, in ſuburbio civitatis Nuſſienſis, in grangia ipſorum fundaverunt anno Domini 1181. indictione 14. ſub Alexandro papa, regnante Friderico primo hujus nominis imperatore, ſub archiepiſcopo Colonienſi Philippo de *Hinsberg*. Fundator vero fuit Segiſwinus. Iſti vero monaſterio majoris eccleſiæ canonici non exiguam partem redituum ſuorum partiti ſunt: præſertim cum nonnulli eorum converſionis gratia ipſum monaſterium intrarent, quorum Deus tetigerat corda. Nam nobile illud domicilium in *Elſen* juxta *Grevenbroich* ipſis regularibus tradiderunt, & vineam magnam prope *Reyns*; inſuper & octo plauſtra vini prout exaratum habetur in lapide ſummi altaris ejuſdem monaſterii uſque in hodiernum diem. Tradiderunt etiam eidem memorato allodia diverſarum decimarum & curtium, ac eorum pro quotidiana ſuſtentatione de multis affluenter providerunt victualibus, quemadmodum adhuc in antiquis regiſtris eorumdem dominorum in ſummo reperitur. Inſuper etiam in ſignum unionis ſtatuerunt, ut aliquoties præpoſitus monaſterii regularium prope Nuſſiam viſitaret chorum (a) in ſummo in Colonia, & reciperet canonicam portionem, ſeu præſentiam, quemadmodum unus ex ipſis canonicis. Adolphus etiam archiepiſcopus Colonienſis ſucceſſor Philippi, dedit monaſterio memorato regularium juxta Nuſſiam anno Domini 1195. piſcinam in Arnapha vel Erpia rivo, qui monaſterium prædictum præterfluit: incipiens juxta villam *Grimlichhauſen* ſupra Nuſſiam, & terminatur in Rhenum fluvium infra Nuſſiam, prout litteræ teſtantur, quæ adhuc cum ſigillis in eodem monaſterio habentur, & in tantum inclytum factum eſt iſtud monaſterium regularium, ut caput eſſet omnium monaſteriorum circa clima noſtrum illo in tempore exiſtens, in quo eodem generale ſervabatur capitulum, unde adhuc nomen retinuit, & vocatur ſuperius monaſterium apud populares; unde etiam inſignior porta Nuſſienſis & platea ejuſdem traxerunt nomen uſque in hodiernum diem.

Quod vero ad horum Annalium auctorem ſpectat, is fuit Wernerus Titianus, patria Juliacenſis, natus in pago Titz, *cujus hoc in opere everſionem ab Eburonibus, quorum vix cruentas manus evaſit, deplangit. Is adoleſcens canonicorum regularium ſancti Auguſtini inſtitutum in Noveſienſi ſanctæ Mariæ monaſterio ſuſcepit, in eoque ſic profecit, ut viam ad dignitates virtutibus aperuerit ſibi. Marbacenſi in Alſatia cœnobio præfectus eſt prior, illudque laudabiliter adminiſtrabat, cum ſuum a Noveſienſibus ſolo æquatum accepit. Monaſterii ſui everſionem non magis doluit, quam ejus ad Colonienſe Corporis Chriſti factam conjunctionem a Marcello Lentio congregationis Windesheimenſis priore generali, qui Wernerum inter alios ea in re habuit adverſarium, tametſi, facta conjunctione, Wernerus conventûs utriuſque prior creatus fuit. Sed hujuſmodi honoribus ſeduci haud potuit vir integerrimus: quin immo procuratam tandem conjunctionis reſciſſionem gratanter admiſit. Hæc inveteratum de monaſterii deſtructione dolorem utcumque lenire potuiſſet, ni generalis, qui reſciſſionem ægerrime ferebat, aliam deplorandi materiam ſubminiſtraſſet. Is enim diſruptus indignatione, Noveſienſis monaſterii redituum partem maximam patribus Societatis Jeſu, reclamantibus fratribus, attribuit, & ne incaſſum laboraſſe videretur, conceſſionem illam apud ſedem apoſtolicam confirmari curavit. Quanta hinc ſollicitudine affectus fuerit Wernerus vix poteſt explicari. Reverendos patres, quos non Jeſuitas, ſed probroſo nomine Jebuſitas pro animi amaritudine non ſemel appellat, quaſi aſſuetos hujuſmodi maledictis verba laderent, ad Cæſarem provocat, ad cujus tribunal injuſtæ donationis*

(a) Hanc gratiam violenter abſtulit Ferdinandus Bavarus.

abrogationem proſequitur. Sed tandem amicabili compoſitione facta reverendis patribus ceſſione villæ Hammerſtein, *& numeratione mille ducentorum tallerorum, illeſam ſervavit canonicis regularibus Noveſienſis monaſterii fundationem antiquam. Demum poſt plura præclare geſta Wernerus Titianus congregationis Windesheimenſis creatus ſuperior generalis, inſigni hac dignitate decoratus, ad cœlos evolavit.*

Hos ceterum Annales debemus reverendiſſimo & ampliſſimo domino Antonio Orth, *Noveſienſi canonicorum regularium priori meritiſſimo, viro erudito, ac regularis diſciplinæ ſtudio in primis commendabili, qui inſigniores congregationis ſuæ dignitates, viſitatoris ſcilicet & præpoſiti generalis aſſecutus, pietatem, regulæ obſervantiam ac ſacrarum litterarum ſtudia celebrari inter ſuos curavit.*

VENERANDO IN CHRISTO PATRI Johanni Carboni nobilium virginum in Greverodt Deo dicatarum præpoſito, confratri ſuo, Wernerus Titianus S. P. D.

SOlebas tu quidem, optime confrater, quoties te inviſeram, ſæpenumero ſummo animi dolore, de domus noſtræ antiquiſſimæ enormi devaſtatione, non tam belli Colonienſis injuria, quam & ſenatus Noveſienſis meris blanditiis & fucis, tum etiam maxime quorumdam noſtrorum fratrum, quod equidem horrendum dictu eſt, inconſulta permiſſione perpetrata, & coram mecum agere, & abſens frequenter ad me ſcribere. Etſi ego quidem eo tempore, quum Truchſeſius apoſtaſiam in ſuo archiepiſcopatu Colonienſi meditans, totam provinciam, divino ac humano jure contemto, fœdiſſime exotico ſuo & triobulari milite defœdaret, undequaque templa ac monaſteria everteret, impiaſque manus in clerum ac monachos ſuos injiceret, paſſimque & oppida & civitates occuparet; turpiſſimamque & deteſtandam hereſim inveheret, idque contra ſummi pontificis & imperatoris voluntatem & decretum, longe hinc abeſſem, ac Marbachii in Alſatia agerem, tamen facere non potuiſti, quin me de omnibus, quæ nobiſcum acciderant, certiorem amantiſſimis tuis litteris faceres. Conquerebaris tum maxime abſentiam meam, quaſi ego quippiam contra impios quorumdam conatus magis quam tutemet vel alii fratres coram, vel eos omnes tunc prorſus in demolitionem anhelantes fortius vobis unus cohibere potuiſſem. Laudandus tu quidem es, mi confrater, atque eo potiſſimum nomine clarius, quod non tantum priorem noſtrum Quirinum Tylanum, verum etiam & fratres omnes noſtros ſedulo ac magna animi conſtantia a deteſtando facinore dehortatus ſis, ne tam fœdam rem in noſtri ordinis & propriæ profeſſionis domo attentare, neque tam celeberrimam, quam ipſi non ædificaſſent, domum deſtruere velint, ſenatum ceteroſque cives Noveſienſes nobis verba dare, fumos divendere, atque in poſterum nihil præſtare, ſapienter tu quidem uti omnia. Verum quid mercedis inde? quid præmii? quid laudis? aliud nihil quod ſcio niſi loco ceſſiſſes, male mulctatus etiam ab ipſo priore abiiſſes. Quamvis vero ipſe Tylanus in conſervanda diſciplina monaſtica laxus nimium, ac fratribus ſuis ſupra modum indulgens viſus ſit, quo nimirum factum eſſe conſtat, ut poſtea laxatis habenis omnique ſpreta obedientia, priori ſuo imperantes, deſtruendi & divendendi tam celebre monaſterium ipſimet ſibi ſumſerint poteſtatem. Hinc ſummo deſiderio ſudatum fuit, ut maximam inter ſeſe portionem dividentes, prædam in propria ſua domo agerent. Res iſta imo tragœdia brevi quidem tempore, bene ſuccedere viſa fuit, peſſimo tamen exitu non caruit. Spoliis omnium burſæ replebantur, ipſi fratres temone relicto exſpatiabantur, & veluti Jobi filii, in dies convivia celebrantes inebriabantur, prioremque contemnentes, ad vitia quæque ruebant proni, neque Deum neque homines curantes, divina intermittentes ac peſſumdantes.

Johannes Trithemius abbas Spanheimenſis hanc in prælatos ponit ſententiam.

Fit enim plerumque quando prælatus humilis eſt, & quietus, minuſque intendit rebus & actionibus externis, ſeque ſumma auctoritate, qua fungitur, paſtoralis ſeveritatis nequaquam ſubditis ſuis reddit formidabilem, tunc ſubditi incipiunt eum contemnere, exoſum habere, & tamquam inutilem & umbratilem ejicere. An putas eſſe malitiam ſupra malitiam clauſtralium perverſorum, qui nullum facinus abhorrentes, audent omne quod livor & malitia ſuggeſſerit. Hinc pergrœcationes, hinc in ſuum prælatum conjurationes ac plagæ, hinc diſciplinæ & cultus divini neglectus, hinc quidlibet audendi promtiſſima voluntas, hinc neque recti neque honeſti ratio, ſummatim, quidquid lubet licet: quanta vero inde ſcandala, quanta pericula, quanta denique damna & enormia flagitia exoriantur, eloquentia illa Ciceroniana enarrare vix ſufficeret. Quid? quod hinc antiquiſſimæ noſtræ fundationis extinctio & deplorandus interitus ſubſecutus ſit, & ipſe coram multis gemitibus

vidisti, atque etiamnum, proh dolor! maxima animi anxietate coram videmus. Nunc locus iste, dubio procul sanctissimus, ubi tot piorum fratrum, aliorumque honestissimorum condita requiescunt corpora, ruderibus obsitus & squalidus visitur. Quid multis? Nunc segetes ubi Troja fuit: nunc gramina templi fundamenta serunt, sunt eruta solotenus mœnia celsa. Fortasse scenam illam excisæ ac eversæ Trojæ videre cupiverunt, quemadmodum fœdissimus ille tyrannus Nero eam ob causam Romam incendens, atque igni fere per octiduum consiagrans gavisus fuerat, pessimo tamen utrobique exitio. Ille a senatu persecutus propria se manu occidit, postea a civibus illusus perque plateas tractus, tandem in cloacam, dein in Tyberim cum summo dedecore projicitur. Hi fere omnes eversionis auctores sequenti anno nimirum MDLXXXV. peste, alii improvisa morte male mulctati abierunt.

Quamvis ea fere omnia ita gesta sint, ego tamen pro mei ingenioli qualicumque tenuitate ipsum nostrum Tylanum priorem plane excusatum volo, tum quando a confratribus nil nisi suum commodum quærentibus, ad hoc facinus perpetrandum prorsus coactus sit; tum etiam quod nullum vel a capitulo nostro, vel ab ipsomet generali contra omnes istos impulsores, quamvis vos ipsos ad illum litteris datis sæpe conquestos esse sciam, nullum auxilium, nullum solamen senserit. Potuisset quidem is ipse Marcellus Lentius, ordinis nostri generalis, ab initio & ante devastationem & nos, nostramque domum facile, & absque omni gravi molestia conservasse, modo voluisset. At is fœnum in cornu gerebat. Postquam enim intellexerat monasterium nostrum civium furore ac seditione internecioni mancipatum esse, ad succurrendum labanti venire noluit, magis in animo habens alterius damno suum facere commodum. Ideoque nostrorum fratrum & insolentiam & vivendi libertatem, atque adeo destruendi proprium suum monasterium miram aviditatem videns, ut tanto melius eos postmodum nullas prorsus sedes habentes Coloniam ad corporis Christi fratres transferret, ditaretque, nostros suo more & vivere, ac pro voluntate & libitu destruere divendereque iubens permisit. Mihi enim Marbachio redeunti in faciem ipsemet generalis objicere non erubuit. Vestræ, inquit, domus confratres apud moniales jam constituti patres ad me ut labanti vestræ domui succurrerem, unanimi consensu scripserunt. Etsi quidem potuissem, nolui tamen, eas potissimum ob causas, ut vestros fratres tanto facilius ab illicita vivendi licentia revocarem: tum etiam ut hoc corporis Christi monasterium, transferendo vos ac bona vestra huc, amplius ditarem; denique ut & frequens hospitum ac civium A eo declinantium concursus, unde monasterium vestrum perditum ibat, conquiesceret, vosque bonaque omnia ita apud ordinem conservarem. Eumque tandem in finem unionem illam, nobis quidem valde inutilem ac injucundam, nostros omnes inire compulit ac variis induxit. Quanto autem cum dedecore & malo nostro, notius tibi esse scio, quam ut opus sit pluribus amarum istud refricare.

Quod vero is generalis hoc pessimo invento illorum emolumentum, & econtra nostram prorsus perditionem & interitum B quæsiverit, sunt hæc manifestissima indicia. Primo quod unionem illam copulaverit, non habens, neque a summo pontifice, neque ab archiepiscopo Colonienſi tamquam ordinario, neque a capitulo metropolitano, neque vel a proprio suo capitulo Windesemensi, ullam auctoritatem, permissionem, vel legitimum consensum. Secundo quod dum ab archiepiscopo ipsi mandaretur, ut rescinderet illam sine ulla permissione initam unionem, aperte coram omnibus nostris confratribus Coloniæ adhuc existentibus C dixerit: Vos, inquiens, in hac tam sancta unione non vultis manere: curabo sedulo ut & Jesuitæ omnia vestra accipiant bona, vobis interim extra vagantibus: non caruit effectu tam superba & iracunda minitatio; haud enim longe post sese ad Jesuitas contulit, eisdemque medietatem bonorum nostrorum non solum obtulit, verum etiam inito contractu donavit, quem subscribens, suoque sigillo corroborans, Romam approbandum direxit. Quo factum est, ut Breve D Apostolicum desuper male narrando, impetraverit, continens, Jesuitas jam porro mandato pontificis, & domum nostram Novesii circumque jacentia omnia bona nostra, atque ea potissimum quæ in territorio Colonienſi sita sunt, habituros: cetera cum generali quæ reliqua sunt æquali sorte divisuros. An vero hoc & simili facto; legitimi & probi generalis functus sit officio, alii judicent, ego equidem videre nequeo, cum statuta nostra habeant. *Caveat generalis ne* Part. 1. c. 7. *potestate sibi commissa excedat. Cum vero negotia inciderint graviora, quam ut debeant* E *aut possint a solo priore superiore terminari, ad capitulum deferet: vel vocatis vicinioribus prioribus, maturo prahabito consilio, rem perficiat.* Atque ego arbitror generalem non solum contra propria expresse statuta peccasse, verum etiam contra omnia jura tam divina quam humana turpiter erraſſe: videtur enim contractus species alienationis esse, hoc effectum suum sortiente, ut alienaretur celebre illud & pervetustum monasterium nostrum suburbanum Novesiense a capitulo Windesemensi, cui subjectum hactenus fuit: juris porro est, prælatum sine consensu capituli de rebus ad ecclesiam vel capitulum

ſpectantibus contrahere non poſſe, multo minus alienare. Item quia non acceſſit noſtrum omnium fratrum vel conventus noſtri conſenſus, quorum tamen conſenſus, cum de ipſorum præjudicio maxime agatur, omnino foret neceſſarius: Eo etiam potiſſimum nomine, quia fundatorum conſenſum, eorumque quorum ex fundatione & dotatione in præfato noſtro monaſterio celebrantur memoriæ, quales ſunt dux Juliæ, Cliviæ ac Montium, comites de *Reifferſcheidt*, aliique nobiles & ignobiles, ſpreviſſe viſus ſit. Contradicit quoque eccleſia metropolitana, clerus ſecundarius, atque adeo omnes ſtatus & proceres provinciæ Colonienſis. Deinde etiam quia adverſatur hic contractus privilegiis & unioni cleri, quæ alienationes & ſeparationes minime admittunt: Tum quoque accedit, quod & magiſtratus & cives Noveſienſes, quorum intereſt, tum ratione memoriarum pro civibus in monaſterio celebrari ſolitarum, quam etiam eleemoſynarum quæ pauperibus ibidem elargiri ſolent; tum etiam ne fructus alio vehantur omnino reclament. Ut interim taceam quanta ſcandala & offendicula ex hoc exorbitanti contractu in clero & plebe conſecuta ſint, & quod Jeſuitarum inde orta intentio iniqua in omnium ore verſetur, quomodoque patres hactenus cum ipſo generali egerint, ipſi notiſſimum eſt. Quibus omnibus aliiſque bene conſideratis potuiſſet quidem dominus generalis, urgente & jubente capitulo non ſolum ſalvo honore, verum etiam illæſa conſcientia contractum iſtum revocaſſe, & coram notario & teſtibus annullaſſe, ſuoque capitulo adhæſiſſe, quod tamen neutiquam fecit, nec umquam facturum exiſtimarem. Quamquam ita ſit, atque ego ipſum omni æquitate & innata quadam animi ſinceritate mutatum, ab incœpto ſuo ceſſaſſe debuiſſe certo mihi perſuaderem: tamen hiſce non attentis, quo ſpiritu ductus neſcio niſi maligno, & ſpreto omni jure, in ſenſu ſuo abundavit, atque ad adverſarios declinans, in illam iniquam diviſionem manibus & pedibus ruit. An hoc ſit viſitare & reformare monaſterium, aliorum eſto judicium.

Poſtquam vero me ejuſmodi ſuis conatibus illicitis tamquam murum & hoſtem objeciſſem, fratrumque omnium juſſu illi in faciem reſtitiſſem, omnium irarum habenis laxatis, me & falſo & impudenter tam apud archiepiſcopum Ernestum, quam legatum apoſtolicum Octavium, & capitulum metropolitanum detulit, eoque demum poſt reſciſſam unionem nos coegit, quatenus conventui Corporis Chriſti ultra 4000. dalros, pro tam brevi cohabitatione unionis tempore, numeraremus. Qua quidem pecunia ſic numerata, continuo in eadem domo, priore Budingenſi & Johanne Molitore confratre noſtro præſentibus, atque has ſuas technas A ſcientibus, ſe movere conatus fuit. Cui, quando nec jus aliquod, nec legitimam abſolvendi occaſionem haberet, me de jure opponere haud veritus ſum, conquerens indignum iſtud facinus reverendiſſimo noſtro reſciſſæ unionis prætenſæ auctori, eoque ipſum redegi, ut fungi me officio ſineret donec de jure evicerit. Neque deinceps quietus eſſe potuit, habito brevi apoſtolico, quin cum aſſeclis ſuis Jebuſitis inaugurato jam novo coadjutori illuſtriſſimo Ferdinando, & legato jam altero apoſtolico Coriolano Jebuſitis faventibus negotium exequendum, B (non enim poterant Erneſto & Octavio gubernacula rerum tenentibus) proponeret; iterumque curavit fabam in me cudi, ab officio denuo abſolvi, extorrem a patria & domo fieri, exturbari, incertis ſedibus vagari, bonis fortuniſque noſtris ſpoliari, ac denique ita vexari, donec calamitatum pondere preſſus, plane ſuccumbere neceſſe ſit; quo tandem ſic voti compos factus, prædam cum ſuis Jebuſitis dividat, devoret, noſque deletili quaſi ſpongia cum domo tota noſtra expungat, obliteretque. Hoc modo omnia accidiſſe inter multos fidos teſtes, vel tu C ipſemet cum aliis multis unus mihi eſſe potes. Quantæ hinc ſubſecutæ ſint calamitates, quantæ anxietates, quanti animi dolores, quanti labores, quot in diversis provinciæ Colonienſis comitiis traditi ſupplices libelli, quot promotorialia illuſtriſſimorum principis Juliæ, Cliviæ, ac comitum de *Reifferſcheidt* ad ſummum pontificem, ad cardinales, ad reverendum capitulum metropolitanum, ad Erneſtum, ad coadjutorem, ad comitia diverſa, exhibita quis ſatis enumeret, quis verbis aptis deſcribere queat? Hinc D ne prorſus præda hoſtibus eſſemus, denegata Coloniæ a coadjutore, & legato Coriolano juſtitia, Cæſarem appellare coacti ſumus, atque ita etiamnum tota hæc tragœdia in camera imperiali ventilatur, diſputatur, totumque per Romanum imperium ſummo cum Jebuſitarum dedecore, amoreque ſcelerato habendi ſubinde ſpargitur. Memini abs te quærente audiviſſe, cur non pauperes monachos & tamen peſſime viventes, hunc in modum quemadmodum nos Jebuſitæ, vexent; reſpondetur facile: quia non Terentius in rete accipitri tenditur, neque milvo, qui Phor. act. 3. E malefaciunt nobis, illis qui nihil faciunt tenditur; quia enim in illis fructus eſt, in illis opera luditur, aliis alicunde periculum eſt, unde aliquid abradi poteſt. ſcen. 1.

Ut autem mi frater hoc indignum facinus, atque ejuſmodi tragœdia longe execranda, & ordini noſtro adeoque omni poſteritati notiſſima ſit & maneat, aliique tum priores, tum promiſcui conventuales tamquam in ſpeculum inſpiciant quid vitare aut quid ſequi debeant, ubi forſan vel ſimilia in poſterum occurrent, ſtatui hæc omnia litteris mandare,

quamquam omnia fere tam moleſta tamquam injucunda lectu erunt, magis lectorem ad nauſeam quam jucunditatem provocantia, ut hinc quid commodi emerſurum ſit prorſus neſciam, tamen cauſæ ſunt graviſſimæ aliæ quæ me ad hoc impellunt, quarum quidem prima eſt: Ne tam præclaræ domus quondam noſtræ elegantiſſima ſtructura ac mirandum templi opus plane periiſſe; tum etiam ne tot generoſi illuſtres omniumque virtutum genere nobiliſſimi comites, barones, nobiles, aliique doctiſſimi confratres noſtri; necnon & obſervantia diſciplinæ regularis, & jugis ille nocteſque dieſque indefeſſe obſervatus divinus cultus, in oblivionem veniſſe, omniaque illa quaſi deletili ſpongia plane expuncta eſſe videantur. A primæva illa celeberrimi noſtri ſuburbani monaſterii Noveſienſis fundatione incipiens, & rudi admodum ſtylo exhibens, operæ pretium me facturum exiſtimo, ſi non tantum incrementum iſtius, verum etiam ſœdam illam ſub Truchſeſio archiepiſcopo Colonienſi apoſtata anno a Chriſto nato 1583. factam demolitionem: de qua ſupra, poſtquam a tempore iſtius fundationis, renovatæ a Philippo ab *Hinsbergh*, annos quadringentos nonaginta octo ſteterat, pauciſſimis perſtrinxero. Dudum ſatis expectaram ſi forte quiſpiam ex noſtris inveniretur, qui hæc omnia elegantiori exequeretur ſtylo. Neminem autem manum applicare videns, malui de inconditi & rudis informitate ſtyli ſubire judicium, quam deſidiæ & ingratitudinis, licet hoc opus vires meas longe ſuperet, ab aliis accuſari. Itaque hanc hiſtoriam æqui bonique conſulas, atque eo quo ſcripta eſt animo, legito ac relegito; & ſi quid minus apte appoſitum cognoveris, utinam iſto inſolito & tædioſo labore numquam opus fuiſſet: tu amici integerrimi officio fungens, ſubmoveto, corrigitoque. Neque hic te movere debet, quod ſubinde varias hiſtorias, præſertim quæ in territorio Colonienſi, tum paſſim in ducatu Juliæ geſtæ ſunt ac memorabiles, a primo fere fundationis tempore inſperſerim. Id eſſe factum ſcias, primo ut cognoſcas, conditiones pro tempore ſæpe varietas, alias rebus ſubinde induere formas ſolere: tum etiam ea quæ hiſce in noſtris partibus vel aliis exteris nationibus memoratu digna olim geſta ſunt lectitaſſe, quandoque animum refocillare ac delectare plurimum. Illud tandem unice abs te peto, ſi quando hanc ego hiſtoriam non, uti propoſueram, complevero, tu pro tui ingenii dexteritate ac acumine, vices meas ſubeas, noſtroſque omnes poſt me victuros fratres eo inducas, quatenus ſeſe pro domo, pro libertate ac privilegiis noſtris antiquiſſimis tamquam murum ſtrenue opponant, viros præſtent, nec ſeſe a novis illis belluis prorſus extingui & opprimi patiantur. Pios ejuſcemodi conatus Deus optimus maximus ſemper divina dexteritate ſua juvabit. Vale noſtri in orationibus tuis memor. Anno a Chriſto nato 1598. prima menſis Decembris Duſſeldorpii.

Wernerus Titianus.

Anno Domini..... multis poſtea annis ſumma tranquillitate celebratum fuit.

690. Adelwinus archiepiſcopus factus anno a Chriſto nato 690. qui hoc habet laudis, quod fuerit pacis & tranquillitatis publicæ ſtudioſus.

698. Sanctus Lambertus Pipinum principem increpare auſus, quod pellicem Alpaidem Plectrudi legitimæ uxori ſuæ ſuperduxerit, a Dodone fratre ipſius Alpaidis Leodii martyrizatur, & Trajecti tumulatur anno 698.

699. Dodo vero interfector peſſimo languore cruciatur, a vermibus conſumitur, & ob intolerantiam fœtoris in Moſam fluvium demergitur, omneſque hujus culpæ complices infra annum divinitus puniuntur.

714. Pipinus princeps obiit, & filium ſuum ex Alpaide Carolum, Martellum cognomento, principatus ſui hæredem reliquit. Plectrudis relicta Pipini Carolum privignum ſuum captum in Colonia mancipat, ſed altero anno de cuſtodia novercæ divino nutu eripitur.

721. Oſſa ſancti Auguſtini Hipponenſis epiſcopi, olim tranſlata ad Sardiniam, vaſtata modo a Sarracenis Sardinia, Luithprandus rex Longobardorum, dato magno pretio tranſfert Papiam.

724. Carolus Bajoarios armis ſubjugat.

725. Carolus contra Lanfridum Alemannorum ducem dimicat, eoque victo, Alemanniam ſibi ſubjugat, imperii ſui anno 11.

727. Carolus Saxones debellat, anno imperii 12.

Carolus Suevos & Bojarios debellat.

728. Carolus Ligeri tranſito, Eudonem ducem Aquitaniæ bello victum fugat, & Aquitaniam graviter devaſtat.

730. Sarraceni cum omnibus famulis ſuis, quaſi in Galliis habitaturi Garonnam tranſeunt, omnia devaſtant, eccleſias Dei cremant; quibus Carolus Dei auxilio fretus bello concurrit, & ex iis trecenta octogintaque millia cum rege ſuo Abdirama peremit, & mille quingentos ſuorum amiſit.

731. Carolus Lugduno, aliiſque civitatibus captis, Burgundiam ſibi ſubjugat.

Ex hiſtoria Ludegeri primi Monaſterienſis epiſcopi anno 748. *de Cæſaris Inſula.*

Pipinus Caroli Martelli majoris domus Franciæ filius, pro eccleſiæ & ſepulchri ſancti Swiberti, multorum miraculorum gloria coruſcantis, atque multorum fratrum ibidem Deo militantium contra infideles & perfidos Saxones, Weſtphalos & Angaros defenſione,

tricesimo post S. Swiberti obitum anno hanc munitionem nobiliter extruxit.

Ibidem Pipinus jam in Francorum regem unctus, nobili & armis strenuo principi Hunaldo comiti de *Angiers*, Christianorum capitaneo, ad tuendos ipsorum fines contra infideles paganos, hoc fortalitium primum commisit: puta fortissimam illam munitionem in *Keiserswerdt*, quam Salentinus archiepiscopus reparavit anno 1575, cum tali disticho.

Ista a Pipino turris constructa celebris,
Facta Salentini præsulis ære magis.

732. Carolus in Vasconia cum Eudone pugnat, eumque principatu & vita privat.

733. Aquitaniam rursum sibi subjugat, filiis Eudonis dimicando victis.

736. Carolus Sarracenos ex Hispania venientes cum ingenti multitudine apud Narbonam in Galliis, omnes fere internecioni dedit.

739. Carolus multas Gothicæ regionis urbes a Sarracenis invasas capit & solotenus destruit: sicque Sarracenis, qui totam pene Asiam, totam Lybiam, multamque partem Europæ invaserant, Carolus Dei auxilio, sua industria Francorumque fortitudine, omnem spem invadendi Gallias abstulit.

740. Carolus Saxones tributarios facit.

741. Pacato & dilatato regno Francorum, Carolus bellicosus obiit, & filios suos Carolomannum & Pipinum, principatus sui successores reliquit.

743. Constantinus v. Leonis filius imp. LXXIV. annis 35. orienti præest. Dictus est Copronimus, propterea quod in sanctum lavacrum, dum a patriarcha Germano baptizatur, cacavit, magnum dans præsagium mali ecclesiæ futuri. Fuit enim maximus eversor statuarum.

746. Carolomannus Pipini frater Romam perrexit, ibique se totondit, & in Soracte monte monasterium ædificavit in honorem S. Sylvestri, inde in Cassinum pervenit, atque ibi monachus factus est. Quum vero hic Romæ in suo quod ædificaverat monasterio propter regiam nobilitatem & terreni regni contemtum, laudibus extolleretur & summo in honore haberetur, vir Deo plenus auram laudis humanæ timens, qui tanta in hoc orbe propter Christum reliquerat; fugam magis arripere, quam vanæ gloriæ subjacere placuit. Consilium hoc uni tantum fideli socio apertum esse voluit, cui ab ipsis incunabulis sui pectoris arcana communicabat & fidelem invenerat, omnibus insciis cum hoc fugiens noctu, ad montem Cassinum pervenit, nihil quidem secum portans ex omnibus bonis, quæ vel corpori necessaria essent, satis arbitratus esse, Christum nudus sequi. Pulsans fores, patrem monasterii convenire petiit, in cujus præsentiam cum venisset, mox in terram corruens, se homicidam esse, & omnium criminum reum protestatus est: misericordiam igitur, & pœnitentiæ locum flagitat. Pater facile hominem peregrinum esse cognoscens, cujus patriæ aut gentis sit interrogat, hic se Francium esse confessus est, & ex Francia propter tam enormia scelera migrasse, exilium libenter ferre paratum; tantum ut patriam cælestem non amitteret. Spiritualis pater ejus precibus annuens, præcepit eum in cella novitiorum recipi, una cum suo collega, probari secundum quod regula jubet, & tanto arctius, quanto barbaræ & ignotæ gentis homo erat; implens illud apostolicum: *Probate spiritus si ex Deo sunt.* Itaque probatus in omni patientia, sociatus est congregationi una cum collega. Post emensum anni circulum professus stabilitatem, conversionem morum, obedientiam secundum regulam S. Benedicti. Hoc facto, omnibus virtutibus pollens inter fratres cœpit vivere irreprehensibiliter. Accidit, ut moris ejus instituti est, ut ad coquinæ officium hebdomadarius deputaretur, quod cum libenter quidem faceret, in multis tamen ignoranter offendit. Coquus vero exæstuans, ei alapam dedit dicens, itane fratribus deserviri oportet? Cui ille nil motus placido vultu respondit: Indulgeat tibi Dominus frater & Carolomannus. Neque enim cuiquam nomen suum prodiderat, ne ex vocabulo agnosceretur. Rursum cum in quibusdam cibariis administrandis erraret, a coco percussus est, atque eadem illi quæ supra imprecatus est. Et cum tertio a coco cæderetur, indignatus ille comes individuus suæ peregrinationis, quod tantus vir a tam vili persona contumeliis afficeretur, jam ferre non valens, arripuit pilum, unde panis in holeram fratrum mittendus conterebatur, omni nisu eum percussit dicens: Nec tibi Deus parcat serve nequam, nec Carolomannus indulgeat. His auditis fratres valde commoti sunt, quod homo alienigena & pro misericordia receptus, talia facere præsumsisset. Protinus ergo custodiæ mancipatur, ut die sequenti talis præsumtio acrius vindicaretur. Productus postera die de custodia, in medio conventu sistitur, percunctatur cur manus extendere in fratrem ministrum ausus fuisset, respondit; quia, inquit, vidi servum nequiorem omnibus, virum meliorem & nobiliorem omnium, quos in terra conversari scio, non solum verbis dehonestare, sed etiam plagis afficere. Furore nimio exagitati, quod eum qui peregrinus venerat, ceteris prætulisset; interrogant quis esset ille, qui bonitate & nobilitate omnes anteiret; cur saltem patrem monasterii non excepisset. Ille necessitate compulsus celare non valens, quod Deus jam manifestari volebat, ait: Iste est Carolomannus, quondam rex Francorum, qui pro Christi amore regnum & gloriam mundi dereliquit; qui de tanta excellentia ita se

A coco percussus Carolomannus.

humiliavit, ut modo a viliſſimis perſonis non ſolum contumeliis afficiatur, verum etiam verberibus affligatur. Quo audito, tremefacti a ſedibus ſurgunt, pedibus ejus ſe proſternunt, veniam poſtulant de contemtu, ignorantiam profitentur. Ille contra in terram provolutus cum lacrymis negare cœpit, hæc non eſſe vera, ſe non eſſe Carolomannum, ſed hominem peccatorem, & homicidam, collegam * ſine timore perterritum, propter commiſſum piaculum hæc excogitaſſe. Quid plura? cognitus ab omnibus, cum magna reverentia eſt obſervatus. Mortuus tandem eſt Viennæ anno 754.

* forte ſuum.

775. Carolus Magnus quomodo Weſtphalos, Saxones, Bavaros, ceteroſque Germanos devicerit, atque ad fidem Chriſtianam armis & vi impulerit, vide Sigeberti & Reginonis Prumienſis chronica.

776. Saxones Chriſtiani primum facti & baptizati ſunt in Caroli magni conſpectu apud caſtrum Lippam dictum. Poſtea vero defecerunt, & multis præliis ſuperatos omnino baptiſari curavit. 785.

799. Romani Leonem papam Letania majore captum excæcaverunt, ac linguam ejus radicitus abſciderunt, qui in cuſtodia miſſus, noctu per murum evaſit, & Spoletum venit.

799. Britannia tota, quod antea numquam factum eſt, Francis ſubjugata eſt.

800. Leo papa coronam Caroli capiti impoſuit, & a cuncto Romanorum populo ter acclamatum eſt: CAROLO AUGUSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORUM, VITA ET VICTORIA, & poſt laudes more antiquorum principum adoratus eſt, & ablato patricii nomine, imperator & auguſtus eſt appellatus.

806. Carolus imperator Romanus ſuperatum Taſſilonem ducem Bavariæ, & filium ejus Theodonem tonſos in monaſterium truſit. Coloniam veniens binos pontes ſuper Rhenum miro artificio & expenſis maximis extruxit. Per quos exercitum ducens contra Slavos & Saxones, quos tandem multis commiſſis certaminibus ſibi ſubjugavit.

Carolus, morte Ricolphi archiepiſcopi Aquis audita, Coloniam vadit. Antequam vero civitatem ingreſſus fuiſſet, eo in loco ubi pernoctarat, ſacrum pro more audire voluit, habens cornu parvum quo uti in venatu ſolebat de collo pendulum. Obtulit vero aureum in ſacro. Hoc finito, accipiens ſacerdos Hildeboldus dictus, aureum, ad imperatorem ait: Accipe aureum, non eſt hic moris hujuſmodi munere nos cohoneſtare. Simplex erat, nec Cæſarem eſſe cui loquebatur ſciebat. Reſpondens Cæſar: Serva tibi, inquit, aureum, ſic enim volo. Sacerdos rurſum; video, ait, domine quod venator ſis, Diaria & Breviaria mea ſuperiori & elegantiori corio decorata non ſunt, de primo cervo quem in venatione cœperis, quæſo, mihi detractam, pellem mittas, qua ea exornem, atque ideo nummum retineas. Subridens Cæſar, implicitatem ſacerdotis admiratus fuit, equum conſcendens Coloniam venit, cligentium novum epiſcopum ſuffragia percipiens non eſſe conſona, ſed diverſa, inquit, Dabo vobis epiſcopum, qui continuo accitum ſupradictum ſacerdotem Hildeboldum epiſcopum Colonienſem conſtituit & confirmavit. Præfuit hic optimus epiſcopus utiliſſime, & ſumma cum laude. Ludovicum Caroli magni filium Aquiſgrani in regem Romanorum conſecravit. Domini Petri monaſterium Coloniæ, ubi modo eſt ſummum templum, primo conſtruxit, apud dominum Gereonem ſepultus. Hoc tempore Colonia non epiſcopis, ſed imperio parebat.

811. Moguntiæ pons quingentorum paſſuum longitudinis trans Rhenum, quem Carolus imperator per decem annos ingenti labore conſtruxerat, ita ut perpetuo durare poſſe videretur, ita tribus horis conflagravit, ut ne una quidem aſſula ſuper aquam remaneret.

814. Carolus imperator glorioſus regno & imperio ſuo pacato & dilatato, ſtatu quoque eccleſiæ ſancte & religioſe ordinato, moritur & ſepelitur Aquis anno ætatis ſuæ 72. qui pro magnitudine operum agnominatus eſt Magnus, cujus vitam Einardus deſcripſit, poſt quem Ludovicus filius ejus imperavit annis 26.

837. Anno Ludovici imperatoris 23. Nortmanni ad fines Hollandiæ & Galliæ primum applicuerunt, qui multis poſtea annis hinc inde cum valido exercitu vagantes, infinita mala perpetrarunt. 853. Antuerpiam incendunt, Flandriam totam devaſtant, ſimiliter & Britanniam, urbem Nannetum invadunt, epiſcopum ſabbatho S. Paſchæ baptiſmum celebrantem trucidant, clerum & populum perimunt, inde Andegavum, deinde Turones occupant, & ut tempeſtas omnia dirnunt, templum etiam S. Martini incendunt: poſtquam per viginti annos Franciam nimis attriverant, in patriam ſuam reverſi ſunt.

857. Coloniæ orta tempeſtate, populo in baſilicam S. Petri confugiente, ſubito fulmen inſtar ignei draconis baſilicam ſcidit ac penetravit, & tres homines diverſis quidem locis, ſed uno ictu in mortem dejecit; alios etiam ſex eodem impetu ſemivivos reliquit.

864. Guntherus epiſcopus Colonienſis aſſumptus eſt ſub Ludovico & Lothario. Sororem habuit Vaſtradam nomine, aliis Waldradam, quam dux Lotharingiæ Lotharius, repudiata ſua legitima uxore Tyberga, ſuperduxit: & hoc divortium Guntherus approbavit, cum Thietgaudo Treverenſi archiepiſcopo, viro admodum ſimplici; quare ambo a Nicolao primo Romano pontifice excommunicati

excommunicati ſunt Romæ, coram acciti. Sed Waldrada a Lothario rurſum repudiatur, atque cum cachinno & omnium deriſione ad avunculum remittitur, qua & ipſe Gunthèrus pro concubina uſus fuit, eamque compreſſit. Quare ab archiepiſcopatu depoſitus, quum excommunicationem Roma rediens nihil curaſſet, & apud Xantos miſſam celebraſſet, ſacris veſtibus ab Angelo ſpoliatus ac brevi mortuus eſt.

864. Sub hoc Gunthero & Ludovico imperatore templum Noveſii collegiatum canonicorum & canonicarum virginum ſocietate, S. Quirini corpore, & multorum peregrinorum frequentatione longo tempore memorabile extruitur. De cujus primis inſtitutoribus hæc in pergamenis litteris ſigillatis, vetuſtate fere exeſis inveniuntur: Everhardus comes (fuit Clivenſis) & Berta ejus uxor nobilis matrona de ſtirpe Caroli magni regis, & Luthardus comes, atque Berengarius (a) epiſcopus Tullenſis, eorum filii conſtituerunt duas congregationes, unam in *Weſſel* canonicorum, alteram in Nuſſia canonicorum & canonicarum.

860. Hic quoque referre libet, quæ in parochia Moguntina circa hæc ferme tempora a maligno ſpiritu geſta ſunt, qui evidens nequitiæ ſuæ dedit indicium. Nam primo lapides jaciendo, & parietes domorum quatiendo, diſcordias inter vicinos ſeminando, homines inquietabat. Denique animos omnium contra unum hominem commovit, quaſi propter ejus peccata ceteri talia paterentur, cujus fruges in unum coacervatas incendit, qui ubicumque intraſſet, ſtatim domus illa exurebatur, ut jam ei niſi in agris locus manendi nullus eſſet. Propter hoc preſbyteris letanias agentibus, & benedictam aquam ſpargentibus, inimicus lapides jaciendo, multis cruentatis tandem aliquandiu quievit. Preſbyteris recedentibus, inimicus flebiliter ululans, tandem preſbyterum quemdam nominatim exprimens, ſe, quando aqua benedicta ſpargebatur, ſub cappa illius, quaſi familiaris ſui latuiſſe profeſſus, accuſans eum cum filia procuratoris concubuiſſe. Sic per triennium inſtitit, donec ibidem cuncta ædificia incendio conſumeret. Alii ſcribunt in pago quodam ſub hac diœceſi contigiſſe.

Hoc anno ſanctus Meginradus ex monacho cœnobii Augienſis eremita in nigra ſylva, noctu in cella ſua a duobus latronibus, magnam ſe pecuniam apud illum reperturos exiſtimantibus, occiditur 12. Kalend. Februarii: cujus corpus ad monaſterium Augienſe reductum & ſepultum infinitis miraculis multo tempore coruſcavit.

866. Rex Bulgarorum ad Chriſtianiſmum cum ſua gente converſus, miſſis ad eum a ſede apoſtolica ſacri ordinis miniſtris, acceptis etiam a rege Ludovico ſubſidiis, adeo in fide ſolidatur, ut non multo poſt filio majore in regnum ordinato, ipſe abrenuncians ſæculo, monachus factus ſit, eleemoſynis, vigiliis & orationibus die noctuque intentus. Interea filius ejus, quem regem conſtituerat, longe a paterna intentione, & operatione recedens, prædas cœpit exercere, ebrietatibus, comeſſationibus & libidinibus vacare, & omni conamine ad gentilitatis ritum populum noviter baptizatum revocare; quod cum pater audiſſet, nimio zelo accenſus, ſacrum habitum depoſuit, & militiæ cingulum reſumſit, & cultu regio indutus, adſociatis ſibi Deum timentibus, filium perſecutus eſt; quem mox abſque difficultate cepit, oculoſque ejus effodit, & in carcerem miſit, deinde convocato omni regno ſuo, filium juniorem regem conſtituit, interminatus coram omnibus ſimilia fore paſſurum, ſi in aliquo a recta chriſtianitate deviaret. His ita patratis depoſito cingulo, & reſumto ſanctæ religionis habitu, in monaſterium ingreſſus, in ſancta religione reliquum præſentis vitæ tempus duxit.

876. Fuit quidam Judæus nomine Sedechias, olim (ut fama eſt) phyſicus & medicus Ludovici imperatoris, magicis diſciplinis imbutus, qui faciebat multa miracula, & ſtupenda ludibria publice coram principibus & quibuſcumque aliis. Egit namque arte ſua, ut hominibus videretur devorare hominem armatum cum equo & omnibus armis; currum quoque onuſtum fœno cum ipſo fœno, equis & auriga. Amputabat hominibus capita, manus aut pedes, quæ pelvi coram impoſita, cum ſanguine defluente omnibus videnda præbuit: quæ ſtatim ad loca unde videbantur abſciſſa, ſine detrimento hominis relocavit. In aëre tranſiens videbatur, & audiebatur ab omnibus, qui venationes, curſus, & alia quæ homines ſuper terram exercere ſolemus, in nubibus & aëre faciebat, ut omnes, ultra quam credi poteſt mirarentur.

876. Circa hoc tempus fuit quædam devota abbatiſſa in collegio S. Quirini Giepa nomine: hæc devotionis ergo profecta eſt Romam, & a Romano pontifice S. Quirini martyris caput impetravit, & Noveſium tranſtulit, qui patronus Nuſſienſis ſingularis apud Deum crebrius multis miraculis comprobatur.

881. In ſacello ſuburbano, ſupra nominato, prope Noveſium ad hunc uſque annum indefeſſe magno cum hominum concurſu divinus cultus obſervatus fuit.

881. Per id tempus Nortmanni adjunctis ſibi Danis Franciam & Lotharingiam pervagantes, Ambianum, Attrebates, Corbeiam, Cameracum, Tarvennam, & fines Morinorum, Menapiorum, Bracbatenſium, omnem-

(a) Hic epiſcopus deſideratur in ſerie epiſcoporum Tullenſium.

que circa Scaldim fluvium terram ferro & igni devaſtant. Inde Walim fluvium ingreſſi, totam Bataviam depopulant, Neumagoque palatio regio applicant; ibique caſtra ponunt. Quod factum cum ad aures Ludovici tertii ejus nominis regis Francorum perlatum eſt, abſque dilatione cum exercitu venit, & munitionem obſidione clauſit. Conſerto nonnullis diebus certamine non adeo prævaluit, quia palatium ingentis magnitudinis, mirique operis hoſtibus tutiſſimum præbebat receptaculum. Rex vero accepta pollicitatione, quod ſi ab obſidione ceſſaret, Nortmanni continuo e regno ejus decederent, cum omnibus copiis receſſit. Illo recedente, pagani palatium una cum munitione exurentes, exurgentibus ita flammis & navibus conſcenſis oſtia Rheni repetunt. Eodem anno menſe Novembri, duo reges Nortmannorum Godefridus & Sigefridus cum inæſtimabili multitudine peditum & equitum conſederunt in loco qui dicitur *Haſleu* juxta Moſam, & primo quidem impetu finitima loca depopulantes, Leodium civitatem, Trajectum caſtrum, Tungrenſem urbem incendio cremant. Secunda incurſione Ribuariorum finibus effuſi, cædibus, rapinis, ac incendiis omnia devaſtant, Coloniam Agrippinam, Bonnam, Noveſium, Tulpiacum, cum adjacentibus caſtellis, pagis & villis igne comburunt. Aquis in palatio equos ſtabulantes, oppidum & palatium incendunt. Sacri ordinis in utroque ſexu miniſtri, ubi poterant oportunius latebant, & ſanctorum corpora & pignora tutioribus locis abſcondebant. Nulli parcentes ſexui, non ordini, non ætati; ſed omnes interficientes quos invenire potuerunt. Facta ſunt hæc regnante Carolo Craſſo Romanorum imperatore anno ſecundo ſub Willeberto Colonienſi archiepiſcopo.

883. Poſt hæc Nortmanni Treverim incendunt, cives interficiunt, prædam abducunt. Ad Metenſem urbem procedentes, habito cum civibus prælio, victores exiſtunt; in quo Wido epiſcopus Metenſis cum aliis multis occubuit. Innumera præterea in imperio perpetrarunt mala. Wormatiam quoque, quæ imperio ſemper in omnibus fideliſſima extitit; occiſis habitatoribus, ſubverterunt; & ſanctum Sonderoldum ex monacho archiepiſcopum Moguntinum, virum vita & doctrina reverendiſſimum occidentes martyrem fecerunt.

De ſacello ſuburbano D. Magdalenæ.

In hac Nortmannorum truculentiſſima ſævitia, ſacellum in honorem D. Mariæ Magdalenæ conſecratum ſuburbanum, una cum Noveſio igne conflagravit, & ſolo tenus demolitum eſt.

884. Carolus Craſſus imperator, & rex Galliæ, & Gallis & Germanis ad auxiliandum regno evocatis, Nortmannos obſidet: cum quo Godefridus rex facto fœdere, ut ſibi Phriſia provincia & Gila filia Lotharii regis, uxor daretur, baptizatus eſt, & ab imperatore de ſacro fonte ſuſceptus, Sigifrido quoque rege nimis munerato, eos a regno ſuo recedere fecit; qui Franciam mox repetentes, poſt multas incurſiones a Carolomanno rege Francorum duodecim millia argenti probati pro tributo exigunt, & ſic duodecim annis pacem promittentes, mare repetunt.

888. Carolus imperator, cum Nortmannos nequiret expellere, tandem facto fœdere, conceſſit eis regiones, quæ erant ultra Sequanam, quarum incolæ contra ſe rebellabant, quæ pars Franciæ a Nortmannis, Nortmannia appellata eſt.

888. Hæc circa tempora, optata pace conceſſa, Noveſium reædificatur, & multo pulchrioribus ædificiis in altum quoque exurgentibus quam ante cladem, exornatur. Sacellum ſuburbanum ſimul quoque a bonis & fidelibus, ne incœptum jam multis annis divinum exercitium ibidem depereat, reſtauratur, cui & nomen imponitur *Nevvenberg*, novus mons. De ſacello ſuburbano.

911. Hungari Germaniam vaſtant, a Bojariis & Alemannis graviter cæduntur.

925. Lanceam mirandi operis, & clavis Jesu Christi crucifixi ſanctificatam, quæ dicitur primi & magni imperatoris Conſtantini fuiſſe, Henricus imperator a rege Burgundiæ precibus, minis, & immenſis muneribus extorſit, quam ad inſigne & tutamen imperii poſteris reliquit: hanc Nurenbergæ eſſe Tritenhemius in ſuis chronicis ſcribit.

963. Imperator Otto Danos vicit, & Godefridum ducem eorum cum omni gente Chriſtianum fecit.

966. Danis, qui Chriſtum Jeſum & idola ſimul colebant cum Popone clerico in convivio altercantibus & ſuper cultura Dei & deorum, aſſerentibus Christum Jesum eſſe quidem Deum, deos vero majores & antiquiores eſſe illo, Popone e contra affirmante Jesum Christum ſolum verum Deum: unum eſſe Deum in ſubſtantia, trinum in perſonis: rex Danorum Araldus condixit clerico, ut fidem propoſitam a ſe probaret teſtimonio veritatis, quod annitente clerico, ingentis ponderis ferrum valde ignitum manibus illius ferendum imponitur; quod cum clericus ad placitum omnium uſque tuliſſet abſque ulla læſione, rex penitus abjecta idololatria, ſe ſuoſque ad colendum verum ſolum Deum convertit, clericus vero ad epiſcopatum promotus eſt.

Otto primus & Otto ſecundus domini veſti & gubernatores civitatis Colonienſis erant. Colonia imperio tunc & non archiepiſcopo parebat.

Bruno archiepiſcopus Colonienſis vir ſanctus, frater Ottonis primi claret in Germania; utroque gladio ſtrenue gubernando, ſpartam a Deo nactam ſubmiſſe ſuſcipiendo,

Colonienſes ſummopere congaudebant. Pariſios docuit, & Lotharium regem, conſanguineum ſuum, quem illi repulerant, in ſedem reſtituit. Lotharingiam ob latrocinia, quibus affligebatur purgavit. Domuit præterea infidos Weſtphalos & Saxones. Coloniam a tributis, a Clithoveo rege Francorum impoſitis liberam reddidit. Tempore hoc eccleſiaſtico judicio ſubjiciebantur Colonienſes. Romani ab Octaviano Cæſare imperium gubernarunt 344. annos. Græci vero 470. annos. Franci ex ſanguine Caroli magni 160. annos. Ab Ottone primo uſque ad hæc tempora videlicet ad annum poſt Chriſtum natum 1586. Germani. Bruno pontem trans Rhenum dejecit, atque monaſterium ſancti Pantaleonis ex iſtius lapidibus exædificavit.

964. Otto Cæſar Lotharingiam epiſcopo Brunoni ex principum judiciis adjudicavit, ipſumque principem Lotharingiæ appellari & eſſe voluit. Hic quoque primus Weſtphaliæ & Angariæ dux factus eſt. Anno 965. mortuus eſt Bruno archiepiſcopus, & ſepultus eſt in monaſterio ſancti Pantaleonis, quod anno præcedente incœpit, ac in extremis poſitus conſummari mandavit. Præfuit annis 12. qui multa miranda ſuo tempore fecit. Cui in epiſcopatu ſucceſſit Wolmatus annis quatuor.

967. Hatto abbas Fuldenſis, ordinatus eſt archiepiſcopus Moguntinus, qui tempore famis ingentem pauperum multitudinem in horreo concluſam injecto igne concremavit; quaſi ipſi ſtipem exigendo famem in ſua regione exſuſcitarent: voluit hoc modo & illorum inopiæ & communi utilitati conſulere. Quos muribus tamquam inutilibus animalculis aſſimilavit: cremantium miſerum ejulatum audiens ſubriſit, audite, inquit, ut pipiunt & perſtrepunt mures. Sed Deus qui nullum peccatum inultum relinquit, hunc epiſcopum mirabili, & prius inaudito multis genere ſupplicii dure ſatis anno poſt tertio punivit. Tanta enim turba murium undequaque prorumpens in eum glomerata irruit, ut quocumque ſe verteret, iſtiuſmodi beſtiolarum morſibus premeretur: ſi erat in alto vel eminentiori quolibet loco, mures per parietes aſcendebant: ſi vero incluſus, per rimulas etiam arctiſſimas facile penetrabant, eumque infinita multitudine obruentes mordebant, lacerabant, ac devorare penitus geſtiebant. Quarum tanta fuit importunitas, ut quanto repellerentur impetu, tanto majori furore incurſabant; cumque ſe nuſquam in terra tutum conſpiceret, pontifex jam miſerandus aquarum ſe munimine cinxit, ac juxta oppidum Bingionum turrim in medio Rheni, ad cuſtodiam patriæ olim conſtructam ſcapha ſubvectus aſcendit, ſperans eo loci mures per undoſi fluminis raptum nullatenus eſſe venturos: ſed non eſt locus, quo ſuam divina poteſtas prohibeatur exercere vindictam, natantes per aquas infinita multitudine denuo mures per altiſſimos muros turrim aſcendunt, intrant, pontificem inquietant, rodunt, infeſtant; tandemque nimia eorum multitudine obrutum miſerabiliter morſibus acutiſſimis necant, murium turris a caſu adhuc hodie dicitur.

972. Wolmarus archiepiſcopus Colonienſis moritur; cui ſucceſſit Gero filius Chriſtiani comitis & Wiburgæ ſororis comitis de Magdeburg.

974. Imperator Otto primus moritur anno regni ſui 38. imperii vero 13. cujus corpus cum magnis lugentium exequiis in eccleſia Magdeburgenſi, quam ipſe conſtruxit, eſt tumulatum. Otto filius, ejus nominis ſecundus imperator in regno ſucceſſit, & ferme annis 10. poſt patrem imperavit.

His temporibus Gero archiepiſcopus Colonienſis fundavit monaſterium ordinis Benedictinorum. Et monaſterium S. Martini in Colonia fundatum eſt. Cœnobium Gladbach fundatur.

977. Theodoricus archiepiſcopus Treverenſis moritur, ſub quo canonici majoris Eccleſiæ ibidem, abjecta regulari vita quam huc uſque in eadem eccleſia majores eorum continuaverant, deſierunt eſſe regulares, & facti ſunt nomine & converſatione ſæculares. Quorum exemplo malo canonici quoque S. Paulini Treverenſes, S. Caſtoris in Confluentia, Moguntinenſes, Wormatienſes, Spirenſes, & complurium aliarum eccleſiarum diverſis quidem temporibus, ſed uno impietatis ſpiritu regularis vitæ communitatem abjecerunt.

985. Walramus archiepiſcopus Colonienſis obiit, cui ſucceſſit Evergerus, qui præfuit annis 15. ſepultus in æde D. Petri.

990. Ignis de Rheno aſcendit, multaſque villas proximas vi ſua abſumſit.

999. S. Herebertus archiepiſcopus Colonienſis per clerum & communem populum in archiepiſcopum electus eſt Ottone tertio regnante. Tuitienſe monaſterium conſtruxit, ibique anno 1021. ſepultus quieſcit. Hic quoque cœpit ædificare templum SS. Apoſtolorum extra muros Colonienſes, quod poſt per Piligrinum perfectum eſt. Sub hoc epiſcopo in Saxonia admiratione dignum factum contigit, ut plurimi viri ac mulieres petulanter in cœmiterio juxta eccleſiam ſancti Magni martyris in *Kolbeck* villa ſaltantes & divinum officium perturbantes, ſacerdos divina celebrans increparet, & quum ſuæ vanitati inhærentes ceſſare noluiſſent, quare ſacerdos eos devovit, quo factum eſt, ut per integrum annum ſaltarent. Quos tandem S. Herebertus abſolvit, ex quibus nonnulli brevi mortui ſunt, nonnulli pœnitentiam facti egerunt.

1002. Inſtitutio Septemvirorum, ex primariis heptarchis, qui ſibi deligendi impe-

ratoris Romani Germanicique partes nunc sumunt, facta est anno Christi 1002. anno mundi 4963. anno Romæ 1753. anno 201. post coronationem Caroli magni, ab Ottone tertio Cæsare prudentissimo. Videbat enim perpetuo æstuare Gallos & Italos transferendæ imperialis majestatis cupiditate a Germanis, interim tamen tam potentem monarchiam in primis necessariam Christiano orbi ad tutandum Romanum pontificem & Italiæ libertatem, denique ad conservandam concordiam religionis in tota Europa. Atque ut concordia servaretur in electione, religionis causa, inter sacri ordinis præsules & principes reliquos, delegata est ea auctoritas constituendi Romanum Cæsarem, memoratis septem Germaniæ primariis principibus Moguntino, Agrippinensi, & Electio quibus delegata. Trevirensi archiepiscopis. Additi his sunt, princeps Bohemiæ (nam tum regem adhuc Bohemia non habebat,) comes palatinus Rheni, dux Saxoniæ, marchio Brandemburgensis. Willigisus primus elector Moguntinus, S. Herebertus primus elector Coloniensis, Erlimbadus primus elector Trevirensis. Willigisus ex Saxonia in pago Stroningen natus, patre hamaxurgo vel rhedario, ob eximiam doctrinam & prudentiam Ottoni II. longe carissimus, cujus sacellanus & consiliarius intimus erat, atque ab eodem Ottone in archiepiscopum Moguntinum constitutus. Habebat ille in omnibus habitaculis suis depictam rotam cum hac inscriptione: Willegise, Willegise recole unde veneris. Rota unde insigne Moguntino archiepiscopo. Appendit & rotas in parietibus pro suis insigniis, ut numquam suæ prosapiæ & paupertatis oblivisceretur. Hæc rota postea insigne archiepiscopatui Moguntino datum & confirmatum est ab Henrico secundo.

De monasterio vallis Angelorum canonissarum regular. in Bonna. 1002. Monasterium Vallis Angelorum Bonnæ initium habuit anno 1002. per quamdam prædivitem & devotam matronam Gekelam. Hæc cum esset Deo ac sanctis Angelis devotissima, Romam profecta est, & accepta ædificandi licentia a summo pontifice, in Dei ac sanctorum Angelorum honorem construxit collegium, & hæreditatem suam illi assignavit. Cum autem incendio periisset anno Domini 1246. restauratur per officialem Colonienſem, & præpositum S. Severini. Olim sanctimoniales istæ juxta D. Augustini ordinem vivebant, verum anno Domini 1417. sub capitulo Wendelsei mensi militarunt Deo, & regulariſſæ ejus capituli factæ sunt.

1003. Henricus hujus nominis secundus a Septemviris dictis primo electus Cæsar est. Fuit dux Bavariæ, imperavit annos 22. vir prudentia & insignibus victoriis clarus, multa & ingentia bella mirabili felicitate gessit. Ipse cum uxore caste ac pie vixit, Germaniam templis & privilegiis ornat, episcopatus Bambergensis fundator Bambergæ sepultus, in catalogum SS. relatus. Hungaros ad fidem Christianam pertraxit, dans sororem suam regi Hungarorum Stephano Gisilam. Hungari Christiani.

Contigit circa hæc tempora Henrici imperatoris mirabile factum: juvenis quidam maleficio duarum vetularum in formam asini muratus est, ita ut omnibus videntibus asinus appareret, quod multis impossibile videtur, non intelligentibus quod permissione divina spiritus malignus oculos hominum mirandis ludificationibus illudere potest. Hoc tempore Poloni a Stephano Hungarorum rege ad fidem Christianam compulsi sunt. Juvenis in asinum maleficio mutatus.

Cum circa hæc tempora monachi Fuldenses coenobii propter deformatissimam vitam in derisum omni populo venissent, sæpiusque a S. Imperatore moniti pravos mores emendare contemnerent, cum sciret eos nimia divitiarum abundantia factos contumaces, multa bona & possessiones auferri ab eis præcepit, & aliis monasteriis distribuit. Fuldenses monasterio spoliatur propter monachorum pessimam vitam.

1021. S. Herebertus archiepiscopus Colonienſis primus elector obiit, cui successit Pilligrinus: consecravit in imperatorem Conradum Suevum. Aquisgrani apud SS. Apostolos sepultus. Conradus Cæsar suo tempore supplantabat & incipiebat episcopatum Spirensem.

1036. Pilligrinus Colonienſis episcopus obiit, in cujus locum successit Herimannus secundus filius Ezelini comitis Palatini Rheni, regnavit annos 20. restauravit S. Severini templum, sepultus in summo templo Colonienſi.

1039. Conradus imperator obiit Trajecti, cui Henricus filius ejus successit.

1046. Neomagi domum regiam miri & incomparabilis operis dux Lotharingiæ Godefridus incendit.

1047. Hermannus Contractus in Sueyia in monasterio S. Galli ordinis Benedictinorum, monachus undecumque doctissimus, græce, latine, & arabice peritus, philosophus, rhetor, astronomus, poëta, musicus, & mathematicus omnium sui temporis celeberrimus, qui multa præclara volumina edidit, vide Tritenhemium. Ipse quoque Salve Regina compositi, etiam Alma Redemptoris. Salve Regina & Alma Redemptoris quis compoſuit.

1054. Henricus imperator Aquisgrani ab Herimanno Colonienſi archiepiscopo in regem consecratus est.

1055. Herimannus archiepiscopus Colonienſis moritur cui S. Anno successit. Erat præter animi virtutes, corporis dotibus haud mediocriter ornatus, statura procerus, vultu venerabilis, eloquens, inediæ patiens, erat & recti ac justitiæ tenacissimus, nemini adulans, ac timens Deum, in pauperes liberalis. Religiosorum collegia quinque construxit ac liberaliter dotavit, Coloniæ in honorem B. Mariæ Virginis monasterium, quod ad gradus nuncupavit, pro triginta canonicis. Se-

cundo ecclesiam D. Georgii extra muros Colonienses, quam etiam magna cum solemnitate & devotione consecravit ac dedicavit. Tertio cujusdam ignoti senis hortatu, in monte quem a Palatino comite Henrico obtinuit, qui a prætersluente fluvio Sigenberch dicitur; in honorem D. Michaëlis ac S. Mauritii anno Domini 1066. ecclesiam & monasterium D. Benedicti ædificavit ac consecravit. Cum his fratribus quos ex Italia huc advexerat conversabatur, sæpe quam pie eis ministrans, atque ut unus ex eis regulæ statuta strictim observabat. Alia quoque duo monastetia construxit, unum in Westphalia quod Graschaff dicitur, & in Salevelt in Thuringiæ confinio.

Historia memorabilis de quarta civium Coloniensium contra episcopum sua.

S. Anno Paschæ Coloniæ celebrabat, eratque cum eo episcopus Mimegardevurdensis, ad communicanda tantæ solemnitatis gaudia familiaris amicitiæ obtentu evocatus: cumque exactis ex parte feriis Paschalibus, abscedere pararet, hi qui archiepiscopi negotia domestica curabant, jubentur ad evectionem navem idoneam providere. Lustratis perspectisque omnibus, unam mercatoris cujusdam prædivitis navim, quia in eos usus competens videbatur, occupant, eamque in ministerium archiepiscopi, ejectis mercibus quas habebat, ocyus expediri jubent: negantibus famulis, qui navim servandam susceperant, vim nisi mature jussa capessant minitantur. Illi quantum poterant citato cursu, ad dominum navis rem deferunt, & quid facto opus sit consulunt. Habebat ille filium adulta ætate, non minus audacia quam viribus excellentem, & tum propter generis affinitatem, tum ob merita sua primoribus civitatis maxime carum & acceptum: is assumtis famulis suis, & juvenibus ex civitate, quantos in ea trepidatione in auxilium sinum conscisscere potuit, concitus ad navem evolat, & ministros archiepiscopi acriter ut navis exoccuparetur insistentes cum injuria proturbat. Dehinc (*a*) advocatum urbis in idem opus succedentem, tumultusque instaurantem simili constantia repellit, fundit & fugat, jamque & is, & illi sui singuli amici armati subsidio accurrunt, & ad magnum discrimen pugnamque ancipitem res spectare videbatur. Perlato nuntio ad archiepiscopum, quod atrociffima seditione confunderetur civitas, misit festinanter ad sedandos motus populi, irarumque plenus minabatur se proxima sessione seditiosos juvenes merita pœna coerciturum. Et licet omnium virtutum genere vir esset florentissimus: tamen unum in tantis virtutibus vitium tamquam tenuis in pulcherrimo corpore nævus apparebat, quod dum ira incanduisset, linguæ non satis moderari poterat, sed in omnes sine personarum acceptione, rixas & convicia amariffima rotabat. Hoc in se, cum iram paululum digessisset, vehementer & ipse reprehendebat. Vix ad modicum dirempta est concertatio. Sed ferox animis & elatus primo successu juvenis non cessabat interturbare omnia, percurrensque civitatem varios sermones per populum serebat de insolentia & austeritate archiepiscopi, qui toties injusta præciperet, toties innocentibus sua adimeret, toties honestissimos cives procaciffimis verbis incesseret, nec difficile fuit id hominum genus in omne quod vellet tamquam folium quod vento rapitur transformare. Quippe qui ab incunte ætate inter urbanas delicias educati, nullam in bellicis rebus experientiam habebant; quippe post venditas merces inter vina & & epulas de re militari disputare soliti, omnia quæ animo occurrissent tam facilia factu, quam dictu putabant, exitus rerum metiri nesciebant. Præterea in mentem veniebat Wormatiensium insigne præclarumque facinus, quod episcopum suum insolentius agere incipientem urbe expulissent; ut cum ipsi multitudine, opibus armisque instructiores sint, dedignantur quod inferiores æstimentur audaciâ; & archiepiscopum tyrannico sibi fastu imperitantem tamdiu muliebriter patiantur. Conferunt primores inepta consilia, sævit vulgus intemperans novarum rerum studio, & per totam civitatem spiritu diabolico raptatum ad arma conclamat. Nec jam archiepiscopum urbe expellere, sicut Wormatienses, sed per omnes cruciatus trucidare, si copia detur conspirat. Natalis erat B. Georgii martyris, qui eo anno 4. feria hebdomadæ Paschalis obvenerat; & archiepiscopus celebrata missarum solemnitate apud beatum Georgium, cum sermonem faceret ad populum, præsagio quodam futurorum, nescius ipse mali quod imminebat, contestatus fuerat audientibus, quod civitas diabolo in potestatem tradita esset, & propediem peritura, nisi jamjam impendentem iram Dei per pœnitentiam inflectere maturarent. Igitur post meridiem inclinata jam die in vesperum, cum igni oleum iracundiæ accessisset ebrietas, ex omnibus partibus urbis ruunt ad curtim archiepiscopi, & cum celebri quodam loco cum episcopo (*b*) Mimigardevurdensi cœnantem adorti, tela contorquent, saxa jaciunt, nonnullos ex assistentibus interficiunt, ceteros plagis & vulneribus confectos in fugam vertunt. Inter hæc conspicantur quamplurimi ipsum talium furiarum incentorem dæmonem præcurrere insanienti populo galeatum loricatum, igneo mucrone terribiliter fulgurantem, nec ulli quam sibi similiorem. Cumque militari quodam classico cunctantes ut se in pugnam sequerentur concitaret, in ipso impetu quo portarum seras effracturus irruebat, repente ex oculis sequentium disparuit.

Conspiratio in episcopum Coloniensem.

(*a*) Ad marginem hæc nota legitur, *Nos præfectum vocamus.*

(*b*) *seu* Monasterienſi ut in chronicis Colonienſibus.

Episcopus in templum cõcluditur.

Archiepiſcopum ſui inter cuneos hoſtium nubemque jaculorum vix & ægre expedium in templum S. Petri abripiunt, foreſque non modo ſeris, & vectibus, ſed admotis etiam magnis molibus obfirmant. Sæviunt foris, & inſtar inundantis aquæ rugiunt vaſa diaboli, plena vino furoris Dei, & per omnia epiſcopii penetralia diſcurrentes, fores infringunt, theſauros diripiunt, vaſa vinaria concidunt, & dum vina in diutinos uſus ſumma ope congeſta præcipitantius effundunt, repletum ſubito cellarium ipſos, quod dictu quoque ridiculum ſit, inopinis fluctibus periclitatos pene ſuffocaverat. Alii capellam archiepiſcopi irrumpentes, altare ſpoliant, ſacra vaſa pollutis manibus contrectant, veſtimenta pontificalia diripiunt: dumque omnem ſupellectilem ſacri miniſterii curioſa imo furioſa diligentia evertunt, reperientes illic quemdam præ timore in angulo ſe occultantem, & putantes quod archiepiſcopus eſſet, interficiunt, non ſine gratulabunda exprobratione, quod petulantiſſimæ linguæ tandem aliquando modum impoſuerint. Sed cognito quod decepti ſimilitudine eſſent, & archiepiſcopus intra templum S. Petri & loci religione, & murorum firmitate ſe tutaretur, undique conglobati ipſum templum obſident, muros perfringere dedita opera moliuntur, poſtremo niſi ocyus ſibi tradatur archiepiſcopus, ignem quoque ſe adhibituros minitantur. Tum hi qui intus erant videntes obſtinatos eſſe ad necem ejus, animos populi, nec ebrietate ſola quæ tempore digeri ſolet, ſed pertinacibus etiam odiis & phrenetico quodam furore homines agitari; ſuadent ei, ut mutato habitu effugere conetur de eccleſia, & fallere obſidentes, hoc facto & ſacras ædes incendii & ſe mortis periculo liberaturus. Oportunum fugæ patrocinium tempus pollicebatur. Seditione in mediam noctem protracta horrebant omnia tenebris, & caligine, ut haud facile cuiquam eſſet vultus occurſantium diſcernere. Anguſtus aditus patebat de templo in dormitorium. Itemque de dormitorio in atrium domumque canonici cujuſdam adhærentem muro civitatis. Iſque ante paucos dies ortæ ſeditionis impetraverat ab archiepiſcopo, Deo ad ſalutem archiepiſcopi hoc ipſum miſericorditer providente, ut rupto muro civitatis parvulum ſibi poſticum facere ſineretur.

Epiſcopus quatuor equis nocte aufugit, ac Noveſium pervenit.

Ibi eductus archiepiſcopus, applicitis propere in evectionem ejus & comitum ejus quatuor equis, abiit, opacæ noctis tenebris, ne ab obviantibus agnoſceretur, commodiſſime uſus; repertoque poſt modicum epiſcopo Mimigardevurdenſi, ſociis jam pulchre pro ea tum calamitate conſtipatus, in locum cui Nuſſen nomen eſt pervenit. Interim hi qui circa templum erant crebris arietum ictibus muros quatiebant, eratque confuſa vox tumultuantium, & fidem Dei ipſis teſtantium, quod non evaſurus eſſet manus ſuas, non decepturus obſidentium diligentiam, etiamſi in minima terræ reptilia ſe transfiguraret. Econtra hi qui obſidebantur nunc ſupplicando, nunc pollicendo quod diligentiſſime quæſitum, ſi inveniretur ipſis tradituri eſſent, callide ludebant operam perurgentium, uſquequo archiepiſcopum longius evectum, atque in tuta jam loca progreſſum eſſe arbitrarentur. Tum demum recluſis foribus ipſos ingredi, & pro libitu ſuo quærere ſinunt, adjiciuntque fruſtra cum quæri intra ſepta templi, quem certo comperiſſent primo incurſu concitatæ multitudinis clara adhuc die urbe egreſſum, jam in longinquas partes tranſire potuiſſe. Idque magis ſuſpicandum, quod contractis undique per moram nocturni temporis copiis, primo mane ad occupandam armis civitatem ſit adventurus. Igitur ingreſſi cum omnia penetralia templi diligentius inveſtigando evertiſſent; vix tandem admiſſa fide quod falli potuiſſent, deinceps ab inquiſitionis ſtudio ad tuendam urbem animos vertunt, armatamque multitudinem circumquaque per propugnacula diſpertiunt. Inter hæc arreptum quemdam de turba ſuper portam urbis ad ignominiam epiſcopi ſuſpendunt: magis in hoc furori ſuo, quo præcipites raptabantur, ſatisfacientes, quam quod crimen ullum ſuſpendio dignum miſero obtendere poſſent. Mulierem etiam quamdam de ſummitate murorum præcipitant, fractiſque cervicibus interficiunt, hoc ei crimini dantes, quod homines plerumque magicis artibus dementare infamata fuiſſet: ſed hoc ſcelus commodiori tempore & pacatiore animo vindicare debuerant. Induxerant etiam in animum, niſi Deus conſulens ſervis ſuis breviaſſet dies amentiæ eorum, ut monachos de S. Pantaleone omnes trucidarent, pro eo quod expulſis ab archiepiſcopo prioribus monachis novum illic inuſitatumque religionis genus inſtituiſſent. Præterea juvenes impigros citato quantum poſſent gradu ad regem ire jubent, nunciare ei quæ geſta fuerant, & ſuggerere, ut quantocius veniat, vacantem expulſo archiepiſcopo civitatem occupare, in eo verti ſalutem civitatis, & ipſius utilitatem maximam, ut grandia molientem de vindicanda injuria ſua archiepiſcopum anticipare conetur. Talibus furiis toto triduo agitabantur. Poſtquam auditum eſt per provinciam, & celebri rumore vulgatum, quod Colonienſem archiepiſcopum probris & contumeliis affectum urbe fugaſſent, exhorruit omnis populus novitatem rei, atrocitatem ſceleris, ſpectaculum humanarum rerum, quod vir tantarum in Chriſto virtutum tam indigna perpeti Deo aſpiciente potuiſſet. Magna ejus in pauperes liberalitas, multa in divinis rebus devotio, multa in

Monachi S. Pantaleonis pellumtur eorumque in locum alius genus inſtituitur.

humanis moderatio, vehemens in corrigendis legibus ſtudium, libera in coripendis qui male agerent ſeveritas, omnium ore celebrabantur, earumque rerum commemoratio non minimum ei gratiæ apud populares conciliabat. Exclamant omnes ad ſuam magis injuriam pertinere violatam pontificalis nominis majeſtatem, & mori ſibi ſatius eſſe, quam ut tantum flagitium ſuorum temporum inultum patiantur. Igitur per quatuor vel quinque milliaria, circumquaque ad arma conclamant, multa hominum millia dicto citius concurrunt, nullo qui pet ætatem arma ferre poſſet, tam religioſam militiam detractante; conglobatique in unum, rogant archiepiſcopum, & cunctantem vi impellunt, ut ad recuperandam civitatem quantocius feſtinet, ſe pro eo dimicaturos, & ſi ea neceſſitas incumbat oves pro paſtore, filios pro patre libenter mortem excepturos. Quod niſi Colonienſes maturent venientem ſuſcipere, & pro ipſius arbitratu ſatisfacere offenſo, ſe aut ingeſto igne populum cum civitate conſumpturos, aut diſſipato muro eum ſuper congeriem occiſorum in cathedram pontificalem reducturos. Ita archiepiſcopus quarto die poſtquam exierat, magno vallatus agmine ad urbem acceſſit. Quod ubi Colonienſibus compertum eſt, & ſe tantæ tamque efferatæ multitudinis impetum nec muro nec acie ſuſtinere poſſe animadvertunt, tum primum furor deflagrare, ebrietas vaneſcere cœpit, magnoque terrore concuſſi, obviam legatos de pace miſerunt, ſe reos confitentes, & omnem quam vita incolumi juberentur pœnam pendere paratos. Archiepiſcopus digne pœnitentibus ſe veniam non negaturum reſpondit. Tum celebrata miſſarum ſolemnitate apud S. Georgium, eos qui pontificem ſede propria expuliſſent, qui eccleſiam homicidio polluiſſent, qui templum S. Petri impetiſſent, qui cetera religionis jura auſu barbaro temeraſſent, epiſcopali hamo ad ſatisfactionem vocavit. Protinus omnes nudis pedibus, laneis ad carnem induti proceſſerunt, vix & ægre impetrata pace multitudinis, quæ circa epiſcopum erat, ut hoc tuto facere ſinerentur. Nam & vehementer ei ſuccenſebant, quod dum immoderatius clementiam oſtentando populares fieri vellet, nefarios homines ad audenda nequiora hujus ſceleris impunitate animaret. Archiepiſcopus eos poſtero die ad ſuſcipiendam ſecundum canonum ſcita pœnitentiam tam immanis flagitii ad S. Petrum præſto eſſe jubet. Ipſe progreſſus ad S. Gereonem, ibi extra urbem pernoctare ſtatuit, verituſque quod tradita civitate vis concitatæ multitudinis inhiberi non poſſet, ſed partim injuria partim prædæ cupidine accenſi, acerbius ſævirent in populum, obnixe rogat provinciales qui ſecum erant, ut ſinguli in ſua cum pace recederent, ſatis ſe opera eorum uſum, & evidens tuliſſe documentum, quid animi oves erga paſtorem, filii erga patrem gererent, aſperrimam partem negotii multa eorum virtute exactam eſſe, cetera quæ reſtent, jam privata ac domeſtica manu poſſe conficí. Proinde quod bonum, felix, fauſtumque eſſet, abirent in domos ſuas, hanc reportantes ſpem, quod hujus beneficii gratia apud eum ſeu vivum ſeu defunctum perpetuo manſura foret. Hoc vix impetrato, milites ſuos, quantos ad comprimendos urbanos motus, ſi qui forte levitate vulgi inſtaurarentur, ſufficere putabat, præcedere in civitatem jubet, ſecuturus ipſe proxima luce; cum eorum qui præceſſiſſent diligentia, ne quid forte inſidiarum lateret, in civitate præcaviſſet. Ea nocte ſexcenti aut eo amplius mercatores opulentiſſimi ex urbe profugi ad regem ſe contulerunt, interceſſionis ejus opem adverſus archiepiſcopi ſævitiam imploraturi. Ceteri ingreſſo archiepiſcopo civitatem & toto triduo juxta conditum expectanti minime ſe præſentaverunt ad proponendum aliquod ſatisfactionis genus. Unde indignitatem rei non ferentes epiſcopi milites, inſcio, ut plurimi aſſerunt, atque inconſulto archiepiſcopo, arma rapiunt, domos incurſant, poſſeſſiones diripiunt, occurſantes partim ſternunt, partim captos in vincula conjiciunt, & prorſus ut veritati vel coacti aſſentiamur, multo ferocius quam tanti pontificis exiſtimationi competeret, juſtæ ultionis negotium exequuntur. Sed gravior morbus acriori indigebat antidoto. Filius ſupra memorati mercatoris qui primus ſeditione inflammaverat populum, & pauci alii luminibus ſunt orbati, nonnulli virgis cæſi ac detonſi, omnes graviſſimo rei familiaris damno multati, atque jusjurandum dare compulſi, quod deinceps archiepiſcopo civitatem contra omnium hominum violentiam, quantum conſilio & armis poſſent, vindicaturi eſſent, & omnes qui ex urbe profugerant, quoad digne archiepiſcopo ſatisfeciſſent, ſemper pro infeſtiſſimis hoſtibus habituri. Ita civitas paulo ante civibus frequentiſſima, & poſt Mogontiam caput & princeps Gallicarum urbium ſubito, pene redacta eſt in ſolitudinem, & cujus plateæ vix capiebant ſtipata viantium examina, nunc rarum oſtendit hominem; ſilentio & horrore omnia deſiderii quondam ac deliciarum loca poſſidentibus. Lambertus Schafnaburgenſis, jam ſenio confectus in ſuo monaſterio Segenbergenſi potiſſimum vivebat. Neque hoc prætermittendum quod omnium judicum ſcabinorum Colonienſium erui fecerit oculos, ea de cauſa, quod iniquam cuidam pauperculæ mulieri tuliſſent ſententiam. Mulier indignitatem rei ferre non valens, Sigenbergum vadit, archiepiſcopo de iniqua ſententia conqueritur. Præſul audita

Mercatores ex urbe ad regem ſe conferunt.

causa, scabinos ad se venire jubet cum libellis judiciariis, cum quibus de sententia injuste lata expostulat: non habentibus quo se excusarent, omnium oculos effodi mandat, uni saltem eorum, cui filium e sacro fonte præsul susceperat, uno effosso oculo parcens, ut esset qui alios sex reduceret domum. In cujus rei perpetuam memoriam, jussit in horum scabinorum domorum summis vestigiis, caput lapideum oculis orbatum poni, quo exemplo & posteri deterriti sibi ab iniquis judiciis temperarent. Visitur hodie apud D. Margaretam tale lapideum summo in vertice cujusdam domus caput.

Valer. Max. lib. 6. Simile fere legitur de Cambyse, quod præfectum pecuniæ largitione corruptum inique judicantem, occidi jusserit, & detractam corpori ejus cutem tribunali instar peliis extendi voluerit, & in locum occisi judicis constituerit filium ejus, collocaveritque in sella judicis hac lege atque omine, ut contemplatione paternæ cutis caveret ne simile aliquando supplicium subire cogeretur. Mortuus tandem in Lombardia anno 1064. ibique sepultus, sed tempore Frederici primi imperatoris & Philippi ab Hinsberch archiepiscopi Colonienſis translatus in Segenbergh.

Seditio ob præeminentiam sessionis inter Hildesheimensem episcopum, & Fuldensem abbatem.

1063. Henricus imperator natalem domini Goslariæ celebravit. Ubi ipsa die dum ad vesperam sellæ episcoporum locarentur, inter camerarios Hecelonis Heildenesheimensis episcopi, & camerarios Widecardi Fuldensis abbatis gravis concertatio oborta est: primo jurgiis, deinde pugnis res gesta est. Causa vero talis erat. Consuetudo erat in regno per multos retro majores observata, ut semper in conventu episcoporum abbas Fuldensis archiepiscopo Moguntino proximus assideret. Sed episcopus causabatur neminem sibi intra diœcesim suam post archiepiscopum debere præferri.

Postea quum rex Pentecosten ibidem quoque celebraret, rursus de positione sellarum episcopalium tumultus exoritur, non fortuita ut prius conversione, sed præmeditata diu machinatione. Episcopus enim expeditum militem in templo absconderat, Fuldensium alios pugnis, alios fustibus cedunt, prosternunt, & de sacrario ecclesiæ inopinato periculo attonitos facile proturbant: Fuldenses econtra ad arma conclamant; facto grege ecclesiam irrumpunt, in medio chori psallentium fratrum manus conferunt, rem non jam fustibus sed gladiis gerunt. Pugna atrox committitur atque per totam ecclesiam pro hymnis & canticis spiritualibus vociferatio *adhortantium*, & *ululatus morientium* exauditur. Super altaria Dei tristes jugulantur hostiæ, passimque per ecclesiam sanguinis currunt flumina, non legali, ut quondam, religione, sed hostili crudelitate profusa. Hildenesheymenses tandem, qui instructi venerant, superiores efficiuntur. Fuldenses ut-pote quos inermes, *inopinatosque* subito exortæ seditionis procella contraxerat, fusi fugatique atque de ecclesia expulsi sunt. Postera die severissime habita quæstione, alii crimen removent, & totum accusationis pondus in abbatem versum est, atque hunc omnium quæ acciderant caput fomitemque fuisse. Abbatem præter acerbitatem rei quæ acciderat, odium quoque gravabat nominis monachici, quod inveterata malitia homines sæculi semper obfuscare atque opprimere conabantur, sed quem nec lex nec innocentia tueri poterant, pecunia tutabatur. Distractis rebus Fuldensis monasterii, se suosque carissimo mercimonio redemit. Abbas post hæc accepta licentia Fuldam remeavit, amaro & confecto nimis super tantis calamitatibus animo. Et ecce ibi acerbiori pene rerum asperitate excipitur, & secundum prophetæ elogium fugiens arma ferre, incidit in arcum æreum. Fuldenſes domant.

Fratres Fuldenses a principio austerum ejus & minus quam decuit populare ingenium offenderant. Auxit ipse invidiam & facem non minimam æmulationi subdidit, prædia ecclesiæ militibus improbe erogando, & victualia fratrum, priorum abbatum liberalitate statuta, minuendo. Murmurabant de his quotidie, & intestinis simultatibus quatiebatur monasterium. At ubi nuncius acceptæ in Goslaria cladis Fuldam venit, tum vero & recentis vulneris dolore præteritorum memoria accensi, fremere omnes, & se vicissim hortari, ut tantam temporis commoditatem divinitus oblatam non negligerent: agendo negotio nihil præter operam industriamque suam deesse, urgeri hominem propriis iniquitatibus ad interitum, agerent nunc singuli pro virili portione, & se suumque monasterium liberarent acerrimo non patre sed hoste, qui Fuldense nomen, cœlo prius æquatum, probro nunc ludibrioque cunctis exposuisset. Sic inflammatæ seditioni tamquam oleum igni additur injuria recentior. Donaverat fratribus equum quidam comes, qui in illa Goslariensi congressione occubuerat, hunc abbas cuidam laïco donaverat, fratribus nescientibus. Hunc efferatis animis, intemperantissimis clamoribus fratres repetunt, diu se tyrannidem ejus magis quam dominatum servili patientia tulisse, non ultra laturos fore, redderet otius per vim erepta sibi alienæ liberalitatis beneficia; si cunctaretur non jam clandestinis mussitationibus se acturos, sed palam adiris tribunalibus divinam & humanam opem contra violentiam ejus imploraturos. Abbati pondus malorum primo consilium respondendi ademerat, dein totus ad preces & lacrymas versus, orari & obtestari per Deum, ne juxta vetus proverbium ignem gladio scrutarentur, ne Goslariensis contumeliæ vulnus, recens Conſpiratio in abbatem Fuldenſem.

cens adhuc & necdum in cicatricem obductum, novis doloribus exulcerarent, memorarentur calamum conquaſſatum non conterendum, nec linum fumigans in favillas cineresque redigendum, parcerent ſi minus exiſtimationi propriæ ac calamitati ejus ac miſeriæ, quæ tanta eſſet, ut hoſtibus quoque ſuis lacrymas excutere poſſet; ſe ſi Angelus Domini perſequens eum paululum remiſiſſet, ſi a tantis malis vita comite umquam reſpiraſſet, non modo ademta redditurum, ſed duplicatis quoque muneribus cumulaturum. His qui ætate & ſenſu maturiores erant, citò hæc verba ſatisfecerant. Sed juventus more ſuo, nihil veniæ, nihil laxamenti admittebat, diu ſimplicitati ſuæ per mollia verba inſultatum fuiſſe, fidem ejus tanto tempore, tot rebus ſpectatam ultra fallere non poſſe: eos mores, eam improbitatem hominis eſſe, quicquid urgentibus inpræſentiarum malis non feciſſet, id niſi iterum vis adhiberetur, perpetuo infectum fore: propterea ſe a jure ſuo non ceſſuros eſſe, donec ad expugnandam animi ejus duritiam, omnia divinæ, omnia humanæ opis ſuffragia pertentaſſent. Abbas diu immoratus, ubi ſe videt nihil ſupplicando agere, nec copiam ſibi eſſe ad reddenda quæ exigebantur, præſertim exhauſtis pene cunctis opibus monaſterii, nec ſufficientibus tamen ad exſaturandam ingluviem avaritiæ eorum, qui in Goſlarienſi tumultu læſi fuerant, tandem regis juſſione accerſitus, ad curtim regiam proficiſcitur, dato neceſſariis ſuis negotio, ut terroribus & blandimentis quaqua via poſſent, efferatæ juventutis animos mitigarent, ſed hoc in irritum ceſſit. Denique poſt abſceſſum ejus, principes juventutis, quibus potiſſimum incentoribus tantum malum exarſerat, totam adeunt congregationem, indicant animo ſibi fixum eſſe, ut eruptione facta de monaſterio, regem ubicunque gentium reperiatur, perquirant, contra ſævitiam abbatis ejus potentiæ patrocinium expoſcant, orantque ut quibus valetudo non obſiſtat, ſecum proficiſcantur: qui vero vel morbo, vel ætate prægravante id non poſſint, ſcripti ſui aſtipulatione factum eorum corroborent. Res fœda & dictu quoque horrenda viſa eſt ſenioribus, fuſique in terram per Deum precabantur, ne ſe & ipſum Fuldenſis ſpei exiguum quod reſtabat perditum irent, turbatam graviter Goſlarienſi clade rem Fuldenſem, ſi ipſi monaſterii limen ea mente exceſſiſſent, non turbandam modo, ſed omnino in præceps ituram. Nihil illi his ſermonibus moti, jam enim pertinaciâ in amentiam atque in rabiem ſe verterant: concite per monaſterium diſcurrunt, invicem ſe ad audendum facinus adhortantur, & ſic tandem adulta conſpiratione, ſedecim numero, crucem ſibi præferentes, antiphona impoſita clauſtris monaſterii erumpunt. Sequebantur eos eminus majores natu, qui ſanum aliquid ſapiebant, cum tanto luctu atque ejulatu, ac ſi eos ad ſepulturam funebris pompa ultimum vale audituros efferret. Itaque ne rei tam atrocis novitas repente nunciata regi ſtuporem incuteret, unum ex numero ſuo citato quantum poterat equo præmittunt, qui litteras ad regem tantæ calamitatis indices perferat, & qua vi, qua neceſſitate, ad hæc extrema experienda coacti ſint edoceat. Ipſi paulatim pedeſtres ſervatis ordinibus ſubſequuntur. Poſtquam nuncius eo pervenit, lectæque ſunt litteræ, horror quidam perculit omnes qui in palatio erant ſuper tam procaci facto, mirabanturque inter eximios, & apoſtolicæ converſationis viros tantum flagitii potuiſſe reperiri, ut privatas injurias tam peſſimo exemplo ulciſcerentur; nec filii patris, in ea potiſſimum calamitate, miſererentur, in qua hoſtes quamquam ſuos ad miſerationem, & ad lacrymas provocare potuiſſet. Placuit itaque omnibus inſigne hoc facinus inſigni aliquo exemplo vindicari. Tum rex conſilio uſus Colonienſis archiepiſcopi, & Ottonis ducis Bajoariorum, quorum tunc arbitrio reſpublica adminiſtrabatur, præcepit ut ipſe bajulus litterarum cum aliis tribus, qui authores ſeditionis fuerant, per diverſa monaſteria in cuſtodia habendi mitterentur; ad compeſcendam ceteram multitudinem, quoniam nec ſpiritu lenitatis nec virga monaſticæ correptionis ſanari potuiſſent, abbas militari manu uteretur. Tunc abbas miſſis obviam militibus, ſine vi & tumultu eos Fuldam reduci juſſit, & extra monaſterium cuſtodibus adhibitis ſuum præſtolari reditum. Ipſe quoque regi valefacto eos veſtigio eſt ſubſecutus. Ibi collectos fratres, & primos militum Fuldenſium diu ea conſultatio tenuit laïcorum an monachorum judicio in eos animadverti oporteret.

Vicit ea ſententia, quæ cenſebat eos qui excuſſo jugo regulæ, contempto abbate per contumaciam egreſſi, & necdum in monaſterium recepti eſſent, laïcorum potius lege judicandos fore. Itaque abbas laïcorum juriſdictionem ſecutus, duos ex eis, alterum preſbyteratus, alterum diaconii honore inſignes, juſſit publice virgis cæſos & attonſos expelli: reliquos multis plagis maceratos, per vicina monaſteria alium alio tranſmiſit. De ſingulis tamen non pro modo culpæ, ſed pro natalium ſuorum claritate vel obſcuritate, mitius vel atrocius ſumptum ſupplicium eſt. Abbas vi doloris impulſus injurias ſuas acerbius quam decuit vindicando, modum forte exceſſit.

Hildolphus canonicus Goſlarienſis ac Henrici IV. imperatoris ſacellanus, archidiaconus domini Annonis anno 1067. in archipræſulem aſſumptus eſt. Præfuit annis 15. optime, verus Iſraëlita in quo dolus non fuit. Sepul- Hildolphus epiſcopus Colonienſis.

tus in D. Petri monaſterio anno 1084.

1073. Decimas injuſte & præter modum nove extorquet Cæſar, epiſcopo Moguntino & aliis epiſcopis præſentibus. Qui publica diſcuſſione interpellati pro decimarum redditione, primo per Deum rogabant archiepiſcopum, ut antiquitus tradita monaſteriis ſuis legitima, rata inconvulſaque manere ſineret, quæ & ſedes apoſtolica, & veteribus & recentibus ſcriptis crebro ſibi firmaſſet, & præceſſores ejus Moguntini pontifices ſummi ac ſanctiſſimi viri numquam infringere tentaſſent. Id atroci reſponſo archiepiſcopus repulit, ſed præceſſores ſuos ſua ætate pro ſuo arbitratu eccleſiæ Dei moderatos fuiſſe.

1081. Moguntia civitas ex majori parte cum eccleſia principali & tribus monaſteriis igne conſumpta ſunt.

1088. Auguſta civitas inſidiis Suevorum in cœna Domini capitur, & ſecunda feria poſt feſtum Paſchatis ab eiſdem deſtruitur.

Sigiwinus Colonienſis archiepiſcopus.

Mortuo Hildolpho archiepiſcopo Colonienſi in ejus locum Sigiwinus decanus eccleſiæ Colonienſis majoris ſuffectus eſt. Præfuit laudabiliter annis 10. ſub Henrico quarto imperatore & Urbano ſecundo Romanorum pontifice. Tum temporis populus una cum clero epiſcopum eligere ſolebat, & penes imperatorem ſumma erat poteſtas, quæ res inter imperatores & ſummos pontifices multa & infinita peperit mala & ſcandala, quæ tamen poteſtas poſtea imperatoribus ſubtracta eſt.

Eccleſia & collegium canonicorum prope Noveſium ampliatur.

1091. Sub Sigiwino archiepiſcopo Colonienſi eccleſia prope Noveſium multo quam ante ampliata eſt multarum columnarum ſuſtentatione, in crucis modum ad ortum, meridiem, occaſum & ſeptentrionem late fabricata, ad viam regiam protendens qua Noveſio Coloniam itur. Laquearibus porro fortiſſimis & miro ordine conſtitutis ornata, quæ adeo vocis reflexum, & echum quemdam reddebat, ut ferme eadem verba bis audires: intus altaribus 13. pulcherrimis tabellis impoſitis condecorata. Porro diſpoſitio domuum clauſtrum imitatione veterum referebat; amplum quidem fuerat, ſed ſimplicioris ſtructuræ, & talis quæ non ad faſtum, ſed ad devotionem eamque monaſticam ſatis videbatur idonea. Cetera canonicorum habitacula verſus orientem proxime apud eccleſiam, nonnullâ verſus occaſum diſpoſita, quantum ad conſuetudinem iſtius temporis attinebat ſatis pulchra & ordinata fuerunt, quamquam ſi noſtri monachi hodie ſimilibus includerentur cellulis, ſe mancipatos vinculis & tenebris clamitarent. Hujus rationem dabimus. Veteres olim monachi cellas quidem, eccleſias & alias manſiones humiles habebant & tenebroſas, ſed eorum corda erant lucida valde in amore Dei omnipotentis, & in ſcientia divinarum ſcripturarum. Noſtri autem eccleſias, cellas, domoſque & omnes manſiones jam lucidiſſimas fabricant, ſed corda eorum vitiis & deſidia plena tenebroſa ſunt: quia nec Deum ſicut debuerant, diligunt, nec lectionibus ſcripturarum animum intendunt. Ita quoque quum calices olim eſſent cuprei, ſacerdotes aurei fuerunt. Hodie autem calices ſunt aurei, & cuprei ſacerdotes.

Porro fraternitas ſacerdotum & clericorum inchoata & inſtituta eſt a Sigiwino (a) prætacto. Ad collegium hoc quidam viri pietate & religione inſignes, e metropolitano collegio Colonienſi, approbante hoc Reinaldo archiepiſcopo, commigrarunt. Philippus vero Reinaldi ſucceſſor, inſtitutum horum collegarum confirmavit, voluitque quindecim hic fore ſub uno præpoſito canonicos. Factus itaque eſt anno 1161. primus præpoſitus Sigiwinus, ſub quo & ſub ejus ſucceſſoribus multi comites in hoc collegio Domino Deo ſtrenue militarunt. Fundatio monaſterii B. Mariæ virginis prope Noveſium a Philippo archiepiſcopo facta eſt & cœpit.

Fundatio monaſterii ſuburbani Nuſſienſis.

1181. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego* PHILIPPUS *Dei gratia ſanctæ Colonienſis eccleſiæ archiepiſcopus memoriæ cauſa. Scripto tam poſteris quam modernis inſinuatum volo, quod de ordine ſacerdotum viri timorati, & qui ſuis impoſterum animabus proviſum cupiebant, communicato mecum conſilio, ſalutare quoddam fidumque fraternæ ſocietatis pactum inierunt. Quorum nos providentes unanimitati, locum delegavimus atque dicavimus inſtæ fraternitati, & hoc in ſuburbio Nuxiæ, fundo ſancti epiſcopii noſtri, cui loco virum religioſum, & quem communi electum ſententia nobis præſentaverunt, præfecimus Sigiwinum. Injunximus etiam illi, ut ſi cœptis Deus faveret, ſub habitu canonico Salvatori militaturos inibi, prout conſilium reſque locuſque darent, aggregaret. Quorum neceſſitatibus communicare atque inopiam ſuis facultatibus relevare præfati viri fideliter firmiterque ſtatuerunt. Hujus ergo inſtituti ſicut fautor ita & cooperator exiſtere cupiens, contuli præfato viro Sigiwino, cunctiſque ſibi & ſubditis & ſucceſſuris, primo quidem jugera quinque abſoluta liberaque donatione: Item prebendam eleemoſinalem annuatim eis ſolventem ſilig. mald. 12. & totidem avena, quinque ſolidos Colonienſis monetæ, mald. ſalis & mald. piſæ, lignorum quoque plauſtra 12. Præditus vero Sigiwinus 36. jugera ab Johanne decano marcis ſex comparavit, quæ cum nobis eatenus ſolidos ſex ſolverent, nos illa & ab his & ab omni prorſus obſequio immunia fecimus quod vide-*

De monaſterio ſubur. bano.

De monaſterio ſubur. bano.

[a] In mſ. codice hæc nota alio caractere in inferiori margine erat addita. *Errat hic ſcriptor. Sigewvinus inceptor hujus fraternitatis vivens circa annum 1181. primus præpoſitus hujus monaſterii & ædificator, non fuit Sigewvinus archiepiſcopus vivens circa annum 1091. ſed longe alius: proinde quæ de Sigewvino archiepiſcopo legis, de Sigewvino præpoſito intellige cognomine ſed annis poſteriore.*

licet vivimus, obnixe a noſtris idem fieri pe- A
tentes ſucceſſoribus. Communes quoque uſus in ſilvis, & paſcuis noſtris perpetuo eis conceſſimus. Jugera quoque 70. in Scleicheim *&* Elvencheim 30. *quibus ante inbeneficiati fuerant a nobis Conradus & Arnoldus* Vander Dicke, *& ab his Henricus de* Kirſmich *libera illis donatione confirmavimus, præſentibus terræ noſtræ magnatibus & id ſuo judicio & ſententia probantibus & confirmantibus. Reſignaverat quippe illa Henricus quidem Cunrado atque Arnoldo, filiique ſui exfeſtucaverunt acceptis marcis* 13. *& quatuor ſolidis a prædicto Sigivvino, & illi nobis reſignaverunt marcis ſimiliter quinque receptis. Horum teſtes ſunt viri honorabiles, & ſpecialiter, quæ ſubſcriptæ ſunt perſonæ. Bruno major in Colonia præpoſitus. Theodoricus major decanus. Lotharius Bonnenſis præpoſitus. Cunradus præpoſitus S. Severini. Godefridus de* Heimſberg. *Theodoricus de* Milendunck. *Gerardus de* Randerode. *Harpe de* Helpenſtein. *Gerardus Cot advocatus, & quamplures alii. Acta ſunt hæc anno dominicæ Incarnationis* 1181. *indictione* 14. *Alexandro papa tertio, regnante Friderico Romano imperatore. Quæ ut rata inviolataque permaneant, Dei omniumque Sanctorum, & noſtra auctoritate firmamus, atque ſigilli noſtri impreſſione ſignamus. Æternæ igitur damnationis reus ſit, qui ex his quippiam vel vi, vel arte infringere temptaverit.*

De monaſterio ſuburbano. 1183. Curtis *Bevenchuſen* ſita prope S. Nicolaum donata eſt monaſterio noſtro ſuburbano, per duos Germanos nobiles, conſentiente atque ipſam donationem approbante domino Philippo archiepiſcopo Colonienſi, anno Domini milleſimo centeſimo octuageſimo tertio, indictione prima ſub papa Lucio, imperatore Friderico Barbaroſſa.

De eadem. 1195. Adolphus de *Altenaë* archiepiſcopus Colonienſis piſcariam in flumine Arpia, a molendino abbatiſſæ Nuſſienſis uſque in Rhenum noſtro monaſterio libere & paterne contulit, ac omnia bona & jura a prædeceſſoribus ſuis, vel aliis quibuſcumque, huic monaſterio collata confirmavit. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXXXXV. indictione XIII. præſidente in eccleſia Romana ſummo pontifice Cæleſtino, regnante glorioſiſſimo Romanorum imperatore Henrico, pontificatus ſui Colonienſis ſecundo. E

Nomina præpoſitorum & comitum qui diverſo tempore in monaſterio Oberkloëſter habitarunt.

1181. COnfirmatus in primum præpoſitum reverendus dominus Sigiwinus, qui circa tempora Reinaldi & Philippi primi archiepiſcoporum præfuit.

Henricus de Zeyna canonicus, 1186. comes.

Hildegerus *Diptholtt* ſacerdos, 1188. comes.

Reverendus dominus Henricus præpoſitus tempore Brunonis tertii & Adolphi primi archiepiſcoporum Colonienſium. 1191.

Ricolphus de Monte prior. 1193. comes.

Johannes de *Redberch* decanus. 1194. com.

Anchiſes de *Mulenarck.* 1195. comes.

Folmarus de *Adoche* ſacerdos. 1197. com.

Reverendus dominus Luppo præpoſitus tempore Engelberti primi archiepiſcopi Colonienſis. 1207.

Everhardus de *Wevelkoven.* 1215. comes. B

Derricus de Dycka. 1218. comes.

Reverendus dominus Jacobus de *Hoſtaden* præpoſitus tempore Heinrici primi archiepiſcopi Colonienſis. 1226. comes.

Gero de *Alphaym.* 1230. comes.

Heinricus de *Helffenſtein.* 1239. comes.

Reverendus dominus Ludolphus præpoſitus tempore Conradi archiepiſcopi Colonienſis. 1250.

Hedenricus de *Erpernadt* præpoſitus de Effleſenſſ. 1260.

Reverendus dominus Rembodo præpoſitus tempore Engelberti ſecundi, Suffridi, & C
Wickboldi archiepiſcoporum Colonienſium. Hujus ultimi tempore obiit. 1290.

Reverendus dominus Wernerus præpoſitus tempore Wickboldi, & Heinrici ſecundi, & Walrami archiepiſcoporum Colonienſium. 1301.

Reverendus dominus Wilhelmus de *Gobitrode* præpoſitus tempore Walrami archiepiſcopi Colonienſis. 1335.

Reverendus dominus Gerhardus de Herda præpoſitus tempore Wilhelmi archiepiſcopi Colonienſis. 1351.

Reverendus dominus Sibertus Præſe de Nuſſia præpoſitus tempore Engelberti tertii & Friderici tertii archiepiſcoporum Colonienſium. 1377. D

Reverendus dominus Hermannus *Droecker* præpoſitus tempore Friderici tertii archiepiſcopi Colonienſis. 1384.

Reverendus dominus Petrus de domo Teutonica, reformator eccleſiæ noſtræ *Oberkloeſter.* 1393. Reſignavit.

Videtur etiam finiiſſe in *Heiſterbach.*

Reverendus dominus Johannes de Puteo ultimus præpoſitus hic electus fuit anno Domini 1401. penultima Auguſti.

1094. Magiſter Manegoldus de *Luttenbach* monaſterium apud *Marpach* inſtituere cœpit, ſeque unum eorumdem clericorum communiter & regulariter viventium eſſe voluit. Et idem Manegoldus canonicus de *Luttenbach* ab imperatore Henrico quarto captus fuit diuque detentus. Monaſterium apud Marpach inſtituitur.

Ex hiſtoria Bertholdi monachi S. Blaſii, qui perſecutus eſt hiſtoriam contracti Hermanni comitis Verningenſis & monachi Augiæ majoris, Ordinis canonicorum regularium ſupradictum monaſterium fuit.

Monaſterium Rebdorf.

Fridericus Barbaroſſa fundavit monaſterium *Rebdorff* prope *Eyſtett*, ordinis canonicorum regularium capituli Windeſemenſis.

De ſacra expeditione Hieroſolymitana.

1096. Prima expeditio Hieroſolymitana ſub Petro monacho & Godefrido de *Bulion* duce Lotharingiæ ad recuperandum ſanctum Domini ſepulchrum facta eſt, cum infinita multitudine ex omnibus Europæ nationibus. Fuit autem Godefridus ipſe comes in *Bulion* & Lotharingiæ dux, vir fortis & ſtrenuus, qui amore cæleſtis regni arduam hanc peregrinationem ſubiturus, comitatum ſuum de *Bulion*, cum omnibus proventibus attinentiſque vendidit epiſcopo Leodienſi pro trecentis & milie marcis argenti puriſſimi, quas in eamdem expeditionem hilariter expendit. Unde uſque in hodiernum diem epiſcopus Leodienſis ſe ducem de *Bulion*, non comitem, ob honorem Godefrido poſtea regi Hieroſolymitanorum facto, ſcribere conſuevit. Eminebant in hoc Dei hoſtico dux Lotharingiæ de quo ſupra, & fratres Euſtachius & Baldewinus germani ſui, Anſelmus de Ribodimonte, Baldewinus comes Montenſis, Robertus comes Flandrenſis, Stephanus comes Bleſenſis, Hugo magnus frater Philippi regis Francorum, Robertus comes Normannorum, Raymundus comes S. Ægidii, Baiamundus dux Apuliæ, & Tancredus nepos ejus. Horum omnium curam apoſtolica auctoritate ſuſcepit vir eximius Hamarus Podienſis epiſcopus, eiſque conſilio & doctrina uſque ad captam Antiochiam plurimum proficuus fuit. In exercitu Chriſtianorum pluſquam trecenta millia armatorum erant, & tantus licet erat numerus, tanta tamen ei omnium rerum ſuppeditabat copia, ut aries uno nummo, bos vix duodecim nummis venderetur.

1097. Exercitus Dei egreſſus in hanc expeditionem, mulieres, virgines & moniales ſine numero, virili utebantur habitu, ſe conjungentes exercitui, inter viros armatæ incedebant. Venientes uſque in Pannoniam, magna pars eorum interfecta eſt, nec immerito, cum mulieribus enim & monialibus incedentes viri, ſacerdotes & monachi luxuriabantur in exercitu, & ſeſe immunda fornicatione mutuo fœdantes, iram contra ſe juſti judicis JESU-CHRISTI provocarunt. Attamen in hoc quoque conflictu multos Turcas occiderunt. Secundum eis bellum fuit apud Nicæam tertio nonas Martii in quo etiam pagani victi ſunt. Deinde Nicæa & Laodicia captæ ſunt.

1098. Capta Laodicia, obſederunt Antiochiam, qua obſeſſa, in tantum attenuati ſunt Chriſtiani propter omnium rerum penuriam, ut in tanto exercitu vix centum boni equi invenirentur, & tamen quamvis ex deſperatione rerum multi ſe ſubtraxerint, multi etiam repatriaverint, nono obſidionis menſe capta Antiochia, Chriſtiani a paganis A verſa vice obſeſſi tanta fame afflicti ſunt, ut vix aliqui ab humanis carnibus abſtinerent: ſed confortati a Deo per inventam ab ipſis lanceam, a tempore Apoſtolorum non viſam, ipſa lancea eos præcedente, obſeſſi cum obſeſſoribus concurrerunt 4. Kalendas Julii, & hoc tertio bello victoriam adepti ſunt. Quartum bellum fuit eis in Romania Kalendis Julii, & ibi Turcæ victi ſunt.

Profecti deinde in Syriam, Chriſtiani, Antiochia duci Bajamundo commiſſa, tanta ibi rurſum fame affecti ſunt, ut corpora Sarracenorum jam fœtentia comedere compulſi B ſunt.

1099. Exercitus Dei divino monitu in interiora profectus, larga Dei manu refocillatus eſt, quia cives & caſtellani ejus regionis legatos cum multis donariis ad eos præmittebant, parati etiam oppida vel urbes eis tradere, a quibus Chriſtiani ſecuritate accepta, & indicto urbibus tributo, etiam interim multis eorum qui ſe ſubtraxerant ad eos, apud Tyrum recurrentibus, tandem pervenerunt Hieruſalem, eaque obſeſſa cum laborarent pro victus & maxime pro aquæ penuria, omnes ex communi decreto nudis C pedibus quotidie orando circuibant urbem. Octavo ergo talis humiliationis die, obſidionis autem trigeſimo nono capta eſt Hieruſalem idibus Julii, in ſexta feria; & in templo Salomonis & in porticu ejus Chriſtiani cum paganis quinto bello conſerto tanta in eos cæde debacchati ſunt, ut in ſanguine occiſorum equitarent uſque ad genua equorum. Cumque ordinatum eſſet qui Hieruſalem deberent retinere, jam principibus de repatriando agentibus, ecce rex Sarracenorum ad debellandos eos venit Aſcaloniam D cum centum millibus equitum & quadringentis millibus peditum. Quibus cum occurriſſet exercitus Domini, in quo non pluſquam quinque millia equitum & quindecim millia peditum erant, Deo pro ſervis ſuis ad ſe reclamantibus pugnante, & nube eos ab æſtu ſolis defendente, Sarraceni ſolo Chriſtianorum impetu territi, omnes projectis armis fugerunt, & in hoc ſexto bello, quarto Kalendas Auguſti facto, cæſa ſunt centum millia Sarracenorum, in porta vero Aſcaloniæ ſuffocati ſunt ad duo millia. Eorum qui in mari perierunt, & qui inter ſpineta ſilvarum conſumpti ſunt numerus neſcitur. Duce autem Godefrido electo ad principandum remanentibus in Hieruſalem, ceteri E principes repatriant.

Hieruſalem capitur a Chriſtianis.

Capta eſt Hieruſalem poſt annos circiter quingentos ſexaginta ex quo ſub Heracliano imperatore ſecunda vice capta, poſſeſſa eſt a Sarracenis.

1100. Hartwicus archiepiſcopus Magdeburgenſis moritur, qui alio nomine Udo dictus eſt, morte ſubitanea: de quo circumfertur terribilis illa ſententia diſtricti judicis

Jesu-Christi qui in eccleſia præfata Magdeburgenſi, græce parthenopolis dicta, civitas Virginis, ante ſummum altare cum multitudine Sanctorum adſediſſe, per quemdam devotum canonicum viſus eſt nocte illa, in qua mortuus mane inveniebatur epiſcopus, ſententiamque in eum decollationis protuliſſe.

Circa hæc tempora Hermannus III. Dives vulgo dictus archiepiſcopus Colonienſis, archiepiſcopatum gubernavit annis 10. menſes 5. dominum Rupertum ex monaſterio domini Laurentii Leodio tranſtulit, & in abbatem Tuitienſis monaſterii conſtituit ob ſingularem eruditionem & eloquentiam.

1111. Bernardus Clarævallenſis abbas agnoſcitur, & ordo Bernarditarum initia ſumit. Fundavit 140. monaſteria.

1112. Fridericus primus Marchio Forolivienſis electus archiepiſcopus. Hic Lotharium una cum uxore ſua Riza in imperatorem unxit Coloniæ. Andernacum muris & turribus cinxit. In inſula Rolandi monaſterium Sanctimonialium ordinis S. Benedicti fundavit. Veteris campi ordinis Ciſtercienſis author fuit, anno Domini 1222. Ejus quoque temporibus monaſterium *Knechtſteden* cœpit. Item monaſterium *Dunvaldt* fundatur anno 1117.

Fluricem monasteriorum fundatio.

Ingens terræ motus.

1117. In octava ſancti Johannis Evangeliſtæ, terræ motus bis inter diem & noctem, per totum pene orbem terrarum, tam horrendus & terribilis fuit, ut multa ædificia corruerent, & homines ſine numero perirent, maxime in Italia, ubi tam periculoſus fuit & horribilis, ut diverſæ civitates, caſtella & villæ cum hominibus ibi commorantibus ſubito terræ hiatu interirent. Nam & montes ſciſſi ſunt, & flumina diglutiente terra penitus exſiccata, ita ut qui vellent, pedibus ſiccis tranſire potuiſſent. Padus etiam, unus de quatuor Europæ majoribus fluviis, de ſuo alveo in altum ſe erigens, ita in modum fornicis, a terra ſtabat elevatus, ut inter terram & aquam via pateſceret tranſeuntibus. Quumque ſic diutius aqua penderet in aëre, tandem in ſemetipſam colliſa, cum tanto ſtrepitu ab alto dimittitur, ut ſonitus illius per multa milliaria auditetur. His horrendis ſignis per univerſam Europam divulgatis, nihil aliud ab omnibus quam extremus inſtare dies credebatur. Jejuniis autem & orationibus triduanis per totam Italiam ab omni populo peractis, ſententiam Domini mitigare ſtuduerunt. Interea dum hæc indicta jejunia cum magno timore agerentur, apud Cremonam infantulus in cunis jacens, pannis obſitus, in primam loquendi vocem contra naturam os ſuum aperuit, & majori fratri panem poſtulanti fletibus matriqué ſuæ eſcam illi paranti compeſcendo ambos, dixit: Ceſſate mortales eſcas parare, ô mox perituri! Ecce ſancta Dei genitrix, Virgo Maria, ante Chriſti tribunal, precibuſque inſtantiſſimis ſupplicat pro judicio tremendæ ſententiæ, quod mundo propter peccata hominum judex ipſe juſtiſſimus intenderat.

1120. Ordo Præmonſtratenſis initium ſumpſit, in diœceſi Lauduenſi.

1122. Fridericus archiepiſcopus Colonienſis caſtellum imperatoris, nomine Carpena, Colonienſibus auxilium ferentibus, obſedit., cepit, & deſtruxit. *Tritenh.*

1131. Bruno II. decanus S. Gereonis & præpoſitus, filius Adolphi comitis de *Althene*, per judicium imperatoris Lotharii, principum & trium cardinalium ſive legatorum ſedis apoſtolicæ, tunc Coloniæ præſentium, contra voluntatem multorum ordinatus.

1135. Buggo eccleſiæ Wormatienſis reverendiſſimus epiſcopus, monaſterium *Franckenthall*, non longe a Wormatia fundavit, in quo fratres canonicos regulares in communi ſub regula ſancti Auguſtini viventes collocavit: quibus eccleſiam de corporis neceſſariis copioſe providit. Cœnobium quoque Sanctimonalium ejuſdem religionis juxta præfatum monaſterium *Franckenthall* conſtituit, in quo multitudinem virginum Chriſto in caſtitate famulantium, proviſis neceſſariis, poſuit: verum poſt annos ferme trecentos viginti ſex, tempore Reinardi Wormatienſis epiſcopi, cum de conſenſu ejus fratres regulares de Windesheim partium inferiorum, ipſum cœnobium *Franckenthall* ad reformandum ſuſcepiſſent, & titu[illegible] abbatialem, quo antea ſemper inſignitum fuerat, extinxerunt, & cœnobium feminarum prædictum expulſis monialibus monaſterio fratrum conjunxerunt. Palatinus vero comes Rheni ſub Carolone quinto Romanorum imperatore, tempore quo Lutherus ſuum peſtilens dogma in Germania evomuit, duo iſta monaſteria, expulſis omnibus monachis, in ſuam accepit poteſtatem, tradens poſtea poſſidenda Calviniſticæ ſectæ aſſeclis, ex inferiori parte transfugis. Qui quum ob ſectam neſandam ſedem in Belgio ſub rege Philippo habere non poſſent, huc transvolarunt, & civitatem hic erexerunt, cingentes eam vallo undique, ea quoque monaſteria incluſerunt. Ejectis ex templis altaribus, parietes multis ſcripturis maculaverunt. Ambitus mercatoribus Calviniſticis undique inhabitatur.

Monaſterium Franckenthall fundatur.

1137. Moguntia una cum principali eccleſia combuſta eſt. Eodem die eccleſia quoque Spirenſis, cum parte non modica civitatis, conſumtæ ſunt. *Tritenh.*

1138. Poſt Hugonem archiepiſcopum Colonienſem, qui in Italia mortuus eſt: Arnoldus præpoſitus S. Andreæ & filius comitis Geldriæ, alii Widæ, in archiepiſcopum ſublimatur, qui tandem ab Eugenio papa III. in concilio Remenſi ab officio ſuſpenſus fuit, quum de ſimonia accuſaretur.

Hugo & Arnoldus archiepiſc. Colonienſes.

Monaſteria monialium Præmonſtratenſium.

1145. *Lancvvaden* monaſterium monialium ordinis Præmonſtratenſis prope *Grevenbroich* fundatur a militibus in *Wevelkaven*.

Monaſterium monialium infra Noveſium *Maris* dictum ejuſdem ordinis eo quoque fere tempore ſub Arnoldo fundatur.

1153. S. Bernardus poſt multarum animarum lucra, poſt multa fundata monaſteria, beato fine quievit, quanta fecerit miracula, vide Tritenhemium.

Trajectum incenditur.

1150. Urbs Trajectenſis tota cum eccleſiis incendio conflagravit, ubi crux quædam lignea de alto cadens, deſuper cadente templi tecto, cum trabibus illæſa permanſit. Quæ etiam diutiſſime in incendio poſita, incorrupta poſtmodum inventa eſt, clavis duntaxat patibuli ferreis, quibus dominica imago detinebatur liquefactis. Hæc crux ad memoriam facti miraculi in templo S. Bonifacii honorifice ſervatur.

Arnoldus & Fridericus archiepiſcopi.

1157. *Rinderff* ab Arnoldo ejus nominis ſecundo Colonienſi epiſcopo juxta Bonnam *in honorem S. Clementis papæ & martyris* conſtruitur. Mortuo Arnoldo Fridericus ejus nominis ſecundus ſucceſſit præpoſitus ſancti Georgii Colonienſis, & per Adrianum papam conſecratus eſt Romæ, atque accepto pallio Coloniam cum honore reverſus eſt. Contra hunc electus fuit in diſſenſione graviſſima Gerardus præpoſitus Bunnenſis, ſed apud Ratiſponam ex imperatoris juſſu & principum cedere Friderico compulſus eſt.

Circa hæc quoque tempora Petrus Lombardus epiſcopus Pariſienſis, quatuor libros ſententiarum, ex diverſis dictis ſanctorum Patrum colligens poſteritati tranſmiſit.

1159. Fridericus Colonienſis archiepiſcopus in Italia Papiæ obiit, cum eſſet cum Friderico Cæſare, qui tunc Mediolanum expugnabat, relatus in Germaniam atque in monaſterio Veteris-montis Colonienſis diœceſios ſepultus. Sed hic notandum obiter quod Tritenhemius in numero annorum minime cum aliis concordet. Habet enim obitus ſui diem 1159. cum alii habeant 1169. ſicque diſcrepat in decem annis.

Reinholdus archiepiſc. Colonienſis.

Quo ſepulto Colonienſes legatos in Italiam ad imperatorem miſerunt, Reinholdum cancellarium ejus, quem elegerant in archiepiſcopum, ab eodem poſtulantes. Gaviſus autem imperator, quod locum honoris ei deferendi inveniſſet, grato animo conſentiens, poſtulantibus Reinholdum archiepiſcopum donavit. Nec multo poſt idem Reinholdus accepta licentia imperatoris ad Coloniam venit, archiepiſcopatum & omnia quæ ad illum pertinebant in poſſeſſionem accepit, negotiiſque breviter diſpoſitis cum trecentis electis militibus in Longobardiam rurſus ad imperatorem revertitur. Fuit hic Fredericus, quem Barbaroſſam vocant.

Expugnato Mediolano, Reinholdus inſtitit apud Barbaroſſam imperatorem ſummis precibus, ut pro ſuo labore trium Magorum poſſet pignora habere. Inductus igitur ægerrime licet, conceſſit tandem trium Regum corpora, una cum Naboris & Felicis, quæ cautiſſime Reinholdus Coloniam per ſuos tranſmiſit anno 1164. Idem quoque ſanctorum Machabæorum corpora ex Italia Coloniam miſit. Hic quoque archiepiſcopus approbavit, quod nonnulli canonici ex ſummo templo Colonienſes ſeſe transferrent ad Fraternitatem beatæ Mariæ Virginis extra muros Nuſſienſes dictam *Obercloeſter*, de qua ſupra. Huic ſucceſſit Philippus comes de *Hinsberg*.

Tres magi Mediolano Coloniam transferuntur.

Viſio cuiſdam epiſc. Lingonenſi facta.

Circa hæc tempora quum emigraſſet ab hac vita ſanctus Bernardus, viſio Lingonenſi epiſcopo facta eſt. Apparuit ei namque eremita quidam mortuus, quem viventem olim noverat, qui divino timore compunctus ante aliquot annos, cum eſſet decanus dives & nominatus, omnia contemnens, eremitorium pro Chriſti amore intravit; quem cum de ſtatu ſuo & divini judicii diſtrictione interrogaſſet ille, reſpondit: Ea hora in qua ego de corpore migravi, triginta hominum millia ab hac luce tranſierunt. E quibus Bernardus Clarævallenſis abbas, qui eadem hora obiit, una mecum ad cœlos avolavit, tres alii ad purgatorium miſſi ſunt, ceteri omnes per ſententiam juſti judicis condemnati ad infernum perpetuo cruciandi deſcenderunt.

Anſelmus Moguntinus archiepiſc. occiditur.

1163. Arnoldus archiepiſcopus Moguntinus in abbatia ſancti Jacobi Moguntiæ, occiditur. Reverſus imperator ex Italia in homicidas animadvertit. Abbas cum ſe de interfectione ipſius archiepiſcopi expurgare non poſſet, decreto imperatoris & principum de abbatia pulſus, etiam abjurare patriam, & Moguntinæ eccleſiæ provinciam compulſus eſt, monachi expelluntur, monaſterium penitus deſtruitur. Denique ad comprimendam civium inſolentiam muros in circuitu civitatis juſſu imperatoris, ex toto deſtructus eſt, & in pulverem reſolutus. Et ſic *Moguntia* ſine muro per annos triginta ſeptem permanſit.

Cathari.

Hoc anno quidam hæretici de ſecta eorum qui Cathari *nuncupantur*, de Flandriæ partibus Coloniam venientes, in quodam horreo prope civitatem occulte manſitare cœperunt. Sed dum nec *dominico* die eccleſiam intrarent, a circumjacentibus deprehenſi, & detecti ſunt. Ad examen ſanctæ matris eccleſiæ perducti ſunt, & hæretici pertinaciſſimi inventi ſunt. Cum præcipuis hæreſiarchis diſputantes, Ecbertus abbas ſancti Florini confeſſoris in Schonaugia, diœceſis Trevirenſis ordinis S. Benedicti, quos licet eſſent acutiſſimi, tamen fortiter diſputando convicit, ita ut penitus contradicere non vale-

rent. Quumque nullis rationibus, nullis auctoritatibus, nullisque admonitionibus induci possent, ut suo renunciarent errori, sed in suo proposito pertinacissime persisterent, ab ecclesia prorsus ejecti sunt, & in manus laicorum traditi. Qui eos extra urbem educentes nonis Augusti ignibus tradiderunt, mares octo, feminas duas. Erat inter eos juvencula una, quæ dum miseratione populi prope servaretur, si forte interitu aliorum territa, saniori consilio acquiesceret, subito de manibus se tenentium elapsa, ultro se ignibus injecit & periit. Hi præter alios innumerabiles errores, se tantum mundos & solos Christianos dicebant: ceteros vero omnes homines immundos & hæreticos. Rectores ecclesiarum, prælatos, sacerdotes, & omnem clerum contemnentes, deceptores animarum, & laqueos diaboli appellabant. Sacramenta ecclesiæ irridebant, & sacrosanctum corpus & sanguinem negabant. Luxuriam inter se quomodocumque, aut cum quibuscumque perpetratam dicebant non esse peccatum, allegantes *omnia munda mundis.*

De Philippo archiepisc. Colonienſi.

1195. Obiit Philippus archiepiscopus Colonienſis apud imperatorem constitutus in Apulia: successit in locum Reinhaldi, atque cancellarius apud Barbarossam factus, comes de *Hinsbergh* natus. Hic muro validissimo, & turribus validissimis & multis Coloniam ampliavit & cinxit, includens multa monasteria & collegia anno 1192. Hic quoque duos ducatus Saxoniæ, Westphaliæ & Angariæ ecclesiæ Colonienſi Cæsaris auctoritate adjecit, & Henrico duci Saxoniæ & Westphaliæ Leo cognomento, eo quod imperialia jussa contempsisset, una cum ducali honore eripuit. Collegium nostrum suburbanum Novesiense ratificavit, atque illud fore quindecim canonicorum sub præpósito voluit & ordinavit, quibus etiam largam dedit benedictionem. Fundationem vide supra.

Monaſterium ſuburbanum.

De Brunone archiep.

Bruno II. ejus nominis de *Altenaë* succedit, majoris ecclesiæ præpositus, & postea resignato officio suo pastorali factus est monachus in monasterio Veteris-montis, in quo & sepultus est. Hoc monasterium initium sumpsit anno 1126.

Ordo Teutonicorum.

His temporibus incœpit ordo Teuthonicorum in terra sancta per quosdam cives Bremenses & Lubecenses, qui cum Adolpho comite de *Holstein* sub Friderico imperatore primo mare transfretantes, pauperes & peregrinos pro Dei amore in curam suscipientes, quantum eis licuit, sub papilionibus nutriendo foverunt; primam in Accaron hujus propositi domum & ecclesiam constituentes, quam domum fratrum Teuthonicorum appellantes nomen ordini tradiderunt. Hujus ordinis est servire peregrinis & infirmitatibus.

Circa idem quoque tempus cœpit ordo A sanctæ Trinitatis de redemptione captivorum, cujus potiora cœnobia sunt in Francia constituta. *Hujus ordinis est pro redemptione Christianorum, qui apud infideles in terra sancta detinentur captivi, substantiam suam hilaritor impendere, ac eis totis viribus ministrando subvenire.*

Ordo Redemtionis captivorum.

In episcopatu Colonienſi Brunoni successit frater ejus Adolphus de *Altenaë* majoris ecclesiæ canonicus; *præfuit annis 12. Hic Ottonem Brunswicensem una cum Philippo Barbarossæ filio electum Aquisgrani anno 1193. in maximum sui detrimentum coronavit in imperatorem. Ob horum duorum imperatorum electionem, facta est non parva in imperio dissensio, quæ & plurimorum malorum origo fuit. Adolphum ideo quod auctor hujus mali videbatur, summus pontifex Innocentius III. per Sifridum Moguntinum archiepiscopum, & Cameracensem deponi curavit. Depositus est anno 1205. in summo templo, coram Ottone rege & universo clero & populo. Præfuit turbulenter annis 12. hic piscariam conventui nostro donavit. Vide supra.*

De Adolpho archiepisc. Colonienſi.

Audiens autem Philippus electionem Ottonis, trecentos milites armatos, cum multis aliis scutiferis ad Aquisgranum præmisit, quatenus Ottonem ab ingressu civitatis arcerent, & sibi urbem ad sedem regni servarent. *Sed Otto cum suis adjutoribus civitatem ipsam tempore messis obsidione cingens, violenter capiens obtinuit, atque in sede regni triduo sedens inde recessit, committens eam suis fidelibus custodiendam. Interim Philippus congregato numeroso milite Alsatiam intravit, & quia prope messem erat, omne frumentum in agris repertum perdidit. Multa itaque inter ipsum Philippum & Ottonem bella fuerunt per annos ferme octo.*

Civitas Aquenſis ab Ottone capitur.

1199. Rex Philippus Argentinam obsedit, Rubiacum & multa præsidia episcopi Argentinensis, & Adelberti comitis de *Dagesburgh* confringens solo æquavit.

Odacharus dux Bohemiæ in regem a Philippo Moguntiæ creatur, ut sibi faceret Bohemos rebellantes hactenus sibi obnoxios.

Dux Bohemiæ in regem creatur.

Eodem anno circa initium Octobris Philippus rex una cum novo rege Bohemorum, fluvio Mosellæ transito, in manu valida & exercitu copioso, fines Colonienſium contra Ottonem invasit, Reinmagium, Bonnam, cum multis circumjacentibus villis incendio cremavit.

Eodem tempore Lotharingii, quos in adjutorium sui Otto vocaverat, circa Andernacum cum Philippo regi non valentes resistere pellique suæ timentes, partes ejus occulte fovebant, multa & inaudita scelera in regione illa perpetrantes. Sanctimonialem quamdam omnibus indumentis spoliatam melle perungentes in plumis lectualibus vo-

Nefandum ſcelus Lotharingiorum.

lutabant, ſicque monſtruoſe hirſutam caballo impoſuerunt, verſa ejus facie ad caudam caballi. Cumque hoc ridiculoſum, imo miſerabile ſpectaculum per aliquot dies circumduxiſſent, res Philippo regi innotuit, qui zelo Dei ſuccenſus, omnes ſceleris hujus reos aquæ bullienti tradi juſſit. Andernacenſe quoque oppidum exuſtum eſt per exercitum ejuſdem regis Philippi.

Andernacum igne cremat.

Otto cum Colonienſi archiepiſcopo contra Philippum veniens Confluentiam, partem civitatis, una cum villis adjacentibus cremavit.

1201. Philippus rex iterato exercitum colligens Moſellam tranſivit, Coloniam obſedit, archiepiſcopum cepit, & ſic civitatem ac totam provinciam in deditionem coëgit. Poſtea veniens Aquiſgranum cum multis principibus una cum regina in ſede regni ſe collocavit.

Ordo Prædicatorum.

Eodem ferme anno cœpit ordo fratrum Prædicatorum per inſtitutionem ſancti Dominici viri eximiæ ſanctitatis, qui oriundus fuit ex Hiſpania. Fuit hic Dominicus antea ſupprior ordinis noſtri canonicorum regularium. Ejus inſtitutionem Innocentius III. papa confirmavit.

Bruno IV. archiepiſcopus eligitur.

1205. Depoſito Adolpho archiepiſcopo Colonienſi, elegerunt Brunonem de *Seyn* præpoſitum Bonnenſem in archiepiſcopum, & ſecuta ſunt infinita mala. Adolphus enim regem Philippum propter cujus adhæſionem depoſitus fuerat, Spiræ curiam cum principibus tenentem accedens, & quæ pateretur expoſuit, conſilium & auxilium poſtulavit. Communi ergo decreto principum rex contra Brunonem & Colonienſes magnum congregavit exercitum, & poſt Nativitatem B. Mariæ Viginis Moſellam tranſivit, & in feſto ſancti Michaëlis Archangeli Coloniam obſidione vallavit, qua tandem dimiſſa, Nuſſiam obſedit, & cepit, quam Adolpho depoſito dedit. Quibus peractis omnem provinciam, concremando, ſpoliando, miſerabiliter affligendo ubique devaſtavit, & multas munitiones cepit, caſtrum etiam *Lanſkroin* nuncupatum, ad domandum Colonienſes ſpecioſum atque fortiſſimum ſuo tempore conſtruxit.

Colonia obſidetur.

Nuſſium capitur.

1206. Philippus rex iterum fines Colonienſium ingreditur, occurrente ſibi Adolpho quondam archiepiſcopo, cum comitibus & magno exercitu, totum epiſcopatum pro libitu ſuo cuncta ſubjiciendo percurrit. Rex autem Otto & Bruno, qui eodem menſe a Siphrido Moguntino in archiepiſcopum ordinatus fuerat, præſentibus duobus epiſcopis de Britannia a rege Angliæ miſſis, cum quadringentis equitibus & duobus peditum millibus de Colonia exeuntes, cum Philippo pugnare ſtatuerunt. Congredientes ergo hi duo reges cum exercitibus ſuis, apud *Waſſenburgh* Otto & ſui terga verterunt, & Philippus rex victoriam obtinuit, & inter alios nobiles multos etiam Brunonem archiepiſcopum Colonienſem cepit, quem manicis ferreis conſtrictum ſecum abduxit, & pluſquam ad anni ſpatium in arcta cuſtodia tenuit. Inter hæc Colonienſes conſiderantes ſibi totum imperium adverſari, & ſuos conatus ubique fruſtrari, accepto conſilio & auxilio ducis Brabantiæ, Philippum regem Bopardiæ commorantem adierunt, & veniam commiſſorum poſtulantes, in gratiam recepti ſunt.

Bruno capitur.

1207. Conradus epiſcopus Spirenſis eccleſiam ſancti Sepulchri Spiræ in qua erant moniales, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis tradidit cuidam decano, qui ſemotis monialibus conventum virorum inſtituit.

1207. Bruno archiepiſcopus Colonienſis in conventu principum in Auguſta a vinculis abſolvitur.

1208. Philippus imperator ab Ottone comite Palatino de *Wittelſpach* in conclave, ignorante rege, interficitur.

Eodem anno Philippo occiſo, maximus principum ac nobilium conventus Francofurti celebratus eſt, ubi Otto rex quondam adverſarius Philippi, ab omnibus denuo unanimiter fuit electus, & in regnum confirmatus, qui & filiam regis Philippi duxit uxorem.

Otto à principibus rex eligitur.

Eodem anno Bruno archiepiſcopus Coloniam revertitur, & cum maximo tripudio & gaudio ſuſcipitur a cuncto populo & clero Colonienſi. Moritur hic Bruno eodem anno altera poſt omnium Sanctorum, & in majori eccleſia ſepelitur non ſine lachrymis multorum. Quo mortuo Theodoricus præpoſitus Apoſtolorum qui comes de Monte, conſilio & auxilio regis Ottonis in archiepiſcopum electus eſt, præfuit annis ſex uſque ad Domini 1214. adhæſit excommunicato Ottoni, propterea a ſummo pontifice excommunicatur, & ab officio paſtoralis curæ deponitur. Profectus Romam per triennium ibi hærens, nihil a ſummo pontifice impetrare potuit. Hic caſtellum Godesburgum ædificavit, cujuſdam uſurarii Judæi ære quem in vinculis tenebat. Fuit alias ibidem capella ſancti Michaëlis. Mira res ubi ſtructura caſtelli incipiebatur, viſus eſt ſanctus Archangelus Michaël per aëra multis in alium locum ſe transferentem, ubi violatum ſibi Deoque dicatum templum. A morte ſepultus eſt in monaſterio Veteris-montis apud conſanguineos & patres ſuos.

De Theodorico archiep.

His ferme temporibus ſanctus Franciſcus ordinem fratrum Minorum in Italia cum multa religione & ſanctitate inchoavit, in quo ſucceſſu temporis complures viri ſancti atque clariſſimi doctiſſimique claruerunt, qui verbo & exemplo eccleſiam magnifice illuſtrarunt.

Ordo Minorum.

Ordo Cruciferorum circa hæc tempora initium

tium ſumpſit ſub Innocentio tertio.

1214. Otto IV. quondam imperator, ſed ob ſuam in pontificem pertinaciam excommunicatus, terram comitis Gelrenſis igne ac ferro devaſtat.

Colonienſes a *Sifrido Moguntino* archiepiſcopo Romani pontificis legato excommunicantur, eo quod ibidem epiſcopus Monaſterienſis præter expectationem ſuam, a quibuſdam fautoribus imperatoris Ottonis depoſiti captus erat, & Werdenam miſſus: divina quoque Coloniæ officia celebrari prohibentur per annum & menſes quinque, tandem a Treverenſi archiepiſcopo abſoluti.

De Engelberto archiepiſc. 1215. Engelbertus *majoris* eccleſiæ præpoſitus, filius comitis Montenſis, in archiepiſcopum Colonienſem eligitur: qui præfuit annis fermę decem, vir optimus, cleri amator, & pauperum defenſor, quem Fredericus comes de *Iſenburg* conſanguineus ejus poſtea crudeliter interfecit. Cauſa fuit: Iſenburgius eccleſiam Eſſendienſem virginum collegium moleſtare cœpit; quod cum archiepiſcopus ei interdiceret, factus eſt ei inimicus. Hic archipræſulem proficiſcentem in Weſtphaliam circumvenit, in concava via miſere vulneratus occubuit. Corpus a ſuis in Montenſe monaſterium delatum, & fratribus quos multum dilexerat oſtenſum, multis effuſis ſuper eum lacrymis, inteſtinis relictis, corpus Coloniam perlatum eſt, & ſummo totius urbis mœrore in ſummo templo tumulatum. Homicida ejus a Frederico II. proſcribitur, ſed mox Leodii captus Coloniam perducitur, atque anno 1225. per portam ad mortem condemnatus ſancti Severini educitur, & in monticulo proximo rotæ impoſitus, omnia ejus membra confringuntur, in altum levatus cibus corvorum expoſitus.

Sub hoc ſancto epiſcopo multa monaſteria initium ſumpſerunt. Cœnobium virginum Ciſtercienſis ordinis *Benninckhoven* Colonienſis diœceſis, non procul a Lippia. Sub hoc quoque cœnobium virginum in *Eppenckhoven* non procul a Noveſio incœptum eſt anno 1215. Anno 1218. Gerardus comes Geldrenſis exædificavit monaſterium virginum Ruremundæ ordinis Bernardi. Mons principis Xantenſibus vicinus primo a monachis Segenbergenſibus inhabitatus, poſtea opera Noitberti ſanctiſſimi canonici monialibus traditus ad inhabitandum, ordinis Ciſtercienſis, cœpit anno Domini 1199. Hactenus eligendi pontifices & epiſcopos penes imperatorem erat: cui ſubtracta poteſtas, canonicis capitularibus collegiorum tradita eſt. Hic Engelbertus dicere ſolebat: ſine pecuniis ſe facere pacem non poſſe in terris.

1216. Innocentius III. & Otto quartus moriuntur. Hic præ mentis dolore infirmatur, eo quod ab omnibus derelinquitur imperii principibus.

1218. Mare terminos ſuos in Phriſia tranſiens & procul egrediens, terram in longitudine circumquaque occupavit, villas integras delevit, eccleſias, domos, & caſtella cum *oppidis innumeris* ſubvertit, & pluſquam centum millia hominum conſumpſit. Sunt qui ſcribunt hujus diluvii cauſam quamdam irreverentiam venerabili Sacramento dominici corporis exhibitam a quodam homine temulento, qui hoſtias de pixide in manu ſacerdotis pugno dejecerat in terram, & hinc divinam ſæviiſſe ultionem.

1219. Hieroſolyma quæ videbatur inexpugnabilis deſtructa eſt a Corradino filio Saphadini, foris & intus muri ejus cum turribus redacti ſunt in acervos lapidum, præter templum Domini, eccleſiamque ſancti Sepulchri, & arcem quam turrim David appellant.

Fredericus II. imperator coronatur a papa Romæ, qui proficiſcens in Apuliam, cum magno ſuorum exercitu, multa ibi bella commiſit, & omnem terram cum tota Sicilia ſuo imperio ſubjugavit; ſtatimque inter ipſum & *Honorium* III. papam diſſenſiones ſubſecutæ ſunt, eo quod transfugas comites papa in defenſionem ſuſceperat, quæ multis annis cum utriuſque partis diſpendio maximo duraverunt. Fridericus II. imperator coronatur.

Eodem anno Alſatia a duce Lotharingiæ devaſtatur propter injuriam ſibi a quibuſdam illatam.

1221. Civitas Wormatienſis igne caſuali incenſa, fere media pars conſumta fuit, eccleſia quoque ſancti Pauli ſimiliter fuit exuſta, & infinita civibus damna illata.

Hoc anno fratres Minores Wormatiam primo intrantes, ordinis ſui monaſterium ex eleemoſynis fidelium ibidem conſtruxerunt.

1222. Epiſcopus Spirenſis audiens moniales in *Huſen* juxta *Durckheim* ſuæ diœceſios a recto tramite regularis obſervantiæ nimium declinare, vitamque vivere improbam & nimis turpem, ejecit, & abbati Lympurgenſi pro ſuis monachis conceſſit.

Eodem anno magnus in Colonia & circa terræ motus fuit, & multa ædificia ſubvertit.

1222. Eodem anno jus patronatus eccleſiæ in *Elzen* prope *Grevedbroich* noſtro monaſterio donatum, & libere reſignatum fuit per nobilem virum Theodoricum de *Mylendonck*. De monaſterio ſuburbano.

1223. Conradus nobilis vir de Dicka vendidit curtim *Derichen* cum omnibus attinentiis ſuis monaſterio noſtro ſuburbano, præſidente tunc & eminente præpoſito Luppone. Præterea libere donavit jus patronatus eccleſiæ in *Norpe*, necnon & majores & minores decimas cum allodio ſuo, accedente conſenſu & auctoritate domini Engelberti archiepiſcopi Colonienſis. Acta ſunt hæc Nuſſiæ anno Dominicæ Incarnationis 1223. in- De eodem.

dictione xi. anno pontificatus archiepiſcopi Engelberti ſexto. Quam venditionem, donationem & effeſtucationem legitimè factas ipſe dominus Engelbertus ſigilli ſui appenſione, & teſtium munimine roboravit, eodem & loco & anno. Verum anno Domini 1517. indictione ſexta, ſedente Leone x. ſummo pontifice, inſtitit venerabilis dominus Gerardus *Rypgen* prior monaſterii jam dicti apud reverendiſſimum archiepiſcopum Hermannum S. comitem de Weda, ut prætacta eccleſia parochialis in *Norff* una cum decimis conventui, ſeu menſæ conventuali ejuſdem perpetuo uniretur & incorporetur, item quod ſi dicta eccleſia pro tempore vacaverit, præſentatio perſonæ idoneæ ad ſe & pro tempore exiſtentem priorem dicti monaſterii de antiqua & approbata conſuetudine pertineat, obtinuit a reverendiſſimo. Præterea confirmatum eſt a Leone x. ſummo pontifice anno 1517. duodecimo Kalendas Januarii. Qui quoque adjecit quod pro tempore amovibilis eſſe perſona conſtituta debeat, ad inſtantiam & nutum prioris & conventus.

De priore Rypgen.

1225. Sancto Engelberto interfecto ſucceſſit in archiepiſcopatu Henricus de *Molenarck* Bonnenſis præpoſitus, & præfuit annis duodecim, qui caſtrum *Iſenburgh* deſtruxit.

Henricus archiepiſcopus.

1226. Henricus epiſcopus Wormatienſis cœnobium monialium Ciſtercienſis ordinis in *Kirſſgarten* extra mœnia civitatis a fundamentis erexit, moniales impoſuit, quibus de neceſſariis providit. Verum poſt annos 217. Fridericus epiſcopus Wormatienſis, expulſis (propter enormitatem vitæ) monialibus, regulares ſancti Auguſtini canonicos de obſervantia Windeſhemenſi ad locum earum repoſuit, qui locum iſtum inhabitarunt multis diebus.

Monaſterium Kirſgartenſe.

1229. Hieruſalem cum quibuſdam caſtellis per Fridericum imperatorem ſecundum, ſub certis conditionibus a Soldano Ægyptiorum ſine omni congreſſu aut ſanguinis effuſione recuperata eſt, & in manibus Chriſtianorum denuo tradita.

Jeruſalem Chriſtianis tradita.

1231. Kalendas Decembris obiit ſancta Eliſabeth filia regis Hungariæ uxor Ludovici pii Thuringiorum & Haſſonum landtgravii quinti, mulier multarum virtutum & ſanctiſſimæ converſationis, quæ ſtatim infinitis miraculis clareſcere cœpit.

1232. Cœnobium Duſſeren cœpit anno 1232.

Eodem anno Fredericus imperator principatum monaſterii non longe a Wormatia Benedicti ordinis quod dicitur Laurißa, cum omni honore, vaſſallis, miniſterialibus, oppidis, caſtris, villis, juribus, proventibus, & attinentiis ſuis, quem abbas ſemper ejus loci habere conſuevit, de ipſo monaſterio abſtulit, eumque Siphrido archiepiſcopo Moguntino in perpetuum donavit, cujus valor pretium centum millium florenorum excedit. Quam donationem Gregorius papa nus, ad inſtantiam archiepiſcopi confirmavit, mandans ei, ut expulſis inde monachis Benedicti ordinis, Ciſtercienſes in locum eorum reponat. Monachis hinc inde altercantibus, vacavit aliquandiu monaſterium: juſſit tandem Innocentius quartus, monachos Præmonſtratenſis ordinis inſtitui ibidem.

Laureshamenſe cœnobium tranſit ad Præmonſtratenſes.

1234. Wormatia igne caſuali ſuccenſa ex magna parte combuſta fuit, non ſine multorum civium damno irrecuperabili. Hoc incendium biduo duravit.

Wormatia igne ſuccenſa.

Landolphus epiſcopus Wormatienſis moniales ordinis Ciſtercienſis monaſterio *Nonnenmunſter* vulgariter dicto, in ſuburbio civitatis propter inordinatam vitam ipſarum expulit, aliaſque alterius ordinis introduxit.

1236. Maxima vini abundantia crevit in Alſatiæ partibus, ita ut quartale vini unum pro uno denario emeretur: ſequenti vero anno ſedecim denariis vendebatur.

1237. Conradus de *Hoeſteden* præpoſitus ſummæ ædis in archiepiſcopum Colonienſem eligitur.

Conradus archiepiſcopus.

1238. Obiit Henricus ultimus Alſatiæ Landtgravius, ſine heredibus, qui multa ab imperio, eccleſiaque Argentinenſi & aliis feuda tenuerat, quæ illo mortuo ad ſuos dominos ſunt reverſa. Porro titulus comitatus provincialis apud eccleſiam Argentinenſem remanſit uſque in præſens.

Landgraviorum Alſatiæ finis.

1242. Idibus Aprilis civitas Wormatienſis, igne caſuali incenſa ſupra medietatem conſumta eſt, & pluſquam trecenti homines eodem incendio perierunt.

Wormatia igne perit.

1247. Welhelmus Hollandiæ comes, ætate & opibus florens Noveſii ad imperium Romanum eligitur.

1248. Conradus archiepiſcopus Colonienſis homo dives & magnanimus, magnam illam & inſignem eccleſiam Colonienſem majorem conſtruere cœpit, ponens primum lapidem in vigilia Aſſumtionis beatæ Mariæ Virginis, quod opus licet quotidie laboribus artificum ſumat incrementa, ſitque jam per annos trecentos & triginta octo, ſine intermiſſione continuatum, tamen adhuc hodie minime eſt completum propter ingentem ſui magnitudinem & excellentiam. De cujus auctore, tempore & ſtructura verſus in ſummo templo leguntur inciſi in lapide ſupra fores, ubi faſces regiminis archiepiſcopi per annos cernuntur.

Anno M. bis centeno quater x. dabis octo,
Dum colit aſſumtam clerus populuſque
MARIAM,
Præſul Conradus ex *Hoeſteden* generoſus,
Ampliat hoc templum, lapidem locat ipſeque primum.
Anno milleno ter c. vigenaque jungo,
Tunc novus iſte chorus cœpit jubilare canorus.

Hic multa caſtella ad archiepiſcopatum ſuo ære comparavit, cui etiam ſuas ditiones & bona elargitus eſt. Ædificavit quoque juvantibus Colonienſibus munitiſſimam arcem Tuitii, qua & comitatum comitis de Monte coercere potuit: verum poſtea inimici facti Colonienſes everterunt munitionem.

Comes Juliæ ecclesiæ Coloniensi infestus.

Eodem tempore comes Juliæ ſe eccleſiæ Colonienſi oppoſuit, diuque bella contra Conradum geſſit, qui tandem captus eſt & valde duriter in vinculis detentus in munitiſſima arce *Nidecken* prope Tulpiacum.

Hujus quoque tempore cœnobium apud dominam Gertrudim cœpit, cui & multa privilegia contulit.

Eiſdem quoque temporibus inchoatum eſt quoque monaſterium virginum in *Sterckrode*, per inclitam Mattildem dominam ab *Holt* in honorem beatæ Mariæ Virginis.

Multa hic bella contra Colonienſes geſſit, cui cum ferret ſuppetias comes de Monte, Colonienſes catervatim maximo numero congregati trajecerunt, ut ligna cæderent in terra Montana atque Coloniam veherent. Hoc audito, comes de Monte congregatis quadringentis equitibus eis obviam occurrit, prœliumque commiſit, in quo quatuor viri fortes a parte comitis ceciderunt. Comes, recuperato exercitu, denuo eos invaſit, eorumque L. occidit. Colonienſes vero ubi ſe ſuperatos videbant, fugerunt, triſteque nuncium ſuis afferentes concivibus. Qui caſum ſuorum miſerantes trajecerunt, & igne ſolotenus Tuitium concremarunt, ſuoſque mortuos Coloniam transferentes ſepelierunt.

Wilhelmus Hollandiæ comes factus imperator.

1249. Mortuo Henrico, Welhelmus comes Hollandiæ contra Fridericum imperatorem & Conradum filium ejus Aquiſgrani a Colonienſi epiſcopo Conrado, præſentibus multis epiſcopis & principibus imperii cum maxima pompa & populi congratulatione in imperatorem inunctus & coronatus eſt. Omnes autem inferiorum partium principes & nobiles obedientiam ei præſtiterunt, præter quoſdam caſtellanos adhuc Friderico fideles. Inter quos fuit caſtellanus de *Keyſerſwverdte*, quem rex Welhelmus obſidione circumcingens ſuperare non potuit, quoniam ſe fortiter defendit.

1256. Welhelmus a Phriſonibus occiditur anno regni ejus ſeptimo.

Albertus magnus epiſc.

1259. Albertus magnus ordinis Prædicatorum conventus Colonienſis, natione Suevus, vir undecumque doctiſſimus proviſione Alexandri IV. factus eſt epiſcopus Ratiſponenſis in Bavaria, cum eſſet ætate annorum 66. ſed non diu poſtea reſignavit.

Eodem anno iterum Wormatia ultima die menſis Aprilis igne caſuali arſit, cum multorum damno media conſumta fuit.

1260. Inundatio Rheni tanta fuit, quæ domos & ædificia ſubvertit, itaut plures relictis ſedibus ad montes fugerent.

1261. Conradus de *Hoeſteden* archiepiſcopus Colonienſis, qui multas cum civibus ſuis contentiones in ſuo pontificatu habuit, in majori eccleſia ſepultus eſt, cui Engelbertus ſecundus de *Valckenburgh* præpoſitus S. Gereonis, per electionem capituli ſuccedens, præfuit annis ferme quatuordecim: qui & ipſe multas & continuas diſſenſiones cum Colonienſibus habuit. Engelbertus II. archiep.

1263. Comes Juliacenſis inimicitias habuit contra archiepiſcopum Colonienſem, ad arma venientes ſuperantur Juliacenſes multis occiſis.

Seditio in Colonienſi civitate.

1267. Maxima inter cives & conſulatum Colonienſis civitatis ſeditio fuit exorta. Nam cum rectores ipſius urbis cives gravare viderentur inſolitis precariis & exactionibus, cives pravorum conſilio uſi, ſe conſulatui temere oppoſuerunt, & concitata ſeditione graviſſima, proruenteſque ad arma, ſe mutua congreſſione in ipſa civitate petentes armis vulneraverunt, non paucis utrobique occiſis.

Bellum ruſticanum in Batavia & Hollandia.

1268. Bellum ruſticanum exoritur in Batavia & Hollandia. Convenientes in maxima multitudine ruſtici, venienteſque Trajectum, a civibus ut defenſores libertatis libenter admiſſi ſunt: qui ſtatim omnes nobiles de civitate cum ignominia ejecerunt. Inde progredientes, oppida, caſtella & munitiones nobilium multas obtinuerunt & quaſdam funditus deſtruxerunt. Sed paulo poſt iſta ſotularia factio victa, occubuit & evanuit.

1269. Proſcripti nonnulli Colonienſes ad Engelbertum Bonnæ morantem confugerunt, a quo benigne ſunt recepti pro eo quod cum Colonienſibus non bene concordaret. Qui conſilio accepto, Coloniam noctu accedentes per occultum meatum ſub terra per murum, per quemdam pretio facto intrare volentes, civitatem tradere in manus ipſius pontificis laborabant: ſed conſilio detecto, nihil profecerunt, licet multi hac occaſione male perierunt. Hic frater Engelberti primo occubuit, dux Lymburgenſis capitur.

His temporibus Engelbertus ædificavit duas maximas turres, quarum una *Ryell*, altera *Gegen Thom* appellatur.

1271. Concilium generale Lugduni celebratur.

1272. Engelbertus II. archiepiſcopus Colonienſis moritur; Bonnæ in eccleſia S. Caſſii ſepelitur. Cui ſucceſſit Siphridus de *Weſtenburgh*, & præfuit annis 24. menſibus 5. vir laborum patiens & belli non ignarus. Sifridus archiepiſcopus.

De monaſterio ſuburbano.

Eodem anno donata fuit conventui noſtro ſuburbano Noveſienſi curtis illa in *Silichem*, quæ ſita eſt apud Arnaphaim, haud procul a monaſterio virginum Vallis-gratiæ.

Rudolfus rex Romanorum eligitur.

Eodem anno electus eſt Rudolphus ab *Habſpurgh* fortis & ſtrenuus, qui multorum

regna abſque formidine ſibi ſubjecit, a cujus proſapia & ſtemmate deſcendit domus illa illuſtriſſima, & multis nominibus decantatiſſima per orbem Auſtriaca, ex qua prodierunt Cæſares Fredericus III. Maximilianus, Carolus quintus, Philippus filius ejus victorioſiſſimus rex Hiſpaniarum, de quibus inferius latius dicemus.

1275. Rex Rodulphus regem Bohemiæ, eo quod imperio parere contemſerat, devicit & occidit: ducatum Auſtriæ dedit Alberto primogenito. Totum regnum Bohemiæ ditioni ſuæ ſubjugavit. Sicque domus Auſtriæ ducatus ad comites de *Habſpurgh* imperiali munificentia devenit, & penes eos manet uſque in præſentem diem.

Infelix exitus comitis Juliacenſis.

1277. Civitas Aquenſis a partibus epiſcopi Siphridi ſtabat contra Welhelmum comitem Juliacenſem. Comes vero cum tribus filiis & 468. nobilibus militibus & armatis Aquiſgrani de ſero circam horam nonam intravit occulte, volens civitatem capere ac ſuo dominio ſubjugare. Quo cognito, occluſerunt cives portas civitatis, & in domibus, parietibus perforatis deſtructiſque, conveniunt, ad arma conglobati concurrentes, ipſum comitem cum omnibus ſuis in medio fori, bello congreſſi occiderunt, ita ut ne unus evaderet. Lanco quidam comitem adortus occidit: pro cujus facti expiatione graviter poſtea mulctati ſunt. Nam tertiam partem oblationum in eccleſia beatæ Mariæ ſemper Virginis, ex devotione peregrinorum vel undecumque cedentium, comitibus de Juliaco dare perpetuo tandem coacti ſunt. Præpoſitum quoque eccleſiæ Aquiſgranenſis ordinandi & conſtituendi poteſtatem comites Juliacenſes, nunc duces, ex hoc facto nefando obtinuere. Welhelmo autem comite Juliacenſi occiſo, Siphridus archiepiſcopus Colonienſis ejus dudum inimicus, Aquenſibus confœderatus, terram illius deſtitutam principe armata manu ingreditur, omnia ferro & igne demolitur, oppida capit, obtinet munitiones, totumque in ſuam poteſtatem redigit comitatum: contra quem dux Brabantiæ auxilio conſanguineorum & amicorum comitis occiſi, exercitum duxit, ſed parum profecit. Siphridus Juliacum cum ſuis fortiter obſederat. Obſeſſi vero Juliacenſes poſt diutinam obſidionem, eruperunt, & commiſſo prœlio victi fugatique ſunt. Siphridus capta civitate, fortiſſimam arcem funditus demoliri juſſit, quæ muris civitatis imminebat, & in civitate ædificat. Marcodurum quoque cepit, omniaque fere caſtella & munitiones terræ Juliacenſis occupavit & obtinuit, exceptis *Nidecken* & *Hamboich*. Expugnavit quoque Bedburium, & 24. caſtella circumjacentia, quorum nonnulla dejecit, alia fortiora conſtruxit. Tulpiacum munivit, & fortiſſimum propugnaculum ibidem conſtruxit, in loco ſacrato.

Sifridus archiepiſc. Juliaci comitatum invadit.

Eodem anno dux Lymburgenſis, & conſanguinei occiſi comitis Tulpiacum obſidione cingunt: Siphridus congregato exercitu eos primo congreſſu fugat. Tandem Martino papa quarto vices ſuas interponente, concordia facta eſt, & archiepiſcopus omnia quæ abſtulerat, oppida, caſtra, & villas reſtituit.

Eiſdem temporibus Carpenam, caſtrum ducis Brabantiæ, quod idem dux a nobilibus de *Gymnich* emerat, 8. hebdomadibus obſedit, cepit ac funditus deſtruxit, ſicque ducem Brabantiæ in ſe irritavit.

Alberti magni obitus.

1280. Albertus magnus obiit anno ætatis ſuæ 87. Coloniæ in medio choro conventus ſui ſepelitur, non ſine opinione ſanctitatis.

Bellum Burgundiorum.

1281. Rodulphus imperator in Burgundiam ducit exercitum, Biſuntinam civitatem obſidione cingens obtinuit. Comitem quoque ipſum cum maximo exercitu occurrentem ſuperavit, & in deditionem coëgit. Rediens autem de Burgundia Colmarium, Thurregum, Beronam, & Hagennaw civitates in rebellionem conjurantes in expugnando cepit, auctoribus rebellionis partim occiſis, partim proſcriptis, & ſiluit terra coram eo in pace.

Sifridus archiepiſc. invadit comitatum Bergenſem.

1282. Siphridus archiepiſcopus congregato exercitu comitatum Bergenſem bis invaſit, eoque comitem coëgit, ut duas turres unam in *Monheim*, alteram in *Mülheim* ædificatas ad domandum Colonienſes deſtrueret. Hodie adhuc veſtigia viſuntur.

Templum beatæ Mariæ Virginis ad gradus, cum una turri majori crematur.

Judæi quemdam Chriſtianum crudeliter occidunt.

1287. Judæi quemdam puerum Chriſtianum ex villa *Wamradt* oriundum nomine Wernerum, furtive rapientes, ad oppidum Weſalienſe juxta Rhenum ſecum abducunt, eumque pro recipiendo ſanguine ejus 13. Kalendas Maii acubus & cultris pungentes, poſt longum martyrium crudeliter occidunt, cujus corpuſculum in oppido *Bacherach* humatum, uſque in præſentem diem in quadam capella oſtenditur incorruptum, & ab incolis loci pro martyre veneratur, ſignifque claruiſſe multis dicitur.

Bellum atrox in Wormagen.

1288. Dux Limpurgenſis ſine liberis obiit pro cujus ducatu magna inter Johannem ducem Brabantiæ, & Reinhardum comitem Geldriæ diſſenſio orta fuit. Comes Geldriæ ſibi vindicabat, ex propinquiori gradu conſanguinitatis uxoris ſuæ, qui multa caſtra & munitiones vi ceperat & jure propinquitatis ſervabat. Proximior autem erat Adolphus de Monte comes, hujus ducatus hæres. Sed jus ſuum duci Brabantiæ promtis pecuniis vendidit. Reinholdus eodem tempore Tylam obſedit, & in deditionem accepit. Porro poſt aliquot altercationes inter duces & comites habitas, venitur ad bellum. Dux Brabantiæ in ſua parte habuit Godfridum fra-

trem ſuum Brabantiæ ducem, Adolphum comitem de Monte, Henricum comitem de *Windeck*, Walramum comitem de Juliaco, Gerhardum fratrem ejus comitem de Juliaco, Everhardum comitem de Marca, & fratrem ejus, comitem quoque ſancti Pauli, comitem de *Loſſ*, epiſcopum Leodienſem, cives Colonienſes, alioſque nobiles multos & fortiſſimos. Porro cum Reinaldo comite Geldriæ fuerunt Siphridus archiepiſcopus Colonienſis, Henricus comes Lutzenburgenſis, & frater ejus Walramus, Johannes quoque dominus de *Limpurg*, Henricus comes des *Weſterburgh*, comes quoque de *Falkenburg*, & alii complures, conſerto prælio quinto menſis Junii circa villam *Woringen* dictam, in Colonienſi diœceſi, multi ab utraque parte ceciderunt: tandemque Johannes dux Brabantiæ victoriam obtinuit. Ibi inter alios nobiles, qui a parte Reinaldi comitis Geldriæ, quorum numerus erat ultra mille, ceciderunt, Henricus comes de *Lutzenburgh*, & Walramus frater ejus. Reinaldus Geldriæ comes a duce Brabantiæ capitur, non ſolum juri ſuo ad ducatum *Limpurg* cedere, ſed pro ſui etiam liberatione, multa caſtra, dominia & ingentem pecuniarum ſummam dare coactus fuit. Siphridus quoque archiepiſcopus Colonienſis ab Adolpho comite Montenſi captus per ſeptem annos in cuſtodia detinetur. Capti fuerunt & alii multi, plures vero interemti. Sunt qui ſcribant, in eo prælio centena hominum millia ad certamen belli conveniſſe.

Eodem tempore funditus deſtructum fuit caſtrum fortiſſimum in *Woringen*, atque concluſum quod deinceps numquam ibidem exædificari debeat

Comes Juliacenſis vaſtat terras eccleſiæ Colonienſis.

1290. Siphrido archiepiſcopo ſub cuſtodia comitis de Monte captivo, Walramus comes Juliacenſis per terras eccleſiæ Colonienſis ferro debacchatur, & igne multa damnorum incommoda pauperibus intulit. Caſtrum eccleſiæ fortiſſimum *Zulph* dictum, inter alia cepit, ac funditus deſtruxit. Simili veſania concitatus Everhardus comes de Marcha cum ſuorum valido exercitu intravit Weſtphaliam, & Angariæ ducatum ad dominium ipſius archiepiſcopi pertinentem, incendio & rapina devaſtavit, & multas munitiones terræ, caſtra & oppida ſibi ſubjugavit.

Colonienſes jugum archiepiſcopi excutiunt.

Eodem prælio Siphridus jus ſuum, quod habere putabat in cives, & civitatem Colonienſem perdidit. Multo enim tempore epiſcopi bella cum Colonienſibus geſſerunt, non pro habendis & tutandis clavibus ſpiritualibus ſed temporalibus. Tantopere laborabant epiſcopi quouſque Colonienſes in bannum Cæſareæ majeſtatis declarabantur. Eoque viâ juris res devenerat, ut cives in poteſtatem & jus archiepiſcopi, vel in ipſius dominium venirent, civitatemque ipſi traderent: vel ſi hæc illis ardua nimis videretur conditio, ut tum claves 2. milliaria a civitate deducerent, ibique conſerto prælio pro iis adipiſcendis pugnarent, victorique cederent. Cives accepta hac conditione, claves bigæ ad hoc fabrefactæ imponunt, fortiſſimis ſeris ferreiſque ligaturis muniunt, in campum prope *Woringen* deducunt, *Woringen* incendunt, caſtrum funditus dejiciunt, victoriam contra Siphridum obtinent, claves libertaſque penes illos manent hunc uſque in diem, domini civitatis declarantur, prout aperte in inauguratione alicujus archiepiſcopi vel regis pronunciatur. In perpetuam tantæ adeptæ victoriæ memoriam ſenatus Colonienſis capellam in platea ſancti Severini a fundamentis in honorem domini Bonifacii, quo die victores evaſerant, pulchre extruunt, ſinguliſque annis eodem die feſtum celebre peragunt.

1291. Rodulphus imperator moritur, & Spiræ ſepelitur.

Adolfus imperator eligitur.

1292. Adolphus de *Naſſavv* imperator eligitur Francofordiæ, poſtquam imperium vacaverat ferme ad annum, qui ſuſcepto regno imperavit annis ſex. Contra hunc Albertus dux Auſtriæ, filius Rodolphi regis defuncti, ſe quorumdam principum auxilio erexit, dicens imperium ad ſe pertinere jure paterno, neque alium eligendum, quandiu de regali proſapia idoneus aliquis ad regnum potuerit inveniri; unde cunctis diebus quibus vixit Adolphus, infenſum illum habuit, donec tandem deſertus a principibus in agro Wormatienſi ab eo interfectus fuit.

1293. Wormatiæ civitatis magna pars denuo incendio horribili conflagravit.

Sifridus archiepiſcopus a carcere liberatus.

1295. Siphridus archiepiſcopus Colonienſis poſt ſeptennium ſuæ captivitatis, multo tamen pretio, de manu comitis Montenſis liberatus eſt. Multa enim caſtella & pagos pro lytro ſuo comiti dederat, inter alia autem ſilvam ingentem murium ſemita dictam, vulgo *Muſpfadt*, quæ ſe a Rheno extendit uſque ad Montana; præterea ſemitam juxta Rhenum Duſſeldorpio Sybergium uſque qua aurigæ in vehendis navibus adverſo flumine utuntur. Tranſactio hæc ab archiepiſcopo Colonienſi & canonicis majoris eccleſiæ datis ſigillatis litteris confirmata eſt, quod comes Montenſis ſuique hæredes prædicta bona perpetuo jure poſſidere debeant. Non diu poſt idem archiepiſcopus arte & induſtria uſus, cum jam equitaret Benſbergio Tuitium, a comite petiit, ut propriâ perſonâ ſibi ſalvum conductum præſtaret Tuitium uſque. Comes nil mali ſibi metuens, cum archiepiſcopo proficiſcitur; Tuitium veniens ab equitibus quos Siphridus in inſidiis habebat capitur, idque contra juramentum fœderis, duro carceri uſque ad mortem mancipatur. Æſtate ſolebat ipſum comitem nudum caveæ ferreæ includere, melle illitum, muſcarum morſibus & aculeis hoc modo

Comitem captivum detinet uſque ad mortem.

objicere quoad vixit. Tali afflictione miſere detentus comes, omnia ſe redditurum archiepiſcopo, quæ ab eo extorſerat, majoraque pro ſua liberatione additurum liberaliter, ac ſponte pollicitus eſt: ſed exauditus non fuit, quin potius improperanter tale reſponſum ab illo recepit. Habet S. Petrus, quibus ſine tuis rebus promiſſis ſuos enutriat famulos, ideoque me vivente non dimitteris, ſed mortem in carcere ſubibis, diſceſque quemadmodum archiepiſcopum debeas tenere captivum. Itaque comes in cuſtodia moritur.

Siphridus archiepiſcopus comiti Geldrenſi Rheinhaldo duos pagos prope *Kempen* ſitos, antiqua & nova eccleſia dictos, dono dedit, eo quod intolerabile damnum ex conflictu Woringenſi traxerat.

Hic Brulenſe caſtrum poſt captivitatem ſuam contra Colonienſium rebellionem extruxit, & turrim munitiſſimam juxta Berckam ad Rhenum. Item arcem Sontinam quoque ædificari curavit, & eccleſiam D. Franciſci Bonnæ anno 1298.

S. Jemgardis. S. Jemgardis comitis Zutphaniæ filia omnia terrena reſpuit, ut Chriſtum lucrifaceret, Coloniam ſe contulit, & in ſummo templo habitationem elegit. Romam ter profecta ſancti Silveſtri pontificis caput impetravit, Coloniam tranſtulit. *Reeſſ* oppidum eccleſiæ Colonienſi aſſignavit. *Suchtelen* cum omnibus ſuis attinentiis, monaſterio D. Pantaleonis, eo quod illius conventus abbas hujus eſſet frater, donavit, Coloniæ in ſummo ſepulta.

Hujus Sigiphridi tempore, quidam frater Nicolaus de ordine D. Franciſci ſanctimonia conſpicuus Noveſii obiit, ibique ſepultus, multis claruit miraculis.

Wichboldus archiepiſc. 1298. Siphridus archiepiſcopus Colonienſis moritur, & in eccleſia Bonnenſi ſepelitur; cui ſucceſſit Wichboldus baro de familia ab *Holte* Weſtphalus, majoris eccleſiæ decanus. Noveſii ad epiſcopatum * conſtitutus eſt, vir prudens & doctus, qui eccleſiam ſuam propter varia ære alieno gravatam mire juvit. Multas arces & oppida, quæ anteceſſores ſui amiſerant, ipſe recuperavit. Pacis publicæ obſervantiſſimus erat; ſe autem bello petentibus viriliter reſtitit. Comitem de Marca, infeſtiſſimum eccleſiæ hoſtem, domuit, ejuſque ditionem ferro & gladio vaſtavit, prædamque ingentem egit. Hujus tempore extructum eſt monaſterium Ciſtercienſis ordinis, Hortum D. Virginis nuncupatum, a quadam matrona Colonienſi honeſtiſſima & devotiſſima, quæ uxor erat nobilis Hermanni *Geyr*.

* *f.* conſtitutus electus eſt.

Eodem anno Albertus dux Auſtriæ vocatur ad imperium, & Adolpho rege a principibus imperii depoſito, Moguntiæ in imperatorem eligitur, Aquiſgrani a Wichboldo Colonienſi archiepiſcopo conſecratur, & in regem Romanorum coronatur; regnavitque annis 10.

Hoc ipſo anno civitas Colonienſis, quæ per annos ſeptem, menſes totidem ac dies novem excommunicationi ac interdicto eccleſiaſtico ſubjacuerat propter lites & diſſentiones cum Siphrido archiepiſcopo habitas; Wichboldo ſucceſſore ejus conſentiente, a Bonifacio papa octavo fuit abſoluta, & divina officia denuo celebrari in ea permiſſa.

Wichboldus bellum indicit Colonienſibus. His temporibus idem Wichboldus bellum Colonienſibus indixit. Hi Alberti imperatoris auxilium implorabant. Venit rex maximo cum exercitu circa feſtum Remigii in terram Colonienſem, caſtra metatus eſt in *Rodenkirch*, *Wyß* & *Surdt*. Diœceſis circumquaque a militibus depopulabatur, cremabatur, multaque damna inferebantur. Videns autem archiepiſcopus ſe multo inferiorem, & tantæ multitudini reſiſtere non poſſe, pacem a rege petiit: obtinuit quidem, ſed maximo & diœceſeos & ſuo damno. In manus enim regis caſtrum Cæſaris-Werdenæ una cum teloneo & oppidulo, quin etiam civitatem *Synſich* dare coactus eſt, quæ antea multis annis regum Romanorum fuerant, & diœceſi oppignorata pro 30000. marcis argenti puri. Tunc temporis idem Wichboldus Tulpiacum una cum caſtro ſuo oppignoravit comiti Juliacenſi, quæ poſtea Cono archiepiſcopus Trevirenſis & gubernator Colonienſis redemit anno 1368.

Henricus II. archiepiſc. 1300. Wichboldo mortuo, eligitur Henricus II. comes de *Virnenburch* præpoſitus Colonienſis, ſed neque huic admodum bene cum Colonienſibus convenit, neque pacem cum circumjacentibus vicinis ſuis ſervare potuit; gerebat enim inimicitias contra Gerhardum comitem Juliacenſem, comitem de Marca, comitem Clevenſem, alioſque permultos nobiles & potentes Weſtphaliæ. *Hulkerodt* cum ſuis attinentiis provinciæ addidit. Caſtri *Lechnich* fundamenta jecit. Fridericum Auſtriæ ducem in imperatorem Bonnæ conſecravit. In Viennenſi concilio quod Clemens V. congregari mandavit fuit. Bonnæ ſepultus anno 1331.

Rhodis infula in manus noſtrorum devenit. 1308. Hoſpitalarii ſancti Johannis Hieroſolymitani, Chriſtianorum copiis adjuti, inſulam Rhodis cum aliis quinque in mari mediterraneo adjacentibus per annos quatuor fortiter oppugnantes tandem obtinuerunt, & interfectis expulſiſque Turcis ipſam multis annis uſque ad annum a Chriſto nato 1522. quo rurſum a Turcis cum ingenti reipublicæ Chriſtianæ clade; ſub Carolo V. & Adriano VI. pontifice (capitur.)

Templarii. Templarii ad Saracenos defecerunt. Hanc ob rem interfecti illi ſunt, qui comprehendi potuere, eorumque bona partim Rhodiis militibus, qui inſulam paulo ante occuparant, partim vero novis religionibus ſunt attributa. Chriſtum abnegabant Templarii, &

in varios errores prolapsi sunt.

Johannes Scotus. 1308. Johannes Scotus doctor subtilis ordinis Minorum Coloniæ obiit, in suo conventu ibidem in choro sepultus.

His temporibus Petrus archiepiscopus Moguntinus medicus insignis Charthusiam extra muros Moguntinos a fundamentis extruxit, & magnifice providit.

Viennense concilium. 1311. Clemens v. Concilium Viennense celebrandum indixit, quod biennio duravit, in quo inter cetera festum corporis Christi confirmatur. Ibi ordo Templariorum qui annis ferme 184. steterat, ab ipso Clemente papa condemnatus fuit, & uno die per universum orbem deletus, ad instantiam Philippi regis Francorum, cujus promotione ipse papa electus fuerat. Fuerunt autem Templarii valde divites, quorum possessiones ut rex sibi acquireret, crimen eis hæreseos falsum imposuit, ut multi voluerunt; & extingui omnino paravit. Platina vero & Volaterranus scribunt, quod ad Saracenos defecisse dicerentur: eorumque bona papa Rhodiis militibus concessit. Quin etiam multæ eorum domus per Germaniam aliis religiosis sunt traditæ. Novesii Templariorum domum Minores consecuti sunt, quam ad hoc usque tempus inhabitant. Vide Petrum *Kradenpol.*

Ordo Templariorum condemnatur.

Cœnobium D. Claræ Coloniæ & Novesii. Circa hæc tempora cœnobium D. Claræ Coloniæ initium sumsit. Item Novesii D. Claræ huic cœtancum est, fundatum a Gerhardo comite Montensi.

Nicolaus de Lyra, ex Judæo minorita factus universam scripturam commentariis illustrat. Volater.

Brixia solotenus destruitur ab Henrico vii. imperatore ejus nominis.

1313. Quidam monachus Bernardus Prædicatorii ordinis in die Assumptionis beatæ Mariæ Virginis imperatorem Henricum communicantem in hostia consecrata fertur intoxicasse. Unde magna in ordinem Prædicatorum persecutio minus juste fuit exorta, etiamsi frater ille innocens a crimine objecto non fuisset, cum crimen unius hominis in totum ordinem non fuerit referendum.

Eodem anno Coloniæ in foro quod dicitur *Kreichmarckt*, in parochia sancti Petri maxima pars domuum igne conflagrata est.

1315. Magna annonæ caritas in Germania & Italia itaut, etiam cuilibet pauperi publico edicto concederetur venalem expositum panem auferre. Multi fame consumebantur.

Eodem anno in civitate Cremensi Patavicnsis diœcesis, in ducatu Austriæ, plures nefandissimi hæretici, per fratres Prædicatores inquisiti, inventi & combusti fuerunt. Articulorum hæreseos eorumdem primus erat: Missas vanitatem esse dicebant, & nullius vel reverentiæ vel utilitatis. Secundus articulus fuit: Luciferum cum dæmonibus suis cœlo injuria pulsum dicebant, tandemque beatitudini cum omnibus suis restituendum: Michaëlem & Angelos omnes æternis cruciatibus deputandos, hominesque ab eorum secta alienos, similiter esse damnandos. Unde cum se mutuo salutarent, dicebant: Salutet te injuriam passus Lucifer. Tertius articulus iste nefandissimus fuit: Dicebant enim, Maria si virgo mansit post partum, non hominem sed angelum peperit, virgo post partum non fuit: Item dicebant se habere 12. apostolos qui totum imperium singulis annis perlustrarent: & duos ex iis ordine & professione seniores, singulis annis paradisum intrare, ac potestatem ab Helia & Enoch ligandi & solvendi accipere, quam aliis communicabant in eadem secta constitutis. Sacramentum Baptismi irridebant, dicentes: Si Baptismus est Sacramentum, & per consequens quilibet balneator esset Deus. Sacramentum Pœnitentiæ turpiter vitiabant, confitentes non sacerdotibus, sed laicis in genere, peccata sua in specie exprimentes; sperantes se ex hac confessione omnium peccatorum a pœna & a culpa remissionem plenariam recepturos. Sacramentum Dominici corporis non credebant hostiam consecratam, Deum fictitium appellantes. Sacramentum quoque Matrimonii juratum meretricium in vulgari nuncupabant. Sacramentum Extremæ-unctionis irridebant, & interrogati super eo quid sentirent, unanimiter responderunt: Nos credimus quod olera quanto fuerint oleo plus condita, tanto esse meliora. Consecrationes ecclesiarum, cœmeteriorumque, & benedictiones palmarum, salis, aquæ, & ceterorum quæ in ecclesia fiunt nihil esse dicebant. Item dicebant: Deum nec scire, nec punire mala quæ sub terra fierent: unde in spelunCis & cavernis subterraneis convenientes, pater cum filia, frater cum sorore, ac filius cum matre indifferenter turpitudinem carnis suæ exercebant. Romanam ecclesiam non Christi sed gentium infidelium esse dicebant: omniaque statuta ecclesiæ cum prælatis & ministris ejus contemnebant. Jejunia irridebant, carnibus omni tempore, etiam in sexta feria parasceves vescebantur. Dies festos non servabant, sed in die Paschæ laborabant. Perjurium dicebant non esse peccatum. Merita & intercessiones quorumlibet Sanctorum posse hominibus apud Deum præstare suffragia negabant. Sed & complures alios profitebantur erroris sui articulos, qui hic brevitatis causa omittuntur. Magnus eorum numerus fuit in Austria, Bohemia & terris vicinis. Viennæ quidam crematus nomine Novus magister confitebatur, eorum in Austria, Bohemia & in confinibus ejus illo tempore plusquam octoginta millia hominum, omnes in eam sectam juratos & professos fuisse, præter eos qui in aliis terris erant. Ex hac fæce Bohemia tunc infecta, usque in præsentem diem, eisdem erroribus & turpi-

Hæretici combusti in Austria.

Articuli erat.

Contra Baptismum.

Contra Pœnitentiam.

Contra Eucharistiam.

Contra Matrimonium.

tudinibus ſcatet. In Auſtria multi eodem tempore combuſti ſunt, qui omnes unanimiter in ſuis erroribus pertinaciſſime uſque ad mortem cum magna hilaritate permanſerunt. Inter quos puella una ſpecioſa nomine Giſla, dum jam eſſet cremanda, interrogatur a judice, ſi adhuc eſſet virgo. Quæ coram omnibus reſpondit: Super terram adhuc virgo ſum, ſub terra vero minime. Credebant enim fatui, virgines ſub terra non poſſe deflorari, etiamſi a mille viris cognoſcerentur, neque tale ſtuprum eſſe peccatum.

1316. Loduicus rex pacis fœdera in imperio inter reges imperiique ordines & civitates conſtituit, ſervarique ſub pœna gravi voluit, & mandavit.

Henricus archiep. pacta cum Ludovico rege fregit.

1318. Henricus Colonienſis archiepiſcopus, etſi ſenio confectus eſſet, nihilominus tamen pacificus eſſe non poterat, ſed pacis fœdera & pacta Loduici regis fregit; quare Colonienſes juſſu Ludovici imperatoris, vocatis in auxilium Johanne rege Bohemiæ, qui Lutzenburgi tum erat cum magno exercitu, Wilhelmo comite Hollandiæ, Johanne fratre ejus comite in Hannonia, Gerhardo comite Juliaco, Adolpho comite de Seyna, cum quibuſdam aliis, contra Henricum archiepiſcopum Colonienſem ſupradictum, ſentientem etiam cum Frederico duce Auſtriæ, ad bellum procedentes, multa ei damna intulerunt; & inter cetera caſtrum *Bruell* nuncupatum, ſpatio quatuor menſium obſederunt. Sed tandem pace interpoſita, & ſatisfactione facta, receſſerunt.

1320. Colonienſes iterum juſſu Ludovici imperatoris contra Henricum archiepiſcopum ſuum ad bellum procedentes caſtellum ejus *Urechen* ceperunt ac funditus deſtruxerunt.

Waltherus hæreticus ignis addictus.

1322. Coloniæ deprehenſus Lothardus (a) quidam nomine Waltherus, magiſter & princeps ſcholæ hæreticorum illius ſectæ, de qua ſupra; qui editis a ſe libris in quibus falſe torquebat ſacram ſcripturam, & oblatis mulierculis, magnam multitudinem infecit. Comprehenſus autem errores ſuos acriter defendebat, unde per ſententiam ad ignem damnatus, combuſtus fuit: multos poſt ſe in Colonia relinquens diſcipulos.

Caſtrũ Wormenſteim ſolo æquatum.

1325. Colonienſes coaſſumtis ſecum multis comitibus atque nobilibus, cum magno & valido exercitu intraverunt Weſtphaliam contra Henricum archiepiſcopum Colonienſem, & inter multa mala & damna quæ ei intulerunt, caſtrum fortiſſimum *Wormenſtein* longa obſidione captum, ſolo coæquarunt.

Gelriæ comes dux efficitur.

1326. Loduicus Romanorum imperator ejus nominis quartus, Reinhaldum ſecundum ejus nominis Gelriæ comitem in ducem ſublimavit, qui patrem ſuum ejuſdem nomi-

(a) Lege Lollardus, quo nomine appellabantur in Germania & Belgio hæretici illi de quibus ſupra.

nis per annos ferme octo uſque ad mortem in captivitate detinuit. Et abhinc principes terræ Gelrenſis duces eſſe cœperunt, titulo comitatus de Zutphania retento, uſque ad ducem Carolum qui ultimus dux Gelrenſis fuit, qui & ſine liberis obiit anno 1538.

Carthuſia Trevirenſis.

1330. Baldewinus archiepiſcopus Trevirenſis Carthuſianis monachis extra muros Trevirenſes conſtruit quoddam inſigne monaſterium, quod in octo annis perfecit & magnifice dotavit. Pontem quoque circa Confluentiam lapideum ſuper Moſellam idem archiepiſcopus de novo multis expenſis hoc tempore conſtruxit.

S. Chriſtina ex Stommel oriunda.

His quoque temporibus innoteſcere cœpit D. Chriſtina, virgo ſancta, quæ nata fuit ex *Stommel*. Corpus ejus aſſervatur in *Nideken*. Collegium vero iſtud tranſlatum eſt Juliacum per principem Welhelmum anno Domini 1569. in profeſto D. Remigii.

Everhardus Gryn civis Colonienſis leoni objicitur a canonicis ſummi templi.

Sub Henrico archiepiſcopo fuit Coloniæ quidam civis magnæ exiſtimationis Everhardus *Gryn* nomine, quem invitarunt duo canonici ſummi templi ad convivium. Venit hic nihil ſibi metuens, & ad cubiculum ubi famelicus alebatur leo deducitur, quo cum perveniſſet, vi illum arripientes canonici, in cubiculum detrudunt. Statim leo accurrit, fauces famelicas pandens ipſum * Grynend' devorare paratus erat. Ille imminens periculum conſpicatus etſi immanis & robuſtiſſima eſſet beſtia, arrepto pugione, & circumvolutum ad brachium pallium in fauces leonis contorquet, ac interficit. Cum eſſent inimicitiæ inter cives & atchiepiſcopum in gratiam ſui principis hunc bonum conſulem hac ratione occidêre. Ille vero ambos laqueo ſuſpendi ſub porta quæ vulgo dicitur *Pfaffenportt*, curavit.

* primo forte Gryze, poſtea corruptum aliam.

Duo canonici laqueo virum ſuum ſub porta ante nomen retinente.

1334. Henricus Colonienſis archiepiſcopus obiit, cui Walramus filius Gerhardi comitis Juliacenſis, præpoſitus Leodienſis, & theſaurarius Colonienſis, in archiepiſcopatu ſuccedens, præfuit annis 16. menſibus 6. diebus 19. vir in utroque jure doctiſſimus, ſtrenuus atque pacificus, qui eccleſiam ſibi commiſſam, ſatis ſtrenue, pacifice utiliterque in utroque ſtatu rexit. Iſte Walramus archiepiſcopus inter multa ædificia quæ tempore ſui pontificatus in diverſis locis erexit, etiam monaſterium Carthuſienſium in Colonia de novo conſtruxit, quod pro neceſſaria fratrum ſuſtentatione honeſte abundeque dotavit.

Walramus Juliacenſis archiepiſc.

Carthuſia in Colonia ſtruitur.

Lechnich caſtrum ex fundamentis rurſum exædificavit, contra impetum fratris ſui, & Juliacenſium; aliàque multa caſtra in bello deformata, & oppida oppignorata reparavit, & eccleſiæ ſuæ adjecit, velut *Popelſtorff*.

1335. Monaſteria virorum pariter & monialium necnon collegia canonicorum, aliique tum nobiles & coloni ad maximam inopiam redigebantur propter variorum bellorum

rum tumultus, quos archiepiſcopi contra Colonienſes, Juliacenſes, Montenſes, contra ducem Brabantiæ exſuſcitaverant, & indifferenter multis continue annis geſſerant, ut ſupra dictum. Inter quæ & noſtrum monaſterium ſuburbanum Noveſienſe ad tantam inopiam devenit, ut cum antea ex fundatione quindecim canonicos habere & alere debuiſſet, hoc tempore vix octo ſuſtinere potuit: quapropter præpoſitus monaſterii dicti Wernerus reverendiſſimo Colonienſi ſupplicavit, quatenus ipſe archiepiſcopus numerum fratrum diminueret, ad octo uſque, atque hoc ratum habere velit. Supplicationem apponere libuit & quid archiepiſcopus reſponderit, quæ in inſtrumentum rédacta adhuc conſervantur in parte 2. duarum litterarum deſcriptarum folio 478.

Monaſterium ſuburbanum reparatur.

Supplicatio præpoſiti Wernerii.

In nomine Domini, amen. Univerſis & ſingulis præſentia viſuris & audituris. Nos præpoſitus & conventus eccleſiæ regularis beatæ Mariæ extra muros Nuſſienſes notum eſſe volumus, quod cum propter ſterilitatem bonorum ipſius eccleſiæ & oppreſſionem dominorum terræ, ac alios caſus, &c.

1336. Comes Juliacenſis aſcito ſibi rege Bohemiæ in auxilium, exercitum duxit contra Johannem ducem Brabantiæ, obſedit caſtrum *Hertzigen Rode*, quod & in deditionem accepit.

Eodem anno Mechlinea igne cœleſti combuſta eſt.

1338. Reinhardus comes Geldriæ, qui poſtea in ducem ſublimatus eſt, magnum producens exercitum contra Leodienſes & Brabantinos bellum indixit, propterea quod anno præterito, ipſo exiſtente cum imperatore, terram ejus incendio & præda miſerabiliter devaſtaverant, ſecum habentes Adolphum principem Leodienſem, quem cives dudum ignominioſe expulerant. Ceciderunt in hoc bello pluſquam novem millia hominum ex utraque parte. Victoria ceſſit Reinhaldo comiti, ex qua non ſolum dives factus, ſed & famoſus in omni terra, cunctiſque gratus principibus.

1339. Ludovicus imperator conventum principum ſolemnem apud Francofordiam celebravit, ubi inter alia Reinhaldum comitem Geldriæ in ducem ſublimavit, adjiciens ducatui ejus comitatum Zutphaniæ, propter ſingularem prudentiam ejus, & res ab eo magnifice geſtas. Fuerat enim in ordine comitum Geldrienſium ab origine undecimus, vir prudens, audax, bellicoſus, fortunatus, & per omnia magnificus, qui multa ſtrenue pace belloque patravit.

Comes Juliacenſis fit marchio.

Eodem etiam tempore Wilhelmus comes Juliacenſis per Ludovicum imperatorem de conſenſu principum, in marchionem creatus eſt, vir tali dignus honore, quippe qui & ipſe multa ſtrenue geſſit conſilio ſimul & operatione.

1344. Ludovicus imperator Johannem filium regis Bohemiæ de ducatu Carinthiæ, quem ei accepta pecunia prius donaverat, ejecit: ejuſque uxorem ſine judicio eccleſiæ raptam ſuo filio copulavit in ſcandalum multorum. Unde tam pro iſto quam pro multis aliis ſceleribus denuo excommunicatus fuit a Clemente papa ſexto, tandemque ab imperio deponitur anno 1346.

1346. Carolus quartus, Johannis Bohemiæ regis filius primogenitus, in imperatorem eligitur, & Bonnæ magna cum pompa a Walramo archiepiſcopo inungitur. Non enim poterant ad Aquiſgranum tuto deſcendere, propterea quod Aquenſes Ludovici partes ſtudioſe ſequebantur.

Carolus IV. in imperatorem electus.

1349. Walramus archiepiſcopus Colonienſis Pariſiis moritur, quo fugerat ob metum Ludovici imperatoris, contra quem Carolum quartum imperatorem elegerat, relicta diœceſi ſua aliis laïcis perſonis, quod multa damna peperit: in cujus locum Wilhelmus ex domo nobilium de *Gennepe* per electionem ſubrogatus eſt.

Willelmus in archiepiſc. electus.

1351. Carolus IV. imperator, multa teſonea nova, in gratiam eorum, qui ipſum ad imperium elegerant, circa Rhenum inſtituens, eis contulit, in diſpendium reipublicæ maximum. Quare mercatores & civitates imperii omnes ſe conatui Cæſaris fortiter oppoſuerunt, nec conſentire voluerunt, quare ipſa nova telonea nuper inſtituta abrogata ſunt.

1352. Duo canonici majoris eccleſiæ Colonienſis Reinhardus filius de *Spanheim*, & Erneſtus de *Molenack*, feria ſexta ante palmas, in curia officialis Coloniæ pro vili cauſa ex temeritate a primoribus civitatis nimis crudeliter fuerunt interfecti.

Duo canonici interfecti.

Monaſterium Corporis Chriſti in Colonia initium habuit anno Domini....

1356. Carolus imperator ex Italia reverſus, in civitate Metenſi conventum habuit ſolemnem principum; ubi omnes totius pæne regni principes concurrentes regalia ſua de manu imperatoris ex more ſuſceperunt. Multi etiam ex Gallia illuc principes ac nobiles convenerunt, quibus Carolus ipſe notus & carus extitit, utpote qui & diu olim apud Pariſios operam litteris dederat, & in auxilium regi Francorum cum patre ſuo rege Bohemiæ, adverſus regem Angliæ aliquando pugnatum ierat. Aderat in hoc ſolemni conventu principum, quidam archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus, ad confirmandam pacem totius regni, qui ob reverentiam ſummi pontificis, ſolus cum imperatore, in una menſa cibum ſumebat, ceteris principibus electoribus juxta cujuſlibet officii rationem miniſtrantibus, ſemel & poſtea in locum ſuum ſecundum conſuetudinem reſidentibus. Ibi Welhelmus marchio Juliacenſis, conſenſu principum, in ducem a Carolo

Conventus principum Metenſis.

sublimatus est, & marchionatus ejus de Julia in ducatum cum ingenti pompa commutatur.

Bulla aurea. Bulla aurea, quæ sigillo sit aureo roborata de Romanorum imperatore deligendo, idem Carolus, indicta conventione principum, ad utilitatem reipublicæ de consensu omnium principum electorum & regni conscribi fecit & confirmavit.

1360. Festum clavorum, lanceæ, & coronæ Domini nostri JESU-CHRISTI feria sexta post octavas Paschæ singulis annis per universum orbem Christianum celebrandum, idem Carolus imperator a summo pontifice impetravit cum magnis indulgentiis, gratiis, & remissionibus peccatorum.

1361. Mense Februarii quadam die advesperascente cœlum ardere visum est, & ea nocte Wilhelmus primus dux Juliacensis, vir bellicosus magnanimusque moritur.

Eodem anno Gerhardus comes Montensis, & Arnoldus comes de *Blanckenheim*, inveterato adinvicem laborantes odio, se mutuo interfecerunt in civitate Colonienſi acutis lanceis hastiludium agentes, alter ab altero confixus.

1362. Welhelmus archiepiscopus Colonensis obiit, in summo Coloniæ sepultus. Vacavit inde sedes menses decem, ingentem reliquit thesaurum in auro & argento, vinoque & bladis.

Hujus Welhelmi tempore, anno Domini 1357. contigit Coloniæ grassante peste, ut mulier quædam ex nobili familia in parochia sanctorum Apostolorum, Richmodis vocabulo, ad tumulum, ut putabatur, mortua efferretur ac sepeliretur. Vespillo cum nocte ad detrahendum in digito relictum annulum venisset, retrahente illa, præ stupore relictis omnibus aufugit; illa lucernam arripiens domum vadit, cunctis admirantibus, a marito tandem agnita & susceptа est. Quæ inde trium filiorum facta est mater. Alii ferunt contigisse circa annum Domini 1394.

Johannes, Adolphus & Engelbertus archiepisc. 1363. Johannes de *Virnenburgh* majoris ecclesiæ decanus per capitulum in archiepiscopum Colonienſem electus est, qui pro confirmatione sua perrexit in propria persona ad curiam: sed Urbanus papa V. ejus electionem non solum confirmare noluit, sed etiam penitus cassavit, Adolphumque fratrem comitis de Marchia episcopum Monasterienſem hominem carnalem juvenemque, in archiepiscopum Colonienſem contra voluntatem capituli sublimavit, qui mensibus duntaxat præfuit decem, & postea resignavit pontificatum in manus papæ Urbani sponte. Qui consentit ut Engelberto de Marchia episcopo Leodiensi patruo suo.... præfuit annis quatuor non satis utiliter. Adolphus autem resignato pontificatu, non sine damno ecclesiæ Colonienſis, amore cujusdam puellæ sororis comitis Montensis, cum qua sperabat se comitatum Clevensem consequuturum, eam duxit uxorem, quamvis Monasterienſem episcopatum annis V. & Colonienſem mensibus X. sine ordinibus sacris ut pontifex gubernasset. Nec eum fefellit opinionis præsumta fiducia, comitatum enim quem optaverat cum uxore tandem obtinuit, ita quod uterque comitatus Clevensis videlicet & de Marcha, usque in præsentem diem conjuncti permanent, qui postea in ducatum sublimati sunt ambo.

Cuno archiepiscopus Trevirensis. 1367. Cuno archiepiscopus Trevirensis pro servitiis Carolo imperatori IV. multipliciter impensis Bopardiam & Wesaliam cum medietate *Sterrenberg*, quæ Baldewinus quondam archiepiscopus a fratre suo Henrico imperatore VII. in pignus expensarum ratione imperii in Italia habitarum, obtinuerat, impignoratione archiori pro summa maxima impetravit, ita quod posterioris impignorationis summa major fuerit prioris.

Fit coadjutor Colonienſis. Eodem anno Engelbertus Colonienſis archiepiscopus maximis oneribus debitorum gravatus, paralysi quoque non immodice dissolutus, sentiens se ob id minus ad regimen pontificatus sufficere, consentiente capitulo suo Cunonem archiepiscopum Trevirensem supradictum in coadjutorem assumsit, cui administrationem ecclesiæ omnimodam in spiritualibus & sæcularibus, Urbano papa V. approbante, commisit. Engelbertus autem hac provisione completa, ad privatæ vitæ tranquillitatem se contulit, & certis pro usu vitæ suæ retentis proventibus, non diu supervixit.

His temporibus dux Juliacensis captivos abduxerat nonnullos senatores Aquenses, quos ceperat prope *Lairkeair*.

Cuno archiepiscopus multa castra, oppida, aliosque pagos & prædia oppignorata, capitulo & ecclesiæ Colonienſi redemit, velut Tulpiacum cum castro suo & attinentiis suis, a duce Welhelmo Juliæ redemit, quod oppignoratum fuit a tempore Wicholdi, qui vixit circa annum Domini 1300.

1368. Engerus castrum a Cunone ædificatur cum fortalitio juxta Rhenum, inter Confluentiam & Andernacum, satis quidem pulchre, quod ex nomine suo *Cunenengers* nuncupari voluit.

Simultas inter senatum & clerum Colonienſem. 1369. Inter reipublicæ gubernatores, & clerum Coloniæ simultas exoritur. Senatus custodes duos ex civibus apud tumbam trium regum constituere voluit, velut & clerus, quia videbant episcopos nimis leviter ecclesiæ bona oppignorare. Imponebant præterea insolita vectigalia & exactiones. Eodem tempore primum gerania vel tympana in usum apud Rhenum veniebant, quando vina vel alia ad clerum necessaria ex navibus in littus extrahebant mercedem poscebant. Vinum etiam ne venderet clerus, a senatu interdi-

cebatur. Ne quis vinum promat ſive clerus ſive civis niſi a ſenatu conſtitutus: ne quis vinum a clero promtum emat. His non attentis domini S. Johannis & S. Cordulæ promebant quia privilegiati. His viſis, juſſit conſul ex edicto ſenatus cuidam amphoram in communitate eripi, idque vi; epiſcopus totuſque clerus vehementer ſeſe ſenatui & communitati oppoſuere, eoque negotia direxere, ut ſenatus & communitas excommunicaretur, & eccleſiaſtico interdicto biennio ſunt ſubacti, & clerus juſſu Cunonis adminiſtratoris eccleſiæ Colonienſis civitatem exiens, menſibus octodecim foris manſit, Cunone intercedente concordati ſunt.

Eodem quoque anno comes de *Arnſpurg* de conſenſu uxoris ſuæ, quæ ex comitibus Clivenſibus nata erat, comitatum ſuum *Arnſpurgh*, cum omnibus attinentiis ſuis, caſtellis, villis, & proventibus, in perpetuum tradidit eccleſiæ Colonienſi poſſidendum, ſicut etiam hodie ab archiepiſcopo poſſidetur.

Fridericus archiepiſcopus Coloniensis.

1370. Fridericus Sarwerdenſis comes, ſummi templi Colonienſis canonicus, ad inſtantiam archiepiſcopi Cunonis avunculi ſui, a capitularibus in archiepiſcopum Colonienſem eligitur, per Urbanum V. confirmatur. Carolus IV. imperator voluit hanc electionem impedire, & in epiſcopum Argentinenſem transferre, qui ipſius cognatus erat. Verum Fridericus Romam proficiſcens, dignus ob ingenii ſui excellentiam a papa & cardinalibus honore hoc ſummo judicatus eſt. Sed imperator, animo poſtea mutato, eum valde dilexit, ac in multis cauſis imperii, eum comitem individuum habuit. Tres ordine imperatores Wenceſlaum, Rupertum, & Sigiſmundum elegit, & conſecravit Aquiſgrani.

Bellum ducis Wilhelmi Juliacensis contra Wenceslaum Brabantiæ ducem apud Scoffweiler in ducatu Juliæ.

Eodem anno factum eſt bellum magnum in vigilia ſancti Bartholomæi apoſtoli inter Wenceſlaum Brabantiæ & Lutzenburgii ducem, fratrem imperatoris Caroli quarti, & Welhelmum ducem Juliacenſem, juxta *Baeſweyler*. Cauſa erat, quod dux Juliacenſis, liberos prædones & graſſatores in ditione ſua paticebatur, emungentes & ſpoliantes viatores & mercatores paſſim tranſeuntes: inter quos & nobiles cum famulis reperiri fama erat. Carolus ſcribens ad fratrem ſuum voluit iſta aboleri & vindicari. Dux Brabantiæ fratri obediens, exercitum conſcribit maximum, in Gallia, Hiſpania, Lotharingia, Flandria, Brabantia, in comitatu Namurcenſi, & epiſcopatu Leodienſi, quem & contra Juliacenſem duxit. Dux Welhelmus econtra non quietus, copias ingentes conſcribi jubet: in auxilium veniunt comes de Monte, præfectus Colonienſis, Weſtphali, aliique permulti tam nobiles quam ignobiles, ſpe prædæ potius potiundæ a Brabantinis, (veniebant enim ornati potius quam armis inſtructi ad prælium,) quam victoriæ eſſe triumphatores. Prælium fit atrox: in primo conflictu tam vehementer Brabantinus in Juliacenſem inſurgebat, ita ut propemodum cum ſuis capeſcere compellebatur fugam. Ea tempeſtate Eduardus dux Geldriæ, cujus ſororem Welhelmus duxerat, in Hollandia cum nova nupta filia comitis Hollandiæ nuptias celebrans, audita affinis ſui clade, & ſponſa & omnibus in Hollandia relictis, famâ celerius cum ſuis ad prælium valde paratis ad *Baeſweyler* advolat maximo cum impetu, clamantibus omnibus: *Gelre, Gelre, Gelre* vernacula lingua. Auditis his inſperatis clamoribus, Juliacenſes qui antea triſtes ſuccumbebant, animati ſunt, & reſumtis viribus atrocius & vehementius in Brabantinos irruebant. Pugna vehementior prima fit. Succumbunt Brabantini, victor Welhelmus auxilio Eduardi ducis evadit. Captivus abducitur dux Brabantiæ, & fere omnes ſui capitanei, comites, liberi, barones nobileſque 2000. Ceciderunt ab utraque parte comites, capitanei, nobiles & magni nominis viri 700. e quorum numero Brabantini 409. cæſa vero ſunt ab utraque parte pluſquam octo millia hominum. Comes de ſancto Paulo, quem gallice comes de *Sympoll* appellabant, cædebatur, filio ejus captivato. Comite hoc in terra ſaucio jacente, adhuc vivo, venit quidam miles exuvias ei detrahens, quem querula & quaſi moribunda voce precabatur, ne occideret eum, nam ſe eſſe comitem de *Sympoll* aiebat. Miles non intelligens hanc linguam, reſpondit, nec te juvabit *Sympoll, Sympoll*, & his dictis evaginato gladio eum transfodit, & capulo tenus in viſcera abdit. Poſtea vero hic homicida, quia tam nobili viro parcere noluit Coloniæ capite truncatus eſt. Prælio facto, Eduardus nihil mali ſibi ſuſpicans, galea parum de facie ſua ſubducta, ut capta aura ſe refocillaret, obequitabat: videns hoc miles quidam, cujus dux uxorem illicitis conſtupraverat libidinibus & ſtupris, occaſione legitima nacta, ſe vindicare & illicitum perpetratum adulterium voluit, telum tenſo arcu in frontem ducis jecit, quo vulnere accepto dux in terram lapſus, & humi procumbens paulopoſt moritur & in *Grevendall* ſepelitur. Sponſa ejus interim & virgo & vidua permanens, in ſignum juſſit acu in manicas miniſtrorum pingi opere plumario. *Gott muſſet ſein geklaget, daſs ſch bin vidvve und maget.* [Id eſt, Condolendum eſt apud Deum, quod ſim vidua & ſimul virgo.]

Eduardus a milite ſagitta caput transverberatur.

Uxor Eduardi ducis Geldrenſis conqueritur ſe viduam & virginem ſimul eodem tempore.

Marcodurenſes, & comes de Monte, ex primo conflictu fugerant, exiſtimabant enim ſe victos: audiens autem comes victoriam a parte Juliacenſium eſſe, revertitur, & partem captivorum ſibi uti aliis aſſignari arbitrabatur. Sed ducisſa Juliacenſis propter turpem ejus fugam, recuſabat, eumque pomo-

Comes de Monte fugit.

rum venditorem appellabat. Comes his probris incenſus exercitum duxit contra Juliacenſes, quibus maximum damnum & ſpoliando & comburendo inferebat. Juliacenſis vero victor exiſtens Wenceſlaum ducem captivum in caſtro *Nidecken* aſſervabat, quem tandem poſt menſes undecim, metu imperatoris, ſine exactione aut litro liberum dimiſit, ab aliis vero pecuniam infinitam pene pro corum liberatione extorſit. Hoc tantum pro munere a Cæſare impetravit, ut ſi quando duces Geldriæ ſine hærede maſculo obirent, quod tum Geldria cum attinentiis ſuis, Juliacenſi & prolibus ſuis maſculis in feudum cederet. Eduardo mortuo, Reinaldus pinguis aut craſſus dictus dux, qui decem annis captivus fuerat a fratre ſuo Eduardo detentus, relaxatur, & pro duce aſſumitur, ſed brevi poſt moritur nullo poſt ſe hærede relicto, ſimulque cum eo inſignia ducum Geldriæ ſepeliuntur. Mortuis his ducibus ad prælium venitur ſpe potiundi ducatus Geldriæ. Mechtildis ſoror Eduardi natu maxima, & Welhelmus dux Juliæ ex ſorore nepos. Durabat bellum ſeptem annis, ſed tandem dux Welhelmus victor extitit, & dux quoque Geldriæ factus eſt. Erat in omnibus fortunatiſſimus & circumſpectiſſimus vir, multa heroïco animo peragens. Bis profectus eſt in terram ſanctam, bis in Pruſſia feliciter contra paganos pugnavit. Armis archiepiſcopum Colonienſem adegit, imo extorſit magnam pecuniæ vim, & vini copiam.

Wenceſlaus in Nidecken cuſtodiæ mancipatur.

Imperatoris Caroli quarti ejusfratris opera liberatur.

1372. Fredericus archiepiſcopus Colonienſis in die ſancti Albani magna pompa & civium omnium applauſu Coloniæ inauguratur. Ipſe ſummum ſacrum in majori eccleſia decantavit.

Circa hæc tempora Textores lanei panni maximam tragœdiam contra ſenatum excitarunt, mutant in ſenatu multa & inaudita invehunt, omnia ſecundum illorum libitum in civitate gubernari volentes, morti adjudicatos vi abripiunt, ſenatui parere recuſant, novos ſenatores conſtituunt, cum antea civitas per quindecim illas tribus gubernari ſolebat, a Romanis olim Coloniam ductas. Tandem ſenatus his inſolentiis pertæſus arma ſumit. cæduntur textores per vicos paſſim civitatis. In foro fœni, quotquot reperiebantur capite plectebantur. Furore parumper ſedato, publice voce præconis per plateas publicabatur: Qui morti adjudicatum ruri e manu præſidis eripuerunt vi, aut qui ſaltem adfuiſſent, eos nullibi libertatem habere in civitate. Item ſignum campana dari debere, & quamdiu ſonitus audiretur, unicuique liberum eſſe civitatem relinquere, diſcedere; ſuaque aſſumere ſecum; qui vero rei non eſſent, facile gratiam a ſenatu aſſequuturos. Signo dato, multi cum vaſatis ſuis fugerunt. Senatus uxores & liberos eorum poſt eos civitate expulerunt, qui etiam eorum bona, domus ſubſtantiamque omnem confiſcarunt & ærario publico ſubjecerunt. Quamvis autem hoc modo textores ſuperati eſſent, domiti, & ad obedientiam redacti; tamen iſtæ ordinationes in vi datæ permanſerunt, quod ſcabini poſthac in ſenatu eſſe non debeant, & quod ex communi plebe de tribunitiis eligi ſingulis annis novi ſenatores debeant, & duo ſenatus parvus, magnuſque permanere, & in perpetuum durare, ſicque tribus iſtæ privatæ ſunt ſolito honore ſuo, & ad communes cives tranſlatus eſt.

Coloniæ textores panni lanei ſeditionem movent.

Per idem fere tempus Fredericus archiepiſcopus armata manu cepit has arces & funditus evertit *Nevvenahr*, *Garſtorff*, *Rodeſſbergh*, *Merzznich*, *Hælpenſtein*, *Diſterlich*, *Bickendorff*.

1373. Judæi revertuntur Coloniam, ſenatu concedente. Poſtea anno 1399. rurſum ejiciuntur.

1374. Rhenus inundavit adeo ut ſupra muros in civitatem naviculis & ſcaphis vegeret quis poterat. Inundatio duravit ex Februario uſque Paſcha, multum Rheno propinquis damnum inferens. De hac inundatione legitur apud gradus Mariæ gradui inſciſum hoc carmen.

Inundatio ingens.

Eſt poſt prædicta deſtructio magna notanda,
Nam ſunt undena Februi ſua perdita fræna,
Merſæ ſunt villæ, nocuit templis nimis ille,
Hunc gradibus quinis Margreden iſſe notabis
Sub lavacro Chriſti quam ſcandens Rene fuiſti.

1375. Hoc tempore licet belligerarent inter ſeſe epiſcopus & civitas Colonienſis, ideoque rapinæ & latrocinia paſſim exercerentur, tamen ut communi & vicinorum paci conſuleretur, Wenceſlaus dux Brabantiæ, Limburgenſis & Lutzenburgenſis, Wilhelmus dux Juliæ & Geldriæ, Adolphus comes Clivorum, epiſcopus Colonienſis, atque ipſa Colonia & Aquiſgranum fœdus ineunt, firmantque ut fæx hominum paſſim latrocinantium tolleretur, & ſi qua inter ſeſe diſcordia vel ſimultas oriretur, ab hujus fœderis conſorte fortiori ſopiretur.

Fridericus epiſcopus eo quod Colonienſes ſcabinos ſuos urbe expuliſſent, apud Cæſarem inſtitit, ut Colonienſes proſcriberentur, quod facile impetravit. Poſtea quidam ex epiſcopi miniſtris capti Coloniæ in vincula conjiciuntur. Ea de cauſa cantus divinaque per duos integros annos interdicuntur. Proſcripti excuſationis locum apud Cæſarem non invenientes, ſummo pontifici injuriam illatam offerunt, qui audita cauſa epiſcopum excommunicationis ſententia damnat. Exacerbatus eam ob rem epiſcopus omnes vias obſtrui & muniri militibus curavit, ne quid mercimoniorum & annonæ Coloniam importaretur. Civitas conductis ducentis navibus, & militibus impoſitis omnia circumquaque ſpoliat, & nudat cremando.

Diſcordia inter archiepiſc. & Colonienſ.

Conqueritur epiſcopus hanc injuriam fœderis initi conſortibus. Dux Brabantiæ igitur & Aquiſgranum ſeſe hoſtes declarant contra Colonienſes, militem conſcribunt & in *Lechenich* caſtrametantur. Dux Juliæ quia epiſcopum ſciebat præter æquitatem contra Colonienſes ſe opponere, in auxilium venire recuſat.

1376. Sub hæc tempora Helvetica fœdera cœpere, & generoſiſſimus dux Auſtriæ Lupoldus, ab Helvetiis victus occubuit. Vide Monſterum.

Bombarda inſtrumentum bellicum circa hæc tempora a quodam monacho invenitur. *Plat.*

Tuitienſes multo tempore fœdus cum Colonienſibus inierant, iiſdem privilegiis & communitatibus utentes; ſed videntes quod epiſcopus hoſtilem in Colonienſes animum deponere nollet, juramento ſeſe apud Colonienſes extra portam piſcatoriam exuerunt.

Tuitium a Colonienſibus eruitur.

His peractis ſenatus illico miſſis civibus armata manu juſſit valla foſſaſque circa Tuitium humo impleri, quod dicto citius factum eſt, imo ipſos Tuitienſes, ut opus adimpleant coëgerunt. Eodem anno epiſcopi milites maximam partem oppidi Tuitienſis igni concremarunt, Colonienſes quod reliquum erat igni conſumunt, civitatemque Tuitienſem plane evertunt. Eodem anno ſenatus Colonienſis ferreis palis Rhenum undique apud Bavaricam turrim muniunt, ne quid ab hoſte civitati vel molis detrimenti accidat.

Exciſa civitate Tuitienſi, illæſum ſervabatur monaſterium ſancti Hereberti, & parochia. Pars muri civitatis dictæ hodie apud Rhenum, & ruri prope vallum cernitur.

Eodem anno eligitur Wenceſlaus Germanus Cæſar. Regnavit annis 22. confirmatus a Frederico archiepiſcopo Colonienſi Aquiſgrani, quem Cæſar donavit 40000. aureorum coronatorum.

Eodem anno incendium maximum fuit in parochia ſancti Cuniberti: turris una cum campanis & tranſitu cremata ſunt.

Archiepiſcopus Coloniam obſedit apud portam ſancti Severini, injectis uno die ignitis globis, altero die rebus infectis obſidionem ſolvit.

Tuitienſe monaſterium deſtruitur.

Eodem anno circa feſtum D. Laurentii Colonienſes monaſterium S. Hereberti Tuitii deſtruentes, & parochiam, abbatiam & reliquam ſtructuram igni funditus devaſtabant, ne epiſcopus ibidem præſidium habere poſſet. Hanc ob cauſam cultus divinus & cantus octo annis interdictus fuit, multique etiam principes ſe hoſtes civitati declararunt: Cono epiſcopus Trevirenſis, epiſcopus Paderbornenſis, dux Brabantiæ, Aquiſgranum, dux Auſtriæ, imperator Romanus, multique alii tum comites & nobiles. Econtra Colonienſes in auxilium vocabant Engelbertum de Marca. Ipſo die S. Severini Colonienſes cum ſuis eruptiones faciunt, omnia igni devaſtantes, circa Bonnam & montana, *Burſtorff*, *Waldorff*, & multos alios pagos, prædam ingentem agunt. Tandem eodem anno concordia inita eſt inter epiſcopum & Colonienſes.

His temporibus apud Pragenſes publice docere cœpit Johannes Huſſ contra indulgentias, atque ex hac occaſione pernicioſi tumultus in Bohemia contra ſacerdotes & monachos exorti ſunt.

1378. In die ſancti Bernardi turris ſancti Martini, majores campanæ, & maxima pars fori piſcium igni cremantur. Turris iſta 116, annis ſine tecto nuda permanſit. Poſtea quidam civis Colonienſis prædives mercator, turrim altiſſimo tecto exornavit proprio ſuo ære.

1384. Fredericus archiepiſcopus Colonienſis igni devaſtat provinciam *Schonforſt* & *Monſchovv*.

1386. Tanta erat abundantia vini, ut plauſtrum quodlibet venderetur quatuor florenis valoris Colonienſis. Vas autem unius plauſtri vendebatur tribus florenis. Qui vero proprium vas habebat menſuræ dictæ dabat 1. florenum pro vino.

Bellum inter duciſſam Brabantiæ & ducem Juliacenſem.

1387. Johanna duciſſa Brabantiæ Wenceſlai relicta gubernabat aliquot annis Brabantiam. Cum vero Guilhelmus dux Juliæ vaſallus ejus eſſet ratione provinciæ *Cuck*, nec ſe ſubjicere duciſſæ & homagium acceptare vellet: duciſſa mota obſedit Graviam ingenti multitudine militum & equitum. Dux Welhelmus ſeſe defendens eorum maximum numerum interfecit. Hæc invocato rege Galliæ invaſit Juliacenſem ditionem cum 60000. equitum & peditum, quam circumcirca igni & populatione aſſidua funditus devaſtavit, itaut nihil reliquum ex pagis ſupereſſet.

1388. Rhenus intra alveum contrahebatur, taliſque ſiccitas erat, ut aqua fluvialis per plateas divenderetur & venalis haberetur.

Univerſitas Colonienſis.

Eodem anno Univerſitas Colonienſis initium ſumſit, & confirmata ab Urbano papa fuit, & privilegiis prout Academia Pariſienſis, dotata. Prima lectio in Theologia habita in ſummo in domo capitulari.

1389. Exurebantur vicus dictus *Lindtgaſſ*, forum piſcium, forum butiri Coloniæ.

Sub hæc tempora Welhelmus comes de Monte creatur a Wenceſlao imperatore dux de Monte.

1390. Morſenſes igni devaſtant Montenſem regionem Welhelmi ducis de Monte.

Tuitienſe monaſterium reſtauratur.

Circa hæc tempora reædificatur monaſterium S. Hereberti & parochia Tuitii, quod abbas ab imperatore contra Colonienſes multis precibus, & grandi pecunia obtinuit.

Engelbertus de Marca vaſtat diœceſim Colon.

1391. Comes de Marca Engelbertus conſcripto milite, in diœceſim Colonienſem irrumpit, devaſtans igni omnia circa Nove-

ſium, Sontinum uſque ad villam Sylvam, hinc circa villam in *Wyſſ* uſque, inde Bonnam circa Rhenum, inde circa montana *Waldorp*, *Gemenich*, *Lechenich*, *Liblair*, inde uſque *Romerßkirchen*, item ditionem Kempenſem, nihil intactum reliquit per novem dies integros ſæviens; proinde ingentem prædam ubique exactiones exigendo abegit.

1392. Mola in novo foro ædificari cœpta eſt.

1393. Turris nova exædificari incœpta eſt a Welhelmo duce de Monte, ſancti Severini Coloniæ.

1396. Quindecim tribus, quas Trajanus Cæſar Roma Coloniam traduxerat ad hæc uſque tempora rerum gubernacula tenuerant, civitatemque per ſucceſſionem gubernaverant. Quum vero ſæpiſſime cives tumultuaſſent contra archiepiſcopum & ſcabinos, incœperunt tandem etiam & his ſeſe opponere, & vi quadam eas tribus e ſede tribunitia ejecerunt, ſibique promiſcue gubernandi licentiam adſcripſerunt. Sic elegerunt conſules ex plebe, & ſenatores. Tunc primum erecta eſt domus ſenatoria, quæ antea dicebatur domus civium. Tunc abrogatæ ſunt leges & judicia in domibus, vulgo *Diegebuir hußeren*, quæ adhuc hodie in templis parochialibus conſervantur. Tunc litteræ concordiæ confectæ ſunt, quæ ſingulis annis inter cives congregatos legi ſolent. Tunc communitates ſive ut vulgo loquuntur *Gaſſelen* erectæ ſunt, antea ſolebant habere fraternitates.

Bellum inter ducem de Monte & comitem Clivorum.

1397. Welhelmus dux de Monte cum ſuis armata manu contra comitem Clivorum Adolphum, & Deodorum fratrem ſuum comitem de Marca venit; erant ex ſorore ducis nepotes. Fit prælium atrox prope Clivos, dux Wilhelmus victoria in primis potitur, captivatque plurimos ex equeſtris ordinis viris. Weſalienſes tandem ad prælium magna manu venientes & ſuppetias Clivorum comitibus ferentes, vice verſa ducem ſuperant. Hunc, & comites de Salmone & Scyna; item equites & dominos de *Lymsberch*, *Reifferſcheitt*, *Weſterberch* cum aliis multis nobilibus captivos abducunt; multo lytro redemptos tandem ad ſua dimittunt.

Eodem anno Deodorus comes de Marca obſidione cinxerat Erverfendenſe oppidum 14. Martii, eodem die ſagitta percuſſus a quodam Saxone interiit.

Eodem anno Wenceſlaus comitatum Mediolanenſem erexit in ducatum.

Montenſis comitatus devaſtatur.

1399. Ex comitatu de Marca erumpentes milites & ad hoc deputati in ducatum Montenſem, omnia devaſtarunt igni & gladio, ceperunt præclariſſimum pagum *Mulhem*, & deſtruxerunt.

Rupertus imperator eligitur.

1400. Depoſito Wenceſlao propter turpiſſimam ſuam vitam, in ejus locum electus eſt Rupertus comes Palatinus Rheni, qui imperio præfuit annis decem.

Poſt Urbanum VI. factus eſt papa Bonifacius IX. Hic juvenis admodum exiſtens, cognatis nimium tribuens, & indulgentias venales omnibus proponens, claves papæ in contemtum perduxit. Idem primi anni reditus omnium beneficiorum (quæ annatæ dicuntur) ſibi ſuiſque ſucceſſoribus decreto ſuo aſſignavit. Annatæ quid.

Rupertus Coloniam a tribus archiepiſcopis introducitur & coronatur in ſummo altare, qui & Evangelium cantavit in ſummo ſacro, Frederico archiepiſcopo Colonienſi celebrante. Rupertus in Coloniæ imperator renatus.

1405. Montenſes a Frederico archiepiſcopo Colonienſi, & ab ipſis Colonienſibus miſere devaſtantur, & eorum oppidula & pagi comburuntur, eo quod Adolphus dux patrem ſuum Welhelmum ducem Montenſem in vincula conjeciſſet, & cuidam prædoni Arnoldo de *Oeſt* contra Colonienſes perfugium & aſylum præbuiſſet. Montenſes Colonienſib. devaſtantur.

1406. Epiſcopus Leodienſis male cum ſuis civibus conveniebat, dictus Johannes Bavarus, quare fugiens auxilium a domino de *Hinßberch* petiit: hic in auxilium veniens igni Eburones circumquaque devaſtavit. Johannes Bavarus epiſc. Leodienſis.

Clerus tres integros annos Wormatiam deſerunt propter ſeditionem inter clerum & cives exortam.

1407. Turris illa altiſſima & ſpecioſiſſima ſenatoria Coloniæ initium ſumpſit, & ſeptem annis continuis perfecta exædificata fuit. Sumptus hujus turris 50000. florenorum, quæ ſumma a proſcriptis ſcabinis collecta fuit. Turris ſenatoria.

1408. Rhenus frigore acutiſſimo conſtringitur, adeo ut facile tranſeuntibus a porta ſalina iter præberet, quo quiſque vellet. Ipſa converſionis Pauli glacies frangitur, molas multas, fortiſſimas naves fruſtatim comminuit.

Univerſitas Heydelbergenſis a Ruperto fundatur. Moritur hic bonus imperator anno 1410. Univerſitas Heidelbergenſis.

Anno Domini 1402. in profeſto D. Auguſtini dominus Fredericus archiepiſcopus Colonienſis, confirmavit Johannem de Puteo electum præpoſitum monaſterii noſtri ſuburbani Noveſienſis, & retinuit nomen præpoſiti uſque ad annum Domini 1430. quarta die Maii, quando capitulum Nuſſienſe unitum capitulo Windeſemenſi, tunc ſervato in Brilis. Eo tempore per noſtros patres aſſumtus eſt habitus capitiorum, capparum, ſubtilium, quem antea non habebant. Primus itaque prior fuit dominus Egidius *Bocherol de Romerſſvvaill* doctor U. J. poſtulatus in concilio Baſilienſi anno 1434. De monaſterio ſuburbano.

Monaſterium canonicorum prope *Gaeſſdunck* ſe ſubjicit ac unit cum domo ſuburbana Noveſienſi anno 1407.

1412. Similiter ſubjiciunt ſeſe alia mona-

ſteria prope Noviomagum in Zwollis, in *Badickem*, quorum unionem & ſubjectionem approbavit Fredericus archiepiſcopus Colonienſis; dans nonnulla privilegia & leges præſcribens. Quæ poſtea privilegia & leges a Theodorico archiepiſcopo Colonienſi confirmantur anno 1415.

Sigiſmundus fit imperator.

Sigiſmundus fit imperator filius Caroli IV. marchio Brandeburgenſis, Hungariæ & Bohemiæ rex, eruditione & ſapientia clariſſimus princeps anno 1411.

Conſtantienſe concilium.

1414. Conſtantienſe concilium inchoatur, & quatuor annis perfectum eſt: ad quod pontifex Johannes ipſe venit.

Imperator Sigiſmundus ſub natalem Domini Conſtantiam venit, & in miſſæ ſacro tamquam diaconus Evangelium cecinit: Exiit edictum a Cæſare Auguſto. Poſtea de Johanne *Huſſ* tractatum eſt, & damnato ejus dogmate una cum Hieronymo Pragenſi exuſtus eſt. Tres ſummi pontifices depoſiti ſunt Johannes XXIII. Gregorius XII. Benedictus XIII. in quorum locum ſuffectus eſt Otho de Columna, qui Martinus quintus dictus eſt, qui ſedit annis 13. menſibus 3. Porro cum pœniteret Johannem XXIII. quod ultro conſenſiſſet in abdicationem pontificatus, clam fugam meditabatur, adjuvante eum Fridrico Auſtriæ duce: ſed inter fugiendum retractus eſt per Cæſarianos Johannes. Dux Auſtriæ vero proſcriptus eſt a Cæſare, direptis aliquot pagis in ejus ducatu: ſed quum ſupplex condonationem criminis precaretur, clementia & humanitate imperatoris in Auſtriacum ducatum reſtitutus eſt.

Johannes papa deſtitutus Ludovico Palatino comiti ſervandus eſt traditus. Is abduxit cum in arcem *Manheim* non longe ab Heydelberga civitate, ubi triennii ſpatio ſervatus eſt. Inde a Martino papa in gratiam receptus cardinalem egit. Sic tandem tranquillitas eccleſiæ reſtituta eſt, idque ductu & ſtudio Sigiſmundi imperatoris.

Comitatus Clevenſis erectus eſt in ducatum.

Eodem anno 28. Aprilis in concilio Conſtantienſi comitatus Clevenſis erectus eſt a Cæſare Sigiſmundo in ducatum maxima celebritate; primus dux factus eſt Adolphus, comes Clevenſis.

Fridericus archiepiſc. obit.

Fridericus archiepiſcopus Colonienſis caſtrum *Zonſſ* munivit, & oppidum muro cinxit, condidit ibidem eccleſiam quam monaſterio Braweiler incorporavit. Tandem laudatiſſimus princeps, cum annis 44. laudabiliter præfuiſſet, Bonnæ obiit anno 1414. die 9. Aprilis. Sepultus Coloniæ in ſummo templo, juxta D. Reinoldum. In eodem ſacello miſſam de B. Virgine in figurativo-quotidie decantari ſuis ſumptibus ordinavit.

Theodericus de Morſſa archiepiſc. Colonienſis.

Eodem anno Theodoricus de Morſſa præpoſitus Bonnenſis archiepiſcopus Colonienſis creatur, nonnulli vero capitularium contra hunc elegerunt Welhelmum Montenſem de *Ravenſbergh*, qui erat epiſcopus Paderbornenſis. Hic reſignata eccleſia ſua, Theodorici neptem comitiſſam de *Tecklenburgh* duxit uxorem. Inde Theodoricus per Welhelmi reſignationem adminiſtrator Paderbornenſis factus eſt.

1415. Archiepiſcopus Coloniæ inauguratur, multamque pecuniam mutuo a ſenatu & civibus accipit. Inimicitias ingentes habuit cum Montenſibus; quare miſſis militibus maximam partem in montanis igni abſumit, multoſque occidens ſigna abſtulit.

Tuitium incendiunt.

1416. Montenſes ſequenti anno Tuitium igni cremant, ne ibidem archiepiſcopus præſidium ſibi ſumeret. Idem traducentes 6000. equites Colonienſem provinciam longe lateque circa villam Sylvam devaſtant, flammiſque in cineres redigunt.

Eodem anno imber ingens nocte de cœlo ex improviſo lapſus, maximam civitatis partem dictæ, monaſterium Eyffliæ cum muro & portis avexit, multi homines aquis ſuffocati ſunt. 200. inventi ſunt mortui ſeſquimilliarii ſpatio ab oppido. Item 3000. bruta animantia, ſed domeſtica fructum civibus adminiſtrantia.

Eodem anno archiepiſcopus rurſum cum ſuis militibus aſſumpta Colonienſi civitate in auxilium, Montenſes inviſit, iis damna ingentia prædando & cremando inferens. Sed eodem anno intercedente Sigiſmundo pax firmatur inter epiſcopum, Montenſes, & Colonienſes.

Pax inter Montenſes & Colonienſes.

1418. Archiepiſcopus rurſum movetur contra Colonienſes ratione exactionum in civitate quas ſibi aſcripſerat, & de jure ad ſe ſpectare aſſerebat: ſed Colonienſes id ei denegarant. Quare archiepiſcopus alios invocat principes in auxilium. Colonienſes hujus conatum metuentes, ducem Montenſem invocant, qui ut præſidium contra ſuum archiepiſcopum Tuitii ædificarent fortiſſimum, ad defendendam civitatem permiſit. Saxo quoque civitati ſuccurrit maximo equitatu, qui depopulantes totam Colonienſem provinciam igni & gladio damna maxima intulerunt.

Bellum inter archiepiſc. & Colonienſes.

1419. Cives Colonienſes una cum duce Montenſi armata manu *Woringen* invadunt, caſtrum ibidem & pagum ipſum igni funditus cremant, ingentem prædam agunt, armenta, pecudes, omneſque captivos homines Coloniam abducunt.

Univerſitas Lovanienſis.

Eodem anno Academia Lovanienſis in Brabantia a Johanne Burgundiæ duce inſtituta, a Martino V. pontifice Romano confirmatur. Anno 1426. lectiones a facultatibus ſingulis legi incœptæ ſunt.

1423. Judæi Colonia expelluntur, atque ut in perpetuum protectione Colonienſis civitatis careant, novis legibus firmatur.

Eodem moritur Reinaldus dux Juliæ & Geldriæ anno, in vigilia Johannis Baptiſtæ, nullis poſt ſe relictis hæredibus, ſimulque

cum eo insignia sua, & scutum sepeliuntur, erat enim postremus dux Juliæ & Geldriæ. Geldri quemdam Egmondanum Arnoldum nomine in ejus locum assumunt. Sed Juliacenses ducem Montensem sibi deligunt.

1424. Theodoricus archiepiscopus Colonienſis maximam simulans amicitiam cum Gerhardo duce Clevensi & comite de Marca, eo ipsum adduxit blandiendo, ut Cæsaris-Werdenam una cum teloneo ecclesiæ Colonienſi in perpetuum resignaret, & donaret; quod bonus princeps in ecclesiasticos valde propensus nullis obstantibus facile consensit. Quare indignatus fuit in archiepiscopum & fratrem suum Adolphus Clevorum dux, & ab isto tempore sæpissime repetitum fuit oppidum una cum teloneo a ducibus Clevorum usque ad nostra tempora, etiam numeratis pecuniis, sed frustra laborarunt. Archiepiscopus Colonienſis Gerhardo Clevensi promiserat ducatum Clevensem ipsi daturum & comitatum de Marca, ideoque collectis VII. episcopis & quinque ducibus cum ingenti milite & cum XVI. comitibus & aliis multis equestris ordinis viris, cum maximo exercitu ducatum Clevensem invadunt & depopulantur tres integras hebdomadas. Tandem pax a duce Burgundiæ & Brabantiæ confirmatur. Hæc expeditio tanti constiterat archiepiscopo Colonienſi, ut totum fere episcopatum suum oppignoraret. Similiter plurimis dispendiis expeditionem in Bohemiam contra Hussitas faciebat, itaut parum reliquum erat in diœcesi quod ære non gravabatur alieno.

De monasterio suburbano. Liberalitas Gerardi ducis Clevensis.

Gerardus Clevensis in ecclesiasticos valde liberalis fuit, apud nostrum monasterium pro fratribus ædificavit domum excelsam & spacioſam, quæ nominabatur domus Clevensis. Fratribus Corporis Christi vineam donarat prope monasterium suum in Colonia. Carthusianis ibidem multa contulit beneficia.

Juliæ & Montis ducatus adunati.

1426. Rupertus filius ducis Adolphi de Monte, uxorem duxit Reinaldi Juliæ ducis viduam relictam; sicque ducatus Juliæ & Montis in unum copulati & adunati sunt usque ad nostra tempora. Nuptiæ celebratæ sunt Coloniæ. Archiepiscopus Theodorus sponsum sponsamque copulavit ipso die S. Matthiæ apostoli in quadragesima.

Judæorum synagoga Coloniæ extincta.

Eodem anno synagoga Judæorum, iis ut supradictum est expulsis, in templum Dei consecratur in honorem beatæ Mariæ Virginis, nominaturque capella ad S. Hierusalem. Duravit synagoga quadringentis & quatuordecim annis.

1427. Scabini altumque judicium Coloniæ jus apprehendendi inque carceres conjiciendi, vel etiam arrestandi cives & incolas perdiderunt. Ab illo tempore senatus id jus sibi tribuerunt, & servarunt.

Dux Burgundiæ Brabantiæ

Mortuo duce Brabantiæ Philippus dux Burgundiæ repudiata & profligata uxore duA cis defuncti, quæ maritum in Anglia viro primo superstite acceperat, Brabantiam, Flandriam, Hollandiam, Zelandiam armata manu ingreditur & occupat, occisis multis hominum millibus. Provinciæ hæ ad ipsum Burgundum spectare videbantur, erat enim proximus sanguine, adeoque Brabantiæ ducis nepos.

Brabantiæ ducis armata manu ingreditur.

1428. Per totum imperium collecta fuit ingens pecuniæ summa ad extirpandos Hussitas in Bohemia; colligebatur Coloniæ tam a clero quam a civibus, fœminis, puellis, pueris promiscui sexus. Mille florenorum dives dabat duos florenos: ducentorum, dabat medium florenum, fœminæ ceterique nemine excepto dabant quisque pro se tredecim denarios. Collectam pecuniam senatus Norimbergam mittit.

Collecta ad extirpandos Hussitas.

1430. Capitulum Nussiense quod constabat duodecim monasteriis, sese copulavit ac submisit capitulo Windesemensi, atque ita ex duobus unum est conflatum. Catalogus quoque mutatus est, nostraque domus Novesiana post Windesemensem secundum locum obtinuit, cum hac inscriptione: Domus beatæ Mariæ Virginis prope Nussiam, diœcesis Colonienſis. Hanc unionem & subjectionem summus pontifex Martinus V. confirmavit, quam confirmationem de verbo ad verbum adjicere libuit.

Domus Novesiana.

Martinus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis sancti Andreæ Colonienſis, & beatæ Mariæ ad gradus Colonienſis, ac sancti Martini Embricensis Trajectensis diœcesis ecclesiarum præpositis salutem ac apostolicam benedictionem. Apostolicæ nobis, licet immeritis, desuper injunctæ servitutis officium nos curis perurget assiduis, ut circa ea provisionis opportune dirigamus auxilia, per quæ monasteria aliaque pia loca, & in illis sub regulari castimonia pie vacantes studio, vitæ salutarem contingant existentiam, ac laudabilibus in Domino possint proficere jugiter incrementis. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum præpositorum, priorum & conventuum beatæ Mariæ extra muros Nussienses, & in Windesheim ac illis subjectorum, quorum aliqua per præpositos, & nonnulla per priores gubernari consueverunt, ordinis sancti Augustini, provinciæ Colonienſis, & illi vicinarum partium monasteriorum petitio continebat, ipsi qui professionis ejus, sed in aliquibus disparis habitus sunt, & cum diversorum nominum præsidentibus diversa capitula celebrarunt hactenus, ut inter eos regularis disciplinæ vigor amplius propagetur, similem habitum gerere & unum generale fratrum Carthusiensis ordinis adinstar capitulum, cujus & eorum unus superior sit celebrare, necnon regularia, si qua in eis circa divinorum officiorum celebrationem vel alias differentia seu diversitas existat, dictorum monasteriorum instituta conformari ferventer exoptent. Nos eorum in hac parte supplicationibus inclinati,

nati, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus veſtrum, ſi eſt ita, & illorum quorum intereſt ad id accedat aſſenſus, convenientem & uniformem, quem omnes & ſinguli præſentes ac futuri prædictorum, necnon eis pro tempore ſubjiciendorum monaſteriorum canonici deinceps geſtent habitum, auctoritate apoſtolica deputetis ac deſignetis, & qualiter dictorum monaſteriorum ſuperiores inantea nominari debeant explicetis, quodque illorum omnium veluti capat unus qui Generalis Prior vocetur ſuperior ſit, ac inter eos dictorum more fratrum ſingulis annis permiſſum, quod ipſe Generalis Prior indicere habeat, capitulum celebretur; necnon circa celebrationem officiorum & obſervantiam inſtitutorum hujuſmodi in monaſteriis prædictis, ut in illis conformitas ſit & alias ſuper his, ac circa ea auctoritate præfata ſtatuatis & ordinetis, ſicuti vobis pro ſalubri ſtatu felicique directione monaſteriorum & canonicorum eorumdem viſum fuerit expedire, quibuſvis privilegiis, gratiis & indultis, quæ dictis monaſteriis & canonicis quomodolibet conceſſa ſunt, quoad alia in ſuo robore permanſuris, non obſtantibus conſtitutionibus apoſtolicis, ac monaſteriorum & ordinis prædictorum, juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctos apoſtolos XI. *Kalend. Novembris, pontificatus noſtri anno* XI.

Conceſſit hic pontifex ordini & capitulo noſtro multa privilegia in ſtatutis noſtris comprehenſa, necnon nonnullos ordinis conſervatores, prout videre eſt in ipſis privilegiis.

1431. Mortuo Martino V. papa factus eſt ordinis Cæleſtinorum Eugenius IV. Venetus. Sedit annis XVI.

Sigiſmundi hiſtoria cum nautico quodam.

Is Romæ coronavit Sigiſmundum Cæſarem. Narratur de Sigiſmundo hiſtoria admodum feſtiva. Miniſtrum familiarem habuit multis annis, in quem parum fuerat liberalis, quamquam interim munificentia & largiendo clariſſimus erat princeps. Porro accidit ut cum amnem eſſet ingreſſus, equus ipſius mejeret: quod ubi vidiſſet miniſter, qui prope antecceſſit Cæſarem, per jocum inquit, equi eamdem eſſe naturam, quam & Dominus haberet. Atqui audiens hoc ipſum per occaſionem Cæſar, mirabatur, jubebatque indicari ſibi hoc dictum: reſpondit miniſter: In amnem ſpargere urinam equum, ubi jam antea aquæ abundarent: ſic & erga illos beneficum eſſe Cæſarem, quibus jam antea opes adfluerent ſatis, nec haberent illis admodum opus. Animadvertit imperator Sigiſmundus perſtringi ſe modeſte, quod in miniſtrum jam veteranum nihil beneficii peculiaris aut eximii contuliſſet: & ſubjecit numquam quidem ſibi benemerendi voluntatem defuiſſe, ſed principum dona non illorum eſſe proprie, qui ea mererentur, ſed quibus ſint deſtinata fato. Et id re comprobaturum dixit, quum primum otii & quietis occaſio tantiſper daretur. Poſtea otium nactus Cæſar, pyxides duas parari juſſit magnitudinis & formæ ejuſdem. In una aurum in altera plumbum ponit pondere eodem, & miniſtro advocato præcepit ut alteram pyxidem deligeret. Conſternatus miniſter librando modo hanc, modo alteram pyxidem tollit, neſciens utram debeat potiſſimum eligere: tandem eam aufert pyxidem quæ plumbum continebat. Quod ubi conſpexit ille, jam recluſa pyxide aiebat Cæſar, videri palam non ſuam voluntatem, ſed ipſius infortunium obſtitiſſe hactenus, quominus beneficium ſit conſecutus. Teſtatur ſane hoc factum prudenter conſideraſſe Cæſarem, felicem ſucceſſum rerum a Deo contingere.

Geldrenſes ditionem Juliacenſem ſibi ſubdere conantur.

1433. Geldrenſes depopulantur igni ferroque Juliacenſem ducatum, idque facili negotio facere potuerunt. Erant enim equeſtris ordinis viri & nobiles, etiam dominus de *Hinſberch*, in terra Juliacenſi magis inclinati Geldrenſibus quam duci Montenſi, cui per obitum Roberti filii ſui ſponſi filiæ ducis Juliacenſis, ducatus Juliacenſis ceſſerat. Iſtæ irruptiones & depopulationes Geldrenſium quatuor annos durabant; miſere igitur iſte ducatus depauperabatur. Eodem anno Arnoldus dux Geldrenſis maximo exercitu contra Montenſem veniebat, certando uter eorum ducatum per potentiam poſſideret. Timens vero Montenſis dux, ne a ſuis Juliacenſibus nobilibus deſereretur & proderetur, auxilium a Colonienſibus petens facile obtinuit. Colonienſes in auxilium mittunt duo millia equitum, cum ſagittariis & levis armaturæ militibus. Geldrenſes intellecto Colonienſium adventu, ex ducatu Juliacenſi fugiunt, nec prælium inire auſi fuerunt.

Concilium Baſileenſe.

1434. Concilium Baſileenſe vivente adhuc Sigiſmundo imperatore cœpit. In hoc concilio tractatum fuit & commiſſum quod noſtrum monaſterium in perpetuum providere debeat conventui monialium Vallis Angelorum de idoneo rectore ex noſtris, moniales econtra ipſum neceſſariis veſtimentis ſuſtentare debent. Deſuper confecta ſunt diplomata, per Nicolaum Cuſanum cardinalem executa & confirmata.

Tempeſtas ingens.

Eodem anno ſuſpenditur Judæus quidam Coloniæ. Sequenti nocte tanta exorta eſt tempeſtas ex plaga ſeptentrionali, ut naves omnes conflictarentur in Rheno. Plumbum de templis & domibus dejiciebat, laminas nonnullas ultra Rhenum Tuitium trajiciebat per aëra. Altas turres dejiciens in domuum tecta, multos homines occidebat. Multas arbores una cum radicibus ſuis ex terra eradicabat. Molas ſubmerſit, terram concutiens tremere faciebat. Saxum ingens ex ferreis ſuis ligaturis ſupra tecta majoris eccleſiæ

ſtans, tanto impetu per tecta & laquearia dejeci, ut ferrei cancelli trium Regum (juxta quos cecidit, ut hodie oſtenditur,) Caſſii & Florentii reſilirent, & de loco moverentur.

Theodori archiepiſc. exactiones.

1435. Theodorus archiepiſcopus Colonienſis intolerabiles exactiones per totam dioeceſim clero & ruſticis imponens, multam ſibi invidiam conparavit, cuique ſecundum reditus annuos, lucra & mercedem, etiam de quacumque perſona, & cum emuncti eſſent pagi, nec plus contribuere poſſent, eos certa pecuniæ ſumma multavit & oppignoravit. Famuli ac famulæ in Weſtphalia ſeſe iniquis his exactionibus opponentes, reſponderunt ſe malle alio divertere, quam his mandatis parere.

Noveſienſes quoque ſe conſtanter oppoſuerunt, nihil ſe epiſcopo præter ſolitam exactionem largituros affirmabant, quemadmodum idem archiepiſcopus in inauguratione ſua illis juraverat.

Eodem anno conſecrata eſt eccleſia Corporis Chriſti & cimeterium in die Gereonis, a Johanne *Schlechter* Tremonienſi ordinis fratrum Minorum ſuffraganeo Colonienſi.

1436. Pax inita eſt inter Geldrenſes, Montenſes, & civitatem Colonienſem, qui ante graviſſima geſſerant bella, & cum pagi exuſti eſſent, ruſtici ex ſuis ſedibus pulſi, totaque regio Juliacenſis devaſtata.

1437. Fuſa eſt major campana in ſummo, timas enim duxerat, additis 2000. libris, ſicque pondere valebat 25000. talentis capax quatuor plauſtrorum menſuræ.

Adolphi ducis Montenſis obitus.

Eodem anno Adolphus dux Montenſis moritur Coloniæ in abbatia S. Martini. Erat vir bellicoſiſſimus; tamdiu bella geſſerat uſque dum eſſet pauperrimus. Montenſes & Juliacenſes inaugurabant fratris ſui filium Gerhardum de *Ravenſburch*. Cum omnia eſſent vel devaſtata vel oppignorata, ut ducatus ſeipſos ſuis proventibus redimerent, dux Gerhardus in ditionem *Ravenſburch* proficiſcitur, ſumtis ſecum 14. equis, ibique quatuor continuis annis manens parce vixit.

Johannis de Loen D. de Hinſsbere.

1439. Obiit Johannes de *Loen* dominus de *Hinſsberch*. Erat hic quidem vir bellicoſus, ſed prædator inſignis, hac ratione multas ſibi quærebat divitias. Unum filiorum ſuorum epiſcopum Leodienſem, alterum Gerhardum nomine in comitem ſublimavit, licet fuiſſet de nobili non admodum familia.

Alberti imperat.

1440. Poſt obitum Alberti Cæſaris, quem veneno quidam epiſcopus de Granen e medio ſuſtulerat, deſignatus Cæſar eſt Fridericus tertius hujus nominis, Auſtriæ dux. Imperio præfuit annos 53.

1443. Philippus dux Burgundiæ ducatum Lucemburgenſem ſibi ſubjicit, expugnato prius & ſpoliato Lucemburgo.

Circa hæc tempora maximi tumultus inter archiepiſcopum Theodorum & Suſatum exorti ſunt, idque propter frequentes exactiones & bella. Tandem anno 1444. Suſatum declinavit ab epiſcopo Colonienſi ad ducem Clevenſem cui jurarunt. Statim vero poſtquam Clevenſes facti ſunt epiſcopo bellum indicentes, hoſtes facti ſunt. Dux quoque, Clevenſes ſimiliter ad arma venientes, undique flamma & rapina depopulati ſunt plurimos pagos & caſtra. Epiſcopus Bohemos in Weſtphaliam introduxit, eccleſiæ ſuæ ſubjiciens *Beylſtein* & *Fredeberch*, quæ antea Clevenſium erant. Suſatum aliquoties oppugnantes Colonienſes, nihil effecerunt. Bellum inter archiepiſc. & Clivenſes.

1444. In die ſancti Huperti mane veniens Arnoldus dux Geldriæ & frater ipſius de *Egmunt* ſecum adduxit 1200. equites in terram Juliacenſem, quam igni & rapina depopulati ſunt, in cineres redigentes decem & ſeptem pagos. Gerhardus dux Juliæ & Montium, conſcribens nobiles ſuos... qui dicto audientes congregati ſunt apud ducem ſuum in finibus ducatus ſui, per quos regrediendum Geldrenſibus ſpoliis jam bene onuſtis erat. Itaque dux Gerhardus cum ſuis in inſidiis latitans hoſtes expectat. Quos ubi adventantes advertit, ſubito in eos primus irruit, fugavit, multoſque occidit, & captivos plurimos abduxit, nempe Egmundanum fratrem ducis Geldriæ, & Satrapam ducatus ſui, Johannem de *Broichhauſſen* belli hujus principalem auctorem, nobiles alios numero 64. Theſaurum ingentem Geldrenſes amiſerunt. Quam ignominiam ut vindicarent noctu in ducatum Juliæ ſæpenumero irruunt, pagos villaſque incendunt, timentes ducis Juliæ animoſitatem, & ad vincendum a Deo auxilium. Ob hanc victoriam ſancti Huperti dies a Juliacenſibus feſtiva & celebris in perpetuum obſervari indicitur. Pugna Juliacenſium in die S. Huperti.

1445. Tuitium a Clevenſibus ſpoliatur; Judæorum qui ibi habitabant bona diripiuntur, abacta præda ipſum Tuitium igni crematur.

1446. 17. Aprilis mare adeo ſæviens exæſtuabat, ut apud Dordracum aggeres impulſu frequenti & fluctibus impellentibus, perfringeret, multamque circumcirca regionem mergeret, cujus adhuc viſuntur turres in mari (ubi tranquillum eſt) altiſſimæ. In hac inundatione pluſquam centena hominum millia aquis ſuffocata ſunt.

Eodem anno Suſatenſes irruptiones faciunt in exercitum archiepiſcopi obſidentis civitatem, multos occidunt, ducentos equites captivos in civitatem ducunt. Comes de *Wytgenſtein* præpoſitus S. Gereonis in conflictu occumbit, & nobilis de *Naſſavv*. Suſatenſes captivorum equos, & arma venalia 9060. flor. exponunt. Captivi triginta & novem millibus florenis redimuntur aureorum. Sequenti anno archiepiſcopus Cæſarem invocat, ut Suſatenſes rurſum ad obedientiam De obſidione Suſati.

compelleret: mittit is fratrem ſuum cum ingenti militum multitudine. Dominos de *Sternenburch* in Bohemia quoque ad auxiliandum implorat, qui ſtatim 26000. Huſſitas archiepiſcopo mittunt. Saxo etiam & epiſcopus Hildeſemenſis miſſis militibus ſuccurrunt. Theodorus archiepiſcopus ex ſua diœceſi ingentem exercitum conſcribit; horum omnium habito delectu, arbitrabatur Suſatum totumque ducatum Clevenſem ſe eſſe expugnaturum. Ante vero quam Bohemi advenirent quicquid obvium erat diripiunt, pagos villaſque devaſtant & incendunt. Limgoviam igni cremant. Lippe 14. dies fruſtra oppugnant, licet muros, turreſque tormentis bellicis dejeciſſent. Suſatum tandem venientes, monaſterium S. Walburgis facile expugnant, quod prope muros ſitum erat. Dux Clevenſis cum valido præſidio urbem ante tuendam ingreſſus erat, paſſus in ea & monaſterio obſideri. Vix autem ipſe hoſtium manibus elapſus, expugnato monaſterio, effugerat in civitatem, relictis ex ſuis multis, a Bohemis occidebantur. Oppugnavit itaque archiepiſcopus Suſatum toto menſe, apparatiſque magna multitudine ſcalis, ſtatuit variis ſimul locis invadere murum. Oppidani vero miſerunt lapides & trabes in hoſtium aſcendentium cuneos, ſed omnium validiſſimum defenſionis erat genus; ſartagines in muris diſponebant per intervalla, ſubjecto igne, pultes in aquis bullienti fervore miſcebant, & hunc liquorem ferveſcentem fudere in armatos jam muris proximos. Tali tandem modo defenſi muri, periere ex ſcandentibus plurimi. Archiepiſcopus eo accepto incommodo oppugnationem deſeruit, & ad hoc uſque tempus Suſatum in jure ducis Clevenſis permanſit. Bohemi videntes ſe fruſtra in oppugnatione laborare, illam deſerunt, & frendentes archiepiſcopum adoriuntur, qui fuga ſaluti ſuæ conſulens in *Geisken* aufugit. Hi quoque dominium *Ravenſsburch* invadunt, in eo devaſtant templa deorum & monaſteria promiſcui ſexus. Calices, ciboria, & ſimilia aliaque ornamenta rapiunt, venerabile ſacramentum Corporis Chriſti in terram effundentes. Moniales porro vetulas cremabant paſſim, juvenculas vero ſecum abducebant. Habuit Colonienſis in ſuo exercitu octoginta millia militum, ex quibus interierunt 15280. Hoc bello archiepiſcopus fere totam ditionem ſuam abſumpſit, nullum erat oppidum, nullum caſtrum quod ære alieno gravatum non erat; telonea & pagi ſimiliter, vel oppignorata vel penitus devaſtata, adeo ut parum in eis juris vel archiepiſcopus vel capitulum majoris eccleſiæ haberet; pariter & capitulum & archiepiſcopus ſigilla appendebant, & quum ſolvendo non eſſent, in excommunicationem incurrebant, quare cultus divinus interdictus in ſummo non obſervabatur.

1450. Johannes Fauſtus (quem Gutmannum vocant) cum Petro Schœfero Moguntiæ artem Typographicam invenerunt. Typographiæ inventio.

1451. Peſtis adeo Coloniæ ſæviebat ut a feſto Pentecoſtes usque Nativitatem Domini morerentur 21000. hominum.

Eodem anno Fridericus imperator in Italiam proficiſcitur, & celebri apud omnes honore excipitur, in Senenſi urbe cum ſponſa ſua Leonora regis Portugalliæ filia nuptias perfecit. Romæ a Nicolao v. ſummo pontifice una cum regina conjuge coronatus eſt 18. Martii anno 1452. Friderici imper. Romæ inauguratio.

1453. Maii 29. poſt diutinam obſidionem, & graviſſimam tandem oppugnationem Mahometes Amuratæ filius cognomento Magnus Turcarum imperator urbe Conſtantinopoli potitus eſt, in eaque tantam crudelitatem exercuit, ut nulla id queat oratione explicari. Cæſar Conſtantinus inter fugiendum prope portam urbis trucidatus eſt. Ejus amputatum caput cuſpidi infixum circumferri per urbem voluit Turca: juſſit & crucifixi Chriſti imaginem erigi in urbe, & ſuperinſcribi: Is Chriſtianorum Deus eſt. Præcepit autem eam ſtercoribus projectis ignominiæ cauſa conſpurcari. Cæſaris conjux & filiæ una cum aliis honeſtioribus matronis in convivium pertractæ ſunt, atque ibi primum conſtupratæ, poſtea fruſtulatim diſſectæ. Turcæ beſtiis immaniſſimis crudeliores. Conſtantinopolis expugnatio.

1454. Gerardus dux Juliæ & Montium accepta in uxorem virgine juvencula, cum qua poſteaquam aliquot annos jucundiſſime vixerat, nec tamen prole aliqua augebatur. Quarepoſtmodum deſperans de exſuſcitanda prole, fœdus iniit cum Theodoro archiepiſcopo Colonienſi, accepta immenſa pecuniæ ſumma, hac conditione: ut ſi obiret ille nullis poſt ſe relictis liberis, quod tum ducatus Montenſis eccleſiæ Colonienſi cum omnibus ſuis juribus & privilegiis cedere deberet, & in perpetuum manere: Sin vero poſt ſe proles relinqueret aut ſaltem gigneret, quod tum dominium in Blankenberch pro ſumma expoſita oppignoratum maneret. His ita geſtis contigit ducem duos gignere filios, itaque iſte contractus irritus permanſit, ducatuſque filiis rurſum aſſignatus. Fœdus inter Juliæ ducem & archiepiſc.

1454. Pueri de 8. 9. 10. 11. & 12. annis turmatim ex omnibus pagis, civitatibus villis totius Germaniæ, & Galliæ, & aliarum nationum ad ſanctum Michaëlem in Normandiam proficiſcuntur nullo ſecum ſumto viatico, ſed abunde ſatis in via cibi potuſque adminiſtrabatur eis. Ubi eo ventum, vexillum quod ſinguli ex ſingulis locis præferebant, in quo S. Michaël, & domini loci ſigna picta erant, ibidem S. Archangelo offerebant.

1462. Monaſterium ad Machabæos igne caſuali exuritur excepto templo.

Monaſterium Montis-mariæ.

Tempore archiepiſcopi Theodori monaſterium virginum regularium, quod Mons Mariæ vocatur, initium habuit a prædivite quadam matrona Noveſienſi. Situm eſt hoc monaſterium apud portam vulgo *Pfaffenport* Noveſii, & muris civitatis innixum, quod certe infauſtum & reipublicæ & toti provinciæ diœceſeos Colonienſis fuit. Nam per hortulum, qui muris civitatis imminebat, prædones Geuſii duce comite Nuenario civitatem occupabant, ſpoliabant, & duos fere annos occupabant, ſpoliantes totam provinciam, de quibus infra latius, ſub anno Domini 1585.

1463. Theodorus archiepiſcopus Colonienſis Zonſii moritur 13. Februarii, poſtquam variis bellis diœceſim vexaſſet 48. annos. In ſummo Coloniæ ſepultus juxta trium Regum corpora.

Robertus Bavariæ dux efficitur archiepiſcopus.

1463. Martii ultimo Robertus Bavariæ dux in archiepiſcopum Colonienſem eligitur. Erat diœceſis ære alieno prægravata & pene oppreſſa, quam ſummo ſtudio liberare ipſe in animo habebat. Erant, hoc tempore, aurea penè tempora: modius unus tritici, ſiliginis, hordei, havenæ, & vas halecum, amphora vini una, gallina pinguis, pondo carnis, & panes more ſolito conjuncti 6. hæc omnia vænibant undecim marcis valoris Colonienſis monetæ: modius tritici 18. alb. modius ſiliginis 14. alb. modius hordei 13. alb. modius havenæ 8. alb. vas halecum 30. alb. amphora vini 1. alb. gallina pinguis 1. alb. panis de unciis 33. emebatur uno obulo, panis triticius de unciis 19. emebatur quoque uno obulo. Vas butiri vendebatur VII. flor. Colonienſibus; valebat flor. unus tunc temporis tribus marcis, quinque ſolidis.

Eodem anno crematur *Rodenkirchen* prope Coloniam, & præda armentorum abigitur, fecit hoc nobilis de *Huirt*, egitque prædam in *Tonberch*.

Johannes Aldenarius prædonum fautor.

1464. Johannes de *Aldenair* dominus caſtri & dominii in *Reidt* prope Gladbachium prædatores multos longo tempore fovebat in caſtro *Reidt*, quod fortiſſimum erat, & in quatuor dominorum ſuperiorum ditionibus & juriſdictionibus ſitum. Facile igitur cum altero eorum amicitiam contrahebat, & refugium petebat, ſicque neminem timebat. Hoſtis erat multarum civitatum, inter quas Colonia & Leodium erant, quarum bona & cives ubicumque poterat nanciſci in dictum caſtrum abigebat. Duos quodam tempore cives Leodienſes captivaverat, a quibus ingentem pecuniæ vim exigebat. Senatus populuſque Leodienſis recuſabat, nolens eam pecuniam effundere: hic nihilominus captivos retinebat. Quare Leodienſes contractis copiis caſtrum obſidione cingunt. Eorum adventum Johannes Aldenarius audiens fugit ex caſtro, quaſi auxilium

Caſtrũ Reidt capiunt & evertunt Leodienſes.

imploraturus. Poſt non longam obſidionem videntes præſidiarii ſui prædones ſe illuſos eſſe, deditionem faciunt. Leodienſes prædam ibidem magnam inveniunt, cives ſuos redimunt, omnes alios dimittunt preter duos, quos laqueo ab arbore ſuſpendunt, inſignes proditores. Præda abacta, fundamenta undique ædificiorum ſuffodiunt, lignis undique fortibus ſuſtentant, tandem injectum pulverem tormentarium & materiam ignis capacem, incendunt, cremant, & ſunditus devaſtant. Leodienſes dominium *Reidt* donant nobili viro de *Arenburch*, qui illorum erat capitaneus. Colonienſes pro munere donant Leodienſibus decem plauſtra vini, gratias agentes quod hoſtem domuiſſent, & ſua tyrannide exuiſſent.

Leodienſes pari ratione eodem quoque tempore invadere conabantur Johannem de *Hummel*, dominum in *Odenkirchen* cujus caſtrum *Odenkirchen* expugnare, & ſimiles prædones abigere volebant. Hic negotio intellecto, Robertum archiepiſcopum Colonienſem pro defenſione implorat, ſe ſuumque caſtrum in manus archiepiſcopi dabat. Hic quia cum Eburonibus confœderatus eſſet, facile pacem ab iis impetravit. Sicque *Odenkirchen* feudum, patenſque domus jure perpetuo diœceſios facta eſt.

Leodienſium diſſidium cum ſuo epiſcopo.

1465. Diſſidia & ſimultates inter epiſcopum Leodienſem, & cives longo tempore durabant. Erat epiſcopus ex familia Burboniorum, nepos Philippi ducis Burgundiæ. Tandem amoto hoc epiſcopo elegerunt Marcum marchionem Badenſem, quem poſtea Colonia armata manu Leodium ducunt, comitantibus archiepiſcopo Trevirenſi & Carolo fratribus. Cum eſſet inauguratus, & ſui obedientiam oretenus præſtitiſſent, neque obedientiam in gravibus reipublicæ negotiis præſtarent, intellecta eorum verſutia & malignitate, clam cum ſuis aufugit. Tandem minis coacti a duce Burgundiæ expulſum ſuum epiſcopum Burbonium recipiunt.

Ducis Burgundiæ damna Picardia.

1466. Carolus dux junior Burgundiæ vocatur in auxilium contra regem Galliæ, in quam ultra ducentena millia militum introduxit, & ſæpe commiſſis præliis victor extitit, tandem ut e regno dux Burgundiæ cedat, coactus dedit Burgundo Picardiam.

1467. Philippus dux Burgundiæ moritur, & Carolus audax filius ejus ſuccedit.

Carolus dux Burgundiæ Leodienſes vaſtat.

Eodem tempore tumultuabantur Leodienſes contra epiſcopum ſuum, cui ſuccurrens Carolus audax devaſtat paſſim Eburones, eoſque cogit muros civitatum *Haſſelt*, *Byſſen*, *Tongren*, *S. Truden*, & aliarum dejicere, foſſaſque oppleri humo.

1468. Dux Clevenſis bellum gerens contra Geldrenſem ducem multa illi damna intulit, & alter econverſo: ſed Clevenſis vi expugnavit civitatem Duſbergenſem, & ex manibus Geldrenſis extorſit, hodieque poſſidet.

Sub idem tempus archiepiſcopus Colonienſis parum habens unde viveret, nam omnia caſtra & oppida, ut ſupra dictum eſt, oppignorata erant, & ab aliis poſſidebantur, nec habebat unde redimeret: milites qui oppignorata vi extorquerent coëgit, miſitque frater ipſius alios *in auxilium*, & nominabantur, hœdi. Alii contra hos conſcribebant alios, quos lupos nominabant; ſicque hœdi & *lupi* variis præliis invicem feriebant, & ſemet mutuo paſſim confodiebant. Hœdi vero cornibus ſuis ceperant & expugnarant Cæſaris inſulam, Lynnam, *Nevvenberch*, *Reymbath*, alioſque plures vicos, pagos & caſtra. B

Leodienſes epiſcopum capiunt.

Eodem anno epiſcopus Leodienſis capitur in Tongrenſi civitate, Leodium captivus abducitur, multis ex ſuis trucidatis. Carolus audax jam pacificatus cum rege Galliæ, audiens captum epiſcopum nepotem ſuum, ſubiratus feſtinavit ſuccurrere ſuo nepoti in auxilium regem petens. Venit autem ex Gallia cum innumera multitudine, civitatemque Leodium obſidione cinxit, tandem quum ſæpe oppugnaſſet civitatem, & utrimque acerrime pugnaſſent, Burgundus civitate potitur, crudelitate maxima ſævitum eſt, fit cædes civium ingens, quorum numerus erat 20000. Spoliantur templa, monaſteria, abbatiæ, domuſque civium omnium, aurum, argentum & ſignatum & non ſignatum, libri, campanæ, divitiæque omnes extra civitatem avehuntur. Matronæ omnes & gravidæ mulieres, cum virginibus & pueris impoſitæ navibus perforatis in Moſa flumine ſubmerguntur. Clerus capitur & ab epiſcopo cuſtodiæ mancipatur. Quotquot civium qui fuga elapſi erant, vel Leodii vel Trajecti infra annum capiebantur, in Moſam projecti ſuffocati ſunt. Pontes perfregerunt paſſimque domos & templa, injectoque igne totam civitatem funditus devaſtarunt, etiam muris civitatis plane dejectis, & foſſis humo oppletis. Elapſis civibus prope Leodium nullus patebat acceſſus in civitatibus aliis, negantibus protectionem, velut Aquiſgranum; quare fugientes miſere vivebant. In occupatam civitatem rex & dux venientes, nulla miſericordia moti ſunt ſuper calamitatem & gemitum morientium. Ante vero quam devaſtata erat civitas, habebat 32. parochiales eccleſias. 8. collegia, 5. abbatias, 3. monaſteria mendicantium, tribuſque civium, vel manualium officiorum 32. C D E

Leodienſis civitas reſtaurata.

Licet quidem hæc civitas funditus exciſa erat, tamen ſpatio viginti annorum, tam pulchris ædificiis reparata & multitudine civium oppleta eſt, ut etiam cum prima illa certare poſſet.

Eodem anno Robertus archiepiſcopus Colonienſis, oppugnat oppidum *Bruell* & Johannem Palandum cui oppignoratum erat captivat; *remittens hic æs ſuum manumittitur.* Idem caſtrum *Hackenbroich*, expugnat, præſidiarios captivat, caſtrum evertit igne injecto.

1469. Eraſmus Roterodamus naſcitur.

Diſſenſio inter archiep. Colonienſem & ſuum capitulum.

1472. Robertus archiepiſcopus Colonienſis ſimultates cum ſuo capitulo majoris eccleſiæ ſerere cœpit, & quum ipſius ingenium nulla ratione ad concordiam emolliri potuiſſet, ſeminarium multorum malorum fuit. Reditus ſuorum capitularium frumentarios & vinarios extra urbem cepit, ſuoſque in uſus tranſtulit. Qui etiam ſubornavit tres viros, qui Noveſium prodere, ſuamque in poteſtatem tradere deberent. Proditio Noveſienſibus manifeſtatur. Venientes navigio Colonia proditores Noveſii in litore Rheni capiuntur, tertia deinde die decollantur, & quatuor in partes ſecantur. Robertus ob id iratus, *minatur multum.* Cum itaque odium in dies inter archiepiſcopum & capitulum vires caperet, neque reſtringi poterat, licet interceſſores miſſi ad componendum diſſidium venerant Coloniam, capitulum habito conſilio eligunt in diœceſios gubernatorem Hermannum lantgravium Haſſiæ. Non diu poſt Bonnæ & Andernaci inauguratur. His peractis oppugnat arcem *Popelſtorff* quod Robertus adhuc in poteſtate ſua habebat, tandem deditione facta, Hermannus cum annona multa & tormentis ea potitur. Lynſſienſes deinde cives capitulo majoris eccleſiæ Colonienſis fidem dederunt, ſed inſtabiles poſtea ſententia mutata Roberto adhærent, qui ibi duplicia imponens vectigalia, ob id quod Bonnæ vectigal capitulo daretur. Motus igitur Hermannus contractis copiis, & fratre ſuo Henrico cum maxima multitudine in auxilium vocato Lynſſium obſidet. Fridericus vero imperator veniens Coloniam utrumque malum aufert & vectigal inſuetum & obſidionem. Colonienſes maximo honore imperatorem ſuſcipiunt, donantes eum munere magnificentiſſimo, argenteo videlicet poculo bene deaurato cum duobus millibus florenis, pondus poculi viginti marcis; Maximilianum filium duabus amphoris argenteis deauratis cum ſexcentis florenis. Archiepiſcopum Moguntinum argenteo ſchypho deaurato cum centum florenis, cancellarium cæſareæ majeſtatis centum florenis. In hoſpitium præterea Cæſari mittunt decem boves pingues, decem plauſtra vini, centum modios havenæ, ſex vaſa omni genere piſcium bonorum referta, omniaque dona erant civitatis Colonienſis inſigniis bene depicta. Cæſar privilegia Colonienſium confirmat, aliudque cudendæ monetæ inſtar imperialium principum largitur. Telonium præterea illis in Rheni flumine permittit: quapropter Colonienſes apud imperii ordines & civitates paſſim ſibi invidiam & inimicitias conflarunt, tamque diu ſe huic novo vectigali oppoſuere, ut etiam ſub annum Domini 1494.

deponere cogerentur, & plane ſuſtollere inſuetum vectigal.

Imperator diſſidium cõponere tentat.

1473. Proinde Cæſar videns in dies magis magiſque ſimultates & diſſidia inter Robertum & capitulum in pejus gliſcere, conabatur quantum poterat diſſidentium animos componere. Mittens igitur epiſcopum Eyſtedenſem Brulam ad Robertum, de pace cum illo acturum, Robertus epiſcopo legato nihil reſpondit, quare miratus hic Coloniam unde venerat revertitur. Sequenti vero die mittit legationem ad Cæſarem Robertus in

Renuit archiepiſcopus.

hæc verba: Capitulum majoris eccleſiæ ſibi provincialem tutorem delegiſſe, ſe quoque: hos ubi congreſſi fuerint, facile ſimultatum finem impoſituros ait: Provincialem tutorem a ſe electum eſſe Carolum Burgundionem ducem.

Cæſar hoc anno Treveros Colonia cum filio & exercitu maximo proficiſcitur.

Dux Burgundiæ Geldriam invadit.

Eodem anno Carolus dux Burgundiæ contractis maximis copiis in Geldriam venit, ratus ducatum hunc ſuo imperio ſe ſubjugaturum iri. Cogit Ruremundam, Venlonam, Neomagium armis ad deditionem: qua facta cives paſſim per totam Geldriam ducem ſuſcipiunt, & fide data cum verum ſuum dominum agnoſcunt. Poſitis in civitatibus præſidiariis militibus, comitatum de Morſa armis invadit, civitates & caſtra expugnat; iiſque omnibus atque adeo toto comitatu Morſenſem comitem exuit. Erat enim comes Morſenſis Geldrenſium generalis capitaneus, cujus opera contra Burgundum utebantur. Quibus peractis, & ingenti emuncta a civitatibus ſubactis pecuniaria mulcta, Carolus Treviros ad Cæſarem proficiſcitur. Cum Cæſare agit Treveris benigne admodum ſeptem integras hebdomadas. Quum autem ſuperbia in cor Caroli ob egregia & heroica facta aſcenderet, quæ illum poſtea turpiter valde deperdidit; ab imperatore poſtulat ſibi dari titulos regnorum Siciliæ & Hieroſolymitani: ſeque vicarium inſuper generalem imperii inſtitui petit: ubi hæc arroganter ſatis & imprudenter petiiſſet; ab imperatore negata ſunt. Inſtat ille nihilominus alia via, ut voti ſui alicujus compos fiat, petitque ſibi armis concedi poteſtatem occupandi Lotharingiam. Erat enim dux paucos ante dies mortuus, negavit Cæſar. Verum ut Cæſar hunc ducem ab alia petendi licentia deduceret, dat illi ducatum Geldrenſem in feudum perpetuum: non enim poterat Cæſar Geldrenſes ad imperii obedientiam, (rebellabant enim imperio triginta annis) vel vi, vel minis cogere. Carolus facile eos domare noverat, duce eorum Adolpho & duobus filiis in captivitate in Brabantia retentis.

Dux Juliæ caſtrum Tonberch expugnat.

1473. Welhelmus dux Juliæ & Montium exercitu conſcripto caſtrum *Tonberch* in Eyflia obſidet octo hebdomadibus, quod quum ſæpe fortiter oppugnaſſet, tandem in deditionem accepit ipſo Nativitatis beatæ Mariæ Virginis. Caſtrum funditus devaſtatur. Erat enim aſylum prædatorum, latronum paſſim totam ditionem Juliacenſem devaſtantium.

Sophia duciſſa Juliæ moritur.

Eodem anno moritur Sophia duciſſa Juliæ & Montium, Welhelmi & Arnoldi fratrum mater, quæ ſtrenue & laudabiliter utrumque ducatum gubernavit; erat enim vir ejus ob quotidianas corporis infirmitates plane ad regimen inutilis. Quam ſtatim filius Arnoldus hoc mundo relicto ſubſecutus eſt.

Bello civili inter Robertum & capitulum durante nulli reditus perſolvi poterant, neque ager coli, ſed & paſſim ruſtici relictis agris in tutiora loca & civitates propinquas ſe recipiebant. Creditores tam clerus quam etiam cives, qui epiſcopis Colonienſibus belli tempore ingentem pecuniæ vim effuderant, quum annua penſione jam aliquot annis caruiſſent, longæ ſuſpenſionis pertæſi, archiepiſcopum ob non ſolutionem excommunicant, excommunicatum in litteris valvis majoris eccleſiæ Colonienſis affixis declarant.

Ergo Colonienſes ac ſe gellenſis Carolus dux Burgundiæ.

Sub idem tempus Carolus dux Burgundiæ heroldum ſuum Coloniam cum mandatis miſit. Hic extenta voce exclamat. Mandat dux illuſtriſſimus, inquit, toti Colonienſi provinciæ, ut ſi quæ in ea vel civitates vel pagi, vel caſtra, vel equeſtris ordinis viri, vel telonea a Roberto archiepiſcopo vero degeneraſſent, continuo ſe ad Robertum recipiant, illi pareant, & quæ archiepiſcopi ſunt reſtituant, ſin ſecus faxint, ducem in rebelles armis animadverſurum eſſe. Nominat deinde ducem, præfectum diœceſios Colonienſis, affigens aulæ archiepiſcopali, curiæ Colonienſi ubi jura redduntur, item domui archiepiſcopali in Biboſa platea & alias per civitatem inſignia ducis Burgundiæ, præfectum etiam urbis Colonienſis perpetuum obſervari volens. Senatus populuſque Colonienſis ſuper novitate rei ſubiratus, omnia illa inſignia dilacerari juſſit & expungi, nullaque in re duci parere: quare ſe hoſtes & ducis & Roberti declarant, conſcripta ingenti militum copia. Fundunt tormenta bellica, & fortalitia apud turrim Bavaricam, & portam *Egelſtein*, & Tuitii ponunt, & fortiſſimis militibus & bombardis muniunt. Carolus interea cogit exercitum, quem ad obſidendum Noveſium ducit: univerſam Ubiorum ditionem vel armis vel infidiis ſub jugum mittere in animo habebat. Itaque numeroſa militum manu coacta in Agrippinenſes ſedes, prætextu reſtituendi archiepiſcopum Robertum a ſuis exactum, irrumpit, agros populatur, multas ad ſuas partes civitates ſed fruſtra ſollicitat. Erat autem duci Carolo fœdus cum archiepiſcopo, præterea erant conſanguinei. Sed Carolus

advocatiam archiepiſcopatûs Colonienſis, quæ ad imperium pertinebat, ſibi contra jus arrogat.

Noveſium obſidet.

Carolus itaque Noveſium decem & tribus militum millibus & ducentis exercitatiſſimis, partim peditibus partim equitibus cingit. Altera Pantaleonis jubet dux conſcenſis equis luſtrari civitatem, qua potiſſimum parte videretur aditus facilior, & oppugnandi locus commodior, certior fieri cupiens. Singulæ interea nationes caſtrametantur, tentoria figunt, deputata ſibi loca fideliter & fortiter muniunt. Dux ipſe ſuburbanum noſtrum monaſterium ſibi & copiarum ſuarum capitaneis deligit, ſecum habens dominum de *Synay*, dominum de *Hemenkurt*, dominum de *Vermaile*, Jacobum ducem Lucemburgenſem, juniorem ducem Clivenſem, Fridericum de *Segemont*, Engelbertum comitem de *Naſſavv*. Hi principes caſtrametati ſunt in pomerio retro monaſterium ad partem auſtralem, habentes in caſtris ſuis equites 3000. pedites 1000. Singulis vero diebus per totum obſidionis tempus dux Burgundus ſibi ſuiſque in templo noſtri monaſterii ſacrum a noſtris fratribus fieri voluit, quod flexis ſemper genibus audiens, obtulit ſingulis in ſacris aureum coronatum. Manſerunt tres fratres tempore obſidionis in monaſterio, quorum uni nomen.... prior cum ceteris fratribus ſuis in *Gerheſsheim* degebat.

Baldewinus de Lannaw capitaneus Zutphanienſis tentoria ſua fixerat juxta portam vulgo *Handiport*, habens ſub ſe 1300. equites & 1000. pedites, erantque Eburones.

Juxta portam vectigalis Reinerus *Broichauſen* conſedebat, habens electos pedites 300. equites 1200. Apud portam inferiorem Lombardi ſua caſtra metati ſunt, numero 3000. partim equites, partim pedites, homines ferociſſimi. In inſula conſederunt dominus de *Monfort*, & dominus Judocus de *Alleyn*, in ſuis caſtris 1200. equites & 600. pedites habentes. Hammonem Angli tenebant quorum numerus erat 2000. equites & pedites. Ut interim taceam quos ad numerum duorum millium coëgerat, de gregariis miſeris foſſoribus, ducentos inſuper tormentorum tractandorum præfectos, homines deterioris ſtatus mille quingentos. Erant præterea ſacerdotes & ſcribæ 400. Duo item equitum millia ex univerſo delegit exercitu quos pabuli conquirendi gratia, in monaſteria, vicos, oppidaque vicina, non ſine maximo incolarum detrimento emiſit. Tantis ſuorum copiis incitatus, quas in dies fere ſingulos plurium acceſſione munivit, nocturno diurnoque labore ad ſubitam civitatis expugnationem anhelat, omnes aquarum rivos qui prope civitatem ſunt claudere, ipſamque aquis nudare ſtudet, molam machinatur verſatilem qua Erpam in Rhenum exhaurire ſtudebat, ſed voto & opera ſua fruſtratur. Nam Erpa & Crura priſtino curſui inſtiterunt. Dehinc machinarum magiſtri, ſerpentina muraliaque inſtrumenta & tormenta mœnibus obvertunt, & centenorum pondo glandes in urbem ejiciunt. Inferiorem & Rhenanam portam cum turri Columbina bombardicis ſphæris validiſſime quatiunt, atque evertunt, & ad oppugnationem demum catervatim ſe accingunt.

Noveſienſes contra tam gravi obſidione undique cincti feſtinare, in armis eſſe, nihil intentatum relinquere; quo fidem ſuam imperatoriæ majeſtati datam duci ſuo Hermanno Haſſiæ comiti urbis gubernatori & cuſtodi approbent. Itaque in hoſtem ſe ſtudioſius ardentiuſque inſtruunt ad conflictum, pro conſervanda patria ſeſe ultro ingerunt, primaque oppugnatione quæ ſeptem horarum fuit, ad Martis exercitia incitati, eruptionem ipſis D. Michaëlis feriis in hoſtes faciunt, ſagittis, gladiis, glandibuſque bombardicis multos conficiunt, tentoria incendunt, opima aſportant ſpolia. Contra itaque pugnantes Noveſiani trucidant Burgundos 500. paucis ex ſuis amiſſis. Circa D. Martini ferias cœptum eſt maxima nitrati pulveris laborari inopia, quod ampliſſima Colonienſis reſpublica intelligens quingentos & quinquaginta milites Noveſienſibus ſubſidio mittit, ſinguliſque peditibus ſingulos ſacculos denis talentis nitri plenos imponit. Qui ipſo D. Eliſabethæ die omnes in civitatem illæſi perveniunt, uno tantum excepto. Aucta fuit oppidanorum in urbe tuenda conſtantia aliorum Colonienſium militum adventu, qui e regione Noveſii ad Rhenum in territorio lapidoſo, ut vocant, ad ſuppetias civitati ferendas conſederunt, qui præterquam grave hoſtibus negotium faceſſerent, litteras bombardicis ſphæris incluſas in civitatem detorquent, quibus in obſidionis ſolutionem cives erigebantur. Oppidani contra Colonienſium caſtra ſphæras plumbeas litteras ferentes tormentis ejiciunt, quibus quo animo eſſent, & quam gratanter amicitias & ſuppetias acceptent aperiunt. Dum ita invicem præliis certant, civitatem quatiunt, muros variis & quotidianis fere oppugnationibus convellunt Burgundiaci, & jam vires & commeatus in oppido deficere cœperant; Colonienſes comites & ipſa civitas mittunt ad imperatorem Fridericum, auxilium petunt, totumque ei negotium exponunt. Cæſar repente conſcribit copias, ducit adverſus Carolum. Acciti ad Cæſarem maxima veniunt manu Moguntinenſis & Trevirenſis archiepiſcopi, ALBERTUS marchio Brandenburgenſis, dux Wirttenburgenſis, comes de Seina, comites de *Virnenburch*, epiſcopus *Eyſtedenſis*, & Herbipolenſis, comes de *Wertheim*, HENRICUS landtgravius Haſſiæ, marchio Badenſis, comites de *Reiffeecheit*, & *Arburch*, epiſcopus Monaſterienſis cum civitatibus

imperii in Weſtphalia & circumcirca ſitis, adducens ad Cæſarem decem & ſex millia militum, mille ſeptingentos currus. Colonienſis reſpublica Cæſari auxilio miſit tria millia partim equitum partim peditum; omnes rubris amicti erant veſtimentis. Omneſque præterea imperii civitates in Bavaria, Suevia, Alſatia maximo Cæſari ſuccurrunt exercitu. Cæſar itaque fortiſſimo & numeroſiſſimo ſtipatus exercitu proficiſcitur Colonia cum ſuis ducibus in caſtra quæ locaverat prope Coloniam juxta *Niell*, deinde tendit in deſerto vulgo *Vulen* tentoria, ibi victu recreati & quiete duos dies. Carolus Cæſaris adventum ſpeculationibus fidis prædoctus, majori ſtudio & conatu, imo ſeveriore rabie, amplificatis viribus, ardore etiam incohibili in excidium urbis Noveſienſis eferebatur: ſed cum neque acclivitas ipſa vallorum foſſarumque ſine diſcrimine adiri lethali, nec cuniculis quicquam geri poſſet, ira ſubeunte majora viribus aggreditur, ſed a propugnatoribus malleolis pice illitis accenſiſque, & aqua ferventi fortiter repellitur, multos ſuorum amittit, reque infecta oppugnare ceſſat.

Oppidani vero diutina obſidione preſſi, inedia gravi affligebantur, equos comederant trecentos quinquaginta, nihil excepto pane commeatus habebant, quatuordecim * ovis modius ſiliginis emebatur. Cæſaris adventu percepto, animi in maximas lætitias erigebantur, audaciores facti frequenter eruptiones fecere, multoſque Burgundionum trucidavere ablatis ſpoliis opimis. Cæſar cum maximis copiis Arpæ appropinquat prope Norpiam & Vallem gratiarum. Carolus Cæſarem haud procul abeſſe intelligens a ſpeculatoribus, armatos fere omnes celeri eduxit procurſu, & agiliter præterito Arpæ fluvio in ſpecie locavit pugnandi, acie contra Cæſarianos directa, habens ſecum novem millia partim equitum partim peditum, ingentia quoque bellica tormenta. Ante vero quam Cæſar caſtra metatus fuiſſet, explodi in hoſtes tormenta jubet, equiteſque Burgundus accelerare. Viſo autem Cæſaris exercitu, grandis inceſſit Burgundis timor, ſuperior enim numero erat, & ne ſine reſpectu ſalutis in ferrum ruerent non facile quiſquam ex Burgundis exilivit. Auditoque igitur liticinum cantu, lituos Bellona luctuoſos inflante: repreſſo gradu parumper ſtetere Cæſariani, Burgundi exertantes minaces gladios lentius incedebant, globos plumbeos in Cæſarianos eminus tormentis ejicientes. Cæſar hoſtem appropinquantem maximo ſtrepitu videns, clangoremque tubarum reſonantem facile audiens, ſuos in armis eſſe, ſeque ad repugnandum parare jubet. Mandat epiſcopo Monaſterienſi, & Colonienſibus in prima acie eſſe, cumque Burgundis manus conſerere, liticines in caſtris Cæſarianis maximo ſtrepitu lituos inflantes ſignum ruendi in hoſtes dedere. Epiſcopus haud ſegnis explicatis ordinibus impetum in Burgundos facit, obvium quemque trucidat, mutilat. Sed cum in certamen alacriter conſurgentem epiſcopum Burgundus ceterique ductores vidiſſent, ſuoſque paſſim cadere, hoſtem vehementer urgere animadvertiſſent, receptui canere jubent, rati intempeſtivum anceps ſubire certamen, cum haud longe caſtra diſtarent; quorum tutela ſecuritas poterat in ſolido locari cunctorum, hac icti perſuaſione retro cedere magnis viribus compelluntur. Equites Burgundici & pedites ceciderunt ſexcenti quinquaginta.

Oppidani interea non minori audacia & fortitudine erumpentes, non minimam in reliquos Burgundos ſtragem ediderunt. Obſeratis dein portarum aditibus, undique propugnaculis inſiſtebant & pinnis, congeſta undique ſaxa telaque habentes in promtu, ut ſi quis ſeſe proripuiſſet ulterius ad muros multitudine miſſilium ſterneretur & lapidum. Etſi clauſi vehementer præſentia Cæſaris animis efferrentur: angebat tamen illud vehementer, quod ſolitarum rerum cibos jam conſumendo inediæ propinquantis ærumnas exitiales horrebant. Hæc ubi latius fama vulgaſſet, miſſæque relationes aſſiduæ, Cæſarem valde permoverunt: quare ad eximendam fame & periculo civitatem opportunam, elegantem, & fortem ſtudio properabat ingenti. Caſtra ſua vallo foſſaque munit quam diligenter, miſſis copiis, propugnacula in ripa Arpæ juxta Rhenum perfringere, & in flumen præcipitari juſſit. Milites levibus conflictibus cum Burgundis celebratis ad tutiora ſe recipiunt, victores Cæſariani tormenta bellica maxima Burgundis victis abripiunt.

Dum hæc ita geruntur legatus Roma a ſummo pontifice miſſus ad Cæſarem venit, pacem compoſiturus inter Cæſarem, Burgundum, Robertum, & capitulum. Propoſitis a legato pacis conditionibus, miſſi ſunt feciales, qui pacis inducias in utriuſque caſtris proclamarent in quartum diem. Burgundi interim Cæſaris caſtra & exercitum libere & abſque vitæ periculo contemplabantur. Cæſariani item Burgundi caſtra munitioneſque quam optime perſpiciebant. Ex utriſque caſtris innumera multitudo, proclamato pacis tempore, Noveſium ingreſſa, dona ingentia S. Quirino offerebat. Cæſariani nitrati pulveris vaſa nonnulla ſecum important, continuo commeatûs invehitur copia. Obſeſſi quanta ex inopinata liberatione perfuſi fuerint lætitia vix reor effari poſſe. Naves quibus curſus interdictus erat, more ſolito navigabant ex inferiori & ſuperiori Germania. Pacis quamvis conditiones eſſent proclamatæ, non tamen inter milites utriuſque

* *f.* aureis.

De pace tractatur.

que exercitus bene conveniebat. In simultates Burgundi lapsi in episcopi Monasterienſis milites ruunt, eorumque septingentos trucidant. Noſtri igitur infensi, ſtationes in lapidoſo pago relinquentes, Burgundiacas naves decem intercipiunt tormentis bellicis, aliiſque minoribus ſerpentinis bombardis, & inſtrumentis bene onuſtis, quorum omnium pretium æſtimabatur centena millia aureorum; quas licet Coloniam cum omnibus divitiis appuliſſent, poſtea firmata pace Burgundo reſtituerunt. Ad extremum invictiſſimi imperatoris Friderici cum maximis copiis acceſſu territus Burgundicus princeps, ad pacificationis media animum adjecit. Legatus itaque Romanus & principes compoſuerunt eos, datis hinc inde dextris, & pacificationis conditionibus ſubſcriptione & ſigillis confirmatis. Conditiones iſtæ valde ſecrete initæ ſunt, paucis hactenus cognitæ. Carolum autem imperatorem timuiſſe certa ſunt veſtigia. Scribunt alii Cæſarem in animo plane habuiſſe totum exercitum Burgundicum armis opprimere, idque impediviſſe quoſdam duces apud Cæſarem, qui aureis leonibus a Carolo corrupti erant: alii vero aliter affirmabant: Cæſarem cum Carolo de connubio ſtabiliendo inter filium ſuum Maximilianum, & ducis filiam Mariam unicam. Carolus itaque poſtquam firmata pax eſſet, & familiariter cum Cæſare paucos dies egiſſet, ſolvit obſidionem decimo octavo Junii, & reduxit unde venerant copias, toto fere in ea obſidione anno conſumpto, non ſine maxima jactura ſuorum, quorum numerus quindecim millia exceſſerat occiſorum hominum, non etiam ſine maximis impenſis rerum ſuarum. Rex Franciæ multas civitates & caſtra in Picardia vi Carolo abſtulerat: Helverii vero in ſuperiori Burgundia.

Imperator Noveſium privilegiis ditat.

Fridericus autem imperator ingreſſus Noveſium, ingenti lætitia ab Hermanno de Haſſia comite, & civibus, matronis & virginibus ſuſcipitur & inauguratur. Imperator porro ob res fortiter in obſidione geſtas civitatem prærogativis quibuſdam & privilegiis ditat. Nam immunitatem vectigalium, quæ telonarii Rhenani ex mercibus præternavigantium mercatorum exigunt, Noveſienſibus donavit. Libertatem etiam cudendæ pecuniæ, civibus clargitus eſt. Edixit inſuper civibus, ut auream aquilam nigro clypeo incluſam in ſignis militaribus vehèrent: quaſlibet etiam magiſtratus litteras rubra cera obſignarent: Rhenum ut foſſa evacuata juxta muros civitatis ducerent; & loco decedentium ſcabinorum alium ſurrogarent: Nundinas certis temporibus celebrarent. Illaque omnia privilegia gratioſe a Cæſare conceſſa, confirmari petiit imperator a Romano pontifice, ſcribens ei in hunc modum.

Beatiſſime pater, dudum poſtquam quondam

Imperatoris ad papam epiſtola.

A *Carolus dux Burgundiæ oppidum Nuſſienſe Colonienſis diœceſis, quod inter oppida illarum partium inſigne & famoſum erat, cum grandi exercitu aliquandiu obſederat, ut illud ſuæ ditioni ſubjiceret, territorium oppidi depopulaverat, & in pluribus conflictibus quos ejuſdem oppidi incolæ cum ejuſdem ducis exercitu & ſtipendiariis habuerant, quorum plures hinc inde mortui & mutilati, turres & muri prædicti oppidi pro illius defenſione dudum conſtructi, machinis & aliis ad bellum ordinatis tormentis conquaſſati & pro parte in terram proſtrati, domus quoque & ædificia incolarum*

B *dicti oppidi pro magna parte dirupta fuerant; devotiſſimus S. V. & S. Romanæ eccleſiæ filius* FRIDERICUS *Romanorum imperator ſemper auguſtus, tot calamitates tantaque incommoda conſtantiſſimi & fideliſſimi populi dicti oppidi conſiderans; pro aliquali recompenſatione tot tantorumque damnorum quæ pertulerunt; & ut alii eorum exemplo in poſterum ad perſeverandum ſub debita fide & devotione exinde illorum exemplo ferventius allicerentur, poſſentque muri turreſque & alia ædificia hujuſmodi reparari commodius, oppido prædicto & illius*

C *burgimagiſtris, ſcabinis, conſulibus & Univerſitati: (hic enumerat privilegia ſupradicta: concludit tandem:) aliiſque tunc expreſſis juriſdictionibus & privilegiis potiri poſſent gratioſe conceſſit, prout in ipſius imperialibus litteris continetur plenius. Ut igitur, pater ſancte, præmiſſa tanto firmius illibata permaneant, quanto majoris erunt auctoritate munita: ſupplicatur igitur S. V. dictus imperator in perſonam Burgimagiſtrorum, ſcabinorum, conſulum & Univerſitatis prædictorum, quatenus conceſſionem prædictam & prout illam concernunt omnia ſingula in dictis litteris contenta cum opportuna*

D *ſuppletione defectuum confirmare & approbare, ac pro potiori cautela omnia præmiſſa eis de novo concedere dignemini, de gratia ſpeciali, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus ceteriſque contrariis quibuſcumque cum clauſulis opportunis & conſuetis.*

Fiat ut petitur de confirmatione quoad expreſſa, & quoad ſingula privilegia prædicta, & cum nova omnium eorum conceſſione, & in forma gratioſa cum exhibitione & inſtitutione eorum, & cum deputatione executorum ſuper illorum obſervatione, & qui contradicentes per

E *cenſuras & pœnas*, &c. *Datum Romæ apud S. Petrum octavo idus Julii anno ſexto.*

Cæſar porro ſtatuam ſuam ex ære fuſam & deauratam in foro erigi voluit. Quibus peractis, Cæſar cum omni exercitu ſuo Noveſio diſcedit, veniens cum belli ducibus, (erat dux belli marchio Brandenburgenſis, & imperii vexillifer ALBERTUS dux Saxoniæ,) ipſa die SS. Petri & Pauli ab ampliſſimo ſenatu Colonienſi honorifice & ſumma gratulatione ſuſceptus eſt. Ceterum ubi Carolus diſceſſerat, Robertus necdum cum capitulo & Hermanno electo archiepiſcopo

concordiam inire volens, civitatem Kempenſem cum omni ditione ſua, Bruſam, & aliquam Weſtphaliæ partem occuparat. Hermannus vero paulatim vi cœpit civitates & caſtella e Roberti manibus eripere.

Colonienſis ampliſſimus ſenatus totaque communitas ad continuandum hoc bellum, & periculo Noveſium levandum, ex ærario publico impenderunt quatuor & decies centena millia florenorum aureorum. Ipſa autem civitas Noveſienſis....

Tempore hujus Burgundiaci belli timens ampliſſimus ſenatus Colonienſis Caroli Audacis audaciam & minas, juſſit deſtrui & funditus everti duo præclara monaſteria virginum juxta muros civitatis ſita, uni nomen *Wyer*, a quo porta civitatis adhuc nomen retinet: alteri nomen *Mechtorn*. Virgines monaſterii *Wyer* incorporatæ ſunt cum omnibus poſſeſſionibus ſuis in S. Cæciliæ monaſterium, quod alias de nobili proſapia virgines ſolebant occupare: aliæ ponebantur ad S. Apræ dicatum monaſterium, quæ poſtea novum templum, aliaque nova ædificia erexere.

Carolus dux Burgundiæ arma in Lotharingos cõvertit.

Carolus porro Burgundus, etſi fortunam ſibi adverſari ex eventu perdiſceret, tamen haud ſuum ſuarumque ditionum interitum pertimeſcere, ſed audentius quoddam conſilium de expugnandis quibuſdam Lotharingiæ civitatibus in animo verſat. Solet enim pleruinque fieri, ut homo cæco impetu, etiam ignara fatorum mente, imo & ſtulto Deum non timentis judicio, cum putat ſe ſequi maxime ſalutaria, & commoda ſibi, in præcipitium ſeſe præcipitet. Qui vero ſapiens eſt, omnia opera ſua ſuſpecta habet, & timet Dominum in omnibus operibus ſuis.

Ab Helvetiis apud Granſen cæditur.

Burgundus igitur dux contractis copiis, Loſannam hoſtiliter petit: territi Loſannenſes tam repentino adventu ſe dediderunt. Helvetii vero, quorum fœderis erat Loſanna, conjunctis viribus adverſus intolerabiliter ſuperbientem hoſtem copias duxerunt, & haud procul ab oppido *Granſen* caſtris exuerunt. Dux fuga vitam ſalvat, maxima exercitus parte occiſa: omnis belli apparatus in manus Helvetiorum venit. Quingentos milites Germanos, capto Granſen, dux ſuſpendi juſſerat, quos rurſum ab Helvetiis recuperato oppido, laqueis ſolvunt, terra condunt, Burgundos eiſdem laqueis quos dux in præſidio reliquerat ſuſpendunt. Dux miſſis legatis in Flandriam cogit novas copias, a Burgundis ſextam omnium facultatum partem extorquet, conſtituit enim aut ſemel vincere aut ſe ſuoſque perdere. Sæva admodum erat animi variis affectibus turbati ira, idque ex memorato conflictu acciderat. In iſto enim amiſerat dux omnes ſuas bombardas, trecenta dolia, (quæ donnas vocant) pulveris bombardici, & magnam vim indumentorum, & ornamentorum ſericeorum, una cum ingenti theſauro pretioſorum jocalium, de argento, auro & lapidibus pretioſis. Inventi quoque ſunt in caſtris ejus ter mille ſacci pleni avena, duo millia quadrigarum cum laqueis & funibus, quibus inſtituerat captivos ſuſpendere, bis mille vaſa halecum, multa vaſa plena fumatis & exſiccatis piſcibus, una cum ſalſis carnibus, gallinis, anſeribus. Item tres bigæ plenæ baliſtis, nervis, funibus & telis, multæ quadrigæ plenæ jaculis Anglicis, octo millia contorum aculeatorum, plurima pocula argentea, & aurea cælata, cum lavacro argenteo, ſigilla ejus, majus & minus; ſigillum fratris ejus Antonii, qui illegitimo thoro natus erat. Item ficus, amygdala, & ſpecies aromaticæ ſine pondere & menſura, viginti quatuor ſigna militaria ſeu vexilla, multa tentoria & magna copia eſcarum. Ingens quoque pecuniæ acervus eſt inventus, quam victores pilcis inter ſe diſtribuerunt. Summatim æſtimatio omnium bonorum, quæ dux in hac prima pugna perdidit, fuit trigeſies centenorum millium coronatorum.

Dux itaque non multo interjecto tempore Murtem oppidum in ditione Bernatium obſidet. Helvetii collecta valida manu, omni poſtpoſita mora cum Renato duce Lotharingiæ, cui Burgundus abſtulerat Nanceiam, congreſſi cum duce, duroque commiſſo prælio victoriam obtinuerunt, jamque ſecundo ducem in fugam vertunt, diripiuntque caſtra ejus, & non vulgaria colligunt ſpolia. Ceciderunt in hac ſecunda pugna a parte Burgundi ad decem & ſeptem millia virorum, a parte vero Helvetiorum non ſunt deſiderati ultra quinquaginta viri.

Eraquil Murtem obſidet.

Nanceium obſidet, poſtea exercitu interit.

Hac accepta denuo confuſione ab Helvetiis & eorum auxiliariis, dux volens tantam jacturam ulciſci in duce Lotharingiæ, tempore hiemali obſidione cinxit Nanceiam, adeoque infeſtabat eam, ut fame arbitraretur eam ſubigendam. Verum niſi epiſcopus Metenſis illi ſuppeditaſſet commeatum, ipſe præ fame coactus fuiſſet ſolvere obſidionem. Helvetii autem accelerantes cum copiis ducis Lotharingiæ, invaſerunt ducem Burgundiæ & ejus exercitum in vigilia Epiphaniæ anno 1477. graviſſimo prælio adorientes imparatos; quod Burgundi ferre non valentes in fugam ſunt converſi. Helvetii & ducis Lotharingiæ equites uſque in multam noctem proſequuntur hoſtes, nec deſtiterunt donec atra nox pedem referre coegit. Multi ex Burgundis qui gladium evaſerant, in Moſellam præcipites acti ſunt, in medio gurgite ſponte ſua ſubmerſi. Sed ipſe infelix Carolus quum ſalutem fuga quæreret, lapſo equo, ab Helvetio milite vulneratus eſt. Hic quum præſentem cerneret mortem gemebundus ſalutem precatur, ſeque Burgundum ducem confitetur. Helvetius audiens

ipſum ducem eſſe: jam, inquit, haud manus meas ſanguinolentas effugies vivus, ut tandem ego hujus ſæviſſimi belli, malique vel ſemel finem imponam; atque ut nos ceteræque nationes quietiores & pacatiores abs tuis incurſionibus, latrociniis & laqueis vivamus, ſatius eſſe & conſultius duco te ad ſtigias mittere paludes, quam ut diutius aura ſuaris ſupera; ſimul his dictis enſem librans vi ſummâ in caput adegit, ingeminans verbera enſem ſecundo per femora trajecit, ſed quum Carolus ſe moribundus circumvolveret, tertio per poſteriora transfixit. Hic audaciſſimi Caroli finis. Inventum cadaver Nanceiæ ſepelitur, ex frigore intumuerat facies ita ut facile cognoſci haud poſſet, ſed ex quibuſdam indiciis à familiaribus ſuis agnoſcitur. Interitus ejus diu fuit apud multos dubius. Quidam dixerant ipſum vivum abductum & regi Galliæ præſentatum: alii aiebant ipſum fuga elapſum, & aſſumpſiſſe peregrinationem voluntariam, & poſt aliquod tempus reverſurum. Mercatores multi multa cavillabant de eo, ementes & vendentes plurima, quorum ſolutio deferebatur in reditum ejus. Bruxellis in diœceſi Spirenſi inventus eſt quidam mendicus Carolo duci perſimilis, quem vulgus conſtanter aſſerebat ipſum Carolum ducem eſſe, quantumlibet ille reclamaret, negaretque ipſum eſſe. In ſolo proſtratus cibum capiebat idque ex fictili teſta pannis abjectiſſimis tectus. Opipare ſatis a multis tractabatur accipiens lautiſſima fercula: multi ſuperſtitioſi, ambitioſique tam potenti duci dare eleemoſinam laudi ducebant; ſperantes aliquid magni ab eo cum rurſum in regnum ſuum reverteretur accepturos. Hanc opinionem & fortunam tacite hic mendicus quinque annos & ſex menſes pertulit, poſtea numquam in Germania viſus. Poſtquam ſe ſubduxerat diu tamen creditus eſt fuiſſe. Multas hic facultates fretus populi ſtultitia & credulitate collegit.

Maria Caroli ducis filia Maximiliano imperatoris filio nupta.

Carolus dux reliquit unicam filiam præſtantiſſima forma, & morum concinnitate decoratiſſimam nomine Mariam, quæ poſt patrem occiſum ſe receperat in Flandriam, a quibus ſe plurimum diligi ſciebat. Rex Galliæ miſſis legatis filiam ducis ut ad ſe veniat petit, multiſque promiſſis inſtat. Flandrenſes autem neque precibus, neque promiſſis, neque minis in ſententiam regis flecti potuerunt. Commendatus erat Maximilianus filius Frederici tertii imperatoris, tum a prudentia, elegantia, morumque comitate, ceteriſque tum animi tum corporis virtutibus ipſis Flandrenſibus, ſed in primis filiæ ducis Mariæ. Qui Maximiliano ſponſam hanc, & forma, & animi modeſtia incomparabilem.... Fredericus autem imperator & Maximilianus talem occaſionem non negligendam putarunt. Legatis reſpondent perquam humaniter, Flandrenſibus gratias agentes quod ſic de imperatore, ejuſque filio ſentiant, pollicenturque ſe animi gratitudinem declaraturos aliquando, conſtituunt diem ad quem Francofurti conveniant de conjugio acturi. Ad illum diem mittit rex Galliæ legatos Francofurtum, in mandatis habentes, ut imperatorem admonerent, Mariam illam filiam Caroli ducis regi Gallorum obnoxiam lege feudorum, nec licere illi inſcio rege contrahere matrimonium cum marito externo. Præterea imperatorem debere eſſe memorem amicitiæ inter Galliarum regem & imperatorem, quæ jam multis annis duravit magno imperii & regni Gallorum commodo. Maximilianus autem nihil moratus Francofurti, veritus nimirum ne mora paulo longior ſibi turbaret futuras illas nuptias, recta per Rhenum deſcendit Coloniam; ſequuntur Galli legati, ut mandata Maximiliano exactius aperiant, in itinere autem certiores facti de deſponſatione Mariæ & Maximiliani, re infecta ad Ludovicum regem Gallorum revertuntur. Rex indigniſſime ferens tantam & talem prædam ex faucibus ereptam, cogit copias: quæ ad Mariam ex paterna hæreditate pertinebant, occupat. Maximilianus vero contractas ingentes copias ſecum ex ſuperiori Germania, & ex aliis imperii civitatibus in Flandriam duxit, Galliſque fortiter repugnavit. Duxit itaque in uxorem ſuam Mariam illam laudatiſſimam virginem, & accepit dotis nomine Flandriam, Brabantiam, Burgundiam, Limpurgam, Geldriam, Lucemburgum, Hannoniam, Hollandiam, Selandiam, Arteſium, Friſiam, comitatum Zutphanienſem, & alia quædam; nam hæc omnia Carolus dux poſſederat, & ad illam uxorem Maximiliani hæreditario jure pervenerant. Congreſſi aliquoties equites & pedites Maximiliani cum Gallis ſæpius ſuperiores evaſerunt, tandem induciæ factæ ſunt annorum ſeptem. Hoc matrimonio non mediocriter Maximilianus gloriam Auſtriaci nominis domuſque auxit, multaſque res præclaras fecit, ad tuendas eas terras adverſus impetum Gallorum. Picardiam rex rurſum miſſis militibus ſuis occupavit, & obtinuit facile a Burgundis. Nuptiæ celebratæ ſunt cum hac ſponſa Gandavi, præſentibus epiſcopo Trevirenſi, Welhelmo duce Juliæ & Montium. Marcgravius Badenſis, marcgravii filius Brandenburgenſis, ſenatus populuſque Colonienſis, Maximilianum duabus argenteis amphoris & 1500. aureis donarunt, inque comitatum dederunt verſus Gandavum 25. equites. Acta ſunt hæc in Auguſto anno 1477.

Arnoldus dux Geldriæ in prælio cadit.

1477. Arnoldus dux Geldriæ a Gallis prope Dordracum in prælio occiditur. Hunc Carolus Burgundus captivum in Flandria tenebat, quo mortuo, Flandrenſes ejus opera contra Gallos uſi ſunt, ſed cum vitæ ſuæ tandem jactura.

Eodem anno lantgravius Hermannus cum

Colonienſibus mutuo auxilio expugnarunt Ordingam, Linnam, & *Ordt*, quæ Robertus adhuc obtinebat. Audiens hæc Robertus, qui tunc in *Kempen* agebat, territus eſt & fugit, conſuluitque civibus, ſi quando poſſent paciſci cum lantgravio, pacis conditiones ſuſcipiant.

Pax inter archiepiſc. Robertum & capitulum Colonienſe.

Eodem anno dux Juliæ Wilhelmus pacificationem inter Robertum & capitulum majoris eccleſiæ Colonienſis firmavit. Hac conditione Robertus ad vitæ terminum oppidulum *Lechenich* cum caſtro & proventibus, pro vitæ ſuſtentatione habebit, ſi proventus annui tria millia florenorum non excedant, capitulum ex ſuis reditibus obligatum eſſe debuit; ſed Robertus licet in primis contentus eſſet, poſtea tamen contractum revocavit.

Robertus archiepiſc. in captivitate moritur.

1478. Robertus Bavarus, epiſcopus Colonienſis capitur a lantgravio Haſſiæ & cuſtodiæ mancipatur in arce *Blanckenſtein*; moritur poſteà in captivitate ſua, poſtquam captus fuiſſet duos annos: corpus ejus allatum Bonnæ ſepelitur. Ipſo die Annæ mortuus eſt qui Noveſium cum Burgundo obſedit: eodem die anno 1586. Noveſium a Bavaro Erneſto cum Hiſpanis capitur, exuritur, devaſtatur. Vide infra.

1479. Ducis Juliæ Welhelmi uxor, oriunda de *Hinſsberch* moritur abſque liberis.

Hermannus in archiepiſc. electus.

1480. Hermannus landtgravius Haſſiæ IV. præpoſitus Aquiſgranenſis & S. Gereonis in archiepiſcopum Colonienſem eligitur altera D. Laurentii: ſub Roberto aliquot annis gubernatorem dioeceſios geſſerat. Doctus erat & ſapientiſſimus, multiſque virtutibus princeps decoratus, pacis & tranquillitatis publicæ ſtudioſiſſimus, ideoque pacificus dictus. Diſſidentes principes ad concordiam ſummo ſtudio redegit. Maximilianum Friderici filium in regem Romanorum anno Domini 1492. cum aliis electoribus elegit, & Aquiſgrani conſecravit, cui deinde cariſſimus ſemper extitit. Celebravit hic Cæſar præſente patre ſuo & Hermanno Coloniæ comitia cum aliis etiam principibus frequentia. Anno 1505. Colonienſes eos honorificentiſſime exceperunt.

Willelmus ducis Juliæ connubium.

1481. Welhelmus dux Juliæ & Montium connubio jungitur ſtabili Sybillæ Alberti Brandeburgenſis marchionis filiæ, connubium contrahebatur ruri extra Coloniam. Agitur dies celebris Coloniæ præſentibus Hermanno archiepiſcopo Colonienſi, archiepiſcopo Trevirenſi, duce Auſtriaco & Burgundiæ, marcgravio Brandeburgenſi & Badenſi, aliiſque comitibus quinquaginta. Haſtiludium tribus diebus inter principes exercebatur. Nuptiæ fiebant in curia dominorum Veteris-Montis in platea ſancti Johannis.

Eodem anno moritur Johannes dux Clivorum. Multa hic damna dioeceſi Colonienſi & ducatui Geldrenſi intulerat.

Diſſidium inter ſenatum & populum Colonienſem.

Eodem anno tumultus maximus inter ſenatum populumque Colonienſem excitatur levibus de cauſis. Volebat populus ab omni exactione publica immunis plane eſſe, cauſabantur ſe plurimum contribuere; nec in quem finem tandem tam grandis pecuniæ ſumma elargiretur a ſenatu, propterea petere, miſſis e tribubus legatis ad ſenatum, dati & accepti rationem, etiam veſtigaliium & exactionum immunitatem, quod coactus ſenatus conceſſit. Proinde ſenatus rationem reddere a quinquaginta annis, deputatis ex ſingulis tribubus compellebantur. Poſito calculo omnes ſine nominis labe inveniebantur.

Eodem anno pax inter Auſtriacum & Carolum ducem Geldriæ firmatur.

1482. Hoc anno poſito a quibuſdam ſenatoribus Colonienſibus calculo, ut dictum eſt, inventi ſunt quidam qui magnam vim pecuniæ in cauſa civitatis juſſi expoſuerant, ſed acceptandæ apochæ obliti erant ab eis, quibus pecuniam numeraverant. Venientes igitur in bachanalibus quidam ex plebis fæce in curiam, multis probroſis verbis in ſenatores jactis, eoſque ignominia affectos præſentes ex curia petebant, vel ni pareant irruere conabantur, eoſque in carceres conjicere. Conſternati ſenatores quid potiſſimum facerent ignorabant. Inſtantibus aliis in ſuo propoſito, reſpondetur, ut quos habere vellent, ſignatos de nomine in chartis ſenatui conſcriptos tradant. Parent, nominant, unum ſcilicet conſulem, quæſtorem unum, multoſque alios ex ſenatorio ordine. Qui capitanei plebis erant, nempe Johannes Honorius, Johannes *Hamerſbach*, conſtituebant ut ſenatores in carceres conjicerentur, faſces ex conſulis manibus probroſe rapientes nobili viro Wernero de *Lyſskirchen* dabant, erat hic de novo conſilio. Altero die concurrunt undique cives quiſque in tribunitiam domum ſuam, conſpirantes, ſenatores veſtigio liberatos volebant. Quod ubi factum eſt, veniunt ſenatores in curiam. Cives in tumultuantes animadverti cupientes, eos ipſos in eorum locum reponi mandabant. Senatores non eſſe maturandum cenſebant, ſed in alterum diem, donec quid ſenatus conſulto decerneret ſcirent, expectandum. Non cunctandum cives rati, capitaneos hujus tumultus captos eodem die feria II. Bachanaleorum pomeridiano decollari præceperunt per ſuum lictorem, (qui gladio, cujus capulus deauratus eſt, conſules ſemper ſubſequitur in officio conſtitutos,) numero ſex. In cujus rei perpetuam memoriam ſingulis annis eodem die præſente toto ſenatu miſſa celebratur. Annus in hac periodo continetur. Ecce magna felix Agrippina tua fideſſa inteſtina te liberarunt triſtitia. Sabbato ſequenti decollatur quidam Burcardus nomine de eadem factione. Wer-

nerus *Lyſskirchen* nobilis ſabbato porro ſequenti ex carcere ad ſupplicium ducitur: conſtanti vero & immoto animo veniens in fœni forum, ubi & ceteri decollati fuerant, capite plectitur. Dominicani aſtantes, caput ad corpus in loculum ponentes, eum cum cantu lugubri domum ſuam perducunt, ibique ſepulturæ in ſuo templo Dominicanorum mandant. Homo multis virtutibus inſignis, ob cujus caſum multi cives conſternabantur.

Epiſcopus Leodienſis occiditur.

Welhelmus comes de *Arenburch* ab epiſcopo Leodienſi proſcribitur. Hic collectis viribus in Gallia, reverſus occurrit forte epiſcopo, quem ſtatim propria manu occidit. Veniens iſto furioſo impetu in civitatem, dominis majoris eccleſiæ Leodienſis haud intimare erubuit dicens: Ego occidi veſtrum epiſcopum. Non longe poſt novus electus epiſcopus ipſum cepit, captivum Ultrajectum abduxit, accuſatus homicidii capite truncatur. Seminarium malorum ingentium hoc fuit, nam filii ejus multa millia Gallorum ad epiſcopatum adducentes, ferro, igni, & rapina cuncta depopulati ſunt.

Tumultus Gandavenſis.

1485. Gandavenſes tumultuantur; ad obedientiam ab Auſtriaco Maximiliano coguntur, ita ut privilegia armaque ante pedes ducis afferrent, quæ poſtmodum in Brabantiam tranſlata ſunt, novis in civitate Gandavenſi conſtitutis officiariis.

Eodem anno maxima caritas ſalis erat Coloniæ aliiſque in civitatibus & regionibus. Senatus Colonienſis apertis nonnullis turribus ſal civibus divendit, ſumbrinum, ut vocant, pro duodecim alb.

Eodem anno feudum a Friderico imperatore ſuſcipit Aquiſgrani illuſtriſſimus Welhelmus dux Juliæ & Montium.

1486. Dux Clivorum feudum a Cæſare Frederico accipit, qui in feudum conceſſit duci Clivorum ducatum, comitatum de Marca, & *Gennep*.

Maximilianus electus Imperator.

Maximilianus imperator Romanorum Francofurti eligitur unanimi conſenſu, patre ſuo præſente Frederico, 16. Februarii.

Eodem anno Ferdinandus rex Hiſpaniæ Saracenis Granatæ regnum adimit, totam gentem Hiſpania ejicit.

Electo Francofurti Maximiliano, & deinde Aquiſgrani uncto & coronato, Coloniam reverſi ſunt Fredericus parens cum multis aliis principibus, qui jucunditatis gratia haſtiludium in foro antiquo exhibebant: congreſſus Maximilianus cum Philippo palatino comite, lanceis acutis, loricis tecti, equo dejicitur. Maximilianus, quod videns Fridericus filium deridet, alterius laudans fortitudinem. Palatinus equo deſiliens flexis genibus a victo Cæſare veniam petit. Congreditur Albertus Saxo cum Badenſi. Welhelmus dux Juliæ cum comite de *Naſſavv*, cataphracti omnes equis inſidentes quiſque occurſantem lanceis petebat acutiſſimis.

Eodem tempore dux Juliæ a Cæſare vectigal impetrat, idque in *Luſtorff* ædificato teloneo locat. Archiepiſcopus Colonienſis, ipſa civitas graviter ſeſe opponunt, adducentes diverſa diplomata a quatuor Montium ducibus, quibus cautum erat, nullum a ducibus Montium in poſterum ſequentibus vectigal in Rheni ripa locari debere. Negotium confeſtim Cæſari aperitur, litteræ leguntur, ſententia inter ducem & civitatem Colonienſem de tollendis novis vectigalibus & non imponendis a Sigiſmundo olim lata oſtenditur. Cæſar intellecto negotio, vectigal abrogari jubet, & in poſterum ſuſtolli, dans diplomata hujus rei cauſa reipublicæ Colonienſi. Dux indigne ferens Cæſaris donationem & rurſum ejuſdem abrogationem, litteras donationis vectigalis & diplomata, miſſis legatis poſt Cæſarem jam abeuntem, quem Confluentiæ inveniebant, in conſpectu ipſius Cæſaris dilacerari & in fruſtra diſcerpi mandat. Verum Cæſar intellecto ducem ingentem pecuniæ vim vectigalis adipiſcendi gratia impendiſſe, ut damnum reſarciret, donat ducem vectigali in flumine Segio.

1487. Cæſar cum in Belgio inauguraretur venit minimo apparatu, imo abjectiori quam ipſi provinciarum gubernatores uti ſoleant; nihilominus benigne & pompoſe ubique excipitur. Relinquens Cæſar in pleriſque provinciis alios quos ſecum eo duxerat procuratores, qui nimium graves plebi extiterunt, privatum non publicum commodum quærentes, civitates nonnullæ ejuſmodi extraneorum & ſævitiam, & onus, ſuperbiamque ægre ferentes Cæſarem appellant, petentes ut iniquum incœptum a ſuis abroget. Inſtant ſæpe, ſed earum preces minime exaudiuntur. Conjuratione igitur inter ſeſe conſtringunt, in quamcumque ingrederetur civitatem Cæſar, captivus detineretur. Poſtea Cæſar venit cum aliquo comitatu in civitatem Brugenſem, cives obſeratis portis Cæſarem cum ſuis principibus & miniſtris cuſtodiæ mandant, paucis ex ſuis fuga elapſis. Nullum miniſtrorum patiebantur cum Cæſare colloqui, uno tantum coco excepto, qui ei miniſtrabat in domo quadam undique militibus armatis circumdata, ne e manibus civium elaberetur, aut litteræ darentur vel reciperentur. Mittunt quoſdam ex ſuis captivos Gandavum, quoſdam gladio ferire jubent. Cæſarem volunt Flandriam excedat, filium ſuum Philippum dominum ſibi petunt, cui conſiliarios, procuratores conſtituere recipiunt. Cæſar eorum precibus annuere detractat. Quibus intellectis tumultuantur cives nimium: Cæſar furorem eorum videns, quoſcumque vicinos precatur ut vitæ ſuæ parcant, memores ipſum eſſe imperii Cæſarem, nec imperium hanc ignomi-

Conjuratio in Cæſarem.

niam in bonam interpretaturum partem. Ceterum Fredericus accepto nuntio captum Maximilianum filium ſuum, confeſtim miſſis per totum imperium litteris, mandat principibus, ducibus, comitibus, epiſcopis, prælatis, nobilibus, civitatibus, aliiſque imperii membris, ut collectis viribus ei ad liberandum filium ſuum mora poſtpoſita ſuccurrant. Omnes dicto audientes maximo exercitu ad Cæſarem veniunt Fredericum, qui inſtructus numeroſo imperii exercitu, in Flandriam circa Majum venit, caſtrametatus prope Gandavum, ubi hebdomadas ſex moratur, igni, ferro, & depopulatione cuncta devaſtans. Miſerant Cæſari in auxilium imperii membra 3420. equites, & ſex millia peditum. Liberato Maximiliano, relinquitur in Flandria Albertus Saxoniæ dux, qui ſingulas rebelles civitates ad obedientiam Cæſaris armis & vi qua poſſet compelleret.

1490. Coloniæ canonici collegiati a ſummo pontifice ut rubro ſuperpelliceo utantur impetrant, quod olim nemo niſi in ſummo gerebat.

Civitas Brugenſis ab Alberto duce Saxoniæ & comite de *Naſſau* capitur, ſpoliatur, civibus in maximam ſervitutem redactis.

Ingens annonæ caritas.

1491. Annonæ caritas maxima erat Coloniæ. Principes ſuperioris Germaniæ, Juliæ, & archiepiſcopus ipſe ne quid Coloniam importaretur vetabant: ſenatus luſtratis granariis, & civium, & religioſorum, quod proprio victui ſupereſſe comperirent, piſtoribus ut divenderetur, mandabant. Tantus erat concurſus exterorum & civium circa piſtrinas, ut obſeratis januis piſtores notis ſuis & amicis tantum panem quantum uno ſatis erat die divenderent. Ab exteris ferebatur clanculum panis extra urbem, ſed ſenatus-conſulto proviſum erat apud portas civitatis ne quid evehi poſſet: cancelli apud Rheni muros auctoritate ſenatus auferebantur, & obfirmabantur, ne ibi (uti fieri conſueverat) panis divenderetur.

Maximilianus heredem Britanniæ ſponſam ducere tentat.

Maximilianus miſſis legatis ſuis in Britanniam heredem Britanniæ ſibi matrimonio jungere optavit, qua conſentiente nuptialem diem Nurenburgæ indixit. Sponſa ſalvum conductum per regnum Galliæ petens a rege impetravit. Venientem vero ſponſam Carolus rex Galliæ, cui ante Margarita Maximiliani filia deſponſata erat, rapuit, compreſſit, ſibique copulavit. Hanc injuriam indigne ferens filiam ſuam repetiit Maximilianus, eamque vindicare conſtituerat mediante toto imperio, ſed poſtea accepta filia ſua placatuſque, ceſſavit Gallum invadere. Hujus Caroli raptum ita depinxerunt quidam carmine.

Reginæ volucrum thalamos invaſerat ales
Criſtata, & turpi infecit adulterio.
Reginæ volucrum natam prius abſtulit illa,
Et zonam ſolvit peſſima virgineam.

Hinc rurſum inducta concedit: ita noverca
Stragula fallacis prodigioſa viri.
Hæc papa, hæc ipſi totum qui vertitis orbem
Cardinei, fertis crimina tanta viri?
Ferre licet, liceat Gallo miſcere hymeneos
Mox iter hoc paſſer diſcet inire ſalax.

1492. Romæ ſuperſcriptio S. Crucis inventa eſt in quadam tumba plumbea, quæ in deſtructione cujuſdam portæ eruebatur.

Circa hæc tempora Chriſtophorus Columba Genuenſis & Almericus Veſputius Hiſpanus ex Portugallia (anno videlicet 1492.) navigantes, novas & auriferas inſulas, terras incognitas, ultra & citra Calecutium ad 1502. longa & periculoſa navigatione invenerunt.

Friderici imperatoris obitus.

1493. Fredericus imperator moritur in oppido *Lyntz* in Auſtria, & Viennæ ſepultus. Hic cum ad decrepitam perveniſſet ætatem, ſacro igne circa crus corripitur, adeoque morbus invaluit, ut medicorum opera ſecaretur crus unum. Oſtenſo ſibi diſſecto plane crure ait: Me miſerum, quæ differentia eſt inter Cæſarem & ruſticum? Præſtaret eſſe ruſticum corpore & membris ſanis, quam Cæſarem membris mutilatum ægrotumque. Præfuit imperio imperator 53. annos & quinque menſes magna cum laude & reipublicæ commodo.

Ex Hiſpania ejiciuntur Judæorum 120000.

Ferdinandus rex Hiſpaniæ Saracenis vel Turcis Granatæ regnum adimit; totam gentem Hiſpania ejicit.

1494. In comitiis Wormatianis ducatus Wittenbergenſis ex comitatu factus eſt. Comes Eberhardus primus dux creatus eſt.

Maximiliani nuptiæ celebrantur.

Maximilianus in matrimonium ſibi copulat ſororem ducis Mediolanenſis nomine Blancam Mariam Galeacii filiam.

Maximilianus Coloniæ cum ſua ſponſa magnifice inauguratur in vigilia Petri & Pauli apoſtolorum, multis honoratus muneribus a ſenatu, juravit civitati ex editiori loco apud aulam ædificato. Moguntinenſis archiepiſcopus pro Cæſare verba fecit, conſulum unus pro tota communitate. Privilegia confirmavit, dans nova diplomata.

Carolus rex Galliæ Neapolitanum regnum ſubjugat.

1495. Carolus rex Galliæ maximo exercitu per Italiam proficiſcitur, ut regnum Neapolitanum ſibi ſubjugaret: fit voti compos, regno potito domum unde venerat regreſſus eſt, poſitis in regno præſidiis. Anno vero ſequenti Neapoli iterum potitus eſt Ferdinandus junior, profligatis Gallis ex Italia auxilio Maximiliani.

1496. Noveſii turris illa S. Quirini fulmine icta crematur, campanæ omnes vi ignis liquantur, tecta omnia plumbo omni ex parte bene tutata, una tantum turri ſupra tumbam S. Quirini excepta, ignis flagrans abſumpſit.

Philippus Maximiliani

Philippo Maximiliani filio jungitur filia regis Hiſpaniarum in matrimonium. Quæ

Filius Hiſpaniæ regis filiam ducit.

cum ingenti claſſe in Belgium ex Hiſpania deportatur. Philippus audiens ſponſam ſuam adveniſſe, concito gradu ex ſuperiori Germania in Belgium ſuſcepturus & amplexaturus ſponſam advolat.

Filia ducis Juliæ in matrimonio filio ducis Clivorum.

Eodem anno connubio jungitur filia Welhelmi ducis Juliæ filio ducis Johannis Clevenſis & de Marca natu majori: erat hæc unica filia. Conficiuntur diplomata, proinde ſubditi ad inaugurandum ducem Clevenſem miſſis legatis hinc inde perſuadentur.

1497. Muri civitatis Colonienſis tecto undique bene exornantur & teguntur.

Eodem anno quidam ædituus in diœceſi Maguntinenſi paſtorem ſuæ parochiæ compreſſerat, gravidumque reddiderat. Paſtor puella erat quæ operam litteris dederat in virili habitu.

1498. Ludicrum Coloniæ exhibetur ſpectaculum. In antiquo foro locus deputatur aſſeribus abiegnis circummunitus, ubi porcus pinguis ligatur & quinque cæcis hominibus ad mortem baculis percutiendus datur. Erant cæci cataphracti, quiſque baculum in manu gerebat. Fit prælium, percutiunt quilibet obvium, porcum exiſtimans, baculum librat, in cæcum irruens ſternit. Porcus quandoque percuſſus & verbera timens cæcos diſturbat. Tandem ubi aliquandiu & ſeſe & porcum fatigaſſent, victoria in porcum potiti ſunt.

Eodem anno Erculenſe oppidum Welhelmus dux Juliæ occupat & ad deditionem compellit. Altera die cives principi tamquam defenſori, & canonicis beatæ Mariæ Virginis Aquiſgranenſis civitatis tamquam veris dominis jurant. Numerare coacti ſunt duci 5000. florenorum.

Maximilianus Cæſar bellum indicit.

Eodem anno Maximilianus cum innumera multitudine in Geldriam venit contra Carolum ducem quem e regno propellere volebat: ſuccurrit Welhelmus dux Juliæ Cæſari, Stratenſem oppugnant civitatem. Interim Caroli milites eruptiones facientes, igni ferroque comitatum *Hinſsbergh* & Morſenſem depopulantur penitus, multoſque ſecum captivos in Geldriam civitatem abducunt. Cæſariani interim *Echt* pagum occupant occiſis præſidiariis. Carolus rurſum Cæſarianos invadit, occidit, ſpoliaque multa accipit, ducentoſque equos. Juliacenſes porro qui a parte Cæſaris erant, his intellectis præliis, pagum igni cremantes evertunt.

1499. Helvetii contra domum Auſtriacam bella moverunt, trucidatis hincinde multis, rapinis undique cuncta fœdantes. Maximilianus ex Geldria properans ſuis ſubvenit, tandem res per tranſactionem eſt compoſita.

Carolus V.

1500. Carolus Auſtriacus qui poſtea fuit ejus nominis quintus Romanorum Imperator, natus eſt Gandavi ipſis feriis D. Matthiæ, tertia poſt mediam noctem hora, pater A Philippus Maximiliani & Mariæ ducis Burgundiæ filius, rex Hiſpaniæ.

Deficiente in Europa fide propter multiplices hæreſes, Deus animum regis Luſitani ad inquirendas novas inſulas excitavit. Quare hic auſtrales oras legit. Caſtellani vero antea novum repererant orbem & terras hactenus incognitas. Ne qua autem inter Caſtellanos & Luſitanos diſſenſio exitialis oriretur, Romanus pontifex Alexander VI. ſua auctoritate interpoſita decrevit, ut Caſtellani ad occidentem, Luſitani vero ad auſtralem polum navigarent. Ita factum eſt, B ut Caſtellani continentem ampliſſimum, inſulas maximas & innumeras, auri & unionum feraciſſimas invenerunt. Luſitani vero per Arabicum & Perſicum ſinus, ad Indiæ littora, regnum Calecuthicum, denique ad auream Cherſoneſum, & ipſa Sinarum regna longiſſimis & prope immenſis itineribus perlati ſunt. Sed & hi reges non tantum opes & divitias exterarum inſularum quæſivêre, quin potius animarum incolarum ſalutem Deo tribuendam.

Luſitanus & Caſtellanus rex novas acquirunt inſulas.

1514. 13. Octobris Leydæ in Hollandia natus eſt puer ſine capite, habens binos in C pectore oculos.

1515. Carolo ac Ferdinando Auſtriacis ex univerſa patria delecti ſunt Guilielmus Ceverinus princeps, & Adrianus Florentius qui tunc erat ſcholæ Lovanienſis cancellarius, ambo viri & ſapientes & incorrupti, quos in recte inſtituendo fidelem & ſtrenuam navaſſe operam dubium non eſt. Hic anno ætatis quinto decimo Lovanii quemadmodum pater, avus, & proavus fecerant, Brabantiæ principatum ſuſceperat, non unius tantum urbis, ſed & omnium provinciarum gaudio incredibili.

Maximiliani Cæſaris obitus.

1519. Menſe Januario Cæſar Maximilia- D nus fatalem diem obiit in Germania ſuperiore, quum eſſet ingreſſus annum ætatis 63. Juventutem nemo religioſius, nemo innocentius, nemo unquam ſanctius exegit, nemo fuit unquam patri obſequentior filius.

Carolus imperator eligitur.

In Maximiliani locum Carolus hujus ex filio Philippo nepos principum ſuffragio imperium adipiſcitur. Agebat is tum in Hiſpaniis. Unde per legationem, cujus princeps Palatinus erat, evocatus anno 1520. in Flandriam applicuit, inde Aquiſgranum proficiſcitur. Ubi exquiſitiſſimis honoribus exE ceptus, & imperii donatus inſigniis, Coloniam inde Wormatiam ſe contulit. Nullus unquam principum ſtudio major, & civitatum luxu cultus eſt, nulli plura exhibita ſunt ſpectacula. Wormatiæ celebri conventu Germaniæ principum, qui ad ejus edictum huc convenerant, damnata eſt Lutherana hæreſis, (qui Lutherus ſuum peſtiferum dogma anno 1517. evomere auſus fuit;) id quod ejuſdem principis edictum imperiale teſtatur anno 1521. Wormatiæ.

Hadrianus VI. papa.

1522. In demortui Leonis papæ decimi ejus nominis, menſe Januario, cœli providentia orbi pontificem dedit Hadrianum Florentium Trajectenſem cardinalem SS. Johannis & Pauli, eximia ſacrarum litterarum doctrina, atque omni genere virtutum ornatiſſimum virum, quem adhuc in minoribus agentem Cæſar Maximilianus Caroli nepotis pueritiæ formatorem ex Lovanio aſciverat. Eſtque vocatus Hadrianus ſextus ſervato nomine, quod olim in baptiſmo acceperat. Quum Romæ eligeretur magno cardinalium conſenſu, agebat is tum in Hiſpaniis regnorum Caroli Cæſaris gubernator, aberat enim Carolus ob negotia imperii. Poſt octo deinde menſes Romam veniens, maximo totius urbis gaudio pridie Kalendas Septembris coronatur. Sub cujus appulſum ingens exorta peſtilentia duravit ac ſæviit hiemem unam. Rhodus quoque a Turcis capta. Cujus oppugnandæ hoſtibus occaſionem præbuiſſe exiſtimat quilibet, has inter Chriſtianorum principum diſcordias: moritur altero ſuæ adminiſtrationis anno ineunte. Hic domum ſuam Lovanii magnifice extructam in uſum vertit ſanctis litteris ſtudentium, iiſdem in alimoniam relictis etiam proventibus annuis ſufficientibus.

Carolus V. Romam obſidet.

1527. Carolus V. in Italiam cum maximo profectus exercitu Romam expugnat, pontificem in arce ſancti Angeli obſidet, cardinales quoſdam ſpoliant milites.

1533. Eliſabeth regina Angliæ naſcitur. Moritur eadem anno 1603. magno cum luctu hæreticorum quorum eccleſiæ caput ſeſe declarabat, coſque ſumma potentia ubique alens ac protegens, magnum apud hoſce poſt ſe reliquit deſiderium.

Henricus VIII. rex Anglorum factus hæreticus.

1538. Henricus VIII. rex Angliæ ex catholico Lutheranus factus, religionem ipſe totuſque populus Angliæ mutavit, ſprctis pontificiis mandatis, omnia monaſteria paſſim ſpoliat, monachos partim ex tota Anglia exturbat, partim in patibulo publice ſuſpendit. E quorum numero multi fuere Carthuſiani, Minoritæ, Prædicatores & alii. Caput eccleſiæ ſeſe declarabat, id non approbantes occidi mandat ſecuri: Johannes Fiſcherus, & Thomas Morus, alter epiſcopus, hic cancellarius viri æterna memoria digni ſecuri ita percuſſi finierunt vitam hanc, pro qua æternam dubio procul mutaverunt.

Monaſterium ſuburbanum Noveſienſe deſtrui cœpum.

1583. Initio tumultus Truchſeſiani, monaſterium ſuburbanum Noveſienſe ab ipſis Noveſianis, ne quid ex eo civitas caperet detrimenti, dirutum eſt: quæ quidem deſtructio, leviter admodum atque inconſulto accidit. Quirinus Tylanus prior noſtræ domus, in civitatem una cum ſuo procuratore Leonardo Serario Noveſiano quadam die ad Petrum *Staël* conſulem divertunt, vinoque ſe quam optime replent. Poſtquam vero toti madidi vino æſtuarent, Stalius conſul de do-

Petrus Staël conſul Noveſianus demolitionem ſuadet.

mus noſtræ ſtatu, & quo pacto inter liberorum prædonum irruptiones vivere queant percontari cœpit, conſilium extemplo meditatur de deſtruendo monaſterio, fratribuſque ad tutiora loca transferendis. Dubium non eſt, inquit, civitatem Noveſianam ante multos annos, ob varias eaſque duras & diutinas obſidiones, bellaque varia, tum etiam præclaras victorias, & fortiſſimorum civium egregia facinora & ſtrages in hoſtes factas, invictumque animum per totum Romanum imperium, adeoque etiam in multis exteris nationibus paſſim bonis avibus magnaque cum laude celebrari, & nobilitari, ob id quoque maxime quod hoſtem ſuum licet fortiſſimum & multis civitatibus formidabiliſſimum nunquam in hunc uſque diem timuerit; duriſſimas & longiſſimas obſidiones argumento eſſe a Philippo rege Romanorum anno Incarnationis Dominicæ 1205. & a Carolo duce Burgundionum anno 1474. factas: id quidem eo tempore accidiſſe, quo hoſtis adhuc tantis exquiſitis & horrendis machinis bellicis & ſtratagematibus uti neſciret: jam vero licet civitates vallo, foſſaque & muro latiſſimo & aquarum copia ſatis muniantur, nullæ tamen exiſtere, quæ illius & aſtu & vi capi non poſſent. Ita quoque licet Noveſium per ſe ſatis tum muris duplicibus valloque & aquarum copia, tum etiam civium fortiſſimorum magnanimitate munitum ſit, ita quod cum fortiſſimis civitatibus certare queat, nullumque prorſus hoſtem timeat: nihilominus tamen ſenatum populumque Noveſienſem maximis votis optare, ſe quam longiſſime extra omnem metum, & periculum poſitos eſſe, & ſecuros in utramvis autem dormire. Hoc autem facile fieri non poſſe, niſi omnia propugnacula prope civitatem, vel quæ eorum loco eſſe poſſent dejiciantur & funditus eruantur: poſſe enim hoſtes ſeſe ad reſiſtendum & oppugnandum, in talibus firmare & reſiſtere, civitati populoque damna maxima inferre. Propugnaculi loco & monaſterium ſuburbanum dubio procul eſſe, quia ſtructura omnium ſit antiquiſſima & muris validiſſimis exornata. Illudque monaſterium fortiſſimum nimis prope muros exædificatum eſſe, & hinc ſibi pericula evenire, præſidium fore maximum hoſtibus, nec inde facile expugnari poſſe, ideoque præſtare ut funditus dejiciatur & evertatur; priorem quoque agere debere cum ſuis fratribus quatenus in iſtam demolitionem conſentiant. Senatum populumque Noveſianum, pro tanto munere & beneficio erga priorem totumque conventum & poſteros ſe quam gratiſſimos exhibituros, multoque majora beneficia in illos collaturos eſſe. Satius eſſe & omni etiam juri & æquitati etiam conſonum, unam everti & deſtrui domum, quam totam eamque pulcherrimam & ditiſſimam periclitari civita-

tem;

tem ; ſenatum pro recompenſatione domus ſuburbanæ, aliam in civitate cum omni jure libere donaturum, ubi prior cum fratribus ſuis tum quietus, & magis extra omnem hoſtium incurſionem & deprædationem liberius, tum quoque ubi minori diſpendio vivat. Quum alias extra urbem poſiti, quicquid annuorum proventuum erat, in frequentes hoſpites, imo ipſos prædones effundere ſoleant, intra vero muros conſtitutis neminem niſi ipſis charum admittere liberum eſſe ; neutiquam ſe de prioris fratrumque ceterorum voluntate & ſententia dubitare velle affirmabat. Prior, ut erat ingenio futili ita & levi, inconſulte & haud cogitanter reſpondet : Placere quidem ea quæ a conſule proponerentur, neque ſibi ſuiſque optatius accidere poſſe, quam everſa domo ſuburbana inter incolas monachos Noveſianos recipi debere. Diu ante ſudatum fuiſſe, ut mutata ſede transferrentur, & hoſpitibus, hoſtibus atque adeo etiam liberis prædonibus bolum pro quo nullæ gratiæ e faucibus eripiatur. Quod ſi ſenatus promiſſis ſuis ſtet, facile ſuos in ſententiam ſuam pertracturum ſe ait. Procurator qui coram aderat, ut egregius adulator, iis quæ a priore dicebantur annuit, & ſibi haud ſecus ac priori placere affirmavit : os oblinire noverat. Conſul habitis his reſponſis lætabatur, ſe ſequenti die eadem in ſenatu relaturum eſſe, nec de prioris fide ſuorumque etiam ſententia dubitaturum aiebat. Annuunt utrique, & datis dexteris pollicentur. Poſtera die ubi tenebras aurora vix fugarat, vocatis clanculum quibuſdam fratribus ſecum hac de re ululantibus, negotium propoſuit, quos ut facile in ſententiam ſuam pertraxerat, ita quoque facilius negotium conficiebatur, & peſſimum exitum ſortitum fuit, noſque ab his pauculis conſilium malignantium pertractantibus fratribus deluſos & deceptos eſſe, graviter moleſteque ferimus, & maximo cum dolore eorum inſipientiam & ſtultam conſultationem ſupportamus. Vix abſolutis conſultationibus in ſenatum vocantur. Eunt prior, ſupprior Leonardus Stannarius, Procurator Leonardus Scrarius, ambo Noveſiani, & Hieronymus N.... hujus rei tantum conſcii, ceteris fratribus quid agebatur penitus ignorantibus. Quæ pridie ejus diei dicta geſtaque erant repetuntur, atque an in eadem ſententia etiamnum cum ſuis prior perſiſtat, ſenatus quærit. Nihilque priorem dubitare debere de ſenatus voluntate, quicquid enim cum conſule Stalio pepigiſſent, id auctoritate ſenatus ratum firmumque fore, ſe enim totum jus dandi monaſterium Minoritarum ab eo tempore quo Templarii occiſi, & per univerſum Romanum imperium deleti ſunt habere, idque tutari tum velle tum poſſe. Hiſce aliiſque ſimilibus verbis deluſi, prior ceterique ſociorum principes ſe in ſententiam concedere, alioſque qui domi remanſerant idem affirmare aiunt, (quod verum non erat.) Haud aſtipulari verebantur, dummodo pactis ab utraque parte ſtetur. Hæc reſponſa dabant non conſultis neque archiepiſcopo, neque ſummi templi canonicis domus noſtræ fundatoribus & defenſoribus. Porro auditis prioris Tylani reſponſis, ingens gaudium inter ſenatores exurgit. Pactum codicillo inſeritur. Vix bene deſierant, ecce rumor dicto citius per civitatem ſpargitur, monaſterium ſuburbanum funditus ſubvertendum eſſe. Gaudebant multi, plures effuſis lachrymis uberrime tam turpe facinus deplorabant. Hæretici, quod dejicienda eſſet domus Dei, quam illi diabolica habiracula appellitant, exultant : pauperes multique alii cives, qui mechanico opere cibum quærunt, quod eleemoſynis, ſuoque quotidiano lucro defraudarentur, dolent. Concurrunt alii, ad deſtruendum parati, nihil ad tutandam civitatem opportunius fore exiſtimantes, quam ut domus, quæ tot annis tuta ab hoſtili ſævitia ſteterat, nunc tandem a propriis civibus, incolis, & vicinis demoliretur. Quam Philippus Romanorum rex in gravi obſidione conſervavit, quamque poſtea Carolus Audax Burgundiæ dux in longa ſua eaque graviſſima obſidione pro hoſpitio uſurpans honeſtavit, cui penitus parcens, nullum a militibus ſuis damnum inferre ſinivit ; eam nunc civis vicinus, omni æquitatis jure & pudore exuto, deturpat, & ſolo adæquat.

Prior & procurator incendium templi cum aliis cogitant.

Vocantur prior cit ſuis in ſenatum.

Senatus Minoritarum domum pro noſtra ſe daturum promittit.

Senatum priorem hortatur, ut ſi quid adhuc ſuppellectilis domi ſupereſſet, aſportari curet, opus illico convocatis civibus accelerandum eſſe. Fratres hortante priore, ſuppellectilem utenſiliaque undique per domum colligentes, nihil minus quam domum tam præclaram dejiciendam eſſe cogitabant, ſed ſaltem ſe ad tempus transferendos, ſalva ſua domo, ſibi perſuadebant. Convocatis diverſis operariis ad frangendum, ſenatus id quod decretum erat perficere jubet. Hi præhabita deliberatione reſpondent, ſe quidem paratos eſſe, tantum reſtare, ut omnem moleſtiam hinc forte exorituram ſenatus in ſe recipiat. Ut ſenatus conſulto pareant demum adhortantur. Fit concurſus, clamorque exoritur. Cives haud ſecus irruunt, ac ſi hoſtes declarati, & monaſterium vi & armis expugnandum foret, omniaque prædæ data eſſent, maximo impetu non monaſterium tantum, ſed & bona invadunt ; quicquid obvium erat raptant, pretioſa quæque furantur, domum quique onuſti ſatis erant vadunt. Exuviis depoſitis, celeri greſſu plura rapturi revertuntur. Alii tecta conſcendunt, nudant, dejiciunt. Horum furorem ceteri fratres, qui rem geſtam in ſenatu penitus ignorabant, videntes obſtupeſcunt, quid primo dicerent neſciunt. Quærunt tandem reſumto

Monaſterium deſtruitur, bona noſtra a civibus ſpoliantur.

Fratres hujus negotii ignari civibus ſeſe pro domo opponunt.

ſpiritu quid cives velint, quidve in animo habeant? Prædones hoc modo invadere, non amicos, non cives; & ſi quis furum, vel latronum vel prædonum eo quo illi pergerent pede, ſeſe eos defenſores imploraturos: ſed nunc præpoſtero ordine rem geri ſe facile perſpicere, atque ut eorum furorem compeſcant, potius liberorum prædonum vice verſa ope & auxilio indigere. Parcant tectis, ſtructuræ & ſuppellectili ſuæ, rogant. Nihil ipſis rei cum civibus? relinquant illa quæ non exædificaſſent, illaque non tollant, quæ neque dediſſent, neque poſuiſſent; ſin minus eaque omnia quæ fierent & per eos perpetrarentur, ſummi templi ſenatui ſcriptis inſinuanda fore. Cives nihil eorum verba preceſve curantes, graviori ira replentur, alacriuſque ſolito inſtant operi, idque in mandatis habere ſe aiunt. Ad hæc Conradus Vorſtius ſenior, qui fidelem ante multis annis procuratorem domus noſtræ egerat, reſpondet, elata voce clamans ab opere nefario ceſſent, illaque quæ non ædificaſſent, ſinant; ſe nomine maximæ partis conventus & eorum qui foris ſunt, (nam in hoc negotium frequentes non conſenſerant,) fratrum nomine ſolemniter proteſtari, damnumque ab ipſis operariis petendum eſſe. Audientes hæc operarii conducti aliique permulti cives, ab opere ceſſant, jamque deſcendebant. Superveniens autem fr. Hieronymus N.... homo plane atheus, fratrum juniorum perverſus ſemper corruptor & depravator, pacis & concordiæ tam publicæ quam domeſticæ perturbator, ſuis ſemper prioribus rebellis & contrarius, murmurator egregius, ut vidit conductos a demolitione ceſſantes, ad Conradum furore quodam repletus ait: Quouſque tandem abutere licentia tua furcifer inveterate? Quouſque noſtra patientia tuam malitiam, infidelitatem, impoſturam, atque adeo furtum tolerabit? Eorum omnium furtorum nunc tandem, diis gratiæ, finem videmus. Nunc aliud regnum exurgit, quod ſane ego diu ante deſideravi, dii hoc me meis oculis contemplari voluere. Sine ut diabolicum hoc habitaculum dejiciatur: ſin minus, haud impune evades. Conradus ejus minas contemnens, (habebat enim ſatis perſpectam ipſius malitiam) propoſito ſuo inhæſit, atque ut ab opere ceſſarent hortatur ſtrenue. Alter compoſito pugno bonum & fidelem ſeniorem adoritur, in terram convolvit, pedibus peſſundat, valideque pugnis ingeminat verbera, & ni frater quidam eum ex plagis eripuiſſet, ipſum delumbaſſet. Ut mandatis pareant ſenatus hortatur, omniaque & tecta & lapides dejiciant. Ego, inquit, jam porro aliter meos tractabo ſeniores. Pergunt illi frangendo, hic nefarios labores laudando. Pudet multa de hoc perverſiſſimo homine ſcribere, qui ut fuit everſionis cauſa, ita & poſteritatis, & nominis, & ſucceſſionis noſtræ extinctor & demolitor.

Ceteri fratres quibus negotium diſplicebat, quum rapinas civium & irruptiones prohibere nequirent, ea quæ in ſacriſtia & bibliotheca erant, in civitatem avehunt, hoc & laici quantum poterant faciunt. Quidam ex noſtris perverſam hanc videns tragœdiam, ad Stalium divertit, cum eo rei indignitatem expoſtulans, infert ſenatum facere id cum conventu quod æquitati minus conveniens eſſet, neque id ab ipſo conſule Stalio expectatione dignum, quod domum demolitioni ſubjicere deberet, eo quod amicus noſtræ domus, ſuique primores. Ille ut erat aſtutus, reſpondit ſe civitati non conventui juramento obſtrictum, præſtare quidem beneficia conventui promptum ſe eſſe, ſed multo majora civitati exhibiturum promptiorem ſe eſſe. Hæc dum ita geruntur, diſplicuit prioti ceteriſque ſuis complicibus temerarium initum conſilium, & non conſultos canonicos ſummi templi, ſeu etiam archiepiſcopum Truchſeſium. Ablegat igitur procuratorem ſuum ad Truchſeſium & capitulum, deprecans ut in demolitionem conſentirent. Truchſeſius ſe pati poſſe ait ob difficillima tempora, ut fratres ad tempus in civitatem tranſportentur, non autem ut monaſterium devaſtetur. Capitulum quoque ſe difficillime præbuit. Statim vero ut Truchſeſius in hæreſeos errorem maximo cum totius provinciæ Colonienſis detrimento & interitu lapſus eſſet, multis datis muneribus, capitulum quoque majoris eccleſiæ, cum jam fere dejecta eſſet domus, in furioſam imo pernitioſam devaſtationem conſenſit.

Transferuntur porro fratres a ſenatu in Minoritarum monaſterium, tamquam ibi permanſuri, illud jure hæreditario perpetuo cum ſucceſſoribus poſſeſſuri, quod tamen brevi poſt longe aliter evenit. Opponunt enim ſeſe Minoritæ & ſenatui & fratribus noſtris, dicentes nihil quidem ſenatum juris in monaſterium ſuum, quod ordini immediate ſubjectum eſſet, habere, neque ſe in hanc tranſportationem & compulſam fratrum regularium monaſterii ſuburbani cohabitationem conſentire tum poſſe tum debere. Monaſterium pro ſe non pro alterius ordinis hominibus erectum eſſe. Senatus econtra ſe ab illo tempore quo Templarii Domini ex hoc eſſent monaſterio fugati occiſique, dominium in illud habere, & liberum illis eſſe quoſcumque vellent in illud, ſuæ ditioni ſubjectum ordinis cujuſque conſtituere. Durabat talis altercatio multis diebus, nec quieti ab utraque parte fratres eſſe poterant. Senatus non attentis Minoritarum minis, noſtros fratres in parte monaſterii, quam quidam ſuffraganeus Colonienſis ædificaverat collocat, idque vi & auctoritate ſua. Dividitur monaſterium in duas partes, una verſus

Contradi Vorſtii ſenioris pro domo zelus.

Hieronymi nequitia & auctor demolitionis.

Fratres domus Novenſis quæ poterant ejiciuntur.

Senatus perfidia in domum noſtram.

Archiepiſc. & ſenatum ea pariſum Colonienſe ante ſtatis poſſeſſorem conſtituiſſe.

Fratres noſtri ad Minoritas tranſeunt.

Minoritæ & ſenatui & noſtris oppoſiti.

Monaſterium dividitur.

meridiem Minoritis, altera versus septentrionem Regularibus assignatur. Paries interjicitur. Minoritæ hac divisione & partium assignatione minime contenti, parietem perfodiunt & dejiciunt. Protestantur de facta a senatu & regularibus sibi injuria. Nostri videntes se minime convenire & concordare posse cum Minoritis, (nam a verbis ad verbera sæpissime erumpebatur) & a senatu delusos plane esse, cœpit ipsos fact: tandem pœnitere, quid tum potissimum consilii capiant prorsus hærent. Senatus ut majori nostros afficeret injuria, longiorique tempore suspensos teneret, aliud pro conservando B
Senatus aliud excogitat cõsilium. monasterio, nostris consilium communicat. Supplicandum esse apud reverendissimum Colonienſem, (ea tempestate forte Ernestus Bavarus in archiepiscopum electus erat,) necnon apud capitulum summi templi, & munera largienda, monachos hoc modo Minoritas, ut in sententiam suam descendant compellendos esse. Archiepiscopum & capitulum, ut etiam ordinem suum mutent, & Regularium assumant, facili negotio eos adigere posse, vel si malint, ordinem & monasterium relinquant, aliudque in diœcesi C
Munera nostro largienda. quod velint eligant. His susurrationibus (nihil enim plus poterat senatus) nostri persuasi, ad munera donanda confugiunt. Negotium Leonardo Serario procuratori perficiendum committitur. Hic, ex voto & sententia omnibus rebus paratis compositisque, conscenso equo Coloniam venit, inde Bonnam, post Brulam proficiscitur; multa donat, putabat enim multis muneribus homines placari posse, & in suam sententiam pertrahendos. Sicque longo tempore non ut monachus, sed ut miles obequitans, parum adjumenti domum reportat. Consumit æris monasterii multum, grandia fratribus promittens, re tamen infecta plerumque vacuus D
revertitur. Equum egregium phaleris & ephippio exquisitissime exornatum, centum coronatis aureis valentem, comiti Antonio Schawenburgico summi templi decano donat. Phaleras hic videns & ephippium suis non assimilari, jubet, procurator aliter ut equum exornet, quod evestigio factum est, depositis primis ornamentis. Debebat hic agere cum capitulo, ut auctoritate sua, Minores, vel monasterio exeant, vel mutato suo griseo habitu, nostrum induant. Pro E
Deputatum commissarii. phalerato equo, phalerata verba dabat. Neutrum præstabatur, tantum duo deputabantur commissarii, doctor Johannes *Evvolgen* canonicus summi templi, officialis, & Jacobus Puttendorpius decanus ad gradus, qui auditis utrinque diffidiis, auctoritate archiepiscopi negotium componere deberent. Verum cum Minoritis, non attentis aliquot decretis per archiepiscopum interpositis, ac variis tractatibus per commissarios cum ipsis habitis, nulla ratione transigi poterat ut vel

A æquis sub conditionibus, quia illorum pauci erant numero, emigrarent, vel sub beneplacito sanctæ sedis apostolicæ & ordinarii nostrum habitum, ut supra dictum est, susciperent. Interea laborabant illi dato suppli- Minoritæ sũmo pontifici supplicant, nostrosque accusant.
ci ad summum pontificem Romanum libello, in quo rem gestam penitius narrabant, nostrosque de perversa vita, & illata sibi maxima injuria accusabant. Continebatur inter cetera, priorem cuidam Calvinistæ civi Novesienſi lapidem consecratum de altari S. Crucis vendidisse, quo ipse postea in horto suo pro mensa utebatur, in quo & alea & tesseris & chartis ludebatur, sic quod sacrum erat, in quo & divina sacramenta conficiebatur, jam prophanum plane factum esset. Pontifex motus, publicato edicto, priori ceterisque suis fratribus monasterio ejusque possessione, & gravi molestia interdici jubet, minis additis & fulminibus ni pareant. Hæc fratres Minoritæ Romæ. Nostri interim ædificant, quisque pro se cubile, extructo novo foco, procurator culinam novam, cum aliis novis pro se & priore ædificiis erectis, idque non attentis quæ dicebantur, putabant archiepiscopum & capitulum summi defensores fore, & quicquid facerent ratum habere. Expendunt pro inutilibus ædificiis ultra duo millia dalerorum, consumunt plus quam alias extra positi solebant. Patebat domus quibuslibet ingredi volentibus. Mino- Minoritis
ritis sesquiannum victum dant. Assidua ibi nostri dant victum.
erat tum civium tum aliorum potatio & comessatio. In dies vivebatur, nullius ordinis & professionis ratio. Vix videri dabatur monachus sobrius. Noctem in diem vertebant, & rursum post tenebras sperabant lucem. Cultus divinus aut rarus aut nullus. Neque prio- Auctoritas prioris vilescit.
rem, neque regularis vitæ professionem, exulante obedientia, venerabantur; sed potius ipsum contumeliis affectum verberibus tundunt, ut paucis plurima dicam, quodcumque unius omniumque animo placebat, faciunt. Sed neque a venditione domus suæ cessant; quicquid cuique obvium erat, vendunt, distrahunt: hi lapides, plumbum, libros; alii arbores, ædificia, sicque ex rapto nullus ab alio bene tutus vivitur: sumebant enim a civibus sibi rapiendi exemplum. Porro prior & procurator distributas inter cives domos aliquot monasterii divendunt, leviſſimo pretio numerato. Considerans Hieronymus non Hieronymus N. consilium dat de constituendis novis monasterii nostri venditoribus.
esse e re sua quod prior & procurator soli monasterium distraherent, suadet priori, alios constituat venditores cives, qui reliqua divendant, se vendendi experientiam non habere. Faciebat hoc non emolumenti conventus causa, sed sui. Nemo enim quicquam ab his emere prius poterat, quam ipse Hieronymus ab emptore corruptus esset. Prior suasori & consultori consentiens, duos cives Constituuntur venditores monasterii.
qui monasterium vendant, constituit. Sicque monasterium præclarissimum & vetustissi-

mum, multiſque nominibus cantatiſſimum per univerſum pene Romanum imperium, malis ſuggeſtionibus intercedentibus cum maxima & prioris & procuratoris & Hieronymi ignominia venditum & diſtractum eſt, imo penitus erutum, adeo ut vix cerni queat ubi tam præclara ſtructura erecta ſteterit. Venditores poſito calculo coram priore & quodam conſule, monaſterium vendidiſſe ſe affirmant, ſcriptis datis examinatiſque, idque in ſpecie 885. aureis coronatis. Vah pœnitet hic referre noſtrorum impudens factum & incœptum, quod pro tantillo pretio tam nobiliſſimam vendiderint ſtructuram, quum pro tam exiguo pretio, vix unius ruſtici caſa exædificari queat. Senatus etiam qui ſuis civibus tum perfectiores tum prudentiores eſſe debebant, omni abjecto pudore, multa lapidum plauſtra avehi curat, civitatem fragilioribus in locis paſſim munit. Ligna quoque ſaliceſque circa monaſterium quam plurimas in civitatem tranſportant, nihilque relinquitur quod oculis obverſari poterat. Dux Lowenburgicus, canonicus ſummi templi 150. plauſtra lapidum in *Hulcheradt* avehi mandat, quo fortius illud caſtrum, quod fere in bello Colonienſi a Truchſeſio exſuſcitato, bombardis bellicis dejectum fuerat, muniat & redintegret, promittens pro hiſce vel ligno vel alia via beneficium hoc fratribus recompenſaturum. His ita geſtis, & monaſterio & omnibus erutis, dejectis, diſtractis, venditis, ita quod locus ante ornatus, nunc nudus contempletur; cœpit civium furor paululum mitigari & quieſcere: putabant ſe nunc tandem in utramvis aurem ſecurius dormire poſſe, nec hoſtem ipſis detrimento eſſe, neque ipſum ſibi formidoloſum ut ante, fieri, debere. Sed ſpe ſua miſeri decepti ſunt, ut latius infra dicemus. Prior cum ſuo procuratore in vendendis pecoribus, & elocandis agris toto niſu incumbunt. Vix quiſquam potiri agro poterat priuſquam Hieronymum munere conſalutaſſet. Canon annuus, quem hic ponebat, priori placere oportebat, quod tam viliter & pueriliter contigit, ita ut ludibrio & prior & ceteri plurimis eſſent. Quæ tamen elocatio poſt expugnatam a Parmenſi principe civitatem Noveſianam a me revocata eſt. Sciebam enim plus emolumenti agros, quando ipſos ſub cultura noſtra habebamus & colebamus, conventui præſtitiſſe, quam cives dare ſpoponderant, & tamen parum adhuc daturi eſſent. Operarii conducti pro dejiciendo monaſterio promeruerunt 815. florenos currentes 3. alb. 3. denarios monetæ Colonienſis. Atqui hic exitus & finis monaſterii ſuburbani eſt.

Senatus lapidibus noſtris civitatem ſuã firmant.

Hulcheradt noſtris ſimiliter lapidibus firmatur.

Eodem anno conventus Coloniæ a capitulo ſummo indicitur. Conveniunt ordines dioeceſeos, comites nobiles, Cæſaris, regis Hiſpaniarum legati, & imperii principum civitatumque miſſi. Ubi agitur de archiepiſcopi Truchſeſii matrimonio, adminiſtratione, edictis, libertate religionis: tandem propoſitis hinc inde controverſiis, cum varie diſputatum eſſet, & cum omnes a capitulo ſtarent contra Truchſeſium, exceptis paucis hæreticis comitibus qui a parte Truchſeſii erant, poſtea excommunicatis, in verba pacis religioni Vindelicorum datæ concluſum eſt. Sunt autem ea hæc: Si quis archiepiſcopus, antiſtes, aut alius ordinis eccleſiaſtici a religione veteri deficiat, is continuo diſcedat ab epiſcopatu ſuo, præfectura, beneficio, ſimul omnibus etiam fructibus quos inde percepit: & collegio, ſive iis ad quos ea res jure vel conſuetudine pertinet, liceat, & integrum ſit, in ejus locum eligere, vel conſtituere alium: Præterea omnia acta Truchſeſii conſtitutionibus dioeceſeos repugnare; ideoque archiepiſcopum ſeipſum inutilem ſuo muneri reddidiſſe, ſedem vacare & alium eligendum eſſe. Ad hoc legati Cæſaris omnem operam ſuam pollicentur. Fredericus Lowenburgiæ dux, confeſtim ex mandato collegii, contractis aliquot militibus, Cæſaris inſulam tanta celeritate cepit, ut ſomnium eſſe putaretur; multique adhuc claſſicum datum eſſe dubitarent.

Videcompl. mentum Bav. & bellum Colonienſe.

Cæſaris inſula capitur.

Kalendis Februarii archiepiſcopus, intellecta collegii concluſione, archivum Bonnenſe, in quo omnia diplomata, litteræ, atque inſtrumenta publica dioeceſeos ſervabantur, ſpoliat, quorum majorem partem Nuenarius comes Adolphus ſecundo Rheno ſecum abſtulit. Gebhardus ipſe poſtridie publice per miniſtrum hæreticum Agneti ſuæ infauſto matrimonii vinculo junctus eſt, acceptoque de victoria ducis Frederici nuncio, cum Bipontino, relicto Carolo fratre Bonnæ præfecto, Dillenburgum profugit, Hontſelarius Linnam capit; erat hic aulicus Truchſeſii.

Truchſeſii nuptiæ.

Truchſeſiani ſuperiorem dioeceſeos oram vaſtant. Erneſtus dux Bavariæ Coloniam venit. Caſimirus comes Palatinus hunc monet ſcriptis litteris, ne archiepiſcopatum Colonienſem ambiat. Gebhardum enim legitimum eſſe & manere archiepiſcopum, ſi quis eum loco movere velit, contra hunc ſeſe defenſionem Gebhardi ſumpturum.

Erneſtus Colonam venit.

Truchſeſius in Weſtphalia monaſteria & templa ſpoliat, eccleſiaſticos capit & multat, imagines frangit, ſacramenta conculcat, omniaque ſacra diripit & evertit. Concionatores mox introducuntur hæretici, magnique tumultus præſertim Werlæ, ob religionem excitantur.

Truchſeſius ſpoliat monaſteria & templa.

Dux Fredericus in inferiori dioeceſi arcem Hulcheradt expugnat. Hulcheradt per aliquot dies oppugnat, & tandem aquis per incilia, colliquiaſque alio derivatis, ruiniſque ſtratis 16. Martii expugnat. Truchſeſiani duce Nuenario Berka potiuntur.

Hulcheradt expugnatur.

Pontifex Romanus, intelligens nullam de

Conventus Colonienſis cõtra Truchſeſium.

Truchſeſius a ſummo pontifice excommunicatur.

Truchſeſii emendatione ſpem reliquam eſſe, in publico cardinalium conſeſſu primo die Aprilis, lata in eum excommunicationis ſententia, tamquam mortuum membrum ab eccleſia amputavit.

Linna recuperatur per Fredericum Lowenburgicum.

Epiſcop. Vercellenſis Coloniam venit.

Cardinalis Auſtriacus Andreas, cum a Caſimiro impediretur quo minus Coloniam venire poſſet, miſſus eſt ejus loco Johannes Franciſcus epiſcopus Vercellenſis, qui ſententiam de excommunicatione attulit Gebhardi, & cetera quæ in mandatis habebat graviter & ſumma cum laude expedivit.

Canonici majoris eccleſiæ Colonienſis omnes ad electionem novi archiepiſcopi evocantur, ad quos jus eligendi pertinebat. Gebhardus electionem & litteris & legationibus multis impedire conabatur, quod electores nonnulli apud Cæſarem, Bipontinus vero & Caſimirus, Nuenarius, & Carolus Truchſeſius apud ſenatum Colonienſem facere fruſtra ſtuduerunt. Aderat electioni decretus dies, Maii ſcilicet 23. Inſtituta erat oratio ad Deum quadraginta horarum continua, ad optimam & tranquillam electionem impetrandam. Certe preces ſuorum audivit omnipotens. Nam ipſa quadrageſima hora, electio, qualis ab omnibus piis catholicis ſperabatur, evenit. Nam poſt ſolemne ſacrum, canonici electuri ad conclave venientes, peractis iis quæ de more fieri conſueverunt, unanimi conſenſu illuſtriſſimum ducem Bavariæ Erneſtum Leodienſem epiſcopum elegerunt. Mox epiſcopus Vercellenſis canonicos aliquot illuſtres a Truchſeſio ſtantes excommunicat & fructibus eccleſiaſticis privat.

Erneſtus dux Bavariæ archiepiscopus Colonienſis eligitur.

Gaſconum aliquot copiæ ductore IV. doctore Peuterico Truchſeſio adducuntur, qui ſtatim primum ſibi obvium pagum expugnandum eſſe ratus, copias ad Unkel duxit: habebant majora aliquot tormenta, omniaque ad expugnationem neceſſaria. Ruſtici qui in pago erant fortiter ſe defenderunt, ita ut vulnerato Peuterico, multiſque deſideratis, obſidentes cedere ſint coacti.

Unkel obſidetur.

Truchſeſiani ſexto die Auguſti Bonna Tuitium venientes pagum incendunt, monaſterium in quo Bavari præſidium erat, oppugnant. Præſidiarii ſe fortiter defendunt, multos occidunt, alios dejiciunt. Truchſeſiani poſt 5. dies revertentes, fortius monaſterium in civium conſpectu diu oppugnarunt. Præſidiarii Bavarici ſæpe eos in fugam magnis viribus repreſſerunt. Verum cum diutius eorum vim & ſtratagemata ferre nequirent, nam in portas, periſtylia, atque adeo in ipſum templum ignem inferentes, monaſterium capiunt & exurunt. Præſidiarii omnes aut fumo aut flamma ſuffocati ſunt, aut vi in hoſtium poteſtatem venerunt.

Monaſterium Tuitiense expugnant & incenditur.

Konigſwinter igni crematur.

Konigſwinter igni crematur. Iterum munitur opera comitis Salentini, olim archiepiſcopi Colonienſis, & præſidium in eo locatur. Johannes Caſimirus cum copioſiſſimo peditum equitumque exercitu, cauſam Truchſeſii debellaturus, nihil memorabile egit, niſi quod terram Montenſem & ducatum, prædis & abactionibus incredibili rapacitate illius miles divexavit.

Imperator Caſimiro & aliis militibus, equitum magiſtris & tribunis militum Truchſeſii partem ſequentibus, proſcriptionem denunciat, ni poſitis vexillis, militia hac excederent, & relicta dioeceſi, in ſua revertentur. Sic quoque Carolo Truchſeſio, & Adolpho comiti Nuenario ſcribit, ni aurum, argentum, cimelia aliaque dioeceſeos ornamenta, litteras, inſtrumenta, & diplomata, Bruelæ Bonnæque ex archivo rapta, nuper electo archiepiſcopo reſtituerent, oppida, monaſteria, arceſque occupatas cum omni præſidio deſererent, & damna per dioeceſim facta reſarcirent, copias dimitterent, turbata pacarent.

Hulſt obſidetur.

Fredericus Lowenburgicus, & Ayta Gandavenſis præpoſitus Hulſt pagum, quem comes Nuenarius poſito præſidio ante firmarat, multaſque ex eo prædas circumquaque agebat, firma obſidione cingunt.

Calendarium Gregorianum acceptant Colonienſes.

Calendarium Gregorianum, a ſummo pontifice Gregorio XIII. emendatum, acceptant Colonienſes totaque dioeceſis, & circumcirca regiones, exceptis hæreticis, imperii ducibus, & pauculis civitatibus quæ ſummum pontificem adverſantur.

Præſidiarii in Hulſt jam fame laborare cœperant. Eorum penuriæ ſuccurrunt Truchſeſius, Nuenarius, & Henricus Braunſvicenſis nothus, cum ſuos laborare non ignorarent: coactis copiis ad pugnam venitur. Cæduntur ab utraque parte multi. Germanis vero fugam capeſcentibus, Eburones cæduntur; dux vero & præpoſitus vix incolumes evaſerunt.

Bavariani in Hulſt cæduntur.

In comitiis Francofortianis judicatum eſt Truchſeſius Bavaro cedat; Bavarus viciſſim Truchſeſio annuatim penſionem aliquam eam tolerabilem annumeret. Qui a parte Truchſeſii erant, eam definitionem ſuo domino perferendam eſſe duxerunt. Qui auditis hiſce reſpondet: Electoralem dignitatem atque imperium Weſtphaliæ ſibi reſervata velle, archiepiſcopi titulum cum oppidis quæ tunc habebat Bavarus, Bavaro ſe condonaturum. His conditionibus nec proſſus aliis pacem coire poſſe. Sed reſponſum illud in comitiis eſt exploſum, jam enim Bavaro regalia erant ab imperatore miſſa, & per litteras principibus imperii mandatum, ut Bavarum legitimum electorem agnoſcerent atque obſervarent.

Concordia inter Bavarū & Truchſeſiū Francofurti tentatur.

Noveſiani inſtituunt vigilias, audito quod Truchſeſius provinciæ hoſtem ſeſe declaraſſet, multiſque diebus cives ſtationes in

turribus habentes, necnon apud catenas noctibus vigilabant ſingulis. Poſtquam vero hoſtis circum civitatem agros populatur, atque cives, matronas pueroſque captivos abducit; equitem conſcribunt, quo tutius in agris operari liceret. Ut autem ſtipendia equitibus facilius numerent, intolerabiles exactiones clero & monaſteriis imponunt. Nobis ſingulis menſibus 12. daleros communes adſcribunt. Hos tamdiu dedimus, ut dati ultra ducentos daleros ratio ſe extendat. De quibus quidem exactionibus ante immunes, cum extra muros habitaremus, eramus, & his quoque temporibus imo omni tempore, ſi ibidem manere licuiſſet, eſſe debebamus. Nam omne quod habebamus extra jus, intra quoque conſtituti ſemper tenere nos debere pollicebantur, pellace vulpe nequiores & impoſtores, cum neutrum ſervarent, noſque in omnibus ſuis ſplendidis promiſſis turpiter defraudarent.

Clerus pro vigiliis ſenatui Noveſiano cõtribuit.

Miraculum quod in demoliendo tẽplo noſtro accidit.

Miraculum quod in ecclesia monaſterii ſuburbani, dum ita ut dictum eſt everteretur, contigit, recenſere viſum eſt. Erat in civitate Noveſiana mulier quædam Margareta Luſca nomine, novis dogmatibus infecta, plurimis annis ab eccleſiarum ingreſſu abſtinens. Quæ cum aliquoties interrogaretur, cur non cum aliis eccleſiam ingrederetur; plerumque reſpondebat uſitatum illud apud prophanos homines dicterium: Eccleſiæ columnas eſſe ex calce & lapidibus fabricatas, metuere ſe ne illæ corruentes in caput ipſius concidant. Porro cum circa ferias Paſchales adhuc eſſent occupati in demolitione, mulier iſta, quæ eccleſiarum vaſtatione magis quam ædificatione, & cultu earum delectabatur, gratulata ſibi dicitur, quod diem illum vixerit, quo in patria ſua conſpicere daretur demolitionem eccleſiæ. Itaque feſtina progreſſa eſt ad locum monaſterii, viſura ipſam deſtructionem, comitata ancilla & altera puella admodum juvencula. Cumque templum quod jam dirui cœptum erat, ipſa octava Paſchæ lætabunda ingreſſa eſſet, dirutoque tecto, multa nunc in eodem eſſent luxata, columna quædam ruinam minari cœpit, calce & lapillis quibuſdam ſenſim decidentibus. Puella mulierem inclamat, ut loco diſcedat, atque imminenti ruinæ ſe ſubducat. Quod cum ſemel atque iterum moneretur, nec aquieſceret illa, in præſentem perniciem ſuam nunc ſecurior, quæ antea tot annis ad cujuſvis templi ingreſſum vel vera vel ficta, ut veriſimilius eſt, formidine trepidarat, ecce ſubito ingens eccleſiæ columna corruit, ipſamque mulierem peſſundat & conterit inopinato quidem ſed divino caſu. Laborabant multi in dejiciendis ruderibus ut inventam humo conderent. Quam cum tandem poſt multos labores ſub ruinis inveniſſent, adeo commolita & contuſa erat, ut fruſtatim & oſſa carneſque in urbem collecta efferrentur. Sic videmus plerumque accidere, ut per quæ quis peccat, per eadem etiam puniatur. Contempſit illa eccleſiam, quia calce & lapidibus caducis compacta eſſet: Deus eccleſiæ ſuæ vindex permiſit illam calce & caducis lapidibus opprimi in interitum ejus & exemplum ac terrorem aliorum, ut diſcant homines prophani, reverentius ſentire & loqui de rebus divinis & eccleſiaſticis. Sed & mirabile dictu quod puellula illæſa plane, licet prope mulierem in oppreſſione & ruina ſteterit, cum multorum admiratione evaſerit. Erat illa mulier conſulis Stalii ſoror ex patre, qui de deſtruendo & evertendo monaſterio jam pridem conſilium priori & fratribus, ut dictum eſt, dederat. Quam diſplicuerit Deo hoc conſilium ex caſu ſororis ipſius conſultoris cognoſcere licet, quod ipſis ruinis vindicare voluit. Et quam quoque ſit eximius vindex Deus in eos qui ſacrilegium in templa ſua committunt, noſtro tempore audivimus & vidimus. Stalius conſul conſultor noſter peſſimus, ut civitatem firmaret, monaſterium noſtrum dirui curavit, nec tamen ita firmavit, quin hoſtis Nuenarius illa nocte potiri potuit, & primus ipſe Stalius in irruptione hoſtium confoſſus multis vulneribus occubuit. De quo latius vide infra. Simile fere accidit Genevæ. Quidam ex optimatibus conſilio & auctoritate ſua obtinuit, ut in Baſilica primatia D. Petro apoſtolo conſecrata ſummi altaris lapis loco moveretur, & in locum ſupplicii transferretur, ut damnati in eodem decollarentur, idque in contumeliam & contemptum tremendorum myſteriorum. Contigit vero deinde ut idem ille, quantumvis primarius ſenator Genevenſis, primus in eodem lapide capitali cenſura plecteretur, inſtar Aman qui ſuſpenſus eſt in patibulo, quod Mardochæo paraverat.

Stalius occiditur a Turcis Feltrinis.

Hic notandum quod Quirinus prior luxatis columnis etiam ruinam minantibus, quibuſdam ipſum increpantibus ob temerarium hoc facinus, nil aliud reſponderit. Qualem quæſo ſtrepitum ſonitumque reddent hæ columnæ jamjam caſuræ, procul arduus aëra caſus murmure complebit valido. Nimirum Neronem in hoc imitans, qui ut Trojanum quaſi incendium videret pro ſcæna, Romam incendi juſſit.

Miraculum furis Viennæ.

Hoc anno Viennæ Auſtriæ faber quidam lignarius, hæreticus & impius, nocte ſe abdiderat in templo, quod dicitur Virginum Scotarum: intempeſta autem nocte perfringit cancellos domunculæ SS. Sacramenti, & ex hoſtiis parvis quas multas invenit, alias abjicit in terram & pedibus conculcat, alias dentibus arrodit, alias vero reſervandas recondit in ſacco caligarum ſuarum, paulo poſt ſentit madeſcere induſium juxta ſaccum, extrahit, & totum ſanguinolentum eſſe deprehendit. Mane cum oſtium templi aperi-

retur, licet latere ſe putaret, ſacrilegus capitur, hoſtias quæ in ſacco erant omnes ſanguinolentas inveniunt, & cum reverentia in loco ſacro ubi adhuc reſervantur, reponunt. Sacrilegus autem ad fidem catholicam converſus, propter manifeſtum omnibus ſacrilegii crimen capite plectitur.

Poppelſdorff expugnatur.

Eodem anno Poppelſſdorff prope Bonnam a Bavarianis obſidetur, oppugnatur, & tandem etiam expugnatur: qua arce capta confeſtim caſtra ad montem Mercurii, quem Godesbergh appellant incolæ, poſuerunt, & ſubterrancis maximo cum labore & impenſis cuniculis actis, & pulvere tormentario ſubjecto, partem montis cum arce dejiciunt, ſicque arcem invadunt, multis ex præſidiariis occiſis, multiſque ex captivis quos Truchſeſiani undique captivaverant redemptis & priſtinæ libertati reſtitutis. Quorum de numero & venerandus D. abbas Heiſterbacenſis erat.

Godesbergh capitur & pars montis pulvere tormentario dejicitur.

Alenconius Antverpiam ſubjicere ſuo imperio idque vi conatur, habens in inſidiis aliquot ſigna equitum, qui cum eſſet per Auraicum principem ex Francia in Belgium accitus, ut profligato rege Hiſpaniarum Philippo, ipſe dominaretur; quum eſſet in civitate, atque egredi ſimularet, dato ſigno equitem advolare mandat. Equites portæ præſidium acutum occidunt, portam cum duobus propugnaculis invadunt, tormenta in urbem convertunt, uno exploſo, exercitui reliquo ut acceleret, captam enim eſſe urbem, ſignificant, & ad duas proximas portas Rubram ſcilicet & Georgianam excurrunt, ſpe etiam illas occupandi. Ceterum cum conſilio ſenatus, propter ſuſpicionem præſidium eſſet geminatum, Galli ab oppidanis rejecti, ad ſocios recurrunt, & tribus locis urbem aggreſſi, ad meditullium ſeſe diffundunt, claſſico e turribus dato, cives ad arma concurrunt, plateas objectis ferreis catenis claudunt, in irrumpentes milites qui ad urbem feſtinabant majoribus tormentis pilas frequentiſſimas intorquent, & minorum ſclopetorum e feneſtris in eos qui in urbe erant diffundunt, magnamque ſtragem Gallorum tam in urbe, quam foris edunt: donec tandem mille ducentis peditibus, & ducentis quinquaginta equitibus amiſſis, multis etiam ex civibus deſideratis, Alenconiani fugientes ſeſe in tutum receperunt; atque ita ſtolidi illi homines ſua ſtrage & malo didicerunt, quid ſit repudiato vero ſuo rege, ad fallaces Gallos confugere, tyrannum & hoſtem patriæ acceptare.

Alenconii ſtratæ, cæſa ſui dimicatio.

Piſtoris Antverpiani facinus.

In hoc conflictu accidit memorabile quiddam de piſtore. Hic dum eſſet occupatus in piſtrino pinſitando, ut audivit tumultuantes cives, tubarum bombardarumque mugitum, nudus ut erat, (ſolent enim piſtores plerumque nudi pinſitare,) e piſtrino ſuo erumpit, videns concives ſuos cum Gallis prœliantes, & hinc inde cadentes, ſumpta haſta nudus alioquin in hoſtium cuneos vi quadam irrumpit, confoſſum Gallum equo dejicit, cui inſiliens maximam Gallorum ſtragem edidit. Qui hominem nudum contemplabantur & ita in hoſtes ſævientem, dæmoniacum exiſtimabant: plurimi ideo territi impetum ipſius ferre non valentes, ab ipſo fugati cæſique ſunt. Ipſe licet nudus eſſet, illæſus plane evaſit. Ejectis ex urbe Gallis, ſenatus hominis nudi & inermis virtutem admirans, ipſum maximis muneribus honorarunt, & unius ſigni capitaneum conſtituerunt. Alios hoc exemplo ad tantam fortitudinem & patriam liberandam, nulloſque propterea labores ſubterfugiendos, nec corporis pericula extimeſcenda invitare & accendere voluit.

Hæretici Coloniæ tumultuantur.

Anno 1582. tumultuabantur multi cives ſectarii Colonienſes, offerentes ſupplices libellos in ſenatum ampliſſimum Colonienſem, pro habendis commodis aliquibus locis ad exercendum libere ſuæ hæreſios errorem. Cum vero a ſenatu id denegatum illis fuiſſet, ad comitia fugiunt, & Cæſaris & proteſtantium principum auxilia implorantes. Cæſarem in ſuam ſententiam pellicere nequeunt. Saxo eos acriter objurgat, pacis publicæ everſores appellitans, id ſi ſua in ditione, quod Coloniæ, attentaſſent, capite eos plectere velle. Alii proteſtantes principes ipſis opitulari conantur, datis ſcriptis, eos Coloniam ad ſenatum mittunt, peruntque ſenatus eos acceptare velit, ipſiſque quod ante petiverant concedere, juſtas enim ineſſe rationes ſe arbitrari, & Auguſtanæ confeſſioni nihil contrarium: ſin vero ſenatus minime & petitum conſentire velit, ſe ipſos ſuæ fidei conſortes ut merito ope & auxilio juvare velle. Ad has litteras parum ſed prudenter ſenatus proteſtantibus reſpondet, civitatem Colonienſem ex eo quo fidem Chriſtianam & catholicam amplexata fuit, numquam ab ea defeciſſe, ſed eam ipſam in templis ſuis a temporibus Apoſtolorum propemodum uſque ad præſentia firmiter coluiſſe, eam in poſterum, Deo volente, colere & obſervare velle, nec pati, ut aliena hæreſis, quæ nil niſi reipublicæ everſionem, tum publicæ concordiæ & civium amicitiæ perturbationem & interitum molitur, in civitatem ſuam irrumpat. Senatus præcipuos petitores captivat, ſed interceſſione Bipontini & aliorum proteſtantium liberos hoc anno videlicet 83. dimittit, cum interdictione quod in poſterum ſe ab omnibus illicitis conventiculis atque communicationibus abſtinerent, ſenatus-conſultis obedirent, nec captivitatem vindicarent. Ad horum ſupplicationem graviſſime reſpondet dominus Melchior Braun SS. Apoſtolorum in Colonia paſtor. Nomina ſupplicantium Johannes Brugkman. Johannes Suchtelen. Gaſparus de Widdige cives

Colonienſes. Reſponſio Melchioris impreſſa extat.

Truchſeſii milites apud Segium fluvium in montanis cæduntur.

1584. Ipſis Kalendis Januarii laborante jam pecuniæ & commeatus inopia præſidio Bonnenſi, Gebhardus Truchſeſius Henricum Brunſvicenſem equitum magiſtrum cum exercitu, multiſque curribus ſtellatura onuſtis Bonnam ex Weſtphalia clam miſit, ut Bavarianos ultra Rhenum ex improviſo trucidaret, atque urbi annonam importaret. Sed Bavariani per exploratores de ejus adventu certiores facti, in ſilva quadam ubi Siegius fluvius ponte conſtratus eſt, qui Truchſeſianis erat neceſſario tranſeundus, hoſtem expectabant: adjunxerant ſeſe Bavarianis multi agricolæ, ut communibus viribus hoſti obſtarent. Venit ad pontem Truchſeſianum agmen, & jam primi aliquot ordines tranſierant, cum Bavariani ex inſidiis erumpunt & hoſtem adoriuntur. Fit atrox pugna: Truchſeſiani multitudine hoſtium cincti, dum a ſuis ob fluvium intermedium pontiſque anguſtiam juvari non poſſent, paſſim cæſi ſunt. Qui ſupererant tanto cum impetu ad pontem ſociis qui etiam in ponte erant, occurrunt, ut ſe invicem in fluvium deturbarint, & tandem gravitate ponderis in eo tumultuantium, pons diſſolutus ſubſederit, multoſque fluvius abſorpſerit, reliqui aut capti aut occiſi ſunt. Qui ultra Scigium erant celerrima fuga in Weſtphaliam revertebantur.

Præſidiarii Bonnenſes cum nec commeatum, nec pecuniam a Gebhardo mitti ex emiſſariis ſuis didiciſſent, tumultuabantur. Sub id etiam fama per oppidum increbuit, imperatorem litteras proſcriptionis ad Carolum Truchſeſium miſiſſe, quibus & ipſi & omnibus ejus militibus proſcriptionem imperii minabatur, niſi oppidum Bavaro traderent. Qua de cauſa Carolum confeſtim captum, arctæ cuſtodiæ manciparunt, claves portarum in ſuam poteſtatem acceperunt, & cum Bavarianis de deditione oppidi, Caroli vero Truchſeſii, aliorumque præfectorum pernicioſorum hominum, traditione ſerio agere cœperunt. Tandem præter vitam, fortunas & tuti itineris fidem, quatuor coronatorum millia pacti urbem 28. Januarii cum Truchſeſii fratre Carolo, ceteriſque militum præfectis, electori Bavaro tradiderunt. Carolus Huum Eburonum oppidum abductus; centuriones & præfecti aliquot laqueo ſtrangulati (inter quos erat.... Stuper quondam civis Noveſianus, & cauſidicus, quia contra ſenatum egerat civitate Noveſiana pulſus, & Bonnæ ob perfidiam in Bavarum, in publico foro, cum ſecretario reverendiſſimi *in patibulo ſuſpenſus eſt*:) urbs vero præſidio firmiſſimo firmata eſt.

Bonna deditur Bavaro.

Carolus Truchſeſius capitur.

Bedburium.

Bedburium capitur a Bavarianis, ſed arcem centurio quidam Truchſeſianus poſt aliquandiu occuparat, ſed cum dedere ſe nollet, arcem explosis tormentis quatiunt, turres dejiciunt, muros convellunt: ſed cum nuſquam auxilia pararentur, territus ſociorum ſuorum in Popelſdorff & Godesſbergh triſti interitu, nono Martii deditionem fecit. Johannes Manriquus deinde aliquot haſtatos equites copiaſque ſuas pedeſtres Rhenum traducens in mandatis habebat, ut oppidum Recklinghauſen cum univerſo territorio Veſtenſi Bavaro recuperaret. Horum adventum metuens Gebhardus Truchſeſius, omnia ſpolia eccleſiaſtica atque prophana, tanto tempore tam in Weſtphalia quam in diœceſi rapta atque congeſta curribus impoſita, una cum Nympha ſua in arcem Dillenburgenſem miſit, ipſe Geldriam verſus profectus eſt.

Eodem anno Truchſeſius cum ſuis valde infeliciter in ditione Recklinckhauſen pugnat. Capitur inter alios Henricus Brunſvicenſis nothus, & graviſſime vulneratus ad Ferdinandum fratrem Bavari Erneſti ductus eſt. Truchſeſius militia infelici relicta Delphos Batavorum ad Auraicum proficiſcitur, ubi aliquandiu privatus atque inglorius vixit.

Canonici communium Argentorati tumultuantur.

Canonici majoris eccleſiæ Colonienſis qui a parte Truchſeſii ſtabant, Argentorati tumultuantur. Vi enim in primis curiam communium canonicorum invadunt & inhabitant, poſitis ab utraque parte præſidiariis militibus, ne qua violenta ab aliis manus injiciatur. Spoliant deinde granarium, ex quo ultra 8000. modios frumenti vili pretio inter cives, ut eorum favorem captarent, divendunt. Epiſcopus eorum cernens audaciam & ad ſpoliandum promptitudinem, conſilium init cum ceteris catholicis canonicis de eccleſiæ theſauro ex eorum forte manibus tollendo. Deputantur ad hoc negotium nonnulli, qui theſaurum cum monocerotis cornu in tutiorem deferrent locum. Quod & factum eſt, ignorantibus Truchſeſianis canonicis. Hi quoque inito conſilio theſaurum eccleſiæ Argentoratenſis, uti Truchſeſius Colonienſis eccleſiæ, ſpoliare conantur. Arreptis igitur malleis fortiſſime ſeras in eccleſiæ conclavi perfringunt, omnibus ſcriniis perfractis theſaurum quærunt. Quo non invento ira fervent, epiſcopum furti inſimulant, publicatis ſcriptis cunctis manifeſtant. Epiſcopus juſtas cauſas ſeſe habere legitime probat tranſportandi theſaurum in tutiorem locum, ne ſuæ eccleſiæ ſicuti Colonienſi accidat. Id enim timere ſe *ex indiciis jam nimium manifeſtis*, theſaurum nihilominus conſervari eccleſiæ. Proteſtantes canonici ſenatum pro defenſore implorant, *petentes ut theſaurum ex civitate*, qui ipſo jure in civitatis periculis conſervari, imo etiam ſi extrema neceſſitas poſtularet pro ipſa impendi deberet, tranſportari prohiberet. Senatus facile annuit, epiſcopo

ſcopo ſuper negotio ſcribit, theſaurum repetit. Epiſcopus non civitatis ſed eccleſiæ ſuæ theſaurum eſſe reſpondet, & ſenatum nihil juris habere in bona eccleſiaſtica, vel etiam in ipſos eccleſiaſticos. Concertatur inter utramque partem varie: tandem Cæſari ſcribitur, totumque negotium aperitur. Hic ſenatui mandat miſſis legatis ne ſe excommunicatis canonicis defenſorem præbeat, neve ex ſcintillula ignem comburentem exſuſcitet, vel ſanguineum uti Truchſeſius apud Colonienſes balneum apud Alſatios præparet. Epiſcopum ſuo uti jure ſinat, nihil novet: cautum enim eſſe in Auguſtana, quam ipſi miris modis prædicant, confeſſione, ut quicumque in ſuſcepta ſua religione ſive hæretica vel vera catholica quippiam innovet, vel mutet, quod poſtmodum capax eſſe non debeat. Cæſar licet multoties & litteris & legatis miſſis eos ad pacem & concordiam priſtinam adhortatus ſit, nihil tamen apud ſenatum & canonicos perficere potuit, ut audientes dicto eſſent.

Eodem anno Erneſtus archiepiſcopus Colonienſis publicam per totam diœceſim Colonienſem ſupplicationem ad Deum pro communi pace & concordia, publicatis edictis, fieri juſſit. Tenor hic erat.

ERNESTUS *Dei gratia ſanctæ eccleſiæ Colonienſis electus, ſacri Romani imperii per Italiam archicancellarius, princeps elector, eccleſiæ Leodienſis epiſcopus, Hildeſemenſis & Friſingenſis eccleſiarum adminiſtrator, princeps in Stabel, Rheni palatinus, ſuperioris & inferioris Bavariæ, Weſtphaliæ, Angariæ, & Bullonis dux, marchio in Franchemont... Univerſis & ſingulis.*

Poſtquam divinæ providentiæ & bonitati placuit, nos ad afflictæ hujus Colonienſis eccleſiæ gubernacula graviſſimis in procellis & motibus vocari, provinciam arduam & a qua avocare nos rerum difficultas merito poterat, cæleſti auxilio & ſpe ſuſcipientes, nihil magis in votis habuimus, quam in publica pace & tranquillitate muneri noſtro, quoad fieri poſſet, incumbere, & afflicto gregi noſtro, deſideratiſſimam opem, conſolationemque adferre, ad quod ſi leges & avita pietas viguiſſet nihil defuturum ſperavimus: verum enim vero poſtquam nos populoſque nobis commiſſos, adverſarius iniquiſſimo conatu ferro & flammis aggreſſus eſt, atque adeo nos pro officio ad neceſſariam defenſionem, armorumque has impenſas, pericula, & ſollicitudines protraxit; ſpem fiduciamque concepimus, bellum hoc Domini eſſe, atque idcirco nequaquam illius ope & præſidio deſtitutum iri. Quod cum hactenus multis indiciis, tum nuper civitatis Bonnenſis, & aliorum locorum, hoſtiumque deditione experti fuerimus; merito divinam erga nos providentiam dignis laudibus & gratiarum actione celebrantes dicimus cum ſacræ civitatis & templi reſtauratore duce Zorobabel, abs te eſt victoria, & abs te ſapientia & claritas: & ego ſervus tuus ſum. Porro cum victoriæ hujus nobis conceſſæ fructus ad vos quoque pertineat, ad ſocietatem hujus gratiarum actionis vos etiam excitandos eſſe exiſtimavimus. Atque idcirco volumus & mandamus ut proxima Dominica die quæ eſt in Sexageſima intra Coloniam; extra vero Dominica quæ eſt in Quinquageſima in omnibus eccleſiis tam collegiatis quam parochialibus & monaſteriis, miſſam ſolemnem de SS. Trinitate pro gratiarum actione cum collectis contra inimicos, Eccleſiæ tuæ quæſumus, &c. pro pace: qua miſſa finita, Te Deum laudamus, ſolemniter decantari faciatis. Et pro excitanda populi devotione ſacroſanctum corpus Domini, & reliquiæ ſanctorum ante ſacrum prætactum exponantur, & tam ante quam poſt miſſam publicæ lætitiæ ſignum omnium campanarum pulſatione ad minus qualibet vice per quartale horæ ſpatium dari curetis, incipiendo quando in eccleſia noſtra metropolitana incipitur pulſari; atque hujus rei cauſam præcedentibus concionibus populo ſignificari cum exhortatione, ut præter gratiarum actionem piis precibus, aliiſque pietatis exercitationibus divinam opem, auxiliumque ad victoriæ proſecutionem, necnon ſolidam provinciæ pacem reſtituendam invocare & comparare nobiſcum non deſinant. Datum in arce noſtra Popelſtorff 3. Februarii anno 1584. ſtylo novo.

Hoc anno in æſtate graviſſima Noveſii graſſabatur peſtis quæ promiſcui ſexus homines ultra 8000. abſumpſerat. Vix ſepulturæ locus in civitate dabatur. Ruricolæ qui ob belli & prædæ metum in civitatem confluxerant fatis concedentes, in loco noſtri monaſterii devaſtati ſepeliebantur: erat eorum numerus haud exiguus. Hac quoque æſtate fatali jaculo percuſſi ſunt prior Quirinus, ſupprior, & procurator noſtri monaſterii everſores, bonorumque decoctores graviſſimi. Deus vindex omnium malorum perpetratorum lento gradu ad vindictam procedit, ſed tarditatem ſupplicii gravitate compenſat. Putabant illi, jam extra omnem metum poſiti, genio indulgere velle: ſed ecce repentinus ſuper eos venit interitus, nidum quem imprudenter confovendum elegerant, præter expectationem reliquerunt. Præfuit hic prior & procurator prave admodum, concoquentes & monaſterium ipſum, annuoſque ſimul proventus, & nihiloſcius æs alienum conflantes maximum. Qui ſuperſtites erant more ſuo vivebant, quilibet prior erat. Marcellus Lentius intemperantiam, pravorumque morum aſſiduitatem videns, eos Coloniam vocat, & ut culinæ necnon domeſticæ rei curam deponant, jubet. Audientes dicto, quia prior ſuperior erat, & apud fratres Corporis Chriſti degebat, Coloniam veniunt relicto Noveſio, omnique & ſuppellectili & annona, ceteriſque utenſili-

De monaſterio ſuburbano.

Peſtis abſumpſit aliquos ex noſtris.

bus, eccleſiaſticis ornamentis, libris chora-
libus, miſſalibus, calicibus argenteis, ciborijs, inſtructiſſima quoque bibliotheca. Aguat apud fratres Corporis Chriſt. viſitantes pro arbitratu ſuo chorum. Cœpit interim agere prior generalis pro unione & combinatione duorum dictorum monaſteriorum.

Lis corporis Chriſti cum abbate Tuitienſi.

Eodem anno lis & controverſia exorta eſt inter abbatem Tuitienſem monaſterii D. Hereberti, ordinis D. Benedicti, & priorem conventumque Corporis Chriſti ordinis noſtri. Cauſa erat: Poſtquam abbas in tumultu Truchſeſiano monaſterium ſuum Tuitii, conductis cæmentariis demoliri & funditus everti cutaverat, ob belli metum ſe cum ſuis monachis in urbem Coloniam recepit, ſenatu ampliſſimo id ſuadente, atque (uti ille affirmabat) pro dejecto monaſterio aliud, ne urbi ex hoc periculum timendum foret, pollicente. Abbas ubi aliquandiu, quaſi ſolitarius in anguſta quadam domuncula cum ſuis delituiſſet, cœpit tractare de commodiore alio loco & domicilio in urbe habendo. Anxius diu quodnam eligeret monaſterium, tandem hoc noſtrum ratus commodiſſimum, apud ſenatum agere cœpit, ut auctoritatem ſuam interponat de facienda cum ſuis & noſtris unione. Senatus quia nondum noſtrorum fratrum animum exploratum haberet, facile annuit, deputans ad hoc conſules & doctores ſyndicos, qui ex improviſo noſtros adorirentur, ſua reputatione & auctoritate perterrefacerent & evincerent. Noſtri rei indignitate valde commoti, quid primum facerent ignorant, tandem ſuos conſulunt: percepto conſilio ſeſe opponunt, unionem denegant, nec archiepiſcopum, nec ſenatum eos ad hanc compulſuros eſſe autumant, quum non ſuo archiepiſcopo (cui alias, quam deberent, omnem promittunt obedientiam,) nec ſenatui Colonienſi, ſed immediate ſummo pontifici ſubjecti ſint; quin & alias multas eaſque graves adducentes noſtri occaſiones, quod duo diverſorum ordinum & profeſſionis monaſteria ſimul conjungi & uniri non poſſint, valide atque evidenter in ſcriptis probant. Abbas his non attentis, mordicus ſuæ intentioni inhærens, cauſas quare unio cum ſuis iniri debeat oſtendere nititur. Allegans in primis dicit reverendiſſimo Erneſto placuiſſe circa unionem faciendam, inter alia monaſteria, hoc Coloniæ monaſterium Corporis Chriſti; quod iſte locus pro abbatia ſit commodiſſimus, & reipublicæ plurimum intereſſit, tam celebrem abbatiam intra mœnia Colonienſia tuto, commodo, & optato loco poni, & de reliquis neceſſariis ad unionem ſpectantibus legitime provideri, juxta perſonarum & rerum qualitates; item quod novum hoc non ſit ſed ſæpius attentatum. Noſtri nihil commoti, poſtmodum ſuæ ſententiæ firmiter inhærent, proteſtantes quod talis unio ſit omnino exorbitans, odioſa, juri divino, naturali, canonico, civili, atque adeo rationi & æquitati contraria; quodque ſit ſcandaloſa futura, contentiones, rixas, graviſſimaque offendicula tam in clero quam in plebe paritura, imo nullo modo apud S. ſedem admittenda. Cumque nullis argumentis victus abbas ut ab incœpto inhoneſto ceſſaret, ſcribunt noſtri ad Marcellum Lentium domus capitulique Wendeſemenſis priorem ſuperiorem, ordinisque noſtri per Germaniam generalem, quid faciendum & quibus viis abbati obviandum, humillime petunt ab eo reſponſum. Qui cognito negotio valde perturbatus, reſpondet in hunc modum. Intelleximus venerabilis pater non ſine gravi animi mœrore reverendum dominum abbatem Tuitienſem nullum non movere lapidem, quo abbatiam ſuam nuper a Truchſeſianis hoſtiliter conflagratam, ac deinde ad inſtantiam integerrimi ſenatus Colonienſis funditus devaſtatam, in domum veſtram rurſus transferre, atque ita conventum ſuum una cum veſtro uniri poſſet. Quæ res cum ſocietati noſtræ non poſſet non eſſe varias ob cauſas noxia, ad hæc ex diametro cum privilegiis noſtris tota pugnet; hinc eſt quod nos infraſcripti tibi tuiſque omnibus per obedientiam imponimus, & ordinaria noſtra quæ fungimur auctoritate, præcipiendo mandamus, ne in dictam unionem ulla ratione conſentire, eamque in veſtram domum admittere abſque noſtra expreſſa voluntate præſumatis, ſub pœna excommunicationis, id quod in voluntatis noſtræ & juſſionis fidem, & nominis noſtri ſubſcriptione & ſigilli officii noſtri ſub impreſſione munivimus. Datum Bredefordiæ partium Geldriæ. Marcellus Lentius prior ſuperior, &c. Vindicare porro ſeſe fratres noſtri non valentes, nec abbatem a lite ſua ceſſare videntes, ad ſanctam ſedem apoſtolicam appellant; inſinuantes nihilominus cauſæ hujus commiſſariis ſpecialem appellationem, eo quod ipſi contra jus, & antiqua a ſummis pontificibus conceſſa privilegia facere viderentur. Stabant enim iſti a parte abbatis, cum eſſent & ordinis noſtri atque adeo privilegiorum noſtrorum defenſores. Quorum nomina erant Johannes Kempis officialis ſummi templi canonicus preſbyter J. U. doctor. Johannes Swolgen etiam ſummi templi canonicus preſbyter J. U. doctor & decanus S. Andreæ, Conradus Ortt ab Hagen J. U. doctor & decanus S. Georgii. Lutgerus Hereſbachius Sigillifer J. U. doctor. Hi intellecta appellatione & proteſtatione, cœperunt nonnihil ab abbatis incœpto & defenſione declinare. Mittitur interim appellatio ad urbem Romam. Pontifex Gregorius XIII. ſententiam ſuam diffinitivam interponit. Quod abbas ab injuſta controverſia ceſſare debeat, neque ultra regulares in pacifica & quieta ſua

poſſeſſione moleſtare: ſi quippiam porro habeat contra, ut hoc Romæ in curia juſtis argumentis proponat, juri ſtet, ſententiam expectet.

Auraicus inicitur. Guilielmus Auraicus, comes de familia Naſſaviorum, quia regi ſuo Philippo multis annis repugnarat, totumque Belgium in extremam perniciem perduxerat, omniumque ſectarum colluviem, diſturbatis undique catholicis, in omnes civitates introduxerat, nullum non movens lapidem, ut iſtas præclariſſimas regiones quæ regi Hiſpaniarum parebant, aliorum regum & principum imperio ſubjiceret; proſcribitur propterea a rege ſuo: cuivis liberum ſe miniſtrum exhibere juſtitiæ erat. Tentarant id quidem antea duo inſignes juvenes diverſis in locis, Antverpiæ præcipue, ſed cum ſclopetum unus explooderet, non ita uti volebat Auraicum transverberat, ſed tantum per maxillas, ex quo vulnere convaluit. Tandem cum Deus finem ſuorum malorum imponere vellet Auraicorum, ſuſcitavit quemdam heroico animo Burgundum juvenem prope Lugdunum villa Famenſi natum, viginti ſeptem annorum, eruditione, facundia, rerumque gerendarum dexteritate inſignem, Balthaſar Geraertz dictum. Poſtquam principis Auraici cædem a tempore proſcriptionis indefeſſo & audaci animo meditatus eſſet, tandem hoc anno 1584. die decimo Julii, circa ſecundam horam pomeridianam, perempto Auraico, patrias Belgicas, ab ejus violenta adminiſtratione liberavit. Degebat Auraicus Delphis in cœnobio Agathæ. Mortuus eſt interea Alenconius Gallus, aliquandiu fictitius Brabantiæ dux, cujus obitum ut mater Auraico per nuncium & litteras ſignificaret, hunc Balthaſarum in Hollandiam ablegavit. Hæſit hic aliquandiu in aula inter nobiles admiſſus, captabat opportunitatem perficiendi quod dudum animo deſtinarat. Decimo itaque Julii anni prædicti cum Auraicus pranderet quodam cum Leowerdenſi conſule, adoleſcens hic dimiſſus ut ad ſuos rediret, circa horam ſecundam cum jam principem a menſa ſurrecturum arbitraretur, in aulam reverſus, & ab excubitoribus, ſub prætextu principem ob quædam oblita conveniendi, admiſſus; Auraicum ad ipſos cœnaculi gradus deſcendentem expectat: ſclopetum habens ſub pallio tribus globulis illito veneno infectis, & ſibi invicem concatenatis oneratum. Prodeuntem vero principem, ad quem propter legationem liberum habebat acceſſum, conveniens, ſclopetum in cor illius collimans, exoneravit, ſub mamilla ſiniſtra vulnere latitudinis duorum digitorum inflicto: globorum unus ſpinam dorſi, alter ſcapulam penetravit, tertius autem inter inteſtina hæſit. Ipſe vero accepto vulnere ſtatim in terram corruens, ſtatim animam efflat. Balthazar hoc facinore perpetrato ſe in pedes conjecit, ſed audita principis nece, præſidiarii inſequuntur. Comprehenſus quærit, an Auraicus mortuus eſſet? Negantibus autem præſidiariis, ait, haud quidem neſcius ſum certo ſibi moriundum fore: verum impenſe gaudeo, quod jam id perfecerim quod ante ſeptennium, ut facerem, animo concluſum habuiſſem: mortem hilari & perlubenti animo oppeturus ſum, re ea fortiter perpetrata, quam alii nonnulli ante me, etiam vita amiſſa, perficere non potuerunt. Conjicitur in carcerem, quæſtionibus ſubjicitur, an ab rege Hiſpaniarum, vel ab alio quopiam mercede vel promiſſis inductus ad cædem iſtam animum conjeciſſet. Negat ſe ab aliis inductum, ſed ſolo ſuæ inſtinctu conſcientiæ, cauſa liberandæ a tam immani tyranno communis reipublicæ commotum, tam inclytum & pium facinus deſignaſſe; pro quo non dubitaret paratam ſibi inſignis in cœlo præmii remunerationem. De corpore vero ſuo ſuppliciis excarnificando, (neque enim id a ſe præviſum non fuiſſe,) quando jam Dei permiſſione, in eorum poteſtate eſſet, ſtatuerent quicquid vellent: Ego, inquiens, nunc quod meum erat perfeci, vos deinceps quod veſtri videbitur officii peragite, mortem & quæcumque poteſtis excogitate tormenta, nihil moror. Quibus eum deinde affecerint tormentis, vide Michaëlem ab *Iſſelt* in complemento Surii. Et licet eum inauditis cruciarent tormentis, mens tamen in Deum immobilis permanſit, laudando & pſallendo læto vultu inter tormenta Deum ſine intermiſſione. Morti adjudicatur, ad palum alligatur, ſclopetum in primis quo facinus perpetrarat carnifices malleis confringunt. Dehinc ipſum totum orationibus intentum, & veluti in Deo abſorptum, thorace exuerunt, & femoralibus ad pedes dimiſſis, induſioque circa verenda colligato, carnificum alter dexteram ejus apprehendit, eamque inter candentes laminas, ſeu artoptam, quam alius tenebat compreſſam exuſſit, fumo ejus & nidore totum fere forum complente. Mox carnifices forcipibus candentibus ex brachiis, ac dextri pedis femore ac ſura diverſas carnium partes horribiliter avellunt, illo nulli ei quam precibus vacante, (legebat clara voce pſalmos pœnitentiales,) nec vultus colorem mutante, manum pedemve aut ullam corporis partem ad tanta ſupplicia retrahente aut commovente: niſi quod trunco ambuſtæ manus brachio, quoad ejus fieri poterat, magna cum veneratione ter ſe crucis ſigno munivit. Poſtea ex palo ſolutus, ſua ipſe femoralia pedibus excuſſit, & ſcamnum quod ad eum exenterandum ibi paratum erat, pedes quantum poterat ſublevando, ſponte conſcendit, tum verendis illi primum præciſis, & in ſportam appoſitam projectis, & mox pectore & ventre per modum crucis

lente diſſecto, inteſtina extracta, & cor, ut patriæ proditori, in faciem projectum fuit. Caput autem a corpore præciſum, & haſtæ juxta urbis mœnia infixum, multo pulchrius ſolito ſpectantium oculis ſe exhibuit. Corpus in quatuor partes diſſectum: partes vero ad totidem oppidi Delphenſis portas ex patibulis ſuſpenſæ ſunt. Hic finis Auraici, interfectoriſque ſui fortiſſimi adoleſcentis, qui maxima animi fortitudine inauditos cruciatus pertulit.

Princeps Parmæ.

Hoc anno princeps Parmenſis Scaldim ponte ligneo ſuper navibus ab utraque jactis anchoris parte firmiter invicem concatenatis ſtrato ſubſtruit, ut navigatione impedita fame atque inedia domitos Antuerpianos in ordinem redigeret. Pons erat mirabili opere inſtructus, maximis impenſis regia majeſtate dignis ædificatus, ab utraque parte in quibus acceſſus terreſtris patebat majorum tormentorum copia, commeatu atque omni apparatu bellico valde munitus. Ordines ſe longe inferiores regiis viribus videntes, Francorum, Anglorumque auxilia ſumma contentione poſtulant. Pons erat longitudine quingentorum pedum, cujus extremæ trabes pedum erant quinquaginta, in extremitate utriuſque ſublicii pontis, munitiones erant multis tormentis armatæ. Inter utramque hanc munitionem, in ipſa fluvii profunditate 31. majora navigia, recta ſerie erant diſpoſita, quorum puppes puppibus, & proræ proris catenis ferreis erant copulatæ. Totius vero pontis tam ſublicii quam navalis longitudo erat 1998. pedum.

Erneſtus Bavarus, Colonienſis elector Treverenſi archiepiſcopo juramentum ſeptemviratus præſtitit Leodii.

Ordinga.

Ordinga recuperatur inſigni ſtratagemate, occiſis excubitoribus & præſidiariis militibus, & in electoris Bavari venit poteſtatem.

Copia vini.

Eodem anno bona vina in maxima copia, in tractu Rheni & in Alſatia creta ſunt, ita ut qui vas unum dederat, alterum ejuſdem menſuræ pretii ratione vino implebatur. Plauſtrum vini in Alſatia vendebatur 8. florenis Francofortenſibus. Duo plauſtra vini & 5. floreni dictæ menſuræ, in Alſatia pro uno vaſe halecum dabantur.

Accidit hoc tempore memorabile quid. Erat quidam prædives in Franconia habens omnia penaria cellaria vino referta: quum non haberet vaſa ut nova reconderet vina, neque vetera divendere poſſet, extracta aliquot vaſa in publicam viam poni juſſit, atque epiſtomium injungi. Additis ſcutellis & poculis, proclamatur: Cui liberet biberet, idque gratis. Accurrunt pauperes, viatores multique alii, vinum expoſitum ebibunt, ut novum recondi poſſet.

Ferdinandus Truchſeſius Buſcoduci occiditur.

1585. Ferdinandus Gebhardi Truhſeſii electoris nuper Colonienſis germanus frater Buſcoduci a civibus occiditur. Volebat enim ex inſidiis cum Hollachio, qui equitatum juxta civitatem habebat, eam invadere, ſpoliare, Auraico ſubjicere. Erat cum aliis multis militibus in civitate, & jam victoriam ſibi pollicentes, ecce dimiſſa ruptis repagulis cataracta, cæduntur omnes, pauci dilapſi evadunt.

Dux Sabaudiæ filiam regis Hiſpaniarum in matrimonium accipit. Venientem Saragoſam cum magnificentiſſimo comitatu ducem, rex Hiſpaniarum in campo ſuburbano expectat: ingens circa regem principum, nobilium, aulicorum & civium erat exercitus, qui ſemicirculari figura regem cingebant: ipſe generoſo inſidens equo, totum ducis equitatum, ſexcentos circiter equites, juſſit ſuo in conſpectu tranſire, donec ducem appropinquantem videret. Dux eminus conſpecto rege, ex equo deſiliens, ad regem pedes pervenit. Rex quoque ex equo deſcendens illuſtriſſimum ducem ad ſe venientem, & flexis genibus procumbentem humaniſſime excepit, elevavit, amplexus & deoſculatus, alta voce interrogavit: Quomodo ſua celſitudo valeret? Poſt breve colloquium, omnes principes Genevenſes regis manus deoſculati ſunt. Inde iterum conſcenſis equis in urbem profecti ſunt. Hiſpaniæ nobilitas nobilitati Sabaudiæ erat permixta, regiſque latus dextrum dux ipſe claudebat. Cumque ad pontem Ebron ventum eſſet, ſereniſſimæ regis filiæ clam ex palatii feneſtris illaſtrem hanc pompam intuebantur. Juxta palatium principes Hiſpaniæ advenientem ducem tubis, lituis, claſſicis, buccinis omnique inſtrumentorum muſicorum genere exceperunt. Regia vero majeſtas eum ad hoſpitii locum deduxit. Cumque in atrium veniſſent omnes Hiſpaniæ principes, duci gratulabantur, & Sabaudius viciſſim, atque inter eos primus baro de Sphondrato, regi manus ordine oſculabantur. Poſtea cum per duas horas in quodam cubiculo moram traxiſſet cum duce rex, in aulam deducti ſunt, ubi nobilitas omnis erat congregata. Mox per aliam portam princeps Hiſpaniarum cum ſponſa, ſorore ſua, & altera ingreſſus eſt; cumque elevatioribus locis conſediſſent, cardinalis Granvellanus acceſſit, & præſentibus cardinale Siviliæ nuncio apoſtolico, archiepiſcopo Saragoſano, & legato Venetum, ritus matrimoniales celebravit. Quibus peractis, regia majeſtas ſurgens cum omnibus principibus totaque nobilitate, novis nuptis multum felicitatis imprecata diſceſſit, omnique ea die conviviis, ludis, choreis, omnique lætitiæ genere indultum, nec ante multam noctem diſceſſum eſt. Sequenti die regia majeſtas novum generum ad templum deduxit. Princeps regis filius, & filiæ ſubſequebantur, eodem pariter modo veſtiti. Sacrum R. archiepiſcopus celebravit, ſponſamque de more Hiſpanorum velavit. Per-

Dux Sabaudiæ regis Hiſpaniarum primogenitæ accipit.

Nota

acto ſacro, eodem quo venerant ordine revertuntur. In prandio rex priori loco ſedens, ſponſum juxta ſedentem, illeſponſam, ſponſa ſororem Iſabellam proximam habebat. Cum tam ſolemni pompa more regio matrimonium feliciter eſt conſummatum.

Legati ex Japonia Romã veniunt.

Sub hoc tempus legati regum Japoniæ conſanguinei Romam ex Japonia veniunt, ut pontifici obedientiam præſtarent. Japonia eſt inſula longa & lata in Oriente ultra Sinarum populos ſita, veteribus ignorata, in varia regna diſtincta, a Franciſco Xaverio ſocietatis Jeſu theologo ad fidem Chriſtianam noſtra ætate adducta. Anno 1582. omnes Chriſtiani facti. Tres Reges anno 1582 inſignem legationem ad ſummum pontificem Romam miſerunt. Eodem anno hi ſolventes e Japonia, tandem ſub anni finem 1584. in Luſitaniam appulſi, ibidem a rege & principibus honeſtiſſime excepti, tandem Romam incolumes venerunt. Vigeſimo vero tertio die Martii, ſub horis matutinis in aulam ubi pontifex Gregorius XIII. ejus nominis, cum ampliſſimo purpuratorum principum ſenatu ſedebat, ſummo omnium ordinum ſtudio & celeberrimo comitatu introducti legati, multique alii Japonicæ nobilitatis viri, poſt beatorum pedum oſcula ſedere juſſi, principum ſuorum litteras ex Japonico ſermone in latinum verſas de ſinu depromptas, in patrum conſeſſu legendas obtulerunt. Vide Michaël ab *Iſſelt* in complemento Surii.

Gregorius pontifex Romanus moritur.

Eodem anno 10. Aprilis Gregorius XIII. papa obiit, poſtquam Eccleſiam 13. annos rexiſſet, vir optimus & ob merita in Eccleſiam collata æterna memoria digniſſimus; cui ſucceſſit 24. die ejuſdem menſis cardinalis de Monte Alto, ordinis D. Franciſci, F. Felix Perenettus antea dictus, electus Sixtus V. appellari voluit.

Lentius monasterium domus noſtræ cum domo Corporis Chriſti mutatur.

Marcellus Lentius ordinis Canonicorum, ut dictum eſt, Regularium per Germaniam generalis fratribus in monaſterio ſuburbano profeſſis, ut Coloniam ad ſe veniant ſcribit. Quibus præſentibus cauſas unionis cum fratribus Corporis Chriſti faciendæ proponit. Præcipuæ erant quod exuti tam celebri domo, nuper a Noveſianis quorumdam noſtrorum permiſſione devaſtata, jam porro ſufficientes ſatis non eſſemus aliam in qua divinus cultus rite exerceretur, ædificare, imo ne locum quidem habere. Proinde ita eſſe nos ære alieno gravatos, ut animam debeamus: quare ipſum noſtri cauſa dolere, & proſpicere velle, ne vel nos vel nomen noſtrum, atque adeo celebris illa ſuburbana domus Noveſii, quæ tamquam altera mater ſemper in capitulo Windeſemenſi extitit, penitus extirpetur, aut tacitæ oblivioni mancipetur. Idipſum nulla alia commodiore via fieri poſſe, quam ut omnes in unionem, quam quidem Quirinus Tylanus prior ceterique jam pridem defuncti meditabantur, & ſibi quoque ita viſum eſſe, manibus & pedibus deſcendamus: ſed nec dubitare ſe velle de noſtra, in hac, prompta voluntate & deſiderio. Ad quæ nos quam pauciſſimis humillime reſpondimus: Agere nos quidem ipſi gratias ingentes, quod in noſtro graviſſimo caſu & exilio deploratiſſimo, pro ſuo in nos amore, nullum vel obſequioſi vel diligentiſſimi & cariſſimi patris officium & diligentiam in rebus noſtris promovendis intermiſerit: Imo ex eo perſpicatius intelligi facile poſſe, quod nobis aliam domum pro demolita donare in animo habeat. Verum enim vero quum in rebus magnis memoriaque dignis conſilia primum, deinde acta, poſtea eventus ſpectari debeant: priuſquam etiam ejuſmodi aggrediantur, adhibenda ſit præparatio diligens: ne ſic quippiam admittatur temere, & nullo conſilio, cujus poſtea pœnitere poſſit. Ideoque penitius rem conſiderantes & æqua lance in communi congreſſu librantes, non ſolum nos quid pulcherrimum ſit prima quidem fronte, ſed quid fieri demum poſſit apertis oculis videre merito debere. Conſultius eſſe arbitrari, nos non committere periculo, quam dare operam ut ingreſſi periculam noſmet expediamus. Ratem quidem noſtram propemodum & periculo & undarum procellis expoſitam fuiſſe & jactatam, idque inconſulto & dormiente nauclero: gratias autem agere, nondum omnino eſſe ſubmerſam. Itaque vigilandum nobis eſſe, ne vel naufragium paſſam, vel omnino ſubmerſam lugeamus. Neque fugere nos, hoc unionis negotium in primis tum patribus & fratribus noſtris, tum etiam aliis quorum nihil intererat, ſummopere placuiſſe: illos tunc temporis acta ſolummodo, & rei conſilia non eventus ſpectaſſe: pro quibus dies tunc interpellaſſe viſus eſt. Licet quidem de ſervando pacto evinci queamus, quod manuum noſtrarum ſubſcriptione in unionem conſenſerimus: eſſe tamen plurimas cauſas quæ nos ab incœpto ceſſare, & quiquid in ea hactenus ſudatum & laboratum eſt revocare, plurimum adhortantur. Quarum primam reverentiam ſuam haud clam eſſe volumus.

Reſponſiones noſtræ de non tacitâ unione ad generalem ordinis.

Suburbanum monaſterium Noveſienſe, inclytum ſemper fuiſſe & celebre, & tamquam matrem in capitulo Windeſemenſi extitiſſe, ſecundum a primario Windeſemenſi habitum: quod quoque capitulum ipſum fœcundum aliquot monaſteriis, & præclariſſimis viris admodum reddiderit. Quærere nos an tale tamque nobile, nunc tandem plane & omnino obliterari, deleri, alterique extremæ ſubjici debeat? Hoc fieri, ubi hæc unio ſuum ſortiri effectum poſſit. Vix enim elapſis viginti vel triginta annis neminem noſtrum fortaſſe ſupervicturum, ibidem profeſſum. Ita per conſequens, dictum monaſterium, nos, nomenque noſtrum, atque

adeo totam ſucceſſionem ſuburbanam interituram fore neceſſe eſſe; omneſque qui poſt nos victuri ſunt, domum noſtram, ſucceſſionem, & nos deletili ſpongia expunctos eſſe facile affirmaturos. Similia enim exempla in ejuſmodi unionibus paſſim accidiſſe, in noſtri ordinis monaſteriis. Hæc illorum divitiis ditata, alia tranſlatis divitiis depauperata, ruinoſa, & plane deſolata eſſe. His celebre nomen obtigiſſe, aliis cum celebribus ſuis nominibus, perſonis, & divitiis extinctis. Mœnia ruinoſa quidem ſupereſſe, ſed alio divitias, perſonas, nomen fortunaſque omnes tranſlatas eſſe.

Alteram. Fratrum noſtrorum numerum hoc tempore non adeo frequentem, eſſe de bonis noſtris ſuſtentandum. Reliquos vel apud moniales, vel alias in aliis domibus noſtræ profeſſionis, ſine deſtructæ noſtræ domus damno & detrimento vivere. Conſtare quidem, illis in animo non eſſe, vitam ſuam in hoc uniendo monaſterio deinceps conterere; ideoque de jure, pauciſſimos fratres, omnem noſtram ſubſtantiam, divitias, fortunaſque cum maxima nominis noſtri infamia transferre minime debere. In eos præcipue, qui neque iis indigent, neque amplius optare queunt. Hæc enim ſi fiant, extraneos fratres ſpurios reputandos, atque a vera hereditate exheredatos eſſe, quibus nihil quidem juris in domo paterna relictum ſit. Rever. ſuam quam optime ſcire, juris eſſe apertiſſimi, nihil agi debere quod in præjudicium tertii accidere poſſit: quodque cuique obtigerit, quemque tenere debere, (fortunam enim eſſe fallacem,) eo ſi quis plus appetat, violare jus humanæ ſocietatis. Inſuper R. S. plurimum & illis & nc'is Noveſianis favere, neminemque eſſe qui dubitet. Verum ſi hoc in negotio illos juvet, nos offendere; illos ſi ditet, calamitoſos nos facere; illorum theſaurum ſi accumulet, noſtrum exhaurire; illos ſi cumulandarum divitiarum gratia diligat, nos lædere, quibus haud ſecus ac illis Colonienſibus prodeſſe omni jure aſtrictam illam eſſe debere. Stare igitur noſtram ſententiam, noſtras utlitates, in gratiam trium vel quatuor fratrum omittendas non eſſe, nec his vel aliis tradendas quum iis ipſi egeamus. S. R. fortaſſe hic dicere velle: ſe & noſtram illorumque utilitatem quærere, ut cumulatis opibus utriuſque conventus incommodis & neceſſitati facilius ſuccurratur. Ad hæc nos reſpondere: Neminem ſuum commodum cum alterius incommodo quærere debere; & potius iis qui incommodum aut injuriam patiuntur ſuccurrendum eſſe. Sed nec hoc naturam pati poſſe, alierum divitiis ſuas facultates, copias, opes augere: imo magis eſſe contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Neque vero hoc ſolum natura, jure gentium, ſed etiam legibus populorum, eodem modo conſtitutum eſſe, *ut non liceat ſui commodi cauſſa nocere alteri.* Sperare nos id abs Corporis Chriſti fratribus neque ſollicitari, neque optari: ſin ſecus, magis illos quam nos culpandos eſſe, cum quod contra jus non ſuum cupiant, tum quod eo non indigeant. Nec minus nos arguendos eſſe, cum quod ex ſtoliditate & incogitantia quadam, noſtras utilitates quibus ipſi egemus aliis tradamus, tum quod noſtræ utilitati, quod ſine alterius etiam præjudicio & injuria fieri queat, non inſerviamus. Nullius eum pretii eſſe, qui cum ſua pernicie & infamia, vel nominis ſui jactura, omniumque ſuarum ſubſtantiarum interitu, magno ſuorum mœrore, alios promovet, ditat, illuſtrat.

Tertiam. Jura canonica duorum monaſteriorum unionem quidem concedere, verum ita concedere, ubi alterum eorum deſolatum & depauperatum eſt; ut abb. in alleg. de R. domibus. Si primum, inquit, monaſterium unitum eſt ita depauperatum, quod non poteſt tenere collegium monachorum vel ſolitum ſtatum, tunc ſufficit quod Eccleſia cui eſt facta unio, faciat illi deſervire per clericum ſæcularem: atqui noſtrum, licet ſtructura & fundamenta penitus everſa ſint, necdum adeo depauperatum eſſe, quin pauciſſimos fratres ſuos ſuſtentare, modo non, ut hactenus, vivant, queat; neque adeo deſolatum, quin per noſtros fratres & patres regi & in priſtinum ſtatum reduci poſſit.

Quartam. Uniones ſemper ſolere & rixas & æmulationes gignere perpetuas. Neque concordiam, neque pacem inter diverſarum domuum fratres ſperandam. Experimento multa in civitate Colonienſi eſſe monaſteria. Non ſecus uniones charitatem & concordiam inter diverſos fratres extinguere, ac ignem aquam; neque aliter ſuorum & fundatorum & benefactorum obliviſci poſſe, ac ſi quis ex letheis bibiſſet aquis, oblivionem igitur & extinctionem unionem merito dicendam.

Quintam. Colonienſes fratres necdum ſatis cum reverendiſſimo, cum ampliſſimo prudentiſſimoque ſenatu Colonienſi, cumque abbate Tuitienſi, domum Corporis Chriſti ambienti convenire, nilque certi ſibi promittere poſſe an domum ſuam liberam, & ab horum impetitionibus ſecuram in poſterum habere poſſint vel debeant: fortunam inconſtantem eſſe, & nulli perpetuo faventem, quod nobis, proh dolor! accidit; illis ſimile aut aliud infortunium accidere poſſe, eſſe enim vitam fortunaſque noſtras omnibus fortunæ telis ſubjectas.

Sextam. Sine conſenſu & permiſſione ordinarii archiepiſcopi Colonienſis, & capituli metropolitanæ eccleſiæ, fundatorum

noſtrorum unionem fieri non poſſe ; & ſi aliquatenus roborata manuum noſtrarum ſubſcriptione videatur ; tamen viribus carere dubium non eſſe. His enim & nos bonaque noſtra immediate ſubjecta permanere. Eſſe enim loci ordinarium dominum... fundatores, ſine horum conſenſu nos noſtra bona immobilia divendere vel diſtrahere non poſſe, multo minus per unionem in alios transferre.

Sess. 22. cap. 6. His demum accedere, videlicet concilium Tridentinum uniones per ſubreptionem obtentas non admittere, atque hujus ineundæ unionis per ſubreptionem obtentam eſſe ſubſcriptionem : quum alter exutis moleſtiis quas fortaſſe ob demolitionem domus ſuæ intrinſecus & extrinſecus patiebatur, & curis, quietius hic vivere : alter convaſata aliqua pecuniæ ſumma parochiam ambire, alii alio cogitarent divertere : ita affectos & animatos fratres præſentes fuiſſe, nobis extraneis minime conſtitiſſe, raro etiam ad nos de ſtatu domus, uti erat, perſcriptum, ſcriptis facile fidem adhibuiſſe, ideoque per ſubreptionem facile manuum noſtrarum ſubſcriptionem obtinere potuiſſe.

Quamobrem ne tam inclyta quondam domus omnino obliteretur, nomenque noſtrum & ſucceſſio expungatur : neve a noſtra legitima hereditate tamquam ſpurii excludamur : ne veluti inſipientes ſuper arenam ædificaſſe, contraque ordinarium, fundatores & œcumenicum concilium feciſſe videamur, nos S. R. orare & obteſtari, ut omiſſa hac unione, quam præſentes nunc omnes uno ore revocamus, alia commodiore via nobis proſpicere haud gravetur. Hoc ſua R. ſi faciat, nobis atque adeo poſteritati noſtræ rem longe gratiſſimam accidere.

Inſurgeneralis. His auditis, ira nonnihil excandeſcens dominus Generalis, ſe nihil minus in pio opere quam noſtram tergiverſationem cogitaſſe reſpondet, ſtatimque ſe & Johannem Juliacenſem, & Tilmannum Bottermannum Noveſienſem diaconum ablegaturum in ſcriptis, convocatis omnibus fratribus palam minatur. Faciebat hoc, ut tanto facilius ne ablegarentur in unione conſentiant. Erant enim illi poſtremi inter omnes, quibus neceſſario in unione manendum erat. Sed ii in propoſito fixi manentes, potius ſe diſcedere ab ordine, quam in unione vivere, paratos eſſe dicebant. Neque id eventu caruit. Nam Tilmannus, convaſatis ſuis rebus utenſilibus ad Truchſeſianos, relicto ordine, qui tunc forte Noveſium dolo ceperant, deflectit, dans illis ſacramentum militiæ, ut infra latius dicetur. Ante vero quam Noveſium captum eſſet, egeramus cum ſenatu Noveſiano, ut promiſſis ſtet, nobiſque aliud domicilium pro eo quod demoliri curaverat aſſignet, hoc ni fiat, nos neceſſario per generalem noſtrum Coloniam transferendos eſſe. Senatui & non noſtræ congregationi imputandum, ſi divinus cultus transferatur, ſi pauperes eleemoſynis, cives quotidiano ſuo lucro defraudarentur, fundatorum noſtrorum voluntati haud ſatisfiat. Ad hæc, dato ſupplici libello, reſponderi nobis a ſenatu petimus. Senatus ut aliquid feciſſe dicatur, domum Cellitarum fratrum in platea pontana habitantium, in quam ſe jus quoddam habere putabant, nobis ſub certis conditionibus aſſignabat. Ut videlicet pro illa deſignata nobis domo Cellitis aliam emamus, debitum illis ſolvamus, annuas penſiones ſuas in nos ſumamus, ut quoque annue duodecim modios ſiliginis, & quindecim hordei hereditarie demus : conditiones has in ſcriptis dari petivimus. Hiſce habitis conditionibus Coloniæ apud reverendiſſimos noſtri conſiliarios, & Bonnæ apud reverendiſſimum ipſum, ut nos apud ſenatum Noveſianum juvet, quatenus promiſſis ſtet, nobiſque aliam domum vel ab ipſo deſignatam abſque ulla noſtra remuneratione, gratis det, & in perpetuum abſque ullo ſumptu inhabitandum concedat. Erant parati conſiliarii, eoque paratiores, ut nobis amotis abbatem Tuitienſem in locum hujus Corporis Chriſti ſurrogare facilius poſſent. Generalis vero difficilior, eo quod abbatem timeret : propterea articulos ſenatui proponendos nobis præſcribit, quibus ſenatum, quia paulo ſeveriores, quam ut a ſenatu admitterentur eſſe putabat, a ſuo propoſito, & ne domum porro nobis det, avocaret, articuli tales erant.

Senatus offert Cellitarum fr. domum.

Proponuntur ſenatui conditiones.

Ut ſenatus conventui noſtro Noveſiano procuret ædes ſive monaſteriolum Alexianorum fratrum cum omnibus ſuis attinentiis : ordinario loci, & ejuſdem monaſterioli fratribus omnibus conſentientibus, idque gratis, abſque dicti noſtri conventus ullo ſumptu.

Ut prior Noveſianus in tempore ad amplificandum dictum monaſteriolum in coëmendis vel comparandis vicinis ædibus, pomariis, hortis, & ſimilibus locis, gaudeat iiſdem juribus & privilegiis, quibus ſenatus dictus gaudere ullo modo poſſet, ſi ejus civitas vel exornanda, vel amplificanda foret.

Ut ipſi priori quoque liberum permittatur durante hujus novæ ſtructuræ erigendæ tempore, conducere & admittere externos & exoticos opifices etiam cujuſcumque artificii, non obſtantibus etiam legibus & privilegiis, plebanis ſuis operariis aliquando conceſſis.

Ut conventus Noveſianus ab omnibus exactionibus, impoſitionibus, & civium contributionibus liber ſit & maneat : gaudeatque iiſdem libertatibus, indemnitatibus & privilegiis, quibus extra mœnia civitatis conſtitutus gaudere ſolet.

A ſenatu Noveſiano alterum pro demolito domicilio petitur.

Ut idem quoque conventus in communibus civium paſcuis utatur quoque eodem privilegii jure, quo ipſimet cives.

Ut ſenatus ſuam auctoritatem interponat, ne ſæpedictus conventus per creditores cives ad debitorum contractorum ſolutionem nimium conſtringatur, ſed ea in certos anni terminos protrahatur.

Ut idem ſenatus dictum conventum in ſuam protectionem recipiat, & requiſitus conſilio & auxilio juvet, atque una cum priore conjuncta opera in diſſolutiores & rebelles fratres conventuales pro merito animadvertat.

Ut ſenatus ſuppeditet neceſſarios ſumptus, ad priorem aliqualem ædificationem, aut ſaltem mutuo det pecuniam in certos annos reſtituendam.

Ut de his omnibus contractibus fiant patentes litteræ in debita forma cum appenſione majoris civitatis ſigilli.

Noveſium a Truchſeſianis duce Nuenario capitur.

His ita geſtis, quibus commiſſum erat negotium, ad iter ſe accingunt, eo ipſo die, qui erat nonus Maii, juxta ſtylum Gregorianum. Noveſium navigio proficiſci cogitabant, ſed quum reſponſum a reverendiſſimo nondum haberemus, debebant enim nobiſcum conſiliarii nonnulli ad tractandum cum ſenatu proficiſci, iſto die iter noſtrum impeditum fuit, Deo id ita volente, & diſponente: altera enim die infra ſecundam & tertiam nocte Noveſium a Nuenario comite capitur. Fuit hæc funeſta dies civitati. Hac die intermiſit ſenatus populuſque Noveſianus ante aliquot annos circumferre oſſa D. Quirini & reliquias ejus, quibus nobilis admodum & famoſa civitas erat: ad iſtum diem concurrebat undique ex omnibus provinciis tanta multitudo utriuſque ſexus hominum, adeo ut locum in publicis diverſoriis, civiumque domibus non haberent, ſed publicas per plateas nocte paſſim humi ſtrati jacerent. Hac die anno 73. quadringentæ domus igni conflagratæ ſunt plateæ ſuperioris & pontanæ. Hac die hujus anni hoc exitioſum malum, Deo ob ejus civitatis peccata permittente, accidit. Nuenarius comes Adolphus, evocatis aliquot ſignis peditum equitumque turmis, nocte in ſilvam Herdanam prope Noveſium venit, eique inſidias ſtruit. Facile id perficere poterat, habebat enim in ſenatu ſuos proditores, & inter cives plurimos qui parti Truchſeſianæ favebant. Huc accedebat quod præſidium ab Erneſto magiſtratui oblatum, repudiatum erat, fortitudini civitatis & viribus ſuis fidebat. Erat præterea pars muri apud portam Rhenanam dejecta, ut vallum novum & fortius ædificaretur. Sed & civium excubiæ minus erant frequentes negligentioreſque quam ante eſſe ſolebant. Hoc paulo ante proditores a ſenatu impetraverant, ut excubiæ diminuerentur, cives non admodum gravarentur, ut ſolitæ nocturnæ excubiarum viſitationes intermitterentur, nihil nunc eſſe periculi capto Erpradio, & hoſte fugato. Non latuit hoc Nuenarium, quia proditores quæ gerebantur in civitate ipſum certiorem faciebant. Quare copias ſuas, prope civitatem in ſilvam, ut dictum eſt, ducens, 10. Maii intempeſta nocte, quoſdam præmittit, qui ſub ipſis mœnibus tacite ad monaſterium Montis-Mariæ adrepant. (a) Hi admota ſcala, muros aſcendunt, in hortulum patris monialium domui contiguum veniunt. Ibi parum moram trahunt, diligenter auſcultantes, num quis eſſet, qui aſcendentium ſtrepitum audiſſet. Cum altum ſilentium cernerent, aſcendunt plures quorum unus e ſcala corruens ſtrepitum reddebat, propterea trepidi nihilo ſecius tacite auſcultant. Neminem excitari animadvertentes, quid in oppido ageretur explorant. Quibus, cum egreſſus non pateret, per feneſtram hoſpitum dormitorii aſcendentibus, januamque ut ceteri egrederentur aperientibus, & quid ageretur in civitate explorantibus, ceteri plurimis admotis ſcalis muros ſuperant, & in oppidum ſeſe præcipites dimittunt. Dabatur enim ſignum nullum excubitorem ibidem per iſtum tractum reperiri. Erant omnes excubitores ſomno vinoque ſepulti. Stratagema iſtud proditores præcedenti die, (ſciebant enim Nuenarium ea nocte venturum) excogitarant. Propinarant excubitoribus largiter vinum, nec hoc ſatis erat, miſerant vinum aduſtum libo & zuccaro permixtum, ut tanto diligentiores vigilias ſervarent. Studio id faciebant, ſcientes ita facilius ſopiri poſſe. Nec fefellit illos ſtratagema, nemo enim ex omnibus excubitoribus adrepentium & aſcendentium ſtrepitum audiverat, adeo erant gravati ſomno, ut etiam ipſi Truchſeſiani eos dormientes capta civitate invenirent. Truchſeſiani qui jam in civitate erant, portam confeſtim malleis ſeris undique disjectis, & ligno cataractæ pendenti ſubjecto aperiunt. Nuenarius in ſuburbio rei eventum expectans, quid ageretur obſervabat, incenſo protinus horreo & ſigno audito, viam ſibi intelligit patefactam, celerrimo curſu cum toto equitatu in urbem advolat. Cives equorum hinnitu atque ſtrepitu, hoſtiumque clamore excitati, arma quæque obvia rapientes, ſeminudos hoſtibus ſeſe objiciebant. Equites ad portam inferiorem properantes, a collectis civibus qui ex curribus vallum objecerant, impediti forum occuparunt. Cives diverſis locis extra ordinem pugnabant, quorum 14. occiduntur inter

Irruptione ex. hequadMon. tem Mariæ.

(a) In codicis margine hæc leguntur. *O tempus miſerum atque acerbum civitatis Noveſianæ! O caſum illum multis innocentibus calamitoſum, atque funeſtum! Hic primum opes iſtius civitatis victæ, comminuta depreſſaque ſunt, in hac nocte Noveſienſium nobilitatis imperii gloria naufragium factum eſt.*

quos

Stalius occidit auctor evertionis nostræ domus.

quos præcipui fuerunt, Petrus Stalius conſul, Arnoldus Fratius, Henricus *Schirm*, ſcholæ moderator, Melchior in *Milendonck*, Hoſpes in *Dalken*. Alii multi e mœnibus ſeſe dimittentes perque foſſas natantes evadunt. Hoſtes urbe potiuntur.

Diſpoſitis excubiis, mane jam facto in civium ædes ruunt, cives & alios quoſcumque invenerant capiunt, pretioſa quæque diripiunt, & in utriuſque ſexus homines, nullo diſcrimine, inaudita truculentia deſæviunt. Præter aurum & argentum ſignatum & non ſignatum, factum atque infectum, præter omnem ſuppellectilem, annonam & B mercimonia, quæ hoſtis rapuit, inſuper cives ſuum, uxorum, & liberorum ſuorum corpora, intolerabili lytro redimere, armaque omnia penes hoſtes ipſos debuerunt deponere. Nec id ſatis erat, ſed ſingulis pene ſeptimanis præſidia mutarunt; ut prioribus præda jam onuſtis abeuntibus, nova ſuccederent, quæ magis magiſque cives depilarent. Opulentiſſima & pene incredibilis erat præda, quam in hac urbe Nuenarii prædones invenere. Omnes enim ruſticorum opes, omnium nobilium & monaſteriorum theſauri, cimelia atque ornamenta, imo quorumdam civium Colonienſium divitiæ hic erant apud amicos depoſita, quod nulli tutiori loco quam Noveſio hæc concredebant.

Demonaſterio noſtro in civitate.

Ex ſolo noſtro monaſterio, præter annonæ magnam copiam, præter ornamenta pretioſiſſima, præter bibliothecam inſtructiſſimam, præter ſuppellectilem ditiſſimam, præter argentea vaſa plurima, etiam 21. calices argenteos atque deauratos rapuerunt. Sic miſeri illi Noveſiani ſua perſuaſione & viribus decepti, & famam quam olim ſibi ex longa Caroli ducis Burgundiæ obſidione peperant, fœdiſſime perdiderunt. Monaſterium noſtrum everterunt, ne quid civitas ex eo caperet detrimenti: ut etiam campos ſuburbanos late defenderent miſeri, qui ne pomœria, ne mœnia, immo ne forum ipſum defenderunt: dejecerunt ante monaſterium noſtrum, adeoque villas civitati proximas, hinc ſecuritatem ſibi magnumque commodum pollicentes; quum alias potius omne infortunium, damnum, nominiſque ſui infamiam & notam ineluibilem inuſſerunt. Prudentius equidem multo, ſibi ſuiſque conſultius feciſſent, ſi monaſterium noſtrum, villaſque & propugnacula juxta civitatem reliquiſſent, magis hoſtem timuiſſent, vigilantiores extitiſſent, excubias diligentius cuſtodiſſent. Memores eſſe debuiſſent concertationis habitæ olim Romæ in ſenatu ubi acriter diſputabatur, & diverſis certabatur ſententiis inter M. Porcium Catonem, & Scipionem Naſicam, de evertenda Carthagine. Cato ſuadebat bellum, & ut omnino deleretur Carthago, Naſica diſſuadebat, placuit tamen bellum iis indici, eo quod contra A fœdus feciſſent. Ratio erat, ut Romani ci ves Carthaginenſes ſemper timerent, tantoque diligentiores eſſent in conſervanda & defendenda urbe ſua, ne ocio marceſcerent & torperent.

Ceterum audito captam civitatem, attoniti omnes præ ſtupore vix loqui potuimus, vox, ut ille ait, faucibus hæſit: & quid tum potiſſimum conſilii in re tam triſti caperemus prorſus aberat. Nihil enim penitus no- Conſilium de ſtabilienda unione.
bis relictum erat, omnia quæcumque noſtra in monaſterio fuerant, nunc in manus hoſtium venerant, domus & loca noſtra hoſtis poſſidebat, nulluſque manendi nobis locus relictus erat. Volebant præterea fratres qui Demonaſterio noſtro.
in extraneis morabantur noſtri ordinis monaſteriis ſecedere, alioſque relinquere. Quare coacti conſilium de facienda & jam porro ineunda unione, inivimus ea tamen conditione & lege, ut omnia onera monaſterii ſuburbani eccleſiaſtica huc quoque Coloniam transferrentur, æquum eſſe judicantes, ut qui commodum acciperent, ſentirent & onus. Proteſtati deinde ſumus ſi quando reverendiſſimus noſter, loci ordinarius, & capitulum ſummi templi, fundatores hanc C unionem improbare vellent, & minus placeret, quod tum irrita plane eſſe, & viribus omnino carere debeat. Nobis inſuper objici haud debere, quod tamquam petitores huc acceſſerimus, ſed tamquam nidum proprium amantes, non autem hunc umquam animo cupientes. His peractis, & articulis quibuſdam conceptis, a notario quodam unionis inſtrumentum conſcribitur, & in capitulo præſentibus omnibus fratribus & duobus teſtibus prælegitur. Tenor articulorum a Generali noſtro promulgatorum talis erat.

Articuli unionis a Generali concepti.

D *In nomine Domini, amen. Anno a Nativitate ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Milleſimo quingenteſimo octogeſimo quarto 19. menſis Auguſti, nos Marcellus Lentius prior domus Windeſemenſis, necnon & congregationis canonicorum regularium ordinis D. Auguſtini per Germaniam prior ſuperior. Intellecta inſignis noſiri monaſterii ſuburbani prope Noveſium, ex proxime elapſis graviſſimis motibus, eheu! devaſtatione: & quod dicti monaſterii prior & conventuales ſuis ædibus jam privati, in civitate Noveſienſi aliud certum cœnobium,* E *ſui vel alterius ordinis, ad commorandum obtinere nequeant, niſi cum inhabitantium injuria ac offenſa, inſuper & graviſſimo monaſterii ſui diſpendio ac onere. Et quod nullo modo conſultum ſit, ut apud Miñoritas, alieno in monaſterio, & ordine diutius agant, propterea quod ibi neque pacifice vivere, neque commode religioni monaſticæ, juxta ordinis noſtri ſtatuta & ceremonias operam dare poſſint. Hiſque & aliis ſimilibus cauſis animum noſtrum multum moventibus, attentis. Volenteſque pro commiſſa nobis officii cura ac ſollicitudine ipſis de*

commoda aliqua certaque habitatione, ſede ſeu monaſterio, ubi cum nullius injuria aut contradictione vivere queant, proſpicere, prælibatos priorem & conventuales Noveſienſes ad monaſterium noſtrum Colonienſe venerabilis Corporis Chriſti transferendos, atque cum ejuſdem monaſterii conventu uniendos putavimus, maxime attento quod eamdem unionem uterque conventus & Noveſienſis & Colonienſis ſummopere fieri expetant, & quod ut ita etiam fiat eorum neceſſitas, & noſtri ordinis evidens utilitas expoſtulant. Idque ad ſequentes & infraſcriptas conditiones & leges.

Ut uterque conventus & Noveſienſis & Colonienſis uniantur, hoc eſt, ut bona omnia, & ſingula mobilia & immobilia ad dictos utroſque conventus attinentia, quæ adhuc in rerum natura ſunt integra, aut aliter per aliquam oppignorationem ab utroque conventu ad redemptionem uſque alienata, in unum corpus ſimul convertantur, incorporentur & mortificentur.

Ut domus noſtra Colonienſis ſic unita, deinceps gaudeat debita & conſueta illa dignitate, qua dicta domus noſtra Noveſiana jam deſtructa & funditus demolita, in catalogo domorum noſtræ congregationis Windeſemenſis gaudere ſolet, hoc eſt, ut a primaria noſtra domo Windeſemenſi ſecundum locum in ordine noſtro obtineat cum hac inſcriptione, Domus venerabilis Corporis Chriſti, & ſanctæ Mariæ virginis in Colonia.

Ut familiæ ſtatus, in primis quoad eccleſiaſticos ſeu clericos attinet, ſemper ad minus conſtet tredecim cum priore ſacerdotibus, præter juvenes noſtræ congregationi candidatos, ſeu initiandos, ut ſic ante omnia cultus divinus poſſit diligenter obſervari & magnifice nocte dieque perſolvi, ac deinde tremenda illa ac certa utriuſque conventus onera miſſarum commodius peragi. Deinde ut reliqui fratres laici, ac perpetui commenſales, quiſque in Dei timore, & ſuo officio & vocatione ſua pia contineatur.

Ut digni & idonei deinceps ad religionem ſuſcipiantur gratis, ita ut in eorum ſuſceptione omnis ſimoniæ ſpecies & labes excludatur.

Ut omnis proprietas tollatur, & religionem profeſſis vel non profeſſis fratribus in victu & amictu neceſſaria ſemper ſecundum ſtatuta noſtra ſuppeditentur.

Ut hæc domus ſemper lectorem ſacræ Theologiæ doctorem ſeu licentiatum habeat, qui vacuos religioſorum animos occupet: Qui ſi ex domeſticis ad id idoneus, ſed tamen in aliqua facultate promotus non reperiatur, pretio conducatur.

Ut ex dictis ſic unitis utriuſque monaſterii bonis aſſignetur quoque juxta diſcretionem & ordinationem noſtram, certa aliqua pecuniæ ſumma cum obligatione dicti uniti monaſterii, prænominatæ congregationi noſtræ Windeſemenſi vel ejus ſuperiori, ſingulis annis ſub termino Nativitatis Domini annumeranda, idque ad ſeminarii erectionem hic vel alibi (ſi ita neceſſitas & tempora poſtulent) pro noſtri inſtituti fratribus religioſis & profeſſis, inſtituendi juxta leges & conditiones quas occurrens neceſſitas requiret, permittetque, & quæ ad ſtudia uberiori cum fruge promovenda erunt accommodiſſimæ.

Ut ſacerdotibus peregrinis, & præſertim noſtræ religionis fratribus debita hoſpitalitatis officia exhibeantur, & in tranctandis pauperibus, & erogandis eleemoſynis hactenus obſervatus mos continuetur. Nullo enim modo eleemoſynas debitas aut alia pietatis hujuſmodi, ac miſericordiæ opera ob dictam unionem minuere, ſed magis juxta poſſibilitatem conventus augere volumus.

Ut eorum præmiſſorum omnium penes nos maneat plenaria poteſtas de illis cum additione vel diminutione pro rei, temporis, & loci exigentia & neceſſitate utiliter diſponendi.

Ut poſtquam huic noſtro ſcripto utriuſque conventus profeſſi fratres ſinguli nomen ſuum ſubſcripſerint, fiant inde patentes litteræ in debita forma cum approbatione & confirmatione eorum quorum intereſt.

Nomina fratrum conventus Noveſiani qui præſentes hujus unionis articulis ſubſcripſerunt.

Fr. Quirinus Tylanus prior, ſſ.
Fr. Johannes a Gladbach rector Montis-Mariæ in Nuſſia, ſſ.
Fr. Hieronymus N.... ſſ.
Fr. Leonardus Serarius procurator, ſſ.
Fr. Leonardus Kannengieſſer ſupprior, ſſ.
Fr. Johannes Kaill de Glehen ſocius Montis in Nuſſia, ſ.
Fr. Johannes Juliacenſis, ſ.
Fr. Conradus Vorſt ſenior, ſſ.
Fr. Godefridus Wanlo, ſſ.
Fr. Tilmannus Botterman Noveſienſis, ſſ.
Fr. Johannes Vonhoff converſus, ſ.
Fr. Johannes Molitor rector monialium Vallis Angelorum in Bonna, ſſ. & ſupradicta fieri exoptat.

Nomina fratum conventus Colonienſis.

Fr. Chryſantus Eppelmannus prior, ſſ.
Fr. Johannes Heip ſenior, ſſ.
Fr. Conradus Birgell, ſſ.
Fr. Johannes Euſskirchen Bonnenſis, ſſ.
Fr. Welhelmus Littig Colonienſis, ſſ.
Fr. Welhelmus Bedbuir, ſſ.
Fr. Johannes Horſtius, ſ.
Fr. Gerhardus Krap, ſſ.
Fr. Henricus Kempenſis, ſ.

In quorum omnium præmiſſorum fidem robur ac teſtimonium nos prior ſuperior qui ſupra, has præſentes litteras nominis noſtri ſubſcriptione, necnon & ſigilli noſtri officii ſubimpreſſione munivimus. Actum Coloniæ in monaſterio venerabilis Corporis Chriſti anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo quarto, nono Auguſti.

MARCELLUS LENTIUS, Prior, ut ſupra ſubſcripſit.

Abſentibus vero nonnullis noſtris fratribus, qui huic non poterant ſubſcriptioni adeſſe ob viarum longitudinem & pericula, hæc unio tunc temporis ſuum ſortiri effectum nequibat. Intermiſſa igitur fuit uſque in præſentem annum 85. His quoque accedebat ut eodem ferme tempore nonnulli poſtquam ſubſcripſiſſent ſtatim peſte conſumerentur.

Nomina fratrum abſentium conventus Noveſiani, qui unioni anno 84. inchoatæ non ſubſcripſerunt.

Fr. Philippus Huek *Noveſianus rector monialium in* Dinsſlaken.

Fr. Petrus Paeſchs *rector monialium in Bercka, Noveſianus.*

Fr. Petrus Bovinus rector monialium in Grieſſradt, *Noveſianus.*

Fr. Wernerus Titianus Juliatenſis prior in Marpach.

Fr. Adolphus Wevelkauen *ſupprior ibidem.*

Fr. Adamus Grevenbroich, *miſſus ex conventu noſtro ſuburbano ad monaſterium* Marpach.

1585. dic 18. Maii, peractis ut dictum eſt omnibus, prior generalis ab utriuſque conventus fratribus præſentibus puram, categoricam, & finalem reſolutionem ac declarationem audire voluit, & ab ipſis & eorum quolibet benigne requiſivit. Ulterius vero de fratrum Philippi *Hueck*, Petri *Paeſchs*, Adolphi *Wevelkauen*, & Adami *Grevenbroich* ſuper unionis negotio voluntate & conſenſu, propter eorum abſentiam docendo, ex litteris ad ſuam reverentiam a dictis fratribus miſſis conſtabat. Qui vero præſentes erant declararunt ſeſe hunc in modum: Quod ſcilicet in unum omnes ibidem præſentes & ſaniora vota præſentantes in prætactam utriuſque domus ſive conventus Noveſienſis & Colonienſis unionem pure & ſimpliciter: Si modo ſummus pontifex & archiepiſcopus Colonienſis, uti dictum eſt, & fundatores in hanc conſentiant & approbent, & non aliter, de quo proteſtabamur, conſentiamus; ſi vero illi, ſummus ſcilicet pontifex & reverendiſſimus noſter in hanc conſentire, eamque vel approbare nollent, quod tunc hæc unio nulla eſſe debeat, &, ut ſupra ſatis declaratum eſt, viribus omnia carere. Proinde obſervari cupivimus: Quod ſcilicet miſſarum, vigiliarum, atque alia divini officii, necnon & debita eleemoſynarum onera, in noſtro quondam ſuburbano monaſterio Noveſienſi ſancte olim a piis & cordatis viris inſtituta, fundata & ad ejuſdem monaſterii demolitionis diem uſque ſemper mordicus obſervata, huc quoque ad conventum venerabilis Corporis Chriſti, una cum ſolitis & annexis ſuis gratiis, transferri, & debito modo obſervari debeant, ne per hujuſmodi unionem noſtri conventus fundatores & benefactores in aliquo defraudentur, vel etiam ne noſtræ animæ, hanc declarationem facientes ullatenus graventur.

Excerptio quorundam fratrum unionis negotio.

Ut quoque ad divini cultus majorem exornationem, præter alia eccleſiaſtici officii onera, etiam perpetuo ſingulis diebus duo cantentur ſacra. Unum in capella beatæ Mariæ Virginis, alterum in ſummo altari: quemadmodum & bis quotannis quoque perpetua & ſolemnis hujus unionis celebrari debeat memoria, idque pro fundatoribus, benefactoribus & fratribus profeſſis, vivis & defunctis utriuſque domus, idque cum honeſta in prandio beneficii gratia. Quarum prima memoria Dominica *Cantate*, altera poſt feſtum Martini epiſcopi.

Ut ſingula tam fratrum profeſſorum quam etiam fundatorum, benefactorum & laïcorum nomina, ſpeciatim, ne memoria eorum apud poſteros pereat, in libro benefactorum dicti conventus Corporis Chriſti annotentur. Quibus omnibus auditis, dictus dominus Generalis reſpondit. Quod non intendat præſcriptis inſtitutis quicquam derogare, vel piis fundatoribus aliquid detrahere, ſed quod in hoc unionis negotio ſolummodo divini honoris propagationem, & utriuſque conventus conſervationem & ſalutem, atque ordinis noſtri utilitatem, uti præfertur, quærat paterne & ſollicite, idque ex cauſis in unionis articulis latius deductis; quemadmodum & propter Noveſienſis civitatis pridem factam horrendam proditionem & deteſtabile ſpolium, tam noſtrorum omnium mobilium, quam etiam aliorum civium. Acta ſunt hæc in domo capitulari conventus Corporis Chriſti, præſentibus notario & teſtibus.

Sequenti die qui erat 19. Maii, quando ægre admodum in unionem conſenſum a nobis eſſet, ad novi prioris electionem proceſſum eſt. Concordibus omnibus ſuffragiis legitime & canonice me licet indignum in priorem elegerunt. Confirmatus altero die a generali, prior indignus venerabilis Corporis Chriſti & ſanctæ Mariæ in Colonia declaratus ſum. Mandrabuli equidem more res mecum ſucceſſerunt. Eram enim ante in quietiori loco conſtitutus, ibi omnia in pace vigebant, redditus omnes obveniebant, nihil quod ad ſuſtentationem attinet, nobis deerat. Hic inter armorum ſtrepitus, inter horrenda bella vivendum mihi, ubi ex rapto vivitur, nec hoſpes ab hoſpite tutus, ubi prædia noſtra exuruntur, redditus nulli dantur, ubi terra tribulis & ſpinis conſita ſterileſcit, nec fructum facit, ubi ære alieno vivendum, ubi anima debetur, ubi omnia deſolata, & confuſo ordine conſtituta. Sed quid agerem miſer, quum ſuperioribus parendum ſit? Invidebant plurimi mihi, in primo quietiori loco conſtituto; (habet enim honos invidiam comitem) quieſcere non poterant, donec ab equis ad aſinos deſcendiſſem, id-

Electio prioris in unita domo Colonienſi.

que haud lubens, ſed vere coactus.

Erneſtus fit epiſc. Monaſterienſis.

Erneſtum Bavariæ ducem archiepiſcopum Colonienſem, canonici Monaſterienſes in ſuum epiſcopum elegerunt, reſignante epiſcopatui Johanne duce Juliæ, Cliviæ, ac Montium, & jam uxorem ducturo.

Conſiliarii reverendiſſimi revocant unionem.

Conſiliarii reverendiſſimi poſtquam perceperant unionem noſtrorum conventuum hinc inde initam, & a generali noſtro quaſi confirmatam, novumque priorem ex utriuſque domus fratribus electum, ſcribunt ad fratres omnes, acriter expoſtulantes de noſtris ſine ſcitu reverendiſſimæ ſuæ celſitudinis attentatis. Quia vero aliter a nobis ſupplicatum erat, ut nos ſua reverendiſſima celſitudo juvaret, quatenus eo adigeret Noveſianos ut nobis aliam pro noſtra aſſignent domum, eiſque in terminis rem indeciſam fineremus, hoc eorum nomine reverendiſſimi, qui aberat, mandatum eſſe: ſin minus parere velimus, ut tum deciſionem deſuper reverendiſſimi in poſterum expectaremus. Scire nos quibus in terminis negotium abbatis Tuitienſis & fratrum Corporis Chriſti ſitum ſit, videlicet apud ſanctiſſimam apoſtolicam directum, neque decere nos quicquam in præjudicium vel contemptum ſanctiſſimæ ſedis apoſtolicæ & reverendiſſimi noſtri attentare. Coloniæ actum 30. Maii, anni 85. Ad has litteras nos in ſcriptis nihil reſpondimus, ſed tantum Bonnæ in ſenatu coram conſiliariis oretenus noſtram excuſationem prout ſupra adduximus.

De monaſterio noſtro.

Aureum vellus principibus nonnullis Germaniæ a rege Hiſpaniarum donatur.

Imperatori Rudolpho II. ejuſque patruo, fratrique Erneſto archiducibus, & Guillelmo duci Bojorum, rex Hiſpaniarum Philippus aureum vellus confert. Is ordo inſtitutus eſt a Philippo Burgundionum duce anno 1429. ſed jam diuturnis bellis, ſublatis pene omnibus ejus ordinis principibus, collapſus per regem Hiſpaniarum renovatus.

Martinus Schenkius a rege deficit.

Martinus Schenkius a rege, cui jam aliquot annis militaſſet, clam cum Nuenario, & aliis regis hoſtibus fœdus init, caſtrum ſuum *Blienbeck* eidem Nuenario tradit.

Propugnaculum in Valle gratiæ.

Occupato a Truchſeſianis, duce Nuenario, oppido Bavariani Erneſti archiepiſcopi Colonienſis, *milites monaſterium virginum* veſtalium ordinis D. Bernardi, vulgo *Gnadenthall*, prope Noveſium invadunt, ibique ſeſe vallo foſſaque quam *fortiſſime muniunt*, aquam per rivulos ex Arnapha circumquaque derivant, pontes verſatiles duos ſuper Arnapham & foſſam ponunt. Atque hoc ideo, ut excurſantium prædonum malitiam, deprædationem & furtum, in diœceſi parumper compeſcerent. Sed parum effectum eſt, qui alios compeſcere debebant irruptiones faciunt, quicquid apud ruſticos reliquum erat, ſpoliant, auferunt. Nemini parcitur, neque ſexui neque dignitati, nec pagis, nec prædiis: tam noſtri, quam hoſtis, longe lateque regiones circumcirca depopulantur, A ignique cremant. Id malum & noſtris prædiis accidit. In cineres enim noſtri archiepiſcopi milites redegerunt prædia noſtra ornatiſſimis & fortiſſimis ædificiis exædificata, videlicet hoc anno prædium in Derichum & Silichum, anno ſuperiori prædium in *Vönckradt*, & prædiolum in *Grimlichhauſſen*, ſed & pagum *Norff* cujus paſtoratus nobis incorporatus eſt, funditus deſtruxerunt & exuſſerunt, adeo ut ne quidem veſtigium alicujus ædificii pareat. Porro longe major crudelitas Truchſeſianos invaſit, qui antequam Noveſium invaſerant, multos pagos, prædia, templa igni depopulati ſunt, infra B & ſupra Noveſium, puta, *Butgen*, *Glehen*, *Luttenglehen*, *Kleinenbroich*, *Karſt*, *Wiſchel*, *Oſterradt*, *Grimlichauſſen* & *Silichum* funditus, *Hackenbroich*, villaſque circum Noveſium & Coloniam innumeras pene. Truchſeſiani quotidie eruptiones facientes captivos abduxerunt multos cives, ruſticos & obvios quoſcumque Noveſium. Ceperant inter alios confratrem noſtrum Johannem *Kaill de Glehen*, quem multis pœnis & tormentis affectum pro centum daleris redemimus. Hieronymus N.... quem in civitate cum noctu intraſſent per murum, invenerunt; in domo patris Montis Mariæ degebat, & prope C murum per quem aſcendebant, dormiebat. Captus magiſtro equitum, qui tum ſibi monaſterium & quicquid in eo inveniebatur adſcribebat, donatur. Fit ei charus eo quod theſaurum noſtrum, calices, aurea & argentea vaſa, cum ciborio, thuribulo argenteo, quæ inveniri non poterant, prodiderat, & magiſtro equitum tradiderat. Fit hujus ſcribæ charus, eo quod argenteos defunctique Quirini Tylani ſcyphos aliaque cimelia, quæ apud quamdam honeſtam ſanctimonialem, apud D. Claram Noveſii, conſervabantur, item prodiderat, & huic ſcribæ a ſanD ctimoniali exigens donaverat. Hinc factum, quod illi ex tam inſigni theſauro admodum divites facti, Hieronymum abſque lytro dimiſerant, imo propria biga, quod nulli captivorum accidit, Duſſeldorpium uſque extra omne periculum tranſvexerant. O inſignem proditorem! Audita ejus proditione, cujus antea nota ſatis nobis erat rebellio, concluſum inter omnes fratres fuit, ne denuo in conſortium noſtrum reciperetur. Veniens Coloniam, & licet multum ſibi timeret, receptus tamen eſt a generali noſtro præE ter omnium noſtrum voluntatem.

Eodem anno Antuerpienſes novo ſtratagemate pontem in Scaldi conſtructum perrumpere conati ſunt. Eum in uſum ſedecim naves compaginârant, & proras maximis ferris, forcipibus, roſtris, dentatiſque ferramentis ad confringendas catenas, rudenteſque, & ſolvendam trabeam molem ponti præſtructam peridoneis armarant. Has refluxu maris, & vento ſecundo in operas præ-

miſerunt tanto impetu, ut moles iſta, catenæ rudenteſque ruptæ ſint, atque disjectæ, quo tamen in opere vis advenientium illarum navium ita fracta eſt, ut illæ nullo impetu ad pontem natantes ſtatim a regiis ſint interceptæ. Has naves alia navigia quatuor majora ſubſequebantur, quorum alveis multa pulveris nitrati vaſa arctiſſime erant incluſa, foris vero pergulæ, tabulata & acroteria pice & reſina illita flammam ingentem & fumum excitabant. His ferentarii & nautæ aliquot, qui ad hoc operam ſuam Parmenſi elocabant attractis naviculis occurrunt, unumque arripientes in conſpectu propugnaculi ruſticorum, alligata anchora ſiſtunt: quod paulo poſt, cum pulvis ab appoſito fomento ignem concepiſſet, non ſine magna Antuerpienſium clade diſſiliit; tria vero reliqua accenſo pulvere magno fragore, damno nullo illato crepuerunt. Poſt hæc duo alia ſubſequebantur, quæ magno cum impetu in pontem ferebantur, quod cum vidiſſent regii, naves aliquot, quibus pons imminebat, præciſis anchoris ſubducunt, viamque navigiis faciunt, cum vero tranſiſſent, fomento ad pulverem jam combuſto, unum illorum incenſum, in minutiſſimas quoque partes nullo regiis illato damno crepans, disjectum eſt. Aliud vero regii inſecuti capiunt, & aſcendentes fomentum quærunt, inveniuntque ignem jam pene ad pulverem perveniſſe, quare ſubtracto fomento navem in caſtra remulco trahunt, & tabulatis disjectis, centum circiter vaſa pulveris tormentarii, & ingentem ſaxorum impoſitorum acervum invenerunt. Atque hoc modo ingenioſe excogitatum illud ſtratagema nullo cum Antuerpienſium fructu, hoſtium vero ſuorum ſumma cum utilitate diſſipatum. Videntes Antuerpiani ſe hac via nihil efficere poſſe, ad arma proſiliunt. Primum incenſas aliquot naves in operas Parmenſis præmittunt, mox cum centum circiter navibus veterano milite plenis aggerem adoriuntur. Fit atrox hinc inde pugna, primo Hiſpani parumper ſuccumbebant deficientes, mox tamen reſumpto ſpiritu, (nam princeps ipſe umbilico tenus in aquis ſtricto gladio milites ſuos in hoſtem cogebat,) omni conatu in hoſtium munitionem irruunt, vallum ſuperant, & quidquid in munitione repertum eſt, id interfectum fuit, reliqui ad naves properantes partim occiſi, partim capti, partim etiam ſubmerſi ſunt. Hic Germanorum virtus egregie enituit: qui in navibus erant cedere nolentes, tamdiu pugnarunt, ut tandem æſtu recedente, naves aqua deſtitutæ, e vadis emergere non potuerint. Captis itaque triginta tribus navibus, ingens hoſtium ſtrages edita eſt, ingenſque tormentorum apparatuſque bellici copia intercepta. Capta eſt inter reliquas una navis, quæ ditiſſimorum mercatorum filios vehebat, defenſoribus & filiis omnibus occiſis. Numerus occiſorum hoſtium 2000. & 300. Ex Anglis & Hollandis plurimi ceciderunt. Ex Hiſpanis etiam plurimi deſiderati ſunt, ad 400.

Nuptiæ principis juniores Juliacenſis.

Decimo quinto Junii adveniente marchionis Badenſis filia Jacoba Johanni juniori duci Cliviæ nuptura, in terram Montenſem, & parumper in *Himmelgeiſt* morante, magnificus repente Duſſeldorpii fit apparatus. Adducti ſunt ſtrati ſericis phaleris equi generoſiſſimi, plumis & criſtis ſplendide inſigniti, terni & terni in ordine procedentes. Princeps ſponſus cum duce Bipontino, ceteriſque proceribus quorum copia aderat infinita, ſolemni pompa ſponſæ obvius equitabat. Ubi ad ſponſam ventum eſt, ſponſus ex equo in terram deſiliens, illam ducali conſuetudine excepit. Cives omnes in armis erant, & ſponſum ſponſamque reduces præſtolabantur. Cumque jam urbis portas ſubirent, ſclopetorum ingens auditus eſt ſtrepitus, grandiorumque tormentorum feſtiva tonitrua, & tela ex nitrato pulvere confecta, artificioſe per aëra paſſim peritiores quique ejaculabantur, nihil præter tormentorum reboatum, nihil præter equorum hinnitum, nihil præter tubarum clangorem tota urbe reſonabat, nec quicquam prætermiſſum eſt, quod ad tantæ feſtivitatis magnificentiam pertinere videbatur. Tanto tamque unanimi procerum, nobilium, urbium legatorum, totiuſque patriæ ſubditorum applauſu, ſponſa cum ſponſo Duſſeldorpium ingreſſa, ab illuſtriſſimo duce Wilhelmo, in arcem lætis complexibus recepta eſt. Decimo ſexto deinde Junii matrimonium ſolemni ritu, ſponſa aureis fibulis & gemmis ornata, ſtrictum manu gladium tenente, qua cæremonia poteſtas regiminis illi conferebatur, in arce celebratum eſt. Convivium mox ſecutum eſt apparatu regali exquiſitiſſimum. In ſecunda vero menſa omnia regali magnificentia ſplendebant. Bellaria omnis generis, arbores, plantæ, ova, pyra, pruna, nuces, animalium diverſæ ſpecies, integræ venationes, diverſarum provinciarum inſignia ex ſaccaro confecta, & vivis coloribus artificioſe expreſſa, diſcreta ſerie, atque optimo ordine diſpoſita conſpiciebantur. Magnus aderat muſicorum chorus, & varia epithalamia, a doctiſſimis viris atque adoleſcentibus in honorem novorum conjugum compoſita legebantur. Interfuerunt huic conjugio principes, principumque atque urbium legati diverſi. Hic Cæſaris Rudolphi, regiſque Hiſpaniarum legati ſedebant; illic Ferdinandi, & Caroli, Erneſti etiam, Maximiliani, & Matthiæ archiducum Auſtriæ. Poſt illos Erneſti & Guilielmi Bavariæ ducum, Saxonis quoque, Wimmarienſis & Pruſſiæ principis legationes accumbebant. Aderat dux Bipontinus cum conjuge & liberis, Badenſis marchio ſponſæ frater, cum mar-

Principes principisque legati ejus nuptiis interfuerunt.

chione de *Rodemach*, comites plurimi, nobilium vero & diverſarum urbium atque oppidorum legatorum non erat numerus. Convivio peracto, ubi aliquandiu ſaltatum eſſet, ſub noctem in Rheno inſignis habita eſt naumachia, & ingens navis pice, reſina, & bitumine illita medio flumine concremata.

Poſtridie rurſum conviviis, muſica & choreis aula perſtrepuit, & media nocte nova omnis generis ſpectacula maximis ſumtibus in Rheno exhibita fuere. Videbatur ibi infernus, Atlas cœlifer, cœlum ſtelliferum, Hercules, Draco ſepticeps, Cerberus triceps, Syrtis, lynx & cete mira induſtria atque artificio fabricata, quæ ſub finem hujus ſolemnitatis in Rheno combuſta fuerunt. Navalis pugna quoque exhibita fuit, ab iis adoleſcentibus quos princeps ſtipatores ex omnibus ſuæ ditionis pagis & oppidis collegerat.

Decimo octavo die principes armati campo ſe Martio, ſumto jam prandio, commiſerunt, & propoſitis aureis argenteiſque braviis quorum magnus erat numerus, de annulo ferreo concitatiſſimis curſibus haſtis excipiendo concertarunt, quo in certamine ſponſus primum victoriæ præmium ſortitus eſt. Aderat hic ſpectatorum magnus numerus. Mons Veneris hîc ingens præclaro ingenii acumine factus, in cujus vertice Orpheus & Amphion modulabantur, a multis viris incluſis, qui tamen videri non poterant, primum ad ſponſam deportatus fuit: inde per omnem campum circumductus. Sequenti die in aula variis ludorum generibus indultum eſt. Vigeſimo vero die iterum in campo Martio haſtis & gladiis concurrentes principes, acriter pro gloria dimicarunt, haſtæ vero quorumdam poſt conflictum, igne clam concepto, ingentem flammam ſumoſque ex pulvere nitrato incluſo evomuerunt. Sed & pulvis tormentarius terræ diverſis locis ſingulari arte incluſus, injecto igne tanto fragore atque mugitu erupit, ut cœlum ipſum diſtumpi putaretur. His aliiſque exercitiis per dies aliquot continuatis, nuptiæ tanti principis feliciter peractæ, & principes principumque legati in ſua reverſi ſunt.

Mechlinienſes ſeſe regi Hiſpaniarum dedunt.

Decimo nono die Julii Mechlinienſes inedia compulſi, dimiſſo ſeditioſo ſuo milite, regis præſidium, ſub præfecto domino nobili Flandro, acceperunt. Civibus omnium delictorum conceſſa eſt venia. Qui catholico ritu vivere vellent, iis in urbe manere licuit: qui in ſuo furore calviniſtico mallent perſeverare, iis permiſſum bona ſua divendere aut alio tranſportare, & infra 15. dies extra provincias regis commigrare.

Legatio Turcarum ad regem Hiſpan.

Turcarum imperator legationem magnificam ad regem Hiſpaniarum mittit, cum præclaris donis & litteris, in quibus declarat regi multos in ſuæ ditionis imperio eſſe, qui clanculum ſibi auxilium a Turca petant, idque in Germania, ſed optat regi victoriam contra hoſtes ſuos quoſcumque, eoſque ut in eum locum redigat, ſuadet ne amplius regi moleſti eſſe queant. Una cum his litteris miſit Turca regi Philippo quatuor leones, cum torquibus aureis, in quibus ſculpta erant regiæ majeſtatis inſignia, & ſuis catenis aureis dependentia: duodecim gladios damaſcenos Turcicos, cum ſuo ornatu, aureiſque catenis, quatuor cultrorum thecas cum aureis ornamentis: in ſingulis vero thecis quatuor erant cuſtelli, quorum manubria ex auro lapidibuſque pretioſis erant confecta. His duodecim Monoceroton cornua 16. palmas alta, aureis ſuppedaneis impoſita, atque arma regiæ majeſtatis oſtentantia adjunxit. Aulea quoque viginti Attalica, ex panno aureo ad ornandum cœnaculum facta, in quibus victoriæ, quas claſſes atque exercitus Turcici ſub hoc imperatore obtinuerant, erant intertextæ, & lectulum quo in triremibus utuntur, ex puro auro atque criſtallo, in cujus cortinis & umbella, res ab hoc rege Philippo feliciter geſtæ, affabre elaboratæ conſpiciebantur. Miſit & duas ciſtas aureas, in quibus plumæ diverſorum colorum erant impoſitæ: & alteram ciſtellam criſtallinam, atque in ea quadraginta pretioſiſſimas gemmas, quas Bezares vocant, ſingulas unciarum fere quatuordecim: clypeos etiam Hiſpanicos, quibus in pugna arundinaria utuntur, totumque corpus tegunt, ſex, in quibus victoriæ Caroli v. imperatoris contra Luteranos & rebelles, ut aiunt, imperii, erant ſingulari artificio depictæ. Sed & duos gradarios equos adjunxit, albo, nigro & cæruleo colore natura diſtinctos, cum ſex Turcis quibus leonum & equorum illorum cura erat demandata. Magnifica ſane & regalia dona.

Indulgentiæ Coloniæ promulgatæ, a Sixto v. Romanorum pontifice datæ.

Initio Auguſti Coloniæ Agrippinæ indulgentiæ Sixti quinti promulgatæ ſunt: ut populus oraret, quo Deus lumen ſuum pontifici oſtendere, pares tanto oneri vires præbere, omnes actiones ejus dirigere, ac hoſtium Eccleſiæ ſuæ conatus infringere dignaretur. Tanta hominum frequentia, tantaque pietate & religione hæ ſupplicationes peractæ ſunt, ut ab hominum memoria nemo majorem in hac urbe viderit pietatem. Aderat nuncius apoſtolicus epiſcopus Vercellenſis. Aderat *ampliſſimus hujus urbis ſenatus cum* faſcibus omnique quâ uti ſolet magnificentia. Reliquiæ Sanctorum portabantur. Sacrum omni muſicorum genere apud Apoſtolos celebratum eſt.

Dux Parmenſis vellere aureo donatur.

Undecimo Auguſti Parmenſis aureo a rege Hiſpaniarum donatur vellere, peractis cæremoniis quæ in actu tam magnifico adhiberi ſolent, omnia tormenta minora atque majora diſploſa ſunt, tanto cum reboatu, ut terra fatiſcere, cælum cum aëre atque aqua miſceri putabatur.

Decimo ſeptimo menſis ejuſdem, pacis

Rex cum Antuerpiensibus fœdus init. condicionibus Antuerpienſes atque ipſe princeps illuſtriſſimus ſubſcripſerunt: pollicituſque eſt princeps, ſeſe accuraturum, ut eadem ſpatio quatuor menſium propria regis Hiſpaniarum manu ſubſcribantur, & majori ejus ſigillo muniantur.

Quum eſſent promulgandæ pacis conditiones, pulſabatur primo majori campana, omnique muſicorum genere aliquandiu cantabatur, poſtea de theatro in eum uſum conſtructo clare legebantur. Sunt autem numero 27. Vide Michaëlem Iſſeltium in appendice Surii.

His de theatro recitatis, venit armorum cognitor, quem heroldum vocant, promiſſa veſte, in qua inſignia regis Hiſpaniarum elaborata erant, indutus, unaque ſecum tubicines principis Parmenſis in theatrum adduxit: qui cum aliquandiu inſigne epicinium ſingulari quadam harmonia ceciniſſent, heroldus protenſa in altum manu, ter, Vivat rex Hiſpaniarum, exclamavit, quem pari numero omnis, quæ aderat, multitudo elatis vocibus eſt inſecuta, ſtatim qui catholici erant, cum quibuſdam religioſis qui recens advenerant, templum occupant, & præmiſſo DD. Ambroſii & Auguſtini hymno, veſpertinas preces, Deo gratias agentes, cecinerunt.

Parmenſis Antuerpiam ingreditur. Vigeſimo ſeptimo Parmenſis princeps, præmiſſis in urbem 2400. peditibus Germanis & Gallis, quadringentis vero equitibus & ducentis nobilibus, inter quos comes Egmondanus, urbem cum ſummo triumpho ingreſſus eſt: magiſtratus ingredienti illuſtriſſimo victorioſiſſimoque principi, claves urbis, aliamque clavem ex auro puriſſimo confectam per pulcherrimæ virginis manus obtulerunt. Princeps auream clavem accipiens, eam aureo quod in pectore radiabat velleri addidit. Palatium a duce Albano magnificentiſſime extructum ingreditur, & honorificentiſſime ab omnibus ſalutatur. Catenæ vero quibus plateæ clauduntur ſublatæ ſunt. Atque ita munitiſſima urbs totiuſque Europæ emporium celeberrimum, in poteſtatem benigniſſimi ſui principis, cujus jugum præ nimio luxu, animique petulantia & laſcivia excuſſerat, illuſtriſſimi principis Parmenſis auſpiciis redactum eſt. Diſtichon in quo annus & menſis.

VIrgo LegIt ſpICas, AntWerpIa CoLLa potentIs
PrInCIpIs HIſpanI sVbJICIt IMperIo.

Circa hoc fere tempus in agro Colonienſi, apud Quercum quæ in monticulo infra *Geien* & Coloniam in publica via conſita creſcit, ruſtici quidam & paſtores pecorum inventam bigam, cujus equi a prædonibus liberis erant abacti, dum ſcrutantur, reperierunt vas aduſto vino plenum: læti & ad bibendum proni, vini virtutis ignari in pileis ſuis promentes, incondita illud aviditate potarunt, ſeſeque adeo ingurgitarunt, ut poſt paucas horas, quatuor aut quinque ex illis nimio ardore extincti ſint.

Simile fere, ſed magis horrendum in *Apeldorn* Veluæ pago accidit. Duo nobiles Germani ordinibus militantes, inter ſeſe convenerant, ut vino aduſto ſeſe tamdiu ingurgitarent, donec alter eorum expiraret, ſi quis prior ſurgeret, in eum diabolus poteſtatem haberet. Accidit dum ſtrenuiſſime hac lege potarent, mercatorem illac forte tranſire, quem ut ſe tertium adjungeret coëgerunt, invitus ille huc inductus eſt, mortiſque metu. Paulo poſt malignus ſpiritus locum ubi ſedebant ingreſſus, utrique cervicem fregit; illi autem mortui livida & horrenda facie elati, ſepultique ſunt.

Sub idem etiam tempus tanta fuit liberorum prædonum, & Erneſti quoque militum deprædandi licentia, ut nemini ex terra Juliacenſi tuto, niſi cum maximo comitatu Coloniam abſque vitæ bonorumque jactura venire, idque longo tempore, integrum eſſet. Itaque conſtitutum erat ab illuſtriſſimo Juliæ duce, ut comitatus Coloniam ire volentibus daretur. Indicitur Berchemii. Ibique ſingulis hebdomadibus, innumera convenit promiſcui ſexus multitudo proficiſcentium, dabantur ſtipendiarii milites centum vel circiter, equites viginti qui comitatum tutarentur. Huc quoque congregabantur bigæ & currus multi. Venientes extra villam Sylvam currus bigaſque in ordinem militantium more, a dextris & ſiniſtris, ut propugnaculi loco eſſent contra infeſtantes prædones, redigebant: intra currus imbellem conſtituebant multitudinem, ſicque non per publicam viam, ſed per agrum veluti exercitus proficiſcebantur Coloniam. Expeditis negotiis, ſequenti die ſeſe, quibus placebat, ad reditum, ordine quo ſupra parabant.

Comitatus Colonia venieps & in agro collectus ab Erneſtia nis invaditur.

Accidit hoc tempore ut me comitatui ſocium adjungerem, volens meos amicos & neceſſarios inviſere. Dum ita ordinati proficiſceremur, ex quodam pago haud procul Colonia, erumpunt ducenti equites & quinquaginta vel circiter pedites, atque in nos impetum fecere maximum. Emittentes ſclopetos multo grandine in noſtros, lanceiſque petentes, nonnullos occiderunt, plurimos vulnerarunt. Noſtri haud ſegnes ſeſe viriliter defenderunt, primo ictu equitem equo dejiciunt, quem ſui cernuum arido procumbentem, ſuper collectos in agro avenæ faſciculos vel mergites rapiunt, incendentes ipſum cum avena comburunt. Hinc ſævientes acrius inſtant, equos & plauſtra a fine comitatus intercipiunt. Circumcingunt plauſtra quæ vino onuſta erant, perforant, potant. Dumque ita moram trahunt, nos quantum potuimus iter dimenſi ſumus. Poti ecce citatis equis, quanta potuerunt velocitate nos inſequuntur; aciem & propugnaculum

diligenter componimus, ſtipendiarii extra impetum eorum ſuſtinebant. Fit pugna. Noſtri fortiter dimicantes plurimos ex equis dejiciunt, pedites multos tansfodiunt, equos capiunt, occiſos ſpoliant; tandem ubi ultra ſex horas dimicatum & velitatum fuerat, alios in fugam vertunt prope Frechem, ab omni porro periculo comitatum liberant. Atque hi prædones ex Erneſtianis erant, qui propugnaculum Vallis gratiæ contra Truchſeſianos Noveſium occupantes, defendere debebant. Dum ita ob metum & terrorem in patria coactus hærerem, Marcellus Lentius generalis noſter in Brabantiam proficiſcitur, deſolata & everſa monaſteria rurſum pro virili reſtauraturus, conciliumque vocat Lovanium. Quo cum Brabantini & alii nonnulli patres Belgæ veniſſent, capitulum privatum de reformando ordine noſtro deformato ſervatur. Conſtituuntur plurima obſervatu digniſſima. Unitur domus Throniana prope *Herentalſs*, cum domo Martiniana Lovanii, ita quod omnia bona mortificata duarum domuum, nunc porro in perpetuum, uni domui Lovanienſi cedere debeant. Unio noſtri ſuburbani monaſterii cum Corporis Chriſti in Colonia in hoc capitulo a patribus approbatur & confirmatur Lovanii.

Unitur domus Throniana cum Martiniana Lovanii.

Unio domus Colonienſis approbatur.

1586. 19. Maii Truchſeſiani circum Coloniam uno die incenderunt pagos 14. villas 40. nobis e turri monaſterii Corporis Chriſti ſpectantibus. Triſte ſpectaculum, fumo cœlum obſcurante.

4. Junii navim expoſitoriam adverſo flumine per Rhenum Coloniam maximis munitam tormentis Truchſeſiani vexerunt, qua in anchoris prope portam Salinam ſtante, navarchus ab omnibus mercimonia importantibus vectigal inſuetum, adeoque intolerabile exegit. Senatus præſumtionem hanc ægre ferens, cujus hoc auctoritate faciat a navarcho perquirit. Ille Truchſeſii id juſſu fieri affirmat. Poſtea audiens ſenatus Cloutium capitaneum Truchſeſianorum Noveſii, & expoſitoriæ navis, jam adeſſe & navim inviſere, & vectigal exactum avehere conantem, ex decreto quoſdam ſenatores & Schenckium J. U. doctorem ad eum mittunt, privilegia ceteraque jura allegans cur hæc fieri non debeant. Ille econtra, nihil ſe agere de quo non habeat expreſſum a Truchſeſio mandatum, & iſthinc diſcedere nolle, donec vi a quovis compellatur. Nihilque magis ſe optare niſi ut ſenatus, unico exploſo bellico tormento ad navim, ſeſe vel hoſtem declarent, ſtatim ſe diſcedere paratum. Senatus ut ſe in hoc bello neutrius partis eſſe declaret, bona verba & pacifica dabat. Schenkius qui Cloutium jam inde a pueritia probe cognoverat, ipſum inter alia alloquitur, & veteris amicitiæ memorem reddit; quare tam miſere patriam ſuam, diœceſim in qua genitus & bona ſua immobilia habeat, perdat, devaſtet, ſpoliet, innumeriſque malis affligat, memorem eſſe debere ſanguinis alti, & nobilitatis ſuæ perantiquæ, ab incepto deſiſtat, patriam potius defendat quam affligat. Ille econtra ſe militem eſſe, juramento ſe Truchſeſio aſtrinxiſſe, jam ultimam fortunam expectare velle. Seſeque hoc incœpto, jam porro vel tandem hac æſtate, quiſnam diabolorum epiſcopus foret videre, omnemque operam impendere. Ideoque ſe hac navi Coloniam veniſſe, & ut Colonienſes ipſimet videant Truchſeſium eſſe & epiſcopum & epiſcopatus poſſeſſionem ipſa occupatione continuare. Miſſi nihil ſe impetrare poſſe videntes, diſcedunt. In illorum gratiam tria explodit maxima tormenta; tandem vero 20. menſis Junii, Erneſtus mittens Bonna navigia bene inſtructa militibus & bombardis expoſitoriam navim adoritur, exploſis tormentis ſive bombardis in eam maximis. Navarchus videns ſe ſuperatum præciſo anchoræ funi, ſecundo flumine celeri fuga elabitur. Subſequuntur quanta poſſunt velocitate aliæ naves prope fere Woringen, ibi datis vento velis Noveſium properat.

Eodem tempore Noveſiani propugnaculum inter Coloniam & Zontium in inſula quadam Rheni juxta Woringen extruxerunt, qui locus opportunus admodum fuit, ad impediendum, ne ſi Noveſium obſideretur, commeatus in caſtra poſſet advehi, ſed & Zontinos ita Colonienſibus diviſit, ut nec ipſis aliquid ſupportari potuiſſet. Paucis interjectis diebus, dum ita ex hoc propugnaculo exeurrunt, & prædam ingentem agunt, Fredericus Saxoniæ dux Zontii cum ſuis agens multum apud animum ſuum verſat, ut tantum malum auferre poſſet. Commodum fit, ut prædones iſti mercatoris cujuſdam vina in navi ſecundo flumine interciperent, & eorum more largiter potarent; nullus ibi erat qui non obrueretur potu. Feſſi altius ſomno premuntur. Vigiles qui ſtationes habebant, ſomno gravabantur. His ita ſomno vinoque ſepultis, Fredericus clanculum ad propugnaculum adrepens, cum neminem vigilantem ſentiret, aſcendere quoſdam jubet, alios ſubſequi. Qui ſtatim jugulatis quibuſdam excubitoribus in aditu dormientibus, aliis ingreſſum dant. Mactantur ibidem haud ſecus ac ſi pecudes eſſent, plurimi antequam eos ſomnus deſereret letheas ad aquas mittebantur, cum ſomno temporario æterno dabatur ſomno, pauci elapſi ſunt. Ingens inventa præda. Hoc ſtratagemate Noveſiani conſternati parumper ab irruptionibus deſiſtunt, & ſibi vires præciſas vehementer dolent. Fredericus propugnaculum magis firmat, eorumque excurſiones compeſcit, liberiorem proficiſcentibus licentiam recuperat, Illud poſt expugnatum Noveſium ſtatim demolitum fuit.

Fredericus Saxoniæ dux propugnaculum expugnat.

In

Parmenſis ad obſidionem Noveſii copias mittit.

In initio veris Parmenſis aliquot copias quæ obſidionem Noveſianam auſpicarentur duce Altipennio miſit. Hic in terra Juliacenſi diu hæſit, caſtra metatus eſt apud Ruram in *Brachlen* pago, quem milites magna ex parte devaſtant, ſacciſis arboribus fructiferis, domibus dejectis, armentis pecudibuſque omnibus occiſis. Nec hoc ſatis erat; late circumcirca omnes pagos ſpoliant, qui non ipſis commeatum ſubvehebant. Præfectura Caſtrenſis & Berchemenſis annonam magnam in ſingulos dies numero & pondere ſubminiſtrabat, in præfectura Juliacenſi milites in pago locabat. Patria mea quatuordecim diebus continue mille tam equites quam pedites, exceptis meretricibus & juvenibus raptoribus, alebat. His diſceſſis, veniunt plures hoc modo tractari cupientes, qui ut ſe amotos viderent revertuntur, ſumptis in auxilium aliquot militum ſignis, pagum adoriuntur, incendunt, ſpoliant, captivos abducunt, prædam ingentem agunt, armenta, equos, & quicquid alicujus pretii erat in caſtris ſibi ſuiſque participant. Credi vix poteſt quantum damni & patriæ meæ & omnibus Juliacenſibus intulerint. Abeuntibus cum præda militibus, mulieres & qui reliqui erant ignem jam vires capientem extinguunt. Cum hoc milite Altipennius Noveſium venit. Magna ſpes erat tunc Noveſii recuperandi. Sed cum vix tentoria figi cœpiſſent, rumor in caſtra certiſſimus allatus eſt, Anglos, duce Leceſtrio Grauienſibus commeatum advexiſſe, & caſtra regia periclitari. Qui igitur in obſidione Noveſiana erant, in ipſo matutino crepuſculo tentoria incendunt & obſidionem cœptam præter omnium opinionem ſolvunt. Oppidani hoc modo liberati magna lætitiæ ſigna ediderunt. Omnia explodunt tormenta ſua, omnes in civitate campanas per integram horam pulſant, e muris cachinnis regios excipiunt, ut Graviam vadant ad ſepulchri locum proclamant, ſe nunc illis ultimum vale precari campanarum reboatu, & requiem æternam, ſi non revertantur, mœſto vultu cantare. Regii ut bene cantent, aiunt, *Requiem*, ſe brevi poſt *Te Deum laudamus* cantaturos fore affirmant, quod factum quoque in ipſa expugnatione Noveſiana. Sed neque hic prætereundum cenſeo, quod regii in terra Juliacenſi, armenta non ſolum omnia, pecudes, bonaque cetera mobilia raptabant, ſed & igne multos pagos injecto concremarunt. Huc accedit, quod horribilius eſt, matronas honeſtas, prægnantes, virgines & necdum nubiles, fœdis & ignominioſis ſtupris contaminarunt, circumvolutis crinibus pugioni in terram capulo tenus abdito, ne ſe defendere poſſent, vim intulerunt, trucidatis multis, tyrannidem Turcicam exercuerunt. Videntes ejuſmodi accolæ fugerunt, capti intolerabili lytro ſe redimere cogebantur.

Obſidio ſolvitur.

Sub hæc tempora fames maxima erat in Flandria, Brabantia, Lotharingia, Suevia, & Italia. Sed & in Hungaria tanta fuit rei frumentariæ inopia, ut multi patres proles ſuas Turcis pro frumento vendiderint, perpetua Turcis mancipia futuras. Alii ne ex liberis ſervos facerent, nec tamen clamorem & ejulatum filiorum filiarumque ſuarum audire, lentamque mortem videre poſſent, eos in Danubium præcipitarunt & aquis ſuffocarunt.

Fames.

Die itaque Junii quinto, quo expoſitoriam navim juxta Coloniam in anchoris ſtantem diximus, Parmenſis muros Graviæ concutere cœpit, a ſummo mane uſque ad veſperam ictus ſine intermiſſione numero 3500. in *illos intorquens. Proſequitur* poſtridie hora ſexta & poſt quingentos circiter ictus, propugnaculum oppidi novum cum turri vicina corruit, ita ut hoſti aditum in oppidum præberet. Parmenſis igitur omnem exercitum in armis eſſe jubet, & ad oppugnationem parari. Quod cum in oppido nunciatum eſſet, mulieres, pueri aliique imbelles plangere & lamentari cœperunt, totoque oppido tumultuatum eſt. Curritur ad *dominum* ab *Hemert* gubernatorem, tempus eſſe cum hoſte de deditione tranſigendi, hoſtem jam ipſis muris imminere, vitam & bona omnia periclitari, nihil reliquum eſſe præter deditionem aut mortem præſentiſſimam vociferantur. Gubernator lamentationibus & incondito clamore populi motus, & ab aliis intellecta oppidi imbecillitate, confeſtim tubicinem ad principem in caſtra miſit, cupiens de deditione oppidi tranſigere: ſtatim omnis adminiſtratio belli conſtitit, milites ex opere deducti ab oppugnatione deſtiterunt, atque a prælio averſi, ad ſtudium audiendi & cognoſcendi ferebantur. Propoſitis aliquot conditionibus, ſtatim pactionem de deditione fecerunt. Oppidum in poteſtatem & obedientiam regis rediret: præſidiarii omnes & cives quicumque in oppido manere nollent, incolumes cum omnibus bonis ſuis abirent. Poſtridie qui ſeptimus erat Junii milites omnes duodecim nimirum ſigna, cum omnibus impedimentis & armis ſuis, *vexillis involutis*, ſine tubarum & tympanorum ſonitu oppido egreſſi, navibus ad hoc præparatis in Hollandiam advecti ſunt. Princeps cum nonnullis militiæ ſignis & præfectis in oppidum venit, reipublicæ faciem renovaturus.

Gravia expugnatur.

Junii 10. ex ſenatus decreto portæ urbis Agrippinæ claudebantur, non exigua multitudo ociosæ plebeculæ per totam civitatem capta, in proximiora monaſteria & xenodochia conjiciebatur, poſtea civitate ejecta fuit.

Junii 18. Fredericus Saxo oppugnans clam nocte propugnaculum in Woringen cepit, de quo paulo ante: 55. milites occiderunt

200. Heroicum ſane & veteribus Romanis dignum factum.

Accuſatio fr. noſtrorum a Jeſuitis facta ob varios exceſſus.

Junii 21. patres Jeſuitæ, quemdam ordinis noſtri fratrem ad nos miſerunt, graviter incuſantes fratres noſtros. Primo, quod fortes ſint potatores, & paſſim de illorum temulentia prædicetur apud quoſlibet, magnates etiam. 2. Quod cum Bottermanno apoſtata noſtro edant & bibant, ideoque excommunicati. 3. Quod in monaſterio Clariſſarum hæreant frequenter. 4. Quod in feriis quatuor temporum aliqui exiviſſent, habuiſſentque cum militibus ſuas quiſque amaſias. 5. Quod adeo ſeſe ingurgitent ut humeris aliorum ſuſtentati, raptitentur; paululum progreſſi in publica via non ſine maximo ſcandalo labantur. Hæc aliaque ni emendentur, apud reverendiſſimum Vercellenſem nunciuin apoſtolicum præſentem nos accuſandos fore.

Cloutius & Schenckius Cæſaris inſulam capere tentant.

Junii 25. Cloutius & Schenckius, cum maxima manu prædonum & novorum Anglorum, noctu navigio & pedeſtri itinere Cæſaris inſulam adorti, ex inſidiis capere, ut Noveſium, ſperabant, ſed proditione fruſtrati ſunt. Qui in præſidio erant illorum ſtratagemata ſubodorantes, fortiter exploſis tormentis reſtiterunt. Ceciderunt ex Geuſiis nonnulli, tres capti, ceteri re infecta fugerunt. Qui circa Duſſeldorpium pagos villaſque omnes depopulati ſunt.

Parmenſis Venlonenſē civitatē obſidet.

Parmenſis totum exercitum, expugnato propugnaculo Wellenſi in Venlonenſem civitatem ducit. Ad Moſam juxta civitatem unum exercitum, ab altera parte, tres collocavit, urbemque tam arcte concludit, ut nec exitus nec introitus cuiquam pateret. Schenckius non ignorans præſidium quod in oppido erat hoſtium vim ſuſtinere non poſſe, contractis hinc inde trecentis plus minus equitibus, eos clam regiis in oppidum ſe introducere poſſe ſperabat. Detectum eſt ejus conſilium, & diverſis locis diſpoſitæ inſidiæ, quæ advenientem equitatum hoſtilem adoritæ majori ex parte fundunt. Schenckius cum 10. circiter equitibus elapſus Warchtenduncam venit.

Expugnatio caſtri Arſen.

His ita geſtis, princeps Parmenſis Manſfeltium comitem cum parte exercitus miſit ad expugnandum caſtrum in eadem Moſæ ripa nomine Arſen. Erat in eo præſidium ſatis frequens, frumenti & ſuppellectilis ingens copia, a vicinis circumquaque ruſticis huc comportata. Præſidiarii cum deditionem facere nollent, attractis ſex majoribus tormentis, muri convulſi & disjecti ſunt: milites autem regii in ruinas ducti, fortiter dimicantes, arcem 21. Junii expugnarunt. Omnes qui in ea erant ab arboribus ſuſpenſi ſunt, & præda opulentiſſima in manus regiorum venit.

Venlonæ expugnatio.

Obſeſſa itaque Venlona, oppidani in inſula Moſæ ædificato propugnaculo præſidium locant, ut a regiis tutiores in urbe eſſent. Princeps interim navale ædificat propugnaculum, junctis tribus pontonibus, trabibus aliiſque contignationibus, injectaque materia ſe contexerunt; hoc navale propugnaculum præmittunt, ſequuntur alia navigia militibus plena, amoto navali, inſulæ inſiliunt, terra confeſtim ſeſe operiunt; actis cuniculis, propugnaculo dicto citius appropiant; qui in propugnaculo erant, repentina hac in inſulam invaſione commoti, inopinatoque ſtratagemate turbati, relictis ſtationibus in oppidum fugiunt, Hiſpani facili negotio propugnaculum occupant. Statim uſque in ſequentis diei horam 4. pomeridianam, eum in modum urbs, majoribus minoribuſque pilis eſt verberata, ut cives ſua ſuorumque cæde perculſi, urbis direptione perterriti, ſeſe dedere conſtituerent. Præſidiarii contra urbem defendendam eſſe dicebant; cives de deditione cogitabant, & prævalebant; miſſi ſunt qui cum principe conditiones deditionis paciſcerentur. Tandem conditiones initæ ſunt, quæ ſunt ejuſmodi: Præſidiarii ſine ullis armis, excepto gladio, ſine equis & impedimentis exirent; civibus vita & fortuna eſſet incolumis. Qui catholico more vivere nollent, hi poſt ſex menſes cum uxoribus liberiſque alio ſeſe transferrent. Urbs in poteſtatem regis venit poſt præſidium dimiſſum, princeps mandato publico imperavit, ne quis civis militum dimiſſorum bona occultaret, ſed produceret & in locum conſtitutum comportaret: qui ſecus fecerit, capitalem pœnam & bonorum omnium incurreret.

Unus in oppido erat qui certam pecuniæ ſummam inter præſidiarios diſtribuendam habebat. Hic quando pecuniam ſecum auferre non poſſet, auri ſacra fame incitatus, quantum potuit avidiſſime devoravit. In itinere moles auri inteſtina ejus devoravit & perrumpit. Ille autem confeſſus quo morbo laboraret, infelicem animam exhalavit. Socii diſſecto ventre aurifero, venas ſcrutati ſunt, aurumque inter ſeſe diviſerunt.

Latrocinium deplorabiliſſimum & nullis retro ſeculis ſimile auditū, haud procul Colonia.

Julii tertius & diœceſi Colonienſi, & terræ Juliacenſi luctuoſiſſimus valde fuit. Cum enim itinera plurimum eſſent infeſta, ruſtici utriuſque patriæ, necnon & cives quorumdam oppidorum, qui diebus Veneris Coloniam ad mercatum venire vellent, jam ab anno uno aut altero diebus Jovis in oppido Berchemium (uti ſupra latius dictum eſt) conveniebant. Convenerat itaque hac die maxima curruum equorum & hominum multitudo, quæ ſi opus eſſet, armata manu per latrocinantium copias perrumperent. Non latuit horum adventus præſidia, quæ erant Bedburii, Valle gratiæ, Zontii, Cæſaris Werdenæ, aliiſque locis vicinis, Erneſto Bavaro archiepiſcopo Colonienſi militantia, maximaque eorum pars Eburones erant, latrones

Nihil diſtat ab hoſtibus, quando quis hoſtili modo auferat.

Gravius eſt ſua quā aliena incendere, & ſocios qui adverſarios ſpoliare & occidere.

Plurimi Ercſſiani truculentes & latrones.

& fures nati: Quæ confluentia junctis viribus in hanc multitudinem apud *Munneſſdorp*, adjuncta ſibi juvenum nebulonum ſecures geſtantium colluvie haud parva, ex inopinato adoriuntur, & pedites ſeptuaginta, qui ſeſe ad defenſionem parabant, contrucidarunt. Deinde in inermem multitudinem, tamquam in pecora ſævientes, nulla habita ſexus, nulla ætatis ratione, crudeliter & pluſquam immani barbarie debacchati ſunt. Juvenes in adverſos ſecuribus percutiunt, capita diffindunt, ita ut cerebra in terram prolaberentur, in pectora & ventres abdunt, ita ut pulmones, adhærentia quoque corda, imo & inteſtina multo cum ſanguine, terra mœſta exciperet, ſupplices manus protendentes & in genua provolutos paſſim multis vulneribus ſauciant, amputant, fœminas graviditimas, & partui vicinas jugulant, partus ipſos in ventribus matrum pugionibus confodiunt, parvulos ab uberibus matrum pendentes aut in earum gremiis ludentes miſere trucidant. Herodem ab inferis reſuſcitatum putaſſes, nihil præter clamorem & ejulatum ſupplicantium, nihil præter diras & execrationes ſævientium audiebatur, ſanguis innocentium circum interfectorum pedes fluebat, terra ipſa manibus, pedibus, capitibus & viſceribus hominum tegebatur. Quid multis? Spectaculum erat quod ferrea moviſſet pectora. Cives Colonienſes allata in urbem fama miſericordia commoti, collectis equis & curribus ad locum latrocinii venerunt: læſos & ſemivivos ad urbem advexerunt, vino effuſione ſanguinis languentes deficientesque refecerunt, atque omni qua potuerunt beneficentia miſeros homines pii cives ſublevarunt. Altero die ampliſſimus ſenatus Colonienſis miſit qui interfectorum cadavera ſepelirent, quorum centum & octo in ipſo loco inventa ſunt: in urbe autem vulneratorum poſtea ſeptuaginta obierunt. Erat itaque incredibilis vulneratorum in urbe numerus; ita ut quidam chirurgi 69. quidam 70. alii 80. curandos haberent. Senatus viri Samaritani officio fungi volens, omnia media ſuccurrendi vulneratis quæſivit, publicæ contributiones decretæ ſunt, ſex viri ſenatorii conſtituti ſunt, qui læſis præeſſent, vitaque defunctos honeſte ſepeliri curarent. Chirurgi pro cura omnium ultra mille ſeptingentos daleros exigunt: quod autem hoſpites, in quorum ædibus decubuerunt, poſtulant, in immenſam ſummam excreſcit. Triſte ſpectaculum & omnibus videntibus triſtiſſimum viſu, ut pater filium, frater fratrem, mater filiam, alii alios diſſectos, deformatos, truncatos, mutilos, anima egreſſa multo cum ſanguine, vel humeris, vel biga impoſitos, Coloniam ad ſepeliendum portabant. Vidiſſes qui amputatas manus ſuas ſub axillis: qui effuſa inteſtina apprehenſa induſio geſtarent. Nec hoc ſcelere ſe turpiter polluiſſe ſufficiebat ſceleſtiſſimis Eburonibus, quin ipſa die Margaretæ ſtatim ſubſequente, ſimile ſcelus auderent. Occiderunt enim plurimos tum Colonienſes tum Juliacenſes, quorum equos & bigas latrones cum pecuniis aliaque fortuna abſtulerunt. Et licet multum hoc nefandum facinus apud ampliſſimum ſenatum excuſatum ſit, ſenatus tamen eorum truculentiam Eburonum vix ferre potuit. Sed notandum & memori pectori infigendum Juliacenſibus, ne tam facile Eburonibus latronibus cretam ut proditores terræ ſuæ inferentibus aditum contribuant, ſed potius ut ſuorum trucidatores & latrones procul a finibus ſuis propellant.

Parmenſis Noveſium obſidet.

Compoſitis rebus Venlonæ, rumor conſtans ſpargebatur, principem Parmenſem cum toto exercitu in Brabantiam ad compeſcendos deprædatores & hoſtes regis profecturum. Hæc audiens nuncius apoſtolicus epiſcopus Vercellenſis ad principem Parmenſem venit, eique præter alia calamitatem diœceſios Colonienſis expoſuit, oſtenditque plurimum & eccleſiæ catholicæ, & totius Germaniæ intereſſe, ut Noveſium aliaque diœceſios loca pulſis hæreticis recuperentur. Princeps igitur motus equitatum Noveſium non ſine peculiari regis Hiſpaniarum mandato, præmittit, ipſe cum peditibus ſubſecutus eſt, & 10. Julii in caſtra venit, urbem Noveſianam cœpit obſidere. Vix in caſtra venerat generoſiſſimus princeps, quin ſtatim conſcenſo equo urbem circumquaque luſtravit, optimaque de expugnatione concepta ſpe, propugnaculis excitandis, prætenturis & gerris erigendis, foſſiſque ducendis loca, quæ videbantur commodiora deſignavit. Myoparones Belgici, qui Rheni partem occupabant, cum tantum exercitum vidiſſent, ſublatis anchoris ſecundo flumine Berckam navigarunt.

Caſtra metãtur milites.

Noveſiani propugnaculum extruxerant in inſula juxta Rhenum e regione pagi quod nomen a lapidibus habet, quod a quibuſdam prædonibus defendebatur. Videntes copias regias creſcere & augeri, relicto propugnaculo, ſibi metuentes in oppidum fugiunt. Centurio quidam Hiſpanus, cum hoc animadvertiſſet, aſſumptis 20. circiter ex ſuis, fluvium tranat, & propugnaculum occupat. Sed qui in urbe erant, cum paucos eos eſſe numero, nec munitionem defendere poſſe viderent, eruptione facta, centurionem capiunt, ceteros partim occidunt, partim in fugam conjiciunt. Interea ſingulæ nationes caſtra extruunt, tentoria figunt, conſtituta ſibi loca muniunt. Marchio de *Warenburch* cum ſuis Burgundionibus, *Boninek Ligues*, & Octavius a *Manſfeldt* cum Gallis Belgicis, verſus meridiem juxta pomerium noſtrum & vineæ, campum perque paſcua noſtra: quin etiam in *Grimlichhauſen* juxta pontem, & circumquaque per pomeria & loca

domorum ambuſtarum ad Rhenum uſque, ubi in dies commeatus & ſpolia quæque vendebantur caſtra metabatur. Comes Arenbergius & Johannes Manricus apud novam Arnapham, ſuper noſtros agros & circumcirca ſtationes ſuas habebant. Poſt illos comes Mansfeltius Carolus majorum machinarum præfectus ſua tentoria apud cruram fixerat verſus occidentem juxta portam vectigalis: juxta hunc Camillus Capozuza & dominus Johannes *Gaſcon* Spinola caſtra ſua locaverant, juxta portam vulgo *Handtpforde*, Hiſpani inter portam Rhenanam & inferiorem conſederunt. Princeps ipſe in propugnaculo Vallis gratiæ hoſpitium ſuum habebat. Marchio *del Gnaſco*, cum toto exercitu, in Herdenia ſilva; in *Butgen*, in *Holthem*, in *Hoſteden*, *Epenkauen*, Norffii vicina, & *Roſellen* & aliis circumjacentibus vicis caſtra metabatur.

Legatio Parmenſis ad ſenatum Colonienſem.

Parmenſis ex caſtris Noveſianis legationem ad ſenatum Colonienſem miſit, cum mandato, ut ſenatui propenſiſſimum ſuæ majeſtatis animum, & benevolentiam erga rempublicam Colonienſem explicaret: veterem amicitiam domus Burgundiacæ cum Colonienſibus in memoriam revocaret: pactorum hinc inde quondam initorum obſervantiam offerret: commeatum, aliaque in caſtris neceſſaria pro pecunia peteret: milites ut in urbem admittantur poſtularet: ſuam denique celſitudinem in ſceleris nuper apud *Junckerſdorff* perpetrati auctores animadverſuram pollicetur. Grata fuit ſenatui hæc legatio, & cum omnia benignis auribus audiiſſet, habita gratiarum actione, benevolentiſſimum ad vota ſuæ celſitudini reſponſum remiſit.

Parmenſis interim in caſtris operas accelerari jubet, omniaque quam potuit fieri citiſſime expediri, quæ ad oppugnationem vi-

Diſpoſitio tormentorũ.

debantur neceſſaria. Tormenta bellica partim Bonna navigio dimiſſa, partim ex caſtris Venlonenſibus attracta ſunt. Decem portæ inferiori oppoſita ſiint, quatuor Rhenenſi: alia quatuor in inſula ita poſita ut eidem portæ ex obliquo reſponderent. Non procul ab his duodecim ex eadem inſula (vulgo *die Waidt*) in eam muri partem dirigebantur, quam monaſterium virginum Mons Mariæ dictum, ordinis noſtri, attingit. Hac enim parte muri erant infirmiores. Ut facilius ad inſulam veniri poſſet, princeps junctis ſedecim navibus iiſque arctiſſime inter ſe compaginatis aſſeribus, tectis faſcibuſque & terra ſuperimpoſitis, fluvium ponte ſtravit, immiſſoque milite totam inſulam, expulſis hoſtibus, occupavit.

Principis devotio.

Parmenſis in caſtris ſuis ſemper ſacellum habebat, in quo ſingulis diebus mane hora circiter tertia celebrabatur, cui ſacro ipſe ſumma cum pietate animique attentione ſemper intererat, regem, cauſam regiam, catholicæ religionis conſervationem, & ſeipſum Deo optimo maximo commendans. (*a*) Peracto ſacro, equus educebatur, juxta quem ſtans illuſtriſſimus princeps omnes cauſas quæ ad ipſum referebantur patienter audiebat, & prudenter expediebat: in equum deinde aſcendente principe, claſſicum canebatur. Cum ad excubias ipſe veniſſet, equo rurſum deſcendens, pedes tamquam gregarius miles, ne facile agnoſceretur, ſtationes omnes quarum infinitus erat numerus in circuitu oppidi perluſtrabat. Loca quoque periculoſiſſima, foveas nimirum ſub ipſis mœnibus, & portas oppidi ingenioſe factas, in quibus ne excubitor quidem abſque ſummo vitæ periculo poterat latitare, intrans recognoſcebat. Tandem omnibus quæ prudentiſſimi æque & diligentiſſimi imperatoris ſunt rite peractis, circa meridiem in hoſpitium ſuum reverſus eſt. Circa veſperam iterum eadem qua mane diligentia caſtra omnia luſtrabat.

Interim præſidium quod in urbe erat mille quingentorum peditum, cives etiam omnes in munienda civitate incumbebant. Hora nulla, nulla opera intermittebantur, edendi & bibendi raro, dormiendi vix umquam dabatur cuiquam facultas. Cloutius capitaneus admonitor aſtabat operum, & tam crudeliter labores exigebat, ut ſi quem ſegnius agere videret, hunc, educto gladio, confeſtim aut vulneraret, aut occideret. Tamque hic quoque crudelis eo tempore, quo Noveſium ante obſidionem occupabat, in milites ſuos & cives erat, ut ob leviſſimas cauſas plurimos manu ſua transfoderit.

Die 24. Julii, cum jam omnia quæ ad murorum dejectionem urbiſque oppugnationem pertinebant eſſent præparata, Parmenſis ad Cloutium ceteroſque centuriones & præſidii præfectos mittit interrogatum, dedere ne ſe vellent, an vero belli eventum expectare. Velle ſe æquis cum illis conditionibus agere. Ad interrogationem hanc ſcripto reſponderunt, ſe pro hujuſmodi obligatione gratias agere. Et quia de Parmenſi tamquam de optimo æquiſſimoque principe multa bona prædicari audierant, non invitos ſe cum eo paciſci deſiderare. Sed quia res eſſet magni ponderis & multorum requireret conſilia, ſex horas ſibi concedi poſtularunt, ut interea quid facto opus eſſet, mature deliberarent; promittentes ſe ea cum diligentia negotium promoturos, ut tempore iſto elapſo, reſponſum æquiſſimum redderetur. Hæc oppidani. Princeps ut utrimque interea tres aut quatuor obſides dentur monet: totidemque ex urbe cum plena paciſcendi auctoritate mittantur. Miſſus eſt in urbem tubicen, ut oppidanis hæc proponeret;

[4]

(*a*) In margine codicis hæc leguntur. *Bona conſcientia in bello valet plurimum, amplius enim de divino auxilio præſumit, qui ſe nulli affinem criminis recognoſcit.*

qui cum ultra horam in urbe detentus eſſet, tandem Felix Peuchnerus centurio prodiit, qui dicebat: oppidanos modum agendi a Parmenſi propoſitum probare vel acceptare non poſſe. Quod ſi princeps ſerio & candide cum ipſis agere vellet, conditiones ſcriptas proponeret, & obſeſſis mitteret: velle tunc eos pro qualitate rei reſpondere, cum exceptione tamen & proteſtatione, ſibi cum Bavaro (ſic electorem appellabant) nihil omnino negotii eſſe, nec cum eo tractare decreviſſe. Sed & idem centurio principem ipſum calumniari non erubuit, dicens: eum pacta Venloncnſibus non ſervaſſe, ſed violaſſe: quod princeps conſtantiſſime negavit, falſiſſimeque ſibi impingi, ait. Nihilominus ut oppidum electori integrum ſine cæde & ſanguine reſtitueretur, proteſtationes & calumnias eorum ſprevit optimus princeps, & de conditionibus obſeſſis mittendis, non procul a porta inferiori cum præfectis aliis tractavit. Oppidani interea contra omne jus militare, occaſionem captarunt principem interficiendi. Cum enim inſolenter in mœnibus agerent, & non obſtantibus induciis utrimque factis, multos ictus in caſtra regia intorquerent, eo ventum eſt ut Hiſpani tela retorquere, & globorum denſiſſimos imbres in urbem effundere cœperint, majorumque tormentorum magiſtros compulerint aliquot pilas in obſeſſos ejaculari. Fiebant hæc omnia ignorante principe. Oppidani occaſione quam aucupabantur inventa, mox in principem ipſum & præfectos, quibuſcum conſilia ſua communicabat, omnes muris proximos, pluſquam trecentos ictus emiſerunt: ita ut princeps qui ſe toto tempore quo in adminiſtratione Belgica fuit, in ſimili periculo fuiſſe umquam negat, in foſſas deſiliens, vix mortem evaſerit. Etſi ſceleratum hoc facinus principis animum merito perturbare potuiſſet; tamen communi urbis bono privatum affectum deponens, ſuos ſtatim compeſcuit & in ordinem redegit. Carolum quoque Mansfeltium majorum tormentorum præfectum generalem increpavit, quod ſine ſuo mandato machinas exoneraſſet; qui tamen quod ſe inſcio factum eſſet ſeſe purgavit. Ut autem cœptum negotium perficeretur, princeps ſecundo ad obſeſſos miſit Haulebium & Taxium cum electoris conſiliario Billæo, ut interrogarent, an negotium paciſcendi ipſis cordi eſſet, illudque proſequi decreviſſent. Qui cum iterum conditiones ſcriptas ſibi mitti poſtulaſſent, Parmenſis eas, licet præter belli conſuetudinem id eſſe non ignoraret, per tubicinem in urbem mittit. Erant autem hæ: Explicatis ſignis, cum armis, cum impedimentis omnibus urbe exirent, & a comitatu principis quo vellent deducerentur. Ad deliberandum horæ dimidiæ ſpatium datur. Haulebius, Taxius & Billæus ſub ipſis portis

Iterum de deditione agitur.

Conditiones a Parmenſi propoſitæ.

reſponſum ex mandato principis expectabant. Oppidani tubicinem toto illo tempore pomeridiano cum inſequenti nocte in urbe detinuerunt. Circa decimam horam nocturnam legatis, poſtquam ii diu jam fruſtra expectaſſent, contumelioſe reſponſum eſt, tubicinem obdormiviſſe, & ipſos, ſi vellent, abire poſſe ſomnoque ſe tradere: reſponſum die inſequenti ad conditiones ſubſecuturum.

Nihil illa nocte quæ inter 24. & 25. Julii erat, aliud agebatur in caſtris quam in honorem S. Jacobi Hiſpanorum apoſtoli triumphatum eſt. Interim quibus majorum tormentorum cura erat commiſſa, mandatum erat ut circa tertiam horam matutinam ad officium faciendum eſſent parati, ſi forte oppidani oblatam ſibi gratiam temere recuſarent. Expectabatur tubicen, ſed qui in urbe erant illum uſque in horam fere ſeptimam detinuerunt. Qui in caſtris erant cum nullum ſignum daretur nec aliquod tormentum exploderetur, jamque clara dies eſſet, oppidum in poteſtatem Parmenſis deditione veniſſe arbitrabantur. Aſtu quodam oppidani tubicinem cum reſponſo detinebant, ne dies ſubſequens D. Jacobo ſacer, quo Parmenſem oppugnationem auſpicaturum non obſcuris argumentis colligebant, & muris ſternendis & oppido expugnando ſufficeret. Multi erant qui Geuſiis illis prædonibus favebant, cum machinarum ſonitum infra ſextam & ſeptimam non audirent, dicunt: Ubi princeps cum ſuis Hiſpanis qui ad hanc horam miſſam in æde D. Quirini ſe celebraturos putabant? campanas necdum audimus ſigna dantes. Quidam quoque excubitor in turri D. Quirini cantilenam quamdam Geuſicam in tibia ſua modulabatur, quod audiens tormentorum magiſter quidam, & in contemptum fieri videns dirigit machinam ad tibicinem modulantem, explodit, per turrim ubi canebat trajicit, modulantis poſtea vox penitus non audiebatur.

Parmenſis ipſe ante portam reſponſum expectabat, nihil aliud petens, quam ut innocentium ſanguini parceretur, & civitas illæſa atque integra in poteſtatem electoris veniret. Tandem inter ſextam & ſeptimam horam matutinam tubicen prodit cum indigno hoc reſponſo: Oppidanos non parum admirari Parmenſem oppidum Noveſienſe, quod Truchſeſii electoris eſt, (ſic enim eum appellabant,) & ad imperium pertinet, bello tentare, & deditione ſibi tradi poſtulare: Non poſſe illos cum ſua celſitudine aliquo modo paciſci, multo minus oppidum illi condonare. Petere idcirco inducias ſex ſeptimanarum ſibi concedi, ut interea ad imperatorem ſcribant, ejuſque majeſtati conſulant; poſtea ſe Parmenſi id quod æquum eſt reſponſuros. Tota nocte illa, quod contra jus induciarum eſt, ſine ulla intermiſſione in mœnibus muniendis incubuerant.

Reſponſum Noveſienſium.

Muri Noveſ. verberantur.

Parmenſis audito reſponſo ſe ab obſeſſis illudi facile intelligens, ſtatim triginta ſimul tormentis muros jubet verberari. Cœptum eſt id mane circa ſeptimam, totoque die illo tanta vehementia continuatum, ut milites veterani faterentur, ſe numquam ſimili contentione & pertinacia muros ſterni vidiſſe, numerati ſunt eo die ictus ter mille & ultra. Reboatum machinarum tanto clangore & ſonitu terræque tremore Coloniæ audivimus, adeo ut etiam domus & templa tremerent, & in propinquiori loco ejectum fuiſſe arbitraremur, ſingulos pene ictus numerantes. Leve damnum fuit, quod eo die ab oppidanis acceperunt regii, niſi quod nonnulli qui majoribus præerant tormentis interfecti & vulnerati ſunt. Sequanus etiam præfectus equo inſidens capite ſphærula trajecto periit.

Duæ ſunt illo die D. Jacobi portæ civitatis diſturbatæ, Rhenenſis & inferior, adeoque ſolo adæquatæ, ut facilem hoſtibus acceſſum præberent. Sed & inferioris portæ ruina multos ex præſidiariis oppreſſit. Circa horam quartam paries etiam quidam fortiſſimus, qui a porta Rhenenſi ad fluvium uſque procurrens aditum ad mœnia prohibebat, corruit. Inde tormenta in illam murorum partem, quæ a porta eadem verſus monaſterium Montis-Mariæ erat, dirigebantur, quæ exiguo tempore una cum parte monaſterii eum in modum proſtrata eſt, ut ſine impedimento ad triginta fere paſſus ipſum urbis meditullium conſpiceretur.

Inter monaſterium Montis-Mariæ & portam Rhenenſem, ſed portæ propinquior turris erat munitiſſima, & ad oppidanos infeſtandos commodiſſima: hujus tectum cum parte quadam ipſius turris regii convellunt & deficiunt. Mox imperterritus quidam ex Hiſpanis centurio ſtrictum una manu gladium, altera ſcalam ferens longiſſimam, ſub ipſa mœnia reptat, & ſcala turri admota conſcendit, turrimque feliciter inter quintam & ſextam pomeridianam ſuperat. Qui cum longe lateque omnia circumſpiceret, neminem ex oppidanis videt, qui damnum inferre poſſet; metuebant enim oppidani propter frequentes ictus ad eam partem accedere. Statim ſigno dato ſuos vocat milites, quorum triginta circiter accurrentes, centurionem ſuum intrepide ſequuntur. Cloutius cum intellexiſſet hoſtem muri partem occupaſſe, & multum damni oppidanis ex ea inferre, collectis aliquot ex ſuis, Hiſpanos vi expellere conatus eſt. Erat autem turris terra oppleta, & proinde Hiſpani facilius ſe tueri potuerunt: Quare oppidani multos malleolos pice illitos & incenſos in turrim conjiciunt, ſed longuriis furciſque à turri facile eos removent Hiſpani, turrimque ſumma cum pertinacia defendunt. Attrahunt oppidani machinam ut Hiſpanos proturbarent, illi econtra emiſſis e ſclopetis ſphærulis machinam inutilem reddunt.

Hæc dum ita inter utrumque geruntur, Cloutius in dextero femore circa inguen globo tormentario graviter vulneratus corruit, ſtatimque a ſuis ſublatus, in hoſpitium ſuum reducitur, & chirurgus qui vulneri medicinam adhibeat, quæritur. Non parum infortunium hoc animos Noveſienſium labefactavit. Ceteri enim dilapſi Hiſpanos infeſtare amplius deſtiterunt, qui turrim maxima cum laude defenderunt, multoſque ex hoſtibus interfecerunt. Quidam ſtatim ex illis Hiſpanis deſcendens ad Parmenſem venit, exponens illi qualitatem ruinarum murorum & urbis, docenſque expugnationem fore facillimam: nullas in ea parte urbis operas factas, omnia plana eſſe nec quicquam aditum impedire. Mirum in modum hæc animos militum prædæ inhiantium erexerunt. Stabant nunc regii ſub ipſis muris, nec aliquod inter ipſos & oppidanos erat interſtitium, præter quemdam ruderum & lapidum acervum. Propter feſtum autem D. Jacobi Hiſpani vehementer oppugnationem urgebant: ſed prudentiſſimus princeps ob inſtantem noctem uſque in ſequentem diem oppugnationem differendam cenſuit, ne cœptum opus tenebræ dirimerent. Tota illa nocte ne repararentur in oppido, quæ illo die erant diſturbatæ ruinæ, gravioribus tormentis ex inſula & leproſorio defendebantur.

Poſtridie vix orto ſole centuriones quidam oppidani ad Cloutium veniunt, oppidi illi qualitatem & periculi magnitudinem exponunt, petentes ut quid agendum eſſet decerneret. Ille dolorum ſuorum vehementiam cauſatus, ſuadet, deditionem quoquo modo poſſent cum hoſte paciſcerentur. In caſtris autem omnis ad oppugnationem apparatus fiebat. Metuentes oppidani murorum ruina commoti, inopinato malo turbati, divina ira perculſi, urbis direptione & capitis periculo perterriti, communicatis inter ſe conſiliis, centurionem Riſtallium & ſigniferum Gaudentium ab *Rechenberch* in caſtra mittunt, qui vitam ab hoſte paciſcentes deditionem facerent. Hi juxta portam Rhenanam per ruinas emiſſi, ſtatim comprehenſi & in caſtra adducti ſunt; cumque cauſam adventus ſui aperuiſſent, Italus quidam fluvium tranans, ad ſuam celſitudinem venit, rogans quid de illis agendum eſſet. Reſpondiſſe fertur princeps, mandandum iis ut ad ſuos redirent, & mortem pugnando, (uti optaverant, cum de deditione tracteretur,) oppeterent. Ad ſuos itaque triſtes redierunt.

Ab hora quarta uſque ad ſextam matutinam multæ equitum turmæ ex Herdena ſilva plurimos lignorum faſces ad ipſa mœnia armati cum tubarum clangore portabant.

Interea alii atque alii ex oppidanis in vallis ſtabant, arma in conſpectu regiorum abjicientes, & ſupplices manus protendentes vitam multo ejulatu precabantur. Multo jam die tres alii præfecti ex urbe venientes, ſcapha flumen trajiciunt & in caſtra venientes comprehenduntur, & vincti compedibus in caſtris, quæ in inſula erant, ſervantur.

Hiſpani moræ impatientes, urbem ulteriùs invadere cupiebant. Tandem Parmenſis cum tempus eſſe oppugnandæ urbis arbitraretur, manu ſignum dediſſe fertur, alii vero Hiſpanos non expectato principis imperio in urbem irruiſſe dicunt. Hiſpani impreſſione facta, primo aſſultu urbem ſine aliquo ſingulari damno (tres enim aut quatuor tantum ceciderunt,) urbem invadunt. Noveſium capitur. Mox Itali ſuper portam inferiorem (nam dejecta prorſus erat) Hiſpanos intro ſequuntur. Oppidani videntes hoſtium furorem, ſtationes ſuas deſerunt, & in forum ſeſe nonnulli recipiunt, ubi paulo poſt victi & trucidati ſunt. Statim per omnes plateas ſurſum & deorſum curritur, & loca omnia occupantur. Fiebant hæc, Germanis & Gallis Belgicis, qui ad portam ſuperiorem caſtra ſua habebant, ignorantibus: cum autem fama captæ urbis ad eos veniret, applicatis ſcalis ad mœnia, & ipſi in oppidum deſiliunt, idem & Burgundi fecerunt. Qui in inſula erant fluvium tranantes in oppidum per ruinas irrumpunt. Obvii quique occidebantur; pueris, feminis, & ætati imbelli parcebatur. Multi cives interficiebantur. Trecenti ex præſidiariis in porta ſuperiori erant collecti, qui omnes ut deſcenderent cogebantur, & ſtatim detrahentes ſua ipſius veſtimenta miſere mactabantur. Trecenti & amplius erumpentes per caſtra, ſalvos ſe poſſe evadere ſperabant, ſed ab equitibus, qui corona civitatem cingentes obſervabant, ne quis elaberetur in agro ſuburbano trucidati ſunt. Sed quid multis? Fit murorum portarumque & turrium ruinis necnon & immenſo deformis ſanguine civitas Noveſiana.

Illic arma & equos, ibant quibus ante ſuperbi,
Funeraque orba rogis, neglectaque membra relinquunt.

Dum hæc toto paſſim oppido geruntur, quidam gubernatoris Cloutii hoſpitium quærentes tandem inveniunt. Decumbebat ille ſaucius, & uxor cum duabus ſororibus ante lectum mœſtæ ſedebant, adhuc rerum quæ gerebantur ignaræ. Qui ad eum venere de quibuſdam arcanis interrogare cœperunt. Interea nunciatur incendium excitatum eſſe; erat autem multa materies quæ flammam facile corripit, magnaque lectorum copia juxta portam Rhenanam comportata, ut hoſti illac ingreſſuro aditus præcludi poſſet. Hic ex pulvere male cuſtodito, ſeu malleolis ardentibus huc illuc projectis, ignis fomentum invenit, & erumpens flamma, ventique violentia aucta, in tectum cujuſdam domus vicinæ ſtramineum fertur, ſtatimque domus flagrare cœpit. Cloutius audito incendio, rogavit ubi illud eſſet excitatum; reſponſum eſt ei: Juxta portam Rhenanam; ad quod ille: Ergo, inquit, potior pars urbis deflagrabit. Conſtat enim hoc luce clarius, Cloutium & ſuos per totam urbem multis in domibus, imo & in ipſa abbatia vaſa pulvere tormentario plena, & ignita fomenta appoſuiſſe, a regiis inventa. Ea de cauſa, ut ſi quando Parmenſis ipſos & urbem in deditionem accepiſſet, & liberos (uti illius erat clementia) abire permiſiſſet, ut tum illis procul abſentibus ignis incenſo pulvere ſimul univerſa rapiens urbs cum univerſa præda, ne hoſtis potiretur, deflagraret. Eventu hoc ſcelus non caruit: in multis ſimul locis uno momento flamma conjuncto denſiſſimo fumo exurrexit. Tantamque flammarum vim fumumque pulvis tormentarius ceteraque ignis capax materies, ut cœlum ipſum etiam nigreſcere, atque odore ſulphureo infici videretur, evomuit. Princeps Parmenſis videns incendium undequaque exſuſcitatum, & urbem multis in locis fumantem, equo cum ſuis centurionibus deſiliens, milites ut incendium extinguerent, multo labore coëgit, ſed & ipſe cum ſuis chiliarchis multam operam in apportanda aqua impendit. Verum quia putei a Geuſiis illis hæreticis obturati erant, ſitulæ & catenæ ſublatæ, ne aqua hauriri poſſet, incendium prævaluit, totaque fere urbs penitus deflagrata eſt. Itaque Parmenſis nihil ſe efficere poſſe videns, juſtum Dei judicium, & flagellum in factioſos immiſſum aſſeruit. Milites interim regii omnem quam poterant ex incendio ereptam prædam in caſtra deferebant. Captivantur cives, feminæ, liberi, innuptæque puellæ, nonnulli etiam prædones, qui ſeſe lytro redimere nequibant, interficiebantur. (a) Hoc modo civitas munitiſſima quæ Carolo audaci duci Burgundionum pluſquam integro anno reſtitit, vix biduo in poteſtatem regis Hiſpaniarum 26. Julii venit, unde quidam non ineleganter luſit.

Nuſſia Burgundis toto quæ reſtitit anno
Farneſios ea nunc biduo non ſuſtinet uno.

Noveſium (b) ante mœniorum turriumque potens, dives opum civitas, ſuperba, & famæ avida, ſubverſa ut rebellatrix, internecina

Quid ſalvum eſt nobis cum Nuſſia capta, cremata?

[a]

[b]

[a] In margine hi leguntur verſus.
Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes captorum dicere pœnas,
Omnia ceſorum percurrere nomina poſſim.

[b] In margine hæc ſunt appoſita. *Terra omnis inculta, ſucciſis omnibus, quæ ad uſum vitæ neceſſaria. Bonna uſque in Bataviam longe lateque vaſtata humus, & nudum gignentium ſolum. Omnes hortı inhalantes floribus, diverſa pomaria, ſuburbana prædia, gratam ſui ſpeciem dabant: ſi quis poſtea vidit hoſpes, ingemuit; incola non recognovit, & ad genitalem regreſſus locum, cum præſens adeſſet, patriam quærebat.*

ut ſoporifera libera ſcrutatione omnibus opibus ſuis vacuata eſt, ægre veſtigia claritudinis priſtinæ monſtrabit admodum pauca. Relictæ ſunt pauculæ domus apud diſturbatam portam inferiorem ad lævam egredientibus a monaſterio Minoritarum ad portam ſuperiorem ab utraque parte, ceteris omnibus conflagratis & in acervum lapidum redactis. Excidium Hieroſolymitanæ urbis imaginarium quidem hic videre eſt. Unde quidam mœſtus cecinit.

Nuſſia de nihilo vano ſic nomine dicta,
Nunc vero nihil eſt, nilque decoris habet.

Diſtichon adjeci in quo annus habetur.

NVſſeacos docVIt Ientos reqVIeſcere eIVes
Plebs Hiſpana, doMos abſtVLIt Vna dIes.

Plerumque fieri videmus, à Deo potentes monarchas in perniciem maximarum urbium excitari.

Repleta erant omnia cadaveribus, crepitabant flammæ ſævo per urbem incendio, quæ aliorum domibus invectæ vicina ſimul depaſcebant. Et licet Alexander milites abſtinere & receptui canere jubet; vulgi tamen ira ſemel progreſſa in poteſtatem necandi, nequaquam mitigabatur.

Cloutii infelix exitus.

Cloutius antequam incendium vires ſuas cœpiſſet, captus ab Hiſpanis interrogatur, cujus auctoritate hanc urbem tam fraudulenter invaſiſſet: reſpondet, auctoritate comitis a *Nuenaſr*, qui Truchſeſio militaret, ut hoc medio ſuas ditiones recuperaret. Commiſſionem ut oſtendat, urgent, vel de tribus menſibus jam elapſis: Cloutius ſe quidem habere, reſpondet, ſi induciæ darentur: datis, invenire nequibat. Quærentibus cur ſtannean monetam cuderet, cum necdum obſeſſus fuiſſet, nec id jure belli fieri, cum paſſim omnibus in locis ſui prædones prædam ingentem egiſſent, civitatem civeſque omnes exhauſiſſent, talem ſe ex rapina cudere debuiſſe pecuniam, plena aureo numiſmate manu oſtenſa, & in faciem percuſſa, nihil reſpondere potuit, præterquam quod miles eſſet, & militis officium feciſſet. Alii econtra ſe non militem, ſed prædonem egiſſe, proinde non ignoraſſe illum, quod ab imperio, uti & domini ſui proſcriptus eſſet, propterea ut ad mortem ſe præparet, hortantur, nec veniæ locum eſſe, ſed proſcripti pœnam luere debere. Ille mortis mentione exanimatus, cum vitam precaretur, nihil impetrare potuit. Porro cum diu multumque reluctaretur, & ad Parmenſis colloquium admitti cuperet, reſponſum illi eſt, indignum ſe eſſe quem Parmenſis videat. Et ſimul his dictis collo ejus laqueus injicitur, ex lecto trahitur, pedi ſuo alligatur curvato ad hunc capite, & ſtrangulatus e feneſtra domus libræ apud forum, a proprio ſuo carnifice, cujus opera ante in civitate uſus fuerat, clamante: Ecce Cloutius hujus civitatis, & civium Noveſienſium capitaneus. Mox concionator Calvinianus cum aliis duobus centurionibus adducuntur, nobilis in *ghen Hoeff*, qui ſimili ſuſpendio multantur. Multi patibuli ſupplicio in medio foro afficiuntur, multique decollantur. Dum prope hos incendium ventum erat, præciſis laqueis eorum corpora tabida & ab incendio læſa in cloacam, quæ medio in foro conſpicitur, projiciuntur, fœdum deinde aliquot diebus exhalant fœtorem. Hic finis Cloutii paucos ante dies apud Coloniam minitantis, ſe omnia ſurſum & deorſum conjecturum prophetantis, hominis ſceleſtiſſimi, patriæque ſuæ vaſtatoris & deprædatoris celeberrimi. Nuſquam jus, nuſquam religio, nobilior erat qui plura diripuerat, quaſi præmia congerens fortitudinis.

Senatus Colonienſis legatos aſſumunt.

Vigeſimo nono Julii ampliſſimus ſenatus Colonienſis legationem magnificam cum honorario ad principem Parmenſem miſit: qui principi de felici ſucceſſu contra eccleſiæ catholicæ hoſtes nomine ſenatus gratulabantur. Veteris amicitiæ, confœderationis & pactorum olim inter domum Burgundicam & rempublicam Colonienſem factorum obſervantiam & petebant & afferebant: civitatem atque ejus incolas ut regia majeſtas ejuſque gubernatores ſemper & ubique commendatos habeant flagitantes. Parmenſis oblationem gratiſſimo animo acceptans, petiit ut ſi ſenatui hæc legatio cordi eſſet, uti eſſe non dubitabat, regiæ majeſtatis perduelles, qui in urbe erant, ejiceret, nec in poſterum alios reciperet. Idem tertia die Auguſti per Ferdinandum *Lopes princeps* petiit, triginta ſex, quos perduellionis reos judicabat, ſcripto ſenatui offerens. Re ad ſenatum relata, maturum habitum eſt conſilium: decretum tandem eos qui ſpe & juramento in urbem recepti erant, ſe oneri reipublicæ non fore, & tamen cum rege Hiſpaniæ male convenirent, dimittendos ſeu ablegandos eſſe: nec ullos in poſterum recipiendos eſſe, qui cum tanto imperii membro in ſimultatem diſcordiamque veniſſent. Patrius enim mos eſt, nullum in civium album recipi, qui non jurejurando prius affirmet, ſe neque civitati, neque civibus oneri eſſe, aut futurum, quod & denunciati illi fecerant. Quare ſenatus mandato ab octo præcipuis inchoatum eſt, quibus civilis cohabitatio eſt interdicta.

Parmenſis perduelles Coloniæ ejicit.

Gladium & galerum a Sixto V. accipit.

Ipſis Kalendis Auguſti illuſtriſſimus princeps Parmenſis gladium & galerum perpetuum honoris teſtimonium a pontifice Sixto quinto miſſum in monaſterio Vallis-gratiæ accepit. Comes Arenbergius, Mansfeltius & alii præcipui exercitus duces & chiliarchæ, mane ex caſtris in munitionem Vallis-gratiæ veniebant, eratque apparatus maximus, cui etiam triumpho ſpectator ex improviſo interfui. Mane circa horam octavam omnis exercitus fere in armis erat, parſque

partique circum monaſterium ſtationes & excubias ſervabat. Nuncius apoſtolicus Vercellenſis ſacrum facturus in munitionem venit, quo ſeſe præparante, omnia bellica tormenta cum tanto reboatu exploſa ſunt, ut ipſe Nuncius trepidaret. Tubicines antequam Parmenſis templum ingrederetur, in lætitiæ ſignum quadam harmonia pulchre modulabantur. Venicnte principe, omnia rurſum tormenta exploſa ſunt, cui etiam maxima cum devotione ſacrum audienti, omnes ſui chiliarchæ adfuerunt. Archiepiſcopus Colonienſis Etneſtus, & princeps Juliæ atque Cliviæ Johannes, ut hunc triumphum ſua præſentia condecorarent, ad Parmenſem ſub ipſo ſacro veniebant, quorum unus Parmenſi dexteram, alter ſiniſtram claudebat. Miſſa figurativo cantu, a muſicis, organiſtis, cytharœdis, tibicinibus Colonienſibus cantabatur & modulabatur. Cum ad communionem ventum eſſet, Parmenſis magna cum pietate & devotione ſacroſanctiſſimam Euchariſtiam percipiebat. Sacro finito, epiſcopus Vercellenſis inſignem habuit ad principes primum, deinde ad capitaneos alioſque gregarios milites orationem. Ad Parmenſem autem converſus, cauſas donorum ſanctæ ſedis apoſtolicæ explicavit, & litteras ſummi pontificis, quas Antonius Grimanus, patricius Venetus, pontificis cubicularius, una cum gladio & galero attulerat, per oratorem ſuum legi fecerat; quarum tenor talis erat.

Dilecto filio, nobili viro, Alexandro Farneſio, Parmæ & Placentiæ principi, ac regis Catholici in ſtatu Flandriæ capitaneo generali.

Dilecte, fili nobilis vir, ſalutem.

Litteræ Sixti V. pontificis ad Parmenſem.

Nullis magis ſermonibus delectamur, quam iis quibus celebratur ſpectatiſſima virtus tua: celebratur autem ab omnibus magna cum laude prudentiæ, continentiæ, fortitudinis, pietatis in bello iſto difficillimo, Dei gloriæ cauſa a rege catholico ſuſcepto, uſque a prima ætate adminiſtrando. Sed ſunt omnium laudes ipſæ per ſeſe, ut cetera humana omnia, fluxæ & caducæ: illa multo maxima & perennia, quæ eximiæ virtuti tuæ aſſiduiſque laboribus à Deo ſunt repoſita præmia, quæ te tota mente ſpectare certum habemus; ſummæque ejus bonitati gratias agere, quod voluerit tua in primis opera uti in cauſa omnium graviſſima, catholicæque Eccleſiæ amplitudini, & provinciarum iſtarum ſaluti perneceſſaria; tibique ſummam facultatem tribuerit, tanta in re virtutis explicandæ inæſtimabiliumque à ſe præmiorum promerendorum: qua etiam ſpe incredibiliter lætamur tua cauſa. Quia igitur totus & corpore & animo occupatus es in catholica religione tuenda, inque ejus hoſtibus delendis, mittimus nobilitati tuæ per dilectum filium Grimanum, patricium Venetum, cubicularium noſtrum ſecretum, nobiſque tum generis tum animi nobilitate in primis carum, enſem & pileum, veterum Romanorum pontificum inſtituto benedictum in ſacro-

A *ſancta Natalis Domini noſtri Jeſu Chriſti celebritate, non ut te adverſus Chriſti hoſtes incendamus, (re enim ipſa ſemper declaraſti nihil poſſe fieri ardentius;) ſed ut habeas hoc a nobis teſtimonium ſingularis virtutis tuæ. Oramus Deum, ut caput tuum muniatur galea ſalutis, & dextera gladio ſpiritus armetur, utque hic tibi ſit pro gladio Gedeonis ad ſui nominis gloriam, hoſtium interitum, fideliumque ſuorum ſalutem. Volumus autem hoc tribui nobilitati tuæ, peracto hujus rei cauſa, per aliquem in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutum,* B *quem ipſe malueris, ſacroſancto miſſæ ſacrificio. Omnibus autem ei actioni præſentibus, pœnitentibus & confeſſis, de Dei miſericordia conſiſi, beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra auctoritate, viginti quinque annos ac totidem quadragenas indulgentiæ, de theſauro Eccleſiæ largimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 25. Maii anno 1586. pontificatus noſtri ſecundo.*

Lectis litteris, Parmenſis ad altare ante Vercellenſem flexis genibus ſedens, junctiſque digitis & miſſali impoſitis, ſacramentum fidelitatis catholicæ religioni præſtat. C Deinde abbas qui cucullà laxa indutus rubra Grimanus aſtabat, gladium qui in altari per integrum ſacrificium miſſæ poſitus ſtabat, cujus pileum lapidibus pretioſis interſtinctum ſummitati inhærebat, accipiens, cum inſigni reverentia Vercellenſi tradidit; Vercellenſis continuo Parmenſi in genibus ſedenti cum benedictione tradidit. Parmenſis porro poſtquam benedictionem accepiſſet, aſtanti cuidam comiti ſervandum ſuo nomine contradidit. His ita geſtis, principes principi congratulantur, *Te Deum laudamus* canitur, magnus foris audiebatur tor- D mentorum boatus, ita ut cœlum ipſum ruere putaretur. Milites in caſtris multa, eaque jucundiſſima edebant ſpectacula, diſcurſiones ludicras pugnaſque imaginarias fingebant; nullus in caſtris erat, qui non ſpectatu dignum aliquid faciebat. Inſignis eo die triumphus in caſtris Noveſianis ſpectabatur.

Eodem die ibam cum meis, triumpho peracto, & militibus ex acie in caſtra deductis Noveſium, ut coram omnia viderem quæ ante ab aliis audiebam. Civitatem intrans majora eſſe mala comperiebam quam fama ferebat, plurimi cives, matreſque & E pueri interfecti, crematique paſſim per plateas, & in penariis nudatis igni ad oſſa calvitiis jacebant, nudata omnia, a culminibus cremata, a fundamentis diruta: facta eſt habitatio deſerta, nulluſque erat qui tabernaculis (quorum ut diximus rarus numerus permanſerat illæſus) inhabitaret. Et adhuc quempiam vivere libet, & advixiſſe pœnitet? Duri oculi qui hæc videre poſſunt: duri & immites animi qui in tantis doloribus ſupereſſe queant. Quocumque enim circumferebamus oculos, nihil erat quod cernere

Noveſii quis tunc eſſet ſtatus.

delectabat, urbs tota acervus lapidum, sepulchrum mortuorum, solæ spectantibus occurrunt favillæ, viæ vacuæ viventium, repletæ cadaveribus, plumisque ex lectis totam per urbem effusis. Mulieres paucæ, incolumes quidem, sed sauciæ & famelicæ, vetulæ; aliæ juvenculæ abductæ quas miles primo Geusius, deinde, hac videlicet expugnatione, ad turpitudinem non ad vitam servarat. Quis hæc videns non illacrymetur? Quis siccis oculis tam inclytam vetustamque urbem manibus hostium dirutam, templaque a majoribus nostris Deo sacrata tam impie flammis cremata, monasteria eversa, in cineres redacta, intueri queat? Monasterium Minoritarum & monialium tertiæ Regulæ, Mons sancti Michaëlis nuncupatum, ab igni illæsa permanserunt; de aliis nihil reliquum nisi templi laquearia, tectis crematis. Emendemus ergo, quod his superviximus malis, gratias Deo agentes: proinde ipsum rogantes ut iram suam in nos conceptam avertat, nostrique misereatur, pacemque det, & in miseria viventibus patientiam, ædificandique tum fortitudinem, tum promptitudinem. Sed nec immerito ejusmodi mala Novesienses perpessi sunt, ut filii eorum in auctione constituerentur, inter milites certaretur, quis cujus abduceret uxorem, quis virginem filiam fœdis stupris pollueret, ut civitas cremata in favillas redigeretur, ut portæ & turres & muri dejicerentur: quia defuerunt suo muneri, rebelles, vagi, somnolenti, desides cum possent sibi subvenire. Quod propterea ingentia mala & innumera flagella pertulerunt, ex his omnibus sibi manifeste iratum ex rerum eventibus Deum cognoscere potuissent, licet Deum non glorificarunt ut debebant, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes quidem se nosse Deum, factis autem negabant.

De domibus & litteris ac regestris monasterii nostri.

Omnibus lustratis, domus nostras illæsas inveni, proinde partem quoque librorum nostrorum, quæ conservabatur in domo dominorum Campensium in platea pontana, regestrosque cautionum nostrarum antiquarum. Hos altero die ingressus super portam tormentis dejectam inferiorem, a militibus redemptos mecum abstuli. Paucis post diebus quasdam litteras sigillatas Dusseldorpii, quasdam Coloniæ diverso tempore & pretio redemi, conventuique eas uti erant restitui. Dei munere dubio procul factum quod istæ nostræ litteræ in mediis flammis conservatæ ad nostras manus tandem pervenerint; cui gloria & honor in omne ævum: pretium quod pro litteris nostris & regestris expendimus extendit se ad 564. flor. curren. valoris Colonienſis.

Nussia quæ alias inter civitates Rhenanas ut rosa florebat, nunc putrida coram omnibus suo in honore & decore olet.

Septimo vero mensis ejusdem cum parte exercitus princeps Mursiam venit, Parmensi deditur, portæ statim aperiuntur, imperata faciunt. Quod oppidum cum ad ducem Cliviæ pertineat, nisi quod Alpensis comitis uxori quandiu viveret concessum erat, Parmensis nihil in eo mutavit, sed omnia ducis consilio reliquit. Mursia deditur.

Nono Augusti Alpense castrum cum territorio in potestatem principis Parmensis venit, ea conditione, ut præsidiarii sub tutela regiorum Rhenum traducerentur. Alpen deditur.

Decimo tertio Bercka cœpit obsideri, & postridie ita velitatum, ut decimo quinto die myoparones, (a) sublatis anchoris, secundo flumine descenderint, atque fuga sibi salutem quæsiverint. Profligatisque myoparonibus, regii summa contentione insulam quæ in conspectu urbis est, oppugnarunt & expugnarunt, atque postridie novem tormentis in illam invectis munierunt. Deinde & aliis maximis propugnaculis, vallisque castrensibus oppidulum cinxerunt, atque ita cinxerunt, ut nulli aditus ad illud pateat: præsidiarii qui ultra bis mille in oppido sub Schenckio gubernatore esse dicuntur, diligenter illud tuentur. Quidam tamen Anglorum certa conjectura augurantes oppidum in potestatem Parmensis venturum, transfugiunt in castra principis, qui eos recipit, & stipendia, uti ceteris elargitur. Bercka obsidetur. [a]

Interea Leceſtrius omnes vires colligit omnemque adhibet diligentiam ut Berckensem obsidionem solvat. Quinquaginta igitur signa peditum, inter quos mille quadringenti Hiberni sub duce Pothamio, Hiberniæ prorege, nudi omnes & arcubus sagittisque armati, multi quoque qui in grallis altissimis incedere dicuntur, & viginti quatuor equitum cohortes, Isela ponte strato in terram Clivensem ducit. Sed Parmensis principis potentiam metuens, inter Seventriam & Eltam castra posuit; quæ circumductis curribus & vallis ita munivit, itinera omnia ita obsedit & effodit, ut nullus hosti ad illa sit relictus accessus. Nuenarius quoque in duobus equitum millibus colligendis Bremæ, viciniſque in locis occupatur. Interea Parmensis traductis aliquot equitum cohortibus castra Anglicana oppugnare statuit.

Elector Colonienſis his diebus, captis quibusdam ex auctoribus latrocinii illius in *Junkerſſdorff* nuper perpetrati vindicare cœpit, quos prope locum facti latrocinii ex arbore suspendere fecit.

Ordinum myoparones sex, armis, tormentis, & præsidio instructissimi non procul a Wesalia in anchoris stabant, Rhenumque infestum servabant. Parmensis eos aut deprimendi aut capiendi quærens opportunitatem, undecimo die Septembris, summo

(a) Myoparo est navigium piraticum, medium inter onerariam & triremem.

mane, cum duobus ſclopetariorum millibus & majoribus aliquot navigiis magna celeritate ad myoparones hos contendit. Sclopetarii in aggeribus utrimque maximum globorum imbrem in naves hoſtiles mittunt, ne quis claſſiarius *in* pergulis foris, aut transtris incolumis potuerit permanere. Interea majora aliquot tormenta ſub aggere diſploduntur tanta cum contentione & pertinacia, ut quædam myoparones depreſſæ ſint, aliæ in poteſtatem Parmenſis venerint.

Princeps Parmenſis certior factus magnam eſſe in oppido Berkenſi annonæ præſertim panis inopiam, præterea & peſtem ultra modum ſævire; volens itaque milites quos in caſtris habebat ſelectiſſimos conſervare, non jam oppidum expugnare vi, ſed fame & miſeria ad deditionem compellere decrevit. Munitiſſima igitur propugnacula inchoata exædificavit, impoſitoque fortiſſimo præſidio, omnibuſque rebus neceſſariis in iis relictis, duodecimo hujus caſtra ſuccendit & ab oppido moveri juſſit. Coloniæ aliquot naves & aſſeres emi juſſit, & Weſaliam tranſportari, ubi pontem ſuper Rhenum junctis navigiis ſtravit, cujus exitus protendebat ad monaſterium Carthuſianorum infra Weſaliam. Hunc Parmenſis ab utraque Rheni parte poſitis præſidiariis fortiter cuſtodiri mandavit, ut exercitum ad hoſtes ſuos facilius traduceret.

Super navibus ſimis pontem ornatoexercitui ſuo Parmenſis extruxit.

Hieronymus N. unionem infringere nititur.

Eodem fere tempore quo Noveſium a Parmenſi expugnabatur, Hieronymus confrater noſter cum aliis nonnullis unionem incœptam infringere nitebatur. Nactus igitur occaſionem, ſcribit cum ſuis ad reverendam dominam abbatiſſam collegii ſancti Quirini Noveſienſis, cupiens in album canonicorum ſæcularium ibidem ſuſcipi. Ut autem faciliorem ſeſe in hoc præbeat, montes aureos polliceatur, bona noſtra in collegium transferenda offert, quinque ſaltem ex ſuis in album recipiendos, excluſis aliis aperte ſuadet. Inſtat hoc modo clanculum per ſuos apud abbatem Tuitienſem, ut ipſe rurſum pro adipiſcendo Corporis Chriſti monaſterio apud epiſcopum Vercellenſem inſtet, unionem enim reſcindendam, Noveſianos transferendos eſſe, noſque omnes in illam tranſlationem, ſuperiore noſtro nolente vel volente conſenſiſſe. Abbas facile perſuaſus, Vercellenſem, qui tunc temporis Coloniæ agebat, adit, eique negotium exponit, ut me vocet, coramque examinet orat. Se enim certo ſcire omnium fratrum Noveſienſium voluntatem diſcedendi eſſe promtam. Vocor a Vercellenſi: vix aberat nuncius, conjurati ad me currunt, ad Vercellenſem me vocatum eſſe dicunt, minantur dira ſi quid contra illorum incœptum illi reſpondero epiſcopo. Ego contra; me etiamnum neſcire cauſam citationis. Illi; ſe hic manere nolle, propterea ita reſpondendum, ut unio infringi poſſet. Intelligens hoc negotium, ex ipſis ortum fratribus aio, ſi de mea dubitarent fide, placere ut quidam ex fratribus quem vellent, comitetur mihique reſpondenti aſtaret. Adjungitur Petrus Bovinus. Cum ad monaſterium Carmelitarum veniſſemus, facile intellexi negotium eſſe ſubornatum, abbatem enim Tuitienſem cum ſuis ad Vercellenſem ingredientem & egredientem vidi: nobis ut expectaremus mandabatur. Poſtea intromiſſi, interrogabar, aſtantibus ſyndicis abbatis, a Vercellenſi, an rurſum Noveſium amotis & expugnatis hæreticis proficiſci in animo haberemus. Reſpondi Noveſium adhuc occupari a Geuſiis, exitum eſſe incertum. Ille; occupato Noveſio, an ibidem ædificare velimus. Reſpondi, non in noſtra quidem eſſe voluntate neque poteſtate, ſed majorum; prædia noſtra eſſe exuſta, omnia bona mobilia ablata, in civitate commodum pro monaſterio ædificando locum non habere, neque ſi haberemus ædificare poſſe. Quærit quod ſi majores concederent, an velimus migrare? Nos eſſe in poteſtate generalis ordinis noſtri, & reverendiſſimi archiepiſcopi Colonienſis: quicquid illi decernerent nobis maximopere placere, illos unionem cum fratribus Corporis Chriſti direxiſſe & corroboraſſe, nos neutiquam dubitare quin illis incœpta placeat, abſque illorum ſcitu & conſenſu porro nos nihil conſtituere tum poſſe tum debere. Audiens hæc quidam abbatis ſyndicus, ait; unionem citra conſenſum & voluntatem ordinarii initam, ideoque viribus omnibus carere, abbatem propterea adhuc poſſe in cœptis ſuis pergere. Ego econtra, generalem mandatum habere aſſeverabam, quod in præjudicium ſuæ celſitudinis cedat nihil feciſſe. Ille negabat habuiſſe. Ego affirmabam, licet quidem ſcirem generalem propria ſua auctoritate nobiſcum egiſſe. Adjungit Vercellenſis: Bene, quod ſi abbatis monaſterium cum omnibus fratribus ſuis & privilegiis in veſtrum admitteretis monaſterium, nihilominus vos cum aliis fratribus maneretis, & ſic ex tribus conflaretur unum monaſterium. Reſpondi negotium eſſe arduum & ſupra vires meas, ad ſuperiores noſtros ſpectare, hoc abſque illorum conſenſu, voluntate & ſcitu permittere nefas: proinde ſcire abbatem, quod tria monaſteria ſimul conjungi non poſſint unius profeſſionis, multo minus diverſarum profeſſionum, & ordinum: album cum nigro nullum habere commercium. Vercellenſis ergo, inquit, nihil citra voluntatem & conſenſum veſtri generalis & ordinarii loci facere, admittere vel conſentire poteſtis? Nihil omnino, inquam. Bene eſt, inquit, abite. Data benedictione, ad monaſterium reverſi ſumus, Qui hujus rei conſcii erant, ægre moleſteque meas reſponſiones tulerunt putabant me in ſententiam abbatis ire debuiſſe, unionemque initam

Reverendam abbatiſſam noſtram.

reſcindi pro voto permittere.

His ita geſtis, expugnatur Noveſium & crematur, abbatiſſa abbatiam igni conflagratam videns, oblatam a noſtris occaſionem e re ſua eſſe exiſtimavit. Egit propterea cum quibuſdam ſuis canonicis, iiſque quid ſibi a noſtris ſcriptum erat aperuit. Quibus equidem bolus iſte pinguis oblatus placuit, qua via melius damnum reſarciendum eſſe exiſtimabant. Erat quidam canonicus reverendiſſimi ſacellanus, ſuæ celſitudinis & charus & perquam familiaris: hic apud reverendiſſimum archiepiſcopum laboravit, ut quod a noſtris petebatur, (putabat enim nos omnes ita conſenſiſſe) ſua celſitudo admitteret & roboraret, eſſe enim e re cleri, ut canonicatus ille ditaretur & canonicis augeretur: facile perſuaſus reverendiſſimus ad me ſcribit. Tenor litterarum hic erat.

Prior Corporis Chriſti accerſitur a archiepiſc. Colonienſi.

ERNESTUS *Dei gratia electus & confirmatus archiepiſcopus & elector Colonienſis, epiſcopus Leodienſis, adminiſtrator epiſcopatuum Hildeſemenſis & Friſingenſis, comes palatinus Rheni, ſuperioris & inferioris Bavariæ, Weſtphaliæ, Angariæ & Bullonis dux, marchio in Franchimont.*

Venerabilis, religioſe, dilecte, devote, volumus & gratioſe mandamus, ut harum vigore, te quam primum huc conferas; nam in rebus, quæ nos ſingulariter concernunt, nunc tua præſentia indigemus; conſidentes gratioſe, cui etiam clementiſſime propenſi ſumus. Datum in noſtra munitione Cæſaris-Inſulana 6. Auguſti... 1586.

ERNESTUS PRINCEPS ELECTOR.

Venerabili ac religioſo, dilecto noſtro, devoto N. N. priori monaſterii Corporis Chriſti in civitate noſtra Colonienſi.

Ad eum cum ſocio advenit.

His acceptis litteris, ad me noſtri concurrunt, reverendiſſimi noſtri voluntatem ſcire cupientes; qua percepta, conſultum fore exiſtimant, ut ſumto ſocio continuo eo quo vocabar me recipiam. Quæro num ipſis cur eo vocer conſtaret, hallucinantes in primis, tandem incipiunt dubitative reſpondere, negotium initæ unionis eſſe. Præcipiunt præterea ne aliter reverendiſſimo, quam quod ipſis viſum eſſet reſpondeam. Unionem jam eſſe labefactatam, auctoritatem prioratus mei caſſatam, ſe priorem me neque agnoſcere neque etiamnum habere. Ut frater cum fratre eò proficiſcatur, non prior hortantur. Ego quidem licet eorum protervitatem & minas nihili facerem, tacitus tamen annuo. Adjungunt igitur Bovinum itineris mei comitem, & reſponſionis meæ teſtem auricularem. Duſſeldorpium ubi veniſſemus, continuo abbatiſſam ſancti Quirini convenimus: ſeorſum quæro ex illa, anne ſibi de hac citatione reverendiſſimi conſtaret, (necdum enim mihi de unione agi debere perſuadere poteram.) Illa ſe ſcire negabat: tamen ut reverendiſſimi ſacellanum Cæſaris-Werdenæ adeam monet, eum fortaſſe negotium perfectum habere, aiebat; qua dimiſſa, Cæſaris-Werdenam 13. Auguſti venimus, ibidemque uſque ad 16. ejuſdem menſis nullo accepto reſponſo hæſimus: tandem admiſſi, ſuæ celſitudinis voluntatem humiliter petivimus. Reſpondens reverendiſſimus unionem, ait, initam cum fratribus Corporis Chriſti perferre nec ratificare ſe velle, cum ob horum temporum calamitatem tum præcipue ob damnum irrecuperabile, quod Noveſianæ civitati antiquiſſimæ & celeberrimæ expugnando cremandoque acciderit, propterea ſe non tantum excruciari animo, ſed modis etiam omnibus conari ſe jam nunc, mediaque omnia quærere, ut tantæ civitatis calamitati & excidio ſuccurratur, civium extremæ inopiæ medeatur. Noſtrum monaſterium ſuburbanum bonaque non infimum eſſe medium, ſi Noveſii permaneant, & non Coloniam tranſportentur. Unionem illam Coloniæ initam infringendam, novam nobis rurſum Noveſium tranſlatis cum canonicis divi Quirini ineundam, e re noſtra eſſe exiſtimat: a me igitur quid ſentirem audire voluit. Ad quæ ego, non eſſe, reſpondeo, in mea voluntate vel arbitrio, in hanc ſuæ celſitudinis ire ſententiam, ſed huc omnium fratrum conventualium mentem requiri debere, æquum eſſe judicabam. Polliceor eos omnes me convocaturum, & quid mihi congregati daturi eſſent reſponſi, ſuæ celſitudini intimaturum. Ut autem meis verbis major fides adhibeatur, mihi ipſius celſitudinis voluntatem jam nunc declaratam in ſcriptis dari petivi. Proinde & iſtos libros a Geuſiis in domo Campenſium dominorum Noveſii relictos, reſtitui obnixe rogabam. Juſſit quod volebam dari. Habitis litteris Noveſium pergo, libros exigo. Capitaneus autem eos mihi nullatenus dare voluit, ſed ad dominum Storium, qui ſibi domum vendicabat miſit; negat & hic, ſe enim lytro magno redemiſſe ait. Coloniam veniens de noſtris fratribus Corporis Chriſti improbiſſimas de mea profectione nugas & querelas pati cogebar. Cauſam meæ profectionis convocatis omnibus aperui, litteraſque ad noſtros fratres datas ipſis prælegi; mentemque ſuæ celſitudinis in nos noſtrumque monaſterium declaravi, nihil erat quod eos latere volui. Tenor porro litterarum reverendiſſimi hic erat.

ERNESTUS *Dei gratia electus & confirmatus, &c. ut ſupra.*

Litteræ archiepiſc. ad fr. Corporis Chriſti.

Venerabiles, religioſi, dilecti, devoti, quandoquidem poſt interceptam & ab hoſte noviſſime factam devaſtationem civitatis noſtræ Noveſienſis, nihil magis nobis acceptum ſit, quam omnem ejuſdem poſſibilem utilem reparationem & reſtaurationem videre, tam in priſtino eccleſiaſtico, quam politico ſtatu; propterea omni meliori modo per vias licitas cum collegiata Noveſienſi eccleſia vos conjungere intendimus: in

quem finem etiam apud ſanctam ſedem pro neceſſaria diſpenſatione deſuper obtinenda, quemadmodum illæ antehac in ſimili caſu ſæpe obtenta fuit, inſtare volumus. De hac noſtra mente latior harum vos pluribus informabit. Sic confidimus fore, ut conſideretis, quod omnia hæc facere cogitemus ob nihil aliud, quam ad promovendum Dei honorem, communem proſperitatem, & ad veſtrum proprium bonum ac ſalutem. Itaque gratioſe vos requirimus, ut dictum noſtrum propoſitum ex parte veſtra libenter promovere ſtudeatis; quod vobis gratioſe compenſabimus; quamvis præter hoc vobis etiam bene inclinati ſimus. Datum in noſtra munitione Cæſaris-Inſulana 17. Auguſti anni 1586.

ERNESTUS princeps elector.

Convocatis noſtris fratribus abſentibus, quos in propinquo habere potui, eas ipſas litteras prælegi, & quid reverendiſſimo reſpondendum eſſet ab iis ſcire volui. In primis omnes ſeſe in ordine permanſuros declararunt, & quidem reverendiſſimo parere paratos ſeſe offerebant, Noveſiumque proficiſci, ſi modo commodum pro cultu divino locum haberent, eumque gratis: ſed cum canonicis habitare nolle, neque unionem inire, quum hoc eſſet contra profeſſionem, votum, privilegia, ſtatuta. Abbatiſſæ ſe ſubjicere indecorum valde, cum hactenus laudabili ordini ſubjecti fuiſſent, & a viris correpti non a mulieribus. Reſpondere ſuper interrogatis diſtulimus, eo quod reverendiſſimus in Weſtphaliam proficiſceretur, ob annonæ raritatem & caritatem, nam omnis ager ſterilis erat. Unus ſiliginis modius Coloniæ vendebatur in Novembri hujus anni 14. florenis cur. 6. alb. tritici totidem. Hordei 8. avenæ 6.

Archiepiſcopus a capitulo pecuniæ ſummam, quam dare recuſat.

Eodem fere tempore reverendiſſimus noſter miſit Billæum conſiliarium ſuum ad capitulum metropolitanæ eccleſiæ Colonienſis, petens ſibi maximam a capitulo pecuniæ ſummam numerari; opus enim ea eſſe, ut veterani milites ſtipendia ceſſa acciperent, duobus annis elapſis nihil illis numeratum eſſe, id ni fiat tres urbes ſeſe in poteſtatem hoſtis tradituros fore, ob annonæ ceterarumque rerum penuriam; non ſine maximo id totius diœceſios detrimento. Audito negotio, capitulares inducias petierunt, conſultantes aliquot diebus. Super hac re nihil concluſum fuit; quia comites ad capitulum venire recuſabant. Venit tandem Johannes comes de *Reifferſcheidt* & alius quidam: ſed Fredericus Saxo & *Tengern* noluerunt. Interrogati comites tam abſentes quam præſentes, quod ne teruncium quidem amplius in uſum belli adjicere velint, reſpondent: quia non in ſtipendia militum, ſed in ſcorta, in meretrices fœdiſſime, & in peregrinos quoſcumque male collocari; & quicquid a clero continuis exactionibus emungitur, nihil prodeſſe aiunt. Si non aliis mediis reverendiſſimus hanc patriam juvare intendat, quibus quidem potuiſſet, id ſe ægre moleſteque ferre. Haud procul abeſſe, quin patria dulciſſima intercidat, archiepiſcopum omnia ſomnolenter tractare, patriam deſerere, externis regendam tradere, capitulares ſuos nihil curare, flocci facere omnia, externos ruſticos clerumque mulctare & pro libitu exſugere, nihil ſupereſſe quod ulterius ſubminiſtrari poſſit, ſi intercidere neceſſe ſit, ſe quidem in culpa non eſſe, quippe qui pluſquam debebant, impenderint: ſolere enim alias ex præbendis annue habere 1500. daleros, his motibus belli Colonienſis durantibus vix centum. Quare petere, ſua celſitudo rectius & majori cum ratione cum ipſis & patria agat, ipſamque a ſævis jam procellis emenſis, totis viribus (uti juravit) protegat. Ad hæc legatus: Quod ſi capitulum de acceptanda in tam graviſſimo caſu & rebus plane afflictis pecunia non laboret, archiepiſcopo ſuo non ſubveniat, non cum illis tribus civitatibus ſolum, ſed cum omni diœceſi actum fore: milites nullas excuſationes admittere, vehementer pro ſolutione urgere, hoſtem vehementer inſtare, inſidias poſitas eſſe, his haud aliter quam pecunia mederi poſſe: quod vero capitulares auxilium ſuo reverendiſſimo ab ipſis electo præſtituros ſe difficiles præbeant, imo nihil facturos vel impenſuros pronuncient, de his omnibus proteſtari ſe, nomine ſuæ celſitudinis, ipſam non perditionis cauſam, ſed capitulum futurum. His dictis, legatus diſcedit. Capitulares parumper deliberantes, ſummamque expoſitarum omnium quas reverendiſſimus hujus belli tempore a diverſis acceperat perpendentes, Billæo legato accito exponunt, in primis ſanctiſſimum pontificem Romanum in ſubſidium hujus belli octoginta ducatorum millia: archiepiſcopi fratrem ducem Bavariæ centena coronatorum millia: Lotharingiæ ducem archiepiſcopi affinem, tantumdem: capitulum vero majoris eccleſiæ pluſquam centena coronatorum millia expoſuiſſe. Telonea omnia, caſtra, oppida, prædia, agros, domus, oppignorata, ruſticos menſtruali exactione, agraria contributione emunctos, ingentem pecuniæ ſummam effudiſſe. Mirari ſe in quem elargita ſit pecunia uſum, cum interim militibus ſtipendia non ſint ſoluta, patria ex hoſtium manibus nondum erepta: numquam, quandiu diœceſis ſteterit, in graviori periculo æreque alieno fuiſſe: ſummatim res ſuas ita eſſe compoſitas, ut neque patriam neque epiſcopum nummis, etſi libenti voluntate velint, juvare poſſint: vires deeſſe non voluntatem, propterea petere epiſcopum ſuum, ne ſuos ob non numeratam pecuniæ ſummam, & patriam hanc cariſſimam deſerat: non eſſe hoc veri paſtoris ſed mer-

cenarii officium; hoc si fieri debeat, quod tamen se expectare minime putant, maximo dolore & gemitu ferre debere, Deoque optimo maximo negotium totum, cui omnia manifesta sunt, commendare velle.

Habebat hoc tempore reverendissimus duos extraneos in diœcesi, qui summæ rei præerant. Storius quidam Bavarus ignotus, aliquarum linguarum peritia clarus, reverendissimo adeo charus, ut ipsum cubicularium suum præfecerit & arcani consilii supremum: alter Michaël Hieronymus Antuerpianus, ob æs alienum maximum profugus factus. His duobus tota diœcesis Coloniensis regenda committitur, incolis suis officiis destitutis. Hieronymus tanta tyrannide & rusticos & clerum agraria exactione & menstruali divexavit, ut multi rustici relictis suis aufugerint: si qui in solvendo tardiores essent, hos in carcerem conjectos misere mulctabat, nec ante dimittebat, quam quod voluerat solvissent. Tantus hic tyrannus erat, ut promiscui sexus, nullo habito discrimine, ob levem alias causam, ultra 1700. homines laqueo suspendi fecerit. Excusantibus se quare suspendi debeant, quum nullius rei male perpetratæ sibi conscii sint, respondebat: Si mali nihil perpetrastis, tanto melius vosmet apud Deum excusabitis. Hic dicere solebat, nihil habere discriminis an cyathum vini ebiberet, vel quempiam laqueo vitam finire curaret. (a) Hunc dormientem diaboli circa lectum excubias tenentes apertissime visi sunt custodivisse.

Michaëlis Hieronymi crudelitas.

[a]

Fratres Corporis Christi nos Novesianos apud reverendum dominum decanum Trajectensem accusant, nos abitum parare, illorum cohabitationem aspernari, & in magno discrimine relinquere velle: quare petere, sua reverentia nobiscum agat, an velimus ulterius medietatem unius anni apponere vel secus. Respondi quod ita facere nequeamus, quando reverendissimus ita urgeat: verum si rata posset haberi unio, atque ut reverendissimus a proposito suo declinet, tum illis omnia bona nostra cedere debere, sed si hinc discedendum esset, quod tum in maximum incommodum cederet, tam parvo temporis spatio tot tantaque, relictis aliis necessariis, consumere. Quin & & hoc addere, quicquid hic spatio unius anni consumpserimus, juxta discretionem bonorum virorum, nos, uti alii commensales, satisfacturos. Placuit quidem in primis hæc responsio domino decano; sed postmodum auditis Colonien sium responsis, mutat consilium, illosque in scripto sic respondere jubet. Actum eodem anno, VIII. Octobris.

Fratres Colonienses de Novesianis quæruntur apud decanū Trajectensē.

Articuli quos cupiunt venerabiles in Christo patres domini supprior, procurator & reliqui Corporis Christi in Colonia conventuales venerabili priori, ejusque Novesiani olim monasterii confratribus in scriptis propositos eorumdem desuper petentes clarum & omni remota ambiguitate similiter in scriptis responsum.

Articuli propositi a Colonienſib. Novesianis.

De retinendo priore ejusque fratribus diutius in suo victu, affirmant & dicunt præscripti monasterii Corporis Christi conventuales, se non posse quicquam diffinire aut commode ea de re statuere, priusquam debitorum quæ utroque conventu hactenus conjuncto & simul convivente contracta sunt, legitima ineatur ratio, moduſque fuerit adinventus, ut pro rata utriusque monasterii parte creditoribus solvatur.

Petunt proinde monasterii Colonienſis conventuales, ut primo quoque tempore duo utrinque eligantur arbitri, viri boni & cordati, qui certo die conveniant, & hujus qualitate negotii rite intellecta statuant, quid de factis hactenus, dum duo hi conventus una convixere, & de faciendis in posterum sumtibus, si diutius una victuri erunt, unicuique conventui pro sua parte ferendum & solvendum incumbet, citra inita tamen præjudicium unionis.

Quæ si rata salvaque permaneat, hæ per præscriptos arbitros factæ molestiæ tum solum in nihilum recident, secutura nimirum omnium ad utrumque pertinentium conventum bonorum communione. Si vero unio dissolvatur, liquido cognoscet utrumque monasterium rerum suarum statum, quæ cuique onera, unione dirempta ferenda erunt, quæ res amico & pacifico eorumdem digressui, & conservandæ etiam in posterum mutuæ charitati & benevolentiæ permagnam præbebit occasionem.

Quibus rebus hunc in modum constitutis, paratos se exhibent monasterii Colonienſis fratres venerabil. m dominum priorem ejusque confratres Novesianos penes se retinere, & omnia sicuti hactenus fecere, amicæ hospitalitatis jura cum iisdem communicare, quoad aut præscriptæ negotium unionis rite decisum erit, aut ipsi Novesiani concorditer & pacifice, necnon secundum ordinis sui disciplinam & statuta æquali cum ipsis rebus in omnibus conversatione vivere valeant.

Super quibus omni jure & æquitate subnixis articulis venerabilis dominus prior ejusque fratres æquum dent & rationi consonum in scriptis responsum, expresse dicunt & profitentur hujus monasterii conventuales, sibi neque decretum esse, neque etiam facultatem suppetere alendi diutius præscriptum dominum priorem ejusve confratres; & serio proinde postulare, ut intra octo dierum terminum sibi alibi provideat, & quocumque visum erit cum suis commigret, salva sibi semper sumptuum propter præscriptos Novesianos hactenus factorum, ad bonorum virorum æstimationem repetitione, protestantes insuper coram Deo & omnibus superioribus suis, se unionis, quæ dudum inter hos duos conventus inita erat, dissolvendæ auctores non extitisse, neque ullam tam gravi

[a] Quam misere idem perierit Hieronymus, vide infra.

& notabili ordinis incommodo ſua dediſſe culpa cauſam & occaſionem.

Hos præſcriptos articulos eſſe per omnia rationi & æquitati conſonos, atteſtor ego hac mea manu Johannes a Brahneſen decanus Ultrajectinus.

Dehis conſultis generalis Viridef homenſis.

Dum hæc ita inter nos geruntur, ſcripſi generali de his omnibus, quid agendum ſit ab ipſo ſcire cupiens. Reſpondit ille, ut conſtanter me archiepiſcopo opponam, nulloque modo permittam ut inita unio per ſuam celſitudinem dirumpatur; qui etiam, ſi tale quid fecerim, excommunicationis ſententiam ipſo facto mihi minabatur, & quod omnis faba in me unum cudi debeat, aperte ſuis litteris declarabat, ſi aliter cederet quam ipſe inſtituerat. His cognitis, nolui amplius me hiſce negotiis immiſcere. Colonienſibus reſponſa ad articulos ſuos habere volentibus congregatiſque reſpondi: Non eſſe meum negotium, neque quicquam in ſcriptis me reſpondere poſſe, ſed negotium eſſe generalis noſtri, qui nos ſua auctoritate huc pellexerit, unionemque perſuaſerit firmaveritque, quicquid illud eſſet, quod cum reverendiſſimo noſtro ſtatueret firmaretque, nos ratum habere, quare ipſius deciſionem expectandam eſſe, valdeque urgendam. His dictis, partim placavi Colonienſes, partim ſecus. Noſtri vero cœperunt murmurare, quod negotium in generalem derivaſſem; quare ut Colonienſes in me exacerbarent; perſuadent his, ut diligenter ſibi caveant, non eſſe me ejus animi, quod velim eos defraudare. Proinde aperte minatus Hieronymus, ni ego ejus facerem voluntatem, eumque ut hinc protinus diſcedat juvarem ac ſeniorem agnoſcerem, quod tum ita me cultro lethifero titillare vellet, ut etiam riſus a me diſcederet. Ejuſmodi aliaſque perplures moleſtias a noſtris exſuſcitatas perferre & devorare cogebar.

18. Octobris Bedburium oppidulum crematur totum excepris quatuor domibus apud portam qua Coloniam itur, quæ illæſæ permanſerunt, cum arce & monaſterio.

7. Novembris milites archiepiſcopus ad tollenda vectigalia a mercimonia importantibus Coloniam in *Niell* maximo ruſticorum detrimento locat. Ruſticos poſtea multos Bonnam ut exactiones inſolitas perſolvant ligatos abducunt. Tuitii quoque præſidiarii ad extorquenda ab omnibus vectigalia reverendiſſimi auctoritate ſævire jubentur, qui ingentem pecuniæ ſummam emungentes, tandem ſenatuſconſulto diſcedere coacti ſunt: cœperant enim cives tumultuari, ob inſolita reverendiſſimi incœpta.

Somnium ſeu viſio cujuſdã ordinis.

Monachus quidam noſtri ordinis hoc anno pridie ſancti Martini epiſcopi per quietem ſomnium vidit. Putabat ſe cum ſuis maximo in cœnaculo ſtrato ſedere, ab uno latere pulpitum libris choralibus onuſtum habere, & horas ſtatas abſolvere; ab altera parte menſam quidem mappis exornatam linteis, ſed nihil appoſitum. Dum ita ſederent, ecce quidam ingreditur dicens, claudite & tollite hinc iſtos libros, nihil porro nobis cum ipſis rei eſt, ſatietas talium adeſt, cœnaculum præparate, magni veniunt domini. Quibus dictis, ſubſequentes tres archiepiſcopi Colonienſes ingrediuntur, Truchſeſius, Bavarus, tertius ignotus, induti nigra toga ſerica, necnon bracha ſerica geuſico more, velata nigro ſerico facie. Inter Truchſeſium & Bavarum medius erat ſacerdos quidam candida indutus ſtola, hic medius quoque apud menſam vacuam ſedebat. His viſis, ſtupefactus monachus cum ſuis exhorruit, neſciens quid protendat viſio. Ita parum ſedentibus & circumſpicientibus tandem ſacerdos: non eſt hic locus neque amplius tempus manendi & vobis monachis & mihi, ait, ſed diſcedendum nobis eſt, væ nobis. His dictis, abiit; ceteri ordine quo venerant ſequuntur. Volebat is hanc viſionem præſagii loco habere, quaſi non ſtatim finis ſub hoc Bavaro miſeriarum & calamitatum ſuper clerum Colonienſem, ſed quod ſubſecuturus alius archiepiſcopus ſit, ſub quo graviora cleri pericula timenda forent.

Frigus acutiſſimum.

Circa hæc tempora, acutiſſimum admodum fuit frigus, adeo ut glacies in Rheno conſtricta ſteterit Confluentia Baſileam uſque, ut naves onerariæ in glacie ligatæ uſque ad Februarium hærerent, neque ſolvere poſſent. Quo in frigore profectus ad inviſendam matrem ægrotantem, quam quidem agonizantem inveni, ſed ipſa nocte circa ſecundam horam morientem deploravi, ſepulturæque poſtridie D. Andreæ mandari curavi. Pater meus, Petrus nomine, obiit anno 1565. Januarii 22.

Obitus Frederici Saxoniæ ducis.

Decima die Decembris obiit illuſtriſſimus princeps Fredericus Lowenburgicus Saxoniæ dux, choriepiſcopus metropolitanæ eccleſiæ Colonienſis, ob cujus interitum clerus maximo in luctu erat, & ruſtici. Erat enim egregius catholicæ fidei propugnator, patriæ defenſor, prædatorum flagellum, pauperum conſolator, ruſticorum refugium.

Hunc exenteratum myrra, aloë, & pretioſiſſimis aromatibus condierunt. Sic enim dum vixerat voluit. Teſtamentum ſuum ultimum fecit, cujus executores eſſe voluit Salentinum quondam archiepiſcopum, Johannem a *Reifferſcheidt*, & comitem *Manderſcheidt*. Poſt elapſis quatuor ſeptimanis, cum ſolemni pompa omnibus collegiatis canonicis præſentibus in ſummo ſepultus, ad cujus funebrem pompam innumerabilis civium multitudo confluxit, diligebatur enim valde ab omnibus, propterea egregia epitaphia a plurimis poſita ſunt, de quibus quædam apponere placuit.

Epitaphium R. D. & illuſtriſſ. principis D. Friderici Saxoniæ ducis, chorïepiſc. S. & illuſt. metropolitanæ eccleſiæ Colonienſis.

Saxoniæ ducibus natus Fredericus avitis,
Illius hic recubat ſidus apexque domus.
Occidit ante diem dux illuſtriſſimus, implens
Ætatis vixdum bis tria luſtra ſuæ.
Omnigenis Deus ornarat virtutibus illum,
Et dignus numquam qui moreretur erat.
Sed nimium præclara diu ſubſiſtere nolunt,
Annoſiſque malis optima quæque ruunt.
Hunc pius extinctum dolet ordo & ſexus uterque,
Deplorans tanti funera mœſta viri.
Gaudet at ablatum columen, fideique patronum
Antiquæ hæreticæ perfida turba luis;
Quos contra intrepidum ſemper ſe præbuit hoſtem,
Defugiens vitæ nulla pericla ſuæ,
Innocuum Chriſti ut late floreret ovile,
Et motis eſſent omnia tuta lupis.
Quæ penes eſt Ubios multarum Eccleſia princeps
Alta ſuper cunctis æthera nota locis,
Virtute iſtius niſi conſervata fuiſſet,
Jam ſerva hæreticis vilis inopſque foret:
Staret in antiquo nec ſalva Colonia flore,
Nec pia priſcorum tot munimenta patrum,
Hic niſi propulſo diſcriminis igne tuliſſet
Objecto dubiis corpore rebus opem.
Tota ſuum hæc quoque deſleret provincia caſum,
A ſævo extremis hoſte ſubacta malis:
Sæpe hujus niſi divino munimine tecta,
Parva evaſiſſet grandia damna manu.
Dum genus id ſtudiis heros vacat inclytus, unum
Tam pium habens præ oculis nocte dieque ſcopum,
Tantarum excelſo erectum molimine rerum,
Mors illum e medio, proh dolor! atra rapit.
Quem noſtri nequeant virum cum reddere queſtus,
Decretum ſummi nec revocare Dei,
Optemus placidam illi in Chriſti pace quietem,
Utque reviſturi molliter oſſa cubent.

Schenkius Juliacenſem provinciam vaſtat.

Hoc menſe Schenckius capitaneus Geuſcorum, bellum indixit illuſtriſſimo Juliæ, ſuæque provinciæ Juliacenſi. Si non omnia neceſſaria vitæ ſuppetat, quod velint ferro & igni omnia circumquaque depopulari. Miſſis litteris, hæc intimari jubet. Vix lectis litteris, ecce ſubſequuntur, aliquot pagos ſpoliant, inter quos *Holtzvveiler*, *Emeradt*, & *Peſchs* maximum damnum pertulerunt, pecora abducunt, & quicquid ibi inveniebatur ſecum Geldriam & Wachtenduncam transportant, aliquot viros, pueros & feminei ſexus perſonas funibus ſtringentes captivant.

1587. Anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſeptimo in menſe Januario proditores quidam ex Schenckiana colluvie, per proditionem oppidum *Rurort*, quod principi Juliæ paret, invadunt, ſpoliant, muniunt. Princeps quum eorum temerario auſui reſiſtere non poſſet, conventum equeſtris ordinis virorum & civitatum ducatus Cliviæ & Marchiæ Duſburgi 16. Februarii conſcribit. Ad quem quum eorum nemo niſi princeps ſolus compareret, reverſus ipſe princeps unde venerat, Duſſeldorpium infecto negotio abiit. Hoc in conventu debebant ordines tractare de obſidendo male ante cuſtodito oppido & eodem expugnando. Dum hæc ita geruntur, Schenckius hujus negotii certior factus, Juliacenſem ditionem invadit. Multos rurſum pagos ſpolians, multoſque captivans homines, damnum irrecuperabile intulit. *Kradenpoill*, *Kircherttenn*, *Kempergh*, *Wanlo* huic malo ſubjacuere. Ex pago *Kirchertenn* 19. captivos abduxit. In Wanlo nefandum ſcelus perpetravit. Nobilem quemdam dictum *Wilderadt*, ſe, liberoſque ſuos & fortunas egregie defendentem, & ex Schenckianis quadraginta facile plumbeis globis confoſſos equis dejicientem, Schenckius tandem cum ſe amplius defendere non poſſet, extractum ferra per medium ſecare juſſit. Cujus quoque nobilis filium natu majorem occidit, uxorem ceteroſque filios & filias captivos abduxit, velut quoque paſtorem in *Spiell* Petrum ab *Herten* nomine. Acta ſunt hæc 16. Februarii. Summatim, Geuſii ad raptus & latrocinia aptiſſimi, gentes Deum juſtitiamque ignorantes, prædas hominum virilis & mulieris ſexus agentes & pecorum; villarum, pagorumque exuſtorum, cæſorumque incolentium exultantes ærumnis, quos nec opinantes ſine ulla parſimonia deleverunt, totam Juliacenſem provinciam, nullis hoſtium terroribus perfracti populati ſunt.

Conventus ſtatus provincialium Brulæ.

Hoc anno in menſe Martio fit conventus ſtatus provincialium diœceſis Colonienſis Brulæ, quo multi comites, barones, nobiles, aliarumque provincialium civitatum legati confluunt. Conqueruntur hi in primis de graviſſimarum exactionum oneribus, quas reverendiſſimus ſine perſonarum exceptionibus ſingulis menſibus, etiam afflictiſſimis & exhauſtis hominibus ruſticis imponit, captivans nolentes juxta arbitrium impoſitum ſolvere: adjicientes graviſſimum provinciæ Colonienſi eſſe ab extraneis officiariis regi, emungi, captivari, torqueri, imo a conſiliis intimis eſſe; provinciales ſperni, quorum auctoritate hactenus provincia tranquilla, in pace etiam ſubditorum cum gaudio floruit; nunc vero ab extraneis, qui privatum ſuum non publicum quærunt commodum, deſolari. Debebat reverendiſſimus adfuiſſe, ſed ob itinerum diſcrimina, quæ ſimulavit, in Weſtphalia permanſit, nihilominus per legatos reſpondet: Se nihil magis in votis habere quam ut provincia a belli infortunio liberata quieſceret: quod vero per extraneos exactiones ad belli apparatum neceſſarias exegiſſet, factum id eſſe non ut ſperneret ſubditos & provinciales, ſed quia odioſum

sum esset passim apud omnes officium, & quod multi in se recipere recusassent, ne sibi odium in plebe parerent, exteris qui tale non ita graviter ferunt imposuisse, provinciales non attentis iis exactorem tyrannum amotum iri cupiunt, consiliariosque exteros Billæum & Storium officiis & dignitatibus privari. Legati id licet ægre facere auderent, coacti concedunt, adjicientes tamen pecunia multa, quæ nervus est belli, opus esse, neque pacem in terris conservare posse sine pecuniis, quibus rationibus comparanda sit diligenter deliberandum. Concluditur singulis jugeribus agrorum in superiori diœcesi Colonensi cultis vel non, exactiones sex mensium, videlicet 18. alborum imponendæ, vincarum pratorumque, duplo. Quibus expiratis, ulterius ab exactionibus cessandum, Salentino pecuniæ numerandæ, qui & pro coadjutore assumebatur, & provincia regenda committebatur. Clerus hæc audiens, lætabatur quidem Salentinum assumtum, sed exactiones execrabatur. Antea enim nimis emuncti erant, nihilque unde solverent restabat, orat ut immunis abeat. Instant alii, impositum exigunt. Conveniunt secundarius & tertiarius clerus, cum primario consilia capiunt, promittunt aliquid, totum dare difficile arbitrantes, computant emunctas exactiones, inveniunt immensam pecuniæ summam, qua numerata se liberos nunc fore, & ab hostium excursionibus & spolationibus turos putabant, licet magis a *suis militibus*, quam ab hostibus vexentur, & ad extremam paupertatem redigantur: tamen adhuc aliquid adjicere paratissimi, si modo agri steriles undecumque vel saltem coli & seminari possent. Hoc si reverendissimus fidejussione polliceri vellet, hostemque, suosque, ne rusticos in cultura molestent, longius propellere, paratos esse, quicquid possent in subsidium adjicere. Illud quia dubium erat, nec promittere adeo facile, dudum in clero disputatum fuit, nec finaliter concluſum. Re infecta omnes discesserunt.

Exactio imponenda clero Colonensi.

Circa hæc fere tempora novum fœdus perpetuo duraturum inter catholicos Helvetios quorum ordines septem erant initum est, Lucernenses, Urienses, Suitenses, Uderwaldenses, Zugenses, Friburgenses, & Solidurenses, perpendentes reliquos Helvetiorum ordines in hæresim lapsos catholicis nullam fidem pactaque servare, sed omnem movere lapidem, ut penitus eos extirpent. *Timore igitur perculsi*, peculiare fœdus contra quoslibet eos molestare paratos ineunt. Itaque se in primis uti germanos fratres agnoscunt, unam catholicam fidem amplectentes, in eamque in perpetuum cum posteris jurantes, hæresi omni prorsus deposita. Malum uni obvians alteri suo confratri commune esse debere, omnia simul & prospera & adversa omnibus æque commune bonum. Plebiscita municipalia aliasque leges primo in fœdere sancita rata inconcussaque esse omnibus debere, novoque hoc fœdere magis stabiliri. Quum omnes in catholica veterique apostolica & Romana fide & vivere & mori velint, juramento se astringunt, alius alium vi & armis tutari debere. Si quis ab ea eorum desciscat, quod tum alii ordines hunc armis cogere, & ad *resipiscentiam* pristinamque catholicam fidem reducere debeant. Sin item hæretici eos molestare in fide, vel alia via quippiam attentare velint, quod tum catholici conjuratique ordines mutua defensione & armis se defendere debeant, nec prius arma deposituri sint, quam se ex omni injuria & motibus & periculis fortiter liberassent. Sancitum quoque ut fœdus hoc & mutua concordia statuto tempore ut a junioribus intelligatur & e seniorum memoria non excidat, publice in suis ordinibus legatur. Huic fœderi nihil addi nihilque diminui voluerunt. In evidens rei signum stabilimentumque, & omnium confirmationem perpetuam, legati ordinum omnes peccatorum suorum, prælabita exomologesi, sub sacro de sanctissima Trinitate solemniter cantato, mensæ Domini participes effecti sunt, Eucharistiam de manu domini Petri Canisii Theologi Societatis JESU acceperunt. Quo facto, erectis digitis, in nomine sanctissimæ Trinitatis & beatæ Mariæ Virginis omniumque Sanctorum ad conservationem patriæ & sanctissimæ catholicæ fidei augmentum clarissima voce jurarunt. Deinde istud initum fœdus a septem ordinibus nominatis appensis sigillis corroboratum est, & unicuique ordini unum largitum. Acta sunt hæc Lucernæ, altera Franciſci anno Domini 86.

Fœdus inter catholicos Helvetios.

Eodem anno.... regina Scotiæ antea... regi Galliæ nupta, insidiose ob catholicæ religionis fidem capta, & diu in vinculis detenta, Londini decollatur. Quæ ubi mortis sententiam accepisset, publice protestata fuit, se & reginam Galliæ, & Scotiæ, & catholicæ professionis alumnam mori. Carnifici vestimenta circa collum detrahere conanti respondet: Sine, a talibus enim virginibus non assueta sum mihi vestes detrahi. Veniunt lamentantes duæ puellæ reginæ, candidissima colla jam securi subjicienda denudant. Nudata trunco volens caput aptat, bis securi percussa animam Deo commendavit. Multi de hoc facinore extant libri.

Mors reginæ Scoticæ.

Horrenda ibidem quoque spectacula, & justæ Dei omnipotentis punitiones visæ sunt. Calviniſtæ suis comœdias in odium catholicorum exhibentes, larvatas personas & mimos, ut missas celebrent omnibus spectantibus constituerant. Veniunt sacerdos, ministrique vestimentis sacris nostro more induti, sacrificatur, ministratur, cimbalis eleva-

Horrendum Calviniſtarũ ſpectaculum.

turo hoſtiam datur ſignum. Mimus a tergo A elevantis expectans hoſtiam rapit, magno clamore ingeminans, Papiſtam non bene cuſtodiſſe Deum ſuum, quippe qui paſſus eſſet eum a diabolo furari. Referebat enim indumentorum ſpeciebus horrendi alicujus ſpectri vel potius diaboli ſimilitudinem. Quid factum? Deus, ſcriptura teſtante, qui non irridetur, permiſit non fictum ſed verum ſpectrum imo diabolum cum ſuis, ſpecie quidem omnibus viſibili ſed horrenda, fictos iſtos ſacerdotes, miniſtros & larvatum mimum e medio in altum rapi, circumduci, cruciari. Audiebantur horriſoni ejulatus, clamores inſtar boum, ita ut populus ſibi timens quo fugeret potiſſimum ignoraret. Cumque ita aliquandiu in aëre, ſpectatoribus comœdiæ fictæ videntibus, circumagitarentur, unus tandem larvatus ille mimus in mediam plebem ſemianimis projectus eſt. Hic, poſtquam vires paululum reſumpſiſſet, ſuos id eſt Calviniſtas adiens, halitu infecit plurimos, qui ſtatim moriebantur. Catholicis nocere non potuit, quos paulo ante ludibrio habuit. Fictos illos ſacerdotes & miniſtros ſecum abripiens diabolus, ex oculis mortalium evanuit.

Non multo poſt viſæ & captæ ſunt aves C in Britannia verticoloribus plumis. Plumæ erant phœniceo, flammeo, cæruleo, viridi, cigneo colore per totum corpus diſtinctæ. Circa collum oblongæ erant plumæ, ſtrutionum inſtar porrectæ, quæ facile non moverentur, ad modum induſiorum nobilium, aliorumque paſſim geſtantium criſporum, & calamiſtratorum, uti nunc ſunt mores. Aves poſtea dilapſæ, nec poſtea amplius viſæ ſunt.

Monſtrum in Hollandia natum.

Eodem etiam anno natus eſt puer in Hollandia cum carnoſo ejuſmodi induſio circa collum calamiſtrato oblongo: mater cum eſſet in puerperio, induta hujuſmodi cala- D miſtratis induſiis, orat juvantes ſe feminas, ne induſium criſpum forte nimium ſollicitæ ordine ſuo ſolverent aut fœdarent. Plus ſollicita ne panniculi, ut ſuperbiret, rumperentur, quam ut fœtus ſalvus & incorruptus prodiret. Equidem in deteſtationem immanis ſuperbiæ prodiit monſtrum horrendum, pro panno carnoſum ferens calamiſtratum induſium, unum in fronte oculum, binas aures ori junctas. Pars ſuperior capitis aperta erat, ita ut etiam interiora inteſtina monſtri facile poſſent videri. E

Patres ſocietatis Jeſu Conſtantinopolim miſſi.

Circa hæc tempora patres de Societate Jeſu Conſtantinopolim interceſſione regis Galliarum legati veniunt, tanto in honore a Turcarum imperatore habiti, ut eos in Benedictinorum quondam monaſterium collocaret. Interjectis aliquot menſibus, poſtquam eo venerant, ſiccitas ingens exorta eſt, ita ut etiam ipſe Turcarum imperator aquarum penuria laboraret. Jubet ſacerdotes Machometanos ſuum orent Deum, ut aquam ſerotinam fundat, orant diu, non exaudit ille Machomet, nec aquam e cœlo pluit. Indignatus jubet, ſectarios quoſlibet Chriſtianos, quorum diverſarum ibi magna eſt copia ſectarum, ut ſuum Deum quem colunt, orent, ut largiter aquam ſpargat, orant & illi, ſed fruſtra. Tandem & Jeſuitis mandat, ut qua poſſint via Deum pro aquarum copia flectant. Illi ſibi præfigi certum petunt tempus, quo Deus verus ſuam miſericordiam & potentiam oſtendat, atque ut incredulí credant. Præfigitur tempus. Illi omnes convocant quotquot in urbe habere B poterant catholicos Chriſtianos, peccatorum ſedulam expiationem ut faciant, atque ut digne participare corpus Dominicum poſſint hortantur; deinde ut omnes noctes dieſque omnipotentem Deum jugi devotaque oratione adeant, obnixe volunt, ut hoſtis ille noſtrum JESUM CHRISTUM vel tandem agnoſcat, verum Deum miraculis oſtendat. Imperata faciunt catholici. Venit conſtituta dies, qua expectabatur aqua. Proceſſiones a catholicis, Jeſuitis præſentibus, ſervantur, nudis obambulant pedibus, lachrymis de genis profuſis, Deus ut det ſuam miſericordiam filiis inter hoſtes ſanguinis Chriſti latentibus, orant. Quid tandem? Nondum finita proceſſione catholicorum, cœlum nubibus obducitur, ſtatimque ingens e cœlo imber ruit, omniſque & civitas & campus aquarum copia repletur. Fit ingens lætitia Turcarum, Jeſuitas magno honore proſequuntur, ita ut etiam tranſgredientes caput aperiant, ſeſeque roſariis Jeſuiticis genibus flexis ſignent. Turcarum imperator pro tali munere a Deo noſtro conſecuto, Jeſuitis juxta Benedictinorum monaſterium plateam cum egregiis domibus in perpetuum poſſidendam tradidit, catholicis inſuper multa privilegia concedens.

Hiſpani Orſſaviam oppidum, quam Hiſpanis dux Juliæ hybernaculum conceſſerat, hoc anno totam fere cremant, paucis exceptis domibus.

Pars exercitus Hiſpanorum in hyberna conceſſerant in ducatum Clevorum, comitatum de Marca, & in Weſtphaliam, quas ditiones pene rapinis & cædibus enecarant.

Eodem anno decima quinta die Maii ante Dominicam quæ præcedit feſtum Pentecoſtes, Xixtus quintus ſummus pontifex legatum..... Roma cum aurea conſecrata roſa Coloniam miſit. Hanc juniori principi Juliæ Johanni donarat. Legatus altera Colonia diſcedens, Duſſeldorpium pergit. Princeps intellecto ejus adventu, obviam cum multis equitibus pergit. Honorifice excipitur, auream manu geſtans roſam in aulam defert legatus. Fit ingens tripudium, explodunturque omnia bellica tormenta, viſum eſt cœlum præ mugitu tormentorum & fumo

Sixtus V. roſam auream Juliæ principi mittit.

tenebris ſuffundi, unus caſu bombardæ ictu transfoſſus occubuit. Martis ſequenti qui erat 19. Maii, princeps roſam gerens dextera, præſente legato, parente ſuo duce Welhelmo, uxoreque ſua, totaque aula comitantibus, in templum defert. Finito ſacro, uxor corpus Dominicum participat. Inde Johannes Feſſius ad populum poſito in choro ſuggeſtu materno idiomate, de origine principum eorumque dignitate concionatur. Finita concione, Petrus Brillenmacherus Jeſuita theologus, aulæ junioris principis ſacellanus, elegantem latinam orationem explicans roſæ myſterium, ad principes populumque habuit; qua finita, datur roſa ducillæ, quæ eam ſumma cum veneratione in aulam geſtavit. Princeps donat legatum quatuor albis equis agilibus cum curru eleganti, equo ſuo præſtantiſſimo, argenteo deaurato ſchypho cum mille ducentis nummis. Regreſſus Coloniam cum maximo legatus comitatu venit, ad Jeſuitas diverſit, inde Romam bene nummatus ad pontificem abit.

Sagæ combuſtæ.

In oppidulo prope Treveros *Pfaltz* dicto, archiepiſcopus cremari juſſit 118. ſagas, duoſque viros, eo quod confiterentur ſe ſuis incantationibus frigus ad Junium uſque commoviſſe: & cum eſſent igni proximiores, fatebantur, ſi adhuc tres ſupervixiſſent dies ante ſuam captivitatem, acutius adeo commoturas fuiſſe frigus, ut ne viridis apparuiſſet uſpiam ramus: ita ut & vineæ agerque & ſilvæ hoc anno ſteriles permanſiſſent.

Reconciliatus Noveſii templum.

Ipſa Sacramenti quæ erat v. idus Maii, reconciliatum eſt exuſtum templum domini Quirini Noveſii, altareque novum extructum, ſuper portatile ante conſecratum miſſa celebrata eſt, proceſſio celebris per totam civitatem fit, comitantibus omnibus civibus & matronis ſuis liberis & familia. Tres comitabantur Minoritæ, duo canonici, virgines domini Quirini cum reverenda domina Maria *de Loë*. Huic proceſſioni interfuere moniales monaſterii ſancti Michaëlis, omnes mœſtæ lamentabantur tam præclariſſimæ civitatis deſtructionem, aderat & dominus Storius vicem tenens archiepiſcopi. Jeſuita quidam venerabile Sacramentum e templo deferebat per totam ambuſtam civitatem, & rurſum in templum, quod ante fieri numquam ſolebat.

Comparatio Ruperti & Ernefti Bavari.

Ruperto Bavaro archiepiſcopo Colonienſi regnante, aurea fuiſſe ſupra adnotavimus, tempora. Ernefto Bavaro archiepiſcopo Colonienſi gubernacula tenente, e contra dura & cariſſima fuere tempora. In Junio enim hujus anni, frequentiſſimo undique concurſu tam civium quam exterorum hominum habito, divenditus eſt ſiliginis modius unus, 23. florenis monetæ Colonienſis (pro ſingulo floreno 24. albis computatis, pro albo 12. obulis) unus modius tritici 26. flor. modius hordei 17. flor. modius unus avenæ 10. florenis, vas halecum 22. daleris. Gallina pinguis 12. alb. pondo carnis 5. alb. amphora vini 7. alb. Panes octo conjuncti de quatuor pondo 8. alb. Hæc omnia Ruperti tempore emi poterant undecim marcis Colonienſis monetæ. Quemadmodum quoque diverſa ſub his Bavaris annona fuit; ita quoque cujuſlibet negotia diverſum ſenſere exitum. Rupertus Noveſium adjunctis Caroli audacis viribus annum ferme obſedit, nec expugnare valuit: Erneſtus Noveſium regis Hiſpaniarum exercitu, cui dux Parmenſis præerat, in auxilium, qui tunc Geldrenſes rebelles ad obedientiam regis cogere nitebatur, vocato, vixdum duas hebdomadas obſeſſum expugnat, exciditur, crematur. Rupertus ipſa D. Annæ, in carcere apud Heſſum mortuus eſt; ipſa D. Annæ Noveſium ſub Erneſto Bavaro captum crematum & morti ſimile effectum eſt. Ipſa D. Annæ omnes campanæ magnæ valde, harmoniam muſices ſtricta lege exprimentes, in ſumma turri ſancti Quirini igne liquefactæ ſunt partim, partim vero e ſumma turri decidentes, in partes multas diſſipatæ ſunt. Una tantum excepta in honorem D. Annæ conſecrata & baptiſata, quæ dilapſa per laquearia nec in minimo læſa aut confracta.

Schenckius ducatum Juliacenſem deprædatur.

Martinus Schenckius ſumptis præſidiariis quos habere potuit, profectus Geldria per ducatum Juliacenſem, non ſine maximo damno, prædam ingentem Malbedurii abegit. Incenſo oppidulo, Geldriam revertitur. *Spoliis diviſis inter eos prædones qui ſecum fuerant*, potationibus ſe frequentibus dedunt. Nihil interim ex præda iis qui Geldriæ in præſidio manſerant participare voluit. Capitaneus vero qui Scotus cum ſuis erat, intellecta Scenckii perfidia, clam ad Altipennium regiæ majeſtatis capitaneum nuncium mittit, indicans ut ſtatuto tempore adveniat, ſe civitatem in manus regis traditurum fore. Schenckius hæc ignorans, magis ad prædam inclinatus, vocatis prædatoribus, alia via tendit prædando. Altipennius portæ propinquans, apertam invenit, ingreditur, multis (non enim omnes hujus rei notitiam habebant) occiſis, occupat, ſpoliaque opima detrahens, ipſam 17. ſignis muniri mandat. Acta ſunt hæc 4. Julii anno 1587. Schenckius rei novitatem percipiens valde exhorruit, iraque ſuccenſus circa Buſcoducem multos pagos igni cremari fecit.

Regis catholici capitaneus Malbedurium civitatē invadit.

Julii 10. imber horribilis e cœlo circa meridiem lapſus Coloniæ, multum damni civibus in ſuis penariis attulit. Torrens vehementiſſimus & rapidiſſimus undequaque per omnes plateas decurrens, horrorem paſſim omnibus incuſſit. Aliqui ſubmerſi, qui vehementiæ aquarum neutiquam reſiſtere poterant, in Rhenum per portas ejecti ſunt.

Auguſti 22. anni ejuſdem Michaël Hieronymus archiepiſcopi Colonienſis ſupremus

Michaël Hieronymus capite truncatus.

Bonnæ commiſſarius militum, cum aliquandiu tyrannidem ſuam in omnes paſſim ſubjectos exercuiſſet, poſt longam captivitatem & vincula, tandem Coloniæ apud publicum ſupplicii ſceleratorum locum capite plexus eſt. Tota fere civitas ad hujus viri extremum ſupplicium effuſa confluit. Omnes in armis, ne quid forte diſſidii aut inſidiarum exoriri valeat, ſenatus ſtrenue eſſe jubet. Solent plerumque homines vel ſontium ... vam mortem exhorreſcere, hic nemo inventus eſt qui hujus viri mortem graviter moleſteque ferre viſus ſit, quamvis opulentiſſimus eſſet, & ſummi in primis nominis apud reverendiſſimum Colonienſem. Tantum illam meruit gratiam, ut lſtumi ſub patibulo corpus conderetur. Sed altiſſimi judicis ſummum expende judicium. Multos hic, immo prope innumeros inſontes belli Colonienſis tempore decollari & patibulo affigi truculenter magis quam juſte fecit, eodem ſupplicii ipſe genere interiit: multos innoxios quos interfecit terra ſuſtinuit ſepultos, hunc neque terra neque medium cœlum ſufferre potuerunt. Paucis enim poſtquam caput abſciſſum eſſet, elapſis diebus, duo foſſores effoſſum corpus cum capite ſub alta nocte ut ſacco imponerent, aliumque in ignotum pleriſque locum ſepelirent non exigua pecuniæ ſumma conducti ſunt. Habentes itaque fœtidum iſtud corpus, peſſimeque redolens, monotrochio imponunt, parumque progreſſi in excubitores hortorum prope Coloniam incidunt. Excubitores audito ſtrepitu, fures adeſſe holerum arbitrantes, propius ſenſim adrepunt. Foſſores vero per tenebras aliquos haud procul abeſſe cernentes, relicto monotrochio ſe in pedes conjiciunt, illi ſaccum trunco gravem & capite inventes, atque ſuis holeribus..... ita refertum plane exiſtimantes, alioſque ideo fugiſſe effundunt: ſed ecce ex ſacco nihil aliud in terram effuſum præter corpus & caput Michaëlis, quod jam fœtebat, & vermibus impuris ſcatere incipiebat. Cives rei novitate percepta, glomerati eò tamquam ad ſpectaculum inſolitum excurrunt. Multi cum ſumma admiratione juſtum Dei judicium prædicabant. Sed quid fit? Rurſum per carnificem corpus cum capite ſub patibulo ſepelitur, poſtquam aliquot dies pro publico ſpectaculo via in publica jacuiſſet. Eadem ferè nocte poſtquam ſepultum fuiſſet, lupi aliæque feræ ſilvarum ungulis terram vellicantes denuo eruunt, devoratis carnibus, oſſa per rura undique ore correpta diſcerpunt, diſtrahuntque.

Continuatio deſcriptæ unionis.

Sub idem tempus generalis noſter Marcellus Lentius, miſſis ad eum in Brabantiam litteris, Coloniam venit, cui ſtatum unionis factæ aperuimus, cupientes ut tandem finem incerti negotii per ſe nobis impoſiti, imponat. Curet ut vel in incœpta unione cum archiepiſcopi noſtri approbatione maneamus, vel ſi id obtinere nequeat, nos ad noſtra dimittat. Ille anxius multum nobiſcum egit, ut in illa unione jam incœpta maneamus, ne illi quippiam auctoritatis detractum ſuæ ab aliis objici poſſit. Nobis quidem placere reſpondimus, modo quod optat ab archiepiſcopo ſub ſigilli ſui approbatione impetret. Conficit ille ſupplicem libellum, mecumque Bonnam proficiſcens, conſiliariis offert. Ille libellus multis accuſationibus refertus erat. Accuſaverat enim noſtros deſidiæ, rebellionis, & in religionem animi depravatiſſimi. Petiit ergo modo illi unionem approbare in abſentia archiepiſcopi vellent, ut ſaltem ad certos annos noſtros Coloniæ apud Corporis Chriſti fratres habitare ſinerent, ut vel ſic conglutinati, ex utriuſque conventus bonis contractis debitis ſatisfiat. Sic enim nobis placere affirmabat, licet nobis nihil de his conſtaret. Conſiliarii arbitrantes vera ſupplicem continere libellum, petitioni per omnia, dantes litteras ſigillatas, annuunt. Quibus lectis, putabat nos cogi, ut maneremus ad quadriennium, velimus nolimus, poſſe. At noſtri in quadriennium deſcendere plane nolebant, dicentes: ſi perpetuam ratificationem impetrare nequiret, ne nos diutius cum maximo ſumptu & detrimento detineat; vel ſi ita velit, nobis præſcribat, quomodo & quantis annue expenſis Coloniæ habitaremus. Ille incandeſcens reſpondit, noſtrum non eſſe ſibi metam præſcribere, ſe ſcire quomodo nobis Coloniæ vivendum ſit, noſtrum obedire: ſin minus, recta proceſſe contra nos via velle, neminem ſe reſpicere. Tibi, inquit ad me, procuratoris officium injungo, mandans ut ſub pœna rebellionis in te ſuſcipias. Ego e contra non poſſe neque debere me reſpondeo, quia in alia domo; unionem necdum confirmatam, procuratorem rationem ſuam de datis & acceptis non poſuiſſe, ſtatum domus neſcire: iſtis compoſitis, me quidem paratum eſſe. Dum hæc Coloniæ inter nos aguntur, archiepiſcopus Bonnam venit. Suadet generalis, ut ipſum adeam, petiturus reſponſum finale an manendum vel diſcedendum nobis. Reſpondetur nobis ad ſupplicem libellum, archiepiſcopum in prima permanere ſententia, ſcilicet, ut rurſum Noveſium proficiſcamur, Colonia relicta, atque ibidem datis pacatioribus temporibus juxta monaſteriolum quod nobis conceſſerat ædificaremus. Habito hoc reſponſo, rurſum inſtamus, ut nobis det commiſſarios qui nos juvent, quando agendum cum fratribus Corporis Chriſti ſuper expenſis hinc inde in cura domeſtica factis. Nominantur doctores Johannes Swollinus & Theodorus *Biſterfeldt* archiepiſcopi conſiliarii. Venientes Coloniam oſtendimus generali noſtro, noſtris præſentibus fratribus, litteras nobis datas, quibus

Ab archiep. mandatur noſtris, ut reſiliſa unione revertatur Noveſium atque cum tempore ibidem ædificent.

lectis, animum archiepiſcopi intellexit, valde commotus de reſcindenda unione, ait: Quia ita reverendiſſimo placuit, vos dimittam: Convocatis igitur noſtris confratribus, multa conqueſtus ait, ſe non putaſſe illam ſua auctoritate roboratam, interjecta & capituli jam pridem ſervati confirmatione, unionem reſcindi per archiepiſcopum debuiſſe, ſe non dubitare nobis, ſi placuiſſet unio, nihil archiepiſcopum de disjunctione cogitaſſe: nos libertatem quærere, non religionem, neque ordinis profeſſionem & augmentum, jam ſe utriuſque domus deplorandum ſtatum & extremam perditionem ſatis ſuperque videre: neque nos novum monaſterium ædificare Noveſii, neque illos ædificatum conſervare poſſe Coloniæ. In octava igitur Martini anno 87. unio ſoluta eſt per generalem in camera hoſpitum Coloniæ Corporis Chriſti. Adjunguntur mihi quorum opera in conventus negotiis uti debeam, Petrus *Paes* Noveſianus, pater Berckenſis, & Godefridus Wanlo ſocius Bonnenſis.

Noſtri a fr. Corp. Chriſti Coloniæ diſcedunt & 5. Decemb. Noveſii veniũt anno 1587.

Nona Decembris nova prioris electio apud Corporis Chriſti fratres celebratur, eligiturque omnium ſuffragiis Wilhelmus Bedburius. His ita peractis, valedictis fratribus invicem, digredimur. Noveſium venimus 19. Decembris, non habentes neque lectos, neque quippiam ſuppellectilis, commodato accipiendum erat. Hoſtis enim omnia noſtra bona mobilia occupato Noveſio ante abſtulerat, nihilque nobis reliquum erat, niſi inanes & vacuæ noſtræ domus apud portam ſuperiorem, quam paulo ante emebamus, aliaque in platea Pontana. Itaque in primo ingreſſu miſere & parciſſime vivendum nobis erat. Nullibi ex reditibus noſtris quicquam unde viveremus veniebat, niſi parum frumenti ex ducatu Juliacenſi, cetera enim omnia hoſtis vaſtaverat, vel regii ſpoliaverant, ita ut ruſtici relictis caſis & agris in oppida propinquiora confugerent. Quare ut vitam ſuſtentaremus & creditoribus parum daremus, coacti vendidimus ſylvam noſtram cæduam in ducatu Montenſi apud *Bilck* ſitam, quam paulo ante milites ducis Juliacenſis penitus cæſis lignis devaſtarant, ædificato in margine Rheni apud lapides contra Geuſios Noveſium occupantes novo fortalitio. Numerus jugerum erat 6. & virgarum 8. quodlibet jugerum conſtabat 28. daleris.

Schenckius ſtoutam invaſit & deprædatur.

Dum hæc ita nobis præſentibus Noveſii aguntur, Schenckius novis prædis inhians, collectis aliquot equitum peditumque ſignis, Wanchtendunekio noctu egreditur. Plurimæ civitates quæ a parte Bavari erant, trepidantes, nihil certi habere poterant quorſum inſidiæ tenderent, quibuſve ſtructæ eſſent. Schenckius nihilominus impiger collectam prædonum multitudinem verſus Marcodurum ducebat, quaſi inde recta in Eyffliam tranſiturus eſſet, ut his technis civitates quibus latenter inſidiabatur, ſecuriores redderet. Ex quarum numero & Bonna erat, exiſtimantem hanc Schenckium cum ſuis tranſiiſſe, inopinato invadit muroque vi tormentarii pulveris ejecto occupat. Noctu Marcoduro per Eyffliam accelerat, Bonnamque veniens clam ſuos apud Rhenum in cavam locat viam, ubi trajectus ad ripam ulteriorem communis eſſe ſolet. Altiſſimum ſilentium ſuis inhibet. Subornati quidam erant, qui paucis ſumptis ſcaphis Rheno ſe committerent, & remo nullo impellente ſenſim cum flumine teloneo adreperent. Imperata perficientibus, vigiles acclamant. *State viri qua cauſa ſub nocte obſcura vie?* Quibus illi reſpondent. *Amici veſtri ſumus, ſecundo nos flumine ex ſuperiori Germania venimus, hoſtem timemus, petimus ut veſtra ſub tutela apud murum donec luceſcat paululum requieſcamus* Hæc ita vigiles permittentes, dolum penitus ignorabant. Illi haud ſegnes inſtrumenta ferrea ad perfodiendam januam habentes, & quo partem muri ſub janua evellerent, omnes pariter incumbunt. Atque ut hoc facinus commodius nullo uſpiam audito ab iis ſtrepitu perficerent, commodiſſimum illis exurgebat tempeſtas validiſſima, ita ut proximi aſtantis vox niſi altiſſime elata audiri poſſet. Perforata proxime apud teloneum janua, mox ingentem per foramen infra januam & murum contiguam verſus civitatem effundunt vim pulveris tormentarii. Mox fomento ignis applicato incenditur pulvis, fit fragor ſonituſque non ſecus ac ſi Ætna ſuos eructaſſet inſolitos horribileſque clamores. Pars plurima muri, una cum occluſa janua funditus eruuntur, ſaxique grandes in civitatem ultraque Rhenum procul abjiciuntur. His auditis, Schenckius ex inſidiis cum ſuis dicto citius adeſt. Invadunt omnes urbem, horam circiter quartam mane Mercurii viceſima tertia Decembris anni ejuſdem 87. Vigiles ferme omnes, & quotquot in armis repererant ferro obtruncant. Cives nil ſibi metuentes mali, auditis tubarum canentium clangoribus & ſtrepitu, vocibuſque paſſim ejulantibus, quid facerent miſeri ignorabant. Se ſuaque omnia, uxores, liberoſque Deo commendantes precibus inſiſtunt. Schenckius omnes pariter in foro præſentes & in armis eſſe jubet, & prædæ abſtinere donec luceſcat, & hoſtis ab amico diſcerni queat. Heu infelix illa dies nimium Bonnenſibus erat! ut hora venerat ſeptima, Schenckius dato ſigno civitatem tradidit militibus deprædandam: exoritur *mox clamor omnium, quem* ad convexa cœlorum tranſcendiſſe crederes, januæ non ſenſim clavibus ſed malleis & ſecuribus laceræ aperiebantur. *Pretioſa* quæque abripiuntur, & quod quiſque rapere potuit, ſuum erat. Cives uxoreſque & liberi, prout & clerus canonicique captivantur. Nemo ab hac ca-

lamitate immunis erat, niſi prius maximo numerato lytro. Monaſterium Vallis-Angelorum a duobus ſpoliatum eſt, quicquid erat pretioſum, argentum ſignatum vel non ſignatum, ipſis in prædam ceſſit. Nihilominus pro lytro totus conventus ad mille daleros ipſis duobus nebulonibus promittendum cogitur, ſyngrapha datur, numerantur 700. daleri, trecenti a noſtris confratribus qui ibidem rectores conſtituti erant exigebantur. Verum dimiſſi ex captivitate, nihil numeraruntur. Unus militum cui ſumma debebatur ad populandum egreſſus, in ſylva prope *Konigſdorff* occiditur a ruſticis, ſyngrapha Coloniam ad capitulum majoris eccleſiæ tranſportatur.

De noſtris. His ita geſtis, generalis noſter multis ad me datis litteris Coloniam ad ſolvendum fidem datam evocat. Et quominus parere ipſis mandatis quiveramus faciebant pericula quotidie itinerantibus obvia. Sæviebant enim trucidando, captivando, populando, ſpoliandoque tam noſtri milites, quam & hoſtes: ita ut nemini abſque vitæ periculo proficiſci integrum eſſe poſſet. His ab ipſo minime conſideratis, inſtat ſcribendo, nos excuſando. Tandem apud nuncium apoſtolicum ut nos præſentes cogat maximis urget precibus. Scribit ille ad nos 13. Maii anno 88. mandans, ut viſis litteris Coloniam ſumto comitatu, ad tranſigendum cum fratribus Corporis Chriſti de impenſis factis, tempore unionis, mox veniamus. His lectis, periculo Deoque committentes, Coloniam navigio properamus. Proponens nobis ſuæ mentis conceptum generalis, medietatem factarum expenſarum, ab initæ unionis tempore exegit, tamque acerbe excandeſcendo, ut nullis etiam rationibus cum homine agi poſſet. Videntes autem non æque utrique parti inclinatum eſſe, petimus ut hinc inde vocatis arbitris res juſto moderamine exponatur, ne dum minus demus illos injuria, quod abſit, afficeremus; ſin autem plus quam æquum eſſet, noſtrum ipſi prægravemus conventum. Habitis arbitris quatuor juriſconſultis, in primis generalis pauca præfatus, unionem per ſe jam inde ab initio legitime conceptam, per Noveſienſes & Colonienſes fratres ſubſcriptam confirmatamque, hinc ſequi ad medietatem omnium ſumptuum tempore unionis factorum Noveſienſes non ſolum impellendos eſſe, ſed omnes iſti reditus qui Noveſienſibus cedi ſtante bello Colonienſi potuiſſent, Colonienſibus cedere juſto unionis titulo debere. Omnia quidem ſua argumenta veritati ſubnixa eſſe aiunt, ſi unio per ſuperiores eſſet approbata; uno deficiente, omnia alia quæ pro ſe facere arbitraretur inania eſſe. Contractus ab initio nil valens, in fine nihil valere poſſe. Unionem neque per ſummum pontificem, neque per archiepiſcopum Colonienſem approbatam. Ideoque quia illorum intereſſet, omnino viribus carere. Quibus auditis, fremens ſubinfert, ſe ordinis noſtri per utramque Germaniam generalem eſſe, poteſtatem conjungendi transferendique monaſteria capitulo ſubjecta ad alia paſſim loca, etiam vel nemine requiſito habere. Alii e contra id quidem fortaſſe fieri aiunt in regis Hiſpaniarum regno; ſed conſuetudinis in orbe Romano minime eſſe: hic loci ordinarium requirendum. Ille vero eamdem cantens cantilenam, tandem & ſe ordinarium noſtrum eſſe haud fateri erubuit, idque cum ſtomacho, atque cum ſibi & capitulo ſubjectis, illorumque bonis facere tum poſſe tum debere, licet loci ordinarii conſenſus non accedat. Imprudentiam viri, juriſconſulti jam in cachinnum reſoluti, haud ſatis mirari poterant. His & ſimilibus altercationibus dies duo fruſtra conſumpti ſunt. Tertio quoque die, generali ſemoto (nam ipſo præſente nihil certi quicquam concludi poterat) tentatur de concordia ineunda. Relicta unionis diſputatione, quæritur quantum pro victu ſaltem, præter id quod ex noſtris redditibus in frumentis & pecuniis ipſis Colonienſibus datum eſſet, exigant. Non minoris, aiunt, ſubductis omnibus acceptis, nobis cibum ſtante unionis tempore, quam 4000. daleris adminiſtratum eſſe, multis hinc inde habitis diſputationibus & difficultatibus, tandem per noſtros concluſum eſt (licet non de jure, ſed habendæ pacis gratia,) in mille quingentos daleros monetæ Colonienſis. De quibus 800. in prompta pecunia ſtatim a contractu celebrato. 700. vero data hypotheca ſub penſione annua perſolvere deberemus. Inita concordia, contractus per juriſconſultos ſcribitur, perque officialem decreto interpoſito approbatur. Generalis vero conditiones concordiæ audiens, quamvis ingenti noſtro damno id factum, (ultra enim 125. modios ſiliginis, & cum prætacta jam ſumma Colonienſibus a nobis numeratum fuit pluſquam 2500. daleros tantum a 16. Maii anni 85. uſque ad Decemb. 17. anni 87. pro cibo. Cetera neceſſaria vinumque a nobis bibitum ex noſtris ſoluta proventibus.) Miro tamen ſupercilio in nos, præſentibus doctoribus excanduit, dicens, nos Colonienſes fratres fraudulenter circumveniſſe, nos contractorum debitorum cauſam, ſi ære maximo alieno prægravati perdantur, nobis imputandum, nos præterquam quod numeratum eſt, plus quam 3000. dal. de jure Colonienſibus numerare debere.

Bonna a Geuſis capta, ſpoliataque, omnes paſſim per totam dioeceſim populandi, devaſtandi, pecoraque abigendi habenæ tam noſtro militi quam hoſti relaxantur; poteſtaſque nihil, quo hoſtis potiri poſſet, relinquendi datur. Strenue id faciunt milites Erneſtiani, ſub capitaneo Caſparo *Blanken-*

Bonna ab Erneſto obſidetur.

maier Bavaro, quem Erneſtus Bavarus inferiori dioeceſi præfecerat, & generalem capitaneum Noveſii conſtituerat, ad rapinas & ſpolia detrahenda natum. Tota dioeceſis pervagatur, ſpoliaturque denuo, quod maximis ſumptibus ruſtici ſeminaverant, pecuſque comparaverant, militi fugientes ad oppida vel inviti relinquunt. Sub haſta raptum pecus publica in platea, Noveſii, Cæſatis-Werdenæ, Ordingiæ, Morſæ, aliiſque in oppidis divenditur. Erneſtus ad obſidendam Bonnam incumbit; hoc cum ſuis viribus impar eſſet, vocatum militem ex Brabantia regiæ majeſtatis Hiſpaniarum, in dioeceſim adducit, Bonnamque fortiter circumcingit. Geuſii fortalitio e regione Bonnæ in ripa Rheni ædificato, quo trajectum habere poſſent, fortiter repugnant, non numquam excurſionibus factis multos ex noſtris trucidant parum cum ſuo lucro. Interim Schenckius intellecta defenſionis Hiſpaniarum multitudine, Bonnam relinquit, alioſque implorat magnates ad obſeſſam Bonnam liberandam.

Exercitus capitaneus occiſus.

Taxis capitaneus regis Hiſpaniarum inſignis quidem, qui multo tempore regi operam ſuam terra marique impenderat, ex Friſia cum exercitu copioſo veniens, fortalitium in ripa Rheni conſtructum obſidet. Hic qua parte tutius & minori cum diſpendio fortalitium expugnari queat explorans, globulo per cranium tranſverberatur, raptum cadaver hoſtis Bonnam transfert: ſed Hiſpani ipſum corpus redemptum Coloniam vehunt, magnifice & ſumma cum pompa ad Minores apud ſummum altare ſepeliunt.

Junii 21. tormenta majora Morta & Noveſio Bonnam verſus noſtri advehenda curant; hoc obſeſſi intelligentes, ſequenti intempeſta nocte glomeratim gravibus malleis onerati, porta excurſiones faciunt, rati his inſtrumentis advectis illis bombardis & machinamentis damnum illaturos. Verum Hiſpani intellecto ſtratagemate, fortiter obviarunt, ita ut pedem referre multis occiſis coacti fuerint. Eodem tempore irrumpentes obſeſſi, Coloniam ad ferendum alimentum profecti ſunt. Hiſpani ſubſecuti commiſſis levibus præliis multos occiderunt. Coloniæ ſi quid commeatus curribus & bigis impoſitum erat, a mercatoribus arreſtatum fuit, itaut ne quicquam Bonnam verſus contulere.

Auguſti 10. Erneſtiani admotis tormentis ad fortalitium parvum, tanto impetu immiſere globos, ita ut fugam capere Geuſii compellerentur, ſeque in fortalitium majus recipere. Interim capitur principis Chymaici (nam is dux exercitus Hiſpanici conſtitutus erat) nepos a Geuſiis, Bonnamque captus introducitur.

Auguſti 17. incœptum eſt fortalitium majus tormentis tranſverberari & impetu maximo oppugnari. Noſtri 11100. globulos immittentes multos ex hoſtibus tranſverberarunt, vallumque eruentes laxarunt, ita ut deditione facta, hoſtis fortalitium in manus Hiſpanorum traderet. Nonnulli obſeſſorum regi ſeſe juramento militiæ obſtringunt, alii cum fuga ſalutem quærere incipiunt, ab inſequentibus equitibus ad unum ferme omnes occiſi ſunt. Hiſpani vero prædæ in fortalitio relictæ inhiantes, quiſque primus eſſe deſiderabat, caſu pulvis tormentarius ignem concipiens, multos vi ſua ſulphurea occidit, ſtravitque aduſtione gravi.

Bonnæ expugnatio.

Septembris 20. civitas Bonna obſideri graviter & majoribus machinamentis admotis verberari cœpta eſt, pars muri in vallum, turriſque juxta Rhenum ad aquilonarem partem corruens, ingentem & fumum pulverulentum, juxtaque & ſonitum edidit, ita ut hoc matronæ puerique audientes clamorem longe ſonantem emitterent. Hoſtis vero nihilominus haud ſegnis vallo foſſaque juxta murum ſe fortiter munit, ratus hac via ſe & civitatem tueri poſſe. Princeps vero Chymaicus auditis matronarum puerorumque & imbellium turbarum miſerandis clamoribus miſericordia tactus, ab incepto parum ceſſare jubet, mittens fecialem qui deditionem expeteret, captivoſque reddendos eſſe proponeret. Obſeſſi trium menſium ſtipendia ſibi dari jubent, utque civitate donata, armati quocumque ſua quemque raperet voluntas quiſque abeat volunt; ſin minus, tamdiu ſe in armis uberrime adminiſtrato pulvere tormentario tutaturos, quouſque extremus ex naribus efflaret ſpiritus. Chymaicus reſponderi mandat; nihil ſe daturum, neque voluntati ullo modo obtemperaturum, tantum pati poſſe ut gladio accincti emigrent. Inito contractu & datis obſidibus, Septembris 28. equites & pedites Bonna emigrarunt. Botlitius cum ſuo equitatu verſus *Wachtendunck*, qui hactenus Bonnam mordicus maximoque cum imperio Geuſiorum nomine tutatus fuerat profectus eſt. Pedites vero navigio Berkam uſque comitante expoſitoria reverendiſſimi noſtri nave deducti fuere. Egreſſo hoſte Chymaicus Bonnam intrans, eam novo Gallico præſidio firmat. Nihil illi quod reliquum erat intactum relinquentes, aliud novum ſuper vetus illud dolendum civibus vulnus infligunt, coarctantes, ut cibo adminiſtrato & reliqua neceſſaria ſubminiſtrent.

Expugnatio Wachtenduncki.

His ita geſtis, Chymaicus ob non bene ſpartam nactam adminiſtratam a principe Parmenſi in Brabantiam revocatur. Carolus vero comes Mansfeldius commiſſum exercitum Bonna Wachtendunckium ducit, idque obſidione gravi cingit, admotis maximis bombardis & machinamentis ad hanc neceſſariis. Prædones iſti Geuſiaci nihil minus apud animum exiſtimantes, quam repentinam iſtam obſidionem, glomeratim ad hoc

oppidum confugiebant. Hos omnes in caſſes comes excipit ſuos, ita ut nullus fugæ relinqueretur locus. Obſeſſi fortiter quidem ex muro emiſſis globulis ſeſe defendunt, oppidumque longe lateque aquis Nerſiæ impeditis & ſuſpenſis immergunt, ita ut noſtri a longe motis bombardis pugnarent. Hoc ſtratagemate intellecto, noſtri naves Venlona currui impoſitas ad hoc fabricato ſenſim Nerſiæ advehunt imponuntque, atque hoc novo genere navigii hoſtibus occurrunt. Terra vero conſtructo aggere eminus emiſſis bombardis hoſtibus damnum inferunt haud contemnendum, pilaſque confingunt ſulphureas, quibus concepto igne, domus conflagrent & incendant. Hoſtis his inauditis novis inventionibus, tecta domus & quicquid ignem concipere poſſet, motus plane aufert, tentoria juxta murum & vallum quo a miſſilibus tutus eſſet conſtruit. Quia vero pluviosum admodum cœlum hæc æſtate & toto Septembri uſque ad Natale Chriſti erat, nihil peculiare vel glorioſum noſtri efficere potuerunt: tantum indefeſſi maximis explosis tormentis, muros & tecta quatiunt, tantaque vi & impetu, ut obſeſſis nullus reſpirandi locus & tempus concederetur. Tandem feſſi deditionem oppidi præter jus & belli conſuetudinem comiti offerunt; ut vitam donet, oppidum per deditionem ſeſe daturos una cum 200000. aurcorum coronatorum. Hoſce ſingulis fere diebus petentes iterum in oppidum regredi compellit. Interea comes acrius oppidum ſingulis fere momentis oppugnat, obſeſſi pulvere tormentario carentes, veniam abſque ulla intermiſſione implorant. Comes ignorans penuriam adeſſe illis tormentarii pulveris, & videns exercitum in cœno & luto conſtitutum diutius continere minime poſſe, quippe quibus vix greſſus dabatur: adeo fixis hærebant in luto pedibus, motus quod obſeſſi ante obnixe petebant, ultro obtulit. Deditione igitur facta prædones onuſtis curribus & quod humeris portare poterant urbe egreſſi, ad Schenckium veniunt. Comes præſidio in oppido locato, Venlonam petit. Acta ſunt hæc anno 1588. die quidem.... Decembris.

Conjuratio Coloniæ

Hic ſilentio prætereundum vix cenſeri debet facinus illud quo haud ſimile auditum eſt, Coloniæ perpetratum, hoc anno 29. Septembris. Conjuratio inter gregarios illos myoparones Coloniæ celebrata fuit de civibus capiendis & abſcondendis, donec vis magna pecuniæ extorqueatur. Numero erant Rutgerus *de Impel* nobilis proſapia, Jacobus *Beugken* Noveſianus, Anthonius *Eleſſendrur*, & duo alii qui poſtea decollati ſunt. Ex his mittunt qui civem adoriretur, & blandis ſollicitaret verbis, quaſi ſiliginis non modica ſumma venalis in ſole e regione Machabæorum haberetur. Nomen civis erat Philippus ab *Eick*, prædives, habitans e regione ſancti Pauli. Civis, auditis a miſſo pollicitationibus, credidit ſtatim, atque ſollicitantem arrepto pallio ſubſequitur. Alii qui in ſole abſconſi erant & civem venientem expectabant, viſum civem corripiunt, ad terram proſternunt, ligatis manibus & pedibus vinctum in corbem ponunt, arcteque conſtringunt, ore pila oppleto, ita ut neque vocem edere neque membra extendere poſſet. Sub veſperum monotrochio corbem viro onuſtum non ſecus ac ſi mercimonio eſſet, imponunt, per plateam *Igelſtein* vehunt uſque ad monaſterium noſtri ordinis Corporis Chriſti, in cujus domum monaſterio e regione adjacentem important, clanculumque in penario conſervant. Uxor vero captivi, intellecta viri abſentia, quo abiiſſet non certificata, triſtes queruloſque edens gemitus, rem ſenatui aperiit. Senatus omnem movens lapidem, inquiri per totam civitatem jubet, anne aliquis captivum domi detineret, portaſque ſimul diligenter cuſtodiri mandat, ne captus civis extra urbem vehatur. Veniunt interim litteræ a raptoribus ad uxorem captivi ſcriptæ, quibus volunt, ut ſi virum ſuum ſanum & integrum reſtitutum iri cuperet, ſtatim duo millia & quingentos flor. auri numeret, atque in Bethleëm haud procul a Berchem numerandos procuret. Sed cum penitus ignorari poſſet unde iſtæ litteræ prodirent, vel ſcriptæ eſſent, diligentius per totam civitatem ſine intermiſſione inveſtigatur. Deus qui ſuos non derelinquit, conjurationem hanc mirabiliter oſtendit. Suſpicio ab introeuntibus & exeuntibus domo oritur. Senatus domum convocatis civibus obſideri jubet. Qui alacres admodum in concive liberando animos oſtendunt. Domus vi effringitur, hoſpes & alius cuſtos circa captivum, licet reluctantes capiuntur. Ex corbe civis extrahitur. Alii audita rei novitate, ſumptis aliis veſtibus clam aufugiunt. Senatus adhibitis tormentis duos examinari jubet, qui omnem conjurationem, atque talis machinationis originem facile produnt. Quare ſenatus in eos animadverti mandat. Paratur corbis inſtar prioris, in eum fontes arcte manibus ligatis impoſitos verſus monaſterium Corporis Chriſti juxta domum, ubi civis in corbe ligatus detinebatur, vehi curant. Paratus ibi erat ignis, in quo forcipes ignitos ad dilaceranda fontium membra conſervabant. Sed bonorum civium interventu talem evaſerunt pœnam. Carnifex equo verſus ſanctum Gereonem acto, inde per vetus forum, poſt per forum fœnarium, maxima ſequente turba, ſicque per longos viarum ambitus ſtrictos in corbe fontes vehit. Supplicium apud leproſorium capitis de iis ſumitur, ambo rotæ impoſiti, multis ſimile flagitium ne committatur exemplo ſunt. Corbis ſub rota in aëra ſuſpenditur. Agitur in ſenatu de evertenda domo, quo res poſteris

ſteris tanto ſemper manifeſtior exiſteret. Qua de cauſa priorem accerſiri jubent, quærentes quare tale hominum genus hoſpitio, ſuſciperet ſenatum inultum hoc nequaquam relicturum. Purgat ſe prior, ſe hoſpitis inſignem pravitatem neſciviſſe ait, feciſſe prout & alii civitatis magnates & plebei cives, domos ſuas plus numeranti elocantes. Si hoſpes maleſecerit, per ſe non ſtare, neque minus de conjuratione facta, atque captivo cive miſere in domo ſua detento conſtare. Quare ut ſenatus animum fortaſſe in ſe iratum dimittat, obnixe rogat, ſicque ſenatus domum intactam reliquit.

1589. Comes Mansfeldius oppido Wachtendunck in deditionem accepto, exercitum in hiberna diſtribuit. Eburones (quibus nullum umquam genus hominum ſceleſtius repertum eſt) in pagos haud procul ab *Erculenſi* in *Breck* & *Berck* necnon in *Svvannenburgh* collocat. Mox iſti ſtationibus relictis, circumquaque ducatum Juliacenſem incurſionibus & deprædationibus moleſtant. Sed nullum cum majore tyrannide pagum aggreſſi quam *Titz* patriam meam, ſimulque Haſſeliam & *Weiler* adjacentes pagos. Hoc enim anno 1589. Mercurii 4. Januarii mane paulo ante 6. patriam, ſimulque alios pagos uno momento invadunt, nemine quicquam mali ſuſpicante, tanto cum clamore, tubarumque clangore & tympanorum ſtrepitu, ita ut longe lateque in vicinis pagis exaudiretur. Malleis & longis ſecuribus ad hoc paratis fores incunctanter perfringunt, obvios quoſque aut graviter ſauciant, aut miſere trucidant. Inter quos nobilis Johannes Steinius de Wanlo, Godefridus *Schomacher* ſcabinus, Johannes *Zoller* prædives valde, aliique permulti tam viri quam feminæ, multis acceptis vulneribus (cum tamen ſe minime ad defendendum præparerant) occubuerunt. Alii multi graviter ſaucii vitam amiſſis omnibus vix tutati ſunt. Incuſſo paſſim omnibus hac repentina tyrannide miſeris incolis timore, ita ut quæſitis latebris vitæ conſulerent, rapiunt, ſpoliant quicquid obvium erat. Pecori ſimul omni abacto ſarcinas prædamque imponunt. Hoc tanto tamque truculento impetu, duas integras horas deprædando, ſpoliando, & miſeros incolas partim trucidando, partim vulnerando conſumunt. Ego vero qui tunc forte aderam, audito inſolito ſævientium Eburonum, & miſerorum vulneratorum & jamjam morientium clamore ejulatuque, haud mora me cum ſororibus & fratre obſeratis foribus in ſolarium ut conſpectum latrocinantium fugeremus, recipio abſcondoque. Vi foribus fractis quicquid ſuppellectilis, quicquid pecoris, a primis incurſionibus (nam Altipennius ante cum Noveſium obſideri cœptum eſſet, bis pagum miſſo milite ſpoliarat penitus) reliquum erat auferunt, tantumque temporis ſceleſtiſſimi Eburones

Eburones deſecrant Juliacenſem incurſionibus moleſtant.

in evacuanda inferiori domo conſumunt, ut ſuperiorem in qua tuti, ſi perveſtigaſſent, non eramus, inquirere negligerent. Quod beneficium Deo optimo maximo, qui ſuos non derelinquit, acceptum ferimus, alias dubio procul inventos nos una cum aliis miſero cruciatu occidiſſent. Itaque pago ſic penitus ſpoliato, multis incolis occiſis vulneratiſque, receptui canunt, pecuſque in viridi via cogunt, ſimulque & ex aliis duobus pagis dictis graviter onuſti venientes, abitum unde venerant parant. Hac calamitate vicini pagi percepta, nuncios ad equites (quos dux Juliæ, bello Colonienſi durante, militiæ juramento ut ducatum ſuum a deprædationibus continuis defenderet ſibi aſtrinxerat) quorum maxima pars tunc forte in pagis propinquioribus hoſpitio ſuſcepti erant, mittunt, iiſque inſolitum caſum aperiunt. Quo audito, pars velociter citatis equis ad pagum volant numero octo, quonam ſpoliatores & homicidæ abiiſſent cum præda perquirunt: edocti ſignum campana dari jubent, ipſi haud territi levibus præliis homicidas adoriuntur. Quamvis viribus impares, nihilominus tamen hoſtem aliquantulum remorantur, donec paululum ex aliis pagis concurrentes, fortiores effecti prælium inire poſſent. Ventum erat concurrendo, tormentiſque explodendis infra *Holtzvveiler* & Wanlonam pagos, jam equitum peditumque ducis Juliæ numerus auctus erat centenario numero, contra hoſtium quingentorum numerum. Eburones videntes numerum ſenſim equitum & peditum ducis augeri, impetum furore concepto bis in noſtros faciunt, noſtri parum fugientes haud ſegniter pugnant, hoſtique acrius appropinquant. Hoſtis videns & vitam & prædam ſimul auferre minime poſſe, vitam præda meliorem ratus, abactum pecus deſerunt, noſtris reducendum permittunt, hac ratione noſtros ſatiandos putarunt, ut tanto melius alia gravi impoſita ſuppellectili abirent. Sed noſtri, neglecto pecore, fortius inſtant: equites Eburones, quorum ducenti & eo amplius erant, lanceis directis noſtros glomeratim invadunt: noſtri impetum animo infracto expectantes, exploſis fortiter magnaque velocitate tormentis, hoſtes pedem referre ac fugam capeſcere compellunt. Quibus ita fugientibus, noſtri oneratos pedites circumcingunt. Quos, quia præ gravi præda circum collum & dorſum ligata, atque ideo neque fugere, neque ſe defendere poterant, ad unum ferme omnes trucidant, ſternunt, inque uno loco ducentos perimunt, exceptis iis quos paſſim in via hinc atque illinc durante prælio currentes perſecuti ſunt. Regreſſi parta victoria pecus paulo ante miſeris incolis ablatum donant rurſum partim, partim etiam parvo ſytro redemptum domum abducere permittunt. Et mirandum plane cum tantus hoſtium nu-

Sed omnino delentur.

merus eſſet, ita ut quinquies noſtrum excederet numerum, quod ita Deus noſtros ſua divina potentia conſervavit, ut ne quiſpiam vulneratus ex noſtris eſſet. Gratia Deo qui pro ſuis ubique pugnat, neque eos deſerit in tempore mălo & afflicto.

Cædes ducis & cardinalis Guiſii, &c.

Hoc tempore triſtè ex Francia nuncium in Germaniam de occiſo duce a *Guiſa* pervenit. Ut autem iſtud homicidium juxta votum perpetrari poſſet a rege Franciæ Henrico ejus nominis tertio, comitia anno 1588. Septembri quinto decimo indicta ſunt. Ad quæ tam eccleſiaſtici quam ſæcularis ordinis proceres & magnates, quaſi de pace & unitate tam religionis, quam ſtatus politici tractandum foret, publicis edictis vocantur. Quum verò ad præfinitum tempus omnes, uti rex voluerat, non compărerent, Hugonotæ vel Calviniſtæ Navarræo regi conjurati, media, quibus Catholicorum conſilium de ſtabilienda catholica religione; & extirpando Calviniſmo remorarent, apud regem Franciæ miris ſubornatis technis indefeſſi comminiſcuntur. *Romanus pontifex* publicato diplomate proximis annis caverat, ut Navarræus re, omni exuto regio honore, regno privaretur, quippe qui relicta religione catholica, in quam a primis incunabulis uſque in virilem ætatem ſancte juravetat, ad Calviniſmum plane deficiens dilapſus erat. Ut autem executio talis publicati diplomatis ſubſecuta vim ſuam ſortiretur, ea regi Galliæ tunc ſimul a pontifice demandata fuit. Ubi tandem Bleſis Catholici ſimul & Calviniſtæ juxta regis voluntatem convenĭſſent, quilibet eorum regem Galliæ Henricum in ſuam partem pellicere, necnon inclinatum habere ſummo ſtudio ſatagebat. Catholici adhortantur regem, ut tam pro defenſione nominis ſui, quam etiam avitæ religionis Catholicæ totis viribus incumbat, nomen avitamque orthodoxam & catholicam religionem, uti ipſe publicis edictis ſe facturum receperat, defendat, patrumque ſuorum, qui nunquam a fide catholica defecerant, veſtigia firmus inſiſtat, Calviniſmum, uti ſectam abominandam, qua etiam nulla lethalior exiſtat, extirpet, eoque declaret ſe nomini ſuo & titulo, quo Chriſtianiſſimus rex inſcribitur, in poſterum ſatisfacturum. Calviniſtæ, qui regis Navarræi partes tuebantur, e contra regi Galliæ perſuadent, ne Catholicorum conſiliis acquieſcat, ſed potius animum ad regem Navarræum inflectat petunt, quippe qui propinquitatis jure coronæ Franciæ & regno potior eſſet, ſi quando regem ſine prole & herede obire contingeret, & hunc ſemper regi obſequentiſſimum & chariſſimum exiſtere: Ducem verò de Guiſa (qui quoque regnum tamquam catholicus ambiebat) extraneum eſſe, neque ſanguine ita propinquum, ut mortuo regi in regnum Galliæ ſublimari debeat & coronari. Quippe qui etiam Lutetiæ ſuæ majeſtati vi quadam & armata manu jam pridem tantum terrorem incuſſerit, ut rex relicta Lutetia cum ſummo periculo & vitæ diſcrimine vix evaſerit. Rex auditis utrarumque partium querimoniis, anxius quid potiſſimum faceret, diu animo fluctuabat. Tandem ut ſe ab illata jam pridem a duce Guiſano injuria vindicaret, in homicidium jam perpetrandum animum adjecit. Viceſima igitur tertia Decembris anni prædicti, rex ducem ad ſe, tamquam de arduis negotiis conſulturus, clam vocat. Hic mandato regis obſequens, mane hora circiter octava ad regem properat. Venientem jam in atrium, quod ante cubile regis ædificatum erat, quidam ad hoc ſubornatus ducem pugione bis lethaliter vulnerans ad terram ſtravit. Dux acceptis vulneribus ſe magno animo erigens, & ſtricto adhuc mucrone regem petens, a regis ſatellitibus prohibetur, lanceiſque in ſanguine volutans transfoditur, & rege præſente occiditur. Mox cardinalis de Guiſa occiſi ducis frater hoc modo etiam necatur. Item, princeps Jenvillanus ducis occiſi filius occiditur. Item epiſcopus Lugdunenſis, & Amienſis, ad hoc dux Nemurſanus, dux *d'Elbeuf*, comes Briſacus, & mercatorum Pariſienſium ſupremus intendens occiduntur, plurimique alii nobiliſſimi viri hoc facinus minime evaſere. Eodem tempore dux Daumaleus Lutetiæ degebat, hic audito homicidio, ſtatim arcem regiam invadit, eodemque modo in regios graſſatur plurimis occiſis, aliiſque in carceres conjectis. Licet vero tam miſere dux Guiſanus occiſus ſit, vivit tamen adhuc frater ipſius dux *de Mayenne*, cui exercitus fratris hactenus commiſſus fuit, qui etiam, uti catholicus, & Catholicæ religionis ſummus fautor & patronus, exercitum ſub dio conſcriptum atque ad quævis dura ſubeundum paratiſſimum habet.

Anno 1589. in Februario Schenckius & Adolphus comes Murſen ex inſidiis ſub auroram oppidum Durſten occupare tentarunt. Multos ſecum ſicarios alioſque prædones nocte clanculum ad oppidum adduxerant, ut apertis portis vi quadam & armata manu incurſarent. Mane igitur facto, uti in animis habebant perficere tentant, ſed fruſtra. Licet autem eorum multi jam in civitatem irrupiſſent, tamen optata necdum ipſis obvenerant. Cives enim hoſtem adventantem & jam propemodum civitatem ingreſſum videntes, ad arma concurrunt, ſeſe viriliter defendunt, cratere penſili e ſublimi dimiſſo, ita ut nec ingreſſi regreſſum, nec exteri ingreſſum habere nequirent. Ingreſſos trucidant ad unum omnes. Alii e muris ferventi cereviſia, quæ forte coquebatur, a mulieribus procul arcebantur effuſa. Itaque victi, deluſi, fauciique diſcedunt & haud procul *Loë* arcem, pagum quemdam ira

perciti incendunt & penitus comburunt.

De noſtris in proceſſu contra Voiſangelium Holtzvieler.

Eodem anno in vigilia Annunciationis beatæ Mariæ Virginis, conventus noſter ſententiam quamdam contra Wilhelmum Florentii ſive *Voiſangeli* in *Holtzvieler*, apud illuſtriſſimi Wilhelmi ducis Juliacenſis conſiliarios perdidimus, idque ratione 29. jurnalium arabilium prope *Holtzvieler*, de quibus annue percipimus quatuor maldra ejuſdem *Holtzvieler* menſuræ. Cauſa autem quare ſententiam non obtinebamus hæc erat. Ante annos 70. plus minus cœptum erat a conventu ſuper dominio & vera poſſeſſione iſtorum agrorum in *Holtzvvieler* litigari, ibidem ob contumaciam noſtrorum data eſt ſententia contra conventum; ab hac ſententia appellatum eſt a noſtris Marcodurum, nec ibidem a noſtris lis eſt more ſolito ſuis terminis proſecuta, quare iterum noſtri ob contumaciam condemnati ſunt in expenſas & damna, pars vero adverſa in poſſeſſionem veram agrorum declarata, reſervatis tantum nobis annue ex iſtis agris quatuor ſiliginis maldris. His ita peractis, ceſſatum fuit a noſtris quadraginta annis; his elapſis, denuo a male feriatis fratribus anteactum negotium penitus ignorantibus, hæc cauſa denuo ventilari cœpta eſt. In primis apud judices in *Holtzvieler*, deinde Marcoduri, poſtmodum Duſſeldorpii apud illuſtriſſimos conſiliarios. Atque hæc poſtrema lis ultra viginti ſeptem annos continuata duravit, idque haud exiguis expenſis. Nam certum eſt conventum noſtrum hac in cauſa ultra millenos florenos expoſuiſſe. Itaque ſententia contra nos lata eſt duabus de cauſis, quarum prima eſt, quod appellatum non fuerat a noſtris cum Marcoduri ob contumaciam contra nos ſententia lata eſſet. Secunda, quod quadraginta annos a lite ceſſaſſent & nullibi moviſſent. Itaque ob contumaciam & præſcriptionem iſtos agros ex poſſeſſione noſtra perdidimus, compenſatis hinc inde partium expenſis. Neque jam in poſterum umquam ſpes iſtos agros recuperandi relicta eſt; ſed tantum annue quatuor maldrorum ſiliginis hereditarii proventus.

Blienbekanũ caſtrum occupant Hiſpani.

In Julio anni dicti obſciſum aliquandiu caſtrum Blienbekanum Hiſpanus miles conquaſſatis & confractis muris occupat, Geuſiis in deditionem ſuſceptis, iiſque ad fortalitium, ad Schenckium miſſis.

Henrici regis Galliarum cædes.

In Auguſto juvenis quidam generoſus ac magnanimus 20. annorum occiſum Guiſium ab Henrico Galliæ rege, loco patris habens, & tam crudeliter trucidatum multis lacrymis indefinenter plangens, iniit conſilium tam nefandum ſcelus vindicandi. Mentitur igitur monachum ordinis Prædicatorii, ne quis conceptam fraudem aliquam ſuſpicaretur. Fingit ſe tandem ad regem Galliæ habere litteras a parlamento ſecretas, inſuper alia quædam ſecreta ore ad os aperienda ſoli regi. Creditur blandulæ linguæ, admittitur ſolus ad regem ſolum. Porrigit litteras, aliamque ſe in veſtimentis inſutam maximi ſecreti epiſtolam cultro exſcindendam fingit habere. Regem jam valde lectioni litterarum intentum invadit, ſummiſque viribus cultrum in regis ventrem abdit. Rex licet lethali vulnere ſaucius, eodem exempto ex inteſtinis ſuis cultro, fucatum illum monachum tranſverberat, ſauciumque occidit. Rex ita vulneratus 18. horas ſupervixiſſe dicitur. Itaque illi factum, quod fecerat ipſe ante Guiſio. Guiſiani contra regem parlamenti nomine militantes, ubi rei veritatem percepiſſent, quaſi nova virtute ex alto induti, exercitum Hugonothorum, cum non procul ab urbe Pariſiorum abeſſet, invadunt, diſſipant, & ſternunt ad 5. millia hominum. Liga porro ſancta rei novitate audita, ſucceſſorem regi nominat cardinalem Borbonium virum ſenem, & ducem Sabaudiæ regis Hiſpaniarum generum, in coadjutorem.

Schenckius Noviomagũ occupare tentat & miſere perit.

Eodem menſe Schenckius per proditionem Noviomagum occupare tentabat. Venit ipſe cum multis adducens adverſo & ſecundo flumine expoſitotias quaſdam naves. Quidam ex ſuis ante dies aliquot ſenſim in civitatem ſub aurigarum habitu in hoſpitium quoddam Walæ adjacens & muro civitatis inhærens irrepunt. Eadem nocte adventante Schenckio, & muro propinquo, hoſpitem ſuum in civitate capiunt ligantque. Schenckius interea admotis machinis craterem ferreum in penarium hoſpitis lumen ab ripa ducentem & irrumpentes arcentem, vi quadam muro evulſit. Quo amoto catervatim in penarium Schenckiani cum ipſo Schenckio convolant. Hoſpita proditionem, & virum ſuum captum videns, haud mora ad magiſtratum excurrit, hoſtem in ædibus ſuis adeſſe, & proditam civitatem exclamans. Illi haud ſegnes, cives omnes in armis eſſe continuo mandant. Omnes dicto citius adſunt, bombardas jam pila & pulvere inſtructas verſus ædes a Schenckianis occupatas movent, dirigunt, explodunt, ædes adeo concutiunt ut ſub pedibus mugire ſolum videretur. Schenckius intellecto fraudem & proditionem ſuam detectam, neque ulterius reſiſtere poſſe, unde venerat ſe rurſum recipit, atque in pedes ſe conjicit. Haud procul a litore ſcaphæ vacuæ militibus ſtabant: Schenckius in unam earum inſilit, ſequuntur alii ſui fugati ad Schenckium, ſcaphæ catervatim inſiliunt: quum vero ſcaphæ inſilientium numerum & pondus ferre nequirent, merguntur. Sicque Schenckius una cum ſuis multis ſubmerſus eſt. Nautæ expoſitarum navium ſe deluſos cernentes, præciſis anchoræ funibus evadunt. Cives quærentes Schenckium ſubmerſum, poſt alteram

diem inveniunt. Inventum in quatuor partes diſſecant, atque quatuor partibus civitatis dependent, capite in ſtipite ferreo ſuffixo, & portæ civitatis ut longe videri poſſet extento. Itaque cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt, quia Pharaonem Schenckium & exercitum ejus projecit in Walam.

Adolfi comitis Murſenſis infelix caſus.

Sequenti menſe Octobri Dominus Deus omnipotens vindictam quoque de perfido illo comite Adolpho Murſenſi Calviniſta, & principali hæreticorum in terram Colonienſem duce, ſumere volens quemdam æneorum novorum tormentorum fuſorem, novam quamdam machinam excommuniſcendi poteſtatem habentem, excitavit & tradidit Arnhemiæ. Sub veſperum illam machinam probaturus comes ad cancellariam, ſtipatus uno comite faculam ardentem in manu geſtante venit. Ibi forte ſcintilla ex facula decidens pulverem tormentarium ex improviſo accendit, cujus vi circumſtantes proſtrati igneque ſuffocati ſunt, ſolarium in quo ſcribæ jam ſuis rebus intenti ſedebant, ſubverſum, feneſtræ circumquaque, lapideſque magnorum ponderum excuſſi, quo caſu & comes miſere deformatus & exuſtus delituit, inventus ſemivivus ad conclave ſuum defertur. Convocantur medici, undique laboratur, ut vitæ tantus comes reſtitui poſſet, ſed fruſtra. Facies pulvere cremata magnitudine duorum capitum excreſcit, oculi viſu privati occœcantur, carnes e coſtis laterum maturæ & decoctæ partibus magnis extrahuntur, etiam ſua ſponte diffluunt, ita ut etiam viſcera jam tanta ignis ſulphurei vi putrefacta facile cernerentur. Denique tantus fœtor ex corpore ſemicremato erupit, antequam mori poſſet, ut nemo medicorum vel quiſpiam miniſtrorum propius accederet. Moritur tandem, cum in tanto cruciatu diebus 14. miſere jacuiſſet, decima octava menſis Octobris mane hora quarta. Vide judicium Dei quam ſit abyſſus multa, quomodo tandem puniat eos, quos ut alios propter peccata puniant, emittit & excitat. Uterque talis fuit & Schenckius & Murſenſis comes. Hi agrum Colonienſem, civitates Noveſium & Bonnam, pagoſque plurimos ſpoliarunt, vaſtarunt, occuparunt, incenderunt, ſubverterunt. Ubi finis ſcelerum jam aderat, utrumque Deus in adverſantibus ſibi clementis morte repentina & inexpectata punivit. Hic in igne ſulphureo, qui Phyſicorum opinione violentior naturali creditur, extinctus; alter in profundo Walæ ſuffocatus eſt. Prophetiam Davidis in hunc comitem veram invenimus. Fiant ejus dies pauci & comitatum ejus accipiat alter. Fiant filii ejus orphani (quos tamen Deus illi non dedit) & uxor ejus *Jezabell* vidua. Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam ejus, & diripiant alieni labores ejus... Rex Philippus invaſit comitatum ejus, Salentinus præfecturam in civitate Colonienſi, ceteraque oppida archiepiſcopus Colonienſis, & Wernerus comes ab *Reifferſcheidt* Bedburium cum omnibus attinentiis, ita ut plane nihil propinquioribus ſit relictum ſub archiepiſcopo Colonienſi, vel alias ſub duce Juliacenſi.

Pſal. 108.

Anno 90. cum tandem multas prædas Geuſii Berckiani ex diœceſi Colonienſi accumulaſſent, atque excurſiones porro exercere ob regios milites, qui circum a longe Berckam obſiderent, non poſſent, atque ideo inedia & fame ſupra modum premerentur, cum hoc non lateret comitem a *Manßfeldt* regii exercitus primarium capitaneum, Berckianos in deditionem coëgit. Tertio Februarii anno 90. egreſſis Geuſiis, intravit comes cum regiis, invenitque oppidum ſatis quidem vallo foſſaque & muro munitum, ſed domibus plane everſis ob ligni penuriam deſolatum. Occupantur Geuſii hoc oppidum ab anno 83. uſque in præſens tempus.

Geuſii ex Berkia expulſi.

Relictum Noveſium a Caſparo *Blanckenmaiere*, Johannes dominus de *Milendonck* nomine regis Hiſpaniarum occupat, præſidium locat, & cives & clerum omnem inſolitis exactionibus emungit & gravat, quod ſui anteceſſores non attentarunt, ſaltem ut ſtipendium militibus ſuis numeretur. Clerus e contra ſe opponens reverendiſſimi conſiliariis, ſupplicat: nihil inde auxilii domum reportat.

Caſparus Blanckenmaiere Noveſium ex liquidato Johanne de Milendonck occupandum.

Hoc anno cœperunt Clariſſæ ſuum reparare monaſterium, & tota ædificia conſummarunt, ita ut menſe Julio intrantes, ipſaque 22. ejuſdem menſis primum miſſam celebrarent.

Clariſſæ Noveſienſes ædificium monaſterium Noveſii.

Hoc anno in vigilia Jacobi, conflagratum eſt totum tectum celebris illius collegii Bonnenſis, templi igne cœleſti tonitru vehementi incenſum. Erat plumbo per totum exornatum tectum, & damnum cenſetur ad centum millia florenorum. Tempeſtas vehemens erat, tantuſque horror & ſonitus auditi, ita ut cives cum uxoribus & liberis ad Rhenum fugientes, ſe ſcaphis immittere & tranare cuperent.

Bonnæ ſcilicet collegium tectum igni cœleſti conflagrans.

Hoc anno Geuſii fortalitium ultra ripam Walæ contra Neomagium locant, muros, domus & portas circa Walam mirum in modum quatiunt, tectum de turri majoris templi globis dejiciunt ferreis. Parmenſis cum ſuo exercitu opem Neomagenſibus ferens, irrumpit ultra Walam cum equitibus & peditibus. Geuſii ex inſidiis impetum facientes quingentos equites obtruncant, multos captivos abducunt. Parmenſis relicto Neomagio Bruxellas applicat. Haud longe poſt Geuſii obſidentes Neomagium vi occupant: cives nullum auxilium ſibi videntes, in deditionem Geuſiorum veniunt.

Geuſii Neomagum occupant.

Hoc anno Johannes dux Juliæ mania plectitur, ita ut mentis plane compos non eſſet. Duciſſa Jacoba filia Badenſis gubernandi avidiſſima, apud Rudolphum II. imperatorem interceſſione Erneſti Bavari archiepiſcopi Colonienſis ſummo niſu laborat, ut omnium ducatuum & comitatuum regimen illi ad vitam concedatur, ſe hoc acturam cum imperatore, ut ducatus & comitatus omnes ad imperatorem veniant. Imperator valde increpans duciſſæ dominandi libidinem, reſcribit, ſe id, quod præter omnem æquitatem pugnat, numquam in regno concupiviſſe, neque a quopiam duce vaſſallo extorſiſſe. Quantum vero ad vaſſalli jura ſuo id tempori reſervandum.

Geuſii Bredanam occupant.

Anno 92. Geuſii Bredanam aſtu occupant, expulſis Hiſpanis. Parmenſis Hiſpanorum intellecta incuria excandeſcit, & primores capitaneos decollari extemplo juſſit. Hoc anno mortuus eſt Parmenſis Bruxellis, atque ibidem magna cum pompa ſepultus. in ejus locum a rege Hiſpaniarum ſuffectus eſt comes de Fonte Hiſpanus.

Toto illo tempore quo dominus de *Milendunck* Noveſium occupat, tot tantiſque exactionibus civem & clerum Noveſienſem emungit & fatigat, ut etiam majori damno affici haud a quoquam potuerit, archiepiſcopo nec capitulo ad hoc minime conſentiente. Nil potuit quoque nec ſenatum, nec civem, denique nec clerum juvare perpeſſis in obſidione tot calamitatum & miſerarium generibus; licet in medium adducerent conflagratas ædes, raptam ſuppellectilem, omniaque bona mobilia in prædam abacta, ſuaque corpora uxorumque & liberorum magno lytro bis tam a Geuſiis quam ab Hiſpanis redempta, eos ab incœpto Milendunckii eximere non potuit. Reſpondens ſaltem ad objecta, ſimiles eſſe cives ſacco farina jam vacuo, qui tam bene expurgatus eſſe nequit, quin, ſi vel levi baculo percutiatur, aliquis poſſit pulvis excuti: ita & cives tam emunctos non eſſe, quin quoque aliquantæ contributiones pro præſidiariis extorqueri poſſint. Unde factum eſt quod tam cives quam clerus immenſam illi pecuniam numerare vi quadam coacti ſint.

Deputatum expenſis ſuis pro contributione dierdenarum.

Nos ſane pro rato noſtro ab iſto tempore uſque ad.... anni pro contributione noſtra numeravimus.... florenos curr. aliquando ſingulis diebus dalerum, alias tres, alias quatuor ſtufferos, exceptis quibus & ſenatus nos vexarat vectigalibus a Milendunckio edoctus, & nomen luminare vectigal imponens annue 25. dal. Denique his malis aliquandiu cives ita gravati, cœperunt clancularia conſilia inire de ejiciendo præſidiario milite, una cum capitaneo ſuo Milendunckio. Gerebantur hæc omnia inter cives, inſcio tamen ſenatu. Opportunitate itaque data, dum pars præſidiariorum quadam die qui erat..... menſis... anni 93. ad agendas prædas, quod ipſis haud infrequens fuerat, ſub veſperum emitteretur, numeruſque parumper diminutus putaretur, atque jam portæ civitatis clauſæ eſſent, cives quidam (quorum anteſignanus Petrus *Loer* erat) clanculum convenientes, de ejiciendo præſidiario milite conſilia concludunt, idque perficiendum ſtatuunt media nocte in puncto horæ duodecimæ. Conſilia hæc civibus aliis jam excubias per muros obſervantibus, per fidum quemdam obambulando intimantur. Deſignata hora jamjam inſtante, Petrus ſumto unico famulo, ac puero ſuo, muros quaſi vigilias exploraturus aſcendit, ſtantes in excubiis cives blande hortatur ut ſtrenue partes contra præſidiarios tueantur, ſtativas ſuas firmiter teneant, nec illæſos præſidiarios præterlabi ſinant, ſe Dei adjutorio & cives & clerum ab iſta gravi Milendunckiana ſervitute liberaturum. Tranſiens vero cives, quoſcumque invenerat milites evaginato gladio trans murum in vallem projecit. Mox ſignum exploſa bombarda dari jubet. Quo facto & ſonitu audito, mox cives per murum edocti, proximos quoſque milites capiunt, armis denudant & vinciunt. Renuentes multis verberibus ad hoc cogunt. Alii porro cives ſenatuſque hujus rei ignari audito ſtrepitu & maximis clamoribus, conſternantur, putantes hoſtem denuo civitatem invaſiſſe, ſed re, uti erat, intellecta, ad arma confugiunt, civibus ſuis ſuccurrunt, milites capiunt, captos in penarios quoſque obvios adhibitis cuſtodibus conjiciunt. Nolentes ſeſe dedere transfodiunt. Quorum de numero erat quidam nobilis proſapiæ nepos Milendunckii (*Fronſberger*) qui nocte ictus ac confoſſus occubuit. Jam ſuperatis militibus qui ſupererant fuga ſalutem quærunt, atque ſeſe in portam ſuperiorem recipiunt, cives inſequentes portam oppugnare inſtituunt. In principiis uxores & liberos militum ponentes, cives vero poſt principia pugnabant. Elevatis autem vocibus & uxores & liberi omnes vociferantes deditionem orabant, atque ut ſibi parcerent ſublatis in altum manibus proclamabant. Deditione itaque facta dimittuntur omnes præſidiarii una cum uxoribus & liberis, cumque tota ſuppellectili ſua, atque civitate expelluntur, Milendunckio fruſtra iſto die ante portam præſente & obtinente. Magnam hinc Petrus conſecutus laudem, ab omnibus conſalutatur & inauguratur pro tanta parta victoria; in capitaneum jam liberatorum a tanta ſervitute miſerorum civium eligitur. Archiepiſcopus intellecto hoc eleganti ſtratagemate, ob neſcio quas cauſas haud laudare potuit, ſed miſſum novum militem, civitatem occupare ſuo nomine mandat: cives reſpon-

Noveſienſes præſidiarios milites urbe ejiciunt.

dent, ſe ſatis ſuperque a militibus exeſos & vexatos, ſuam civitatem ab incurſione hoſtium porro tutaturos reſpondent. His contentus eſſe noluit archiepiſcopus, miſſis conſiliariis civitatem patefaciendam ſuiſque militibus cuſtodiendam cupit. Recuſant cives, & perſiſtunt in opinione ſua firmiter. Et licet multis in comitiis de tradenda civitate actum ſit, tamen cives ad hoc induci nequeunt, ut archiepiſcopo ſe in ſervitutem cum ipſa civitate ſubjiciant, putantes libertatem nec auro vendi debere. Si quando in poſterum ſubjicerentur archiepiſcopo actum eſſe de ſua libertate, præclariſque privilegiis a Frederico III. Romanorum rege conceſſis. Milendunckius accepta tanta clade, in ſenatum & cives fremere, dira minari, acheronta movere, quoſcumque reperire potuit occidere, alios captivare, frumenta jam matura ruri incendere, nemini denique parcere, ad ulciſcendum pronus paratuſque eſſe. Senatus inſolentiis hujuſmodi percitus, conqueritur archiepiſcopo & capitulo majoris Eccleſiæ auxilium petentes. Quum partim ſpei inde enatum viderent, ſubito ad cameram dato ſupplici libello Milendunckium evocant. Ille ratus hanc ſibi illatam contumeliam non ad cameram, ſed jure belli ad regiam Bruxellenſem pertinere, erat enim capitaneus regi Hiſpaniarum parens, cum ſubditis ſuis militibus, nec cauſam cameræ imperiali ſubiici debere exiſtimans, Senatus non attentis regiis mandatis, in camera procedunt, Milendunckio ſub banno imperiali mandatur ut pareat. Sic utrobique cauſa adhuc indeciſa ventilatur & diſputatur.

EXCERPTA EX AMELGARDI PRESBYTERI LEODIENSIS LIBRO II. DE GESTIS LUDOVICI XI. FRANCORUM REGIS.

Ex MS. codice bibliothecæ regiæ.

OBSERVATIO PRÆVIA.

AD illustrandas res Colonienses, Geldrenses, Novesienses, aliasque de quibus hactenus Annales Novesienses, atque etiam Leodienses, quas modo repræsentabunt subsequentes scriptores rerum Leodiensium, operæ pretium existimavimus quædam hic interserere excerpta libri II. *de gestis Ludovici* XI. *auctore Amelgardo, descripta ex ms. codice bibliothecæ regiæ. Fuit autem Amelgardus presbyter Leodiensis, Carolo* VII. *Francorum regi familiarissimus, cujus vitam ac filii ejus Ludovici* XI. *eleganti stilo litteris mandavit. In ea, data occasione, singulares sed funestos patriæ suæ eventus tamquam testis oculatus recensuit. Sic enim Caroli* VII. *gesta incipit:* Carolus VII. illustris Francorum rex, quem ipsi & sæpe vidimus, & cum quo plures collocutiones familiariter habuimus, Caroli VI. filius fuit. *Et in præfatione:* Nobis autem visum est duorum Francorum regum nostri ævi ac temporis res gestas, quas magna ex parte vel ipsi vidimus, vel talibus consequuti sumus auctoribus, de quorum fide minime foret ambigendum, litteris ad posterorum & cautelam digerere & mandare.

CAPUT VIII. LIBRI II. *De eruptione Leodiensium ad arma per regem concitatorum in terras ducis Burgundiæ, & convitiis ac probris quæ in eum & suos jactitabant.*

ROthomagi vero deditionem, quæ totius est metropolis,& velut mater provinciæ, etiam aliorum plurium oppidorum atque civitatum patriæ deditio secuta est, ut Diepæ, Harefluti, Calidobeci, Honnefluti, Luxovii, Cadomi,& omnium ferme oppidorum atque civitatum inferioris Normanniæ defectio. Nam cum ad singula loca dux Borbonii prosequens,a se satis feliciter post deditionem Rothomagi capta, aliquas cohortes armatorum transmitteret, qui promittendi uberes plurimum & copiosi erant, quemadmodum ipse etiam erat, paucis exceptis locis, raram aut A nullam repulsam invenerunt, sed omnes parendi atque obediendi domino Carolo promtos ac devotos. His autem rex acceptis novis, & defectione Rothomagensium & aliorum oppidorum, valde animo consternatus fuit. Princeps vero conjurationis, & illi potissime qui conjunctiores domino Carolo erant valde exhilarati, & spei melioris effecti: unde rex videns & existimans non minus facile posse quæ adhuc teneret perdere, B quam Normanniam perdidisset, ut cum principibus tractatum honestum inveniret, treugas cum eisdem fecit. Quibus firmatis, cum eisdem per plures dies collocutus est, studens semper & enitens, nonnullis magna promittendo, aliis adversus alios zeli & livoris faces accendere, ut eos a se invicem & animis & corporibus quibuslibet artibus disjungeret atque separaret. Practicaverat

autem ipſe rex, & in arma concitaverat per plures legatos & epiſtolas Leodienſium populos adverſus Burgundicnum ducem, qui ſatis ad id proclives propter inveteratum odium, quod a multis temporibus ſemper ad Burgundiones, eorumque principes habuerant & habebant, atque faciles extiterunt. Unde exiſtimantes ſe opportune occaſionem nactos ſuas veteres acceptas injurias ulciſcendi, eo quod crederent comitem cum omnibus copiis quas eduxerat numquam ad terras ſuas fore rediturum; magnaque & mira ſe facturum rex eiſdem promitteret, erumpentes cum magno furore atque ſævitia, terras Brabantiæ, & de *Limborch*, atque agros Namurcenſium igne & ferro populare aggreſſi ſunt: plures villas ſeu villagia, & ſupra ducentarum numerum, plurimaque utilia agrorum ædificia cremantes, in favillas & cineres eaſdem redegerunt: ſtulti quidem & temerarii valde. Ipſi enim qui olim Eburones appellati ſunt, ripas fluminis Moſæ & vicinos ultro citroque agros incolebant, urbemque habebant valde inſignem Leodium nomine, eccleſiarum ſolemnium, monaſteriorum, opum & populorum magna copia & numeroſitate refertam, cum plurimis oppidis munitis atque villis ac vicis. Tanta vero temporali pace, libertate, atque tranquillitate gaudebant, quod nulli populi, non modo in tota Gallia, ſed nec in tota Europa, in tranquillitate & libertatis jucunditate ſimiles ſciebantur. Nam cum nullo temporalis imperii faſtigio premerentur, ſed ſolum ſuum pontificem pro domino & patriæ parente haberent, nulla tributa aut vectigalia, quæ ſolent exigere & imponere aliæ etiam liberæ civitates, agnoſcebant; ſed plenaria libertate & tranquillitate potiebantur. Cujus ſiquidem felicitatis temporalis, ſi id eorum petulantia atque ſuperbia animadvertere potuiſſet, cuſtos & protector abſque aliquo eorum ſumtu vel gravamine dux Burgundionum erat; cum quo ſi in pace permanere ſciviſſent, nullus niſi fractis ejus primum, proſtratiſque viribus, qui tum princeps potentiſſimus erat, eoſdem in dicta tranquillitate & pace perturbare potuiſſet: erant enim ex omni ferme parte terris & dominiis ſuis circumſcripti, ad eoſque vix ulli hoſti, niſi primum irrupiſſet ipſas Burgundionum terras, penetrandi facultas eſſe poterat. Habebant autem cum Burgundionum duce fœdera jam antiqua, ſacramentis & magnis pœnarum adjectionibus roborata, quæ nimium temere & perfide, dejunctis quibuſdam parumque firmis promiſſionibus, confiſi terminare præſumſerunt. In terras igitur ac ſubditos præfati ducis, qui nullatenus eos impetens ſeu inquietans, protector & clypeus, ut diximus, ſuæ tranquillitatis & tantæ libertatis gratis & ſine ſumtu erat, irruentes, ipſas igne ferroque vaſtabant. Erat tum Brucellæ, Brabantiæ nobili oppido, ipſe illuſtris Philippus Burgundionum dux, qui videns populari hoc modo terras ſuas, ſuoſque ſubditos graviter affligi, ſtatim quam potuit ex nobilitate, quæ reſidua prope ſe inveniri poterat, (nam filius ſuus comes *de Charolois* omnem pene nobilitatem & militiam terrarum patris ſui ſecum in Franciam traxerat) manum aliquam aſcivit atque aggregavit, ut dictis ſtolidis atque fidefragis Leodienſibus obſiſteret, eorumque ſiſteret incendia: quæ manus, numero ſatis exigua, armis tamen, animiſque inſtructa, conatus ipſorum Leodienſium ex parte repreſſit, in ſuiſque agris & villis incendia miſcens, vicem eis non modo parem ad ſortis æqualitatem, ſed cum magnis fœnore & uſuris rependit. Semel etiam cum in patentes campos exiiſſent apud villam cui *Montnache* nomen eſt, & multa millia ex vulgo terræ aggregati illic eſſent, nobilis & clariſſimus comes de *Naſſau* ſeneſchallus Brabantiæ, dominus de Breda, cum parva manu cum eis congreſſus, ipſos fudit atque fugavit, cæſis ex eis prope duobus millibus & quingentis. Sed nec tali clade ſuſcepta, nec metu potentiæ tanti principis coerciti, aut deterriti a ſua ſtoliditate reſiliebant: quin potius velut quadam rabie aut inſania acti, pejora prioribus facere jactitabant. Et nedum talibus impiis actibus, ſed & vipereis linguis omnibus telis ſæviotibus & intolerabilioribus, in ſui exitium præfatorum illuſtrium ducis & comitis unigeniti ſui benignitatem & clementiam provocantes atque exaſperantes. Facile enim non poſſent dici probra & convitia, quæ illi miſeri ſtolidi & fatui in præfatos principes, & nobiliſſimam dominam matrem præfati illuſtris comitis, patris ſui conjugem probiſſimam atque caſtiſſimam ſuis venenatis jaculabant linguis, & præſertim illi de Dinanto oppido, opibus & divitiis, unde eiſdem magna ſuperbia & luxus proveniebant, quæ ex rebus ſecundis oriri ſolent, tunc procul dubio locupletiſſimo. Qui etiam Dinantenſes in tantum procacitatis & veſaniæ proruperunt, ut auſi ſint ſimulacrum præfati illuſtris comitis *de Charolois* in publica platea ſui oppidi erecto patibulo ſuſpendere, & publice proclamare & decantare irriſorie per totum ſuum oppidum, ut orationes & ſuffragia pro ejus anima fierent, qui in patibulo Pariſienſi, dicto Monsfalconis, ſuſpenſus foret; quod quam verum id eſſet, quamque id ab ipſis ſtultiſſime & inſaniſſime actum extiterit, ipſi nondum emenſo anni integri curriculo, ſuo atque ſui ſuperbiſſimi oppidi exitio & incendio comprobarunt, ut & poſtea ſuo loco etiam referemus.

CAPUT

CAPUT IX. *De reſiſtentia facta Leodienſibus per ducem Burgundiæ, & pacificatione inter regem & principes, & reditu comitis* de Charolois *ad terras; & defectione ducis Borbonii a ceteris principibus.*

IGitur cum dicti ſtolidiſſimi Eburones ſive Leodienſes, rupto inconſultiſſime ſuæ pacis & tranquillitatis fœdere, per regem adhuc incitati & ſollicitati, talibus inſanis & execrandis ſuis artibus, in patriæ ſuæ ſuumque exterminium, præfatorum illuſtrium & potentiſſimorum principum vires potentiamque armarent & excitarent, miſit dux Philippus pater, qui ſenex & jam grandævus Bruxellæ incolebat, ad comitem *de Charolois* filium ſuum nuntios & epiſtolas, præcipiens, & ſub pœna paternæ indignationis interminans, quatenus cum ſuo exercitu mature & ad ſe ſuaſque terras rediret, ut eas contra inſanos ac nefandos auſus Leodienſium tutaretur, ſuſceptaſque ab eis ulciſcerentur injurias: in dies namque prioribus deteriora cumulare ſatagebant, & velut a furiis infernalibus juxta poëtarum fabulas exciti, nihil aliud quærere quam ſui & proximorum atque vicinorum exterminium videbantur. Suſceptis itaque paternis mandatis, coactus fuit ipſe comes quales potuit, pro emergentis ſibi neceſſitatis conditione, a rege tam pro ſe quam aliis principibus pacis conditiones accipere: quas quidem rex, qui toto anniſu, ut diximus, eorum diſceſſum ac ſeparationem a ſe invicem perquirebat, libens conceſſit; fecitque tractatum per quem domino Carolo germano ſuo pro ſua hereditaria ſucceſſione paterna Normanniam aſſignabat, domino vero comiti *de Charolois*, Ambianis, Abbatisvillam, & alias terras ſupra & ultra flumen Summonæ, quas paulo ante ſumma quadringentorum mille ſcutorum, uti ſupra retulimus, redemerat, iterato tradidit, ab eo ſuiſque heredibus perpetuo tenendas & poſſidendas: de forma tamen & conditionibus nolumus contentioſi cum aliquo eſſe, ad tenorem litterarum confectarum deſuper pro certiore notitia remittentes. Simulabat autem rex maximas tunc habere & copulare velle amicitias cum præfato comite, honores ei magnos, & ultra quam ſibi exhiberi optabat, deferens atque exhibens; unde etiam paulo poſt ipſius receſſum, hujuſmodi terris ſibi traditis quatuor præpoſituras ultro nec requiſitus adjecit, ut hac amicitiarum ſpecie, plus de ejus gratia, minus vero de ejus ſimulatione & dolo ſuſpicari permitteretur. Sed quo id ageret animo, quamque ſibi hujuſcemodi veluti eſcarum melle illitarum integumento lethiferum tegeretur, lateretque venenum, rerum eventus quæ paulo poſt ſubſecutæ ſunt, & per regem geſtæ, omni ambiguitate ſemota declararunt. Recepit itaque a rege quæ tunc petiit, tam pro præfato domino Carolo regis germano, quam pro ſe comes illuſtris: quantum autem pro aliis egerit principibus factionis, quidve pro eiſdem a rege obtinuerit, non ſatis compertum habemus; niſi quod generaliter omnibus tam principibus quam vaſſallis eorum, & qui eis in hujuſcemodi inſurrectione ſervierant, omnia plene, quantum chartæ membranæque ſuſtinere potuere, condonata ſunt, & ſingulis utrimque ſua omnia quæ capta eſſe potuerant, tumultuante hujuſmodi ſeditione, reſtituta, ſacramentiſque ſolemniter præſtitis, hinc inde fuere firmata omnia quæ conventa, atque hinc inde ſtipulata fuiſſent & promiſſa, debere perpetuo inviolabiliterque ſervari: quod quantam in effectu executionem & obſervantiam habuerit e veſtigio oſtenſum eſt, ut paululum poſt latius referemus. Sed & de bono publico, ſeu cujus ſpecie & titulo tota hæc factio exortum habuerat, nullus, aut ſatis ſterilis & infructuoſus ſermo habitus. Tantummodo hoc intelleximus, triginta ſex viros ſolemnes, duodecim eccleſiaſticos, duodecim ex nobilitate, & duodecim ex communi & inferiori ſtatu, communi tam regis quam principum aſſenſu fuiſſe delectos, quibus pro bono publico, & inſtauranda in meliorem formam republica, quæ non modo dilapſa, vel deformis, ſed ut jam ſupra dixiſſe meminimus, procul dubio penitus extincta nullaque jam erat, ſola pro omni ratione, voluntate imperante, poteſtas dabatur in unum conveniendi, & concipiendi, & decernendi quæ pro eadem reſtituenda, & ex velut mortua rediviva efficienda, utilia atque ſalubria eſſe viderentur: ſed quis inde effectus vel profectus poſt principum diſceſſionem ſperari poterat, cum profecto liberius poſt, quam ante elatius atque ambitioſius, unius ſolius regnaret arbitrium; a quo etiam quibuſque, quantumvis boni zeli forent, principibus ad hanc ſanctam intentionem & finem laudabilem ſe ſubvenire exiſtimaverant: nihil aliud quærentes aut ſperantes, pro maximo probro & convitio objiciebatur & exprobrabatur, quod ipſi de bono publico extitiſſent. Nihil itaque ab illo ter duodeno virali judicio penitus conſtitutum eſt, nec unus poſt principum diſgregationem, niſi cum ſui eminentiſſimo periculo capitis, de conveniendo in unum pro hujuſcemodi cauſa, vel etiam de ea re mentionem facere ullatenus auſum aſſumere potuiſſet. Et certe talis proviſio cuilibet, vel tenuiter ſapienti inefficax atque inutilis prorſus facillime videri poterat, imperio ac poteſtate in illius manu permanente, qui omnia ex ſuo pendere volebat arbitrio, nihilque amplius execrabatur vel exoſum habebat, quam quod illa ſua ſumma poteſtas aliquibus legum vel juſtitiæ moderaretur frenis; ſimilis profecto illis ſpiritibus

refugis, qui neglecta juſtitia, ſolius fervent flagrantque ambitione poteſtatis: propter quod ut ſupra tetigimus, quamplures hujuſmodi principum conjurationem, & ab initio, & ex poſt facto, deteſtati ſemper & abominati fuerunt, ex eventu ſolum, & exitu rerum, humanorum actuum bonitatem vel malitiam metientes, de quo ſatis ſupra, quantum locus poſcere videbatur, a nobis diſſertum eſt, qui qualem quiſque intentionem animo haberet, ad certum judicare non poſſumus; & difficile plurimum eſſet quin in tanta multitudine plures potius ſua privata commoda, quam fructum reformationis reipublicæ, & boni publici utilitatem conſectati fuiſſent. Sed etiam non adeo malam de multis qui inter eos erant æſtimationem juſte habere poſſemus, & omnes dumtaxat quæ ſua ſunt quæſiviſſe, nihilque de bono publico curaſſe damnemus. Cum itaque de hujuſmodi tractatu & pacificatione facta anno Domini 1465. menſe Novembri apud villam ſeu caſtrum ubi ſunt in unum confluentes Sequana & Yſara, dux Borbonii, qui tum adhuc Rothomagi erat, nuntium certum accepiſſet, ilico dimiſſa Normannia verſus Pariſios, ubi erat rex, ſtuduit reverti, dimiſſis Britonum copiis quas ſecum duxerat, cum nonnullis de ſtipendiaria regis militia, qui partes ſuas ſecuti fuerant; primuſque principum omnium male de aliis contentus, eo quod ſe velut contemto & poſthabito, nihil ſibi a rege obtinuiſſent, aut non quantum optaſſet, rupto fœdere ad regem acceſſit: qui libenter eum ad ſe retrahens, qui potens & magnus princeps erat, plurimos ſibi & germanis ſuis honores & munera contulit. Abiit autem & receſſit cum feſtinatione ad terras ſuas, ſui parens optimi genitoris imperio, comes *de Charolois*, ut ſtolidos & inſolentes Leodienſium conatus retunderet: qui profecto ſi non tam mature diſceſſiſſet, potuiſſet dominum Carolum in Normanniam ſibi aſſignatam & traditam ſociaſſe, veriſimiliter eum de eadem pellere auſum rex minime accepiſſet: quemadmodum ſtatim, poſtquam terga ad ſua rediens idem comes verterat, ipſe effecit, ut ſtatim paulo poſt referemus.

exiens verſus Leodium, trajecit in campos prope finem menſis Januarii, in quos etiam cum civitate Leodio multitudo populi male armata & ſine ordine exiliiſſet, paucis ex eis cæſis exterriti, ceteri pacem & veniam petierunt: quam quidem ipſe illuſtris comes ex conſenſu patris, qui ſenex & grandævus ſtabat Bruxellis, certis legibus dedit, minime tamen Dinantenſibus in ea comprehenſis, qui ceteris Eburonum populis procaciores & ſtolidiores erant. Et quoniam ipſi Leodienſes antiquo pacis fœdere nequiter a ſe violato, pœnas in eo comprehenſas incurrerant, damnaque permaxima in terris finitimis Brabantiæ & comitatus Namurcenſis aliiſque adjacentibus ad ducem Burgundiæ ſpectantibus intulerant, quemadmodum ſupra retulimus, in ſuæ perfidiæ pœnam, damnorumque a ſe datorum nonnullam recompenſam, quingentis millibus florenorum Rhenenſium multati ſunt. Quam ſummam per certos terminos dependere haberent. Simul etiam ut ex ipſis ſupra ducentos, quos Burgundionum dux duceret nominandos, venirent Bruxellam flexis genibus a duce ſupplices veniam deprecaturi, ſigillataſque litteras de capitulis conceſſæ & a ſe acceptatæ pacis ſecum afferent, damnati ſunt. Et hoc quidem adimplerunt, pace hujuſmodi litteris & magnis ſacramentis roborata, nonnullos etiam ſolutionis terminos ſummæ prædictæ, in qua multabantur, obſervarunt. Adveniente autem æſtate, cum illi inſenſati & furioſi Dinantenſes non modo a ſuis probris & contumeliis, quas in præfatos illuſtres principes jaciebant, ſe non cohiberent; ſed etiam eiſdem impia facta incendiorum atque prædarum in terras Burgundionum in ſui exitium accumularent, non valentes iidem principes illuſtres tantam ultra eorum perferre veſaniam, iterum expeditionem validam ad contundendas eorum nequitias, adverſus eos coëgerunt, & eamdem quidem illi illuſtriſſimo PHILIPPO jam morbis ac ſenectute confecto, non ſatis fuit, hanc uti præcedentes expeditiones filio ducendam committere, niſi perſonaliter etiam ipſemet eidem intereſſet. Cum enim ipſi fatui Dinantenſes, nedum ejus filium, cujus ſimulacrum, ut ſupra retulimus, veluti affixi patibulo ſuſpenderant, ſed etiam ſeipſum & generoſiſſimam atque honeſtiſſimam dominam ejus conſortem, quondam regis Portugalliæ filiam acerbiſſimis ac fœdiſſimis contumeliis laceſſiſſent, nec ſeſe ab eis ullo modo cohiberent, non exiſtimabat ad patres ſuos feliciter apponi poſſe, ſi ad tempus uſque dormitionis ſuæ hanc tantam injuriam reliquiſſet inultam. Et hactenus quidem a tempore fœderis, quod rex cum illuſtri comite *de Charolois* præcedente hieme prope Pariſios pepigerat, & ſibi terras donaverat, quas paulo ante, ut diximus, quadringentis mille

CAPUT XVI. *De expeditione ducis Burgundiæ contra Dinantum, & de ſimulatione regis Francorum, fingentis ſe velle dare in matrimonium comiti* de Charolois *filiam ſuam, qui ob eam affirmationem copulandam, legationem ſolemnem ad regem deſtinavit.*

CUm vero hæc ita per regem adverſus fratrem ſuum & partium ſuarum ſtudioſos factitaret, illuſtris comes *de Charolois*, qui, ut diximus, adverſus Leodienſes, ut eorum motus comprimeret, ſuam duxerat expeditionem, e S. Trudonis oppido, quod eidem tunc propinque parebat epiſcopo,

ſcutis redemerat, aliis etiam poſtmodum ſponte propria adjectis, exiſtimabant ferme omnes amicitiam magnam & gratiam eumdem comitem apud regem inveniſſe. Appellabat eum, quotiens ad eum ſcriberet, filium ſuum, & primogenitam filiam ſuam ſe in conjugem ei velle dare aiebat. Obierat quidem conſors ejus nobilis domina filia ducis Borbonii defuncti, moderni ſoror, tempore quo eum expeditio Montis-Hericii prope Pariſios adhuc detinebat, ex qua filiam unicam ſuſceperat. Et quamquam tale ſortiri conjugium, eo quod hujuſmodi filia nec matura viro, nec ad complexus viriles ad annos plures ob juventutem habilis eſſe poterat, nec ſibi nec ſuorum accolis dominiorum placitum ſatis eſſet; tamen ut acceptum gratumque ſibi fieret, rex plurimum curare videbatur, promittens etiam dotis nomine amplas terras lataque dominia ſe daturum. Aiebant enim, & ita vulgo ferebatur, quod ei offerret dare Campaniam, cum nonnullis aliis terris adjacentibus, quas cum utrum ſatis ſecure accipere poſſe ac retinere ipſe illuſtris comes ambigeret ſeu diffideret, miſit Pariſios nonnullos peritos juris de ſuo conſilio, qui illic perquirerent ac inveſtigarent diligenter, ſi aliquando a regibus Francorum ſuis filiabus talia ac tanta terrarum dominia in dotem aſſignata fuiſſent, dum nuptui traderentur. Qui quidem cum exactam de hoc ac longam perveſtigationem feciſſent, retulerunt, & ſimilia aliquando facta fuiſſe, & id jure atque legitime poſſe fieri. Quæ cum ita præfato illuſtri comiti fuiſſent nunciata, & per frequentes eum epiſtolas & nuntios, ut ad id intenderet non omitteret ſollicitare, dulciſſima ſemper & totius benevolentiæ plena filiali cum appellatione compellans. Talibus allectus, ac reluctante licet quodammodo animo provocatus, & perſuaſus ad hujuſmodi initiandas & contrahendas nuptias, ſolemnes legatos idonea ſuffultos poteſtate ad regem deſtinavit circa illud tempus quo ad Dinantium expugnandum tranſire apparabat.

CAPUT XVII. *De reditu & expeditione prædictorum legatorum, & Dinanti excidio.*

ET nihil utique ambigebat, nec aliud ullo pacto ſuſpicari poterat idem comes, attentis pro ea re tot & totiens per regem commonitionibus & adhortationibus repetitis, quoniam ad complementum & profectionem res ipſa perduci abſque difficultate deberet, ſi cum dicti ſui legati ad locum ubi rex tunc agebat, ſcilicet ad oppidum dictum Montis-Argi, perveniſſent, qua mente, qua fide & ſinceritate res agerentur, primum agnoſcere potuerunt: nam non modo in materia pro qua injunctum legationis munus ſuſceperant, repulſam & alienos prorſus terminos ab iis totiens quotiens tamquam diu de ea re habuerat rex & tenuerat, offenderunt, ſed pro benevolentia & dulci filialis affinitatis compellatione, querelarum, minarum & exprobrationum verba, quæ prius ſub hujuſce confictæ & ſimulatæ copulandæ affinitatis integumento velatæ fuerant, inimicitiarum ſpeciem manifeſte protendentium reportarunt. Et revera tunc creditum fuit, quod rex Dinantenſibus ſuccurrere deberet, minimeque vellet eos opprimi permittere, de quo ipſi & Leodienſes ceteri plurimum confidebant, qui ab eo adverſus Burgundionum ducem in arma excitatos, & magnis ſe ab eo promiſſionibus acceptis de ſuccurſu atque opitulatione ſecuratos jactitabant: unde & tunc apud dictum locum Montis-Argi, & in pleriſque aliis locis rex magnas machinas & belli apparatus fabricari faciebat: *fecit enim tunc pro munimine caſtrorum catenas fabricari ferreas, in tanta numeroſitate, quod ex eis invicem connexis, & ligneis palis per ſpatia certa affixis & pendentibus, cingi poterant caſtra habentia* in ambitu ſpatium duorum ferme milliarium Italorum: ſerpentinas etiam & ſimiles machinas belli, cum fuſis ex ferro lapidibus cudi & fieri pene innumeras faciebat. Quæ cum Burgundionum legati agnoviſſent, & loco fœderis conjugalis ineundi, pro qua re cum indubitata pene ſpe miſſi fuerant, non aliud quam probra atque minas, terroreſque armorum inveniſſent, cum tali expeditione ad propria redierunt, & Dinantium ubi erant in obſidione principes illuſtres Philippus pater & ejus filius, a quo miſſi fuerant, venientes, quæ egiſſent, audiiſſent atque vidiſſent retulerunt. Poſtquam autem ad oppidi expugnationem bombardæ ſeu petrariæ admotæ ſunt, infra minus quam dierum octo curriculum ruptis turribus & mœnibus oppidum expugnatum eſt: quod cum milites inſultum facientes vi ingrederentur, ſeſe tradidiſſe cives ad voluntatem principum ferebantur; unde neci in ipſo ingreſſu parcitum eſt, quæ procul dubio immanis fuiſſet ac plurima, niſi facta ſic, quamvis ſero, præceſſiſſet deditio. Sed oppidum quod opulentiſſimum erat, & ob id firmiſſimum ferebatur, & revera ſic erat, & propter hoc locupletum totius patriæ, ſuarumque opum atque divitiarum commune profugium, in direptionem & prædam militibus ceſſit. Similiter & viri, prout quiſque ad manum victorum veniebat, captivati: ne autem in mulieres ludibria & obſcœnitates admitterentur, principes providerunt. Deputatæ enim certæ domus fuerant, in quibus datis fidis cuſtodibus obſervarentur, ne qua eis violentia aut injuria afferrentur. Ferebatur autem plures ex iis quos ob ſcelerum conſcientiam metus amplior tenebat, & magis anxios faciebat, antequam irruptio in oppi-

dum fieret, acceptis ſignis Burgundionum in ſuis veſtimentis, tamquam ipſi de victorum numero & multitudine eſſent, portas exiiſſe, & hoc modo imminens eis mortis effugiſſe periculum. Ex his autem qui captivi fuerant deprehenſi nonnulli quos procaciores in probris & contumeliis dicendis de principibus extitiſſe conſtabat, in flumen præcipitati ſubmerſi ſunt, ceteris vita ſervata eſt. Poſtquam vero pauci dies, exeuntibus illinc principibus, in oppidi direptione deletioneque facienda eorum qui ſupplicio ob ſua demerita digniores exiſterent detriti ſunt, depoſitis aliquibus ædibus quæ eccleſiis viciniores exiſtebant, ut ab incendio ædes ſacræ immunes poſſent evadere, datum eſt illud ſuperbum quondam & opulentum Dinantum voracibus flammis, & totum in favillas cinereſque redactum; a quo excidio nec ipſa ſacrata oratoria cura quæ pro eis tuendis fuerat adhibita protegere potuit quin incendii magnitudo eadem pari cum ceteris ædificiis calamitate involveret. Mœnia quoque & turres omnes ejectæ ſunt, & vallum complanatum, locuſque ſancitus, ne poſthac in memoriam ſceleratorum civium quiſquam illic ædificare, aut habitationes facere attentaret: mulieres vero quo vellent, cum iis quibus operiebantur indumentis libere abire permiſſæ ſunt. Et hunc quidem exitum Dinantum accepit, & hunc ſuccurſum, hæc opitulationis ſolatia, hanc fidei obſervantiam atque tenacitatem apud Ludovicum Francorum regem tunc invenit; de quibus non minus confidere quam Saguntum olim de Romanis videbatur.

A

B

C

CAPUT XVIII. *De iterato conatu Leodienſium, & pace eis iterum data, acceptis ab eis obſidibus.*

LEodienſes autem & ex aliis patriæ oppidis atque villis populi ſeſe in unum agmen cogentes, cum ſuis machinis, vexillis & ordinibus exiſtimarant obſeſſo adhuc oppido tempeſtive poſſe præbere ſuccurſus ſolatia, & in campos, velut potentiam Burgundionum bello aggreſſuri, exierant: quibus, extincto & exciſo oppido, illuſtris comes *de Charolois*, patre ſuo *in tuto locato*, qui in ſella geſtatoria ad obſidendum Dinantum ſe deferri fecerat, cum copiis ſuis intrepidus obviam venit. Sed uti aliàs animis atque viribus pavore defecti, ad petendam ſupplices veniam, & ſuæ temeritatis atque præſumtionis indulgentiam, ſeſe converterunt, ſapienter quidem; nam ſi ad certamen uſque perveniſſent, veriſimiliter de ipſis qui majori ex parte inermes, pedeſtreſque erant, tamquam de pecoribus occiſionis ſtrages ingens, & cæſorum acervi acti fuiſſent. Eam vero dare ſenex ille Philippus diſſuadebat, eorum perfidiam, levitatem & procacitatem in jaculandis probris & contumeliis per plurimas vices expertus, qui ſemper perfidi atque fœdifragi eſſe conſueviſſent. Cupiebat dum opportune in patulis campis reperti eſſent, de ſua perfidia, quod contra ſacramenta & totiens nuper a ſe præſtita & data, ſigillataſque cautiones veniſſent, pœnas & ſupplicia debita repoſci. Sed nihilominus illuſtris illius comitis *de Charolois* pius & clemens animus ad miſericordiam potius eſt inflexus, agente plurimum & pro miſeris interveniente comite ſancti Pauli, qui tum adhuc ſibi in ſuo exercitu militabat. Data eſt itaque ipſis venia; & quia in exſolutione pactæ per ante pecuniæ moras fecerant, fidemque minime ſervaverant, tunc abſque cautione potiore fides eis habita non eſt: ſed oportuit ut de ſuis ad delectum ejuſdem illuſtris comitis obſides quinquaginta darent, qui uſque ad proximioris ſolutionis terminum ſub manu victoris remanerent, ſolutione autem facta, ita abire domum poſſent, poſtquam alii quinquaginta delecti ut priores miſſi obſides forent. Et hac lege, & ſub certis multis capitulis jurisjurandi religione firmatis, ad ſuas domos & agros permiſſi ſunt abire; principeſque illuſtres Burgundionum permiſſis ſuis militibus proprias repetere domos, in Brabantiam triumphantes remearunt. Siluit itaque tunc, ab armiſque quievit Francorum rex, ſpectareque otioſus potuit Dinanti flammas, & ſtolidorum atque cervicoſorum humiliationem Eburonum, licet, ut diximus, ingentes bellorum feciſſet apparatus, quos in eorum protectionem atque auxilium expenſurus exiſtimabatur. Et profecto ſi voluiſſet, poterat facile eis auxilium impartiri, Burgundionumque principes atque eorum terras in maximum diſcrimen adducere: nam ſi quo tempore cum ſuis agebant copiis apud Dinantium, ſuis undique contractis, terras Picardiæ fuiſſet aggreſſus, numquam tempeſtive Burgundiones providere potuiſſent, quin multis ſe dedentibus civitatibus & oppidis, quæ ad hoc faciendum ſatis voluntariæ erant, uſque ad fines & terminos Flandriæ abſque magno negotio penetraſſet: quod evidentius emenſis ſubinde tribus aut quatuor annis enituit, cum Ambianenſes cives & ſancti Quintini, nemine ad hoc eos ullo pacto urgente, voluntarie ſeſe dediderunt. Quod ſi tunc ad reſtringendum tale periculum Eburonibus a tergo derelictis, principes Burgundionum cum ſuis copiis accuriſſent, non eſt facile dictu, cum quanta ſævitia ipſi Eburones Brabantiam, Namurcum, Hannoniam, terraſque vicinas incendiis, cædibus atque rapinis compleviſſent, & vaſtaſſent. Non multo vero poſt reverſionem a Dinanto, illuſtris ille Philippus Burgundionum dux valefaciens ſuæ dulci Brabantiæ, cum extremos ſuos hujus mortalis & tranſitoriæ vitæ propinquare cerneret dies,

D

E

per flumen ex Brucella Machliniam & conſequenter per Gandavum Inſulenſe oppidum, ubi ſuum extremum compleret diem, ſe devehi fecit; quo loco adveniente æſtate, plenus dierum ex hac inſtabili luce migravit ad Dominum, multis profecto heroïcis ac civilibus virtutibus clarus, & ſuo ævo præ ceteris ferme Occidentis principibus feliciſſimus, & ſuis amanciſſimus.

CAPUT XXII. *De iterato tumultu Leodienſium, & origine totius ſuæ rebellionis, & eorumdem nimia contumacia.*

CUm vero adhuc illic eſſent ſimul præfati principes, & in conviviis & feſtivitatibus pro hujuſmodi tam optatæ cunctis mortalibus pacis conciliatione lætos tranſigerent atque ducerent dies, contigit iterum illos ſtolidos Eburones ſeu Leodienſes quadam velut rabie in ſui ipſorum armatos exitium novas res actitaſſe. Nam licet urbis ſuæ Leodii mœnia & turres ut diximus dejectæ fuiſſent, armaque univerſa ablata, ut vel hoc modo, cum alias neque per ſacramenta, neque per mulctarum appoſitionem, neque etiam obſidibus datis id effici quiviſſet, ut ad quietem & otium in pace agendum ſtringerentur, domus tamen ſuæ cum prædiis atque mobilibus bonis eis ſalvæ dimiſſæ fuerant, tantummodo eis ſublata arma fuerant, quibus aut etiam mœnibus ad ſuam patriæque tutelam eis minime opus erat, ſi in pace & tranquillitate perdurare voluiſſent: ſatis enim pro munimine, puris, vallo atque armis eſſe eis poterat, ſi fidem & amicitiam cum Burgundionum principibus obſervarent, quorum terris atque dominiis ampliſſimis circumſepti erant & vallati; qui nulla quippe eos injuria laceſſierant, ſed eorum pacis & tranquilliratis tutores fideliſſimi abſque aliquo eorum ſumtu exiterant per annos plurimos, donec ipſi velut furiis quibuidam agitati, & per regem Francorum, ut jactabant, & veriſſimum putabatur, concitati, quemadmodum ſupra retulimus, eruperunt contra pacis fœdera olim cum dictis pacta & jurata principibus, eorum terras igne & ferro miſerabiliter populantes & vaſtantes. Cum enim veriſſimum ſit quod Aurelius Auguſtinus eleganter ſcripſit in epiſtola ad Marcellinum, quod utiliter vincitur, cui licentia iniquitatis eripitur. Talem autem licentiam, & ad quæque mala facinora auſum atque pronitatem dictis perfidis & fœdifragis Eburonibus præſtabant ſuorum munitiones oppidorum, & civitatis ſuæ arma atque divitiæ, quibus ſatis ex longa jam pace prædiți & farciti erant. Profecto ſatis utiliter conſulebat paci & tranquillitati ſuæ vicinarumque terrarum dictorum illuſtrium clementia & providentia principum, ea ab eis tollendo atque minuendo, quæ eiſdem materiam ſuperbiæ, & per hoc ſeditionum, turbarum, atque A igne, ferro, cædibus & rapinis proſequendorum vicinorum occaſionem miniſtrabant: multa enim, ut idem Auguſtinus in eadem epiſtola inquit, cum invitis benigna quadam aſperitate plectendis agenda ſunt, quorum utilitati potius conſulitur quam voluntati. Ut autem ſui exitii & amentiæ cauſas paulo altius repetamus, habebant tunc epiſcopum generoſum & illuſtrem, quoad carnis originem attinet, Ludovicum ducis Borbonii filium, nepotem vero ex ſorore illuſtris Philippi Burgundionum ducis, & per hoc conſobrinum Caroli illuſtris moderni ducis Burgundiæ, qui etiam ejuſdem Ludovici ſororem ex apoſtolica diſpenſatione conjugem acceperat priorem, uti ante diximus. Epiſcopus autem Leodienſis quicumque eſt, dominus eſt civitatis & patriæ totius, tam ſpiritualis quam temporalis: ſed illi cervicoſi & ſuperbi populi dominationem ferre non valentes, ſed dominum & paſtorem ſuum ſub ſua potius ditione & poteſtate redigere atque deprimere mallentes, contra officiarios eccleſiaſticos ejuſdem ſui pontificis, per totam pene diœceſim, temerariam ac præſumtuoſam nimis inſurrectionem, & tumultum plebeium atque popularem fecerunt & ſuſcitarunt, alios cædendo atque occidendo, alios bonis ſpoliatos graviſſimis injuriis, contumeliis & damnis afficiendo. Et hæc fuit prima totius ſui furoris origo & initium. Fatemur equidem, quemadmodum fama fide dignorum hominum referente audivimus, potius quam ſenum, gravium atque doctorum virorum frequentius acquieſceret conſiliis, ſeu ex negligentia, ſeu alias multa eum toleraſſe de ſuis dictis officialibus & ſervitoribus qui plurimum erant a tramite juſtitiæ & æquitatis; ita quod per eorum varios abuſus, concuſſiones, calumnias, dolos & rapinas, populi illius terræ, qui ad talia diu toleranda idonei non ſunt, valde graviter premebantur: contrà quos errores ſi qui per viam juris & juſtitiæ remedia procuraſſent, conſultius multo egiſſent, quam via facti & tumultuaria populi inſurrectione, ita eos cædibus, rapinis & variis injuriarum modis afeciſſe, & dehoneſtaſſe. Cum autem etiam talibus non contenti, omnem pene temporalem domini ſui juriſdictionem & in civitate & in ſingulis patriæ locis, & totum pene dominium uſurpare ſibi conarentur, hoc diſſimulare minime valens ille generoſus & magnanimus ſui pontificis animus, jura eccleſiæ ſuæ tam ſpiritualia quam ſecularia, injuriaſque & ſibi & ſuis irrogatas via juris defendere & proſequi adortus eſt. Recurrens itaque ad apoſtolicam ſedem, procuravit ab eadem legatum deſtinari, qui ſibi & eccleſiæ ſuæ de juris & juſtitiæ remedio provideret: qui adveniens ad urbem Treverorum, inſtante epiſcopo, communitatem ſuæ civitatis & patriæ totius ſibi rebellem citari, & con-

veniri coram ſe in jure fecit, juxta datam ſibi formam atque poteſtatem. Per ſyndicos itaque in jure legitime comparentes, & ipſius ſedis apoſtolicæ, ſuique legati juriſdictioni ſe ſubmittentes, atque eis parere, eorumque ſententiis & decretis cum gravium ſtipulatione pœnarum repromittentes, cauſam contra ſuum epiſcopum ſuper capitulis circiter viginti quatuor, ſuper quibus eos impetens, de ipſis querebatur tranquille, & pacifice juris ordine defendebat. Cum autem apud eumdem legatum ſuccubuiſſent, & ſententiam adverſam reportaſſent, eam ad majus tribunal, ſperantes debere in melius reformari, ſedem ipſam apoſtolicam provocarunt, & appellarunt. Ad cujus tribunal ſiſtentes, renovatis atque iteratis judicialibus cautionibus atque ſubmiſſionibus primum apud Treverim præſtitis, ſuam appellationem diu per ſyndicos ſufficienter & valide fundatos proſecuti ſunt: in qua proſequenda cum plenarie auditi fuiſſent, & dilatorias tam probatorias quam alias, quas juris ordo expoſtulat, abunde & ſufficienter habuiſſent, tandem cauſa ad calculum ferendæ deffinitivæ perducta, denuo etiam condemnatoriam, & prius decretorum per legatum apud Treverim confirmatoriam ſententiam reportarunt, hoc ſibi ſuoque pontifici honore exhibito, quod non per delegatos, ſed per ſemetipſum ſummus pontifex Paulus ſententiam promulgavit, atque ex ſcripto recitavit. Cum vero poſtmodum, ut rei parerent judicatæ, juridice ſæpius, vicibuſque multotiens repetitis commoniti extitiſſent, tam protervos, contumaces atque ſuperbos ipſius ſupremæ & apoſtolicæ ſedis ſeſe exhibuere contemtores, ut nullius cenſuræ eccleſiaſticæ metu, nullius pœnæ, nullius comminationis formidine umquam parere voluerint, donec ad ultimum omnibus Chriſtianis principibus & potentibus expoſiti, igne tandem atque ferro populati, ad tale exterminium ſe & patriam ſuam perduxerunt. Non refero excommunicationes, aggravationes, reaggravationes, anathemata, totius patriæ generalia interdicta: quas cenſuras omnes diutiſſime animo contumaci atque rebelli ſuſtinuerunt, nullam illarum relaxationem proſequi ſeu obtinere curantes. Faſtidium enim legentibus forſan generaret tantæ eorumdem pertinaciæ, imo ſtoliditatis atque ſtultitiæ longius producta narratio. Omittimus etiam referre qualiter ſua præſumtuoſiſſima fatuitate epiſcopum alium, cui, ſuo ſpreto, parerent, MARCUM videlicet filium marchionis Badenſis accerſierunt, & ad ſuam civitatem advocarunt: ad quam cum temere ſatis atque inconſulto illius inſani atque furioſi populi promiſſionibus allectus acceſſiſſet, eorum paulo poſt furias atque inſanias execratus, conſilio meliore accepto, ab eis diſceſſit, & minime rediturus ad propria repedavit.

CAPUT XXIII. *De iterato Leodienſium tumultu, qui & epiſcopum ſuum Tongris ceperunt, & de obſidione Leodii per ducem Burgundiæ, comitatum præſentia regis Francorum.*

HIs itaque omiſſis, ad propoſitæ narrationis, a qua paululum digreſſi ſumus, ordinem revertentes, cum iidem ſtulti Eburones viderent cum magnis copiis Francorum regem, qui, ut diximus, eos in arma concitarat, terras Burgundionum ducis propinquaſſe: qui dux, ut diximus, etiam copias ſuas circa Peronam colligebat, cuncta ſæva, adverſa, atque infauſta eiſdem Burgundionibus proventura putantes, quemadmodum votis omnimodis & obſecrationibus expectabant, & propterea paratam ſibi ad ſe de eis ulciſcendum opportunitatem adeſſe exiſtimantes, multitudinem quamdam ex iniquiſſimis totius plebis ſuæ, de eis qui malorum a ſe patratorum conſcientia ſtimulati, & de miſericordia principum diffiſi ob ſuorum immanitatem facinorum e civitate profugerant, dum ejuſdem mœnia & turres dejectæ demolitæque fuiſſent, in ſuam receperunt civitatem, quam etſi forte major & ſanior pars illius populi minime advocaſſet, eidem tamen, cum præſens adfuit, ſeſe inanimes & conſentientes præbuerunt. Cœperunt igitur denuo inſtaurare muros, purgare vallum, propugnaculis ſeſe ſuamque munire civitatem, & armis undecumque ea conquirere poſſent inſtruere ſemetipſos. Et cum non ſatis metallorum copiam ſibi adfore præſentem ad bombardas variaſque machinas fabricandas ſeu fundendas inſpicerent, etiam locorum ſacrorum & domorum Dei, quibus copioſiſſime ac magnificentiſſime urbs illa inſignita & decorata erat, campanis & tintinnabulis minime pepercerunt: ſed plures ex eis a ſaeris uſibus quibus dicatæ fuerant, ad hujuſcemodi prophanos & ſacrilegos uſus transferre præſumſerunt. Cum autem eſſet epiſcopus ſuus in oppido Tongrenſi cum certa cuſtodia militum, tam ſuorum quam ducis Burgundionum, ipſis minime provide & caute ſibi proſpicientibus, & ad ſuam patriæque tutelam non ſatis ſollicite, ſed potius ad voluptatem atque laſcivias nocturnas vigilias & excubias agentibus, noctu irruentibus in eos ipſis Leodienſibus, comprehenſi ſunt, & in hoſtium quidem manus devenerunt ipſe epiſcopus & quidam capitaneus Burgundionum, nonnullis ex militibus cæſis, ceteris vero quibus facultas fuit, per fugam tenebroſæ noctis elapſis. Qui cum capti Leodium adducti fuiſſent, mirum valde eſt, quomodo inter turbas tam furioſorum & tumultuoſorum plebeiorum mortis periculum effugere potuerunt; præſertim cum omnium ferme malorum ſuorum cau-

sas in eumdem suum episcopum & suorum officialium rapinas & dolos detorquere solerent, eosque acerbissimis odiis insectarentur. Ab illo tamen ausu sacrilego sese temperarunt, quodam vicario suo sigillifero episcopi trucidato, episcopo & ceteris vitam servantes: quem etiam episcopum abire permiserunt, maximis ejusdem sacramentis devinctum, omnem se daturum operam apud sororium suum Burgundionum ducem, quatenus reconciliationis gratiam invenirent apud eum. Porro cum Burgundionum dux, qui jam cum Francorum rege apud Peronam fœdus percusserat, & pacem pro voto ac desiderio suo obtinuerat, tale ipsorum recidivum Eburonum perjurium atque cœptum intellexisset, quibus in priore eisdem concessa pace, incensurum se altera vice instar Dinanti civitatem suam, si promissa tunc & sibi jurata ullo posthac die convellerent, sacramento firmarat, magna adversus eos indignatione permotus, illico omnes copias quas apud Peronam expeditas habebat contraxit. Cui cum Francorum rex benevolentiæ cum eo conciliatæ indicium singulare, & veluti pacis & concordiæ invicem juratæ pignus cupiens exhibere atque ostentare permaximum, ad exterminandum ipsos miseros Leodienses societatem facere voluit ac decrevit. Et de hoc quidem minime a Burgundionum duce rogabatur, qui etiam optare potius dicebatur, ut propriis servatis finibus, de ea re non se fatigasset, suspectam semper ejus fidem infidamque cognoscens; sed non eo minus ut omnem de se diffidentiam tollendam rejiciendamque approbaret, importune nimium ad eam rem se ingessit. Trajecit itaque Burgundionum dux illustris copias ad illam tumultuosam, fœdifragam atque perjuram Eburonum urbem Leodium, a rege Francorum comitatus & sociatus, cum parva tamen manu. Nam non ultra trecentas lanceas secum idem rex traxisse ferebatur, ceteris copiis suis in regno relictis. Cum autem ad locum usque ducis exercitus applicuisset, urbem ipsam circum circa, ex altera tamen parte fluminis Mosæ castris & valida obsidione cinxit, tam ipso quam rege in suburbanis ipsius urbis non remoto a se invicem hospitio receptis, (erat enim hyems jam satis aspera, finis scilicet mensis Octobris anno sexagesimo octavo:) in qua obsidione cum paucis diebus principes ipsi, rex scilicet atque dux perstitissent, irruptionem nocturnam qui intus erant magna satis animo prudentique consilio cogitare atque aggredi ausi sunt, quam profecto si tam efficaciter, uti concepta & inter se condicta fuerat, executioni demandare curassent, eos a metu quo premebantur, & minis tam regis quam Burgundionum ducis securos reddere potuissent. Condixerant enim inter se circiter quatuor millia virorum ex civibus

A in tenebris & medio silentio noctis e portis & vallo civitatis erumpere, ubi nullas aut raras sentiebant hostium custodias esse, & per vineas & quædam invia satis aspera loca sibi nota, hostibus vero incognita, ad loca usque suburbanorum penetrare, in quibus regem atque ducem sciebant collocatos. Et id quidem egerunt ex ipsis circiter quadringinti viri, existimantes ad locum quo hospitati dicti principes erant, per varios aditus atque limites ad horam, uti dictum fuerat, debere ceteros concurrere: qui indicium nocturni excubitorum verbi scientes,
B (ipsum enim callide per certos exploratores didicerant,) illo indicio adjuti, transmissis nocturnis custodiis, ad domos usque regis & ducis penetrarunt, in quibus nonnullos de utriusque principis excubitoribus prope cœnacula in quibus accubabant occiderunt. Ad quem tumultum accurrentes qui vigilias agebant, de stipatoribus & corporis custodibus tam regis quam ducis, ipsos principes a cædis periculo liberarunt; qui procul dubio nisi mature ad ferendum auxilium advolassent, verisimiliter perempti fuissent. Sed cum clamore ingenti exciti, armis suis instructi plurimi adventassent, omnes illi au-
C daces Eburones ferme perempti extinctique fuerunt: quorum audaciam si ceteri juxta sponsiones inter se factas eos insequuti adæquassent, non dubium quin de ipsis nedum principibus, sed & de militibus & exercitu stragem ingentem feciissent, urbemque suam & populum ab imminenti vindicassent excidio. Sed vel metu, vel ignavia aut inertia, promissa & condicta minime adimplentes, & sociis suis necis, & civitatis totique patriæ calamitatis magnæ causam præstiterunt. Accenso enim proinde acerbiore odio & indignatione majore, qua & absque hoc per-
D antea satis & super satis exacerbati erant, parari & disponi omnia Burgundionum dux ad urbis expugnationem jussit. Et quoniam intra eam plurimi erant, qui & signa regis Francorum ferebant, & suo nomine & titulo acclamabant, non valentes, seu etiam nolentes credere quod ad urbis suæ excidium Francorum rex illic adesset, & cum Burgundionibus adveniisset, proclamatio atque edictum in castris Burgundionum fuit publicatum, ut nullus sub pœna mortis sine cruce sancti Andreæ, quæ est Burgundionum signum, ullo pacto appareret: cui edicto
E non modo Franci qui cum rege advenerant, verum etiam ipse rex devote parens, signum hujusmodi in sua veste patula ac manifeste portavit; & nec eo solo contentus, sed ut devotius etiam obsequi, atque affici duci Burgundionum se ostenderet, & ne quid prorsus suspicionis adversæ relinquerent non purgatum, cum nonnulli ex civibus regem Francorum in auxilium invocantes, se suosque sibi militare acclamarent, eos mentitos

fore rex ipſe ore proprio improperavit, atque reſpondit: & cum altis vocibus proclamarent, Vivat Francorum rex, ipſe ex adverſo quanto magis poterat hanc vocem referebat, *Vive Bourgoigne.* O præclarum & memorabile facinus hujus regis Francorum, cui fortaſſis vix ſimile aliud vel in veteribus annalibus, vel in recentioribus hiſtoriis facile poterit inveniri. Quid enim vel ſtolidius vel perfidiæ inſignioris aliud aut nequius afferri poſſet, regem populum illum in arma concitaſſe adverſus Burgundiones ſuæ ſalutis cauſa, eiſque non una tantum vice, ſed innumeris pene vicibus fidem dediſſe, quod eiſdem omnia defenſionis & auxiliorum ſolatia exhiberet adverſus eoſdem Burgundiones; & nunc cum extrema omnium rerum calamitate premerentur per Burgundionum ducem, eidem militare, ſua ſigna militaria perferre, ſe ejus charactere permunire, & comitem addidiſſe ad excidendum eos, quibus auxilium & ſubſidium contra eum præſtiturum ſeſe ſuamque fidem arctiſſime obſtrinxerat. Pudet me profecto hoc litteris mandare ac referre, ſcientem hoc difficile a plurimis credi poſſe: ſed tam inſigniter atque diffamatum per omnem Galliam extitit, totque idoneis teſtimoniis confirmatum eorum qui hoc & viderunt & audierunt, ut ambigendi locus niſi pervicaciter nimis perſpicuæ veritati reluctari cupienti nemini relinquatur.

CAPUT XXIV. *De expugnatione atque incendio civitatis Leodienſis.*

PAratis igitur quæ ad urbium expugnationem apparari mos eſt, per diverſas urbs ipſa Leodium ſimul eodem tempore expugnata eſt; in qua expugnatione non multum negotium fuit, cum & vallum & mœnia atque turres quæ dirutæ & dejectæ fuerant, adhuc nonniſi exiliter & ſatis miſere inſtaurari in tam arcto temporis ſpatio potuiſſent. Unde & cives de ſuis viribus ac defendendi poſſibilitate parum aut nihil confidentes, modicam reſiſtentiam objecerunt; ſed aurum atque argentum, ſeu quod facile exportari poſſe putabatur, qui potuerunt rapientes, per turmas tranſmiſſo flumine Moſæ auſugerunt, & montium atque ſilvarum cum uxoribus & liberis latibula petierunt. Et his autem qui in irruptione militum in urbem armati inventi ſunt, nonnulli cæſi ſunt, alii abjectis armis vel in ſacris domibus, vel antris & ſpecubus ſeſe occulentes, temperata furoris ſævitia mortem evaſerunt: fuerunt etiam aliqui in flumen præcipitati, mulieres etiam nonnullæ vel armis inventæ, ut ferebatur, inſtructæ, vel linguæ nimium procacitate tumentes, in ipſo ingreſſu urbis, quæ tota militibus in direptionem relicta eſt & permiſſa, locis ſacris principis gravi ſanctione exceptis, qui prorſus quidquam de ipſis tolli, ullamve injuriam aut violentiam eiſdem inferri ob Dei reverentiam & ſanctorum arctiſſime inhibuit. Sed eo non obſtante in tam numeroſa armatorum multitudine, quæ ſe protinus per omnes urbis plateas atque ædificia tam ſacra quam prophana effudit, cunctis ad prædas & ſpolia inhiantibus, principalibus edictis integre adeo parere non potuit, quin multa pretioſa ſupellex auri & argenti quibus ſanctorum ſacra pignora & memoriæ tegebantur atque involvebantur, libri etiam & calices plurimi, ceteraque bona in pleriſque ſacris ædibus raperentur & exportarentur, e quibus a nonnullis vel qui bona hujuſmodi rapuerant, vel a rapientibus ea eruerant, ſub gravibus apoſtolicæ ſedis cenſuris commonitis, vel principis mandatis compulſis, quædam poſtea reſtituta fuerunt, pauciora tamen longe quam capta fuiſſent. Cum autem per dies aliquot rex cum Burgundionum duce, paucos tamen, illic ſtetiſſet, eidem valefaciens cum ſuis, qui etiam de ſpoliis urbis nonnulla tulerunt, in Franciam cum tali triumpho remeavit, multas tamen illic ante expugnationem urbis contumelias a civibus paſſus, qui cum illò eum veniſſe ad ipſos exterminandos certiores facti fuiſſent, quod nullo pacto initio, cum id eis aſſereretur, credere poterant, in eum miras exprobrationes perfidiæ, proditionis, perjurii atque infamiæ e mœnibus acclamabant & jaculabant. Ferebatur autem a multis, quod plures ipſius litteras manu ſua ſignatas, & ſuis ſigillis roboratas cives aliqui ſervati duci Burgundionum oſtenderunt, de multis & magnis pollicitationibus eiſdem factis per regem, quibus ſe ad eorum tuitionem atque defenſionem arctiſſime aſtringebat, quas tamen modo quem præmiſimus opere adimplevit; pro qua re non modo quæ diximus probra ab ipſis civibus, ſed & ab infinitis ferme regni ſui accolis maledicta reportavit. Poſtquam autem Francorum rex ita abſceſſerat, Burgundionum dux cautius præcavere curans, quam in Dinanto factum extitiſſet, ne eccleſiæ & monaſteria, ceteraque loca ſacra & Deo dicata communi urbis innecterentur atque obvolverentur incendio, plurimas ædes civium circumcirca eccleſias & ſacra loca diruí atque demoliri fecit, relictis canonicorum domibus, ſacerdotum ac religioſorum cum ædibus ſacris: quæ ſi ſimul omnes intra mœnia aliqua coactæ eſſent, non parvam efficerent civitatem; cetera autem urbis ædificia igni populanda reliquit, pertulitque hujuſmodi cladem ipſa civitas ob inſignem civium ſuorum perfidiam, qui nec promiſſis, nec liberis, nec ſigillis ſeu ſacramentis, neque etiam obſidibus ab eis receptis, dirutiſque mœnibus & armis ſuis ablatis, ſub fide in pace & tranquillitate ſervari & retineri potuerant, quin

quin ſemper furia & rabie invecti omnibus finitimis exitium minarentur, juſto Dei judicio ad perferendam reciprocam conflagrationis & incendiorum vicem, quas conterminis & vicinis ſuis per ante injuſtiſſime intulerant, cum jam eorum curandæ cohibendæque inſaniæ nullum aliud medicamenti genus ſupereſſe videretur. In quo profecto illuſtrium principum Burgundionum PHILIPPI genitoris, & CAROLI filii ſui clementia atque humanitas perpulchre enituit, qui licet a populo urbis illius & cetera plebeia ex agris multitudine graviſſimis fuiſſent & contumeliis laceſſiti, & injuriis atque damnis affecti multipliciter, ſeveritatem tamen clementia temperantes, cum promiſſionibus & litteris primum, deinde obſidibus acceptis, tertio mœnibus dirutis, ablatiſque armis, furioſis illis & fœdifragis tribus factis expeditionibus adverſus eos, tot injurias eis parcendo condonarant. Et ſi ſuſtinere potuiſſent, eos in ſua integritate, pecuniaria tantummodo quantitate multatos pacifice dimittebant; quam utique pecuniam, ſi quid providentiæ habuiſſent, poterant in pauciſſimis annis exſolvere, & poſtmodum liberi & quieti manentes, pacis atque libertatis lenitate gaudere: ſed tanto profecto bono ſuis demeritis ſe reddiderunt indignos, qui omni timore Dei rejecto, ita finitimos, a quibus nullatenus inquietabantur, igne & ferro populare, & omnium injuriarum genere eos afficere primum aggreſſi ſunt. Et nec totiens eis parcito atque indulto, nec pœnis civiliter eiſdem gradatim & ex ordine inflictis & impoſitis a ſua nequitia ullo pacto cohiberi potuerant. Merito etiam profecto a divina gratia & protectione deſerti, qui graviſſimis cenſuris ab apoſtolica ſede percuſſi, & patria ſua longo ſuppoſita interdicto, nec juri parere curabant, nec cenſuras tantas veluti non Chriſtiani, ſed pagani & gentiles prorſus forent, ullatenus formidabant. Tale itaque ſuorum meritorum & operum præmium merito exceperunt & invenerunt, ut eorum pœna & ſupplicium cunctis populis, ſi ſanum aliquid ſapiant, cedat in exemplum, ne juſtitiam, qua una & ſola cæleſte petitur & quæritur regnum, eccleſiaſticaſque cenſuras ullo pacto temerare præſumant, contemnere aut violare.

A excidio prope Pariſiorum urbem tranſitum faceret, & a cunctis æſtimaretur ut illam ſuam regiam inſigniſſimam viſitaret, alio iter deflexit, ſeu verecundia & rubore ſuffuſus, quod tam infamem actum, & tanta indignum majeſtate feciſſet apud Leodium; ſeu quod ſuorum officiariorum ejuſdem urbis querelas & exprobrationes verebatur, pro eo quod apud Peronam cum tantas contraxiſſet copias, ut oppreſſurus Burgundionum ducem ſuoſque facile putaretur, nulla tamen congreſſione facta, nullo prælio, nullo certa-
B mine habito, in tam turpes & coronæ ſuæ tam præjudiciales pacis conditiones cum eodem duce, a ſe expetitæ & cum magna inſtantia poſtulatæ, deſcendiſſet; quod autem ipſe de his utcumque erubeſceret, ſatis manifeſtum indicium fuit, quod edicto publico in ipſa regia urbe inhiberi fecit, ne quis vel de ſua profectione ad Leodium, vel de pace per cum cum prædicto duce compoſita ſermonem aliquem facere auderet, & hoc ſub cenſura gravi. Sed licet cenſuram hujuſmodi ſilentii quomodo libuit edixerit, linguas tamen
C hominum non ita devincire potuit, quin ab eis maledicta ſine numero reportaret, potiſſime propter excidium urbis Leodienſis & illorum Eburonum, qui regibus Francorum devotos ſemper ſe & obſequioſos profiteri ſolebant: unde quanto plus ne de hoc ſermones conſererent erant prohibiti, tanto vehementius atque frequentius inde in abdito loquebantur, & de pactorum cum Burgundionum duce turpitudine & infamia, & de illis præclare apud Leodium a ſe geſtis, ubi & ſignum crucis ſancti Andreæ in ſuis veſtimentis publice portaverat, & tamquam ſti-
D pendiarius ipſius ducis Burgundionum foret, *vive Bourgoigne* acclamaverat. Seſe tamen poſt hujuſcemodi ſic ſolemniter a ſe facta continuit in pace per aliquot menſes, in quibus ipſe Burgundionum dux de compactatis ſolemnes atque authenticas litteras & earum publicationem & approbationem in curia parlamenti Pariſienſis, camera computorum, & alibi ubicumque opportunum & expediens viſum ei fuit, confici atque expediri fecit. Paulatim autem rex multorum querelis excitus, cognoſcere cœpit quid egiſſet, & de tam infamibus geſtis amplius erubeſcere,
E nonnullamque gerere pœnitudinem: unde primum adventante menſe Maio totam hujuſmodi a ſe patratorum & geſtorum culpam in ſuum fidiſſimum *Baluë*, quem, ut diximus, cardinalem creari paulo ante procuraverat, intorquere cœpit, quod ejus conſilio præcipue geſta fuiſſent. Sed ne non ſatis honeſta cauſa in eum ſæviendi ea eſſe putaretur, quod de talibus ſic gerendis & faciendis conſilium præſtitiſſet, alia quædam crimina a ſubmiſſis delatoribus conficta ſunt, propter quæ mandante rege apprehenſus in carcerem detruſus fuit: a quo enim ne id

CAPUT XXV. *Quomodo rex ex Leodio reverſus in Franciam, apprehendi & in carcerem mitti fecit ſuum cardinalem Andegavenſem, & epiſcopum Virdunenſem.*

COnſummato autem urbis incendio, & pœna debita de fœdifragis accepta, illuſtris Burgundionum dux relicto in terra illa Leodienſis patriæ defenſore domino *de Himbercourt*, ad propria remeavit. Francorum autem rex, cum rediens de prædictæ urbis

pœnæ ſuppliciique ſubiret incommodum, nec regis quæ tam ſingularis & tam fida ad eum fuerat amicitia tutavit, nec Apollinis inſula texit. Et ne ſolus & ſine collega talia otia ſine comitatus ſolatio pertranſiret, additus eſt ſibi ſocius epiſcopus Virdunenſis, quem rex ipſe paululum ante a conſortio germani ſui magnis muneribus atque promiſſionibus illectum ad ſe attraxerat; ejuſdem enim germani regis ſervitio ſe voluntarius addixerat, & cum eo ſemper fuerat ab eo tempore quo prope Pariſios ducatum Normanniæ poſſidendum receperat. Cum vero cupidus & ambitioſus admodum foret, & moribus ac vita ſatis male famatus, tamquam hamo ſub eſca obtecto, ſpe magnarum penſionum, commendarum, ac cardinalatus per regem & ipſius favoribus aſſequendorum pellectus, dominum ſuum optimum prodidit, & ad regem acceſſit, quem ſtatim qualem ipſe meruerat habere offendit; ab eo enim fuit in carcere recluſus cum dicto *Baluë*, in quo jam quadriennium cum medio ferme anno peregit, incertus ſi umquam inde fuerit exiturus. Tentavit autem rex & alium quemdam Thomam *de Loraille* civem Cadomenſem, probum virum atque fidelem & conſtantem, qui plurimum ingenio & prudentia, ut homo laïcus, callebat, ab ejuſdem germani ſui ſervitio abſtrahere, & ad ſe trahere, quod tamen minime efficere potuit: atqui cum pro voto hoc ipſum facere nequiviſſet, non multo poſt idem Thomas cum duobus aut tribus de domo & familia ſua veneno extinctus, ut vulgo ferebatur, periit: quod cujus opera patratum fuerit, divino duximus relinquendum judicio. Detruſo autem in carcerem præfato cardinale *Baluë*, qui nec generis nobilitate, nec litteraturæ præſtantia, nec probitate & commendabilis vitæ meritis honores, ad quos evectus a magiſtro ſuo rege fuerat, conquiſierat, ſed dolis & pravis artibus, obſceniſque & infamibus lenociniorum miniſteriis eos aſſequutus vulgo ferebatur, ne forte in ſui contemtum atque injuriam id factum extitiſſe Burgundionum dux ſuſpicaretur, miſit rex ad eum ſuos oratores, qui per antiphoram hujuſmodi ſuſpicionem, cum de ipſius apprehenſione ipſe dux minime aut modicum anxius eſſet, niterentur expurgare, aſſerentes in dolo, non ſui cauſa vel reſpectu factam ejus apprehenſionem; ſed ob plurima crimina atrocia, quibus contra majeſtatem regiam inventus eſſet deliquiſſe. Quæ autem hujuſmodi crimina forent cum ipſe dux ab eis ſciſcitaretur, quæ tantæ indignationis acerbitatem mererentur in hominem ſibi paulo ante tam ſingulari amicitia conjunctum, ſcire non potuit; nec revera hactenus ſatis alicui credimus exploratum haberi, licet præfato epiſcopo Virdunenſi, qui tamdiu, quantum ſupra retulimus, in cuſtodia ſervatus eſt, ſit in incarceratione coævus. Multa tamen vulgo de eo crimina jactabantur: erat enim pene omnibus regni incolis propter ſuperbiam ſuam, plurimaque in moribus vitioſiſſima valde exoſus: ſed ea tam abſurda & ridicula viris gravibus eſſe ferebantur, ut non propter ea, ſed propter id præcipue quod auctor in conſulendo & agendo fuerat, ut paci illi, quam in Perona factam diximus, ſuum rex accommodaſſet aſſenſum, apprehenſus & in carcerem conjectus fuiſſe crederetur; quod quanto magis apud Burgundiæ ducem, & diluere rex conaretur, tanto profecto de ea re & voluntate diſſolvendi prædictam pacem, atque ab ea reſiliendi, certiorem ſibi opinionem ingerebat. Nec etiam eum talis fefellit opinio, quemadmodum ſuo loco in ſequentibus luculentius atque manifeſtius apparebit: unde tamquam vir ingenio & prudentia inſigniter inſtructus, ipſe dux ex illo non ceſſavit ad futurum bellum neceſſaria apparare, ne verbis pacificis in dolo in torporem & ſomnolentiam reſolutus, cum eum bello repente adoriretur inimicus, improviſum atque imparatum facile ſuperaret.

Nota auctoris ætatem.

CAPUT VI. LIBRI IV. *De incarceratione & detentione ducis Geldriæ per proprium filium ſuum, ſuique filii poſtea per Burgundiæ ducem apprehenſione & incarceratione.*

QUemadmodum ſane decurrentibus treugis, quas ſupra factas fuiſſe & firmatas inter Francorum regem & ducem illuſtrem Burgundionum retulimus, prædicta per regem Francorum geſta fuerunt tam adverſus comitem Arminiaci, quam regem Arragonum; ſic etiam non prorſus feriavit aut obtorpuit idem Burgundionum dux. Nam in eadem æſtate cum Geldriæ dux ſenior viam fuiſſet univerſæ carnis ingreſſus, cujus filius eum certorum ſuſpicione ac patrocinio ſcelerum in carcerem truſerat, ipſe Burgundionum dux diu ante ſui genitoris obitum expeditionem duxit in eamdem Geldriam, ſibique eam armis victam & edomitam adquiſivit atque ſuæ ditionis effecit: hunc autem titulum coloremque oſtendebat ipſe dux Burgundionum, & publice ferebatur ad eumdem ducatum Geldriæ ſibi adquirendum. Cum enim ille Geldriæ dux ſenior a filio ſuo diceretur & jactaretur inutilis, atque remiſſior ad procurationem & adminiſtrationem patriæ; factione matris ſuæ & nonnullorum de patria, idem filius auſus eſt patrem ſuum, virum utique, ut ferebatur, bonum & prudentem, licet fortaſſis ad cohibendum rapinas, & terram in ſecuritate & libertate commerciorum conſervandam minus juſte intentum, apprehendere & carceri mancipare. Erat enim idem filius ſatis acer ingenio &

cupidus dominandi ; unde patrem ſuum , contra jus divinum & humanum , nefarie præſumſerat omni dominio & auctoritate nudatum in carcerem mittere, & ſatis dire atque inhumaniter aſſervare : in quo ſcelere cum ſibi Noviomagum & plura patriæ oppida favores impartirent, quibuſdam tamen minime aſſenſum præſtantibus , per annos plures ipſum ſic detinuit : quo decurrente tempore cum nefas hujuſmodi tam dux Burgundiæ quam dux Clivenſis, pluresque alii ex ſanguineis & amicis ducis execrarentur & multum ægre ferrent, ipſe dux Clivenſis ad cum liberandum contra filium arma & guerram movit, & uſque in Geldriam intravit : ſed cum filius auxiliis Noviomagenſium & plurium nobilium patriæ ſtipatus & obvius occurriſſet, compluribus cæſis & captivis, cæſum & fugatum patriæ finibus ejecit. Et quoniam idem filius non ignorabat impietatem ſuam vehementer diſplicere Burgundionum duci, ejus potentiam formidans, ſtudebat fœdera cum iis copulare, quos ad cum vel inimicitias habere, vel ejus pariter vires atque potentiam metuere cognoſcebat. Unde quamvis ipſe unus eſſet ex delectis militibus inſigne Burgundionum ducum monile atque ſignum, vellus ſcilicet aureum, deferentibus, cujus ratione magnis fidelitatis ſacramentis eidem duci, qui ejus cœtus atque fraternitatis exiſtunt, conjungi tenentur, ferebatur tamen cum Friſonibus aliiſque nonnullis fœdus copulaſſe, qui Burgundionum duci parere contemnebant, ſollicitaſſeque aliquos nobiles & oppida Hollandiæ, ut res novas in Hollandia adverſus ducem Burgundiæ dominum ſuum excitarent, quibus ipſe auxilio adfuturus foret. Porro cum ejus factiones & molimina hujuſmodi Burgundionum duci innotuiſſent, qui ſæpius ab eo commonitus fuerat, variiſque etiam ad eum pro ea legationibus miſſis, quatenus impietatis in parentem pœnitudinem gerens, cum carcere & captivitate abſolveret atque liberaret ; tandem ad ſe eum accerſiri & venire fecit. Cum autem apud eum eſſet, & de hujuſmodi machinamentis ſuis , ac fœdere cum ſuis hoſtibus copulato eum interrogaſſet, pollicens etiam iſte veniam daturum ſe, ſi ei totam plenariam detegeret veritatem, omnia inficiari quam verum reſpondere maluit, mendacia ſua jurejurando confirmans. Sane cum Burgundionum ducem veritas molitionum minime lateret, protulit ſtatim quaſdam litteras ipſius juvenis Geldriæ ducis manu propria ſcriptas & ſignatas : quibus ſibi ad inſpiciendum exhibitis , eas diffiteri ſuas eſſe non potuit ; quæ litteræ machinamenta ac molimina proditionum ſuarum contra eumdem ducem continebant. Contra eas autem cum excuſationem nullam in medium rationabilem attuliſſet, ſed plane per eas de perjurio ac perfidia convin-

A ceretur, juſſus eſt in carcere aſſervari ; primum ductus in caſtrum Vilvordiæ inter Machelinam & Bruxellas. Cum vero per aliquod tempus in eo loco fuiſſet aſſervatus , corrupta cuſtodia , inde exiens , ad propria reditum arripuit : ſed cum ejus diſceſſus paucis poſt effluxis horis fuiſſet cognitus , per diverſos equites & varia proſequutus itinera, apud Namurcum inventus eſt. Inde autem ad Burgundionum reductus ducem , a finibus ſuis paulo diſtantius miſſus eſt, ad caſtrum ſcilicet Corteraci in Flandria , ubi ſub carcerali cuſtodia uſque ad obitum ejuſdem ducis Burgundiæ detentus cuſtodituſque fuit.

CAPUT VII. *Quomodo dux Burgundiæ ducatum Geldriæ facile conquiſivit.*

MOriens autem ejus genitor , jamdiu ante ſuum obitum per ducem Burgundiæ ſolutus e carcere, & ſuæ plene reſtitutus libertati, ferebatur filio ſuo ob impietatem ab eo in ſe commiſſam exheredato, teſtamento Burgundiæ ducem inſtituiſſe & ſcripſiſſe heredem ; & hoc juris titulo innixum atque ſuffultum Burgundionum ducem ſibi hujuſmodi ducatum Geldriæ acquirere voluiſſe ; quod quidem abſque magno ſeu difficili negotio conficere potuit. Conati ſunt incolæ patriæ, quæ oppidis ſatis nobilibus & munitis referta eſt , in favorem filii in carcere , uti diximus, ſervati, conatibus ducis Burgundionum obſiſtere, qui ſibi per ante favores contra ſuum parentem eorum ducem ac principem præſtiterant. Et multa quidem de ſuis viribus & cum aliis Noviomagenſibus potiſſime jactitabant in ventum, nihil aut parvi Burgundionum potentiam exiſtimantes : ſed cum illò ducis exercitus advenit, longe ſecus ac ſe per ante jactitaſſent exhibuerunt. Obſeſſum eſt primo oppidum *de Venlo* ſupra Moſam , quod de ſua munitione plurimum confidebat : atqui cum in paucis diebus machinis ac tormentis preſſum fuiſſet, ſtatim de deditione cogitarunt, qui recepti ſunt, paucis ex eis ſupplicio affectis, quos in recipiendo dux Burgundionum ſuo reſervaret arbitrio. Exinde ad diverſa oppidula & caſtella aggredienda exercitus ſeſe effudit, quæ omnia ferme modica aut nulla oppoſita reſiſtentia recepta ſunt uſque Noviomagum. Cum autem illo dux Burgundionum applicuit & caſtra metatus eſt, in tribus hebdomadibus ita turrium propugnacula, muroſque & eorum munitiones petrariis ac tormentis fregit atque dejecit , ut abſque magno negotio expugnari oppidum , & per vim atque inſultum capi potuiſſet , niſi oppidani ſupplices atque nimium exterriti venia petita deditionem faciendo periculum evitaſſent. Fuerunt autem ad gratiam recepti , armis , portis atque mœnibus & tota oppidi munitione quoque , & incolarum ejus privi-

legiis ac libertatibus ad victoris arbitrium resignatis & dimissis: qui etiam pro resistentia & inobedientia quas fecerunt, multari ferebantur in octoginta millibus florenorum Rhenensium. Exterriti autem de Noviomagi subactione, quod ceteris omnibus reputabatur longe firmius, potentius atque populosius ceteris terrarum illarum oppidis, cives aliorum oppidorum, ut Zutphaniæ & *de Arnem*, & reliquorum qui se & suas munitiones longe impares ad resistendum Noviomagensibus existimabant, periculis prudenter obviam euntes, pactis certis pecuniarum summis ad certos terminos exsolvendis, etiam sub potestatem ejusdem Burgundionum ducis transierunt, promittentes ab eo imperata perficere & complere. Tantus vero metus terrorque nominis Burgundionum ducis Frisonum terras vicinasque ceteras invaserat, quod profecto si illo Burgundionum copiæ descendissent, non aliud æstimari poterat, quam quod Frisones, quod ab antiquo principes Hollandiæ sui juris esse prætendunt, similiter ut illi de Geldria facere deditionem, & imperatis parere Burgundionum ducis obtulissent. Fuerat enim tota illa æstas supra solitum calida & sicca usque ad mensem Octobris, ita ut fossæ & aggeres, palustresque Frisonum agri, in quibus contra hostium incursus maxime confidere solent, eis fore auxilio minime potuissent: erant enim tunc pene ubique adeo longo solis æstu exsiccati & indurati, ut non modo pedites, sed & equites & plaustra sicco vestigio facile sustentassent. Verum cum ea opportunitas ad tantam rem conficiendam sese attulisset Burgundionum duci, tum ad alia majora anhelans, illo tunc proficisci abstinuit, remque hujusmodi in aliud distulit tempus.

CAPUT VIII. *Quomodo post conquisitum Geldriæ, dux Burgundiæ imperatorem Treverim adventare fecit, aspirans ad regale fastigium; & ibi ab ipso de ducatu Geldriæ solemnem investituram accepit.*

ASpirabat quidem tunc rebus elatus secundis, & sibi satis arridente fortuna ad diadema regale, honoremque ac titulum regium acquirendum: quo titulo olim regnasse plures Burgundionum principes, etiam a tempore quo reges Francorum esse cœperunt, minime dubium est. Ad hujusmodi autem cupiebat sublimari dignitatis fastigium auctoritate Romanorum imperatoris, qui tunc erat FRIDERICUS dux Austriæ, atque imperium per annos plurimos administrarat. Cujus sui desiderii & concupiti honoris potiundi gratia eumdem imperatorem ad urbem Treverorum non parco sumtu procuravit: ad quam cum adventasset cum satis humili statu pro tanto fastigio dignitatis, secundo post aut tertio die, pariter etiam illo adventavit Burgundionum dux, cum tanto & tam nobili comitatu, & cum tanta vestimentorum, armorum & ornamentorum pompa, ut procul dubio in statu & apparatu suo augustalis potius majestas & magnificentia illucere ac supereminere videretur. Cum imperatore tum etiam adfuerunt in magnifico & honorabili statu plures Germaniæ principes, tam electores sacri imperii, quam alii quos imperator ad se sociandum accersierat. Erat imperator hospitatus in palatio archiepiscopi Treverensis, dux vero Burgundiæ extra muros civitatis in monasterio S. Maximini, cujus procurator & protector esse fertur, ad causam terræ suæ Luxemburgensis. Igitur cum aliquot detrivissent in civitate dies, sese vicissim visitando, ut jus ac titulus duci in illo ducatu Geldriæ, quem nuper, ut diximus, armis conquisierat, magis ac magis sibi invalesceret atque validaretur, voluit illum ab imperatore tamquam supremo feodi domino recipere, atque hominii sacramento pro eo præstito de eodem solemniter investiri: hoc quidem prædecessores aliqui, qui eumdem ducatum administrarant, facere contemserant, vel negligentius prætermiserant; propter quod ipsi Augusto & ducis obedientia gratior existebat, cujus etiam nova investitura, tamquam imperialis feodi olim ad se ex possessorum neglectu legitime devoluti jure, firmiorem titulum duci acquisitura putabatur. Igitur ut celebrius hujuscemodi investitura & sacramenti hominii patratio cunctis innotesceret, tam ad Augustalis manifestationem & conservationem dignitatis, quam etiam ipsius ducis juris atque tituli majorem notorietatem, jussu imperatoris dejectæ & alio translatæ sunt. In ipsa platea loco ejus eminentiore juxta parochialem ecclesiam sancti Vangulfi machina magna lignorum erecta est, & ascensus ad eam latus & grandis, effectumque in ipso ligneo ædificio quod sine aliquo tegumento erat, in medio tribunal positum est, sedesque a dextris & a sinistris ipso imperiali solio submissiores positæ sunt, pro iis principibus qui ipsi imperatori assidere deberent. Cum autem omnia præparamenta facta decenterque ornata fuissent, ad statutos diem & horam, magna & copiosa cujusque gradus, ordinis, ætatis & sexus multitudine assistente & exspectante actum talem videre, cujus similem forte numquam inspexissent, venit Cæsar magna principum & procerum Germanicæ nationis caterva stipatus: quo pro tribunali sedente cum infulis & diademate, ceterisque imperialis dignitatis insignibus, sibi assidentibus a dextris & a sinistris archipræsulibus Trevirensi & Moguntinensi sacri imperii electoribus, multis ducibus, marchionibus & comitibus, Metensi etiam episcopo, germano ejusdem domini Treverensis, advenit eques Burgundionum dux armatus, plurima

item procerum & nobilium, domeſticorumque ſuorum turba vallatus, qui cum ſuo comitatu, cum plateam bis aut ter adequitaſſet in circum, quod in talibus ſolemnibus inveſtituris moris eſſe aiebant, deſcendens de equo & per gradus aſcendens, ante conſpectum Cæſareæ dignitatis ad genua ſe provolvit, habens juxta qui vexilla ſua, in quibus arma Geldriæ aliàrumque terrarum & dominiorum ſuorum picta erant, in manibus tenuerunt; & tunc ad genua devolutus, hominii atque fidelitatis ſacramentum, ſubmiſſius quam ab iis qui paululum diſtantius adſtabant audiri potuiſſet, præſtitit atque de dicto ducatu Geldriæ ſolemnem inveſtituram accepit. Quo facto imperator cum ſuis deceſſit a prædicto duce Burgundiæ, ſuiſque ad palatium ſuum honorifice ſociatus.

CAPUT IX. *Quomodo cum cuncta præparata fuiſſent ad ſublimandum ducem Burgundiæ in regem, ſubito imperator, re infecta, non valedicto eidem duci, ex Treveri deſcendit ad Rhenum.*

FActa autem prædicta ſolemni inveſtiturâ, ea non contentus idem novus dux Geldriæ, in regem etiam Burgundionum ut ſublimaretur, & regnum illud antiquum Burgundiæ per multas principum ſucceſſiones ſuppreſſum & pene extinctum & obliteratum denuo inſtauraretur, & non dux amplius ſed rex Burgundiæ appellaretur, magna proſecutionis inſtantia apud præfatum imperatorem ſuoſque inſtitit: in tantum vero apud ipſum auguſtum ſuarum inſtantia precum, ſuæque magnificentiæ officiis, quibus honores pene aſſidue eidem exhibebat, effecit atque obtinuit, ut ſuis deſideriis ab omnibus palam eum aſſentire vulgaretur, facturumque eum regem, atque regio diademate ſceptriſque regalibus inſigniturum ab omnibus ſine aliqua hæſitatione putaretur. Id enim ipſe auguſtus ſe facturum fuerat pollicitus, adeoque res proceſſerat, ut dies ad tantæ rei celebritatem perficiendam acceptatus ſtatutuſque fuerit. Jam ſane ad perfectum perduxerat variorum opificum manus per totam urbem Treverim coronam, ſceptrum, vexilla, veſtes, ceteraque inſignia, quibus qui de novo creandus rex ab omnibus exiſtimabatur inſigniendus ornanduſque eſſet. In ipſa etiam ejuſdem urbis eccleſia majore, in qua ordinabatur ſolemnitas perfici, fecerat ipſe auguſtus thronos & tribunalia fabricari & erigi, præſenſque perſonaliter adfuerat ad diſponendum & præcipiendum quo in loco, & qualiter hujuſcemodi imperialis regiæ dignitatis ſolia atque ſedilia deberent collocari. Rogatus etiam fuerat Metenſis epiſcopus, qui & ſe ad hoc prorſus præparatum fecerat, ut miſſam, ſolemnia & ſacræ officium unctionis haberet celebrare atque perficere. Sed heu quam faciles & ex momento vertibiles ſunt & variabiles hominum voluntates, & quam fragiles ſunt hominum, & principum maxime, confœderationes & amicitiæ, quæ non fuerint Chriſti glutino copulatæ atque firmatæ! Profecto licet in multis ſæpe, tum maxime verificatum patuit quod ſacer cecinit pſalmus: *Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum in quibus non eſt ſalus:* ſubito nempe cum tanta inter ſe caritate, benevolentia atque amicitia conciliati æſtimarentur; cum una totiens in conviviis ſplendidiſſimis omni accuratione atque regio luxu apparatis comiter & amice epulati fuiſſent, cum omnia, ut dictum eſt, quæ ad tanti magnificentiam exigebantur honoris, quæſita & comparata eſſent, ita ut die tertio celebritas illius regalis faſtigii, & provectio novi regis, novique erectio regni, vel veteris & jam vetuſtate obſoleti inſtauratio atque innovatio ab omnibus cum magna attentione expectaretur, neſcio qua ſeu ſimultate, ſeu ut verius arbitror diffidentia vel ſiniſtra ſuſpicione ſubortis, imperator inſperate, & ipſo Burgundionum duce prorſus neſcio, ſummo mane navem conſcendens, deſcenſum ad Rhenum per flumen Moſellæ arripuit; & ita ipſius ducis Burgundionum, omniumque qui eum in regem ſublimandum crediderant, ſpes vacuata & fruſtrata, atque in momento exſufflata eſt. Eramus tunc in civitate Treverenſi, nullius tunc principum comitatum ſequuti, nec cuiquam eorum inſervientes aut ſervire affectantes: ſed nec tunc nec poſtmodum, licet ſatis ſollicite de cauſa illius ſubitæ diſceſſionis perquiſierimus, ad verum & certum eam noſcere potuimus. Cum vero de dicto imperatoris diſceſſu ſtatim poſt diei exortum a nonnullis idem dux certior factus fuiſſet, eique aſſertum jam navim in qua vehebatur imperator eſſe ante monaſterium beatæ Mariæ ad martyres, miſit cum feſtinatione de ſuis qui poſcituri eſſent eumdem imperatorem, ut vel breve colloquium cum eo dux ipſe habere poſſet, atque ut ad breviſſimam temporis morulam greſſum ſiſtere hujus rei gratia vellet: ſed poſtulatis annuendum minime duxit, curſumque cœptum continuavit, & ita infecto quod fieri a cunctis fuerat exiſtimatum, eo modo ab invicem male ſarto fœdere diſceſſerunt.

CAPUT X. *Quomodo poſt hæc dux Burgundiæ viſitavit comitatum ſuum Ferretenſem; & de acceſſu archiepiſcopi Colonienſis ad eum in Burgundia, atque rebellione dicti comitatus contra eum.*

POſtmodum vero cum ipſe dux Burgundionum terram ſuam Luxemburgenſem, vale facto Treverenſi urbi, repetiiſſet, cupiens inviſere ſuum comitatum Ferretenſem, quem

paucis ante annis ab Auſtriæ duce SIGISMUNDO comparaverat, ad eam terram viſendam eſt per Lotharingiam profectus. In qua terra, ſcilicet comitatus Ferretenſis, cum nonnullis oppidulis perluſtratis, cum aliqua parte ſuarum copiarum modico ſ tis tempore fuiſſet remoratus, relicto ibi ad ejuſdem terræ adminiſtrationem quodam milite indigena cognomento *Hachenbach*, exinde trajecit cum ſuis copiis in Burgundiam, in qua hiemis reſiduam & aſperiorem partem exegit. Cum autem illic eſſet, ad eum ſatis parum ſibi fauſto omine acceſſit archiepiſcopus Colonienſis Coloniæ Agrippinæ, qui de illuſtri Bavariæ domo originem duxit, & fratrem habebat illuſtrem & ſapientem virum comitem Palatinum Rheni. Hic archiepiſcopus, licet a capitulo eccleſiæ Colonienſis electus, & a ſummo pontifice confirmatus, atque ab imperatore regalia temporalis adminiſtrationis atque dignitatis eccleſiæ ſuæ fuiſſet aſſequutus, quaſdam tamen graves inimicitias atque odia capitulum ſuum & ſubditi vaſſallique ſuæ eccleſiæ contra eum exercebant, eique parere prorſus recuſabant. Ad eas querelas ſedandas & componendas ipſe imperator Coloniam petiverat, cum, uti diximus, e Trevirenſi deſcendit: in quo conſiſtens, eumdem archiepiſcopum, qui foras civitatem morabatur, nec ſe civibus committere ſatis tutum ſibi arbitrabatur, ad ſe ut veniret evocavit; ſed neſcimus quo conſilio ipſe archiepiſcopus ad eum accedere contemſit. Sane cum ſanguinis cognatione præfato Burgundionum duci attineret, qui etiam per genus maternum de eadem illuſtri Bavarorum domo traxit originem, relicto imperatore in Burgundiam ad ducem Burgundiæ cognatum ſuum ſe contulit, a quo auxilia poſtulans quem agnoſceret & armis potentem, & Germaniæ populis finitimis dominiorum ſuorum non parum formidini atque terrori eſſe, facilem ad hoc atque propitium invenit, promiſitque eidem ſe auxilio ſibi, cum primum poſſet, tranſacta hieme adfuturum: pro ſuorum autem præmio ſubeundæque hujus rei gratia impenſæ, eccleſiæ Colonienſis advocatum eumdem ducem ſuoſque heredes idem archiepiſcopus, ut aiebant, effecerat; per quam advocationem, auctoritatem & dominium ſuum etiam ad terras eccleſiæ Colonienſis propagare ipſe dux geſtiebat, quemadmodum paulo ante effecerat de terris eccleſiæ Leodienſis. Compoſitis itaque dux ipſe rebus ſuis tam in Burgundia quam in Alſatia, in ſuo comitatu Ferreti, jam tepente vere, menſe *Martio* repedavit cum ſuis copiis per eoſdem calles quibus illo profectus fuerat in terram ſuam Luxemburgenſem, Atqui in ipſo pene ſui reditus ac reverſionis limine, longe ſecus quam ſperaverat, res novas ſubditi comitatus ſui Ferretenſis contra ſe & imperium ſuum moliti ſunt. Dimiſerat, uti diximus, ad adminiſtrationem ejuſdem comitatus illum *Hachenbach* ſibi multum dilectum, qui homo ſtolidus, ferus atque nimium inſolens, in tantum tumorem ſuperbiæ atque arrogantiæ evectus erat, ut non modo ſubditis ejuſdem comitatus, ſed & Argentinenſibus & Baſileenſibus, ceteriſque finitimis populis, & potiſſime Suitenſibus, qui olim Helvetii nuncupabantur, valde redderetur exoſus; minabatur nempe ſe eis damna atque injurias illaturum, niſi ſuis decretis & placitis obtemperaſſent: Ferretenſibus etiam inchoavit novum quoddam vectigal ſeu impoſitum indicere ſuper potionibus quæ in terra venderentur, quod illius terræ accolæ per ante penitus ſe neſciiſſe aſſerebant. Hæc atque alia multa quæ vel in ipſius moribus, vel etiam in verbis nimis aſpera & faſtuoſa eis videbantur; ſimul etiam quod vires atque potentiam verebantur ducis Burgundiæ, quem videbant recenter armis conquiſiſſe ducatum Geldriæ, atque aſpiraſſe ad regnum, infra cujus limites, ſi res ſibi uti æſtimaverat proceſſiſſent, fuiſſe claudendi & circumſcribendi vulgo ferebantur, pacto inter ſe fœdere, ſimul etiam cum SIGISMUNDO duce Auſtriæ, qui, uti diximus, illum comitatum Ferretenſem ante annos paucos ipſi duci Burgundiæ vendiderat, ipſos Ferretenſes ad rebellionem adverſus Burgundiæ ducem concitarunt. Qui cum ad hoc non involuntarii eſſent, ſed defectionem ab eo, & cum Suitenſibus, & civitatibus finitimis confœderationem & colligantiam totis animis affectarent, ſe ab ejuſdem obedientia & ſubjectione ſubtraxerunt: quam defectionem ſeu rebellionem ut alicujus juridici coloris obtegerent velamento, aſſerebant ducem Auſtriæ SIGISMUNDUM, cujus per ante ditioni paruerant, ex lege dicta in venditione ſui comitatus feciſſe offerri duci Burgundionum pretium, quod pro eodem comitatu ipſe exſolverat, proteſtatumque fuiſſe, niſi id reciperet, ſe ad recuperandam rei a ſe venditæ poſſeſſionem deventurum: & quia hujuſmodi pretium recipere ipſe dux Burgundiæ contra legem venditionis recuſarat, ſe rationabiliter ab eo deficere, & ad priorem reverti dominum prætendebant. Qualiter autem cavent litteræ dictæ venditionis, & an redimendi facultatem pretio reſtituto venditori ſervarent, atque etiam ſi pretium ipſum verbaliter tantum vel etiam realiter & debito modo oblatum fuerit, ſatis compertum non habemus. Conſtat tamen quod Ferretenſes ſub eo colore defectionem attentarunt: cui cum obſiſtere & remedium dare prædictus *Hachenbach* adminiſtrator patriæ conaretur, atque hujus gratia præſidium circiter quadringentorum Burgundionum in oppido *de Briſach* collocaſſet, ducentorumque Germanorum peditum de terris

illis, cives illius loci veriti oppreſſiones hujuſdem *Hachenbach*, adjunctis & aſſociatis ſecum Germanis, qui illic in præſidio erant, Burgundiones ex oppido ejecerunt, & ipſum *Hachenbach* comprehenſum in carcerem detruſerunt; quod in hebdomada ſancta, vel feria quinta vel ſexta geſtum fuiſſe ferebatur. Rebellarant jam ante omnia ferme oppida & caſtella ejuſdem comitatus; & inimicos valde animos ad Burgundiones omnes illius terræ accolæ gerebant: unde cum ubique pene locorum, dictis Burgundionibus de Briſaco pulſis, a ruſticis patriæ inſidiæ tenderentur, non ſine magnis inſultibus & periculis multis particularibus ſe in Burgundiam recipere potuerunt; quo tamen tandem hujuſmodi ſuperatis periculis ſe contulerunt incolumes. Paulo autem poſt dictum *Hachenbach*, quem omnis populus partium illarum tam nobilium & militarium quam plebeiorum ingenti proſequebantur odio, facto conventu publico ex proceribus & accolis civitatum vicinarum in judicium adductum, & de multis accuſatum, atque, uti aiebant & vulgo jactitabant, convictum criminibus, ſupplicio affecerunt.

CAPUT XI. *Qualiter Burgundiæ dux obſidionem poſuit ad Nuſſiam oppidum eccleſiæ Colonienſis.*

QUæ cum jam fuiſſe factitata illuſtris Burgundionum dux audiiſſet, ſeque ſui ita comitatus Ferretenſis poſſeſſione ſpoliatum, quem paucis ante annis multo emerat auro, & rebellantes ſubditos a ſe deficientes venditori eidem, a quo ipſe eum emerat, ſeſe redhibuiſſe & denuo tradidiſſe, gravibus ira atque indignatione adverſus eos incanduit, cogitans quatenus commodiori via eos edomitos ſibi ſubigere, atque in ſeditioſos & potiſſimum ſeditionis auctores tantas ſuæ dignitati irrogatas injurias vindicare poſſet, commodius per Germaniam & oras Rheni copias ſuas ad illas Alſatiæ terras poſſet trajicere, in quibus alimentorum copia, rerumque uſui belli & pacis neceſſariarum exuberans erat, quod factu facile ſibi reputabat, & abſque ullo pene negotio poſſe perficere, copulato ſibi favore terrarum archiepiſcopatus Colonienſis, quem abſque difficultate habiturum confidebat, ex iis quæ archiepiſcopus eidem paulo ante ſuggeſſerat. Promulgatum enim publice erat eumdem archiepiſcopum, ut procliviorem eum ad ſe defendendum contra ſuos rebelles redderet, ſibi affirmaſſe, eumque ita in fidem ſuarum aſſertionum adduxiſſe, ut non dubitaret civitates & oppida eccleſiæ Colonienſis quamprimum eum cum ſuis adventaſſe copiis, eumque velle ſe aggredi ac expugnare proviſerent, nullam ei facturos reſiſtentiam, ſed ſtatim non expectantes ſe expugnari vel obſideri deditionem facturos, & his quæ eis mandaret parituros. Quod ſi ita ſibi, uti in animum induxiſſe videbatur, res ei proceſſiſſet, obedientiamque civitatis & terrarum ipſius eccleſiæ Colonienſis nactus fuiſſet, procul dubio ſatis veriſimile eſt parvo negotio per terras eccleſiæ Moguntinæ, aliaſque intermedias primum ſibi & ſuis iter fuiſſe aperiturum, quoad terras uſque & agros Argentinenſes & Alſatiæ perveniſſet. Deſtinaverat autem, ſi iter hujuſmodi, uti ſperaverat, conficere, & quas ſecum habebat copias illo traducere potuiſſet, etiam ex Burgundia, ubi magnam habebat partem copiarum ſuarum, aggredi terras illas Alſatiæ, & ita a diverſis aggreſſus partibus facile in ſuam eas redigere ditionem. Sed quam longe aliter ac æſtimaverat, eique a dicto archiepiſcopo fuerat ſuggeſtum res proverint, ex his quæ referemus apparebit, ut quemadmodum ſæpe & in multis, tum in hoc eventu verum eſſe pateat, quod ſacer canit pſalmus: *Quoniam Dominus diſſipat cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum.* Cum enim menſe Julio in agris Trajectenſibus juxta flumen Moſæ copias ſuas coëgiſſet, fuiſſetque caſtra metatus, ſtatim poſt ad obſidendum oppidum Nuſſiæ ſupra ripam Rheni fluminis caſtra admovit, ipſum oppidum magnis militum agminibus terra flumineque ex quadam adjacente inſula cinxit atque obſidione vallavit. Circiter autem emenſo ante biennio hujuſcemodi oppidum, quod eſt de patrimonio archiepiſcopatus Colonienſis, propter quaſdam ſatis ſævas exactiones, quas in cives loci & oppidum archiepiſcopus facere, ut vulgo ferebatur, attentarat, ipſi cives a domino ſuo defecerant, atque obedientia ſibi ſubtracta, ſeſe in libertatem vindicarant, & confœderarant capitulo Colonienſis eccleſiæ, quod ſimultates graves adverſus ſuum archiepiſcopum obſervabat, ceteriſque etiam oppidis eccleſiæ Colonienſis: cauſabantur nempe ipſum archiepiſcopum non ut patrem & paſtorem dominandi legitime uſum poteſtate, ſed regio more, ſeu potius tyrannico, nulla fide atque juſtitia ſervatis, ſubditis eccleſiæ pro ſua libidine in quos liberet ſævire voluiſſe, eorum abutendo corporibus atque bonis: unde talibus occurrere ſtudentes periculis, ab ejus ſe ditione abſtraxerant, & ſeſe in unum cum nobilibus & oppidis patriæ colligarant. Et quia Burgundionum dux qui paulo ante, uti retulimus, Gelriam conquiſierat, propter magnam ejuſdem potentiam atque viciniam terrarum ſuarum ipſis magno terrori atque formidini erat: quod etiam ſcirent archiepiſcopum ſuum eis infenſum, malum ad eos animum obſervare, ſeſe ante ingruentem neceſſitatem prudenter atque providenter præmunire curarant; ſuumque oppidum vino, frumento, ceteriſque ad vi-

ctum neceſſariis, atque iis quæ pro oppidi ſui protectione ac munimine opportuna exiſtimaverant opulenter & copioſe impleverant. Ad quam rem etiam Colonienſes eos plurimum amicarant *conſilio*, & *juverant* auxilio; nam una cum Lantgravio Haſſiæ, quem veluti adminiſtratorem temporalium eccleſiæ Colonienſis aſciverant, & futurum deſiderabant archiepiſcopum ſuum, ſi potuiſſent alium quacumque vi vel aſtu depellere, collocarant illic magna militum præſidia undecumque poterant collectorum, qui ad numerum mille & octingentorum præter loci accolas aſcendere ferebantur.

CAPUT XII. *De providentia & induſtria obſeſſorum & Colonienſium, & de adventu imperatoris Coloniam, atque exercitu quem ex tota pene Germania illic congregavit.*

IGitur cum obſidione eos cinxiſſet Burgundionum dux, & magnas illo copias contraxiſſet tam ſuorum Burgundionum & Picardionum, quam etiam Italorum & Anglorum, quos ad ſua fovebat ſtipendia, non tam facilem ipſius oppidi comperit expugnationem vel deditionem, quemadmodum initio ratus erat, ſibique fuerat ſuggeſtum. Nam oppidani, uti egregie & opulenter victualibus & armis erat refertum oppidum, ita cum militibus, quos in præſidio habebant, ſolertiſſime atque ſtrenuiſſime ſeſe ad oppidum tutabantur: una enim pars eorum alternis vicibus ſemper in mœnibus atque turribus, & inter ipſa mœnia & ante murale die noctuque excubabat, explorare non ceſſans, ſi quoquo modo vel jaculo vel bombardula obſeſſorum aliquem ferire ac dejicere potuiſſent; unde eveniebat frequenter ut ex obſidentium caſtris potiſſime de Italis, quos acerbiore inſectabantur odio, aliqui necarentur: & cum infra unius menſis vel circa ſpatium ipſe Burgundionum dux ipſum oppidum vel expugnare vel ad deditionem coarctare ſperaviſſet, nec integro prope anno, quo caſtra etiam per totam hiemem & æſtatem illic habuit, ipſum potuit obtinere. Hanc quidem providentiam in ſuorum diſtributione ac diſpenſatione victualium obſeſſi tenuerunt, ut duas tantum vel tres coquinas facerent pro omnibus qui in oppido erant, de quibus cuilibet diſtribuebatur ſecundum quod pro inſtante neceſſitate videbatur opportunum. Inter ipſas vero obſidionis moras, cum obſeſſi Colonienſibus denuntiari feciſſent, ſibi pulveres pro bombardellis & machinis ſuis deficere, miſerunt ipſi Colonienſes quingentos viros pedites, quorum unuſquiſque certam de hujuſmodi deferebat pulveribus quantitatem: qui hora condicta noctu clam caſtra Burgundionum penetrantes, ad portam uſque oppidi, in qua eos oppidani operiebantur, penetrarunt incolumes, introque abſque ulla concitatione admiſſi ſunt; per proditores aut transfugas didicerunt ſignum, ſeu ſignum vigiliarum illius noctis: hoc autem & obſeſſis ſolatium & munimen, obſeſſoribus vero magna attulit incommoda. Sane cum illic Burgundionum dux ſua caſtra haberet, quæ ibi menſe Auguſto anni milleſimi quadringenteſimi ſeptuageſimi quarti primum locaverat, & terrâ cis Rhenum atque flumen, navali etiam expeditione longa obſidione obſeſſos premeret, nonnullas etiam copias peditum circiter ad duo millia hominum Colonienſes trans-Rhenum ex adverſo Nuſſiæ collocarunt, qui ne Burgundiones illam trans-Rhenanam provinciam incurſarent, ex eave annonam ſibi quærerent aut prædas agerent, averterent, a quibus infeſtabantur non modicum caſtra hoſtium, ad quæ uſque petras & alia jacula ſuis machinis jaciebant. Sed cum ex ſuis viribus ad longum non confiderent Colonienſes potentiæ ducis Burgundiæ poſſe reſiſtere, *quin* & Nuſſienſes & ipſi poſtmodum deditionem facere cogerentur, ſi non aliunde ſibi defenſionis præſidia compararent, toto anniſu curarant, ut FRIDERICUM imperatorem in ſua Auſtria quieſcentem, cum expeditione quadam ad ſuam adducerent civitatem. Ipſorum igitur frequentibus & pene aſſiduis pulſatus precibus & querelis, allectus etiam muneribus & honorariis, (*nam certam* pecuniæ cotam menſtruam pro impenſis ſibi faciendis, quamdiu in ea expeditione remoratus eſſet, & donec ad fines ſuos proprios remeaſſet, promiſiſſe atque exſolviſſe ipſi Colonienſes ferebantur,) copias ex tota pene Germania contrahere eſt adortus. Mandatis igitur ſuis imperialibus ad omnes Germaniæ civitates, quæ vulgo imperiales dicuntur, directis, ſingulis imperavit, ut certum numerum armatorum ad Colonienſem urbem præfinito eis tempore tranſmitterent. Acceſſivit & plures ex principibus Germaniæ & eccleſiarum prælatis, potiſſime electores ſacri imperii, ut cum iis quas contrahere poſſent copiis ſimiliter parati adeſſent ad conſtitutum diem. Erat tum per totam Germaniam & trans-Rhenum & cis Rhenum per omnes ferme civitates, oppida & villas ingens ſtrepitus armorum, multaque verborum jactantia de comprehendendo Burgundionum duce, quem, ut vulgo ferebant, manus ſuas effugere impoſſibile foret: ſed ipſe nihilominus in ſua immotus perſeverabat obſidione, ſeſe etiam ad excipiendum, ſi aggrederentur eum hoſtes, diligenter ac ſolerter præparans. Currebant adhuc inter Francorum regem & ipſum treugæ, quæ anno ſuperiore inter eos initæ fuerant, duraturæ uſque ad finem menſis Aprilis, quæ ne prorogarentur inter eos tota Germania verebatur; unde ipſe imperator crebras pro ea re, & alii Germaniæ

maniæ principes legationes ad Francorum regem, & vice versa mittebant, satagentes ut ex duabus partibus aggressus Burgundionum dux, & velùti quodammodo conclusus, plagas quas ei tendebant nullatenus posset effugere. Cum igitur imperator esset Coloniæ, qui ex se nullas copias advexerat, sed domesticam dumtaxat familiam suam, magnus concursus ex tota Germania factus est armorum. Nam omnes pene Germaniæ imperiales civitates copias, quæ imperatæ fuérant, transmittebant. Adventarunt etiam cum exercitibus suis quantos colligere potuerant, alter Saxonum dux, marchio Badensis, landgravius Hassiæ, archiepiscopi Moguntinus & Trevirensis, & episcopus Monasterienſis, aliique comites & barones, ex quorum concursu conflatus est numerosus magis quam verendus exercitus. Jactabant quamplures eos ascendere ad centum quinquaginta millia, alii ad plus, alii ad minus, quod verisimilius æstimamus. Sed esto esset numerus quantumvis magnus, erat tamen multitudo collecta ex agris & de otiosis mechanicis civitatum Germaniæ, qui gulæ & ventri dediti, cauponas & lupanaria potius quam militiæ castra frequentare assueverant, aut se in armis exercere. Erant enim plerumque juvenes, aut talibus instructi armis, quæ fugam potius vel cruentam cædem quam victoriam eis polliceri viderentur, nonnullis exceptis equitibus, quos principes secum adduxerant, qui equis & armis more Germaniæ competenter erant instructi.

CAPUT XIII. *Qualiter rex Francorum recuperavit Perpinianum; & de innumeris pene jacturis & damnis, quæ Burgundiæ ducis terræ & subditi sui a Francis passi sunt, finitis treugis, dum adhuc ante Nussiam in obsidione maneret.*

COllecta igitur tam numerosa multitudine, putari potuisset Burgundionum ducem, qui longe minores secum copias habebat, de fuga potius cogitare, quam de exspectando talem tantumque exercitum debuisse, præsertim cum jam prope menses octo in obsidione ante Nussiam, totamque hiemem, quæ imbribus, gelu, atque nivibus satis aspera & importuna fuit, pertransisset; sed nihilo ut videbatur inde deterritus, quamvis tam ex ictibus machinarum obsessorum, quam variis ex morbis contractis ob longam sub dio remorationem atque dormitionem, aliisque quamplurimis incommoditatibus, satis numerosam multitudinem militum, armorum & equorum amisisset, constanter & perseveranter in sua obsidione persistens, imperatoris & suorum Germanorum adventum expectabat. Sed quia de prope imminebat finis treugarum, quæ, uti diximus, usque ad finem mensis Aprilis inter regem Francorum & ducem Burgundionum pactæ fuerant, earum rupturam atque finem imperator & sui principes expectare videbantur, ut Germanis ex una, & Francis ex altera partibus in ducem Burgundionum suasque terras impetum facientibus, ipse nec evadere, nec effugium aliquo in loco habere posset. Interim autem decurrentibus adhuc ejusmodi treugis, rex Francorum laboravit subigere sibi oppidum illud Perpiniani, nonnullosque qui ab eo defecerant in comitatibus Rossilionis & Ceritaniæ in Cathalonia, quos quidem, missa illuc magna parte suarum copiarum, absque negotio ad deditionem coëgit, impositis eis quas voluit legibus. Ex nobilibus autem terræ, ex his qui rebellionis auctores fuisse ferebantur, capti bello plures puniti fuerunt ad alios edomandos. Similiter etiam cum oppidulum quoddam supra ripam Rheni inter Coloniam & Confluentiam nuncupatum.... pertinens archiepiscopo Colonienſi, haberet præsidia circiter quadringentorum Burgundionum, quæ commeatum annonæ descendentis per Rhenum Coloniam, cursumque navium plurimum impedirent atque infestarent, ad illa impedimenta tollenda fecit imperator per marchionem de *Brandedenburg* & alios principes ipsum obsideri; cujus cum mœnia & propugnacula petrariarum ictibus dejecta fuissent, obsessi deditionem fecerunt. Ipsi vero, obsidione durante, cum certus numerus incolarum oppidi Andernaci collocatus esset supra ripam Rheni, in opposito obsessi oppidi *Linx*, irruit in eos quædam turma equitum Burgundionum, qui circiter ducentos ex ipsis occiderunt, unde luctus magnus & ejulatus in Andernaco fuit. Porro adveniente treugarum fine, quæ, uti retulimus, ultima die mensis Aprilis anni 1475. finiebantur, aggressus est Francorum rex cum magna & valida manu diversis ex partibus incursare, subigere, & vastare terras ducis Burgundiæ: & cum ipsi duci per ante fœderatus extitisset dux Lotharingiæ, filius FERRICI comitis de *Vaudemont*, eique jurisjurandi vinculo satis arcte constrictus, sollicitatusque per regem, statim rupto fœdere, veluti de statu Burgundiæ ducis prorsus desperans, & tamquam impossibile existimans, ipsum tot hostium quot tum sibi imminebant e manibus elabi posse, cum certa parte copiarum regis invadere cœpit terram Luxemburgensem, igne & ferro nonnullas villas & castella ipsius populatus, cum in ipsa terra nulla præsidia militum Burgundionum dux collocasset, sed undecumque commode potuerat ad se contraxisset: unde facile erat ipsi duci Lotharingiæ atque Francis, qui se sibi in unum conjunxerant, & in ea parte ubi nullus ad resistendum obvius recurrebat, pro libito agere. Et certe plurimi admirati sunt, cum tanta sibi subjiciendi terram illam defenso-

ribus nudatam, allata Francis ipſique Lotharingiæ duci adſoret opportunitas, quod non eam ſibi totam ſubegerunt, quod procul dubio tunc abſque magno negotio communi omnium ferme æſtimatione efficere potuiſſent. Satis enim hoc convinci poterat ex facilitate qua caſtrum Petræ-fortis & oppidula Montisfalconum, *Danvilier*, vel expugnarunt, vel ad deditionem cōgerunt. Ex alia item parte verſus Lugdunenſes & Borbonienſes provincias validus militiæ regis exercitus Burgundiam etiam invaſit, & villas atque caſtella, plurima igne, ferro & prædis popularunt: ubi cum ad tutelam patriæ certum militiæ ſuæ numerum cum nobilibus & accolis terræ pro munimento dux Burgundiæ reliquiſſet ſub ducatu domini *de Ruſſy*, filii comitis ſancti Pauli, qui erat conſtabularius Franciæ, quem & mareſchallum & gubernatorem fecerat Burgundiæ, cum incurſantibus patriam Francis ipſe minus provide ad eos depellendos ſeſe objeciſſet, ab eis circumventus, cæſis plurimis de ſuo comitatu, captus in eorum manus vivus devenit. Aggreſſi etiam fuere proxima ante hieme, dum treugæ adhuc manerent inter Francos & Burgundiones, & ipſe dux in caſtris ante Nuſſiam jaceret, Suitenſium populi cum Argentinenſibus, Baſilcenſium & Ferretenſium copiis fines Beſontionum; quibus cum reſiſtentiam dare & patrios fines contra eos tutari atque defendere milites illic pro præſidio ſibi cum numeroſa ex agris collecta multitudine conarentur, plures ex ipſis plebeiis cæſi & vulnerati fuerunt, aliis ſibi per fugam conſulentibus, intuleruntque incendiis & cædibus damna plurima hujuſcemodi Alemanni, prædaſque non paucas fecerunt illa atque iterum etiam altera vice in comitatu Burgundiæ; ita quod magna profecto infelicitas & anguſtiæ multæ tum Burgundionum ducem, terraſque & ſubditos ſuos atterebant. Et quod non parum calamitatem adaugebat, nec nuntium nec epiſtolas, eo quod aditus omnes ad petendam Burgundiam ab hoſtibus obſeſſi & obſerati ſervarentur, ut vel animos ſuorum confirmare & conſolari, vel opportuna eis conſilia aut ſubſidia præbere poſſet, nec illo mittere, nec vice verſa inde niſi cum maximis periculis & difficultatibus poterat accipere: qui enim deprehendi poterant ſeu illo euntes, ſeu inde revertentes, abſque ulla miſericordia necabantur ab hoſtibus. Deficiens quippe ab eis amicitia Lotharingica cum ſuo duce, quæ paulo ante & amica & pervia ſuis libere extiterat, in has eum atque ſuos detrudebant anguſtias, terraſque ſuas vicinjores graviter infeſtabant, incendiis & rapinis cuncta quæ poterant devaſtantes. Sed & longe ceteris cladibus gravius ei imminebat exercitus regius, rexque ipſe Francorum, qui contractis maximis copiis tam equitum quam peditum, terras Picardiæ & Hannoniæ graviſſime affligebat, incendiis, cædibus & rapinis cuncta complentes: incurſantes quippe ex Ambianis & Belvaco agros illos vaſtiſſimos Arteſiæ & comitatus Pontivi, cuncta vaſtando incendiis, & prædis diripiendo, ad portas uſque Atrebati, & altera vice ad portas uſque *de Heſdinch* penetrarunt & devenerunt. Apud Atrebatum autem poſuerat dux Burgundiæ dominum JACOBUM fratrem comitis ſancti Pauli conſtabularii Franciæ, & comitem de *Romont* alterum ex principibus germanis Sabaudiæ ducis, cum certo militum præſidio equinum ac peditum, qui cum quodam die a civibus & populo urbis compulſi ad debellandos hoſtes exiiſſent cum armis portas civitatis, contigit cum improvide & minus caute hoſtes perſequerentur, ut inſidiis hoſtium circumventi, plures tam ex equitibus quam peditibus & plebeiis civitatis ſatis immaniter trucidarentur, & plurimi captivi ducerentur, inter quos & præfatus dominus JACOBUS de ſancto Paulo captus fuit, & ad regem adductus, a quo hodie adhuc coaſſervatur. Incurſarunt & altera vice iidem Franci uſque ad portas oppidi Valencenenſis, ſed cives loci calamitate, quæ Atrebatenſes invenerat, cautiores effecti, mœnia ſua & portas tutari, abſque hoc quod foras exeundo majore ſe periculo immergerent, ſatis ſibi eſſe putarunt. Ingens itaque metus atque pavor oppida & terras ducis Burgundiæ undique invaſerat, & ſollicitos atque anxios omnium animos detinebat, cum ſe viderent undique, & quaqua verſum divertere poſſent, ab hoſtibus aggreſſos cum validis & potentibus exercitibus: ſuum autem principem in caſtris ſuis ante Nuſſiam ita detineri occupatum, & ab innumerabilibus ferme, ut vulgo jactabatur, Germanorum copiis velut obſeſſum, ut nec ſibi nec ſuis ſatis opitulari poſſet. Viderunt præterea oppidula Montis-Deſiderii, *Corbie*, ſancti Richarii, *Roye* & *Dourlens* vi capta & incendio ex parte cremata, cæſis & ex parte pluribus eorumdem locorum accolis, vel ad minus omnibus bonis ſuis ſpoliatis: quæ utique ſimul perpenſa non levis metus & formidinis cauſas cumulabant; ſed ſtupor ex tam imminentis exitii præſentia & exangues pene & attonitos cunctos reddebat, velut omnis defenſionis auxilio deſtituros. Nec dubitandum eſt ſi Francorum rex cum ſuis copiis cœpta ſuiſſet proſequutus, quin vel per agros Hannoniæ vel Leodienſium terras ad Nuſſiam uſque ſatis facile, & nulla vel modica inventa reſiſtentia, pertranſire potuiſſet: quod ſi feciſſet, & cuncta fere oppida intermedia vi vel metu in deditionem recepiſſet & ad extremam neceſſitatem ducem Burgundiæ deduxiſſet. Abſtuliſſet enim ſibi & commeatus & pabuli copias, & in has eum detruſiſſet anguſtias, quod ſi premente cum ac perurgente famis neceſſitate caſtra

moviſſet, vel ad caſtra Alemannorum vel regis Francorum expugnanda progreſſurus, ſemper a tergo alterutras vel Germanorum vel Francorum copias e veſtigio inſequentes habuiſſet; quarum ſingulæ exercitu ducis numeroſiores longe erant, & ad congrediendum atque dimicandum cum tam parvo numero validiores & robuſtiores ab omnibus ferme putabantur. Atqui inter tantas curas atque anguſtias dux ipſe Burgundionum velut impavidus, in caſtris ſuis immotus manebat, adhortans ſuos ad conſtantiam, pollicenſque quod ſi imperator cum ſuis Germanis, qui medio itinere inter Coloniam & Nuſſiam caſtra metatus erat, in quibus per plures conſtitit dies, movens inde propius caſtra ſua appropinquaret, quod non expectaret quod ſua caſtra juxta ſua committeret, ſed prior ipſum viriliter aggrederetur, quam ſibi Deus daret fortunam expectaturus.

CAPUT XIV. *Quomodo dux Burgundiæ caſtra imperialia invaſit; & de reditu regis Francorum ex Normannia, qui imperatorem ad componendam pacem adduxit.*

CUm igitur frequentibus intercurrentibus nuntiis certior eſſet factus imperator, regem cum magnis copiis eſſe in Picardia, illicque omnia ſibi proſpere cedere, ſperanſque ſi vel in propria perſona ſe ſibi adjungeret, & ex ſua parte quiſque Burgundionum ducem conſtringeret, & ad neceſſitatem cedendi, aut movendi ſe ad certamen adverſus tam potentes ac numeroſos exercitus perurgeret, contra quos nulla aut perexigua ſpes victoriæ ſibi relicta videretur; aut ſaltem ſi in propria minime idem rex accederet, quod copiarum ſuarum meliorem portionem ſub ducatu aliquorum ex potioribus ducibus ſuis ſibi deſtinaret, movit ex loco quo conſederat, & juxta caſtra ducis Burgundiæ ſua locare conſtituit. Quod prævidens Burgundionum dux, promiſſorum quæ ad ſuos fecerat non immemor, priuſquam munimentum caſtrorum imperialium completum eſſet, dum ad id opus perficiendum, ſeſeque foſſa & vallo cingendum & communiendum ſui vigilanter inſiſterent, illico Germanos tale quid minime ſuſpicantes, cum decem aut duodecim millibus equitum cum ingenti fragore & horrendo crepitu ſerpentinarum & machinarum quas ſecum adduxerat invaſit, e quibus ſtupore nimio perterritos plurimos occidit & protrivit. Sed longe plures cæſi peremtique ex ipſis fuiſſent, niſi forte opportune ſuperveniens epiſcopus Monaſterienſis cum quatuor aut quinque millibus ſuorum Weſtphalorum, tam equitum quam peditum expeditorum, incendium tale ne longius evagaretur reſtinxiſſet, ceteriſque ut armis ſeſe inſtruerent hoſtibus ſe opponendo ſpatium effeciſſet. Qua Burgundionum audacia deterriti imperator & principes ſui, cum per ante de pace componenda verbum audire nullatenus ſuſtinerent, ad eam non modo requirentibus dandam, ſed ad ultro petendam ſunt inflexi. Rediit itaque Burgundionum dux incolumis ad ſua caſtra Nuſſina, quæ tamen non ſine bono præſidio reliquerat, paucis ex ſuis deſideratis: ſed quia nox ipſum ducem reditum maturare perurgeret, aliquas de iis quas ſecum adduxerat ſerpentinas dimiſiſſe ferebatur, & nonnulli majorem multo ſtragem hoſtium facturum fuiſſe, ſi non videndi quo loco opportunius irruendi in hoſtes, qui longe lateque diſperſi erant, vapor & fumus ſuarum machinarum, quas præ ſe in fronte devehi fecerat, facultatem abſtuliſſet, arbitrati ſunt. Tanta enim velut nebula & tam atra ex ictibus hujuſcemodi machinarum aër incraſſatus erat, ut qua parte hoſtium cuneos potius invenirent non ſatis poſſent agnoſcere. Igitur tali ſubita irruptione in hoſtes a Burgundionibus facta, emolliti ſunt utcumque feroces animi imperatoris & ſuorum Germanorum, & ſtatim poſt de pace componenda inter ſe verbum habuerunt. Porro cum hiſce diebus cum ingenti expeditione & claſſe, quas Anglorum rex apparaverat ad aggrediendum regnum Francorum, & auxilium ferendum Burgundionum duci ſororio ſuo, atque ejuſdem appulſa ad littora Normanniæ celeberrima tunc fama crebeſceret, ſeu ſincere, ſeu potius ficte & ex compoſito, quod a plurimis creditum eſt, comes ſancti Pauli, quem conſtabularium Franciæ fuiſſe ſupra diximus, regem Francorum, qui in Picardia tum erat, & in ea magna perficere ſatis proſpere inchoarat, atque procul dubio, ni inde revocatus fuiſſet, facturus veriſimiliter erat, per nuntios & epiſtolas terrefecit, ſibi intimans, ut a feliciter cœptis eum retraheret, quod rex Anglorum ad littera Normanniæ jam cum claſſe ſua appulerat, vel in procinctu erat illo appellendi, & quod de hoc ipſe certior erat factus: quæ res a rege credita, mature eum cum ſuis copiis in Normanniam repedare fecit. Quod cum feciſſet, & quod ſibi a dicto comite ſancti Pauli ſuggeſtum fuerat comperiſſet veritate non ſubſiſtere, quam de perfidia ſua diu ante ſuſpicionem acceperat, ut ſibi amplior & vehementior fieret facile effecit; quæ quantum apud eum tum ex hoc, tum ex aliis multis invaluerit atque potuerit ex his quæ infra referemus luculentius apparebit. Interea autem perſeverabat Burgundionum dux ante Nuſſiam; ſed cum imperator agnoviſſet Francorum regem e Picardia in Normanniam revertiſſe, famaque eum minime lateret de magno apparatu claſſis & armorum quem Anglorum rex, uti diximus, in Anglia faciebat, cujus trajectio & adventus ad littora Gallicana proxime futuri dietim nuntiabantur, proclivior redde-

batur ad pacem cum duce Burgundiæ conciliandam, ſciens quod ad ferendum eidem duci auxilium contra ſuos hoſtes hujuſmodi expeditio & claſſis Anglicana parabantur, quæ tanta tamque numeroſa fama ferebatur, ut merito formidabilis cunctis hoſtibus eſſe videretur. Conjiciens etiam ſi ipſe Anglorum rex in Franciam trajeciſſet, tanta impedimenta Francorum regi fore præſtiturum, quod ab eo contra Burgundionum ducem auxilia, quæ habiturum ſe confiderat, minime habere poſſet; parte etiam ex alia, quoniam inter eumdem ducem & præfatum Anglorum regem ſororium ſuum condictum erat, quod quamprimum ad Gallicana littora appuliſſet, ſibi deberet dux occurrere ei aliiſque ſibi fœderatis, quos in Francia, licet ob metum regis adhuc latentes & occultos, habebat, ſalaria præbiturus. Multum deſiderabat & affectabat ipſe dux cum imperatore & Germanis fœdus percutere, ut honeſte ac tuto ex Nuſſia diſcedens, præfato Anglorum regi ſuiſque aliis fœderatis quæ promiſerat obſervaret.

CAPUT XV. *Quomodo interventu apoſtolica ſedis legati pax inter imperatorem & Burgundiæ ducem facta fuit.*

ERat tum Coloniæ & in caſtris imperatoris ſatis frequens & aſſiduus ANDREAS epiſcopus Forlivienſis a ſede apoſtolica legatus in partes Germaniæ, qui ad pacem hujuſcemodi componendam multum laboris & vigilantiæ impendebat: nam ſingulis prope diebus de imperatore ad ducem, & vice verſa intermedius percurrebat; cujus tandem opera atque laboribus effectum eſt, ut uterque certis quibuſdam legibus ſua in caſtra in diverſum moveret, & ad propria revertentes abſque bello ambo diſcederent. Quod cum conventum extitiſſet, ita ut jam milites ducis Burgundiæ ad viſenda caſtra imperialia ſecuri accederent, & contra, venirentque mercatores Burgundi ad comparanda vina ceteramque neceſſariam annonam quibus Germani abundabant, Burgundi vero patiebantur penuriam; quodam die obortа rixa inter nonnullos ex militibus ambarum partium, pene effectum eſt ut rupto fœdere iterum ſævius quam antea ad arma concurreretur. Cum autem hæc rixa prope Nuſſiam inchoaſſet, & præſidia quæ Colonienſes ex alia ripa Rheni ex oppoſito Nuſſiæ, ut ſupra diximus, locaverant, hujuſcemodi rixam animadvertiſſent, inſilierunt in naves onerarias jacentes in Rheno, in quibus dux Burgundiæ jam machinas & bellica inſtrumenta, quæ ad munimen ſuorum caſtrorum habuerat, ad terras cum ſuppellectile ſua devehendas repoſuerat: ſimiliter etiam negotiatores qui ſuppeditandæ annonæ, ceterarumque rerum exercitui ducis neceſſariarum gratia caſtra ſequuti fuerant, in eiſdem navibus ſua condiderant bona, & cum eaſdem de præſidiis militaribus nudatas inveniſſent Germani, eo quod pacta inter principes abſoluta erant, & nulla jam de certamine vel congreſſione ſuſpicio ducebatur, facile nullo reſiſtente ceperant, eaſque tamquam prædam ſuam Coloniam adduxerunt undecim numero, vel ſexdecim, ut alii aſſerebant. Quo facto graviter de dolo & perfidia Burgundionum dux apud imperatorem & ſuos principes querebatur, comminatus niſi ſibi ſtatim reſtitutio fieret, ſe ſuoſque denuc ad arma profilire. Quæ dum per dies aliquot querelæ protraherentur, intercurrentibus ultro citroque nuntiis & legatis, præfato etiam apoſtolicæ ſedis legato, & labores plurimos aſſumerent ad reſarcienda inita & confirmata pacta, quæ ruptura & recidivi belli periculo ſubjacere videbantur, auditis allegationibus juſtiſque querelis quæ pro pacto ducis fiebant, cui ſi aliqua rixa inter aliquos particulares concitata fuerat præter ejus voluntatem & aſſenſum, id præjudicium afferre non debebat, præſertim cum etiam ab adverſariis ortum habuiſſe injuriam affirmaretur, imperator princeps obſervantiſſimus æqui decrevit fieri reſtitutionem ablatorum, aſſentientibus ſibi in hoc ſacri imperii electoribus, ceteriſque qui tunc aderant principibus Germaniæ. Nolebant enim pro quocumque temporali damno vel commodo, quod illic animadverti ſeu æſtimari potuiſſet, notam perfidiæ aut cujuſcumque turpitudinis vel levem ſuſpicionem incurrere, quæ veræ nobilitati execrandæ ſemper atque abominandæ ſolent exiſtere. Sed licet ita fieri decretum ab auguſto foret, ea res tamen multitudini Colonienſi, præcipue apud quos naves & bona abacta ſervabantur, vehementer diſplicebat; & ſi refragari potuiſſent, omnia bello miſceri, quam reſtitutionem fieri potius voluiſſent. Unde dum ſuper facienda reſtitutione adhuc conventus & conſilia haberentur, de caſtris Germanorum quodam velut furore ſeu nimia temeritate invecti exierunt circiter quadringenti viri pedites ſuis inſtructi armis, qui caſtra Burgundionum, qui parvo intervallo a caſtris imperatoris diſtabant, propius ſunt auſi accedere. Aiebant enim ſe velle experiri, ſi Burgundiones viri animoſi eſſent, qui eis auderent congredi: verum id profecto non parvo ſui detrimento ſunt experti. Illico enim e Burgundionum caſtris exilierunt, qui eos *in momento* trucidarunt, & armis & veſtimentis ſpoliatis etiam in proſpectu ſuorum, qui in ſuis manebant caſtris, expoſitos beſtiis terræ & volucribus cœli nudos reliquerunt: quod profecto factum eſſe creditur ad diſciplinam publice fanciendam, ut non facile ceteri eo deterriti exemplo, aliquid contra vetitum imperatoris aut ejus mandatum contumaciter & inobe-

dienter aut temere attentare præſumerent, quemadmodum illi præſumſiſſe dicebantur. Facta igitur fuit reſtitutio ablatorum duci Burgundiæ, licet Colonienſibus valde invitis, in quorum civitatem præda tenebatur, ut diximus, & quoad facultas eis renitentibus.

CAPUT IV. LIBRI VI. *De condemnatione & ſupplicio ſumto de cancellario ducis defuncti, & de domino* de Humbercourt.

PORro cum multi æſtimationem haberent, quod illi duo qui legationis cauſa regem adierant, & primores atque præcipui inter ceteros extiterant, videlicet cancellarius defuncti ducis Caroli, & dominus *de Humbercourt* afficerentur ad fœdera cum rege, pacemque copulandam, vellent principiſſam inducere & ſuadere ſibi, quod in conjugium, quod rex deſiderabat, ſuum animum inclinaret, & de hoc in vulgus Gandenſe, qui tum inter ſe ſeditiones & tumultus pene jugiter exercebant, rumor exiiſſet, illos duos pro illa cauſa tamquam capitalium criminum reos apprehenderunt, & in carcerem detruſerunt. Quibus ita apprehenſis, quia fuerant in conſilio defuncti ducis principales, quos vel injuriarum quas ſub defuncto tolerarant, vel metus quo ſerviliter preſſi fuerant, recordatio ſtimulabat, ſtatim omnium ferme popularium, qui Gandavi exiſtebant, ad eos perdendos & e medio tollendos furor armabatur. Et quamquam illa vel maxime quam retulimus cauſa animos multitudinis veriſimiliter moveret, tamen de multis concuſſionibus, fraudibus & corruptelis, variiſque aliis criminibus contra eoſdem articuli producti & exhibiti fuerunt conſulatui oppidi Gandenſis, ceu loci magiſtratibus, ſibi de hujuſmodi plenariam juriſdictionem & cognitionem vindicantibus. Cumque res ipſa & agendi modus principiſſæ, quæ in oppido præſens tunc aderat, & ſuo conſilio non parum diſpliceret, requireretque ipſa principiſſa tum per ſemetipſam, tum per nuntios ac legatos variis ac diu & multotiens iteratis vicibus, quatenus ſibi dicti capti reſtituerentur, tamquam dominæ & principiſſæ patriæ, ad quam ſolam juriſdictio & cognitio de objectis in eos criminibus & accuſationibus pertineret, utpote qui & præcipui conſiliarii atque officiarii ſui, ſuoque aſſidentes lateri, & velut principales domus ſuæ ſibi familiares exiſterent, hoc tamen minime impetrare potuit, tantum ad eorum perditionem multitudinis animi ferebantur. Contra eos igitur coram prædicti oppidi Gandenſis magiſtratibus atque delegatis a variis tum oppidi tum privatis diverſorum ſtatuum & graduum perſonis, prout unumquemque ultionis de ipſis capiendæ cupiditas, vel acceptæ ab eis injuriæ recordatio perurgebat, de diverſis cauſis & capitulis quæſtio habebatur: ſuper quibus cum diu ſatis ad inſtruendas criminum cauſas, & etiam uſque ad quæſtionem de ipſis acceptam proceſſus deductus agitatuſque fuiſſet, dicerenturque publice de multis criminibus ſatis enormibus in jure confeſſi & convicti, tandem capitalem ſententiam acceperunt. Et quamvis a diverſis valde differenter de capitulis criminum pro quibus ſupplicio adjudicati fuerunt referretur, talia tamen inter multa retexi a viris prudentibus audivimus, quæ leges humanæ ſanxerunt ultimo ſupplicio punienda; quamquam hujuſmodi pleraque talia erant quæ duce CAROLO imperante minime pro crimine ducebantur. Atqui profecto etſi de pluribus concuſſionibus & corruptionibus rei tenerentur, ea tamen potiſſime neci & ſupplicio adjudicandi fuiſſe a prudentioribus cauſa putabatur, quare eos de medio auferri multitudo præcipue affectabat, quod de conciliando cum rege pacem, & copulandam ſuam principiſſam matrimonio cum filio ejus affectionem eos gerere æſtimabant. Non autem ceſſavit eadem optima principiſſa & ſupplicibus precibus, & quibuſcumque poſſet viis atque modis, priuſquam de damnatis ſupplicium ſumeretur, intercedere, procurare, inſtare & orare ut eiſdem venia donaretur, & ne de eis pœna ſumeretur. Sed tanta fuit obſtinatio adverſus eos eorum qui eos ſublatos extinctoſque volebant, ut neque preces neque minæ, ſeu interventiones quæcumque eos ſupplicio ſubducere potuerint: quod profecto ſatis luctu atque lacrymis dignum fore videbatur, cum eſſent duo viri mundana & ſeculari prudentia multum callentes, atque plurium magnarum rerum expertiſſimi. Erat præterea ipſe cancellarius licet humili ſatis loco editus, homo tamen juris & totius litteraturæ ſecularis peritiſſimus ac doctiſſimus, eloquentia etiam & dicendi copia atque promtitudine ornatiſſimus, pluribuſque egregiis inſignitus virtutibus ferebatur. Eis igitur capite plexis, hujuſcemodi vitæ temporalis ac tranſitoriæ finis fuit.

CAPUT V. *De duce Clivenſi quid Gandavi ageret, & de legatione regis ad principiſſam, & alia legatione miſſa denuo ex parte principiſſæ & ſuorum ad regem.*

SEd nec propterea ceſſarunt ſeditiones & turbæ apud Gandavenſes: verum nonnullos ex præſtantioribus civibus ſuis carcere recluſos velut repetundarum reos capite etiam puniverunt, nec facile oppidi portas egredi per plures dies cuiquam licebat abſque licentia armatæ plebis, quæ forum obſervabat & illic excubabat: unde cum quodam die epiſcopus Leodienſis, qui avunculus erat principiſſæ, ad ſua rediturus portas exire tentaviſſet, negata ſibi egrediendi facultate, ad

hoſpitium ſuum reverti compulſus eſt. Erat & illic in oppido dux Clivenſis, qui principiſſæ materteram ducis Borbonii, & dicti Leodienſis alteram ſororem in conjugio habuerat, qui affinitatis gratia ad conſulendum principiſſæ & terris ſuis illo ſe contulerat; de quo fama fuit quod ad copulandum matrimonialiter ipſam principiſſam filio ſuo intenderet, & quod hujus rei gratia illo acceſſiſſet. Ad quem finem ut pertingere poſſet, miro modo animos omnium, qui de terris principiſſæ illic conventum celebrabant, diſtrahere ſatagebat, ne cum rege fœdera iniret, neve principiſſam ſuam matrimonio copulari alicui principum Gallicanæ linguæ paterentur, ſed potius ad aliquem illuſtrium principum Germanicæ nationis animum intendere vellent; illorum quippe faſtum, ſuperbiam atque avaritiam, aliorum vero benignitatem, liberalitatem, moreſque humanos & faciles, ſpectaros comtoſque haberent. Et hoc quidem ipſis non erat perſuadere difficile, quibus odium quod adverſus ducem ſuum CAROLUM acerbiſſimum conceperant idem dudum ſuaſerat. A quo affectu nec alieni erant etiam principiſſæ ſubditi, quibus eſt Gallicana lingua materna. Experti enim vicinorum qui ſub regis degunt imperio miſerias & calamitates duriſſimas, quibus premuntur ſervitutes, nec faſtus ambitioniſque ſui ducis nuper extincti immemores, qui more regio eiſdem imperare inchoarat, & plenius atque abundantius id complere diſpoſuerat, non magnopere exoptabant principem habere ex proceribus ſeu magnatibus Galliarum, quos ferme omnes eiſdem regendi artibus inſtitutos, & in eadem ſchola imbutos, non abſimiles fore regi conjectabant. Miſit autem ipſe rex juxta pollicitationem ſuam, qua promiſerat ſuos ſe oratores miſſurum ad filiolam ſuam, deputatoſque ſtatuum qui Gandavi convenerant, quemdam Oliverium barbitonſorem ſuum, ſed noviter ab eo creatum & nominatum comitem *de Maleeq*, qui morum ſuorum merito cognomentum acquiſiverat: qui veniens Gandavum cum uno ſimplice ſecretario regio, petiit ex parte regis habere colloquium ſecretum ad partem cum principiſſa ſola. Quod cum audiviſſet, ceterique qui de ejus aderant cognatione & conſilio, mirati ſunt & non modicum ſtomachati; primum quod rex talem infimæ ſortis & conditionis hominem, talique, uti diximus, inſignitum cognomento, ad talem tantamque principiſſam legatum miſiſſet, & pro tanto tamque arduo negotio pertractando; deinde quod tantæ principiſſæ juvenis puellæ colloquium remotis arbitris expeteret, quod prima facie eum in mandatis a rege habere non credebant; unde factum ſibi fuit reſponſum, quod ſi vellet coram eadem principiſſa & nonnullis de ſua conſanguinitate & conſilio, per paucis numero, ſuæ negotiationis onus exponeret; namque cum tali tantaque juvencula ſola ſeorſum habere nec fas neque honeſtum videretur. Quod cum hujuſmodi legato reſponſum fuiſſet, dixit ſe non aliter in mandatis a rege expreſſum habere, ſed ad regem libenter ſe miſſurum, eumque deſuper conſulere, ut uti ipſi optabant ſibi fieri placeret. Expectavit itaque per aliquot dies Gandavi ſui reditum nuntii operiens, qui cum ei retuliſſet a priore placito regem quidquam immutare nolle, ii vero omnes qui aſſiſtebant principiſſæ, cunctique qui illic de terris ejuſdem aderant tale regis placitum tamquam irrationabile & inhoneſtum, ſuſpectumque de nequitia & dolo perhorreſcerent atque vehementer improbarent, accepta licentia idem legatus ad eum qui ſe miſerat infecto prorſus negotio reverſus eſt. Fuit autem & alia legatio ex parte principiſſæ & ſtatuum terrarum ſuarum ad regem tranſmiſſa, cui cum rex nihil annuere vellet, niſi filiola ſua eorum principiſſa filio ſuo deſponſaretur, haberetque, ut legitimus tutor, ſui ſuarumque terrarum tutelam atque gardiam, etiam inanis atque ſine fructu Gandavum reverſo itinere rediit.

CAPUT VI. *De legatione imperatoris* FREDERICI *miſſa Gandavum, & de matrimonio inter principiſſam præſentem & Maximilianum per legitimum procuratorem per verba de præſenti contracto.*

UNde cum hæc ita de principiſſæ ſtatu ſuarumque terrarum ſub variis opinionum humanarum affectionibus fluctuarent, illuſtriſſimus FREDERICUS dux Auſtriæ, Romanorumque imperator non immemor ſponſionum & pactorum, quæ inter ſe & CAROLUM defunctum patrem ejuſdem principiſſæ paulo ante habitæ fuerant, licet remote agens apud Viennam Auſtriæ, legatos ſuos deſtinavit Gandavum ad principiſſam & deputatos terrarum ſuarum, qui, uti diximus, illo convenerant. Erant autem principales in ea legatione illuſtris LUDOVICUS dux Bavariæ, & epiſcopus Metenſis, qui & ipſe erat de illuſtri familia ac proſapia marchionum Badenſium, frater & filius duorum marchionum, qui noviſſimi fuerunt, & patruus moderni marchionis. Porro ante præmiſerat idem imperator quemdam virum venerabilem cancellarium ſuum GEORGIUM apoſtolicæ ſedis protonotarium, qui diligenter atque ſagaciter exploraret, an res ad intentionem ſuam perficiendam diſpoſitæ forent, ita ut non inaniter & infructuoſe tam ſolemnis legatio mittenda pro re tanta videretur: longe profecto differens erat ab ea quam rex, uti diximus, paulo ante miſerat, qui ſuum barbitonſorem pro re tanti momenti legatum miſerat, talis qualem diximus cogno-

menti titulo pro ſuis claris meritis inſignitum. Itaque cum cognoviſſent præfati legati, quid per præfatum dominum GEORGIUM, ſuper re pro qua profecturi erant, fuerat præparatum, cum ſpe bona potiundi optatis & cupitis præſentiam ipſius principiſſæ mature petierunt. Cui cum coram ſuis expoſuiſſent, qualiter inter illuſtriſſimum prædictum imperatorem patrem filii unici MAXIMILIANI, & inclytæ recordationis CAROLUM ducem nuper defunctum genitorem ipſius principiſſæ, promiſſiones atque ſponſiones firmatæ fuiſſent, de copulando inter ſe conjugio eoſdem illuſtrem Maximilianum atque ipſam principiſſam, de hiſque ſcripta authentica exſtarent & confecta fuiſſent, petebantque ut ipſa hujuſmodi paternis de ſe promiſſionibus factis aſſenſum ſuum annuere ac præſtare vellet: quod ſi facere vellet, habere ſe mandatum procuratorem validum a dicto illuſtri MAXIMILIANO ſponſo ſuo, de firmando cum ea ſacrum conjugii fœdus etiam per verba de præſenti. Sane cum tali conjugi tamque illuſtri copulari eamdem principiſſam omnes ferme terrarum ſuarum accolæ magno affectarent deſiderio, idque ipſi etiam puellæ placeret, quæ profecto jam matura viro ac nubilis erat, agens circiter decimum nonum ætatis annum, longe potius nuberet pari tali copulata marito, quam ſi nuptui fuiſſet data regio delphino puero vix octenni, quemadmodum ipſe rex fieri voluerat, erant enim Maximilianus & puella ejuſdem prope ætatis. Paucis igitur poſt emenſis diebus, matrimonium ipſum juxta ſponſionem parentum eſt concluſum, & firmatum etiam per verba de præſenti. Et hujuſmodi quidem matrimonialem contractum MAXIMILIANUS per legitimum procuratorem ſufficienter fundatum, ipſa vero puella per ſeipſam, geſtis publicis intervenientibus, coram pluribus illuſtribus teſtibus perfecerunt, cum multa alacritate & lætitia omnium fere accolarum & ſubditorum ipſius principiſſæ terrarum. Neque tamen id negare auſim, quamplures etiam fuiſſe de ſubditis ipſius principiſſæ, qui ad obviandum periculo, quod imminere de regis indignatione atque inimicitia, & præſens quodammodo cernebatur, maluiſſent placitis regis fuiſſe obtemperatum: atque, uti diximus, tam prava & ſiniſtra opinio de regis perfidia, ſuarumque inconſtantia & invaliditate promiſſionum omnium animis infixa manebat, ut quidquid pactum de eo vel expromiſſum tenerent, etiam ſub quavis juriſjurandi formula roboratum, nihil ſe efficax; & de quo ullatenus poſſent confidere, egiſſe æſtimarent, ſed potius ſua quæque ſacramenta & fœdera, tamquam reticula & decipulas quibus caperentur & irretirentur incauti, nec alias accipienda putabant.

CAPUT XI. *De adventu Maximiliani ducis Auſtriæ in Flandriam, & variis incurſationibus & populationibus agrorum, alternante fortuna per Francos Flamingos factis.*

POſtquam autem illuſtris MAXIMILIANUS ſuis diu expectatus princeps limites patriæ attigit, licet cum nullis vel paucis admodum copiis adventaret, populis tamen illarum terrarum pene jam ſpe deficientibus, ſuus deſideratus adventus plurimum attulit conſolationis & adjumenti: nam & ſubditis ſpem ingerens præſidii ac defenſionis, animos eorum ante depreſſos cœpit utcumque attollere; & quod non parvi æſtimandum erat, compreſſis ubique atque cohibitis ſeditionum motibus, quibus, uti diximus, ſingula ferme quæque oppida vexabantur, concordia e veſtigio conſequuta eſt. Peremenſis igitur mature per Lovanium & Bruxellam terris Brabantiæ, oppidum Brugas, ubi illuſtris MARIA ſponſa ſua ejus diu operiebatur adventum, recto calle petiit. Quo perveniens, cum fama crebeſceret regem cum magnis copiis Flandriæ fines aggredi velle, peractis & conſummatis paucis diebus nuptiarum ſolemniis, oppida ſua limitanea, velut Inſulas, Duacum, Corteracum, & quædam alia, ad ea conſolanda & ſpe meliore roboranda, adiit atque viſitavit, eiſdemque vel nova præſidia militum providens, vel vetera adaugens, reddenſque validiora, ſimiliter etiam ea & annona neceſſaria & armis opportunis ac propugnaculis faciens communiri. Quibus peractis, & confortatis ubique ſuorum animis, Brugas iterum ſeſe recepit, ubi & ſolemne feſtum velleris aurei, inſtar ſoceri ſui celebravit, delectis collegis ad paucum numerum ex proceribus & nobilitate terrarum ſuarum, quos tam generis nobilitas, quam pro rebus fortiter & ſtrenue geſtis fama celebrior attollebat: tales enim qui ceteros virtute vel generis claritate præcellere exiſtimantur, & non alii, ad hujuſce inſigne ſocietatis collegium adſciſci & annumerari conſueverunt. His autem peractis, cum hiemis intemperies & terrarum illarum ſolita aquarum illuvies utriuſque partis copias non pateretur in caſtris contineri, rex in Franciam ad ripas Ligeris ſeſe recepit, diſpoſitis per varias ſtationes ſuis militibus in hibernis, e quibus Atrebati & Tornaci & in terris limitaneis magna præſidia dereliquit; curam habens atque ſollicitudinem non parvam facere de Francia & Normannia aliiſque finitimis provinciis advehi annonam neceſſariam, cum pro ſolatio Tornacenſium, qui quodammodo velut obſeſſi terris atque oppidis hoſtilibus cingebantur, quam etiam oppidorum Artheſiæ, in qua magna ex parte propter guerrarum immanitatem agri inculti jacebant; unde neceſſe erat ad hujuſmodi

locorum munitionem & provisionem militum, qui illic relicti erant de remotioribus provinciis victualia provideri: quæ res provincialibus regiæ ditionis aliis superaddita gravissimis collationum & servitiorum oneribus, non parvo oneri atque incommodo fuisse ferebatur. Sed cum ita hiberni absque castris decurrerent menses, in hibernis utrimque militibus distributis, conatus magnus intentabatur per MAXIMILIANUM Austriæ ducem & Flamingos, ut Tornacensibus omni facultate sublata annonæ de foris advehendæ, civitas ipsa ad extremam coacta penuriam, defectionem a rege facere, & subire leges quales eis eidem Austriæ duci & suis dare libuisset. Et quidem ut durius constringerentur, & citius ad suum desiderium perficiendum idem dux pervenire posset, contractis undique copiis tam Flamingorum quam Germanorum, qui quotidie ex superiore Germania ad suam servitutem eique auxilium ferendum per turmas descendere non cessabant, exiit in agros Tornacenses, villas circumquaque universas incendio & rapinis pervastans, ita ut nec domus in illo territorio Tornacensi intacta remansisse diceretur. Quo facto, sic populatis & vastatis hujusmodi agris, ad propria rediit. Sed nec sic tantum eos coarctare potuit, ut ad civitatis deditionem, ad quam intendebat, pervenire potuerit. Et licet multa per Flandriam in vulgo jactarentur, quod a Francis de annonæ necessariæ adversione civitati subveniri posset, quodque totis viribus aditus omnes, per quos hujusmodi vectio & transitus fieri possent servarentur, sic quod regiis omnis inhiberetur accessus, conatus tum hujus effectum non habuit. Collectis enim ex præsidiis, quæ in limitaneis locata erant, quingentis vel sexcentis lanceis cum magnis peditum copiis, duces seu capitanei regii minime inhiberi potuerunt, ab his qui hoc esse facturi sperabantur, quin cum magno numero curruum & vectionum annonam vini, frumenti, ceterarumque rerum necessariarum Tornacum invecherent, & eis subventionis præstarent solatia: quod cum fecissent, incolumes postmodum nemine obsistente ad sua redierunt. Et quoniam ex vastatione & incendio villarum circa Tornacum Francorum & Tornacensium animi non parum ad ultionem capiendam fuerunt concitati, ipsi vicem utique multo superexcedentem cremando & diripiendo villas circumquaque oppidum Insulense, Cortracum & Oudenardum rependerunt. Quod enim damnum in suorum populatione agrorum inferri potuerat, parum atque exiguum erat comparatione hostilium circumquaque terrarum, in quas eos pervagari & prædas atque incendia agere in promtu ac perfacile erat. Pro parvis itaque quæ subierant damnis, sine comparatione majora ac latiora referebant: non tamen semper impune & absque sui detrimento id facere sunt permissi. Nam cum aliquando, uti assueverant, circa Oudenardum incursatum venissent, de ipsis Francis plures vel cæsi vel capti manserunt, quorum qui plures ad octingentos, alii ad quingentos, alii ad trecentos numerum ascendisse dicebant. Et tales atque hujuscemodi tam circa Tornacum quam circa sanctum Audomarum ludos frequentes alternante fortuna exerceri atque fieri, & in limitibus Hannoniæ aiebant hieme procurrente.

CAPUT XIX. *De lamentabili obitu illustris dominæ* MARIÆ *filiæ unicæ* CAROLI *Burgundionum ducis, ducissæ Austriæ.*

IIs hujus temporis incidentiis, quæ nobis minime visa sunt silentio transcunda, quam breviore potuimus narratione perstrictis, ad principalis nostræ susceptæ prosequutionis ordinem redeamus. Procurrerunt quippe treugæ illæ annales, negata prorsus commerciorum inter utrasque terras, regis scilicet & ducis, communicatione satis tranquille, nonnullis tamen latrunculis semper ultro citroque rapinulas facientibus contra limitaneas villas amborum dominorum. Verum dum sic ab armis utrimque quiesceret, satis infaustus ipsi Austriæ duci provenit casus. Nam illustris illa MARIA conjux sibi dilectissima, defuncti CAROLI ducis Burgundionum unica proles, in oppido Brugis ex hac instabili luce subtracta est. Cum enim ipsa, quæ in flore erat suæ juventutis, exiisset dicti oppidi portas, & vecta equo recreationis causa agros vicinos lustraret, contigit equum quo vehebatur seu terrore repentino, seu lascivia concitatum, sursum se ab anteriore parte elevando retro labi & cadere, quo ipsa casu contrita & graviter oppressa, atque ad domum suam debilis reducta, infra paucos dies post ex hac transitoria vita, incertis semper & periculis & casibus plena, migravit ad Dominum. Erat pro ætate & sexus conditione prudens & bene morata, fide ac pia ad Deum devotione simul & benignitate atque eleemosynarum largitione commendata: unde cunctis terrarum suarum subditis ipsius tam præceps & immatura mors magni luctus, nec minus illustri etiam MAXIMILIANO ejus conjugali, qui eam, uti par erat, unice diligebat, attulit occasionem. Horum autem luctus non parum deliniebat atque solabatur, quod tantorum dominiorum & insignium terrarum heredes post se reliquerat unum filium nomine PHILIPPUM, & unam filiam nomine MARGARETAM; nam nisi ita venisset, & absque liberis ipsa diem obiisset, illis clarissimis terris suis ipsius defectio verisimiliter statum infelicem & valde turbulentum importasset, quod clementissime per ejuscemodi de ea superstites liberos divina benignitas avertit.

CAPUT

CAPUT XX. *De exordio graviſſimæ ſeditionis atque calamitatis quæ inde civitati Trajectenſi provenit, & de captione oppidi Leydis in Hollandia per exules Hæcſenſes, & ejuſdem recuperatione.*

NOn etiam arbitramur ſilentio prætereundum triſtem & infauſtum eventum tumultuoſæ ſeditionis, quæ ea tempeſtate contigit in civitate Trajectenſi, quam tunc ipſi incolebamus. Ea civitas caput olim & velut mater extitit totius Friſiæ, & his adhuc temporibus in ſpiritualibus pontifex & princeps, rex idem hominum Chriſtique ſacerdos, ejuſdem Friſiæ atque Hollandiæ præſulatum tenet, latum etiam habens proprium & peculiarem principatum epiſcopali conjunctum dignitati. Ipſius civitatis accolæ ab antiquo conſueverunt inter ſe civiles contentiones exercere & habere, quemadmodum plura etiam inter ſeſe habent oppida & oppidani Hollandiæ atque vicinarum terrarum, quæ in tantum procurante inimico homine ſatore zizaniorum & diſcordiarum in terris illis invaluere, ut acerbiſſima uſque & pene implacabilia odia proceſſerint, nedum inter ſe oppidorum aut unius oppidi civium, verum etiam inter unius domus & familiæ conjunctiſſimas perſonas. Eſt enim illic videre patrem adverſus filium, fratrem adverſus fratrem & uxorem contra maritum odio partialitatum inardeſcere. Et quemadmodum per urbes Italiæ quondam efferbuere partialitates Guelphorum & Gibellinorum, quarum nedum in pleriſque locis omnino radices evulſæ ſunt, ita & in iis terris Hollandiæ & Trajectenſium ac finitimis ſe odiis ac ſectis partialitatum inſequuntur *Hacch* & *Cabeliaus*, hoc eſt hamus & piſcis; quæ cum citra annos ducentos, ut aiunt, exortæ ſunt & quodammodo ſopitæ detorpuerunt atque delituerunt, imperantibus illuſtris memoriæ PHILIPPO patre & CAROLO ejus filio Burgundionum ducibus, qui eas in apertum erumpere metu pœnarum prohibebant; ſtatim tamen velut ab inferis redivivæ ſeſe attollentes, mortuo Carolo duce, e latebris emicuerunt atque palam prodierunt. Sic & in Gallia noſtra ætate ſeſe graviſſime & odio implacabili proſequentes fuere Burgundiones, & qui Arminiaci dicebantur: quæ tamen infauſta ſectio, quæ multis civibus atque populis, proh dolor! exitio fuit per annos circiter quadraginta, miſeratione divina abſoluta eſt & penitus extincta. Ea vero quæ Hæcſenſium & Cabellionenſium inimicitia atque partialitas vulgo nuncupatur, tam alte radices miſit in animis hominum, & tam tenaciter eos adunavit, ut quamvis ſtulta, & ſine rationis probabili aliquo colore exorta, vel ſaltem nuncupata videatur, cum & hamus & piſcis, quem vulgo *Cabeliau* nominant, ex æquo omnibus populis Hollandiæ communis ſit, qui hujuſcemodi etiam piſcium ac ceterorum piſcatione victum & magnas divitias comparare conſueverunt, attamen nec exhortatione aut doctrina Verbi divini, nec timore Dei aut principum ſanctionibus vel edictis ab hujuſcemodi diſſenſionum nefandiſſimo atque perniciosiſſimo ſeminario hactenus purgari vel conquieſcere poſſunt, quin ſemper hæreat fixum in intimis præcordiis; imitanturque majorum ſuorum ſemper infelicia veſtigia, & nati natorum & qui naſcuntur ab illis. Ex hac nefanda malorum radice, contigit anno Domini 1480. quod cum de oppido Leydis Hollandiæ nonnulli civium exularent de parte Hæcſenſi, & ſe apud Trajectum recepiſſent, inito fœdere cum his qui tum magiſtratum in ea civitate gerebant, cujus cives, ut fertur, ab antiquo partes illorum Hæcſenſium ſatis pertinaciter defendebant, auxilium ab eiſdem poſtularunt; quod cum facile impetraſſent, circiter ducentos viros de civibus ſuis, clero tamen civitatis & communitate de hoc nihil ſcientibus, eiſdem exulibus ad ſuum oppidum Leydenſe, ſi poſſent, recuperandum commodarunt, quorum & conducta cuidam militi Reynero *de Broechuyſen*, & cuidam Henrico *de Meuelde* commiſſa fuit. Hi autem *Lyoſ* proficiſci velle ſimulantes, celanteſque propoſitum quod mente conceperant, ad idem Leydenſe oppidum noctu applicuerunt. Erat tum gelu ſatis aſperum, ita ut aqua qua ipſum oppidum cingitur in glaciem durata, ſicca & ſolida veſtigia calcantibus facile præberet. Tranſmiſſo itaque vallo, oppidanis nihil hoſtile ſuſpicantibus, ſed in ſtratis ſuis ſecure quieſcentibus, hujuſcemodi exules cum ſuo comitatu Trajectenſi, nullo obſiſtente, oppidum irrumpunt, quod ita ingreſſis, concurrentibus ad ſe aliis in eo oppido ſuæ factionis, Hæcſenſis ſcilicet, eo illico potiti ſunt. Cui inopinatæ irruptioni cum illi adverſæ factionis, licet longe plures numero & opibus potentiores eſſent, veluti jam captivi & ſubacti obniti non auderent, ex ipſis circiter quadraginta, direptis domibus ſuis, in variis locis ſub cuſtodia traditi ſunt, tenueruntque exules cum aliis ſuæ factionis oppidum, ſeſe de injuriis ſatis atrociter ulciſcentes, & varias prædas atque rapinas pro libito exercentes. Verum tali aſtu & dolo ſibi parata auctoritas non in longum eis permanſit; nam paulo poſt cum dux Auſtriæ Hollandiæ princeps in Hollandiam trajeciſſet cum parvis admodum copiis, exterriti Trajectenſes, quos exules ſecum adduxerant, & non minus ab his qui de adverſa factione erant in oppido, quam a principis invaſione formidantes, Trajectum cum præda quam fecerant repedarunt: & ſic oppidum in priſtinam libertatem ſub principis manu ac poteſtate receptum eſt, ejectis aut fugientibus

illis qui in illud fortunæ irruperant.

CAPUT XXI. *Quomodo dominus de Egmonda Dordracum ſubegit, Hæſenſibus inde pulſis; & de decretis & mandatis ducis Auſtriæ contra Trajectenſes.*

JUvit huic Leydenſis oppidi recuperationi non modicum, quod illis diebus contigit in oppido Dordraco. Nam cum illius loci cives & rectores ab antiquo velut duces ac primiores partium Hæcſenſium factionis fuiſſe aſſerantur, eaſque partes pertinaciſſimo animo retinerent atque foverent, trahentes ad ſe ac pollicentes vel terroribus vel blanditiis atque ſuaſionibus quoad poterant alia patriæ oppida, pleraque jam ab olim ex ipſis ad ſuum conſenſum perduxerant, veluti oppidum de Gouda, Sconoviam, Rotterdamum, & alia nonnulla loca, in quibus factio Hæcſenſium longe validior & robuſtior exiſtebat, oppreſſis vel ſubactis & exulare coactis qui de contraria factione ſuſpecti haberentur. Hi audita irruptione facta per Hæcſenſes, uti diximus, in oppido Leydis, ſupra modum exhilarati pro ſuæ factionis virium incrementò, adverſæque partis depreſſione ac diminutione, totam in brevi Hollandiam ſub ditionem ac poteſtatem partium ſuarum redacturos ſe ſperabant: atqui longe ſecus ac ſperaverant eis e veſtigio provenit, utilius quidem atque felicius quam ipſi tum exiſtimabant; nam quidam ſtrenuus miles dominus de Egmonda, collectis clam & ſub ſilentio ducentis circiter viris armatis, eos in duabus aut tribus navibus occultatos & tectos ſecum adduxit, oppidumque irrupit. Quod cum ſtatim ſenſiſſent hi qui ſtudioſi partium Cabeliauſenſium erant, de ea re veriſimiliter ante præmoniti, continuo eis qui irruptionem fecerant ſeſe ſociarunt, atque ita illos qui diverſæ factionis erant & magiſtratuum honores in eo geſſerant, atque a multis retro temporibus velut principes totius factionis Hæcſenſis extiterant, ſub inimicorum ſuorum manum atque poteſtatem redegerunt. Fuit in illa irruptione alter burgimagiſtrorum oppidi cæſus, qui obvius cum armis inventus, cum obſiſtere adverſariis conaretur, oppreſſus eſt. Et licet nonnullorum qui præcipui auctores factionis ante fuerant bona direpta ſint, & de quibuſdam ductis in Hagam-comitis ſupplicia ſumta, quoad plebeiam tamen multitudinem oppidum intactum remanſit. Cujus ſubactione cetera oppida ejuſdem antea factionis, quæ ſuum potius principem contemnere, quam ad eum debitum ſubjectionis & obedientiæ ſervare videbantur, exterrita & emollita, ſe ejuſdem ſui principis dominationi magis devota atque obedientia exhibuerunt. Nec tamen propterea radices ſeditionum a cordibus Hæcſenſium evulſæ prorſus ac emortuæ reddítæ ſunt, quin imo procul dubio manent alta mente repoſtæ: & ſi premente metu pro tempore teguntur ſilentio, tamen aliquando ſi in apertum emergere licuerit, verendum eſt ne in magnum irrumpant incendium, & ne acriores ſint morſus intermiſſæ libertatis, quam retentæ, juxta ſententiam Ciceronis; quam tamen peſtem Deus avertat, & omnia hujuſcemodi zizaniorum ſemina de ſuorum animis fidelium radicitus dignetur propitius evellere. Sed licet hi qui de Trajecto, uti prædiximus, oppidum Leydis in favorem exulum irruperant, oppido relicto ad propria revertiſſent, non tamen parvo injuriam in dicto inſigni oppido ſibi ac locis accolis factam dux Auſtriæ Hollandiæ princeps æſtimandam vel neglectui habendam duxit: verum gravi proinde ira ac indignatione adverſus Trajectenſes, & illos præcipue qui patrandæ injuriæ vel auctores vel ſatellites fuerant ſuccenſus, mandata atque edicta edidit, per quæ & Trajectenſes, ſi in terris ſuis deprehenderentur, & eorum univerſa bona, ubicumque in terris ac dominiis ſuis invenirentur, ſub arreſto ponerentur. Et primo quidem contra hujuſcemodi cenſuram & arreſta, ſi mens ſana & conſilium Trajectenſibus fuiſſent, facile mederi atque obviare potuiſſent; conſentiebat enim princeps manum ſuam levare & relaxare cenſuras levi multa a Trevirenſibus pro ſatisfactione injuriarum dependenda, modo ipſi dominum de Monteforti militem, atque exules terrarum ſuarum Hollandiæ civitate ſua pellere voluiſſent, quos exules ex pactis olim conventis inter principes Hollandiæ & Trajectenſes, ut videbatur, in ſua civitate retinere non poterant. Quod cum Trajectenſes facere minime curarent, paulatim res in aſperiorem & periculoſiorem ſtatum progreſſæ ſunt.

CAPUT XXII. *Quomodo Trajectenſes in ſuum rebelles pontificem accerſierunt dominum* de Montfort *in civitatem.*

HAbebant tunc pontificem Trajectenſes dominum DAVID DE BURGUNDIA cognominatum, naturalem filium PHILIPPI bonæ memoriæ illuſtriſſimi Burgundiæ ducis. Ipſe David litteris competenter inſtructus, & humana prudentia & animi magnitudine callebat: qui cum cathedram pontificalem rexiſſet per annos plures 24. ſatis feliciter & tranquille, quamdiu præfati principes vitam in humanis egerunt, ſtatim CAROLO extincto, ſublatoque metu, qui profecto utiliter Trajectenſes alioſque eccleſiæ ſubditos a rebellionibus & civilibus diſſenſionibus cohibuerat, quid homines quietis ac odiorum impatientes animo geſtirent, quantumque illum egregium ſuum principem ac paſtorem ipſi Trajectenſes diligerent, e veſtigio

celare minime potuerunt. Creverant ſub ſereno pacis in qua ſub eo jamdiu vixerant in magnas opes, & civitatis ædificia tam ſana quam profana in florentiſſimum & honeſtiſſimum ſtatum producta erant: acquiſierant quoque ſinguli pene cives Trajectenſes, unuſquiſque pro ſuarum modulo facultatum, annua vectigalia vel hereditaria, vel ad vitam ſuper ſingula ferme Hollandiæ vicinarumque terrarum oppida, quorum ſumma ſupra quinquaginta ſex millia florenorum aſcendere ferebatur in anno. Statim itaque, ut diximus, extincto Carolo duce, cujus viventis metus infirmis & ſeditioſis animis Trajectenſium tamquam tutor pupillis utilis valde ac neceſſarius extiterat, cogitarunt peſtilentes nonnulli, quanam via ſeſe ſubducere poſſent ab obedientia & ſubjectione, quas ad dominum ſuum exhibere & obſervare conſueverant, ut abdicatis ſeu proſcriptis qui magiſtratus & officia civitatis gerebant, poſſent ipſi ad eoſdem magiſtratus gerendos accedere. Videntes autem hoc, niſi ſub ducatu alicujus potentis, non facile conſequi poſſe, accerſierunt præfatum dominum de Montforti, quem ſuæ factionis dignum rati ſunt futurum executorem. Ferebatur enim eum contra dominum ſuum epiſcopum Trajectenſium jam olim ab ante quaſdam exercuiſſe ſimultates, propter quod ſe præſto adfuturum auxilio eorum qui ſe accerſierant non recuſavit, ſed protinus eorum paruit voluntati; ingredientique civitatem raro admodum ſatellite, ſtatim magna turba hominum eorum, qui res novas & omnia turbari ſemper exoptant, ejus lateri ſe adjunxit, ſic quod nullo negotio nullaque ex adverſo data renitentia, illico civitate velut imperio eſt potitus; iiſque vel profligatis vel amiſſis qui magiſtratus antea geſſerant ex voluntate pontificis, ſecedentibuſque e civitate omnibus vicariis & officiariis epiſcopi, alios magiſtratus novos illic pro voto inſtituit, claveſque portarum civitatis ab eis quorum fidei antea creditæ fuerant, amovit & ſibi aſſumſit. A toto pene populo civitatis, potiſſime tamen ab his qui ſuæ factionis participes vel etiam auctores extiterant, ſibi multum applaudebatur, & quaſi priſcæ ſuæ libertatis reſtitutor publice privatimque ferebatur, fiebantque per civitatis plateas frequentes epulationes per vices, nunc in una vicinia nunc in alia, ita ut civitas in hujus novitatis exordiis jugiter ferme feſtiva videretur. Sed profecto non eodem faſtu reſponderunt ultima primis, imo hujuſce vanæ exultationis extrema tandem calamitoſus ac graviſſimus occupavit luctus. Qui ſuæ inſtaurator libertatis publice jactabatur, in tantam demum univerſam civitatem ac tam miſerabilem ſervitutem redegit, ut nihil ferme a ſervis pœnæ addictis cives Trajectenſes differre viderentur, moreque jumentorum aut

A pecudum paſſim adverſus eos quos eiſdem paraverat hoſtes die noctuque per imbres, nives ac frigora exire, & vitam ſuam periculis omnibus exponere cogerentur. Hæc fuit libertas, hæc privilegia Trajectenſium reſtituta per adventum domini de Montforti. Ad miſeram tamen ſuæ calamitatis & ruinæ fortunam, craſſam quamdam ignorantiam, ipſa Trajectenſium civitate ſe excuſante, cauſabantur plures e civibus nonnullique de clero adverſus dominum & paſtorem ſuum, quod quadam majore imperandi ambitione
B elatus, duce Carolo germano ſuo ſuperſtite, cujus nomen & potentia non modo ſuis ſubditis, ſed & vicinis terris formidini atque terrori ſemper fuerant, idem ſuus pontifex privilegia ſuorum civium decurtabat, quæ in quadam charta dicunt ſe habere, obſervari involabiliter a ſuis pontificibus, dum primum in dominium & poſſeſſionem patriæ ingrediuntur, ſacramento ſolemni jurari conſueta. Sed quidquid exterius jactitarent, aliud, quo magis in ejus odium exardeſcebant, latebat ſub pectore clauſum. Nam cum, uti aiebant, qui mores civium Trajectenſium ab
C antiquis temporibus exploratos & agnitos habent ipſi ſaltem major pars ipſorum velut præcipui auctores ac pertinaciſſimi defenſores ſemper fuerunt Hæcſenſium factionis in omni circa regione, quam quia quodammodo depreſſiſſe, & Cabeliauſenſes extuliſſe in Hollandia Burgundiæ principes Philippus & Carolus ferebantur, adverſus eos, & conſequenter in ſuum pontificem & totam domum Burgundiæ odium vetuſtum conceperant, ſimul etiam quoniam eorum potentia
D ſemper eos ſub metu & terrore continuerat: vetere enim proverbio quos ipſi metuiſſent, conſequens fuit quod & odirent. Quem enim metuunt oderunt, inquit comicus. Unde & primum inviti ſuum eumdem pontificem, procurante duce Philippo, a ſede apoſtolica promotum, non valentes ejuſdem Philippi conatibus obſiſtere, ſuſceperunt, cum electus alter fuiſſet frater domini *de Brederode*, qui præpoſitus erat eccleſiæ S. Martini Trajectenſis, de familia utique quæ una vel præcipua ſemper fuiſſe fertur tenaciſſima partium Hæcſenſium in Hollandia. Ex his itaque animi latentibus morbis odia concepe-
E rant & inimicitias Trajectenſes multi contra ſuum pontificem, quamquam ex civibus gravioribus ac locupletioribus major numerus procul dubio ejuſdem ſui pontificis juſtitiam, benignitatem atque prudentiam penſantes, ſimul quietiſſimam & feliciſſimam pacem quam ſub ſuo præſulatu per annos amplius viginti quatuor habuerant, quæ raro eis tam diutina duraſſe cognita eſt in ſeculis retro actis, eum diligebant, & ut longævum eſſe in adminiſtratione epiſcopatus eum ſibi divina pietas donaret, votis ſupplicibus precabantur. His itaque aliiſque odiorum cauſis ſtimulati qui

pertinacius partes Hæcſenſium defendebant, aliis adverſabantur, qui ſuum pontificem ſequi ac diligere, & ſe reconciliare duci Auſtriæ, eumdemque ſibi placabilem efficere cupiebant.

CAPUT XXIII. *Quomodo Trajectenſes cupientes reconciliari ſuo pontifici & duci Auſtriæ, tentaverunt pellere civitate dominum* de Montfort *& bannitos, quod minime efficere potuerunt.*

ETenim cum ſatis animadverteret dictus dominus de Monteforti, ſi repropitiaretur civitati dux Auſtriæ, ſe ab ea repellendum fore cum ceteris ſuæ factionis, potiſſime bannitis de Hollandia, quos omnino dux Auſtriæ expelli volebat, clam acceptis certis Rutheris, parvo tamen numero, utpote triginta, ſeſe contra hujuſmodi ſuæ depulſionis pericula communivit. Quodam igitur die anno Domini 1481. menſe Auguſto tres aut quatuor dies ante feſtum S. Laurentii, cum juſſus eſſet civitatem exire ipſe dominus de Monteforti cum ſuis, & minime parere vellet, graviſſima eſt exorta ſeditio inter cives. Videntes enim locupletiores & potentiores ſeſe & concives ſuos commerciis & confrequentationibus carere quas ſoliti erant facere, & habere in terris præfati domini ducis, non ſine magno ſui detrimento; ſimul etiam ſe interea privatos patrimoniis & annuis reditibus, quos in ejuſdem principis terris atque dominiis habebant; collegerunt ſe cum magna multitudine plebis ad quemdam pontem circa conventum Regularium, prope portam quæ vulgo appellatur *Telleghe*. Ex adverſo vero dictus dominus de Monteforti cum altero burgimagiſtrorum & ſuis fautoribus collegerunt ſe in platea quæ eſt ante domum conſulatûs, eamque machinis & bombardis munierunt, feceruntque campanam publicam pulſari ad colligendum ad ſe populum ſub vexillo civitatis, eo modo quo in bellicis tumultibus fieri aſſolet. Qua ſatis horribiliter intonante, magnus populus & ad plateam & ad alios etiam qui ex adverſa parte adſtabant, confluxit; erant que quamplures ex plebe fluctuantes atque hæſitantes ad quam potius partium ſeſe conjungerent; ſed multitudo major & locupletior verſus portam ſe collegit, ubi ſi illico ſufficiens manus coacta fuiſſet, & ad occupandam plateam & domum conſulatûs tetendiſſent, cum dictus dominus de Monteforti illic adhuc nullis ſtipatus pene ſatellitibus quaſi ſolus adſtaret, abſque ullo negotio deſiderio ſuo potiri fuiſſent: ſed neſcio quo conſilio eo loco ubi ſe collegerant, tam diu conſtiterunt, quod adverſariis ſuis ſpatium ſufficiens præbuerunt ad ſe colligendum in platea civitatis & eam communiendam. Ut vero dominum Trajectenſem aut aliquam ſuorum manum adſciſcere & intromittere poſſent, effracta illa porta civitatis prope quam adſtabant, ad eumdem ad caſtrum de *Wich* ubi conſiſtebant curſores deſtinaverunt, & ipſe quidem, ut tunc ferebatur, celer accurrere, & ſuis fautoribus opem ferre properans, ad medium uſque iter inter *Wich* & Trajectum pervenit. Sed cum dominus de Monteforti & qui eidem adſtabant periculum intellexiſſent, & quod ad introducendum inimicos ſuos in civitatem portæ effractæ apertæ paterent, ad obviandum periculo extemplo conſilium accepit; nam ſtipatus Rutheris illis quos per ante, uti diximus, in civitatem ad ſe communiendum invexerat, atque aliis ſatellitibus qui ad ſe confluxerant, inter quos erat velut præcipuus unus juvenis audaciſſimus Henricus *de Wevelde*, ipſius domini de Monteforti ſororis filius, e platea civitatis præeunte vexillo verſus portam prope quam adſtabant adverſarii contendit. Ubi cum in eos adverſarii bombardulas jacerent & alia miſſilia, paululumque adverſarii obſiſtere conarentur, tribus aut quatuor ex ipſis de dictis miſſilibus & jaculis vel occiſis vel ſauciis, reliqua multitudo terga dedit, quos adverſarii perſequentes excedere civitate per portam quam effregerant coëgerunt, & effractam portam, ne vel aliis vel ipſis aditus per eam pateret ad civitatem, ſtatim obſerarunt & munierunt; eorumque qui ſic exiverunt, & per fugam ſuæ ſaluti conſuluerunt numerus ad quingentos uſque ex honorabilioribus civibus & locupletioribus aſcendere ferebatur, qui ſe primo apud oppidum *de Wich* recipientes, deinde per vicina etiam oppida, prout unuſquiſque ſibi magis opportunum exiſtimavit, ſeſe effuderunt. Iſte fuit infauſtus atque infeliciſſimus dies civitati Trajectenſi, quæ procul dubio e veſtigio ex libertate & florentiſſimo ſtatu, in quem diumanens ſub legitimi paſtoris & principis ſui imperio provecta extiterat, ſub tyrannicam poteſtatem & infeliciſſimam ſervitutem eſt redacta. Paucis enim poſt diebus effluxis, ipſe dominus de Monteforti qui ſuam modo quo prædiximus vindicaverat poteſtatem; ut eam manu militari firmaret ſciens molimina ſua non modo effluxis civibus, verum & plurimis ex his qui intus remanſerant vehementer diſplicere, accerſivit atque invexit in civitatem magnam prædonum manum, quos Teutonici Rutheros appellant, quorum metu atque armis miſera civitas oppreſſa, reſpirare in amiſſam libertatem non auderet. Miſerum profecto erat tum videre ſpectaculum, civitatem paulo ante inſignem, & civium honorabilium multitudine copioſam, prædonum & viliſſimorum latrunculorum magna tunc numeroſitate refertam atque oppletam: ſed ad ſilentium cives miſeros adigebat metus, e quibus tamen ex plebeia turba

plurimi erant, quibus ea perturbatio grata erat, eis præcipue qui in ſuum epiſcopum odio acerbiore ferebantur, qui metiri & æqua lance pendere neſciebant in quanta mala & quam miſerabilem ſervitutem ex priore libertate & omnium rerum opulentia, quam ſuo parentes domino habuerant, recidiſſent. Unde indiſcreta talium turba quibus & odium domini ſui, & hebetudo mentis rationis rectum judicium penitus obtundebant, in eumdem optimum paſtorem ſuum omnia probra & maledicta jaciebant, nihil amplius votis expetentes, quam ut moreretur & periret nomen ejus.

CAPUT XXIV. *Quomodo dominus Trajectenſis poſuit præſidia militum in* Wich, Rhenen & Yſelſtein, *qui ex una, & alii Rutheri, quibus impletum fuit Trajectum ex altera partibus totam adjacentem patriam incendiis & rapinis vaſtaverunt.*

CUm autem idem præſul & dominus videret civitatem ſuam tanta Rutherorum & plurium ex populari multitudine civium contra ſe munitam, eoſque qui tyrannidem in ea arripuerunt, nihil aliud quam ſe perditum iri optare ac moliri, habuit ipſe neceſſe ad protectionem ſui etiam ſeſe militaribus præſidiis communire; unde in tribus præcipue oppidis civitati vicinis videlicet *Wich*, ubi ipſe moram faciebat, & in Rhenis atque *Iſelſtein* militum præſidia advocavit. Oppidum autem Amersfordiæ, quod antea civium etiam diſſenſionibus & mutuis civium proſcriptionibus affecerant, pertinaciſſimo fœdere Trajectenſi civitati contra eumdem ſuum præſulem ſe conſtrinxit atque devinxit, & longa mora FRIDERICUS dominus de *Iſelſtein* ſtipatus Rutheris ſuis ad ſuburbanum portæ civitatis, quæ ſanctæ Catharinæ cognomentum habet, noctu incendium poſuit, pluribus inibi domibus incendio abſumtis, quod licet velut favilla in ſtuppeam incurrens materiam initio parvum eſſet, ſtatim tamen longe lateque quaqua verſum in magnos ignes flammarumque globos colluxit. Nam brevi exacto tempore omnia ædificia, quæ per agros circumquaque Trajectum ad vicina uſque oppida abſque munitione ſparſa erant, ignis conſumſit, pauperesque agricultores, niſi qui fuga elabi potuerunt, eorumque bona abducti vel direpti ſunt aut incendiis abſumti. Ita brevi momento agri illi qui cultu ſatorum opulenti, atque ædificiis optimis perpulchre ornati atque inſtructi erant, deſerti ſqualentesque, ambuſtis & crematis cunctis ædibus, in ſolitudinem ſunt redacti, maledictumque illud proheticum procul dubio completum eſt: *Convertit terram eorum fructiferam in ſalſuginem a malitia habitantium in ea.* Nam ubi paululum ante fuerat velut quædam paradiſus voluptatis, ubique procul dubio ſqualent abductis arva colonis, ut nec jam quæ per prius fuerat, ſed alia prorſus itinerantibus per eam patria poſſe exiſtimari videatur. Quotidie fiebant incurſiones ex Hollandia & oppidulis a pontifice armatorum copiis communitis in agro Trajectenſium & Amersfordenſium, & vice verſa, donec omnibus expilatis & abraſis, nihil jam quod poſſet rapuiſſe prædæ ſupereſſet. Tentavit bina vice pius pontifex ſuorum civium commiſeratus errores, eoſdem ad ſui obedientiam revocare, & ad monaſteria civitati vicina ſuorum ſtipatus militum præſidio acceſſit, illic duobus aut tribus pernoctans diebus, ſi forte ob reverentiam præſentiæ ſuæ rebelles meliore accepto conſilio reſipiſcerent: ſed ea res non modo rebellium animos nihil immolivit, verum potius quod mente conceperant odium adverſus eum manifeſtius eſſe cœpit. Exibant enim quotidie cum Rutheris cives rebelles ad expugnandum eum & ſuos, ſi quo ingenio e monaſteriis in quibus conſiſtebant ipſe & ſui in patentes campos eos educere, vel in ſtationes ſuas vi vel aſtu irrumpere potuiſſent: quæ perpendens idem pontifex, qui arthreticis etiam paſſionibus acriter vexabatur, & quod in majorem ſævitiam atque odia unde eos mitigare putaverat contra ſe inardeſcebant, relicto dicto conamine, ad caſtrum *de Wich* repedare curavit.

CAPUT XXV. *De direptione oppidi* Neerden *a Rutheris Trajectenſibus, & quomodo Hollandini apud turrim* de Vaert *quam obſidebant fugati fuerunt a Trajectenſibus, & quomodo ipſi Trajectenſes tentarunt reconciliari duci Auſtriæ ſecluſo ſuo pontifice.*

EA tempeſtate, & turbine vaſtatore ſæviente, Rutheri qui Trajecti collocati erant, cum multis ex civibus per inſidias cives oppiduli de Naerdis Hollandiæ, nihil hoſtile de Trajectenſibus ſuſpicantes, ſed commerciorum & commeatus communicationem cum eiſdem mutuam habentes, intercepti ſunt. Nam ſub muliebri amictu fingentes quidam ex ipſis Rutheris ſe uti feminæ aſſolent ad oppidum ex vicinis agris ova & lacticinia invehere, portam oppidi occupantes, in oppidum irruperunt, cæſiſque nonnullis ex civibus etiam intra baſilicam ejuſdem oppidi, ipſum diripuerunt. Sed cum ſentirent Amſterdamenſes confeſtim magnis cum armatorum copiis navigio adventare, relicto oppido bonis ſpoliato, cum præda qualem ad manum apprehendere potuerant, pluribuſque ex civibus abductis captivis, Trajectum ſtatim remearunt, nec tamen eos omniaque quæ acceperant deferre potuerunt, ſed plurima per agros & itinera ſparſim projecta effuderunt. Nam dicti Amſterdamenſes cum aliis vicinis ex Hollandia eos cum

magno ulciſcendi deſiderio inſequebantur. Et hæc res adverſus Trajectenſes in odium & inimicitias graviter toram Hollandiam concitavit: unde non multo poſt exciti ad vindictam, collecto exercitu ſuo ex oppidis ſuis Hollandini venerunt, ductore eorum vices principis gerente, gubernatore Hollandiæ domino Judoco *de Lalaing* Hanoniensi, ad obſidendum quamdam turrim ſeu baſtiliam, quam Trajectenſes in loco unde canale, quod Trajectum perfluit, exit de flumine de Lecha, quod flumen portio eſt & membrum Rheni fluminis, præſidio militum Rutherorum munierunt. Cum tamen incautius illic abſque valli munimento aut caſtris more militari diſpoſitis ſe effudiſſent, nec ad explorandum molimina Trajectenſium, quorum civitas ab eo loco non amplius uno milliari patriæ remota eſt, curſores expeditos haberent, ſubito uno mane irruerunt in eos Trajectenſes cum ſuis Rutheris, & eos imparatos cum magno clamore adorti in fugam verterunt, abſque certamine vel pugna, cæſis ex ipſis Hollandis circiter quadraginta, & capti circa ſexaginta ferebantur: ceteri ad naves quas per fluvium advexerant & alias prout ſe eis opportunitas ingerebat confugium invenerunt. Bombardas uſque ad numerum xxx. tum groſſarum tum minorum ſatis nobiles, cum præda quam de navibus expoſitam in terram invenire potuerunt, cum pluribus militaribus Hollandinorum ſignis Trajectum in ſuam civitatem invexerunt cum magno civium applauſu. Sed nec ea lætitia eis longa, nec fauſta hujuſcemodi trophæa extiterunt, quemadmodum paulo poſt in ſequentibus. Ut enim cecinit poëta inſigniſſimus:

Neſcia mens hominum fati ſortiſve futuræ,
Nec ſervare modum rebus ſublata ſecundis.

Miſerunt ſubinde Trajectenſes legatos ſuos in Brabantiam pro concilianda pace cum duce Auſtriæ, ſi poſſent, ſecluſo pontifice. De pace enim cum eo redintegranda nullo pacto patiebantur audire qui magiſtratum tunc in civitate gerebant. Et quidem bonas & æquas pacis conditiones, comprehenſo ſuo pontifice, manenteque, uti juris erat, præſule & domino civitatis, ſi eam amplecti curaſſent, facile inveniebant, & in ſua poterant manſiſſe libertate & pace. Sed tam alte iniquum in ſuum paſtorem optimum odium in mentibus auctorum rebellionis radices miſerat, de ſeque præſumens conſcientia læſa, in tanta diffidentia & deſperatione veniæ & firmitatis qualiumcumque eis fiendarum pollicitationum animos eorum conſtituerat, ut omnem pacis oblatam ſeu offerendam conditionem, per quam ſub manum ac poteſtatem domini & paſtoris ſui reciderent, reſpuendam pertinaciſſime obſervaſſent. Ferebatur præfatum dominum de Monteforti hujuſcemodi evomuiſſe ſermonem, quod mallet potius videre Trajectum deductum ad aratrum, totumque rapinis virentibus ſolum ipſius civitatis, ſi ſub obedientiam ſui pontificis referri deberet, quodque potius omnia extrema, famis, peſtis ceterarumque cladium & calamitatum ipſe ſuique iniqui fautores etiam ad omnium uſque civium internecionem libentius expectarent ac viderent, quam quod incolumem civitatem ad parendum dicto ſuo pontifici & domino ac pacificari conſentirent. Sic erat miſera civitas ſub ſæviſſimorum tyrannorum poteſtatem redacta: nec in contrarium, quamquam ſine dubio longe amplior numerus eorum eſſet de honeſtioribus civibus, qui ad parendum atque obſequendum ſuo pontifici afficiebantur, exiſteret, quiſque erat qui contra decreta vel inordinatiſſimas rebellium affectiones mutire auderet, in tanto metu ac minis premebantur. Atqui cum infecto pacis negotio legati civitatis domum ex Brabantia revertiſſent, magnum Rutherorum numerum equitum atque peditum rebellionis auctores undecumque poterant, aſciverunt, ita ut abſque difficultate, ſi eis libuiſſet, & diripere civitatem & cives trucidare potuiſſent, niſi hoc divina miſeratio avertiſſet. Cum his itaque prædandi atque ſpoliandi inſtrumentis, junctis cum eis civibus, quoties & ad quorum numerum imperare collibuiſſet, patriam tam ſuam quam Hollandiam vicinam incurſantes, idipſum etiam ſtipendiariis epiſcopi & Hollandiæ e diverſo referentibus, quaqua verſum uſque ad tria & quatuor milliaria patriæ incendiis, cædibus ac rapinis vaſtatam, abraſam deſertamque fecerunt.

CAPUT XXVI. *Quomodo Trajectenſes dominum* ENGELBERTUM *fratrem ducis Clivenſis, in patriæ Clivenſis defenſorem aſciverunt, & de clade Trajectenſium in die S. Stephani, & magna civitatis deſolatione.*

VIdentes porro rectores civitatis ſe non potuiſſe conſequi pacem, quam habere ſperaverant, aut ſperaſſe finxerant, ſeu ſimulaverant cum duce Auſtriæ & terris ſuis, ſuo pontifice excluſo, & quod eis ad ſuſtinendum tam difficilis belli pondus majoribus eis viribus opus eſſet; cogitarunt qualiter ſuo epiſcopo potentem aliquem adverſarium opponerent, quem ipſi velut civitatis & patriæ vice pontificis defenſorem ſive advocatum, vel ut vulgo loquuntur Ruvardum, illectum ſpe epiſcopatum obtinendi poſt mortem vel depoſitionem ſui pontificis, aſſiſterent; & oculos deflectentes ad ENGELBERTUM fratrem illuſtris ducis Clivenſis, adoleſcentem nobilem, annorum circiter decem & octo, neque litterarum peritia, neque probatis adhuc moribus ſatis agnitum, intonſa barba, ſervaverunt, donec eum ſuis ut voluntatibus

assentiret, quod non difficile factu fuit, in suam introducerent civitatem. Mirabantur multi cur hujusce rectores & magistratus civitatis in illam barbariem sese invicem fœderassent, ut promissas cuncti contra patrios mores deferrent barbas, quod per ante minime consuessent: sed cum adventato præfato ENGELBERTO ad civitatem eas repente omnes pristino more detonsas haberent, satis probabili conjectura æstimatum est, eos vel communi voto vel ex condicto sic eas detulisse intonsas, quoad desiderio suo de invehendo præfato Engelberto in suam civitatem potiti forent. Intravit igitur civitatem vigilia Dominicæ Nativitatis anno Domini 1481. cum magno auctorum sui adventus, & imperitæ ac ignavæ plebis applausu: sed profecto longe aliter quicumque graves rerum divinarum & humanarum periti vel humana callentes prudentia rem existimabant. Nec longa mora, altera nempe die, postquam solemnem Nativitatis Dominicæ diem insani vulgi vana exultatio quam de novo adventu sui Ruvardi duxerant, in lamentum & luctum conversa est; & tunc manifestum fuit utri de suo adventu veriores fuerint æstimatores, illinc qui ei plaudentes arridebant, aut qui infelicem infaustumque eumdem non ambigerent esse futurum. Collegerat enim tunc gubernator Hollandiæ, magno gestiens animo diluere ignominiam quam apud bastiliam *de Vaert* ad ripam fluminis *Lech* ante passus fuerat a Trajectensibus, circa tria millia virorum, qui ex parte majore militares erant, & in bellicis expeditionibus atque congressionibus assueti; inter quos capitanei & duces satis famosi marchio comes Antuerpiæ, & quidam Hispanus cognomento parvus *Salazar*, cum certo numero Gallorum atque Hispanorum extiterant. Hi cum quemdam burgum appellatum *Emineſſe* satis locupletis ac villicosi & superbi populi multitudine refertum vastavissent, diripuissent & cremavissent, pluribus loci accolis vel cæsis vel captis, ad incendendum pariter & vastandum quasdam villas sitas ad unum milliare vel duo de Trajecto, in illis palustribus locis, e quibus ad comburendum & focos componendos patria illa uti solet, eo quod illic neque silvæ neque arbores ad combustionis usus nisi raræ admodum inveniantur, iter direxerunt, ubi incendia & prædas cum agerent, flammis manifestissime in Trajecto collucentibus atque apparentibus, statim tam Rutheri quam magna civium multitudo usque ad numerum ut ferebatur prope quinque millia hominum confuse & absque ordine portis suis eruperunt, atque ad loca in quibus esse hostes sentiebant properanter concurrerunt: ad quos cum propius accessissent, & eos fugam capturos, quemadmodum alios prope flumen *Lechе* juxta bastiliam fecerant, arbitrarentur, experti sunt damno suo se cum armatis viris negotium habere, qui cum eos alacriter exciperent, & in eos composito agmine irruerent, illico ipsi Trajectenses terga dederunt: e quibus tam de civitate quam suburbanis & vicinis villis peremti sunt circiter mille & quingenti, plures etiam abducti captivi, ceteri fuga elapsi cum ingenti pavore intra mœnia sua se receperunt. Quantus autem luctus, quæ lamenta in civitate audita sunt plangentium liberos parentum, liberorum parentes, fratrum fratres, uxorum maritos, carorum affectus suos in eo prælio cæsos, vix sufficienter ullo sermone æquari posset. Erat profecto luctus ubique, pavor & plurima mortis imago. Hæc fuerunt felicia auspicia futurorum bonorum quæ eis suus novus Ruvardus, quem tantopere regentes civitatem expetierant, invexit: hic fructus applausus quem sibi ignorantiæ atque etiam malitiæ tenebris abducta plebs invalida suis assentans rectoribus eidem Ruvardo adventanti tertio ante die fecerat & celebrarat; hæc oppressæ uti jactitabant per suum pontificem suæ restitutio libertatis. Quod si hostes civitatem hac clade accepta statim aggredi & expugnare tentassent, satis verisimile est quod in ea expugnanda, sic ut erat tunc exterrita & velut exanguis effecta, resistentiam satis debilem invenissent; sed misericordia Dei benigniora providente, ab illo tunc periculo imminente civitas præservata extitit. *Non enim vult Deus*, ut sanctus propheta canit, *mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat.* Erant etiam in civitate quamplures viri devoti ac religiosi, quibus molitio suorum regentium vehementer displiceret, quorum merito pie credi potest divinam clementia justitiam temperatam tali civitatis excidio tum peperciſſe. Non tamen absque plurium ærumnarum & calamitatum cumulo civitas permansit, sed eam & caristia annonæ aliarumque rerum humanis usibus necessariarum, atque inopia & paupertas graviter afflixerunt. Qui enim per prius ampla patrimonia habuerant vel annua vectigalia, si in terris ducis consistebant, ubi erant majore ex parte, cum ad fiscum principis cuncta devoluta forent, nihil prorsus inde emolumenti percipiebant; si in proprio territorio, cum omnia quæ in agris erant deserta & squalida jacerent, etiam nullum prædiorum dominis afferebant solatium vel fructum. Itaque nisi ex vetere industria ac parsimonia aliquid sibi reservarant, quod pauciores numero tam de civibus quam de ecclesiasticis fecisse ferebant, consequens erat, cum quæque venalia ad duplum vel triplum assueti per ante pretii excrevissent, necnon nisi cum maximis difficultatibus & laboribus invehi ex uno solo angulo possent, & hoc cum præsidio plurimæ armatorum multitudinis, quod qui bene peculati non erant gravi egestate & penuria laborarent.

Artificum vero manus numeroſitaſque, quæ anteriore quietis ac pacis tempore de ſuis artificiis atque operis honeſtum ſatis & copioſum ſibi victum ſuppeditabant, quia neceſſariæ eis deerant ſuarum artium materiæ, quas etſi forſan adhuc reſiduas haberent, nullus erat vel rarus qui ab eis vel operas expeteret, vel artificiata compararet, magna inopia pariterque inedia famis premebantur: quas clades, etiam plurium mors atque interitus tum ex mœſtitia & luctu, tum variis ex ægritudinibus, quas fames & penuria victualium parturiebant, quibus per ante ſufficienter veſci ſoliti erant, e veſtigio ſunt conſequutæ; in tantumque eſt adauctus mendicantium numerus cujuſlibet ætatis atque ſexus, ut de ipſis per totam pene civitatem plateæ replerentur, qui nedum ex civitate erant, ſed etiam ex vicinis villis & agris ubi enutriti fuerant, adigente neceſſitate ad civitatem pro victu neceſſario ſibi procurando confugerant. Eratque miſerum & lamentabile videre impletum in hoc populo quod in Threnis per prophetam Jeremiam de Jeroſolymis lugubri carmine cantatum fuit: Quod *qui prius nutriebantur croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Perurgente enim penuria famiſque inedia, viliſſimis & ante prorſus inſuetis cibis plerique mendicantium veſcebantur. Et ſuper his quidem compatiebantur & congemebant multi, ſed ſubvenichat nullus. Nam qui hoc ſibi potuiſſent, averſos prorſus habebant a reconciliatione & pace animos obduratos; unde & adverſum civitatem & in eos odium plurium cumularunt.

CAPUT XXVII. *Quomodo Rutheri Trajectenſes Viennam irruperunt; de clade Amerſfordenſium, & de variis conventibus ad tractandum de pace a Trajectenſibus ſimulatorie actis.*

INſidiis etiam & proditione aliquorum accolarum loci, Rutheri qui in civitate pro præſidio collocati erant, oppidulum Viennam per ante ſemper civitati amicum & benevolum, ex quo loco ferme ſolo, eo quod per terras ducis Auſtriæ libera haberet exerceretque commercia, plurima neceſſaria Trajectum advehebantur, noctu irruperunt, cooperante opera proditorum, diripueruntque, & ſuorum manu valida communierunt, quamquam cives loci nihil de Trajectenſibus hoſtile ſuſpicarentur, nec ullam velut nihil metuentes armatorum munitionem recipere voluiſſent, de quo tamen ab utralibet partium ſollicitati fuerant & ſæpius pertentati. Illic adſtabant plures ex civibus exiticiis civitatis, qui ad eum locum tamquam ſecurum & neutralem ſeſe contulerant, quos Rutheri bonis ſuis exules & ſpoliatos, etiam ad ſe redimendum magnis pecuniarum ſummis adegerunt. Ea res primum a nonnullis Trajectenſibus auctoribus & fautoribus rebellionis pro felici ac fauſto proventu ducebatur: ſed profecto a quibuſque peritioribus rerum æſtimatoribus infelix & iniquiſſima habebatur; ſucceſſuque temporum ſtatim compertum eſt quam damnoſa civitati foret, quæ per hoc omnino privata fuit advectione plurium victualium, & aliarum rerum neceſſariarum, quas de terris Hollandiæ & aliis Auſtriæ per medium illius oppiduli neutralitatem ſervantis conſequi conſueverat. Atqui cum hujuſmodi oppidulum circiter menſes tres ille Rutherus, qui ipſum ſic fraude interceperat, cognomento *Zvvævenborch*, tenuiſſet, cunctaque & in oppido & circumquaque quæ rapere potuiſſet aggregaſſet, plurima farcitus præda & ſpoliis miſerorum, domino loci mediante, ſumma trium millium florenorum ipſum oppidulum reſtituit, & relictis Trajectenſibus ad propria remeavit. Nec vero Amersfordienſes Trajectenſibus agglutinati etiam a belli cladibus, & iis quæ inde provenire ſolent ſiniſtris eventibus exſortes evaſerunt: nam paulo ante cladem a Trajectenſibus ſuſceptam autumnali tempore, cum adverſus hoſtes incurſantes & populantes agros ſuos temere & confuſe exiliiſſent, per inſidias ab hoſtibus circumventi, fortunam belli adverſam experti ſunt. Cæſi enim fuerunt de civibus pluſquam ducenti, & circa centum ducti captivi cum plurima præda boum, quorum ſolent quotannis magnam multitudinem in ſuis ſaginare paſcuoſis & paluſtribus locis. Aiebant abductos fuiſſe, præter alia multa quæ in prædam ſimiliter ceſſerunt, ſuper mille & ducentos boves, qui jam ad deducendum ad nundinas hujuſce armentorum, quæ iiſdem temporibus celebrari ſolent, in pleriſque locis, maturi atque parati erant. Sed hujuſcemodi calamitate licet graviter attriti, nihilo tamen magiſtratus oppidi ſeu factionis duces immoliti ſunt; ſed ſemper magis ac magis in acerbitatem odii atque inimicitiarum in ſuum pontificem & paſtorem exarſerunt, licet nec ullam vel minimam hujuſcemodi odii probabilem ſatis cauſam dicere vel approbare potuiſſent: cum profecto juſtius ac verius de ipſis & Trajectenſibus idem pontifex dicere poterat, quod de iniquo Judæorum in ſe odio Salvator noſter dixit, quemadmodum in evangelio Johannis legimus: *Odio iniquo habuerunt me gratis;* & quod in pſalmo de eo cantatur, quia *retribuebant mihi mala pro bonis*, & plurima hujuſcemodi. Procurrente autem hujuſcemodi odiorum atque inimicitiarum rabie ac furore, diu civitas Trajectenſis ſub cariſtia annonæ plurimarumque rerum humano uſui neceſſariarum atrociter gravata elanguit, & fame, & quæ inde naſci ſolent variis hominum morbis, morbis atque ægritudinibus extabuit. Ita enim invaluit fames ob cariſtiam victualium,

lium, & pauperiem quam apud majorem populi multitudinem furor bellicus importarat, ut ubique per vicos & plateas viri ac mulieres, ſed majore numero pueri & infantes velut ſimulacra ſeu mortuorum umbræ, ſuper terram ambulantes potius putarentur. Fuerunt interea pluribus & variis in locis conventus partium pro pace vel treuga ineunda & reconcilianda, nunc cum legatis ſeu commiſſis pontificis, nunc cum legatis ducis Auſtriæ, ſæpe etiam cum utriſque celebrati: ſed in omnibus cum ſemper Amerſfordienſes & Trajectenſes ſuum pontificem ac principem recognoſcere pertinaciſſime ac obſtinatiſſime recuſarent, numquam ex hujuſmodi conventibus aliquis bonus fructus optatæ pacis vel treugæ potuit evenire. Quin potius publice jactabatur, quod nonniſi ad circumveniendum ſuos adverſarios, ſi quo ingenio potuiſſent, & placandum utcumque, rumores pauperum civium, quorum longe major pars nonniſi pacem exoptabat & ſuo pontifici reconciliari, tales conventus cum adverſariis fieri & haberi expetebant. Nec levi ſane & vana conjectura ea communis omnium ferme æſtimatio invaluerat. Nam quoties ad hujuſcemodi conventus ſuos legatos Trajectenſibus mitterent, ſemper e veſtigio vel ad rapinas faciendas & abducendas prædas aut captivos, vel ad miſcenda incendia in terris & agris adverſariorum ſuos emittebant, qui frequenter damna non modica improvidis, & ſe negligentius curantibus ingerebant. Unde non temere eos uti verbis pacificis in dolo, nullum aut prorſus reintegrandæ pacis atque amicitiæ votum ſeu propoſitum, ſed ipſius potius diſtrahendæ atque elongandæ gerere putabantur. Initio quo Trajectum ENGELBERTUS de Clivis, de quo ſupra meminimus, adventus eſt, cum omnis magiſtratus regentium civitatem cum ſuis fautoribus in ipſius nomen obedientiam atque fidem juraſſent, magnopere conati ſunt clerum civitatis, ut ſimiliter etiam faceret, nunc blandis ſermonibus, nunc graviſſimis comminationibus inducere; ſed cum viri graves ac timorati quinque eccleſiarum, divini & humani juris periti, eis liquido oſtendiſſent, ſalvis conſcientiis, propter jurium prohibitiones magnis & formidabilibus pœnis ſancitas, ſe id minime facere poſſe, tandem quamvis a comminationibus non ceſſantes quieverunt. Tentarunt & iidem ipſi per ante ab eodem clero extorquere, ut in quibuſdam vanis & frivolis criminationum capitulis, quas adverſum ſuum pontificem ad ejus depoſitionem ſe proſequi jactitabant, eis vellent adhærere, eumdemque clerum, vi & metu non injuſto aut vano adhibitis, ad quamdam adhæſionis formulam, non tamen qualis ab eis expetebatur, ſed longe civiliorem adegerunt. Verum cum per omnia ſcrutantes iniquitates in ſuo pontifice viderent ſe deficere ſcrutinio, & ſeſe irriſioni potius ubilibet patere, nihil de conceptis criminationibus vel verbis conſertis intentare vel proſequi auſi fuere. Viderunt enim tales concinnantes dolos, ſe talibus innixos doloſis commentis variiſque figmentis, omnis ſolidi ac validi fundamenti firmitate deſtitui, nec inde aliud poſſe niſi labores & impenſas inutiles atque ignominiam reportare: propter quod ab hiſce ſuis frivolis molitionibus abſtentarunt ad tempus quidem; poſtea enim interpoſita per eos quadam appellatione, de qua paulo poſt loquuturi ſumus, cauſam ſuæ appellationis duobus cardinalibus committi ægre obtinuerunt, in qua erant hæ frivolæ criminationes inſertæ.

CAPUT XXVIII. *De moneta quam* ENGELBERTUS *cudi fecit, & de geſtis per eum, atque de obſidione de* Iſelſtein.

ERat dictus ENGELBERTUS intruſus ab initio adventus ſui quamdiu ſtetit Trajecti in domo epiſcopali ſita, ut moris eſt, juxta cathedralem eccleſiam, in quam fuerat ab his qui eum accerſierant, tamquam vicem gerens epiſcopi collocatus & adductus. Ut autem non in vacuum accerſitus fuiſſe, aut nihil aſſequutus poteſtatis putaretur, ipſis ſuggerentibus monetam novam, argenteos ſcilicet atque aureos nummos ſuo nomine cudi facere aggreſſus eſt; qui cum initio utcumque pro attributo eis curſu tolerabiles fuiſſent, brevi tamen temporis decurſu cui opus hujuſmodi cudendæ monetæ ab eo commiſſum extiterat, tam improbos percuſſit atque fecit, ut non modo extra civitatem ubique a cunctis reſpuerentur, ſed in civitate nullus ſolutionem in talibus nummis acceptare vellet, ſed paſſim tamquam reprobi refutarentur ab omnibus. Erant enim, ut aiebant, in tertia parte deteriores in æſtimatione juſta & valore pro quo, ut currere deberent, cudebantur; unde & in ea civitate præter alia incommoda, ipſa etiam nova moneta pluribus non exigua damna invexit. Aliud etiam ne inutile ſibi dominium quæſiiſſe videretur, ſatis injuſtum & infame opus effecit: nam cum accolæ cujuſdam villæ, ut ab incendiis & rapinis tuti ac ſecuri in ſuis manerent domibus, apud civitatis rectores ſeſe pecunia redemiſſent, & ſub pactis promiſſæ eis ſecuritatis nihil hoſtile a civitate metuentes agros ſuos colerent, dictus ENGELBERTUS perſuaſus a nonnullis ſuis ſatellitibus, quod pactum per eos cum civitate conventum, nec ſe ab eo redemerunt, minime ſibi prodeſſe deberet; ſtipatus multis Rutheris ad eos prædandos atque diripiendos exivit. Qui cum nihil hoſtile ſuſpicantes, non curaſſent neque ſe neque bona ſua divertere aut occulere, nihilominus direptis & raptis quæcumque poterant, non fœdera-

tos ſibi aut pacificos, ſed hoſtes ſæviſſimos adventaſſe ſenſerunt. Qui nec contenti præda & ſpoliis, miſerorum, etiam eorum domos & habitacula flammis voracibus tradiderunt. Hæc fuit prima expeditio, hæc prima congreſſio, quam per ſemetipſum dictus ENGELBERTUS defenſor futurus patriæ fecit, dequa in civitatem Trajectenſem, quæ dictis infelicibus ſuis fidam ſecuritatem venumdederat, præclara hujuſcemodi trophæa importavit. Tentavit autem idem Engelbertus, imo potius rectores civitatis & factionis duces, accitis ex terra Clivenſi copiis, quas eiſdem dux Clivenſis in auxilium miſerat, pariter cum ſuis tam Rutheris quam civibus, quos cum Clivenſibus adjunxerant, vel expugnatione vel alias deditione loci incolarum ſibi acquirere & ſui juris efficere oppidulum de *Iſelſtein*, a civitate non amplius uno milliari patriæ remotum: erat enim illic præſidium militum ſatis infeſtum civitati, & qui vel ad civitatem accedentes, vel inde abeuntes plurimum moleſtabant; dimiſſa quoque ad paſcua vel ſaltus animalia civitatis rapta frequenter abigebant, ac variis modis & frequentibus ac pene quotidianis incurſionibus damna civitati inferebant. Erat quippe inveteratum vulgo commune proverbium, quod domini de *Iſelſtein* adhuc in matrum uteris clauſi, hoſtes Trajectenſium priuſquam in hanc lucem ederentur eſſe ſolerent. Moverant itaque ex civitate Trajectenſi Clivenſes copiæ circa quatuor millia peditum, ducibus Engelberto & domino de Monteforti, & ſe per agros & paſcua ipſi oppidulo ultra tum jactum miſſilium propinquos effuderunt, velut oppidulum obſeſſuri. Qui cum ſine foſſa illic & vallo aut aliquo munimento quinque aut ſex dies diſperſi, hinc inde jacuiſſent pecudum potius quam militum more, non enim ſecundum diſciplinam militarem caſtra metati erant aut communierant, tædio ſimul & victualium cariſtia atque raritate defatigati, nulla attentata expugnatione, inefficaces & vacui Trajectum redierunt. Unde poſt duo aut tres dies cum nec ſtipendia perciperent, nec victualia niſi caro admodum comparare valerent, ſine ullo penitus fructu vel honore ipſi Clivenſes ſunt reverſi in patriam ſuam. Repoſuerant antea magnam ſpei ſuæ partem ipſi rebelles Trajectenſes in auxilio ducis Clivenſis, ſed cum hæc auxilia hujuſce eis tranſmiſſa non modo nihil eis profuiſſe, verum etiam magis obfuiſſe perſpicerent, ab ea quam in eum habuerant ſpe plurimum exciderunt, majoremque adhuc, uti ab exordio totius factionis, confidentiam de rege Francorum ipſi ſibi proponebant, & quod eis præſidio adforet cum dicto duce Clivenſi quotidie ſe jactabant, & in vulgo omnia adverſa duci Auſtriæ in dies provenire ab exercitu regio diſſeminabant; non tam expectantes quod eis in ſubſidium partem copiarum ſuarum tranſmitteret, quam quod eorum hoſtem ducem Auſtriæ ſuaſque terras prorſus deleret atque opprimeret: quod ſi ita eveniret, ſublato tanti tamque potentis inimici metu, qui erat ſui pontificis unica ſpes & fulcimentum, quem, uti diximus, acerbiſſimo odio proſequebantur, voto ſuo in ejus oppreſſione ac dejectione, Engelbertique ſui ſublimatione potiri minime dubitarunt.

CAPUT XXIX. *De execrabili ſacrilegio necis epiſcopi Leodienſis commiſſo per dominum Wilhelmum de* Arenberch, *in cujus proſperitate & auxilio ſeditioſi Trajectenſium plurimum ſpei reponebant.*

NEc tamen in ſolis regis ac principis Clivenſis ſubſidiis, ut per eorum auxilia ad concupita pervenirent, ſeſe fulciebant, ſed & auxiliis quæ per quemdam impium & ſacrilegum homicidam Wilhelmum de *Arenberch* ſe habituros confidebant, ſe maxime jactitabant. Is cum eſſet vaſſallus & homagii ſacramento obſtrictus domino ſuo atque pontifici epiſcopo Leodienſi, ab eo propter perfidias & proditorias molitiones in ſe dominum ſuum, pluraque alia enormia crimina ab eodem epiſcopo proſcriptus ac bannitus fuerat de toto dominio ſuo, & hoc cum conſilio & aſſenſu procerum & ſtatuum totius patriæ Leodienſis. Quæ cum ejus animum hujuſcemodi proſcriptio vehementer ureret, eamque ægerrime ferret, non ignoraret etiam quemadmodum Francorum rex, ut liberum in Brabantiam & terras communitatis Namurcenſis per terras epiſcopi Leodienſis ſuus exercitus ingreſſum habere poſſet, apud eumdem epiſcopum inſtetiſſet, ſed minime in hoc ſuum deſiderium ab eo potuiſſet obtinere, ad eumdem regem confugere ſtatuit, pollicens, ſi ei certus ſatellitum numerus traderetur, ſibi ſuoque exercitui per terras Leodienſium iter facere, vel in Brabantiam, vel alio quo faciendum duceret aperiret. Qua pollicitatione excitus rex & perſuaſus, eidem Wilhelmo aliquam militum ſuorum, exiguam tamen, manum contradidit. Cum ea autem reverſus in patriam, de domino ſuo epiſcopo ſe cupiens vindicare, repente & inſperate civitatem Leodium, in qua tunc idem reſidebat epiſcopus, ſtipatus ſuis auxiliis ad numerum, ut aiebant, circa mille & quingentorum virorum, adortus eſt. Cujus adventus novitate exterritus epiſcopus, cum nuntium accepiſſet quod jam non procul a civitate abeſſet, ejus impetum armis inhibere atque reprimere eſt conatus, mandavitque civibus ſuis & magiſtratibus populi, quos burgimagiſtros appellant, quatenus per turmas ſuas ſub vexillis artificiorum ſuorum, uti in hujuſcemodi tumultibus aſſolent, ſeſe colligerent, eique armati ſo-

ciarentur. Sed cum eidem episcopo a diversis nuntiaretur jam hostes imminere, & concito gressu ad irrumpendam civitatem festinare, existimans se, ubi egrederetur, statim civium suorum expeditorum comitatum atque auxilium invenire, solus cum paucis quos habebat ad suburbanum exivit, civium suorum seu ignavia seu dolo nudatus ac destitutus auxilio. Neque enim, uti imperarat, & quod ita facturi forent confidebat, eum insequuti sunt, sed vel attoniti adventantis hostis formidine ac pavore, vel inertia torpentes, aut proditiones meditantes, pro malevolentia quam habuerant ad suum dominum, eum minime insequi curarunt. Quem cum tam exiguo inveniens hostis comitatu, in eum furia & sævitia invectus, manu propria, licet pro vita humillime supplicantem, & omnia bona sua atque seipsum in captivum asservari obnixe postulantem, crudeliter gladio in cervicem ipsius impacto trucidavit, nolens alium quam se tam nefandi & sacrilegi carnificii atque operis fieri executorem. Cadens autem idem episcopus cum quodam alio similiter necato, ceteris per fugam evadentibus, & armis ac indumentis ceteris spoliatus, usque ad tertium diem in eo loco jacuit nudus. Quem sacrilegus atque immanissimus parricida nec generosæ prosapiæ intuitu permotus, (erat enim frater ducis Borbonii, regi Francorum consanguinitate propinquus, avunculusque illustrissimæ dominæ Mariæ jam defunctæ, unicæ filiæ Caroli Burgundiæ ducis, atque heredis,) nec humanitatis contemplatione, nec pontificalis tantæ dignitatis reverentia, non est passus tradi sepulturæ, donec tertia demum die, fratribus beati Francisci eum obnixe rogantibus, corpus levari & sepulturæ tradi male libens permisit. Acta est hæc cædes & tam crudele ac parricidiale sacrilegium anno 1482. penultima die mensis Augusti. Illico autem hoc patrato immani scelere, idem sacrilegus in civitatem irruit, & portas nec obseratas nec munitas inveniens, eam, nulla sibi facta resistentia, introivit. Sane ex hoc deque aliis quæ subinde sequuta sunt, satis conjectari potuit, qualem amorem & dilectionem loci cives & accolæ ad eumdem pontificem suum habuissent, qui nec illi sacrilego suas objicere portas curarunt, sed ultronei magis, quasi eum ad sibi præsidendum invitassent, in suam intromisere civitatem.

A enim sibi suisque satellitibus satis sufficiens id quod vel de amicis aut fautoribus seu consiliariis defuncti extitisset, si facultatibus pollere & locuples fore crederetur. Postmodum vero ex tali scelere sperans posse acquirere episcopatum filio suo, clerum civitatis, per quos solet pontificum electio celebrari, in unum coëgit, clausitque locum unde minime exituri forent, donec ipsum filium suum in suum pontificem & pastorem duxissent eligendum. Quem cum tali impressione atque violentia adacti, taliter qualiter elegissent, eos etiam adegit, ut se & omnium ecclesiarum suarum fructus apud nummularios urbis Colonienſis & Venetiarum seu Florentinorum obligarent atque supponerent pro summa triginta millium ducatorum, quam necessariam sibi putabat ad confirmationem electionis de filio suo factæ a sede apostolica obtinendam: cæcus profecto nimium atque insanus & mentis impos, qui crederet per tam horrendum parricidium a se factum posse filio suo, & sic per impressionem nulliterque electo, illud episcopale fastigium obvenire, cum hoc ipsum non modo jura omnia divina & humana, sed totus Christianus orbis horreret atque merito execraretur. Statim autem ut civitatis imperio & dominatione est potitus, per omnia patriæ Leodienſis oppida nuntios misit, quatenus ad se Leodium portarum suarum claves deferrent, atque ut sibi velut domino seu defensori patriæ parituri fidelis obedientiæ sacramenta præstarent: quod statim, non quidem vi coacta, sed spontanea & volenter omnia patriæ oppida sibi parendo fecerunt. Verum cum ea nova tyrannis insignibus illis oppidis & accolis Brabantiæ & comitatus Namurcensis innotuisset, intelligentes statim exitii patriæ suæ impendere discrimen, nisi protinus quod eisdem imminebat incendium, antequam majores sumeret vires, vel prævenire vel suffocare curarent; statim cum valida manu in agros Leodienses exierunt, & in primis oppidum de *Hasselt* Brabantigenis & potissime Burgundionibus valde infestum, ubi a tyranno jam collocata præsidia ferebantur, adorti, ipsum violentia expugnatum irrumpunt, & cæsis ex parte magna loci civibus & accolis, bonorum quæ illic etiam invenire exportarique potuerunt, facta direptione, flammis voracibus in favillas & cineres tradiderunt atque reliquerunt. Statim etiam oppidum S. Trudonis deditionem & plura alia oppida fecerunt, quæ tristi exemplo excidii de *Hasselt* detetrita, & collocatis in eis præsidiis minime ausi sunt confidere. Oppidum etiam *Bilsen*, ubi erat, ut ferebatur, præsidium circiter sexcentorum Clivensium, quos in auxilium tyranni sacrilegi dux Clivensis destinarat, vi expugnatum, incendio datum est, cæsis e Clivensibus & aliis qui in eo loco inventi sunt. Oppidulum vero *Maeseych* in deditionem posthac statim

CAPUT XXX. *Quomodo idem sacrilegus intravit Leodium, & coëgit clerum eligere filium suum in episcopum, & qualiter Brabantiones conatibus suis obviam ierunt.*

INgressus itaque, in suo adventu plurimos tam ex clero quam ex civibus, qui rem aliquam habere putarentur, bonis spoliavit; c.

eſt receptum. Paulo vero ante, cum exercitus Brabantionum quoddam caſtellum prope civitatem obſedisſent, dictus ſacrilegus tyrannus, collecta manu valida tam Rutherorum quam popularium patriæ, inter quos unus magnus erat Rutherus cognomento de *Wachtendonch*, cum ſexcentis & ampliusequitibus & nonnullis copiis quas etiam dux Cliveniſis miſerat in auxilium tyranni, cum quo ſe inito fœdere copularat, movit de civitate, & Brabantiones bello adortus eſt, qui aciebus ſuis debito ordine diſpoſitis, cum audacter & animoſe exceperunt, conſertoque cum hoſtibus, qui magno numero erant, prælio, inſignem de ipſis victoriam & trophæa non exigua reportarunt. Cæſa ſunt in eo prælio, ut a pluribus ferebatur, ſupra quatuor millia virorum, & captivi ducti circiter duo millia; inter ceteros illic dictus de *Wachtendonch* cum ſuis & Clivenſium copiis peremtus eſt: minorem tamen longe fuiſſe cæſorum & captivorum numerum alii affirmabant. Sacrilegus fuga elapſus in civitatem ſe recepit, ubi alterum de burgimagiſtris tamquam proditorem, vel duos, ut nonnulli aiebant, eo quod ea quæ eis ante mandaverat implere non curaſſent, interfecit: & de loci ſecuritate non ſatis confiſus, Hoyum oppidum petiit, in quo magna fugitivorum e prælio collocavit præſidia. Quod ſi, uti ferebatur, Brabantiones illico, poſtquam victoria fuere potiti, civitatem petiiſſent, nulla facta reſiſtentia, deditionem cives feciſſent: hoc quippe veriſimile ſatis eſt, cum reſoluto tyranni jugo, qui Hoyum aufugiens, civitatem reliquerat, viderent ſe libertatem habere faciendi deditionem ſi vellent: hac quippe una poterant via & omnem metum tyrannicæ oppreſſionis illius ſacrilegi, & civitatis & patriæ ſuæ, quam undique videbant rapinis atque incendiis devaſtari, excidium effugere & devitare. Porro id minime Brabantiones fecerunt, ſed ad alia diverterunt; quæ res & illi patriæ fuit damnoſa valde, & tyranno inducias contulit ad novas copias ac vires comparandas.

A in illius tyranni Leodienſis proſperitate, ſi ſibi obveniret, plurimum confidebant; jactitabaturque in inſano vulgo, quod cum multis armatorum millibus eiſdem auxilio adveniret, ſi dux Auſtriæ vel Hollandini urbem ſuam obſidione vallarent. Verum quam procul a ſuo deſiderio vanæ hujuſcemodi ſpes eos deluſerint atque fefellerint non ſupervacuum fuerit enarrare. Rex quidem Francorum menſe Decembri anno currente 1482. pacem & fœdera percuſſit cum domino duce Auſtriæ & omnibus terris & ſubditis ſuis: in cujus capitulis fuit & eſt expreſſe concor-
B datum, quod idem rex nullum prorſus auxilium ferret dicto ſacrilego Leodienſi, nèque duci Clivenſi, neque civitati Trajectenſi contra eumdem ducem Auſtriæ: promittens etiam, ſi ei duci ſic expediret, contra eumdem tyrannum Leodienſem, ducem Clivenſem, & civitatem Trajectenſem atque alios quoſcumque hoſtes ſuos auxilia præbiturum. Quam pacem ita factam fore Trajectenſes credere omnino reſpuebant, contrarium in vulgo omni die diſſeminantes, quod novis quotidie paſcebant & deludebant mendaciis
C & figmentis, ut ipſum miſerabiliter afflictum & defatigatum talibus adinventis utcumque in ſpem erigerent, & a rebellione ac murmure adverſum ſe cohiberent. Tandem tamen poſt aliquot emenſos menſes, cum liquido compertum haberetur mercatores utro citroque ſua libere exercere commercia; de publicatione etiam ipſius pacis ſolemniter cum ingenti lætitia per omnia inſignia oppida terrarum ducis palam omnibus innoteſceret pacem ſic factam, inviti licet & plurimum abhorrentes credere compulſi ſunt. Jactabant vero eam diu non fore duraturam, quod Deus clementer avertat; &
D in hujuſcemodi fictis ſermonibus quos aſſidue in vulgo diſſeminabant, ponentes ſpem ſuam mendacium, ſeſe & eis adhærentes, uti poterant, ſolabantur. Sane ſi mens eis non cæca atque inſana fuiſſet, ſatis moniti eſſe debuerant de illo quod quotidie de ſacro pſalmo per omnes eccleſias canitur: *Nolite confidere in principibus neque in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus*; unde per Jeremiam perpulchre Deus admonet inquiens: *Maledictus qui confidit in homine, & qui ponit carnem brachium ſuum, & receſſit a Domino cor ejus.* Sed excæcaverat eos profecto
E malitia ipſorum, hiſque variis illuſionibus & mendaciis auctores rebellionis atque eorum aſſectatores merito pro ſuis impietatibus decipi merebantur. Satis etiam multis in caſibus, & quidem longe gravioribus regiam fidem, ſi quid ſaperent, compertam poterant habuiſſe. Et quantum quidem ad ducem attinet Clivenſem & Trajectenſes, rex accuſari de fide eis non obſervata minime debebat, cum non conſtaret eos ullum cum eodem fœdus percuſſiſſe. Sed aliud fortaſſis

---

CAPUT XXXI. *De vaniſſima ſpe quam Trajectenſes repoſuerant in auxilio primum regis Francorum, ſecundo ducis Clivenſis, tertio dicti ſacrilegi de* Arenberch, *a qua turpiſſime exciderunt.*

TRajectenſes autem qui tunc adminiſtrabant civitatem, & cuncti rebellionis fautores rerum dicti ſacrilegi tyranni Leodienſis operiebantur eventum: ſuæ enim ſpei omne ſtabilimentum in rege Francorum primum, uti ſupra diximus, repoſuerunt; deinde in duce Clivenſi, cujus fratrem ENGELBERTUM in ſuum defenſorem ſeu Ruvardum aſciverant, fœdere facto cum eodem duce, quod eis auxilio foret adfuturus; tertio etiam

æstimari potuisset de illo sacrilego parricida de *Arenberch*, qui ex jussu & ordinatione regis ad iter sibi pervium in Brabantiam per Leodiensium terras, atque suo exercitui aperiendum transmissus fuisse, quod satis verisimile esse videtur, ferebatur, sed id quidem ante pacis fœdera paululum post cum duce Austriæ percussa: per quæ satis appareret, ex his quæ proxime retulimus, eumdem *Arenberch* a cœptis per eum, etsi jussu regio exorta fuissent, quemadmodum verius putabatur, idque regem ipsum publice etiam agnoviſſe asserebatur, quod totum jussu suo factum esset quidquid idem *Arenberch* patravisset, ex tunc regem eum desistere voluisse. Atqui licet non nesciret se tali fœdere per regem fuisse derelictum, expositumque duci Austriæ, cui etiam ad eum proterendum ac profligandum opem laturum pollicitus erat, non tamen adhuc destitit quin civitatem & oppidum Hoyum cum nonnullis castellis retinuerit. Sane cum Brabantiones ad eum vel in Hoyo, ubi adstabat, expugnandum vel obsidendum circa duo milliaria prope dictum oppidum accessissent, ipse sacrilegus id prævidens, die decima sexta mensis Martii anno Domini 1483. cum iis quæ colligere poterat copiis tam Rutherorum quam incolarum patriæ, in exercitum Brabantionum irruit, qui suæ molitionis non ignari; eum strenue & viriliter exceperunt; fuitque ipse equo dejectus occiso sub se, sed quod triste victoribus fuit, adjutus a suis fuga evasit. Fuerunt occisi in eo conflictu circa 130. de suis, capti 81. ceteri fusi ac dispersi; ipse autem nocte illa per silvas & invia errabundus crastino die in civitatem intravit, ad quam, si victores propero cursu adventare curassent, erant cives utriusque sexus, pusilli & magni in portis civitatis ad eos pacifice recipiendos: sed hoc quemadmodum per ante altera vice, minime fecerunt; unde & civitatis & totius patriæ atque ipsorum etiam Brabantionum non modo prorogata, verum etiam adaucta est calamitas: quamdiu enim tam efferum & tam acerrimum hostem juxta se, imo quodammodo intra viscera sua habebunt, non secure & absque pavore & periculo in suis possunt vel agris vel oppidis quiescere. Delusi itaque hactenus Trajectenses, etiam spe, quam in auxilio dicti sacrilegi tyranni Leodiensis utcumque reposuerant, quem falso frequenter victoriam de Brabantionibus mentiebantur obtinuisse, nihilominus in sua obstinatione durabant, tolerabantque caristiam & famem, plurimasque inedias, de quibus omnibus facile, si non eos pertinacia sua tenuisset, se eximere & pacatos reddere potuissent.

CAPUT XXXII. *De censuris apostolicis & interdictis in rebelles Trajectenses & certa loca promulgatis, quas non observari a clero sed contemni coëgere iidem rebelles.*

MEnse autem Augusto anno 1482. allatum est apostolicum monitorium procurante episcopo Trajectensi, quo monebatur dictus ENGELBERTUS & singuli de consulatu civitatis Trajectensis, quatenus bona episcopo spectantia, quæ contra jus & fas occuparant, eidem episcopo restituerent & contraderent, & cives locique accolæ similiter; alioquin lapsis certis diebus, qui monitioni parere detrectassent, excommunicationi & & anathemati subdebantur: quam censuram si per tres postmodum dies pertinaciter & contumaciter sustinerent, & tunc civitas ecclesiastico supponebatur interdicto, & similiter oppidum Amersfordiæ. Huic quidem monitioni initio ENGELBERTUS, nisi iniquorum fuisset depravatus consiliis protestabatur se obedienter parere velle, episcopale palatium evacuare velle, omnemque ejusdem suppellectilem probe restituturum, & si quid inde vel perditum vel deterioratum foret, omnia debite & sufficienter suppleturum: sed cum id primum facturum & impleturum fuisset pollicitus, dolo paulo post inimici hominis impiorumque siniſtris consiliis circumventus, a recte & juste desponsis resiliit, prorupitque in frivolæ cujusdam & temerariæ appellationis vocem, quæ profecto merito subsistere jure non poterat, tum quod ex certa sententia summi pontificis appellatio inhibeatur, tum quod monitio non erat, nisi de iis quæ divinis præceptis & sacris canonum sanctionibus fieri jubentur. Notorium insuper erat crimen evidentia facti, quod nulla poterat tergiversatione celari vel obfuscari, de quo crimine ut se ejusdem patratores emendarent admonebantur: hæ autem causæ & earum singulæ validæ sunt & efficaces ad rejiciendum & exsufflandum omnes hujusce frivolas appellationes. Atqui nihilominus ipsi seditionis auctores eis innexi, & excommunicationem & anathema sedis apostolicæ, interdictum quoque publicatum contemnentes, se prætextu talis appellationis defensos sufficienter jactitabant, quod & nonnulli sibi evangelizandi officium usurpantes, ausi sunt in cathedra, quam non deceret nisi evangelicæ veritatis nunciam esse, impudenter auribus adstantis populi ingerere; qui etiam, ut eisdem amplius fides haberetur, officium inquisitionis hæreticæ pravitatis se jactitabant habere. Sed cum clerus venerabilis civitatis de hujusce modi apostolicis monitionibus, censuris & interdictis, ipsius etiam Engelberti assertione, per quem eorumdem copias acceperant, sufficienter certiorati essent, decreverunt, uti par erat,

apoſtolicis mandatis ac cenſuris reverenter atque obedienter parere. Sane cum id regentes civitatis & rebellionis intellexiſſent auctores, quod clerus interdictum obſervare ſtatuiſſet, & jam a divinis in vigilia beati Laurentii martyris cœpiſſent abſtinere, ſeſe in unum cogentes, ſtipati armatorum multitudine, pluſquam, ut aiebant, trecentos, acceſſerunt ad locum capitularem majoris eccleſiæ, ubi univerſus clerus tunc aderat: qui tamquam fremientes beſtiæ & leones rugientes clerum adjurare atque interminare cœperunt, quod niſi illico ſacra, a quibus ceſſare inchoarant, reaſſumerent & exequerentur ſolito more, omnes eos abſque miſericordia perimerent, eorumque domos & bona Rutheris, qui tunc accincti armis & contis ſuis aderant, ad cædes perficiendas ſtatim ut eis imperaretur, parati, diripiendas contraderent ac donarent. Quo, nec minus, percuſſi & exterriti metu, qui certe merito in conſtantiſſimum etiam virum cadere potuiſſet, videntes periculum non comminatum in futurum, ſed præſens adeſſe, coacti ſunt, talibus vi ac metu urgentibus, divina intermiſſa reaſſumere pro tempore: a quibus tamen plures ſe abſentarunt, per alios minoris reverentiæ hujuſcemodi officia perfici ſinentes. Sane poſtea furore utcumque regentium temperato, in eccleſiis beati Martini & beati Johannis, ſub obtentu injuriarum, quas a ſuis præpoſitis eiſdem dicebant irrogari, de apoſtolico interdicto continentes a divinis officiis penitus ceſſatum eſt: quod non ita in conventibus fratrum mendicatium & aliis eccleſiis civitatis obſervatum fuit, ſed in eis ſolito more fuerunt divina continuata. Tentarunt & magiſtratus civitatis inducere clerum, ut ſuæ interjectæ appellationi, de qua ſupra, adhærere vellent: ſed cum prudenter animadverterent, quod hujuſcemodi appellatio de jure nullatenus ſubſiſtere poſſet, quodque multa probroſa & turpia in ſuum pium pontificem ab inimicis mendacitet conficta contineret, nullo pacto eidem ſe adhæſuros firmaverunt. Pax igitur, ut prædiximus, & amicitiæ fœdera inter regem Francorum, in quo totam pene ſpem ſuam repoſuerant, & Maximilianum Auſtriæ ducem ejuſque liberos, terras ac dominia firmata ſunt, per medium ſponſaliorum & conjugalis perficiendi fœderis inter delphinum Viennenſem ejuſdem regis filium unicum, & dominam MARGARETAM filiam dicti Maximiliani unicam; cui filiæ pro dote & portione hereditaria, quæ etiam poterat contingere eam ex ſucceſſione materna, ſcilicet dominæ MARIÆ unicæ filiæ CAROLI ducis Burgundionum defunctorum, quibus propitius dignetur eſſe Deus, aſſignati ſunt comitatus Burgundiæ, & Artheſiæ terræ, & dominia Matiſconenſe, Autiſſiodorenſe, Salinarum, Barri ſupra Sequanam, & de *Noyers*, quæ fuerant dicti CAROLI ducis, & eas obitus ſui tempore poſſidebat; ſed eas ipſo vita functo rex occuparat, & partim armis, partim deditionibus in ſuam redegerat poteſtatem. Ea autem lege dos hujuſcemodi domino delphino pro ſua dicta futura conjuge conſtituta eſt, quod ſi eamdem nullis de ſe ſuperſtitibus liberis relictis vitam finire contingeret, dicti comitatus & terræ ad ducem PHILIPPUM ejuſdem ſponſæ frattem, ſuoſque heredes revetti deberent; ſed interea tamen rex vel ſui heredes poſſent hujuſcemodi comitatus & terras retinere, donec in jure diſceptatum definitamque foret de & ſuper jure quod rex habere prætendit in oppidis Inſulenſi, Drachenſi & de Orchiis eorumque caſtellaniis ſeu diſtrictibus: quæ diſceptatio atque deſuper dicto prætenſo jure definitio infra triennii metas deberet expediri. Sunt & alia quamplura capitula in dictæ pacis fœdere comprehenſa, quæ brevitatis cauſa omittimus hic inſerere, quod id huic noſtro operi minime neceſſarium exiſtat. Non tamen omittendum quod paulo antequam hujuſmodi pax conciliata foret, rex oppidulum de *Aëre*, corrupto capitaneo, cujus fidei ejus cuſtodia commiſſa fuerat, magno auri pondo redemerat ad ſummam, ut ferebatur, 20. vel 30. millium ſcutorum auri: & quia bella quæ poſt obitum Caroli ducis inter regem & heredem dicti ducis terraſque ejus efferbuerant, hoc felici pacis fœdere finita ſunt, & pro tempore terminata, ideo in hoc temporis articulo convenienter hunc librum claudemus, ab alio poſtea quæ reſtant exorſuri.

CAPUT I. LIBRI VII. *De lætitia magna in utriuſque obedientiæ populis, pace facta inter regem & ducem Maximilianum; & quomodo filia ejuſdem ducis ad ſponſum ſuum in Franciam deducta fuit.*

PAce itaque inter LUDOVICUM regem & MAXIMILIANUM ejuſque liberos, & dominia & ſubditos firmata, cum hinc inde ab armis quieſceretur, ingens lætitia populorum utriuſque obedientiæ ambarumque e veſtigio partium ſequuta eſt. Nam quemadmodum populi partium ducis MAXIMILIANI diu ſub anxio metu multoque pavore atque formidine clanguerant, fuerantque vectigalium & collectarum onere plurimum gravati; commercia quoque, quæ in illis terris per Flandriam terra marique de toto pene Chriſtiano orbe permaxime exerceri ſolent; halecum etiam, ceterorumque piſcium piſcationes, lanificium, ceteraque artificum opera, quibus ex rebus populi terrarum illarum victitare & magnas opes quærere conſueverunt, imminuta plurimum, & jam prope nulla exiſterent, priſcorum felicium temporum comparatione; non minus etiam ſubditi regis ab ipſo ſub prætextu guerrarum militiæ

simul & tributorum oneribus fuerant mirum in modum oppressi. Nam tallias & collectas super miseros regnicolas ad summam usque, quæ in triplo excederet eam, quam umquam suus genitor maximam suo tempore exegisset, ipse imposuit & levari fecit: ita ut Normannia de qua idem suis genitor ultra trecenta millia Francorum numquam levarat, ad usque duodecies centena millia Francorum & amplius adaucta & gravata fuerit, præter gabellas salis, quartum denarium potionum quæ in tabernis venduntur, & impositionem vicesimi denarii super his quæ venduntur, quæ nihilominus semper more soliti procurrebant, in aliis quoque regni provinciis, pro suo unaquæque modo & facultatibus, populi gravabantur. Quibus oneribus & importabilibus militiæ, at tot tantorumque tributorum, cogebantur multi, suis laribus ac natali solo derelictis, diversa exilia & novas sedes quærere quocumque potuissent: quibus malis accedebant & pestes & assiduæ pene hominum mortes, fames quoque quæ, seu sterilitate agrorum, vel inclementia cœli, seu quod ob fugam & desertionem colonorum incultæ jacerent terræ, provenire ferebantur. Propterea igitur quod his & aliis innumeris attriti cladibus, ab eisdem pace reintegrata ac restituta sese exemtos fore cernerent, veluti post longas tenebras mœroris ac luctus, lux nova solito clarior lætiorque utrisque populis exorta divinitus videbatur: & qui ab exordio guerræ, ut omnes ferme populi provinciarum Maximiliano subditarum, pertinaciter adversabantur, nullaque umquam pacis aut treugarum fœdera se cum rege habituros in suis publicis conventibus ac privatim ubique jactitarent, jam se pace cum eo conciliatos fore permaxime lætabantur. Exinde igitur & squalentia arva ligonibus exerceri, & lætis frugibus vestiri, commercia quoque terra marique inter utrosque populos frequentari videre erat, & oblitis atque obsoletis infaustæ discordiæ injuriis, inter sese mercatores & alios incolarum ambarum obedientiarum dies festos atque lætos agere cum magna animi alacritate. Implendo vero promissa, noya sponsa, quæ fœdere conjugali delphino regis filio copulanda fuerat, transacta hieme, mense Maio deputatis a rege legatis, sociata magna procerum dominarum caterva in oppido *Hesdinch* liverata est & tradita, qui eam ad regem suumque sponsum eumdem delphinum perduxerunt: erat enim tenella velut virguncula annorum scilicet circiter trium, quæ hiemis asperitatem minime perferre potuisset, & propterea vernale tempus & jam prope æstivum expectandum fuit, ne in traducendo eam ab inclementia temporis læderetur. Quemadmodum vero Galliarum populos pro hujuscemodi inito fœdere pacis, uti diximus, ingens exultatio & lætitia affecit, ita Angliæ gentem proinde fremere ac tabescere ferebatur. Cum enim jugiter ad invadendum, & si possent subigendum regnum Francorum inhient, ad quod ut perveniant, nisi per medium intestinarum seditionum & discordiarum inter principes regni, pene impossibile existat, nullus mirari debet si principum pacem atque concordiam ægre videant & conspiciant, quæ nanciscendæ Galliæ regni possessioni multum ab eis concupitæ valde obsistat, & hujus rei consequendæ spes eis adimat. Unde rescissa pensione quinquaginta millium scutorum auri, quam Francorum rex per aliquot annos pactis inter se habitis EDOARDO Anglorum regi exsolverat, cœpit pedetentim guerra inter ambo regna, quæ per plures annos intermissa & quodammodo sopita fuerat, recidiva exoriri, & per piratas hinc inde per mare turbari, in quo profecto Anglici a piratis Francorum majora damna quam vice versa Franci ab Anglicis sustinuerunt. Cum enim Anglici insulares sint, necesse habent nauticis trajectionibus sua exercere commercia, quod ita Gallis etsi commodum, minime tamen necessarium existit, quibus solum proprium cuncta vitæ necessaria abunde subministrat, & quibus quaqua versum pervius patet absque nautica trajectione orbis terrarum.

CAPUT III. *De commotione Trajectensium contra suos tyrannos, & de eorum incarceratione; & quomodo sese stultissime egerunt.*

DEsiderabant autem & acclamabant pene omnes pacem, & eo usque uno die perventum est, quod collecta multitudine populi in armis, ipsi aliquos de suis tyrannis ceperunt & in carcerem detruserunt, clavesque portarum civitatis a suis burgimagistris acceperunt, & si quis eis fuisset sensus, si quid boni consilii vel prudentiæ, pacem suam in manibus habebant, & servitutis jugum excutiebant. Si enim habito cum viris bonis & sapientibus acceptoque consilio, e quibus & in clero & in populo sufficienter inveniri potuissent, statim ad dominum & pastorem suum optimum accersiendum, qui prope ad tria tantum vel duo milliaria distabat, legatos misissent, interim ipsis armatis simul permanentibus, & muros suos atque portas solerter custodientibus, nulli dubium esse potest, quin depulsa tyrannide qua miserabiliter & exitialiter premebantur, paci libertatique suæ restituti fuissent. Atqui profecto tantis bonis ipsi indigni erant, nec dignas satis adhuc pœnas exsolverant pro malevolentia, odio atque execrationibus, quas adversus optimum præfatum pontificem habuerant atque exercuerant; propter quæ scelera & facinora tradidit eos divina justitia in reprobum sensum, & mentes eorum excæcavit merito nequitiæ suæ, ut æquum

& juſtum, quodque eis utiliſſimum ſuiſſe debuerat minime videre atque agnoſcere poſſent. Quod ex duobus quæ tunc per eos geſta ſunt unicuique intueri licet: uno quidem, quia cum trames rectus & apertus, nec alius tunc niſi ille unicus eis pateret, quod domino & paſtori ſuo piiſſimo, qui paratior erat omnem in ſe offenſam condonare quam ipſi petere, ſeſe reconciliatos & pacatos eſſe voluiſſent, eumque velut unicum ſuæ defenſionis ac libertatis præſidium in ſuam civitatem invexiſſent: ſed tramitem illum callemque rectum & paratiſſimum ac facillimum ad pacem ſuam acquirendam, ſua malitia omnino excæcati, nec complecti nec agnoſcere potuerant; verum potius ipſi omnino averſum a ſua ſalute & quiete animum velut homines phrenetici & dementati gerebant. Unde cum in ea ſic collecta populi multitudine unus vir bonus & prudens acclamaſſet, quod oporteret ſe illico mittere ad ſuum pontificem aliquos qui eum ad civitatem adducerent; ſtatim a turba impiorum acclamatum eſt, ſe numquam velle eidem pontifici ſuo & principi parere, nec ullas eis in epiſcopo DAVID, erat enim David nomen ipſius, partes habere, vel quidquam de eo audire; fuiſſetque ille vir bonus, qui conſilium de eo accerſendo acclamarat, a turba laniatus & oppreſſus, niſi mature ſe abſentando a turba per occultam fugam elabi potuiſſet. Altero autem quod cum idolum, quod ſibi adverſum eumdem pontificem invexerant atque erexerant, ad eos miſiſſet pacandos, ſingulis artificum collegiis ad bibendum unum dolium cerviſiæ ſe pollicitus daturum, protinus in eam ſtultitiam relapſi ſunt, ut eum ad domum ſui conſulatus accirent, ſibique portarum civitatis quas tulerant a ſuis tyrannis claves reſignarent, atque fidelitatis ſacramenta ultro ei præſtarent, qui ætatis annorum circiter decem & octo, nec litteris nec naturali prudentia vel moribus ullis probatis eminebat. Quo facto, cum ipſi certo numero doliorum cerviſiæ, quæ eis promiſſa fuerat, ſuos ventres impleſſent, quæ tamen ipſi exſolvere poſtea compulſi ſunt, ab invicem diſcedentes in domos ſuas ſinguli abierunt. Statim vero ſolutis e carcere quos ipſi incluſerant, & ſuos magiſtratus etiam cum ampliore auctoritate recuperantibus, paucis effluxis diebus uno ex his qui colligendæ & aggregandæ plebeiæ multitudinis auctor extiterat, tyranniſque ſuſpectior habebatur, capite plexo, ſub prætextu tamen aliorum criminum quæ unus perpetraſſe ferebatur, alii novem banno publico proſcripti ſunt. Hoc quidem unum in tot eorum malis bonum, imo verius mitius malum erat, quod in his civilibus factionibus & ſeditionibus ſanguinarii non fuerunt, quemadmodum ſæpe in talibus civilibus ſeditionibus omni crudelitatis genere in ſe deſæviſſe compertum eſt, ſed proſcriptionibus vel civibus intra ſuas ædes recludi juſſis, ut plurimum ſiſtebatur.

CAPUT IV. *De longa protractione miſeriæ & calamitatis civitatis Trajectenſis, ex malitia ſuorum tyrannorum.*

SIc itaque ut prius miſera civitas, ut interdicto apoſtolico & ſub anathematis graviſſima cenſura, quoad eos ipſos qui occupabant bona aut jura ſui pontificis, vel occupantibus auxilium, conſilium vel favorem in ea re præſtabant, & ſub impiiſſimorum hominum tyrannide in omnium ad uſum vitæ neceſſariorum penuria & cariſtia languebat per annos prope duos. Et quamvis in conventibus Prædicatorum & Minorum, qui capitale odium præ ceteris ad pontificem habere dicebantur, nonnulliſque aliis eccleſiis, ſeu premente metu, ſeu obſtinatione nefanda interdictum minime obſervaretur, in cathedrali tamen & S. Johannis collegiata eccleſiis, ut ſupra diximus, ſervabatur. Terminabantur interea ſæpe & indicebantur conventus pro pace tractanda, nunc in Haga comitis, nunc in Buſco-ducis, nunc in monaſterio de *Oesbroech*, & aliis pleriſque locis; ad quæ loca accedebant legati Trajectenſes tyrannorum cum deputatis nunc pontificis, nunc etiam principis, vel terræ & patriæ ſuæ Hollandiæ: & deludentes populum Trajectenſem, ſimulabant tyranni ſe pro pace agere, & eam toto conatu perquirere. Sed quid animo geſtirent & mente, ſæpius opere indicabant, qui ferme ſemper cum legatos ſuos ad diætas pacis mitterent, una mittebant Rutheros ſuos ad incendia vel prædas faciendas vel in Hollandia vel in aliis locis vicinis. Redemerant ſe a civitate pleræque villæ magnis quas exſolverant pecuniarum ſummis, ne vel in perſonis vel in ædibus aliiſve rebus damna paterentur; ſed non eo minus, cum antea nihil jam ſibi metuendum putarant, poſt adventum illius domicelli de Clivis, tamquam novi domini, quem aliena promiſſa non ligarent, omnia compactata reſciſſa ſunt, fuitque eis neceſſe vel ſe denuo redimere, vel incendiis ac prædæ patere, aut loca ſua deſerere; quod nonnulli incertæ & fragili fidei ſe committere amplius non audentes potius elegerunt. Fuit nempe quædam villa circa oppidum *Wich*, quæ promiſſa ſibi ſecuritate etiam per domicellum de Clivis ſeſe redemit, ſed cum illo ipſe cum ſuis Rutheris iviſſet, nec loci accolæ confiſi de pacta indemnitate ſe ſubtraxiſſent, ſed advenientibus etiam de ſuis bonis adminiſtraſſent, nihilominus ſpoliata & cremata fuit: quæ res amplius ceteros qui pariter ſe redemerant vehementer exterruit, ita ut amplius nemo per hujuſcemodi redemtiones ſe tutum fore reputaret.

CAPUT

CAPUT V. *Quomodo cives Trajectenſes potiores jugum tyrannicæ dominationis à ſuis cervicibus excuſſerunt, miſſis in carcerem tyrannis, & ſuum pontificem optimum in civitatem ſuam receperunt cum applauſu magno.*

VIdens autem populus Trajectenſis ſe totiens fore per ſuos tyrannos deluſum, qui in tot conventibus pro tractanda pace habitis nihil penitus votivum reportabant, quin potius ab eis tyrannis, licet frequenter omnes honeſtæ & rationabiles conditiones pacis eis oblatæ fuiſſent, palam dictum proteſtatumque fuiſſe, quod citius omnia extrema uſque ad civium internecionem & ultimum hominem relictum ſuſtinerent, quam quod pium pontificem ſuum umquam in dominum ſuum recognoſcerent, de pace componenda aut reformanda penitus deſperare coeperunt. Creſcebat in dies fames ex penuria & cariſtia annonæ, nec mercatores aut artifices quidquam lucri vel ex artificio vel ex negotiatione facere poterant. Similiter nec clerus, nec honeſtiores cives, quibus conſuetudo fuerat de propriis vivere reditibus, quidquam inde poterant percipere; & plerique qui ſi aliquid puſillum olim ex patrimonio ſibi reſervarant, illud a tempore inchoatæ ſeditionis conſumſerant, etiam egeſtate laborabant: unde moriebantur multi, & erat ubique mendicantium miſerabilis ejulatus & gemitus. Illis quidem duobus annis, quibus illa ſeditio efferbuit & duravit, erat ubique pene per Galliæ & Germaniæ terras ſterilitas & cariſtia magna victualium: ita ut pene ubique etiamper Gallias, peſte ex fame contracta, plurimi morerentur: ſed Trajecti hæc calamitas geminabatur, cum in agris ſuis, qui inculti & ſentibus obſiti jacebant, nihil prorſus perciperent, & tertio denario, aut etiam medietate, cuncta cariùs emere neceſſe haberent, quam in eis locis venderetur, unde ea advehi ad eos oportebat: ſed & nihilominus illic unde advehebantur, ultra ſolitum quemadmodum & in omni circa regione cariſtia magna victualium erat. Quam miſerabilem calamitatem quidam ex civibus, qui validioris animi atque audaciæ erant, ultra ferre non valentes, inter ſe pauci tunc dixerunt ſecreto, quod ſi aliquo die Rutheri civitatem exirent, ſi qua via poſſent a ſuis cervicibus tyrannicum illud jugum excuterent, & ſeſe ac civitatem in libertatem vindicarent. Explorabant itaque; & facite operiebantur, ſi quando hora opportuna ſe offerret, qua ſui inter ſe placiti & condicti executionem perficere poſſent. Contigit autem ut die menſis Aprilis vigeſima prima poſt Paſcha, anno Domini 1483. tyranni civitatis, abſente tunc idolo ſuo domicello ENGELBERTO de Clivis, qui ob nonnulla ſua negotia a civitate ſe abſentarat, ad patriam ſuam Clivenſem, ſuos Rutheros ſer-

A me omnes mitterent ad quaſdam arbores ſuccidendas, & ad civitatem deferendas pro munitionibus portarum & mœnium, tempore & loco pro quibus id neceſſarium eſſe poſſet, atque etiam ad machinas & propugnacuia fabricanda; ſimulque etiam evenit ut ipſi tyranni omnes cum domino *de Montfort*, penes quem maxime totius factionis manebat tunc auctoritas, in unum convenirent in loco capitulari eccleſiæ S. Martini; ſolent enim frequenter ſolemnes & pro gravioribus
B cauſis totius civitatis illic celebrari conventus. Quod cum agnoviſſent qui de conjuratione erant, oſtia ejuſdem capitularis aulæ de foris clauſerunt, atque illico currentibus quibuſdam per vicos civitatis, qui pacem cum magno acclamarent tumultu, adventantibus & conjuratis in civium magna multitudine ad communem plateam, quæ eſt prope domum conſulatus, ſtatim tota civitas in armis fuit, obſeratiſque civitatis portis, & mœnibus, ut neceſſitas ſuadebat, cuſtoditis, capti fuere tyranni omnes, & quod valde mirandum, attentis innumeris pene malis
C quæ civitati ac toti populo intulerant, ipſos captos in dicto capitulari loco in quo fuerant concluſi, pacifice ad portam civitatis quæ ſanctæ Catharinæ appellatur adduxerunt, & in carcerem detruſerunt, nemine eorum cæſo aut percuſſo: revera enim, ut diximus, non oſtenderunt ſe eſſe homines ſanguinarios, quod tamen in pleriſque civitatibus, quando tales ſeditiones exſurgunt, contingere ſæpe viſum eſt. Conſilio autem ſtatim ex tempore accepto, non ut priore vice ad ſuum domicellum Clivenſem, ſed ad ſuum pontificem optimum atque piiſſimum accerſendum miſerunt, qui in ſuo oppido *de Wich* a civitate
D non amplius duobus milliaribus patriæ remoto tunc conſiſtebat. Lætus igitur idem benigniſſimus pater, gratiaſque agens Deo quod ita dulciter abſque ſanguinis effuſione cives a ſe jugum tyrannicæ dominationis excuſſerant, omnes erratus ſuos culpaſque clementer eis condonans, immemorque juxta præceptum divinum omnis injuriæ civium, ipſo die eum comitatu ducentorum circiter armatorum equitum ac peditum civitatem intra-
E vit, jam adveſperaſcente die, imo jam nocte circiter per duas horas incœpta. Suſceptus eſt autem a civibus cum maximo omnium bonorum applauſu, luminaribus per domos & plateas in facibus ubique accenſis, bonorum autem diximus, quando multi adhuc in civitate erant & de clero & de laicis, quibus ea res vehementer diſpliceret, nec poterat ulla ratione eorum perverſus animus ferus ac indomitus ad obediendum eidem ſuo pontifici vel eum colendum inflecti. Sed tunc neceſſe eis fuit, ut altum premerent corde dolorem, & vel ſimulate ſignum quodvis lætitiæ exterriti portenderent. Nam ipſi nimium erant & numero & viribus impares iis

qui de recuperatione ſuæ libertatis & tyrannorum depulſione toto corde gaudebant. Rutheri autem qui ad commiſſa ſibi opera emiſſi extiterant, ad veſperam redeuntes, objectu portarum intrare prohibiti, ſeſe in ſuburbano locaverunt, parati diſcedere, dummodo eis de ſtipendio quod promiſſum fuerat ſolveretur. Et quamquam revera non pro civitate, ſed potius contra a tyrannis acciti ad civitatem opprimendam militaſſent, voluiſſent tamen cives optimi, ad quos regimen & moderatio reipublicæ civitatis ab impiis & iniquis tranſlata erant, ut de ſtipendio ſtatuto pro tempore quo ſervierant eis probe & legaliter ſolveretur. Pulchrum autem jucundumque erat videre cives, qui initio ſeditionis vel poſtea civitate & laribus relictis propriis, pontificis partes ſequuti fuerant, ad propria revertentes, de vicinis quoque oppidis navigio & curribus annonam aliaſque merces ad civitatem advehi, ad quam & avidius quidam adventabant, quod per annos prope duos eam nec videre nec ingredi propter hoſtilitatem potuerant, ita ut plateæ civitatis quæ tyrannide ſæviente vacuatæ civibus, nec niſi a Rutheris, deſperatis garcionibus, atque ut Teutonico vulgari dicimus, buſonibus calcabantur, jam honeſtis civibus & mercatoribus cernerentur impletæ. Habuit autem ipſe pius pontifex verba de pace & reconciliatione domini *de Montfort*, quem clauſum in una camera ſui palatii cuſtodiebat, ſatis humaniter cum faciens procurari & detractari. Et conſentiebat idem dominus *de Montfort*, ut caſtrum & oppidulum ſuum ad manum ſuam contraderent, quibus loci cuſtodia a ſe fuerat commiſſa: hujuſque rei conſummandæ gratia ipſe pontifex & dominus ſtipatus ducentis aut trecentis virorum armatorum exiit civitatem, illo proponens proficiſci, & caſtelli nanciſci ut dominus poſſeſſionem. Verum ſtatim ut iter arripuerat, nuntium accepit, quod Hollandini caſtrum obſidebant, illud ad manus ſuas cupientes habere: quod ſi habere potuiſſent, intentio eorum eſſe putabatur, quod loci munitionem funditus everterent, tam in odium domini *de Montfort* illius domini, quam & propter vicinitatem ad terras Hollandiæ, quod de illo priſcis ac modernis etiam temporibus damna plurima perpeſſi fuiſſent. Quo accepto nuntio, cum videret propoſitum ſuum impediri, ad civitatem eſt reverſus; nec efficere potuit, licet non ſemel tantum ſed pluries hoc efficere tentaviſſet, ut Hollandini qui illic caſtra ſua & obſidionem poſuerant, ab obſidione diſcederent.

CAPUT VI. *Quomodo paulo poſt, duce quodam Henrico* de Meulde, *acitis Clivenſibus & Amersfordienſibus, nocte irrupta eſt & capta civitas Trajectenſis, captus pontifex & tyranni liberati, & Engelbertus de Clivis denuo reintruſus.*

FUerat autem ad cuſtodiam caſtri illius commiſſus quidam juvenis, audacis nimium & efferati animi, dictus Henricus *de Meulde*, cognatione ipſi *de Montfort* propinquus, utpote ſuæ ſororis filius. Hic cum cognoviſſet domini epiſcopi ad civitatem ſuam ingreſſum, captivoſque detineri ipſum *de Montfort*, alioſque qui tyrannidem in civitate exercuerant, qualitercumque de caſtro illo egrediens ad oppidum Amersfordiæ, indeque ad patriam Clivenſem acceſſit. Inveniens autem ducem & domicellum Engelbertum de Clivis fratrem ſuum, quem tyranni civitatis in ſuum velut dominum invexerant adverſus ſuum pontificem, pronos & faciles ad id quod affectabat perficiendum, eumdem domicellum acceptis quingentis aut ſexcentis Rutheris, e quibus plures erant qui civitate ejecti, ſub eodem domicello & tyrannis civitatis illic pro præſidio collocati fuerant, Amersfordiam adduxit: quo in loco per aliquot dies repauſavit, explorans per transfugas qui implacabili odio ſunm habebant epiſcopum, qualis illic militum ſeu Rutherorum manus, qualis in muris & portis caſtodia, qualis agerentur nocturnæ vigiliæ. Et præfatum quidem Engelbertum cum prædicto Henrico *de Meulde*, & ea quam diximus manu Amersfordiam adventaſſe non ignoravit pius pontifex: unde adſcivit circiter Rutheros ducentos, quo civitas certior redderetur; & ea utique manus ad tutandam civitatem ſufficere potuiſſet. Sed cum munita & per omnes aditus platea civitatis, quæ eſt ante domum conſulatus, cincta fuiſſet repagulis & ſerpentinis, prout eam ſæpius tyrannis anteriore ſuæ tyrannidis tempore munierant, vel etiam vigiles noctu in mœnibus, turribus & portis numero ſufficienti extitiſſent; ſed hèu, proh dolor! nec dicta platea ſufficienter fulta præſidio, nec in muris, ſeu incuria & negligentia civium, qui nimis temere & falſo ſecuritatem ſibi in ſui pontificis præſentia promittebant, ſeu malignantium fraude, quorum adhuc plures in civitate erant, ſummo odio ſuum epiſcopum habentes, ſufficientes vigiliæ vel cuſtodes adhibiti fuerunt, unde exitiale malum provenit civitati. Feria ſiquidem quarta, quæ erat dies ſeptima Maii & vigilia Aſcenſionis Dominicæ dicto anno 1483. de nocte circa horam ſecundam poſt mediam noctem, irruentes illic Henricus *de Meulde* & ſatellites, quos de terra Clivenſi & Amersfordia ſecum adduxerat, neminem qui pro defenſione ſtaret in mœ-

nibus invenerunt; unde facile admotis ſcalis ad muros, obſiſtente nullo, tranſcendere muros potuerunt. E quibus cum modicus numerus intro civitatem deſcendiſſet, fertur quod quamdam portam parvulam ſeu oſtium per quod præparatores coriorum ad foſſam civitatis & aquam exire conſueverant, aperuerint, & per hujuſmodi foramen ſeu oſtium turbam ſociorum ſuorum intromiſerint, qui omnes in unum globum collecti, ſuis ſtipati armis, præcipue bombardellis, baliſtis & contis, plateam civitatis petierunt, in qua ſiquidem inventa parva manu ſtipendiariorum, quos proximis ante diebus bonus pontifex pro cuſtodia adſciverat, cum iis ferme per duarum ſpatium horarum acerrimum conflictum habuerunt: defendebant enim illi ſtrenue plateam bombardellis, & variis miſſilibus inimicos repellere ſatagebant. Horrendum erat & formidabile audire bombardellarum & miſſilium jactus qui hinc & inde mittebantur; tam enim crebro & inceſſanter crepitabant, quod initio nonnulli quod agebatur ignorantes, arbitrarentur non talium miſſilium eſſe ſonitum, ſed potius tignorum aliquorum continuatos ictus ad fores domorum aliquarum effringendas: pulſabat & terrifico ſono aſſidue campana, per quam cives ad armorum tumultus excitari ſolent. Verum, e civibus, audito ab eis quod Clivenſes pro Engelberto ſuo domicello contra ſuum epiſcopum dimicarent, pauci & prope nulli ad defenſionem accurrerunt, ſed obſeratis oſtiis ſeſe intra ædes ſuas continebant. Fuit itaque in platea prædicta partium certamen magnum atque atrox, in quo occubuit ille ſtolidus & procax Henricus *de Meulde*, qui totius hujus aggreſſus auctor fuerat & incentor, cujus profecto caſus perutilis fuit & pontifici & civitati. Ferebatur enim cum execrabili ſacramento firmaſſe ſe manu ſua pium pontificem fuiſſe necaturum, ſi victor & ſalvus evadere potuiſſet: erat quippe ipſe cenſura & ſpirituali mucrone ſummi pontificis excommunicatus, aggravatus & reaggravatus atque anathematizatus, omni impietate & ferocitate repletus, quamplures e civibus & eccleſiaſticis habens odio implacabiliter. Propter quod clementiſſimus Dominus valde utiliter & miſericorditer providit civitati, quod tam cruenta & immanis bellua tolleretur; qui profecto ſi voti ſui execrandi compos manſiſſet, & plurimos enecaſſet cum optimo pontifice, & ad explendam rapacitatem ſuam, quia pauper & inops erat, vel civitatem univerſam, vel majorem ſaltem locupletum domorum partem cum ſuo impio ſatellitio expilaſſet ac diripuiſſet. Fuerunt in eo certamine bina vice Clivenſes depulſi & loco moti, viriliter & ſtrenue dimicantibus qui pro defenſione plateæ & civitatis adſtabant: ſed finaliter ſe accumulantibus Clivenſibus, & atrociter imminentibus, neceſſe eis

A fuit qui longe pauciore numero erant, loco cedere; nam & ipſis Clivenſibus ſeſe ex civitate nonnulli conſociarant, qui acerbiore odio in ſuum ferebantur pontificem. Statim autem ut terga verterunt qui pro defenſione aſtiterant, ipſi Clivenſes cum civibus ſuæ factionis effractis carceribus in quibus dominus *de Montfort* & alii fautores ſui aſſervabantur, ad palatium epiſcopi irruperunt, & effractis & direptis exportatiſque omnibus quæ inibi portabilia inventa ſunt, in ipſum etiam pium pontificem Chriſtum Domini ſacrilegas manus auſu nefando injicere non
B ſunt veriti; quin & multis eum probris ac contumeliis, abſque ullo Dei timore & ſacri ordinis reverentia, affectum, etiam domo propria ejecerunt: cum vero propter arthriticas paſſiones pedibus non poſſet tunc facile ambulare, ad quamdam aliam domum, ubi ſatis vile publicum tenebatur hoſpitium, deportatus eſt, atque illic per dies multos ſervatus. Ipſo autem die, quo ſic, uti diximus, civitas irrupta fuerat, & ſub impiorum hominum manum redacta, accerſierunt ſtatim hujuſcemodi iniqui ſuum ENGELBERTUM domicellum
C Clivenſem, ipſe enim in Amersfordia conſtiterat; qui ſtatim ad civitatem veluti ad acquiſitam prædam accurrit. Exierunt autem & ſeſe per mœnia dimiſerunt, qui ad ſtipendia pontificis in civitate erant, cum pluribus ex civibus qui ſtudioſi partium ejuſdem pontificis eidemque fideles extiterant: qui vero tali fuga minime tutari ſe potuerunt, & periculum inſtans effugere, ſcrutati ſunt per civitatem; & qui de eis inveniri potuerunt, fuere in carcerem detruſi, & ad ſe redimendum pecuniam quantam poſſe eos exſolvere arbitrabantur compulſi & neceſſitate adacti:
D nonnulli tamen ex honeſtioribus, & adverſum quos non tam acerbum odium efferbuerat, fuerunt in propriis domibus relicti, interdicto eis ſub vitæ ſuæ periculo, ne inde exire præſumerent. Capti etiam & mancipati fuerunt omnes ferme de domo & familia pontificis, demtis iis qui clam clabi potuerunt. Domus etiam nonnullæ effractæ pilatæ fuerunt, non tamen tot quot ſæpius diripi & ſpoliari viſum eſt in talibus civitatum vel oppidorum irruptionibus, in quarum multis nec corporibus neque bonis fuiſſe parcitum frequentius compertum eſt. Unde ut verum fateamur, penſatis rerum circumſtantiis, hi qui hanc irruptionem fecerunt, civili hac victoria valde
E frequenter uſi fuiſſe videntur; non enim ſanguinarii fuerunt ut ad cædes uſque, eorum præſertim quos ſe exoſos maxime habuiſſe ſciebant, procederent, imo nec ad domorum niſi paucarum direptionem; cum tamen jure belli plures mortalium univerſam civitatem non aliter quam prædæ ſibi expoſitam atque permiſſam reputaſſent. Eramus tunc ipſi in civitate non ſine metu; qui cum tam atrocem & periculoſam civitatis captivitatem, tam hu-

maniter procedere inſpiceremus & videremus, magnas gratiarum actiones Domino exſolvebamus, quod tam clementer res tam ſæva atque formidabilis ſic mitesceret. Statim enim erat videre cives non modo in ſuis domibus, ſed & per forum & per plateas ambulare, atque ſuas neceſſitates procurare, parvo lineo panniculo tantum circa brachium circumvoluto, quod ſignum nec uſque ad noctem portandum fuit. Fuerunt enim ſtatim rapinæ & violentiæ cohibitæ: verumtamen ad ſumtus ipſi domicello & ſuis neceſſarios exquiſitæ ſunt pecuniæ, tum ab his qui rem aliquam habere putabantur, tum a quibuſdam pro ſua redemtione vel domorum ſuarum, ne prædæ exponerentur: ab aliis vero etiam nomine civitatis mutuæ acceptæ ſunt pecuniæ, cautione eis facta de fienda reſtitutione; ſatisfaciendum enim utcumque erat de ſtipendio militibus ſeu Rutheris qui illo adventarant, ut a rapinis & amplioribus violentiis civitas ſervaretur. Audito vero ab Hollandinis qui obſidione caſtellum Montisfortis cinxerant, quod ſic a Clivenſibus Trajectum irruptum fuiſſet, ſtatim ſoluta obſidione diſceſſerunt: ſed e veſtigio hujuſmodi civitatis captivitatem multæ denuo & magnæ eidem civitati calamitates ſequutæ ſunt. Primum dira fames & omnium victualium cariſtia magna: cœperat enim aliquantum remitti de pretio annonæ & cunctorum victualium ab illo die quo civitas tyrannide excuſſa ſeſe ſub legitimi principis ſui atque pontificis poteſtatem reduxerat, cum ex Hollandia & vicinis terris cuncta ſecure atque affluenter adveherentur, minuebaturque in dies rerum omnium uſui vitæ neceſſariarum decreſcebatque pretium, unde exultatio & ingens lætitia plebi inerat hujuſcemodi commoditates ſibi proveniſſe cernenti, quibus biennio privata ſub dira ſervitute tyrannorum, fame & penuria omnium rerum elanguerat. Sed heu, proh dolor! hujuſcemodi momentanea lætitia civitati ſtatim verſa eſt in luctum & lamentum: nam poſt irruptionem Clivenſium factam, denuo civitate omnibus vicinis terris inimica, nullo ex latere in eam victualia portabantur. Poterant forte nonnulla ex Tranſiſalanis oppidis advehi, ſed cum tantis ſumtibus & periculis, quod cum ad civitatem uſque pervenire potuiſſent, tam caro ea venumdari oportebat, quod plebis humilioris ad ea emenda facultates minime ſufficiebant. Erat tunc annona ubique cara, ſed ex vectura & ſcorto ſeu conductu, pretium ad tertiam partem vel amplius in civitate excreſcebat: ſed & tunc rariſſime aliqua invehebantur ad civitatem, ex quo contingebat quod ſimul cum caritate annonæ invaleſceret & fames.

CAPUT VII. *Quomodo a duce Auſtriæ civitas Trajectenſis obſeſſa fuit, & de iis quæ durante obſidione contigerunt.*

NOn multo vero poſt, circa feſtivitatem nativitatis beati Johannis Baptiſtæ, illuſtriſſimus princeps MAXIMILIANUS dux Auſtriæ, compatiens piiſſimo pontifici, qui ſic a Clivenſibus hoſtibus etiam ſuis fuerat circumventus & captus, quem ipſi de Trajecto Amersfordiam tranſportarant, ne forte ob ipſius præſentiam aliqui in civitate res novas moliri aggrederentur, collecto valido exercitu, circiter ad duo millia equitum & decem aut duodecim millia peditum, ipſam civitatem obſidione cinxit & vallavit, non quidem ex omni parte, ſed ex ea maxime unde obſeſſis vel annonæ ſubſidia vel ſuccurſus ſolatia provenire potuiſſent. Admotis autem ad mœnia & turres dejiciendas petrariis ac baliſtis, magnam muri partem, circa portam quæ vicina eſt monaſterio religioſarum quæ vulgo Albæ-Dominæ nuncupantur, dejecit. Quod videntes ENGELBERTUS domicellus, dominus *de Montfort*, & alii qui in civitate erant, & per eam partem civitatem expugnari metuentes, dato eis ſecuro acceſſu, ipſum illuſtriſſimum dominum ducem adierunt, ſupplices ab eo pacem petituri; obtuleruntque ſe deditionem facturos, ſi eis certæ quas poſcebant conditiones gratioſe concederentur: & eas quidem clementiſſimus princeps conceſſit, adjecit tamen aliqua ultra hæc, quæ cives perferre onera ac tolerare deberent. Quæ cum non factu difficilia nec dura nimium eis viderentur, ea ſe impleturos ſponderunt; & quaſi non ambigerent de conſenſu civium, ea principio annuerunt, ſe vades ſeu obſides propter hoc conſtituendo. Noluit tamen ipſe dominus *de Montfort* adjectis per ducem hiſce oneribus abſolute præſtare aſſenſum, ſed reverti ad civitatem voluit, ut civium ſuper his conſilium atque conſenſum exquireret, quod ſibi ex præſtita ſibi ſalvi conductus ſecuritate licebat. Putabatur tunc ferme a cunctis, & ita fama communis volitabat, deditionem civitatis & pacem firmam factam eſſe. Sed cum idem dominus *de Montfort* civitatem fuiſſet ingreſſus, ſtatim ex abrupto abſque mandato & ordinatione ducis in ea parte qua effractus fuerat murus, milites certi ex ſuis inſultum ad civitatem facere inchoarunt. Quibus cum a civibus & Rutheris qui intro erant reſiſtentia objecta fuiſſet, & res hujuſcemodi temere attentata ad ducis notitiam perlata, ad prohibendum inſultum ipſe ſtatim accurrit, juſſitque milites ab incœpto ceſſare atque diſcedere; unum quoque aut duos manu propria peremiſſe ferebatur, & totidem patibulo affigi feciſſe. Sed nihilominus ex hoc quæ facta fuiſſe credebatur pax adeo turbata fuit, præfato

domino *de Montfort* minime ad ducem revertente, ſed in civitate remanente, ut per dies de reformanda & reconcilianda pace nullus ſermo penitus haberetur. Retinuit autem ipſe dux domicellum de Clivis captivum, & Gerardum *Zoudenbach* burgimagiſtrum unum ex civibus, qui ſe apud eum, ut præmiſſum eſt, obſides conſtituerant. Fuerunt tamen qui dicerent injuſtum fuiſſe eos ſic retinere, nec promiſſam ſecuritatem rite fuiſſe ſervatam, quod qui in neutram partem, ſed ad juſtitiam dumtaxat afficiebantur, aliter eſſe aſſerebant. Fuerunt etiam qui dicerent per prædictos & dominum *de Montfort* machinatum fuiſſe dolum in principem, quem ſi civitatem cum illa manu dumtaxat quam popoſcerant, fuiſſet ingreſſus, appoſitis occulte in certis ædibus inſidiis, circumvenire & perimere cum ſuis decreviſſent: qui dolus a quodam transfuga cum principi fuiſſet nuntiatus, prædictos duos juſſerat aſſervari & in carcerem retrudi. Quid autem de his verum potius fore credendum ſit, diffinire non præſumimus, quod non ſatis compertum habemus; a nonnullis enim ſic, ab aliis aliter res geſta fuiſſe narrabatur; certum tantum eſt poſt hujuſcemodi attentatam expugnationem, & prædictorum detentionem, longum de pace ſilentium duraviſſe, & ad arma & hoſtilia apparamenta reditum extitiſſe. Hi enim qui obſeſſi erant, loca in quibus muri diruti fuerant, aggeribus & repagulis aliiſque impedimentis farciebant: qui vero foris adjacebant, e diverſo novas ſtruere machinas & baliſtas parare, quibus turres & mœnia denuo quaterentur. Cum autem multum ſibi viderent opportunum ad expugnandam civitatem, ſi ſuburbanum quod erat ad portam per quam Amſterodamenſes iter habent navigio, poſſent acquirere, ad illud expugnandum magnis viribus intenderunt; erat enim foſſis & aqua undique cinctum, & magnum atque populoſum, obſerarantque aditus accolæ loci portis & repagulis per quæ ingreſſus in ipſum patuiſſet: ſemel quoque initio obſidionis cum obſeſſores tentaſſent ipſum irrumpere, eos appoſita valida defenſione ſubmoverant, & cæſis ex ipſis plurimis reliqui effugerant. Porro ipſum denuo expugnare adorti, magnis viribus expugnarunt, nec potuerunt, qui ad ipſum tutandum illic adſtabant, amplius ipſum obſervare, ſed miſſo in nonnullis ædibus incendio, quæ prope omnes ſtraminibus vel arundinibus erant coopertæ, quibus tempeſtive hoc facere licuit, ad civitatem fugientes, ſeſe illic receperunt, & ad eam pro ſalute tuenda confugerunt. Fuerunt autem in illo certamine ultro citroque nonnulli peremti, & quod non parum damnoſum principi fuit, terriſque ſuis Hollandiæ, quibus regendis atque moderandis vices principis gerebat, paucis poſt hujuſmodi ſuburbani expugnationem diebus, fuit illic jactu unius bombardellæ peremtus dominus Judocus *de Lalaing* nobilis miles ex Hannonia, vir prudens atque honeſtus. Ablato itaque civitati hujuſcemodi ſuburbano & toto pene exuſto, in quo plurimæ magnificæ domus ac opulentæ fuerant, juſſit dux iterato prope portam civitatis quæ ad dictum ſuburbanum fuerat, petrarias admoveri; quæ poſtquam illic ſtabilitæ inſtructæque fuerunt iis quibus opus erat, & per duos aut tres dies muros continuo quatiendo, grandem eorum feciſſent ruinam, per quam introeundi in civitatem non difficilis aditus patere videbatur, metuerunt ſaluti ſuæ tam Rutheri quam cives, & tanti tamque præſentis atque imminentis horrore periculi confirmati, ſeſe in unum agmen colligentes, venerunt ad dominum *de Montfort* & aliquos tyrannos, qui ſua nequiſſima obſtinatione ad tale periculum adduxerant civitatem, dixeruntque eis quod illico & abſque ulteriore procraſtinatione a principe procurarent ſibi pacem, alioquin incontinenti eos perimerent, & ſupplices eamdem ipſimet pacem expoſcerent. Exteriti itaque omnes illi, mortem ſibi niſi voluntati populi adquieſcerent præſentem adeſſe cernentes, ſtatim pro requirenda pace ſupplices certi qui deputati ad hoc fuere, principem adierunt.

CAPUT VII. *De civitatis deditione, & auctoris excuſatio; ac de obitu Ludovici Francorum regis.*

ADventarant tunc ex Auſtria ad principem a patre ſuo legatus unus venerabilis prælatus archiepiſcopus Strigonienſis in regno Hungariæ, & cum hoc in Alemannia etiam archiepiſcopus Salſburgenſis, qui cum rogatu legatorum civitatis ſe ſponderet futurum mediatorem, certo ſibi honorario expromiſſo, apud clementiſſimum & benigniſſimum principem, non difficulter pacem civitati certis legibus impetravit atque obtinuit, ſub quibus cives cum nihil ultra virium haberent, ſed fame atque inedia, variiſque confecti morbis languerent, deditionem fecerunt. Duravit autem obſidio paululum ultra duos menſes, & facta eſt ipſius civitatis deditio Dominica prima menſis Septembris, quæ tunc erat ejuſdem menſis die ſeptima: & quoniam, uti diximus, pontifex piiſſimus in oppido Amersfordiæ captivus ſervabatur, paucis poſt hæc emenſis diebus, facta oppidi deditione certis legibus, idem pontifex plenariæ ſuæ redditus ac reſtitutus libertati atque auctoritati, Trajectum ad principem venit, atque cum omnium bonorum applauſu, & cum ingenti lætitia receptus tamquam dominus fuit. Durante autem obſidione volavit rumor ſatis ingens, quod dux Clivenſis exercitum apparabat & congregabat, ut Trajectenſibus obſeſſis, juxta quod promiſiſſe ferebatur, ſuccurſus præberet ſo-

latia: ſed cum coactis copiis quas adſciſcere potuerat, ſe nimis numero virtibus videret inferiorem, domi ſubſtitit, nec ultra progredi auſus fuit. Manſit autem Trajecti dux ipſe MAXIMILIANUS cum ſuis militibus, qui cum in numeroſa eſſent multitudine & variarum linguarum atque nationum, alii Galli, alii Hiſpani, alii Teutonici, alii & pars magna de inferiore Alemannia, difficile coiberi potuerunt ne civitatem diriperent ac ſpoliarent; ſed quantum facere potuit ipſe humaniſſimus princeps, ne id fieret obſtitit, curam habens & omnem ad hoc adhibens ſollicitudinem, ut de ſtipendio conſtituto eis ſatisfaceret, ob cujus ſolutionis defectum ſibi in prædam debere permitti civitatem cauſabantur. Non tamen adeo uſque contineri potuerunt, quin particulares prædas & rapinas agerent, atque damna in quampluribus ædibus irrogarent: in multis nempe domibus oſtia & feneſtras, detractis ferramentis, ceteraque lignea domorum inſtrumenta comburebant; nec præ multitudine de hujuſcemodi delictis pœnæ ſumi poterant. Cum enim de quibuſdam ex ipſis qui capitali crimine condemnati erant ſupplicium ſumendum foret, ſeſe in unum agmen magna hujuſcemodi iniquorum turba cogentes, reos ſupplicio violenter exemerunt, quod ne gravius contingeret ſcandalum inultum manſit. Paulatim vero eis de ſtipendio ſatisfactis, per turmas civitate excedere, & alio abire quo princeps ordinabat compulſi ſunt, & pedetentim ſub ordinem eis redactis, violentiæ magna ex parte ceſſerunt. Immorati aliquantum forte latius ſumus ad Trajectenſium referendas ſeditiones rebellioneſque adverſus ſuum pontificem, ad quas ab antiquo proclives & aſſuetos fuiſſe eorum in annalibus atque hiſtoriis relatum invenitur, & forſan amplius quam noſtrum poſceret inſtitutum munuſque ſuſceptum: ſed quoniam in has rebelliones incurrerunt ſub ea quam gerebant ſpe, quod Francorum rex qui bellum adverſus illuſtriſſimum MAXIMILIANUM ſuaſque terras ſuſceperat, ſuas ſuorumque vires omnino protereret, terraſque ſuas dominio ſuo adjiceret, ac per hæc ipſi de totali ruina domus Burgundiæ, ſuique dejectione pontificis, qui ut ſuperius retulimus, erat naturalis PHILIPPI, fraterque CAROLI illuſtris memoriæ Burgundionum ducum, ſuum complerent deſiderium; nam in eos implacabili pene odio magna eorum pars inardeſcebat; ſimul etiam quia tunc ab ejuſdem accolis civitatis omnem rei ſeriem plenius agnovimus, idcirco non abs re inter geſta LUDOVICI regis, quæ enarranda ſuſcepimus, hanc ipſorum Trajectenſium tragœdiam inſerendam eſſe putavimus. Ipſe enim ſciens inimicitias quas ad dominum Maximilianum hoſtem ſuum, ſuumque exercebant pontificem, eos ſuos bonos amicos appellare conſueverat, & per litteras eis auxilium præſtare fuerat pollicitus, quod quemadmodum adimpleverit ſatis conſtare unicuique poteſt, qui tractatum fœderis inter ſe & eumdem Maximilianum legi curaverit, per quem expreſſe eoſdem Trajectenſes excludit, atque adverſus eos & ducem Clivenſem Maximiliano præſtiturum auxilia repromittit. Dum vero idem MAXIMILIANUS adhuc caſtra teneret ante dictam Trajectenſem civitatem, eamque, uti retulimus, obſidione conſtringeret, contigit eumdem LUDOVICUM Francorum tunc regem hac inſtabili luce deficere die vigeſima nona menſis Auguſti anno præfato Dominicæ Incarnationis 1483. qui præfuit regno annos viginti duos, menſem unum, dies circiter octo a die obitus patris ſui felicis recordationis. Cujus mors & tranſitus procul dubio omnibus non modo regni accolis, quos duriſſima ſervitute & immani jugiter oppreſſerat tyrannide, ingentis gaudii materiam dedit, ſed & omnibus finitimis nationibus, ad quas ſuæ improbitatis ac tyrannidis fama pervenerat, quarum percuſſæ metu, tantum inde lætitiæ & alacritatis accipiebant, & de ejus morte conſolationem, quantum eis ipſius vita ingeſſerat anxietatis, periculi atque ſollicitudinis.

GESTA PONTIFICUM
TRAJECTENSIUM ET LEODIENSIUM
A S. REMACLO AD VAZONEM.

Ex MS. codice Andaginenſis monaſterii S. Huberti ante annos ſexcentos exarato.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

GESTA epiſcoporum Tongrenſium, Trajectenſium & Leodienſium ab antiquis auctoribus conſcripta, unum in corpus collegit, ac notis illuſtrata edidit vir doctiſſimus ac de republica litteraria bene meritus Johannes Chapeavilla, quæ tribus tomis prodierunt in lucem anno 1618. Horum in limine conſtituit Harigerum Lobienſem abbatem. Is primus, hortante Notgero Leodienſi antiſtite, acta XXVII. præſulum a ſancto Materno ad S. Remaclum litteris conſignavit, ac Werinfrido abbati Stabulenſi opus ſuum nuncupavit. Harigero ſubjecit Anſelmum canonicum Leodienſem, qui ſubſequentium epiſcoporum acta uſque ad Wazonem, cujus ætate florebat, proſequutus eſt. Anſelmo addidit Ægidium Aureævallis monachum, & huic Hocſemium alioſque ad ſua uſque tempora non ſpernendos auctores. Quam editionem merito laudaverunt hactenus viri eruditi omnes.

2. Cum tamen Leodii bibliothecam clariſſimi viri domini baronis de Craſſier perluſtraremus, incidit in manus noſtras antiquus codex Andaginenſis monaſterii S. Huberti ante ſexcentos annos exaratus, lucubrationes continens Harigeri & Anſelmi, quem diligenter cum editione illa collatum, non modo diverſum in multis deprehendimus, ſed multo ampliorem. Nam præter Waſonis epiſcopi vitam media circiter parte auctam, non pauca aliorum antiſtitum geſta exhibet, quæ illic deſiderantur.

3. Animadvertimus præterea Alexandrum Leodienſem S. Lamberti canonicum, delibatis ex Harigeri opere primorum epiſcoporum geſtis, ſubſequentium poſt ſanctum Remaclum antiſtitum acta ſcriptis commendaſſe, Waſoniſque, utpote ſibi familiaris & noti, vitam fuſius digeſſiſſe, quæ omnia eruditi editoris diligentiam fugerant. Alexandri autem fœtum ab Anſelmi opere diſtinguendum eſſe vel exinde patet, quod Alexander Harigerum leviter attigerit & quaſi defloraverit, Anſelmus vero diſtinctum capitulis, intactum reliquerit & integrum, ut cuilibet nuncupatoriam ejus ad ſanctum

Annonem epistolam conferenti cum proœmio ad secundum librum perspicuum fit. Deinde ingenue fatetur Anselmus hausisse se ab Alexandro canonico S. Lamberti ea ipsa episcoporum gesta, quæ subjecit Harigero. Jussu, inquit, priorum istius loci anno Dominicæ Incarnationis MLVI. ex alterius opusculi libello, quem quidam ex canonicis S. Lamberti Alexandri nomine composuit, monitu Idæ venerabilis abbatissæ, quæ regebat monasterium S. Cæciliæ virginis in Colonia, huic operi, *id est*, Harigeri sunt annexa. *Postremo subjungit locum ejusdem Alexandri insignem & prolixum in editis plane omissum.*

4. *Nec prætereundum utrumque auctorem, Alexandrum scilicet & Anselmum, hortante Ida Coloniensis sanctæ Cæciliæ Parthenonis abbatissa, opus suum suscepisse, ut patet tam ex nuncupatoria ad S. Annonem Anselmi epistola, quam ex proœmio ejusdem ad librum secundum. Hinc conjicimus Alexandrum, defuncto anno* MXLVII. *Wasone, ut ait Albericus, aut anno insequenti, ut scribunt alii, calamo statim manum admovisse, ut Leodiensium pontificum gesta conscriberet, eoque paulopost e vivis erepto, Anselmum Alexandri opus contractum Annoni Coloniensi archipræsuli obtulisse anno* MLVI.

5. *His adjicimus, quod majoris est momenti, neminem prorsus esse, qui collato diligenter ms. codice cum editis, non statim subodoretur, primigeniam auctoris scriptionem ipso in manuscripto contineri; compendium ejus in editis. Idque sibi quisque facile persuadere poterit, qui vel levi oculo libri secundi proœmium, in utroque, manuscripto, scilicet & edito, perlustrare voluerit, ut interim taceamus antiquitatem codicis, qui ante sexcentos annos exaratus est, atque adeo vivente adhuc Anselmo. Hinc conjicimus sincerum Anselmi opus in editis minime extare, sed epitomen ipsius tantummodo. Aut si integer & purus prodiit in lucem Anselmus, in manuscripto nostro exhiberi Alexandri lucubrationem, cui præmissum est Anselmi proœmium, & ipsum etiam in editis omnino abbreviatum. Quanto autem ab invicem distent intervallo codex noster ms. & editio, non ex proœmio duntaxat constat, aut ex vita Wazonis, quæ media fere parte in ms. auctior habetur, sed ex pluribus etiam capitulis; quod ex uno aut altero loco luce clarius apparebit. Exemplo sit caput 39. de Stephano & Richario.*

EDITIO.	CODEX MS.
Trigesimum nonum habuimus Sthephanum, qui prius in Metensi ecclesia B. Stephani protomartyris canonicus, de ipsius inventione quæ nunc cantantur responsoria edidisse dicitur.	*Trigesimum nonum habuimus Stephanum, qui eo quod Metensis ecclesiæ fuerit canonicus & protomartyris alumnus, de inventione ipsius quæ cantantur responsoria edidisse dicitur.*
Vitam quoque sancti Lamberti antiquitus dictatam simpliciter, urbani sermonis facetiis expolivit, simulque responsoria cum antiphonis quæ in ejus solemnitate cantamus composuit.	*Verum ut de incertis taceamus, idem vitam S. Lamberti simpliciter antiquitus dictatam urbani sermonis expolivit facetiis, & responsoria quæ in solemnitate ejus cantamus composuit, scribens ad dominum* HERIMANNUM *archiepiscopum memoratæ* WILLEBERTI *successorem.*
Idem ipse responsoriorum de Trinitate auctor fuit, sicut sequens declarat epistola ab ejus successore RICHARIO episcopo dictata, cujus iste textus est.	*Idem ipse responsoriorum quæ de sancta Trinitate cantantur auctor fuit, quod nos quidem ignorabamus, credentes quod fama habebat, nescio quem* HUBALDUM *ipsorum fuisse compositorem: sed infra hoc fere decennium, dum aliqua in armario revolverentur cartulæ, inserato una ex his inventa est a successore prædicti venerabilis Stephani, nomine Richario edita, cujus exemplar ut fidem astruamus omnibus quicumque hujus rei veritatem ferre volunt,*

non

COD. MS.

non abs re credimus huic inſerere opuſculo, quod in hunc modum continetur.

Exemplar teſtamenti, in quo teſtatur Richarius Stephanum condidiſſe reſponſoria de S. Trinitate.

Omnibus ſanctam Trinitatem confitentibus, Patrem & Filium & Spiritum-Sanctum; Patrem plenum Deum in ſe, Filium plenum Deum a Patre genitum, Spiritum-Sanctum a Patre Filioque procedentem; non tamen tres Deos ſed unum Deum RICHARIUS *Tungrenſis eccleſiæ epiſcopus, gratia vobis & pax a Deo Patre & Filio ejus Domino noſtro* JESU-CHRISTO *& Spiritu-Sancto.*

Si aliquid utilitatis & fructificationis in eccleſiaſticis rebus nobis commiſſis ordinare valemus, quantocius accelerare debemus. Idcirco noverit induſtria fidelium tam præſentium quamque futurorum, quod venerabilis vir præceſſor noſter STEPHANUS *in honore ſanctæ Trinitatis quædam reſponſoria cum antiphonis nocturnalibus, ſive matutinalibus necnon veſpertinalibus, totumque ad plene officium dulciſſimæ modulationis ſtabilire curavit, credens ſibi ſuæque eccleſiæ liquido profuturum, ſi illi debitas laudes ſpeciatim ferret, cui nihil addi vel minui poteſt, quia ſemper eſt quod eſt, cui proprium eſt quod ſempiternum eſt, cui idem vivere & intelligere.*

Hanc quoque ſemitam veſtigii ſuprafcripti firmiter incedentes, curavimus quoddam oratorium in eccleſia S. Lamberti, ubi ipſe quieſcit, ſtruere, atque in eo altare ſtruentes, quamvis a cunctis fidelibus Deus & Dominus vera & ſempiterna unitas in ſubſtantia ubique fideliter adoretur, quod una ſubſtantia eſt Pater & Filius & Spiritus Sanctus, tamen in honore ipſius ſanctæ Trinitatis dedicare maturavimus.

Sequitur deinceps cujuſdam fundi ad idem altare traditio, unde, ut ibidem continetur, luminaria & reliqua divinæ ſervitutis jugiter adimpleantur ſolemnia, quæ hic interponere ſupervacaneum æſtimavi.

Actum eſt hoc Leodii ſub die decimo ſexto Kalendas Decembris, anno Domini nongenteſimo triceſimo ſecundo, indictione quinta, regnante Heinrico rege glorioſiſſimo anno undecimo.

Sed ad propoſitum redeamus. Idem venerabilis vir STEPHANUS, *nonnulla eccleſiæ ſanctæ contulit utilia, ex quibus eſt libellus ille, in quo unicuique tempori congruas per totum anni circulum compegit lectiones cum reſponſoriis, verſiculis & orationes, quas collectas vocant, horis rite canonicis recitandas, ſcribens memoratum codicem Roberto Metenſium epiſcopo.*

EDITIO.

Exemplar teſtamenti Richarii.

Omnibus ſanctam Trinitatem confitentibus Patrem & Filium & Sanctum Spiritum RICHARIUS Leodienſis epiſcopus ſalutem.

Noverit induſtria fidelium tam præſentium quam futurorum, quia venerabilis vir prædeceſſor noſter STEPHANUS, in honore ſanctæ Trinitatis quædam reſponſoria cum antiphonis nocturnalibus ſive matutinalibus, necnon veſpertinalibus, totumque ad plenum officium dulciſſimæ modulationis ſtabilire curavit, credens ſibi ſuæque eccleſiæ liquido profuturum, ſi debitas ei laudes ſpeciatim deferret, cui nihil addi vel minui poteſt, quia ſemper eſt quod eſt, cui proprium eſt, cui ſempiternum eſt, cui idem eſt eſſe, vivere & intelligere.

Cujus exempli veſtigiis nos quoque innitentes, in eccleſia ſancti martyris Lamberti ſuper ſepulturæ ejus locum altare in ejuſdem ſanctæ Trinitatis honore & nomine dedicare curavimus, quamvis a cunctis fidelibus Domini & Dominum trinum in perſonis, unum in ſubſtantia colendum ubique & adorandum non ignoremus.

Actum eſt hoc anno Incarnationis Dominicæ nongenteſimo trigeſimo ſecundo ſub die ſexto decimo Kalendarum Decembrium.

Nunc ad propoſitum redeamus.

Quæ cum ita ſe habeant, & de republica litteraria bene mereri cenſeantur ii, qui antiquos auctores a nævis expurgatos ſuæ ſinceritati reſtituunt, aliquod operæ pretium exiſtimavimus, geſta epiſcoporum Leodienſium ab Alexandro ſeu Anſelmo olim conſcripta, pura & ſincera hic recudere: quod ſane amicis noſtris Leodienſibus pergratum fore non dubitanter aſſe-

veramus. Quod verò ſpectat ad opus Harigeri, etſi hic illud emendatius poſſemus exhibere, res tamen tanti nobis non eſt viſa, cum primorum Antiſtitum Tongrenſium geſta fere omnia aut fabulis ſint conſperſa, aut ſaltem parum certa. Acta vero ſanctorum Amandi & Remacli longe accuratius ſcripta habeamus apud Mabillonium tom. II. Actorum Sanctorum ordinis ſancti Benedicti. Anſelmo ſubjiciemus Cantatorium, ſeu Hiſtoriam Andaginenſis S. Huberti monaſterii, in qua Henrici atque Otberti epiſcoporum, qui poſt Deodovinum Waſoni Leodienſi præſuli ſucceſſerunt, acta mire illuſtrantur, ac longe diligentius quam ab Ægidio Aureæ-vallis monacho referuntur. His ſubjungam Friderici, ſucceſſoris Otberti vitam ab antiquo auctore compoſitam & a Papebrochio deſideratam ac fruſtra perquiſitam, quam ex mſ. Alnenſi eruimus. Denique ad illuſtrandas res Leodienſes inclyti S. Laurentii monaſterii hiſtoriam adjiciemus, aliaque id genus monumenta.

INCIPIT LIBER SECUNDUS Geſtorum pontificum Tungrenſis, Trajectenſis, ſive Leodicenſis Eccleſiæ.

[a] ## *Proœmium* (a) *Opuſculi ſequentis.*

SUperiori volumine Geſta Tungrenſium pontificum ſunt digeſta, quæ fideliter ſervant ordinem eorum, quæ relatu digna erant, geſtorum, ſive dictu, a viginti ſeptem memoratæ ſedis epiſcopis; quorum primus beatus Maternus in cathedra Tungrenſi fere viginti habuit ſucceſſores. Sed beatus MONULPHUS, qui viceſimus primus extitit, ex auctoritate canonum a Tungris ſedem epiſcopii amovit, & eamdem Trajecti, ubi tunc temporis aptior locus erat, conſtituit; qui locus tandem epiſcopii ſedem uſque ad ſanctum HUBERTUM ſervavit. Iſque propter patrocinia ſancti martyris Lamberti, apud Leodium vicum publicum, ubi uſque hodie perſeverat, voluit eſſe caput epiſcopii. Deinceps quæ ſequuntur juſſu priorum loci iſtius anno Dominicæ Incarnationis milleſimo quinquageſimo ſexto ex alterius opuſculi libello, quem quidam ex canonicis ſancti Lamberti ALEXANDER (b) nomine compoſuit monitu IDÆ [b] venerabilis abbatiſſæ, quæ regebat monaſterium ſanctæ Cæciliæ virginis in Colonia, huic operi ſunt annexa: cujus, ut ipſe teſtatur, ſuſcepti laboris cauſa talis fuit. Requieſcit in eodem ſanctæ virginis monaſterio corpus beati EBERGISI, qui Tungrenſi eccleſiæ præfuit viceſimus quartus; quod a BRUNONE archiepiſcopo, qui dux fuiſſe fertur, a Trutmonia Leodicenſis epiſcopii villa, ubi ſepulchrum ejus adhuc cernitur, illuc tranſlatum eſſe affirmant. De cujus vita, quia nihil ibidem habebatur, eadem venerabilis abbatiſſa IDA, memoratum Leodicenſis eccleſiæ canonicum, pudicum admodum familiaritatè; quippe quæ eum ex ſacro fonte ſpiritualis mater ſuſceperat, eſt aggreſſa, ut ſi quid in Leodicenſi eccleſia de eodem ſancto haberetur conſcriberet, & emittere non tardaret. Quæ etiam ſæpe & multum de vita & moribus domini WAZONIS, noſtra memoria epiſcopi, percunctabatur, & nonnumquam inter audiendum aliqua vel extrema de eodem beato viro, religioſos gemitus & piæ recordationis lacrymas edere ſolebat. Hac nimirum ſplendidæ ancillæ Chriſti importunitate ſolliciatum ſe dicit, ut quod ultra vires fuiſſet hoc opus nimis audacter arripere tentaverit. Et priorem quidem ejuſdem opuſculi ſui partem ex præſentibus viginti ſeptem epiſcoporum geſtis ſe compilaſſe non eſt confuſus confiteri, ita dicendo. Ex pontificum Tungrenſium geſtis, (c) quæ « [c]
a ſancto Materno uſque ad beatum Remaclum ſunt porrecta, placuit quaſi ex florigera «
prati amœnitate decerptum de diverſis flo- «
ribus texere ſertum. Cui deinceps annectere «
ſtudimus, quæ de poſterioribus ſparſim aut «
legimus, aut certa antiquorum relatione di- «
dicimus; & breviario quodam nomina ſin- «
gulorum cum paucis quorumdam ipſorum «
geſtis uſque ad dominum Wazonem per- «
ſtrinximus. De cujus vita & moribus extre- «
ma quælibet dicendo paulo diutius immo- «
rati ſumus; tum ut poſteris, ſi quis hæc di- «
gnetur legere, tanti viri non negetur noti- «
tia, tum potiſſime, quia hoc lacrymis ve- «
ſtræ pietatis negare non potui, quibuſcum «
ejuſdem venerabilis viri, numquam facie, «
ſed fama tantum cogniti, dulciſſimam men- «
tionem ſoletis amplexari. Quibus vere quod «
tentare ultra vires fuit, niſi cum auxilio di- «
vino voluntas obtemperandi foret, a nobis «
extorquere potuiſtis. Unde contigit ut ad «

(a) Hoc proœmium omnino differt ab editis.

(b) In editis legitur Anſelmus, & quidem, ut mihi videtur, male; cum hoc ex proœmio conſtet Anſelmum hujus libelli auctorem Alexandri opus præ manibus habuiſſe, cujus etiam verba refert in fine proœmii.

(c) Ex hoc etiam loco conſtat Alexandri opus ab Anſelmi lucubratione eſſe diverſum, nam Anſelmus Herigeri opus voluit eſſe intactum contentus ipſi capitula præmittere, Alexander vero geſta pontificum Tungrenſium deflorayit.

» pingendum pulcherrimum hominem coactus » ſim pictor ignarus : qui ſi in aliquo tanti » viri laudes exilis ingenii ſeu tenuis ſtyli vitio » detrivi, ex obedientia favorabiliter Chriſti » ſponſæ impenſa obſecundantis ignoretur » ignorantia. Quæ cum ita ſint, nos quoque non inconvenienter ejuſdem opuſculi capite ſublato, ut inoffenſo pede ſervare poſſimus ordinem geſtorum pontificalium, a ſucceſſore ſancti Remacli, beato videlicet Theodardo novum ingrediamur exordium.

I. *De ſancto Theodardo.* (a)

[a] Beatus igitur THEODARDUS ſub beato Remaclo eccleſiaſticis ad unguem diſciplinis informatus, magiſtro ultro pontificatus honorem deſiderio arctioris vitæ declinanti, in cathedra Tungrenſi, ſive Trajectenſi, ſucceſſit viceſimus octavus. Hic pro rebus eccleſiæ ſibi creditis, dum regias aures pergit compellare, & contra pervaſores prædiorum eccleſiæ auxilium poſtulare; in ſaltu quodam, qui dicitur *Bivvalt*, haud longe ab urbe Nemetenſi, quæ uſitato nomine Spira nunc dicitur, ab ipſis ſuæ eccleſiæ prædonibus ex improviſo undique vallatur, & diffugientibus a ſe circumquaque comitibus, ipſe innocens ibidem trucidatur. Nec mora quanti meriti apud ſe vir iſte fuerit, omnipotentis Dei clementia declaravit. Nam puella quædam, dum pia temeritate fila ſubtegminis, unde in fruſtà comminutum caput martyris colligaretur, dominæ ſubtraxiſſet; rediens cum pecore ipſam dominam ſuam, eo quod penſum non redderet, vehementer offendit; adeo ut furore exagitata, pugnis & verberibus in ipſam inſurgeret. Sed repente dum percutit, ipſa graviori ictu, cæcitate videlicet, divinitus percutitur. Perſtrepit illico lugens familia : adſunt acciti domeſticorum plangore vicini. Exquiſita diligenter tam ſubitæ cæcitatis cauſa, ad cadaver ſacerdotis ocius cucurrit; rea illuc cum fide & precibus confluentium perducitur : in confeſſione criminis venia poſtulatur, & impetratur; diſcitque ab eo miſericordiam quærere, cujus funeri paulo ante noluerat pietatem ab ancilla fuiſſe exhibitam. Unde indigenarum ſollicitudo certificata de virtutibus ſacerdotis tam evidenti indicio, ejus oſſa terræ ibidem mandare ſtudet cum ſumma reverentia. Procedente vero tempore ſucceſſor ejus venerabilis patronus noſter LAMBERTUS eadem magiſtri oſſa inde ad nos transferre ſæpiſſime tentavit. Cumque multum reclamante ruſticorum manu, & ſui, ut aiebant, martyris oſſa cum armis vindicante, hoc diu fruſtra eſſet; miſericordia tandem divina conceſſit gratiam ut inde transferendi tanti theſauri darent copiam ſacerdoti. (b) [Quorum ſingulos uberrimis pecuniæ muneribus cumulatos relinquens,] ſacri funeris pignus eccleſiæ ſuæ ſanctus advexit Lambertus. Cujus adhuc diem paſſionis ejuſdem provinciæ compatriotæ ſingulis annis cum ſumma celebritate ſolent frequentare : & licet oſſibus abſentem, meritis & ſignis quæ ibidem frequenter fiunt, gaudent ſe habere præſentem.

(a) S. Theodardi vitam ſcriptis conſignavit Sigebertus Gemblacenſis monachus, quam habes apud Surium, tom. 5.

II. *De ſancto Lamberto.*

Huic ſucceſſit ſemper memorandus venerabilis patronus noſter LAMBERTUS, in ordine vigeſimus nonus. Is, ut perpaucis multa de vita ejus perſtringamus, beatus Lambertus ex nobiliſſima Trajectenſium ſtirpe natus, a primæva ætate nobilius in ſancta religione converſatus, & ob meritum excellentis vitæ, ad ſupplendas beati Theodardi anteceſſoris, ejuſdemque pii præceptoris vices raptus eſt potius quam electus. In quo videlicet epiſcopatus culmine, cum irreprehenſibilis vitæ gratia in ipſo bonis hominibus eluceret imitanda, adeo pravis quorumdam moribus erat invidioſa : qui ad tantam quandoque devoluti ſunt inſaniam, ut regem ſuum HILDRICUM nomine innocentem obtruncarent, & hunc ſanctum virum a ſede pontificali dejicere non perhorreſcerent.

III. *Quod pulſus ab epiſcopatu monaſterium adierit.*

Hac ille gratantiſſime accepta contumelia, quippe qui jam dudum ultro tranſitorios honores evaſiſſe exoptabat, ubi potiſſimum ſanctos viros monaſticæ converſationis ſtudio fervere conſtabat, Stabulaus monaſterium a beato Remaclo inſtitutum adit. Quique ſtrenue noverat præeſſe, ut abbatis imperio ſubeſſe ſibi liceret, expetiit & obtinuit; atque ibidem per ſeptem annos ſanctam & evangelicam converſationem in laboribus, in jejuniis, in vigiliis & orationibus, in caritate, in patientia, immo in omni virtutum exegit obſervantia.

IV. *Qualiter ibi probatus fuerit.*

Cumque nocte quadam, qua tempeſtas hiemalis ſubito aſperior frigoris & nivium horrore excanduit, vir Dei, ex cariſſimo ſuo illo uſu fratrum vigilias in Dei laudibus pergeret anticipare, a manu pie feſtinantis ſubito calceus eſt elapſus, atque aliquantus perinde ſonus a patre monaſterii eſt auditus. Iſque ſtatim eum qui taliter fratrum fregiſſet ſilentium, adjudicatus eſt cruci ſub divo poſitæ : nam hæc erat ibidem hujuſmodi corrigendis exceſſibus diſciplina; neſciens tamen cui hoc imperaret, inflexibili addicit ſententia. Ille velocius quam ſi proſpera juberentur, abbatis edicta faceſſit, & ut erat ſolo indutus cilicio, pedibus nudis, coram cruce, mundo crucifixus carniſque deſideriis, orans & pſallens

(b) Anſulis incluſa deſunt in editis.

perſeveravit. Stat inſtar crucis ante poſitæ: A ſtat plane vivens Chriſti hoſtia, offerens ſuaviſſimos odores obedientiæ; dum & obrigeſcente præ algore corpuſculo, incumbentes fortiter contemnit nives, & pſalmodiæ nihilominus perſolvit munus, procul dubio ſic creatori ſuo multo acceptius. Vere eodem ſpiritu hunc noſtrum, & ex hoc jam ſupplicio martyrem, inflammatum eſſe crediderim, quo craticulatus ille Laurentius interius æſtuans, exteriores flammas victor calcavit. Quorum par fides, illo igne quem Dominus Jesus in terras miſit, vehementerque ignita ad diſpares pœnas, quaſi inſenſibilia reddidit B corpora: ſicque alterum contemtus ignis cœlo tranſmiſit; alterius vitam ad majores certaminum labores frigoris immanitas interim parcendo ſervavit. Qui licet propter ſalutem multorum a gloria cœleſti paululum ſit dilatus; non tamen communi ſanctis martyribus pretioſa morte, nec multiplici certaminis fructu tandem eſt fraudatus. Tegitur nive magis quam veſte, ut dictum eſt, ſacratiſſimum venerabilis viri corpus, eo uſque ante crucem manens fixum & immobile, dum fratres expletis vigiliis, ut frigentia caloribus curarent corpora, in conclave his aptatum uſibus ſeſe conferunt, conſideratiſque omnibus, ſolum abbas deprehendit abeſſe beatum Lambertum: cujus abſentiæ cauſas requirens, agnovit a referentibus eum eſſe, qui ipſius juſſu crucem intempeſta nocte adierit; eum pene nudum & diſcalceatum, nive & frigore, intolerabili etiam veſtitis, jam dudum excruciari. Curritur ocius; ſacerdos Dei vixdum agnoſci valens, extrahitur media illa nivium denſitate, artuſque ſacri, ac ſi in mortem rigentes præ frigore, copioſis ignibus admoventur, non ſine multa fratrum & maxime abbatis pœnitentia, ſe reum, ſe ſacrilegum ingeminantis, qui talia in ſanctum virum judicare præſumſiſſet. Nec prius abſiſtit ſedulitas fraternæ pietatis, donec cum Dei auxilio multa adhibendo fomenta, afflictum corpus priſtina incolumitate redintegrat.

V. *Qualiter denuo ad epiſcopatum raptus in eo vixerit, & Teſſandriæ prædicaverit.*

Non multo poſt devotio filiorum Trajectenſis eccleſiæ amiſſi paſtoris, ſed vivi damnum ſero reminiſcitur. Tandem detrectans jugum impiiſſimi ſupplantatoris, qui indigniſſime oves dominicas per ſeptem annos vexaverat, domnum LAMBERTUM unanimiter ſibi repoſcunt epiſcopum. Quem diu multumque reclamantem, majori violentia quam antea expulſus fuerit, de monaſterio extractum, ad ſedem epiſcopii reducunt; exceptumque egregio, hinc Deo ſervientium, hinc pauperum Chriſti triumpho, iterum in cathedra pontificali ſublimant. Tum vero quantam utriuſque vitæ, contemplativæ ſcilicet & activæ perfectionem aſſecutus fuerit, a majoribus noſtris conſcripta evidenter ipſius declarat vita, (a) quam his qui non legere, hæc compendio ſcribimus; ſimul ne glorioſiſſimum patronum noſtrum, cui multo ampliora debemus, ſilentio præteriſſe videamur. Texandriam (b) eatenus idolatriæ deditam, conſtantior quam nunc cum ſub nivibus ſtaret, fortis bellator aggreditur confodere eo verbo, quod eſt penetrabilius omni gladio: nec mora, annuente Dei gratia, ſilveſtris illa humanorum cordium feritas manſueſcit; & vaſta ſolitudo, quæ nihil aliud retro quam myricas noverat, ex Domini benedictione cedrum, abietem, ſpinam & buxum ſe ſuſcipere lætatur; mediiſque interjacens paludibus ager, diu ſterilis & infecundus, alius centenos, alius ſexagenos, alius trigenos domino fertiliter reddit fructus.

VI. *Qualiter a perfidis ſit interemptus.*

Talibus virtutum exercitiis ad glorioſum venitur martyrium, quo vitæ ingreſſum, mortis exitum victor invenit. Violatores (c) & pervaſores rerum eccleſiaſticarum duos fratres aliqui ex propinquis ſancti Lambetti, ipſo neſciente, interfecere: quod DODO proximus eorum, eodem tempore præpotens in domo regia, non alias quam in ipſum epiſcopum cenſuit eſſe vindicandum; collectiſque non paucis ad hoc facinus militum copiis, in pontificem cum rara domeſticorum manu tunc forte Leodii commorantem, ut lupus in oves illiſit: & primo diluculo domum præſulis, quam videre nonnulli tota illa nocte cœleſti lumine inſtar dominicæ crucis inſigniri, audaciſſimus præſumtor armatorum cinxit obſidione. At vir Dei intrinſecus ſomno, cui poſt vigilias defeſſa membra reclinaverat, improviſo tumultuantium fragore expergiſcitur; ſtatimque nihil reniti vel contra moliri quærens, cum & poſſet, (ſciebat enim quod bellatores Chriſti, exemplo magiſtri tam moriendo quam pugnando norunt vincere;) totum corpus in oratione proſternens, pretioſam conſtantiſſime operitur mortem. Nec mora, adverſariis ex omni parte parietes domus irrumpentibus, multi ante paſtorem trucidantium ferro ad cœlum præmittuntur martyres; tandemque ipſe pater venerandus, ut erat ſolo fixus, lethali eſt vulnere confectus; ſicque cum oratione ſpiritum efflavit vitæ. Nec eſt dubitandum, quin ſan-

(a) A Goteſcalco primum juſſu Agilphridi epiſcopi, deinde a Stephano epiſcopo Leodienſi ſcripta. Utriuſque opus edidit Chapeavilla ad calcem primi tomi geſtorum epiſcoporum Leodienſium.

(b) Texandria eſt regio, quæ a Trajectenſi oppido verſus Septentrionem vix tribus milliaribus diſparatur, ut habet Nicolaus canonicus in vita S. Lamberti, cap. 10.

(c) Gallus ſcilicet & Rioldus, Dodonis atque adeo Alpaïdis conſanguinei, ut habet Goteſcalcus primus ſcriptor vitæ S. Lamberti; qui non aliam ob cauſam res eccleſiaſticas pervadebant ac ſancti Antiſtiti contumeliam inferebant, niſi quia ille impuros Pippini cum Alpaïde amores liberius coarguebat.

ctam martyris animam exceperint laudes angelicæ, cujus cadaveri non defuerint cœlestes exequiæ; quæ eo loci ubi primum sepulturam habuit, videlicet Trajecti, ab idoneis testibus sunt compertæ. Dono autem immaniſſimi perpetrator sceleris, turpiter egestis intestinis, ante expletum annum vita privatus, æterna morte est damnatus: ceteri nihilominus omnes, qui neci antistitis interfuere, alii inter se dimicantes seipsos interemere, alii a dæmonibus vexati miserabile spectaculum divinæ ultionis in se hominibus præbuere. Post aliquot autem annos sacerdotibus multisque aliis Deum timentibus revelatum est a Domino corpus sacratissimum in locum passionis, scilicet Leodium, transferri debere. Quod fideliſſime a beato HUBERTO successore ejus est adimpletum: nam effossum humo sacratiſſimum corpus non corruptum, & miris odoribus respersum repertum est; levatumque inde in feretro, in locum, quo nunc colitur, cum omni est honore deportatum. Ubi inter eundum, per illuminationem cæci, & claudi curationem, martyris sui virtutem Dominus confluentibus undique turbis dignatus est amplius declarare. Ex quo innumera ad tumulum ejus, tum ante nos, tum nostra memoria ostensa sunt miracula, quæ pro sui numerositate minime sunt conscripta. Quomodo vivit illic ubi vivit, qui tot miraculis vivit, ubi corpus mortuum requiescit? Non ergo pigeat sanctam Coloniam, multis martyrum millibus insignitam, etiam hunc filiæ suæ venerari patronum; ut censeat se ei debitorem apud Deum in præsens esse, qui tanti fuerit apud eam, quæ sui urbi præsidet, ecclesiam.

[a] VII. *Item alia de eodem opinio:* (a)

Huic beatiſſimo viro testimonium perhibet REGINO abbas Prumiensis, ita scribens inter cetera in chronicis suis, quæ a primo Incarnationis Dominicæ anno usque in nongentesimum octavum ejusdem Domini annum extendit. » Tempore, inquit, Vigilii » papæ habita est synodus Aquileiæ contra hæ» reticos, qui beatam MARIAM solum hominem, » non Deum hominem genuisse affirmabant: » in qua synodo catholice institutum est, ut » MARIA semper virgo Theotocos diceretur; » quia non solum hominem, sed verum Deum » & hominem genuit. Ea tempestate claruit » LAMBERTUS Tungrensis Ecclesiæ episcopus: » qui dum regiam domum zelo religionis ac» census increpasset: (sic habet alterius adhuc » scripturæ relatio nobis a prioribus relicta,) » rex PIPPINUS tunc temporis monarchiam » regni tenens, sororem memorati Dodonis » legitimæ conjugi pellicem induxerat, & sua» dente diabolo, licitos amores illicitis post-

(a) Paulo aliter in editis, ubi duplex S. Lamberti necis causa uno capitulo comprehenditur.

(b) Caroli Martelli & aliorum Pipini principis consan-

A posuerat: pro qua re hic solus auctoritate sa- «
cerdotali principem publice adulterii arguere «
non reformidabat; & nunc minitando ter- «
rores divini judicii, nunc honestatem legalis «
thalami commendando, & contra turpitudi- «
nem adulterii detestando, hoc apud ferocem «
ejus animum vir apostolicus effecerat, ut jam «
jamque minus in fornicaria insaniret. Quod «
ubi illa primum persentiscere potuit, furore «
simul & libidine æstuans, qualis Jezabel in «
Heliam, vel Herodias in Johannem, fratrem «
gemebunda adiit; fratri contumeliam a sacer- «
B dote sibi illatam memorat, instinctu ipsius «
aversum a se regis animum, mori satius esse «
quam tam honestis ignibus privari cum de- «
decore: faxit ut sacerdos intereat, nullum «
posthac regalis thalami fore dissidium. Bibit «
ille transfusum a viperea sororis lingua alto «
pectore venenum: armat statim ex domesti- «
cis regiæ domus ad necem episcopi milites «
auxiliarios; & miser, dum in sacerdotis ne- «
cem crudeliter grassatur, nescit quia sibi æter- «
nam mortem, illi finem laborum & perpe- «
C tuam pariat vitam. » Hanc passionis ejus «
causam scriptorem vitæ ipsius ideo tacuisse
arbitror, ne, ut fit, eorum (b) incurreret [b]
offensam, quorum majores tali notati essent
infamia. Cujus vitæ sanctitatem & glorioſæ
passionis dignitatem cum & rerum experimento & auctoritate tot testamentorum approbemus, eum confidenter Christianæ religioni persuadere audemus hunc vere esse
angelorum concivem & martyrum cohæredem; quem glorioſa Dei genitrix apud nos
in majori ecclesia, inque omnibus quæ ad
illam videntur appendicia suo dignatur con-
D sortio.

VIII. *Quod in Bavvari & pago Wirzeburgensi ad memoriam ejus frequenter fiunt miracula.* (c) [c]

In diversis profecto terrarum partibus, ubi in honore & memoria venerandi martyris oratoria habentur constructa, pro ejus meritis frequenter fiunt miracula; ut liquido constet fidelibus nihilominus ejus preces vigere, ubi cineres ejus cernuntur abesse, quam nobiscum ubi præsens est corpore. Est in Bavaria lacus qui quamdam infra se insulam
E blando stagnantis aquæ allambit circuitu. In
hac in honore beati Lamberti situm est monasterium, quod ab antecessoribus domni PILIGRINI Colonienſis archiepiscopi ibidem cum claustro & officinis monasterio necessariis constructum, & opulentiſſimis prædiorum reditibus ab eisdem est ditatum; ubi quod sæpiſſime ad memoriam sancti martyris & episcopi nostri miracula Christi fiunt, frequenter audivimus. Haud longe ab urbe *Wirzeburg* vicus cognomento *Duckelinhusen*, ec-

guineorum, tum superstitum cum scribebant Gotescalcus & Stephanus.

(c) Hoc caput omnino differt ab edito.

cleſiam habet in honore ejuſdem ſancti martyris, ad quam in anniverſario paſſionis ejus undique confluere conſuetudinem habent provincialium frequentia; atque huc copioſa frumenti, vini & pecorum convehere ſancto martyri xenia: dumque devote ſtudent offerre carnalia, præter inviſibilia animarum amminicula ſæpiſſime læſorum quacumque parte corporum etiam ſeſe gaudent inde ſe referre medicamenta. Teſtis eſt domnus THICUVINUS (a) epiſcopus, & quotquot ex illis partibus ad nos venire ſolent clerici ſive laici.

[a]

Quod apud Loviniol in memoria ejus contigerit. (b)

[b]

Nec inter hæc prætereunda eſſe arbitror quædam de miraculis ejuſdem ſancti martyris, quæ me ante biennium a preſbytero quodam nomine Waritio contigit audiſſe. Poſſeſſiuncula quædam eſt hujus eccleſiæ nimis contigua oppido quod Lovanium nomine, diminutivum ex ſuo nomine eidem villulæ indicit vocabulum: cognominatur enim *Loviniol*. Continetur in eadem poſſeſſione eccleſia, quæ ut ea lignea antiqua patrum religione diu eſt ſervata, parietes nunc minores meliorare ſtudent cæmenti & lapidum ſtructura. Referebat memoratus preſbyter ſe multa audiſſe & vidiſſe in eodem loco Chriſti Domini miracula; quæ cum majori ex parte memoria exciderint, pauca quæ in mente veniunt, ſtrictim ſtatui memorare.

IX. *De equo in rabiem verſo.*

Pullus equi indomitus aliquando ad parietem ipſius Eccleſiæ latera confricabat; ſtatimque in rabiem verſus, non multo poſt cecidit mortuus.

X. *De quodam qui pedem foribus Eccleſiæ illiſit, & putrefactum amiſit.*

Adoleſcens temerarius puellam quamdam opprimere volens, rapido curſu poſt illam fugientem ferebatur. Illa pernicibus plantis inſequente diu fatigatis juvene, alium evadendi locum minime inveniens, memoratam eccleſiam confugit, fores diligenter excluſit. Quam ille celeriter inſecutus, ut erat amore ſimul & furore exæſtuans, cum maximo impetu pedem ejuſdem ſacris foribus impegit, ignotumque an fores perfregerit; ſed pes pro tanta temeritate tam graviter colliſus eſt, ut deinceps per annum integrum quotidie excreſcente affectus dolore, tandem putrefactus & miſerabiliter a junctura tibiæ ſejunctus ceciderit: ſicque miſer ille evidens omnibus ſpectaculum dedit, ſacra loca non revereri quantum ſit periculi.

XI. *De eo qui vomitu furtum prodidit.* (c)

[c]

Plebs ejuſdem parrochiæ, ſicut & vicinarum circa regionum, ſolent quæcumque poſſunt alter alteri ſubripere; annonam, veſtem, ſeu quamlibet aliam ſupellectilem, ubi aperte nequeunt, latenter involare, pecudes ſibi abigere; de cetero nec bannum ſacerdotis, nec terrorem alicujus poteſtatis, qui ejuſmodi ſceleribus prohibendis rarus, immo nullus eſt, reformidare. Factioſus quidam unus de talibus, porcum vicino ſublatum cum aliis ſimilia ſecum actitare ſolitis, coxerat & comederat; poſtera die quæ Dominica habebatur, populo ad Eccleſiam concurrente, iſte, licet facti conſcius, propius altarii cancellos impudenter, unde omnium oculis contiguus eſſet, aſtitit. Proclamatio ad preſbyterum de ſublati porci damno profertur: ſtatimque ab eo, ſi quis ejus rei in facto ſeu conſcientia reus ſit, bannitur. Diſſimulante illo videlicet prædone, & aliis facti conſciis, conclamat plebs omnis cum ſacerdote, orans ut omnipotentis Dei miſericordia propter præſentem ſanctorum memoriam talium prædonum diu non ſineret homines latere nequitiam. Vixdum hæc verba compleverant, cum ecce prædo ille temerarius abjuratam cum obſcœno vomitu cœpit prædam rejicere. Namque ferunt quod videre multa ſuillæ carnis fruſta cum parte pedis, quæ ptidie conſumpta, jam digeſta eſſe poterant, ore ejus effluere. Turpius factum turpi prodentem nauſea expellunt ab eccleſia, nec abſiſtunt donec evidentius fatetur ubi, quando, quicum eumdem porcum abegerit. Pro hujuſmodi miraculis Domini non parva eidem loco ſervatur reverentia, nihilque indecens, quod inultum ſit, circa eamdem eccleſiam, ſive atrium ejus credunt poſſe contingere. Idem preſbyter ovibus ceteriſque pecudibus ſuis idem atrium, propter timorem vicinorum prædis inhiantium, ad paſcua pervium fecerat: ſed eorum animalium aliquod diu vivere poſſe, propter quod callem illicitum ſæpius per atrium triviſſent, negabat.

XII. *De contracto manifeſte erecto.* (d)

[d]

(Liceat adhuc ad laudem & gloriam Domini, martyris ejus pretioſi unum enarrare, cujus noſtra memoria geſti in præſenti eccleſia, ubi venerandum ejus requieſcit corpus, tot eſſe poſſunt teſtes, quot qui hoc idem videre ſunt ſuperſtites.) Adoleſcentulus quidam a primis pueritiæ annis eccleſiam & quocumque procederemus, cum ſcabellis perreptare, & continuis ſeptem annis erga ſigna pulſanda, oſtia ſe-

(a) Thicuvinus ſeu Theodwinus Leodienſis epiſcopus Wazonis ſucceſſor fuit *natione Noricus de Bavaria, conſanguineus imperatoris*, ut ſcribit Albericus in chronico, unde teſtis eſſe potuit eorum quæ acta fuere in Bavaria.

(b) Et iſtud caput multum differt ab edito.

(c) Hujus capituli initium & finis in editis deſideratur, medium ſtrictiori & elegantiori ſtilo deſcribitur.

(d) Incluſa parentheſi deſunt in editis, reliquum omnino differt.

randa & reſeranda ſedulus eſſe ſolebat: quotidie ex fraternarum ſtipe eleemoſynarum alebatur, nec aliunde vivere noverat. Unde contigit, cum inter fratres ſermo incideret de gyrovagis quibuſdam, ſigna in ſe facta mentientibus, ut ſi iſte erectus foret, ſine dubio hoc credi debere aſſeveraretur; quippe qui præ nimia ſimplicitate nedum aliquid fingeret, longe prius falli quam fallere poſſet. Taliter apud nos ſeptem paulo plus minuſve converſatus annis. Quadam vice, ſicut erat hilaris & ad exhibenda talia agilis, ſed cetera omnino claudus & debilis, ad menſam fratribus occurrere feſtinans, cryptam in qua ſancti martyris eſt mauſolæum, pergit claudere. Venitur ad ſiniſtri lateris oſtium, cui dum ſummis innixus articulis peſſulum obdere tenderet, ſenſit paulatim laxari tibias, a coxis disjungi; adeo ut non jam articulorum amminiculo ſubrigi, ſed ſic ſe ita poſſe crederet, ut totus in directum ad hoc valeret aſſurgere. Miratur ac ſtupet ſimplicitas adoleſcentuli novam in ſe recte incedendi potentiam: nec unde hoc ſibi contigerit intelligere valens, neſcio timore an pudore rem nulli publicat, it itaque incaſſum ſcabellis aliquamdiu, multo nunc, quam ante vere debilis, impotentior; ac tandem ex matriculariis quemdam ad ſe ſecreto advocans, eidem quid donante Deo poſſet, oſtendit. Ille primum præ pavore rei inuſitatæ fugiens, ſed ſubinde reſumptis viribus rediens, tempus & ordinem curationis inquiſivit; illo ſimpliciter narrante, cognovit, nobis narravit, & ex illo, ſcabellis in virtutis teſtimonium ante martyris tumulum derelictis, novellos, baculo ſuſtentante, didicit regere greſſus. Contractum prius & poſt erectum vidimus; aliquantis cum poſtea annis vixiſſe vidimus; ſcabella in teſtimonium virtutis retinemus. Hæc ideo non dicimus, ut quotidiana Dei in nos ob ſancti martyris meritum beneficia extenuare velimus, quæ tot ac tanta ſunt, ut humanus ea vix comprehendere valeat animus; ſed ut his qui nova & inuſitata mirari conſuevere, ſatisfaceremus, & ut nova memorando ad diſquirenda quotidiana ſtudioſorum ſollicitudo excitaretur.

XIII. *Oratio ad ſanctum Lambertum.*

Jam ad te noſter vertatur ſermo, martyr Chriſti inclyte; ſervulorum preces ne adverſeris obſecro.

Tu fonte evangelico majorum rigans pectora, terram ſimul pretioſo ſanguine irrigaſti. Spiritus cœlum poſſidet, terra ſervat cineres: nos eoſdem veneramur, qui terra & cinis ſumus, ut peccata ſervulorum, quæ exſuperant arenas numero & pondere, tuo precatu deleas. Per tuum, quo hanc eccleſiam fundaſti, paſtor, ſanguinem, quique ipſam ex minimis ferme exæquaſti majoribus, oramus; quod enutriſti, plus tuere precibus: non petimus augeri fundorum ex reditibus; fuerit hoc majorum, moribus præditorum, ſcientia pollentium, rem auxiſſe publicam: nos minores ſufficiat talium vel longe ſequi veſtigia ſub te patre, te tutore, teque dulci præſule. Nullam tuarum ovium peccati contagio ſinas eſſe morbidam; ſed & ſi qua mortali labe eſt confecta, per lamenta pœnitentiæ tuo ovili rurſus dignam eſſe facito. Repelle primum turgidam cum livida filia ſuperbiam: abſit ira, abſint odia, nullum locum in fraternis cordibus habeat diſcordia: foris pugnæ, intus rixæ; tuo interventu omnia ſint pacata; fugiat cum ſodali gula turpis ebrietas; cedant & invicem pugnantia luxus & avaritia. Cedat & libido animarum mille ferens naufragia: obtine, quæſumus, prece tua, tibi ſervientibus, a Deo veram cum patientiæ benignitate humilitatem. Caritas non ficta in nobis cum fraterna regnet concordia: pax interior exteriora bella derideat; cum ſincera ſobrietate adſit cibi temperantia; caro, Dei adjutorio, caſtitatis edometur legibus. Pro ambitu terrenorum, appetitus veniat cœleſtium; pro amore præſentis ſæculi numquam dormitet horror judicii; prædonis ferrum retunde viſibilis, multoque magis hoſtes inviſibiles: iſti enim necant animam, illi niſi exteriora tollant, nil agunt amplius. Neminem de grege tuo *Behemoth* illius crudeliſſimi obnixe deprecamur ſinas gutture abſorberi: ſed ſi quem tuorum dentibus arripuerit, eum pro tuis meritis circumplectentis armillæ gratia per maxillæ foramen liberet. Ora pro ſpiritibus eorum, quos tibi hac in eadem eccleſia Dominus congregavit retroactis temporibus: ora poſtremo pro omnibus, & viam univerſæ carnis ingreſſis, & modernis qui eodem tendimus, & ſequentis ævi poſteris, ut omnes ſimul ab auditione mala liberemur in adventu judicis; ut hoc poſſis apud primogenitum ſuum adjuvet te Theotoce optima: namque debet tibi ſuiſque tecum ſervulis. Concedat nos idem veſtris meritis, nos ita ſibi vivere, ut placatus nobis appareat in noviſſimo die diſtricti examinis, cui ſit cum æterno Patre & Spiritu ſancto laus & gloria per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

Jam dudum longius a ſuſcepti operis intentione evagati ſumus; petita venia ad propoſitum redeamus.

XIV. *De ſancto Huberto.*

Igitur ſucceſſit ſancto Lamberto venerabilis pater HUBERTUS in ordine epiſcopali triceſimus, cujus vitam qui plenius noſſe volunt, ad vitam ejus quæ virtutibus plena apud nos habetur deſcripta, (*a*) recurrant. Sed ne nos cum ſilentio præteriſſe videamur, tantum de eo dicamus quantum ſcientibus non [*a*]

[*a*] Extat apud Surium tom. 6. ad tertiam diem Novembris.

ſit oneroſum, nec omnino ignorantibus obſcurum. Hic cum oſſibus beati Lamberti Leodium tranſtulit ſedem epiſcopii, quæ eatenus habebatur Trajecti. Ipſe primum in humili Leodio, Deo opitulante, religionis poſuit fundamentum, unam tantum eccleſiam ordinando, eamdemque pro temporis opportunitate fabricis ceteriſque inſignibus adornando. Jus civile oppidanis tribuit, vitam & mores ipſorum diſciplinæ fræno compoſuit; libram panis, libram vini modiumque, quæ nobiſcum perſeverant uſque hodie, ſapienter conſtituit. Tandem multis virtutibus plenus, in ſenectute bona migrans ad Dominum, a ſemet dictatam in Eccleſia, quæ nunc eſt Apoſtolorum principis, apud nos accepit ſepulturam. In qua cum poſt ſeptuaginta annos corpore jam futuræ reſurrectionis gloria demutato inveniretur; obtentu LUDOVICI filii CAROLI MAGNI in pagum Arduennam eſt tranſlatus, ibique ſatis amplis redditibus fidelium devotione oblatis, proprium illi conditum eſt monaſterium.

[a] XV. *De ſancto Floreberto.* (a)

Poſt hunc triceſimus primus epiſcopatum ſuſcepit FLOREBERTUS, dictus quidem, ut vulgatum eſt, ſancti anteceſſoris filius: quem ſi carnalis idem pater ante ſanctæ religionis generavit habitum, nihil de dignitate derogari poteſt alterutri; ſin vero ſpiritualis alter alteri patri erat filius, nihil obeſt, immo prodeſt multum, ſpirituales filios, ſi bonis patribus contigerit ſuccedere. Hujus corpus cum PETRO & AUDOLECO, qui occiſi ſunt cum beato Lamberto, uno compoſitum eſt ſepulchro.

XVI. *De aliis ſeptem epiſcopis.*

[b] Triceſimus ſecundus ſedit (b) FULGARICUS; triceſimus tertius AGILFRIDUS, ad quem Carolus magnus Deſiderium Italiæ regem Leodium miſit in exilium; cui ſucceſſit triceſimus quartus GERBALDUS. Poſtque illum triceſimus quintus ſuſcepit epiſcopatum WALCANDUS, cujus anno quarto, qui eſt ab Dominica Incarnatione octingenteſimus quartus decimus, Carolus diem clauſit extremum. (c)
[c] [d] Walcando ſucceſſit (d) EIRARDUS in ſede triceſimus ſextus: triceſimus ſeptimus HARCARIUS.

[e] XVII. *De Francone epiſcopo.* (e)

Triceſimus octavus poſſedit FRANCO Leodium a Trajecto tranſvectam epiſcopalem cathedram, quam ibidem circiter quadraginta octo annos prudenter regere ſtuduit inter aſperrimas fluctuantis ſæculi procellas. Hujus enim tempore legimus diram Normannorum gentem cum duce ſuo crudeliſſimo Godefrido a tranſmarinis partibus noſtros fines irrupiſſe, & ex Oceano quidem in Rheni, partim in Moſæ alveos ſubito tantum evolaſſe exercitum, ut relicto in fluviis navigio, incredibili pedum velocitate utrobique terras percurrerent; & vaſtantes omnia cæde & incendio, illæſi quæque vellent iterum ad naves verterent. Adeo neſcio quis terror divinæ ultionis animos eorum, quibus eſt cordi armis libertatem tueri, invaſerat, ut nullam in armis ſpem ponentes, ſervire quam rebellare maluerint. Sed & ſi qui tale aliquid tentaſſent, numeroſam noſtratum copiam paucis eorum ſæpius turpiter terga dediſſe compertum eſt. Huic tantæ miſeriæ inviciſſimam retro Lotharingiam principis LOTHARII crimen involvit; qui dum honeſtos legitimæ uxoris amores illicitis concubinæ poſthabuit, ipſos, quod dictu nefas eſt, ſacerdotes in pernicioſiſſimum erroris ſui miſerabiliter præcipitavit conſenſum. Namque adulterinam convocantes ſynodum, falſis dant locum accuſatoribus ut reginam Tieburgam arceſſant adulterii. Illa dum contra quærit excuſare, ac ſi ſcortum repulſa, regali indigna judicatur thalamo, mœccho diſſimulante, & ſcelus tam duplicatum occultante, quod quaſi triſtaretur judicio epiſcoporum dulci ſeſe privari conjuge. Nec multo poſt a legalibus thalamis injuſto facto divortio, non celat mœchus, quod maligno corde machinatus fuerit: cum Waldrada enim turpi volutatur adulterio. Auditur hoc Romæ: nuncius ſtatim huc a beato Papa NICOLAO mittitur, qui diligenter omnem rei veritatem inveſtiget. Venit ergo reſponſalis domni apoſtolici: ut auditum Romæ fuerat, ita verum eſſe reperit; archiepiſcopos GUNTHARIUM Colonienſem, TIETGARDUM vero Treverenſem tanti mali fautores deprehendunt ſimul & auctores, qui Metenſem ſynodum turpiter regalium nuptiarum injuſto fœdaverint diffidio. Convocantur Romam, cogente apoſtolica auctoritate, cum Lothario rege archiepiſcopus uterque. Rex de injuſto legalis matrimonii diffidio inſimulatur; rex ſe eſſe laicum, canones ignorare confitetur, ſed ſuper hoc in omnibus ſe epiſcopali paruiſſe judicio. Conjuge amiſſa, non negat ſe duxiſſe aliam, eo quod ita juvenilis calor ætatis popoſciſſet. Quid ultra memorem? THIETBURGA legitime debere eſſe regina, altera, Waldrada ſcilicet, adjudicatur adultera: archiepiſcopi qui hujuſmodi flagitio aſſenſum dederant, ſacerdo-

[a] Ejus natalis dies recolitur die 26. Aprilis, quo die occurrit ejus mentio in martyrologio Uſuardi.

[b] Memoratur in epiſtola Zachariæ papæ ad epiſcopos Galliæ anno 744. diciturque perveniſſe ad annum 765. Hinc corrigas Chapeavillam qui ipſi attribuit cartam Ludovici Pii, datam anno 13. imperii ipſius, id eſt 826. quo anno Leodienſem epiſcopatum adminiſtrabat Walcandus.

[c] Walcandus anno 18. imperii Ludovici Pii, hoc eſt 831. impetravit ab eodem Ludovico imperatore privilegium quod refert Chapeavilla, quo ad petitionem Richardi fidelis ratam habet commutationem factam a *Walcando* epiſcopo cum quodam Narduino.

[d] *Editi legunt* Pirardus, qui obiiſſe dicitur anno 840. vel 841. ut habent Sammarthani.

[e] Hoc caput omnino differt ab editis.

tali

tali dignitate privantur; sed comtemnunt infelices, rex & alter archiepiscopus, GUNTHARIUS videlicet, apostolicam auctoritatem. Rex enim contemnit jusjurandum, quo fidem legitimæ reginæ se servaturum spoponderat, & volutabro potius delectatur adulterii; ille præsumtuoso fastu divinum audet celebrare officium. Ob quam rem illi ambo, eisque consentientes anathemate damnati sunt ab apostolico: hujus causa reatus adeo miseros fecit Galliæ populos, ut sicut supra memoravimus, Dei omnipotentis ira barbaram Normannorum gentem omnino sineret prævalere nostratibus. Tandem divina ultio regem ferit cum archiepiscopis. Nam dum ficte veniam ab apostolico quærunt, atque inde humanitatem summi sacerdotis experti, redeunt; intra Italiam peregrini perierunt. Ea tempestate aiunt nostrum episcopum FRANCONEM non ferentem diutius indigenas vastari ab externis prædonibus, tandem pro defensandis ecclesiæ rebus, pro viduarum & orphanorum causis in libertatem vindicandis arma sumsisse, in barbaros hostes sæpissime fortiter dimicasse, donec a tanta pervasorum peste cum Dei adjutorio patriam liberavit. Et quia pro hac necessitate crebro humani sanguinis effusioni interfuerit, memorant quod ipse spontaneus se officio
[a] altaris abdicaverit. (a) Ipse Amanium huic nostræ ecclesiæ contulit, Lustinium abbatiam Lobiensem & proposituram Fossensem ad-
[b] quisivit: (b) quem omnipotens Dominus; ut pius pater, flagello suo corripere voluit, & quicquid sibi in eo displicebat ad purum excoquere. Nam ante finem vitæ diutino corporis fatigatur languore, animæ, ut credimus, integratur sanitate, quam multis tribulationibus attritam cœlestibus apothecis credimus reconditam: domus sanctæ Mariæ & sancti Lamberti terræ creditos ejus servat cineres. Circa idem tempus cathedra Colonensis per septem annos pastoris expers, vastata a Normannorum rabie urbe, & ecclesiis sanctorum, cæde & incendio, propitiante demum divinitate, WILLEBERTUM suscepit archiepiscopum. Cujus tempore domus sancti Petri, quæ adhuc ibidem præsto est, ab ipso & ab aliis compluribus episcopis est dedicata: ubi pridie quam dedicaretur ingentes dæmonum strepitus sunt auditi conquerentium se a noto propelli habitaculo.

XVIII. *De Stephano episcopo & Richario.*

Tricesimum nonum habuimus STEPHA-
[c] NUM, (c) qui eo quod Metensis ecclesiæ fuerit canonicus & protomartyris alumnus; de inventione ipsius quæ cantantur responsoria edidisse dicitur. Verum ut de incertis taceamus, idem vitam sancti Lamberti simpliciter antiquitus dictatam, urbani sermonis expolivit facetiis, & responsoria quæ in solemnitate ejus cantamus composuit, scribens ad dominum HERIMANNUM archiepiscopum memorati WILLEBERTI successorem. Idem ipse responsoriorum, quæ de sancta Trinitate cantantur, auctor fuit; quod nos quidem ignorabamus, credentes quod fama habebat, nescio quem HUBALDUM ipsorum fuisse compositorem; sed infra hoc fere decennium, dum aliquæ in armario revolverentur cartulæ, insperato una ex his inventa est a successore prædicti venerabilis Stephani nomine RICHARIO edita: cujus exemplar, ut fidem astruamus omnibus quicumque rei hujus veritatem scire volunt, non abs re credimus huic inserere opusculo; quod in hunc modum continetur.

Exemplar testamenti, in quo testatur Richarius, Stephanum condidisse responsoria de sancta Trinitate.

Omnibus sanctam Trinitatem confitenti- «
C bus, Patrem & Filium & Spiritum-Sanctum; «
Patrem plenum Deum in se; Filium plenum «
Deum a Patre genitum; Spiritum sanctum a «
Patre & Filio procedentem; non tamen tres «
Deos, sed unum Deum; RICHARIUS Tun- «
grensis ecclesiæ episcopus, gratia vobis & pax «
a Deo Patre, & Filio ejus Domino nostro «
JESU CHRISTO, & Spiritu Sancto. «

Si aliquid utilitatis, vel fructificationis in «
ecclesiasticis rebus nobis commissis ordinare «
valemus, quantocius acceleraré debemus. «
Idcirco noverit industria fidelium tam præ- «
sentium quamque futurorum, quod venera- «
D bilis vir præcessor videlicet noster STEPHA- «
NUS in honore sanctæ Trinitatis quædam re- «
sponsoria cum antiphonis nocturnalibus sive «
matutinalibus, necnon vespertinalibus, to- «
tumque ad plene officium dulcissimæ modu- «
lationis stabilire curavit, credens sibi suæ- «
que ecclesiæ liquido profuturum, si illi de- «
bitas laudes speciatim deferret, cui nihil addi «
vel minui potest; quia semper est quod est, «
cui proprium est, quod sempiternum est; «
cui idem vivere & intelligere. Hanc quoque «
semitam vestigii suprascripti firmiter ince- «
dentes, curavimus quoddam oratorium in «
E ecclesia sancti Lamberti, ubi ipse quiescit, «
struere; atque in eo altare struentes, quam- «
vis a cunctis fidelibus Deus & Dominus vera «
& sempiterna unitas in substantia ubique si- «

[a] Tunc *mittit Romam Bericonem Leodiensem clericum, & Teutricum Lobiensem monachum quos ordinari episcopos, qui vicem ejus supplerent, oravit & exoravit: quibus jam factis episcopis parochiam suam gubernandam commisit*, ut habet Fulcuinus de gestis abbatum Lobiensium, cap. 17. Spicil. tom. 6.

[b] Præterea acquisivit ecclesiæ villam Magderam concedente Carolo Crasso imperatore anno 884. imperii sui 4. & villam vocabulo Faux a Zuindeboldo rege anno 898. quorum diplomata refert Chapeavilla.

[c] Quam clari fuerit generis Stephanus discimus ex diplomate Caroli Simplicis regis a Chapeavilla relato, in quo hæc leguntur: *Interventu Stephani venerabilis Tungrensis episcopi, nostræ consanguinitati affinis dilectissimi, &c.*

» deliter adoretur, quod una substantia est Pa-
» ter, & Filius, & Spiritus sanctus, tamen in
» honore ipsius sanctæ Trinitatis dedicare ma-
» turavimus.

Sequitur deinceps cujusdam fundi ad idem altare traditio, unde ut ibidem continetur, luminaria, & reliqua divinæ servitutis jugiter adimpleantur solemnia, quæ hic interponere supervacuum æstimavi. Actum est hoc Leodii » sub die decimo sexto Kalendas Decembris, » anno Domini nongentesimo tricesimo secun- » do, indictione quinta; regnante Heinrico » rege gloriosissimo, anno undecimo.

Sed ad propositum redeamus. Idem venerabilis vir STEPHANUS nonnulla sanctæ ecclesiæ contulit utilia, ex quibus est libellus [a] (*a*) ille in quo unicuique tempori congruas per totum anni circulum compegit lectiones, cum responsoriis, versiculis & orationibus quas collectas vocant, horis rite canonicis recitandas, scribens memoratum codicem ROBERTO Mettensium episcopo.

XIX. *Item de Richario episcopo.*

Migrante autem illo feliciter ad Dominum, paulo ante dictus RICHARIUS ex abbate Prumiensi nobis episcopus est ordinatus. [b] (*b*) Hic ecclesiam in qua sanctus Hubertus primus requievit, ampliavit, & in honore apostolorum principis consecravit, deputans illic tantum prædiorum, unde usque nunc triginta fratres canonici victus & vestitus habent sufficientiam.

XX. *De aliis episcopis.*

Hic quadragesimum primum HUGONEM [c] (*c*) habuit successorem. Hugoni subrogatus est quadragesimus secundus FARABERTUS ex [d] abbate Prumiensi. (*d*) Post hunc RATHERIUS genere nostras, a Veronensi episcopatu primum dejectus, in sedem Leodiensis adscisci- tur pontificii quadragesimus tertius. Nec tamen usque in finem vitæ suæ ejus honoris est potitus: nam dum in mores hominum tam scriptis quam dictis inveheretur zevo mordacius, hoc non ferente potentum insolentia, a nostra sede nihilominus dejicitur; indultisque sibi aliquantis episcopii ad usum vitæ agellis, quadragesimo quarto locum dedit BALDRICO: cujus Ratherii nonnulla apud nos multo sale condita habentur [e] (*e*) opuscula, quo hodieque auditorum conscientias acerbe solet confricare.

XXI. *De Everaclo episcopo.*

BALDRICO post paucos administrati episcopatus annos defuncto, Everaclius Cisalpinæ Veronæ præpositus, quæ vulgo Bunna dicitur, quadragesimus quintus nobis constituitur episcopus, annuente BRUNONE archiepiscopo, eodemque, ut aiunt, duce, cujus providentiæ tunc temporis intererat universa hujus regni negotia dispensare, OTTONE primo imperatore circa alias regni partes occupato. Hic cum eleganti morum probitate, liberali apprime honestatis scientia, cum jam pridem apud illius temporis nostrates sanditus liberale studium cum memoria absolvisset; ille scholas per claustra stabilire curavit, quas ipse vicissim non indignum duxit frequentare, lectiones majusculis tradere; si quid minus in lectione intelligerent, benignissime identidem inculcare, spondens quæ non tam facile paterent intellectu se eis vel centies enodare. Si quando autem contingeret eum, aut ad palatium, aut in expeditionem longius ab hac urbe discedere, quos reliquisset scholarum magistros litteris animare, ipsis crebro dulci carmine alludere solebat, adeo quibus præsens congaudere non poterat, uti erat imperialibus edictis obnoxius, sæpe ab Italia, a Calabria ut caros filios ad studia incendebat. Nec ante a tam præclaro labore destitit, donec multos ex rudibus tam spiritualibus quam sæcularibus disciplinis brevi perfectos reddidit; & quia paulo ante mentio incidit Calabriæ, quoddam quod ibidem contigit illo præsente non pigeat memorare.

Imperator cum exercitu longe per agros diffuso Calabriæ fines tenebat, cum ecce repentinum omnes ingenti pavore solis percutit deliquium. Namque ut audivi referentem dominum VAZONEM episcopum, cum multum diei supereſſet, vident, deficiente paulatim sole, cum adhuc maturus foret, diem quasi jam vesperascentem nigrescere, & ceu sub noctem greges pecorum a pascuis stabula, avesque aviaria petere. Unde nostrates, qui ibidem forte tunc aderant, incredibili pavore perterriti, nihil aliud quam diem judicii putant imminere; & valida armatorum manus, quæ multas urbes egregiis viribus excidisset, multosque rebellantium populos ferro perdomuisset, hanc alienam rutilantibus stellis noctem in tantum expavit, ut incredibili anxietate diversas quasi tutandæ vitæ exquireret latebras. Sic alii vasis vinariis, alii cistis, alii sub carris turpiter sese recondunt: quisque pro lucro reputat, si quod pro hac inusitata nocte sibi reperire queat latibulum.

[a] Hunc libellum indicare videtur Fulcuinus in lib. de gestis abbatum Lobiensium c. 18. *Fecit & libellum quemdam ex plurimis divinorum librorum floscellis decerptis, in quo singularum in anno festivitatum capitula cum collectis & versibus utili commento congessit, in cujus libelli præfatione, ostendit se Mediomatrica, quæ nunc Mettis dicitur, a puero educatum fuisse. Nam Roberto ejusdem sedis episcopo libellum legendam misit ad comprobandum.*

[b] Et quidem Romæ a Johanne papa, concesso sibi archiepiscopali pallio, quod nullus prædecessorum suorum obtinuerat, & deturbato Hilduino quem Herimannus ordinaverat, ut fusius narrat Fulcuinus c. 19. qui Richardum præfuisse annis 22. asserit.

[c] Ex Trevirensi S. Maximini abbate factum episcopum.

[d] Is anno 948. interfuit concilio in Engelheimensi palatio celebrato.

[e] Ejus opera edita sunt a Dacherio nostro Spicilegii tom. 2. De eo pluribus agit Mabillonius in annalibus Bened.

Stupet ſuper his prudens antiſtes, non de ecclypſi ſolis, cujus naturaliter factæ optime noverat rationem, ſed de irrationabili tot virorum fortium formidine; quos minimo terrori fore ſuſpicabatur hoſtibus in quorum medio conſederant, ſi rem naturalem ita timuiſſe ab illis fuiſſent auditi. Sicque ut in ſuis quiſque caſtris, non parvo, ceu putabant, lethi diſcrimine, latitabant, ſingulos ipſe circuiens ignaviæ accuſare, innatæ virtutis ammonere ſtudebat, arguens probroſe ſatis; cur hi, qui his orti fuerint majoribus, quorum nemo ullis aliquando rerum aſperitatibus ſuccubuerit, quique ipſi durioribus ſæpe ſuperandis aſſuefacti fuerint, ex hoc naturali ſolis defectu animis tam facile labefactari potuerint. Fortiſſimi, inquit, bellatores, qui per mille periculorum facies totiens egregio veſtro nomini inſignes rapuiſtis victorias, ſurgite, quæſo, nil timentes; ſurgite, virile robur, quod turpiter dormitantes amiſiſtis, reſumite: pudeat naturales elementorum vices horrere; nil de vitæ periculo agitur, nullus de inflicto cum hoſtili dextra cruor ſtillat vulnere: innoxiæ tantum hunc aërem involvere tenebræ, quas paululum poſt cernetis illuceſcere redintegrato lumine, ceterum in tuto ſunt omnia.

Tandem his verbis expergefacta vano terrore ſopita tot heroum pectora, agnoſcunt poſt paululum lucidum orbem phebeæ lampadis ſenſim in proprium reformari ſtatum. Vident diem terris redditum, quem paulo ante nimis trepidantibus animis ſpectaverant ablatum, ſuuſque illis horror poſtmodum jocundo fit ludibrio.

Multa idem epiſcopus a ſuis ſæpe perpeſſus, cum retribuere poſſet, cum patientia ſuperavit, nullam pro injuria ſua volens reddere vindictam. Unde contigit ut dum cives Leodicenſes domum ejus vi irrupiſſent, & rubeos Wormacenſis vini rivos a monte, quo nunc eccleſia ſancti Martini ſita eſt, uſque in Moſam deduxiſſent; ille æquaminiter ferens, nullam adverſariis pro hac temeritate vicem rependere quæſivit; & quamvis innumeris premeretur moleſtiis, & multa familiaris rei anguſtia, quippe qui a viris militaribus epiſcopio appenditiis privatus eſſet villis, duas tamen nobis condidit eccleſias, quarum unam in beati Pauli, alteram in beati Martini honore conſecravit, ſingulis triginta fratres canonicos deputavit, tertiam in honore beati Laurentii cœpit, ſed non perfecit. Cujus corpus poſt duodecim epiſcopatus annos terræ eſt redditum in eccleſia beati Martini.

XXII. *De Nochero epiſcopo.*

Subſtitutus eſt Everaclo quadrageſimus ſextus NOCHERUS, (*a*) genere quidem Alemannus, ſed admodum omni morum elegantia inſignitus, paterna dilectione erga eccleſiæ filios, noſtras fieri ſtuduit. Ut enim paucis plurima perſtringam, omnia apud nos tam exterius quam interius melioravit & ampliavit; domum ſanctæ Mariæ & ſancti Lamberti, ſicut in præſentiarum eſt, cum ornamentis, clauſtro & ædificiis epiſcopii renovavit, urbem muris dilatavit & reparavit. Multa auferens incommoda, plura huic noſtræ eccleſiæ contulit commoda; inter quæ miſeros Leodicenſes liberare ſtuduit a munitiſſimo, & factioſis hominibus ſemper fecundo, Montis-Caprarum caſtello. Quod quam damnoſe vicinum fuerit ipſi Leodio, haud longe hinc diſtantes fidelibus oculis ſubjectæ atteſtari poſſunt ejuſdem oppidi ruinæ. Erat enim, præter naturalem ex ſitu loci munitionem, ædificiis editioribus extructum, tribus eccleſiis ornatum; in quarum una duodecim preſbyteri ad ſerviendum Deo erant deputati, ad quorum uſus reſpiciebant de adjacentibus villis nonnullæ decimarum partes, & præterea quorumdam ex integro agrorum uſusfructus. Quæ omnia cum poſt ipſius oppidi excidium in ſuas ſuæque eccleſiæ utilitates poſſet retorſiſſe; quippe qui & antiſtes ejus dioceſeos feret, & in palatio OTTONIS tertii adhuc pueri inter primos conſiliarius eſſet, ſimul ut a loco ſuo invidiam facti transferret, maluit ſedem regiam honorare his quæ prius ad memoratum oppidum erant appenditia. Unde & in oratorio ſanctæ Mariæ, quod eſt Aquiſgrani, quantus illic antea inerat numerus clericorum, tantumdem adauxit Deo ſervientium, ſibi ſuæque credens ſufficere eccleſiæ, ſi fideles ejus tantum liberos eſſe liceret a moleſtiſſima improborum hominum, qua eatenus vexabantur oppreſſione, cujus tota erat cauſa ejuſdem oppidi refugium.

XXIII. *Quam ſapienter cupiditatem cujuſdam potentis cluſerit.*

Studuit vir item præclarus, in providendo filiorum ſaluti lynceos habens oculos, ab his cautum eſſe, quæ aliquomodo poſteris noxia eſſe poterant. Unde in uno quod refero, & inſidiæ humanæ malitiæ prudenter obviavit, & magnificentiam Creatoris devote honoravit. Erat in hujus urbis editiſſimo loco ſpatium, quod talis videretur capax eſſe ædificii, unde reliqua urbs ab ejuſdem arcis habitatoribus violenter poſſet impugnari. Hujus ædificandi copiam cum quilibet in armis præpotens expetiſſet, quaſi inde totam urbem & univerſas epiſcopii facultates contra hoſtiles inſidias defenſaturus, intellexit prudens antiſtes, verſutam hominis nequitiam, & ſi quod petebatur annueret, rem omnem in contrarium eſſe verten-

[*a*] De eo chronicon Hildesheimenſe ad annum 1008. *Nohgerus præpoſitus monaſterii S. Galli Leodicenſis præſul ad Chriſtum migravit.* Concinit chronicon Saxonicum.

dam, ita plane ut qui defenſionem promiſiſſet eccleſiæ, ipſi epiſcopo vim inferret, clerum & populum opprimeret, poſtremo cuncta illuc appenditia ſibi pro libito diriperet; hac pernicioſa fretus munitione. Aſſumpta ergo evangelici ſerpentis aſtutia, vultu quidem quaſi benigniſſimas ejus precibus aures accommodaret, pro tempore ſimulavit, corde autem quomodo domeſtici hoſtis obviaret inſidiis altiori conſilio deliberabat: cum interim differendo rem uſque in quemlibet certum diem, hominem jam in ſpem potiundæ voluntatis adductum ſuſpendit. Nec multo poſt accerſito archidiacono, eodemque majoris eccleſiæ præpoſito, nomine Roberto, ſecreto dolos occulti pervaſoris aperit: ſuadet, monet, immo jubet ut faxit ibidem potius fundari eccleſiam in honore victoriosiſſimæ Crucis, cujus virtute magis quam omnium mortalium armis ſeque ſuaque omnia eſſe tuta poſſe certum teneret; atque ut ejuſdem eccleſiæ ante præſcriptum diem maturet fundamenta locari propenſius indicit: jubet inſuper ad hoc maturandum larga ſatis impendia, ſpondens profecto quæ ille ad hæc aut nollet, aut non poſſet impendere, ſe in nullo neceſſario illi defuturum auxilio. Ille autem boni præſulis artibus inſtructus, ante condictum diem, eccleſiæ in honore ſanctæ Crucis fundamenta ibidem locare ſtuduit, beneficium quod ex dono epiſcopi tenebat illuc deſtinavit, voto inſuper addens quicquid de ſuo vel haberet, vel habiturus eſſet. Verum ubi impio jam dicto pervaſori compertum eſt eo loci fundari eccleſiam, ubi arcem ſibi vana ſpe ſpoponderat; non ſine multis querelis atque convitiis recurrit ad epiſcopum; illum perfidiæ accuſat & fraudis Alemannicæ, qui ſententiam mutaſſet, atque ubi ipſe domum poſtulaſſet, ibi fallax promiſſor eccleſiam fundari mandaſſet. Epiſcopus autem contra, magis ut morem gereret armipotentis perſonæ, quam deſervire volens fallaciæ, diu manet in diſſimulando ejus rei conſcientiam; atque ad ſatisfaciendum ei, cujus moribus habebat deſervire, in tali temporis neceſſitate ipſo præſente memoratum accerſiri præpoſitum juſſit; quid ſtruat, qua ſpe, qua fiducia, cujuſve juſſu hoc cœperit, non ſine multa quaſi indignatione rogitat. Ille autem cum ſumma humilitate, nullo temeritatis ſtudio, pro nullius odio; immo hoc ob Redemptoris ejuſque reverendæ Crucis impenſius obtinenda ſuffragia, ad hoc ſeſe eſſe adductum reſpondet. » Terram, » inquit, ibidem inveni vacuam per multos an- » nos alicujus utilitatis immunem; viſum eſt » illam eccleſiæ ſanctæ Crucis, cujus & fun- » damenta ſtruere cœpi, maxime eſſe idoneam. » Quod ſi aliter veſtræ, Domine præſul, ſe- » det ſententiæ, ſive placet domus Dei funda- » menta in prædonum commutari refugium, » nihil mea intererit; bonæ voluntatis, ſi qua A B C D E eſt ex me, merces mihi a Deo non deerit: ſi quis « autem ne hæc eccleſia in honore Dei con- « ſummaretur obſtiterit, ſuper hoc peccati im- « munis eſſe non poterit. » Audiens hoc epiſcopus, jam ſedato vultu, quaſi iram reprimens, ſi quid aliud, inquit, ibi cœpiſſes, pro certo id fruſtra eſſet, fideſque amico promiſſis inconvulſa maneret; at nunc, quandoquidem Salvator Crucis ſuæ vexillo hunc locum per te deſtinare voluit, quod cœpiſti inconcuſſum conſervabimus, immo quæ poterimus ſupplementa ſuppeditabimus: injuriam namque Creatori inferimus, ſi poſthabito eo, ſpem vanæ ſalutis in armis hominum poſuerimus. Ita profecto dolus ejus qui jam rapina animi pervaſerat eccleſiaſtica, laudabiliter ſatis, ſplendida admodum, non fraude, ſed induſtria pontificis compeſcitur; ædificium eccleſiæ cum clauſtro & congruis pro loco officinis confirmatur; eademque in honore ſanctæ Crucis dedicata agris & decimis donatur; unde fratribus quindecim victus & veſtitus ſolatia penderentur.

XXIV. *De eccleſiis ſancti Dionyſii & ſancti Johannis.*

Alia nihilominus ipſius amminiculo condita eſt eccleſia a Nithardo cuſtode majoris eccleſiæ in honore ſancti martyris Dionyſii; in qua primum quidem * duodecim congregati ſunt canonici, procedente vero tempore additis decem, in tricenarium ipſorum numerus excrevit. Ipſe vero præterea ſuo nomine eccleſiam in honore beati Johannis evangeliſtæ conſtruxit, & dedicavit; triginta fratres canonicos ad ſerviendum Deo ordinavit, fundos a ſeſe adquiſitos unde ſufficiens illis victus & veſtitus eſſet deputavit, corpuſque ſuum, quod & factum cernimus, ibidem ſepeliri mandavit.

* viginti.

XXV. *Quanta illi cura erga educandos pueros fuerit.*

Maxima illi circa educandos pueros erat ſollicitudo, eoſdemque cum eccleſiaſticis diſciplinis inſtruendos; adeo ut quocumque vel ad proxima, vel ad longinqua loca pergeret, ſcholares adoleſcentes, qui uni ex capellanis ſub arctiſſima, non aliter quam in ſcholis, parerent diſciplina, ſecum duceret, cumque his librorum copiam, ceteraque arma ſcholaria circumferri faceret. Sicque fiebat ut quos plerumque rudes & illitteratos a clauſtro abduxiſſet, & ipſos quos prius magiſtros habuerant, in litterarum perfectione redeuntes ſuperarent. Sed vereor ne hujuſcemodi ſe tueantur exemplo, qui e ſcholaribus alis in curias regum & epiſcoporum quærunt erumpere, & diſciplinæ jugum detrectantes, levitati animum dare contendunt: quos ego felices judicaverim, ſi in nullo ab iſtius exempli diſciplina exorbitaverint. Nam ſi nunc temporis inter ſtrepitus curiarum, ſtudia bo-

narum artium haud ſecus quam in clauſtri quiete conſtiterit valere, de remiſſiori ad arctiorem diſcendi viam non negamus convolari debere. Sin autem longe res eſt e contrario, immo quod eſt, ceſſet ultra laſciva ætas falſas inſtabilitati ſuæ cauſas prætendere; quia quod in tranquillitate clauſtri neglexit, verum eſt quod nequaquam in tumultuantis ſæculi turbine poſſit aſſequi; quamquam, ô ſi noſtris temporibus jam aurea poſſent revocari ſæcula, ut in capellis tam imperatoris quam epiſcoporum nil magis appeteretur, quam cum litterarum ſtudio morum diſciplina. At nunc quod longe res eſt contra. Nos quoque ad noſtrum Nocherum revertamur.

A

B

XXVI. *Qui & quales ſub eo coaluerint.*

Cum ad honorem eccleſiæ ſuæ tam diligenter & ingenuos & eos qui eſſent ex fideli familia eccleſiæ, quorum nonnullos ſæpe a prægnantibus etiam expoſtulaſſet matribus, tam diligenter alendos eſſe cenſeret, tum aliarum nihilominus filios eccleſiarum qui ſibi a ſtudioſis committerentur coepiſcopis, ſive parentibus, gratanter ſuſcipiebat. Multique tantam apud eum, Deo donante, aſſecuti ſunt perfectionem, ut idonei rectores animarum fierent: ex illis enim multæ eccleſiæ ſe gaviſæ ſunt paſtores habere; quarum Salſburgenſis eccleſia archiepiſcopum habebat GUNTERUM; Cameracenſis duos, alterum alteri ſuccedentem, ROTHARDUM & HERLUINUM, Virdunenſis HEIMONEM, Tullenſis HEZELONEM, Trajectenſis ADEBOLDUM. Licet a multis præterea non epiſcopis, qui ſimiliter ſub eo coaluiſſent, quamplurimæ correctæ ſunt eccleſiæ; ex quibus DURANDUS, poſtea noſter epiſcopus, Bamvebergenſem eccleſiam religionis & artium liberalium diſciplina illuſtravit; OTBERTUS cum aliquibus aliis ſecum hinc abductis, vitam Aquenſium clericorum, perniciosæ contagio licentiæ retro depravatam, ad ſanctæ religionis, in quantum potuit, normam reducere ſtuduit. Quid dicam de HUBALDO, qui dum adoleſcentulus a ſcholari diſciplina hinc aufugiſſet, Pariſius venit, canonicis ſanctæ Genovefæ virginis adhæſit, in brevi multos ſcholarium inſtruxit? Ubi cum aliquamdiu moraretur, interim videlicet, cum a domno NOCHERO epiſcopo neſciretur, tandem canonica epiſcopalis ſententiæ executione compulſus eſt redire: digreſſuſque inde, proſequentibus eum cum multo fletu amicis in brevi ſibi conciliatis, ſtudii & moralitatis nonnulla ibidem reliquit veſtigia. Contigit autem non [a] multo poſt, NOCHERUM (*a*) epiſcopum ut conciliaret amicitias inter ROBERTUM Francorum regem & imperatorem noſtrum HEINRICUM Pariſius devenire; tum memorati beatæ Genovefæ virginis canonici ad eum devotiſſime concurrerunt, humillime petentes ut in anno per unum menſem Hubaldo manendi apud eos copia daretur. Epiſcopus autem bonum teſtimonium de converſatione canonici ſui gratanti animo accipiens, illis quidem ut ſi cum eis tres menſes morari vellet, ultro conceſſit: illum autem huc rediens gratia & donis muneratum ad virtutem amplius accendit. Qui poſtea ſub BALDRICO Pragam Boëmiæ civitatem tranſmiſſus, cum nonnulla ibidem Chriſtianæ religionis documenta dediſſet, ad nos iterum cum maximo honore remeavit. Multi præterea ſub tanto patre enutriti, religione & ſtudiis liberalibus diverſa illuſtravere loca; cum in ſuo quidem loco quidquid ubivis ſtudii vel religionis eſſet, vigere adlaboraverit. Idem prudenti conſilio prædia eccleſiæ in tres æquas portiones diviſit, quarum unam ſuis & ſucceſſorum uſibus, alteram Deo ſervientibus per eccleſias & per monaſteria, tertiam his qui militiam exercerent conceſſit. Multoſque conſilii & bonarum artium ſtudiis informatos, vitæ & moralitatis ſuæ imitatores reliquit, quos qui videre, notitia diſcipulorum de magiſtri elegantia nequaquam ſinit dubitare.

C

D

E

XXVII. *Quod mitis fuerit humilibus, terribilis ſuperbis.*

Erat enim pauperibus mitis, ſuperbis divitibus terribilis; bonis quibuſque manſuetus, iniquis & factioſis hominibus metuendus; potentibus venerabilis, mediocribus amabilis; admirabilis ſapientibus, indoctis eruditor clementiſſimus; ſenum atque debilium baculus, juvenum & adoleſcentium corrector ſtudioſus, providus in conſilio, circumſpectus in facto; clarus in eloquio, diſcretus in ſilentio. Quem ſummi proceres, antiſtes, dico, Romanæ urbis, pariterque imperator, tanto honore dignum duxerunt, ut alter eorum, papa videlicet, in diſceptationibus præſulum Ciſalpinorum vice ſua ſequeſtrum ſæpe eſſe juſſerit; imperator vero in diſponendis regni negotiis primum habuerit. Hic tanti habitus extrinſecus, talis erat interius, qui numquam nec in ſe, nec in aliis familiarius ſibi adhærentibus torpori locum eſſe voluerit: dum ipſe cum clericis evolvendis atque iterandis divinæ ſcripturæ paginis jocundiſſime intentus, laicos nihilominus adoleſcentes, quibus alendis ſua ſeorſum erat diſciplina, ætati & ordini ſuo congruis artibus implicaverit. His & talibus inſiſtens laboribus, pater venerandus, triginta ſex irreprehenſibiliter in epiſcopatu exegit annos, multoſque nequaquam a nobilitate ſua degeneres reliquit filios; quorum nonnullos nos vidiſſe meminimus, inter quos piæ memoriæ domnus WAZO velut lucifer inter minores ſtellas enituit. Qui cum in ipſius

[a] Hæc ab Anſelmi abbreviatore ut & multa alia prætermiſſa eſſe miramur, quæ hiſtoriam noſtram mire illuſtrant.

capella primo quidem miniimus & fere abjectus, librorum & abacis gerulus coaluerit, ſuccedente paulatim valentis ingenii progreſſu, tandem ad regendas majoris eccleſiæ ſcholas, ipſo domno NOCHERO epiſcopo jubente, evolavit: cujus exemplis imbutus & doctrinis inſtructus, adjectis inſuper propriis ex divino munere virtutibus, noſtris quoque magiſtrum repræſentare ſtuduit temporibus; de quo ſuo in loco quantum Deus donaverit, latius dicere habemus.

XXVIII. *De Baldrico epiſcopo.*

Quadrageſimus ſeptimus epiſcopatum ſuſcepit BALDRICUS, generis & morum nobilitate (*a*) inſignitus; qui cum in pluribus ſæpe rebus boni anteceſſoris inniti contenderet ſtuduerit veſtigiis, tum in eccleſiis honorandis Dei, earumque rebus agendis magnificus fuiſſe habetur; adeo ut nullam eccleſiam vel monaſterium in epiſcopatu præterierit, quod non aliquo vel agrorum vel decimarum uſufructu donaverit. Et licet excreſcente fratrum aliorumque propinquorum numero, in multas particulas dividendæ hæreditatis anguſtia carnaliter timeri poſſet conſanguineæ poſteritati, maluit tamen ex prædiis ſuis magna ex parte eccleſiam & pauperes Chriſti facere hæredes. Unde contigit ut Pannardum oppidum, allodium ſuum, majori eccleſiæ ad uſus fratrum, & eccleſiam ad ſuſtentandos viginti quatuor victu egenos condonaverit; cum præterea comitem ARNULPHUM cum uxore nobiliſſima LUITGARDE ad hoc exhortando adduxerit, ut liberis orbati eccleſiam ſibi pro animarum remedio hæredem facerent. Ejus tempore GERHARDUS Cameracenſis eccleſiæ epiſcopus cum fratre ſuo GODEFRIDO monaſterium Florienſe in honore ſancti Johannis Baptiſtæ conſtructum, & commoda ſatis pro modulo ſuo prædiorum parte honeſtatum, matri Domini ſanctoque Lamberto martyri contradidit. Cui monaſterio, ne quid Deo ibidem ſervientibus minus ſuppeteret, idem domnus BALDRICUS epiſcopus duas ex ſeſe gratantiſſime addidit eccleſias. Ipſe præſente ſancto HERIBERTO Colonienſi archiepiſcopo a beato anteceſſore NOCHERO conſtructam domum ſanctæ Mariæ ſanctique Lamberti dedicavit; cum dehinc tertia die eccleſiam (*b*) quam vir glorioſus GODESCALCUS majoris eccleſiæ præpoſitus ex allodiis ſuis, unde duodecim canonicis fratribus victus & veſtitus ſufficiens foret, dotavit. Videns autem quod pro mediocritate loci ab anteceſſoribus conſtructæ ſufficerent octo eccleſiæ canonicæ religionis, dignum duxit etiam monaſterium ſtruere, ubi arctior vita ſub beati Benedicti regula duceretur; ut eorum mens qui ibidem ineſſent, eo magis ſtudio orationis eſſet intenta, quanto a ſæcularium curarum turbine eſſet libera. Cœpit ergo fideli devotione in honore beati Jacobi apoſtoli locare fundamenta monaſterii, cujus cryptam in qua nunc corpore requieſcit, cum perfeciſſet, & in honore beati apoſtoli Andreæ dedicaſſet, pauca ad opus Deo inibi famulantium prædia conſtituit; reliquum opus ſemiplenum & non altius quam uſque ad feneſtras, die occupante extrema, dimiſit; & ipſo die eademque hora qua prælium apud *Flardenges* committebatur, in quo maxima noſtratum cædes facta eſt, vitalem flatum exhalavit.

XXIX. *De Wolbodone epiſcopo.*

Huic quadrageſimus octavus vir Domini WOLBODO ſucceſſit, qui apud Ulterius-Trajectum ſub religioſis admodum patribus in eccleſiaſticis clauſtralis vitæ adolevit diſciplinis, quibus poſtea de bono diſcipulo optimus magiſter effectus, ſubditorum vitam exercere ſtuduit. Et licet præpoſitus factus exteriorum curam ſuſcepiſſet, adprime tamen regendis interioribus conſtanter invigilavit, & ſeipſum quidem ante omnia ſuaviſſimo Chriſti jugo ſubjiciens, alios ſecum intra anguſtæ illius vitæ oras, quæ ad vitam ducit, tam exemplis quam documentis cohibebat. Scnioribus filium, juvenibus fratrem, adoleſcentibus ſe patrem exhibebat, quorum laſcivam ætatem hinc arctiori diſciplina reprimebat, hinc ipſe per ſe ſacræ ſcripturæ lectionibus erudiebat: nulluſque alicui locus evagandi aut quoquam a ſanctæ religionis tramite exorbitandi ſub eo locus erat.

XXX. *Qualiter epiſcopus factus vixerit.*

Hunc ob eximiæ vitæ meritum imperator HEINRICUS miro caritatis affectu amplectebatur; qui & eumdem invitum ab clauſtrali (*c*) quiete abduxit, & ſecum aliquamdiu in capella commorari voluit. Hujus ergo epiſcopatus ſede paſtore viduata, inſpirante, ut credimus, Deo, huic beato viro nec opinanti, immo amariſſime flenti, ejuſdem regendi ſecurus curam committit. In cujus nimirum gradus culmine nil de prioris vitæ ſtatu remittere. immo rigore intentiori corpus inſtitit edomare, ne, ut ait Apoſtolus, aliis prædicans, ipſe reprobus efficeretur. Nam præter arctiſſimam qua ſub oculis ſuperni inſpectoris afflicto corpori imperitabat diſciplinam, jejuniorum & vigiliarum impiger executor extitit. Nil illi dulcius erat quam ſicut itidem aliis cordi eſſet explorare; quorum aliquos ſi aliquando aut in angulis, aut circum altaria inveniſſet, hos magni pendere & donis honorare conſueverat, nullum a quo Deum timeri ſciebat negligere; a quo

[*a*] Is fuit Ratiſponenſis vicedominus, ut docet chronicon Saxonicum ad annum 1008.

[*b*] Sancti Bartholomæi.

[*c*] Eum quippe Stabulenſis cœnobii monachum fuiſſe ſcribit Meyerus lib. 2. Annal. Fland. ad annum 1020.

autem Dei ſervitus negligeretur, nullius momenti ducere. Eidem ſtatura procero, non ex carne, ſed ex oſſium mole, venerabilis inerat corpulentia, cui dupla quam cuilibet exili corpore refectio eſſet neceſſaria, ut videmus in hominibus ejuſmodi. Qui tamen corpus ſuum tali magnitudine vaſtum cibario pane atque aliis cibis communioribus longe citra ſaturitatem reficiebat; & lautiora quidem & exquiſita quæ ſibi apponerentur, manibus ac ſi ea in momento eſſet voraturus contrectans, nihil de his ſibi indulgere volebat, ſed omnia pauperibus diſtribuebat, ſe guloſum, ſe edacem eſſe accuſans, qui neccdum multorum vel ſæcularium parcitatem aſſequi poſſet; licet, ut dictum eſt, longe minus quam immenſo corpori ſufficeret, victus acciperet. Enimvero cum in menſa ſibi parciſſimus, pauperibus eſſet humaniſſimus, tum aliis nihilominus cujuſcumque modi egenis largitor erat tam profluus, ut quæcumque ſibi ipſi poſſet fideli furto ſubtrahere, nihil pene ſibi retinens, per manus pauperum omnia Chriſto reddere non ceſſaret. Unde plerumque pallia, tapetia, vel quælibet epiſcopii ornamenta contra pauperes, qui ea nocturnis horis a domno præſule accepiſſent, pretio quo poſſent a camerariis redimi opus erat. Quid de vigiliis & orationibus, quibus exequendis adeo ſtudioſus erat, ut multas hybernas noctes inſomnes continuaret, ſanctorum limina circumeundo, & pauperum manus qui ſeſe per nota viarum diverticula diviſiſſent, largiter replendo? Atteſtari ſolet quidam de his qui familiarius ſibi adhærebant, quod inter lavandum pedes ejus frigore & glaciali viarum aſperitate aduſtos viderit, ut ex uſu ejuſmodi deambulationis ſanguinem ab interioribus elicitum in utroque pede conſtaret occaluiſſe.

XXXI. *Quid placaturus Heinricum imperatorem fecerit iratum.*

Iratum contra ſe imperatoris HEINRICI animum placaturus, conſilio ſuorum aliquantum pecuniæ contraxerat, quam ut pro gratia ei offerret, Coloniæ eidem occurrere deliberaverat. Sed ſubinde retractans animo cur non potius daretur largitori omnium, in cujus manu corda ſunt regum; offenſo cœlorum dominatore, fruſtra terrenum principem placari; itemque creatore placato, quantumlibet ſublimati hominis minas contemni debere: cœpit ipſa qua in craſtinum profecturus erat nocte quæ collegerat fideliter diſpergere, & inter eundum adeo expendere omnia, ut ne unam quidem ex memoratæ pecuniæ ſumma ad placandum principem ſibi retineret ſiliquam. Itaque fama quibuſdam deferentibus ad aures imperatoris percurrerat, epiſcopum WOLBODONEM ad conciliandam ſibi gratiam ipſius, non parvam auri argentique copiam collegiſſe; cum ecce expectans quando hæc ad cameram ſuam afferretur, iterum audit deputatam ſibi, ut crediderat, pecuniam pauperibus eſſe diſtributam. Et licet in aliis ſane aliqui perfectum contendant hunc orthodoxum virum contra avaritiam minus conſuluiſſe, in hoc tamen facto venerabilis epiſcopi æquitatis contra ſeipſum cenſuram tenuit: & qui ſi carnales ſequeretur affectus ſuccenſere habebat, ex ſplendido illo ſuo contemtu unde amplius eum amaret invenit, ſuamque vanam potentiam in hac parte a bono ſacerdote deriſam eſſe oppido gaviſus eſt. Sicque magis celebre hujus nomen epiſcopi nihil largiendo in aula regia eſt effectum, quam aliorum quorumque præſulum, qui creditas ſibi ſpoliantes eccleſias, mimos ceteroſque palatinos canes ditare contendunt, ipſique ſcurrilibus, ſtultiloquio, & turpiſſimis circa reges adulationibus inſervire non erubeſcunt. Hujus veteris novique morbi antiſtes hic noſter omnino immunis, male bandientis ſæculi lenocinia fortiter calcabat, ad cœleſtia toto corde ſuſpirabat, & per duos ſemis annos quibus in epiſcopatu vixit, præter ſponteaneam qua corpus ſervitute ſubjicere non ceſſabat, afflictionem, continua ſtomachi infirmitate laboravit; eo magis animæ vires roborans erga ſubditos, tam monitis quam exemplis eccleſiaſticis rigorem auxit diſciplinis: multique a levitate quam retro fuerant ſectati, ad gravitatem morum converſi, iniiti veſtigiis ſanctitatis ejus ſunt conati.

XXXII. *De vocatione ejus.*

Celebratis, ut ſolebat, in ſpirituali jocunditate paſchæ diebus, ſentit ſe vocante Deo ad perennis paſchæ gaudia invitari; cum ingraveſcente quidem morbo, præmortua non valens ulterius ſuſtentare membra, ſpiritum cœlo intentum pſalmorum & divinæ legis meditatione roborabat; vilibus ſtramento & ſuperjecto nudus incumbens cilicio, fratreſque qui ſibi aſſiſtebant, ſaluberrima exhortatione conteſtans, ut eam quam ſibi inſtare cernerent horam præſenti exemplo reformidare diſcerent: cumque idem ſæpius iteraſſet, converſus ad Johannem archidiaconum, poſtea præpoſitum, ipſi identidem inculcare cœpit; neminemque a foribus domus, in qua jacebat, arceri volens, omnibus admiſſis ſui morientis præbebat ſpectaculum; ut tanto cuique ſua caro in pulverem redigenda vileſceret, quanto abjectius in epiſcopo hanc emori viderent. Nec defuere interim antiqui illius draconis inſidiæ, qui more ſuo explorare volens, ſ. quid ſuum egrediente ſancta anima inveniret, propter veſtigia jacentis aſtitit. Quem ille viſum agnovit; mox orando cum aſperſione aquæ, benedictæ repulit, nequaquam, inquiens, ô ſceleratiſſime tenebrarum accola, donante Deo, tibi præda ero: nullam partem habi-

turus cum ſiniſtris, licet manſione fruiturum me confido cum dextris. Orat deinde circumſtantes ſine intermiſſione pſallere pro ſui exitus expectatione, ipſe incipiendis pſalmis antiphonas, itemque ſiniendis collectas imponens: & ut hoc efficacius, vel potius poſſet, os & linguam vicina jam morte ſiccatam aqua infuſa madefieri jubebat. Tandem oblata Salvatoris crucifixi imagine, caput ſuum ejuſdem petit admoveri veſtigiis, & inter ſalutandum & inexplebili dulcedine deoſculandum, crucifixo Domino, cujus imaginem foris amplectebatur, reddidit ſpiritum. Ad cujus corpus in beati Laurentii martyris monaſterio tumulatum quicumque ex fide petunt, diverſi generis languorum medicinam inveniunt; ejuſque meritorum apud Dominum efficaciam, tum ex meipſo, tum ex aliis ſum expertus, quorum nota fides & auctoritas de rei geſtæ veritate non ſinit dubitare. Quæ nos huic opuſculo inſerere deputavimus, partim quod ad alia feſtinamus, partim quod de relatu miraculorum nondum pervulgato dijudicare devitamus; ſed poſteris fideliter ſcribenda relinquimus.

XXXIII. *De Durando epiſcopo.*

Quadrageſimus nonus ſubrogatus eſt DURANDUS, natus quidem ex humili genere ſervorum memorati Godeſcalci præpoſiti, ſed admodum pollens nobilitate ingenii; de quo fertur quod cum idem dominus ſuus manus ſibi dare vellet, ut mos eſt, & ſacramentum facere, cum magna reverentia de ſede epiſcopali eidem aſſurrexerit, & hoc fieri humiliter recuſaverit, aſſerens ſe potius ſervum Domino ſuo debitam ſervitutem exhibiturum.

XXXIV. *De Reginhardo epiſcopo.*

Huic defuncto & apud ſanctum Laurentium tumulato (*a*) ſucceſſit REGINHARDUS, [a] qui conlitteralis archiepiſcopo HERIBERTO eximiæ ſanctitatis viro, perfectionem in eccleſiaſticis aſſecutus fuerat diſciplinis; a quo & prælatus canonicæ apud Veronam, quæ uſitatius Bunna vocitatur, inſtitutæ, eamdem ſtrenue pluribus annis rexerat. Hic bonus bonis, perverſis ſtudio erat moleſtus; mitem ſeſe pauperibus, aſperrimum quoque iniquis exhibebat divitibus. Ejus tempore non parva exulum copia ex (*b*) occidentali regione in [b] hanc urbem confluxit, qui patriam & dulcia arva linquentes, ut ipſi ferebant, prædis & incendio in ſolitudinem redacta, parvulos ſuos miſerabiliter circumferentes, ab ignotis gentibus ſtipem mendicare cogebantur. Horum quotidie concurrentium turba cum aliquantum gravis eſſet indigenis cibos manu & arte quærentibus, propter coemendi panis anguſtiam qui tantæ plebi minus poſſet ſufficere; hic domnus epiſcopus ad concives noſtros paterna uſus eſt ammonitione, ut unuſquiſque hujuſmodi egenis ſtudeat pro poſſe miſericordiam impendere; ut autem aliquid largiri nequeat, vel nullam eis moleſtiam inferat; humanam mentem horum exemplo tangi debere, quod ſimilis caſus quandoque ingrueret viciſſitudo, non aliter ſibi ab eiſdem forſitan panem expetitum iri. Ut ejus miſericordiæ quam populo ſuggeſſerat, prior exemplum præberet, trecentos ex eis ſtipe ſua alendos ſuſcepit, & ad ſimilia pietatis opera pro poſſe explenda alios accendit. Hic in eccleſia beati Bartholomæi apoſtoli, ad duodecim canonicos, qui ibidem prius inerant, ex bonis a ſe acquiſitis octo addidit: & inter alia quæ fecit inſignia, pontem ſuper Moſam magno ſumtu exſtruxit, monaſterium ſancti Laurentii renovavit, prædiis auxit, & triginta monachos ſub abbate, qui adhuc ſupereſt, vivere regulariter conſtituit; ipſumque monaſterium Piligrinum archiepiſcopum conſecrare fecit, ubi etiam poſt obitum ſuum locum ſepulturæ accepit.

XXXV. *De Nithardo epiſcopo.*

Hujus in loco ſucceſſit NITHARDUS, cuſtos majoris eccleſiæ, a clero & populo unanimiter electus. Is juvenis ætate, moribus ſenior, quatuor ſemis in epiſcopatu degens annos, in tam brevi tempore magnum ornatum quem apud nos fas eſt cernere, noſtræ adddit baſilicæ, in qua defunctus poſtea adeptus eſt ſepulchrum.

XXXVI. *De domno Wazone epiſcopo.*

Poſt hunc domnus WAZO ſecundum canonica inſtituta electus, licet diu multumque reclamans, per vim obedientiæ ſibi ab archiepiſcopo impoſitam, vix tandem ad ſuſcipiendam epiſcopalem virgam eſt attractus; quamvis multo ante, non epiſcopus, conſiliis & ſapientia totum epiſcopatum gubernaverit. Hoc qualiter fecerit, qualiter ante epiſcopatum vixerit, quampaucis abſolvam.

XXXVII. *Qualiter in ſcholarum magiſterio ſe habuerit.*

Capellanus primum ſub NOCHERO, poſtea ab eodem donatus eſt ſcholarum magiſterio; in quarum ſtudio, tam morum quam litterarum vigilantiſſime exercuit diſciplinam, eos qui probis moribus eſſent, licet minus litteratos, longe his anteponens, quibus, ut in pleriſque ſolet, ſcientia litterarum vanæ gloriæ peperiſſet ſtultitiam. Adventantibus quidem quibuſque de diverſis terrarum partibus, implens quod ſcriptum eſt: *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt*; pleriſque quidem difficiles

[a] Durandus *extra eccleſiam ſancti Laurentii ſepultus eſt. Ibi ſub divo tamdiu jacuit, quouſque nova ædificaretur eccleſia, & tunc incluſus muro, atque admiſſas ſub tecto eſt*, inquit Ægidius de Aurea-valle. Hactenus cernitur in crypta inferiori S. Laurentii Durandi tumulus.

[b] Editi legunt orientali.

difficiles sui objiciebat accessus. Si quos autem vere ob studia venisse cognovisset, gratantissime suscipiebat quamdiu morari vellent, & nonnumquam vestitus solatia impendebat. Discedebant alii litteris, moribus & religione instructi; accedebant alii nihilominus instruendi: cerneres quasi ex diversis alveariis apes ad hanc florigeram arborem convolare, ut inde suis quæque cellis referret, unde arentibus favis nectar melliflui roris posset infundere. Haud aliter ex ignotis & notis regionibus, ad virum bonos Christi odores spirantem undique studiosorum confluebant agmina; & alter quodammodo Salomon ad se videndum & desiderabiliter audiendum religiosos cujusque generis invitabat. Et cum multi, exemplo reginæ austri pretiosissima Jerosolymam conferentis, ne immunes apparerent, huic suo Salomoni spontanea offerrent xenia; ille ita manus suas studebat excutere ab omni munere, sicut e contrario solent fœnoris exactores debita cum usuris extorquere; evangelicum illud corde tenens, ore proferens: *Gratis accepistis, gratis date;* & illud: *Beatius est dare, quam accipere.* Munificentiam in eo laudari non est necesse, quia ita erat sedulus erga hospites & peregrinos, ut non opes expendere, sed de pleno gurgite haustas fundere videretur, non sine ammiratione æmulorum indignantium nobiliores & ditiores minus potentis virtute & gloria superari. Quid multis immorer? cum scholaris officii labore sub BALDRICO episcopo decanatus non sponte sublimatur honore, in quo modestum ita se exhibere studebat, & in subjectos pius, contra superbos & potentes in virtutis culmine cum justitiæ armis staret erectus. Unde contigit, ut Johannem præpositum antea sibi in amicitiis familiariter junctum scripto non sit veritus arguere, eo quod contra elationis malum ob vanum præpositi nomen parum consuluerit, & tyrannicam potentiam a religione semper profanam in disponendis pro libito rebus ecclesiæ sibi arrogaverit. Quod ad confutandam malorum præpositorum contumaciam aptissimum huic opusculo non pigebit intexere. Verum si quis mihi ideo succenseat, ipse sibi quia malus est, testis erit. Scripsit itaque sic memorato Johanni noviter concessa sibi missione a scholaris officii administratione.

XXXVIII. *Controversia ad Johannem præpositum.* (a)

Fratri Johanni secundum sua merita non suus WAZO. In veteris amicitiæ memoriam cogor te, frater, adhuc compellare, quamvis apud nos nil dignum merearis gratiæ. Hactenus te venustabat aliquantulum litterarum scientia; efferebat etiam in constituendis negotiis rationis justitia; nunc quod *bona fortuna uteris, priora præsentibus* confundere mihi videris. Quidquid boni prius habueras, adjudicamus simulationi, quia fortuna bonis superveniens solet meliores (*b*) operari. Enimvero divitias per se neque bonas neque malas nuncupamus, nisi a possessoribus suis hoc translative (*c*) promamus. Archidiaconatus enim ceteraque mundi vanitas suo contagio te non infecit, sed quam versipellis prius latebas, suis operibus exposuit.

Ultionem male vivendi forsitan reformidares, nisi plurimum sæculari potentiæ confideres. Cumque multa in te punienda possim recensere, unum quod me contingit, volo, si queam, retellere. Dicis te præpositum potenter esse constitutum, claustralia negotia domi sine consilio decani fratrumque, sicut volueris, dispensaturum. Cum gladio non utaris, cur potenter magis quam regulariter dicis? Si tua dignitas est a Deo, cur illam non commendas scripto? In confusionem meam, prælatum & præpositum unum esse dicis; obviare veritati, gratiæ deserviens, minime reverens. Quid est, quæso, aliud, veritatem scienter fraudare, quam Christum pati, secundo crucifigere? *Ve qui dicunt malum bonum, & veritatem commutant in mendacium.* Ergo cum Christus veritatem se esse dicat, quisquis veritatem lædit, Christum procul dubio sauciat.

Sancti patres zelo justitiæ ferventes, claustralem regulam divinitus illustrati conscripserunt; nihil superfluum addentes, vel necessarium subtrahentes, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinaverunt. Prælati & præpositi tulerunt omnem controversiam, si tibi ambitionem, mihique lenieris invidiam. Dic, dic, quæso, si regula singillatim titulat episcopum, prælatum, præpositum, cantorem, cellarium, portarium, usque ad pistores & coquos; si prælatus & præpositus unum est, quare prætermittit decanum? Non debuit ille diligentius scribi, qui magis obnoxius est deservire religioni? Irrationabiliter ergo videbitur esse regula composita, si non exequitur omnia claustralia secundum propositum necessaria? Sed quis sanum sapiens audebit hoc asseverare, cum *Spiritus sanctus* auctor regulæ *figmentum effugiat disciplinæ?* Noli, frater, noli male interpretari scripturam regulæ sufficientem; prælati & præpositi, velis nolis, necessariam tene distinctionem. Quia si prælati & præpositi unum esset subjectum, potius unum quam duo scriberetur capitulum; ut sicut præsulis & episcopi duum nominum fit unum capitulum, sic prælati & præpositi fieret, si esset unum. Quia ergo duæ personæ intelliguntur in prælati & præpositi significatione, merito

[a] In multis differt ab editis circa finem imprimis.
[b] Edit. *efficere.*
[c] Edit. *translatione probentur.*

duas ſententias placuit regulæ ſcriptoribus annexere.

Præſertim nomen decani, quod regula non poſuit, minime te moveat, quod ſolum militaris diſciplina, & regula ſancti Benedicti, a decem militibus vel monachis, litteris ſacris tacentibus, frequentant. Quoniam quidem cum regularis diligentia triginta, quadraginta, vel his amplius canonicos ſimul admittat; nomen decani, quod ſupra denarium res agitur, irrationabiliter ponere devitat.

Erit ergo prælatus ſecundum ſpiritualis vitæ adminiſtrationem prior in clauſtro; & conſequenter præpoſitus propter exteriorum procurationem ordine ſecundo. Spiritualia enim ſæcularibus digne præponuntur, quantum ſtolidò corpori rationalis anima principatur: hanc inſtitutionem immobiliter ſervant occidentalia clauſtra, & monachorum quotquot ſunt ubi ubi cœnobia. Quippe quia pluris exiſtimas opes religione, veneraris præpoſitum, ſuppreſſa decani celebratione; quoniamque gloriaris te præpoſitum eſſe, præſumis clauſtralia negotia fratribus inconſultis diſpenſare: non ut utiliores fratres ad hæc promoveantur, ſed qui gratia tua ſolummodo participantur: hinc religionis divinæ, proh dolor! ruina ſuboritur; litteralis diſciplinæ ſtudium penitus deſtituitur. Quis plantat vineam, & de fructu ejus non comedit? Quis nihil proficiens religioni, diſciplinæque operam dabit? Hanc inſtitutionem pater cœleſtis non plantavit, mater Eccleſia ſcriptis ſuis non animavit. Neceſſe eſt ergo ſpirituali cultro ſuccidere ſpuria vitulamina, & regularibus monitis aſſenſum præbere per omnia. Præcipit namque regula præpoſitum ſub prælato agere, ſibi injuncta fratribus humiliter fideliterque, cum bonæ converſationis exemplo adminiſtrare; ſed ſi is reſultaverit, ab officio removeri, aliumque loco ejus aptiorem conſtitui.

Ad hæc, frater, vide quæſo ſubjectionem præpoſiti; vide fidelitatem, humilitatem, periculum quoque miniſterii. Et ſi præſumis clauſtralia bona inconſultis fratribus dare, ubi eſt ſubjectio, fidelitas, humilitas obedientiæ? Unde illa tanta dominandi ſublimitas, ſi perdendæ dignitatis tam prona facultas? Non poterunt fratres conſiliorum eſſe participes, qui inſtitutionis depoſitionisque tuæ poſſunt eſſe opifices? præſertim cum domno pontifici, qui ſingulariter domnus vocatur, eccleſiaſtica non liceat ſine clericorum conſilio diffinire; ut quid ſubjectus miniſter audebis bona fratrum ſecundum libitum tuum diſſipare? Domnus abbas jubetur in conſilium totam congregationem adducere, conſilioque omnia diffinire; tu dedigneris confratres tuos ſuper communibus bonis conſulere? Jubetur etiam inter plures monaſterii bona dividere, ne ſolus præpoſitus tenens omnia, poſſit ſuperbire: alioquin, ſi id licenter feceris, jam non præes canonicis, ſed ſervis & eleemoſynariis tuis. Quis, rogo, erit ſufficiens quoquomodo vivere, qui dignetur in eleemoſynæ tuæ ſtipendia tranſire? Ut quid fratrum nomine fiunt traditiones poſſeſſionum, ſi tu ſolus ſingulariter ſuper his vendicas dominium? Hactenus eramus pauperes Chriſti, matris eccleſiæ canonici; reliquum eſt famulemur tibi ſervi emptitii. Deſine, frater, quæſo; deſine inſolenter agere, officiique tui modum humiliter recognoſce.

Vide etiam quid regula præcipue dedicet præpoſito, ſcilicet ſubjectos illuſtrare canonicæ converſationis exemplo. Ergo ſi regulare mandatum eſt, canonicos chorum, refectorium, dormitorium frequentare; cur dum facultas eſt, ſubtrahis te, quaſi prohibearis ab hac ſocietate? cum ſis ſanus, validus, plerumque etiam otioſus; ne erubeſcas religioſus eſſe; quia qui Chriſtum erubuerit & ſermones ſuos, pœnaliter afficietur in die calamitatis & miſeriæ. A mane in veſperam non pudet te ſæcularibus negotiis deſudare; & ſemel per hebdomadam & menſem choro confunderis intereſſe? *Qui non laborat, nec manducet*, ſcribit Apoſtolus; tu nihil vel parum laborans, omnia colliges ſolus? Si otioſis etiam cibus interdicitur naturalis; quid tu negligens præpoſitus operibus laborantium dominaris? Ecce per Apoſtolum derogatur tibi vitæ communio, unde tibi tantæ dominationis abuſio? *Si qui altari deſerviunt, de altario debent vivere*; conſequenter qui nihil ſervis, nil debes accipere. *Qui parce ſeminat, parce & metet, & unuſquiſque ſecundum laborem proprium mercedem accipiet.* Porro ſi religioſiſſimus eſſes, per humilitatem hanc dominationis ambitionem cavere deberes, (a) ſicut veritas docet Apoſtolos: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis; dicite, ſervi inutiles ſumus.* Sic David parvulus in oculis Dei, ſublimatur in regem: Saul arroganter agens, contumelioſam incidit in mortem. *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.*) Si Paulus *plus omnibus laborans*, profitetur ſe minimum & abortivum, cur tu nihil laborans, e contrario ſingulare præoccupas dominium? Si ſententia Pauli per omnia eſt laudabilis, univerſaliter præſumtio tua ſit deteſtabilis. Dicis te eſſe potentem præpoſitum, omnia bona clauſtri ſine conſilio prælati & canonicorum in domo tua ſicut volueris diſpenſaturum. *Quem teipſum facis? Quid habes quod non acceperis? Si gloriaris, in Domino glorieris: non enim qui ſeipſum commendat, ille probatur, ſed qui a Deo commendatur.* Gloriam tuam mater juſtitia pariat; humilitatis cuſtodia non derelinquat. Non te metiaris adulantium lingua; quid ſis, non quid voceris, diligenter examina. Si Deus homo

NOTA

(a) Inclusa parenthesi desiderantur in editis.

venit miniſtrare, non miniſtrari; cur tanto faſtu quæris dominari? Cum Deus eſſet, *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*; tu cinis & pulvis, contendis vocari præpoſitus potens? Enimvero nequaquam poteris ejus eſſe diſcipulus, niſi prius depoſito dominationis faſtigio fias parvulus.

Certe ſi nullus clauſtralis præpoſitus, niſi ex regulari (*a*) canonico debet ordinari, profecto non debes eſſe præpoſitus, niſi canonicam vitam duxeris clauſtri. Diſtat ergo inter clericum & canonicum, quod canonico, non clerico debetur clauſtrum: omnis enim canonicus clericus, non conſequenter ut omnis clericus canonicus. Ex canonico enim, non ex clerico regulariter conſtituitur præpoſitus; ac ideo neceſſe eſt ſi præpoſitus es, choro, refectorio, dormitorio, niſi per licentiam, ſis aſſiduus. Igitur quia maxime præpoſituram amas, cur clauſtri faſtidis militiam? Quapropter aut cum præpoſitura habebis religionem, vel dignitas præpoſiti vertetur in villicationem: non enim erit neceſſe conſtitui ex canonico præpoſitum, ſi idem miniſterium æque poſſit miniſtrari per laïcum. Sis ergo, conſulto, præpoſitus cum religione; ſaltem vel religioſos velis amare, ut ſicut qui ſuſcipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; ſic irreligioſitatem tuam ſaltem religioſorum amor commendet; quia nimis profanum conſtat utrumque, te (*b*) irreligioſum eſſe, religioſoſque vexare. (Ad (*c*) hæc, frater, præpoſiti ſubjectionem, fidelitatem, humilitatem, adminiſtrationem ſecundum regulam, non dominationem collige; de bonis tibi commiſſis conſilium decani fratrumque ne aſperneris appetere. Per ſubjectionem & *humilitatem quærito conſilium*, etiam mandatum; per fidelitatem & adminiſtrationem, quicquid præter beneficium inveneris, redde totum. Ut quid beneficium accipis, ſi ad cetera omnia non es fidelis?) Quicquid miniſterio tuo juſte ſuperlucratus fueris, in vita tua teneas; non tamen fratribus hoc palam facere, ne furti arguaris, ſuperſedeas: (ſic (*d*) fructum habebis ex tua rationabilitate, ſi fratribus notitiam feceris ebaboratæ ſummæ. Quod ſi ſilentio preſſeris, ſucceſſori tuo, non fratribus furtum lucraris.) Ego in duabus villis mihi invito commiſſis, quadringentorum (*e*) manſorum ſervitium juſta ratione ſuperlucratus, fratribus annuntiavi, & ſtatim ſervitium feci; quantoque me in gaudio pro fidelitate intrare ſperabam, tanto tribulationibus invidiæque magis ſuccubui. Servus evangelicus talentum duplicans a Domino collaudatus meruit donari; ego quadruplicans, multis modis impetitus & circumventus, addictus ſum paupertati. (Cum (*f*) multa bona clauſtri teneas ſine quæſtione reditibus parvis; cur fidelitatem noſtram, quaſi furtum perſequens, ulciſceris? Tuarum rerum miniſtros infideliter agentes dure punis; & res clauſtri cur non ſimili diligentia proſequeris? Quomodo probaris fratres ſicut teipſum diligere, ſi tuas atque illorum res diſpari tractas affectione? Si apud idolatras olim Romanos fraus rei publicæ ſacrilegii ſuppliciis expiabatur; quo tormento legibus exquiſito fraus clauſtri deprehenſa digne multabitur?) Ergo, frater, omnes in commune accingamur humilitate, fidelitateque, regulariter, & res clauſtri, ſicut oportet, tractemus irreprehenſibiliter. Quanto majores ſumus in ſæculi dignitatibus, tanto nos humiliemus in omnibus: avaritiæ, dominationiſque altitudinem fugiamus ſtudioſe, quæ religionem diſciplinamque naturaliter ſolent propulſare.

Noli (*g*) præſumptionis tuæ defenſionem Colonienſis clauſtri exemplo roborare; quia, ſicut experimento didici, Deo gratias, nil penitus in eo invenitur tale. Ipſe domnus archiepiſcopus, remota dominationis ſuæ ſublimitate, clauſtrum ſæpe deambulans, ſcholas viſitat; propoſitis diſſolutiſque quæſtionibus, quos utiliores invenit, gratia doniſque magnificat. Sic omnium delectationem ſibi concilians ſtudia nutrit; in pelago divitiarum, clavo ſeſe humilitatis regit. Præpoſitus & prælatus in choro primi ſtantes, officioſe ſatagunt intereſſe, ne quid difficultatis & negligentiæ provenerit. Quiſque per ſe curioſius agit: diſciplina clauſtri ſpecialius appenditur prælato; nec tamen deeſt invitatus præpoſitus, inſtante ſcrupulo. Stipendium quotidianum cum ceteris officialibus exhibet præpoſitus; ſi quid defuerit, ſine inimicitiis exigit prælatus. Cellararius annonam, vinum, pulmenta ſuſcipiens a præpoſito, quæque diſpenſat impune prælati ſeniorumque mandato. Liber eſt præpoſitus a tributis, quæ dederit cellarario; æque cellararius ab his quibus parucrit prælato. Sic unanimitas prælati & præpoſiti, in clauſtri ædificatione cooperatur; quia non ambitioſa caritas, quæ Dei ſunt, non quæ ſua, rimatur.

Lugenda nobis acrius eſſet, frater, clauſtri noſtri recens oborta diſcordia, niſi in ſanitate capitis coaleſcerent etiam ægrotantium membra. Et ne tibi fraternæ conſolationis in ullo munia ſubtraham, precor, archidiaconatus tui pauliſper moderare gloriolam. Quia divina pietas pluribus bonis te donavit, quibus rationabiliter honoreris in archidiaconatu decretis eccleſiaſticis præſcripto, quid effereris? Quia diaconus es? Dic unde tibi nomen archidiaconi? Si non potes, ulterius deſine gloriari. Chorepiſco-

[a] Editi *ex regulari canone.*
[b] Editi *religioſum eſſe*, contra auctoris mentem.
[c] Anſulis incluſa deſiderantur in editis, ut & plura alia.
[d] Et hæc iterum in editis omiſſa ſunt.
[e] Editi *coquorum manſorum* omnino depravate.
[f] Incluſa quoque hic anſulis abbreviator omiſit.
[g] Et hæc etiam præſumſit abbreviator omittere uſque ad hæc verba *præpoſitus & prælatus*, &c.

[a] pos (a) propter insolentiam removit ecclesias; unde his caret usque in præsens metropolis Colonia & tota provincia. Canon vetat diaconum injussum ante presbyterum sedere; & tu presbyteros præsumis judicare, atque etiam verberare? Tantam ergo habes auctoritatem in judicando, ut nulla scriptura, nulla possit resistere ratio? Quoniam quidem voluntas tua necessario nobis est lex & regula, quæso per Deum dirigas eam semper cum justitia.

[b] Si (b) is qui vaccam rapit, jure excommunicatur; quid fiet illi qui justitiam vendit, vel deprædatur? Ergo quia justitia melior est omni pecude bruto, necesse est deterior sit prædone omnis pecoris, justitiæ prædo. Quoniamque luce clarius patet pessimum esse justitiam vexare; de omnibus bonis episcopii constituendis, cum quatuor episcopis gratiosus essem, non habui, quamvis imputes, pretium unius siliquæ. Cumque in nullo, exceptis peccatis, quæ nimia sunt, possis me legaliter redarguere; quare in signum malevolentiæ tuæ me soles iracundum vocare? *Si ira viri justitiam Dei non operatur*; vel injustitiam meam dic, vel veritas tua cassatur. Sed quia verba mea vel negotia mea, lege derelicta, tuis pravis consiliis, ne confundar, nolo dedere, imputas mihi propter iracundiæ magnitudinem vestrique obstinationem penitus hoc agere. Sed malo dici, nec esse iracundus, quam tuorum consiliorum semper alumnus. Æque potes me furem, sacrilegum, homicidam vocare, cum rerum gestarum veritatem nullatenus possis astruere. Illa, frater, in pristinæ familiaritatis pignus meditanda tibi liberali studio devovimus; ne quid dictum sit in gratiæ detrimentum, quia ratio sic poscebat, obnixe supplicamus. Si non placet, animam meam in manu mea posui, paratus in claustri fidelitatem damna, verbera, mortem etiam pati. Hæc ago, non ut superiorem vel parem præposito, cum regulariter possim, decanum comparem; sed ut in claustralibus causis ordinandis præcipuum cum justitia consiliarium monstrem. Quod si probabiliter constiterit prælatum decanum esse, quod nequit refelli; quæso mihi prælato cum cellarario regulariter agere non prohiberi. Alioquin si mandatis regulæ niteris contraire, consequentem maximam pœnam incurris ecclesiæ. Sacerdotium etiam præpositura & archidiaconatu convincitur pluris haberi, quia hoc * minus a sex episcopis, illa possunt a singulis abjudicari. Necesse est ergo robustius concuti, quicquid firmius constat ordinari. Igitur me prælatum & presbyterum, quamvis indignum, regulariter, quæso, velis honorare; vel cum æmulis meis nolis, quia nil infideliter egi, saltim conculcare. Scho-

* *f.* non minus.

laris obedientiæ ministerium, cum nullum studium discendi, nulla facultas coërcendi, ne improbes rationabiliter subterfugi; quia cum ceteris difficultatibus acolythum bis in necem meam grassatum, pro viginti furtis confessis damnatum, sine mea conscientia restitutum, & a scholis liberum ferre nequivi: etsi mihi emerito vel veterano nulla portio secundum solitum remansit beneficium; tamen ne periculo disciplinæ fama nostra tabesceret, congaudeo solutioni. Numquid fortitudo lapidum fortitudo mea, ut sustineam; aut caro mea ænea, ut patienter agam? Confundat Deus, confundat Achitofel consilium, & liberet David de manibus pueri Absalon. Quique luciferum superbientem detrusit in infernum, potentiam claustri, prævalente regula, deducat ad nihilum.

XXXIX. *Quid a rusticis sit perpessus.*

Hæc scribens procul ab omni invidia & odio, dum unum hominem a tortitudine morum ad rectitudinis tramitem revocare studuit, omnibus præpositis formam irreprehensibilis vitæ, cui imprimi debeant, exhibuit; quicquid illis devitandum, quidve actitandum sit, ut in hoc quasi speculo prævideant benignissime providit, quæ sua sunt non quærens, sed quæ Jesu Christi: quod haud secus esse patuit paulo post in præposituræ & postmodum in episcopatus administratione. Ille autem cui hoc scripsit Johannes præpositus, ob hoc amplius in eum æstibus invidiæ exarsit, & persuasibilibus terrenæ sapientiæ verbis episcopi ceterorumque priorum animos nihilominus in ejus odium accendit, quæque fideliter ab eo gesta potius deputans studio litigii, quam fidelitatis devotioni. Et ne quid in insontis viri insidiis intentatum relinqueret, incolas possessionis illius cujus curam ob augendam fratribus vini rationem susceperat, per nuncium in ejus rebellionem animavit, ut præcepta illius nihili penderent instigavit.

Rustici autem & prius quidem procuratori suo infensi, eo quod per cautelam ejus debita fratrum defraudandi nullus esset locus, tum vero accepta confidentia ab instinctu majoris præpositi, in tantam temeritatem sunt adducti, ut domum fratrum in qua idem domnus Wazo cum suis quiescebat, inopinato nocturnis horis undique armis cingere flammisque exurere certatim instarent. Sed qui sperantes in se non deserit omnipotens Deus, justitiæ & veritatis cultorem mirabiliter a periculo incendii liberavit: nam amissis licet vestibus, & diversa rerum suppellectile, ad hoc non minima vini copia, quam in inferiores ejusdem domus partes ad opus fratrum providus contraxerat, nec unus quidem ex hominibus, Deo donante, crepitantibus circumquaque flammarum globis succubuit. At vir Dei tanta adversitate nequa-

[a] Editi *coepiscopos & archidiaconos*.
[b] Quæ sequuntur pene omnia desunt in editis.

quam frangitur, sed potius boni propositi tenacior efficitur, victorque tot ingruentium contra se tentationum, tanto abundantius de cœlo sperat auxilium, quanto ab hominibus sustinuisset obstaculum.

XL. *Quod capellanus Conradi imperatoris est effectus.*

Cumque pro bene & fideliter gestis apud suos intolerabilibus agitaretur insidiis, quosdam tamen religiosos cum pleriſque episcopis ob constantissimam in eo boni operis intentionem, licet longe positos, adeo caritati ejus devinxit, ut & magnopere studium ejus approbarent, & ne inefficax foret auxilium opportuno tempore & loco conferre non desisterent. Qui videlicet necessarii ejus veriti satis, ne solus non posset sufficere ad resistendum diu suorum invidiæ, exquisito haud incongrue consilio, quatenus auctoritas imperatoria felicibus actis contra invidos esset tutela, hoc apud imperatorem CONRADUM efficiunt, ut eum sibi a REGINHARDO episcopo capellanum concedi expeteret & impetraret. Sic sic nimirum quandoque tot adversariorum ad horam cessit invidiæ, non ita ut adversitati succumberet, sed ut bonæ intentioni vires interim repararet, quibuscum optime cœptis absque difficultate tandem acquireret efficaciam. Ita suffecto decanatus vicario, ex consensu fratrum & episcopi, imperatoris CONRADI servitio obstringitur; ubi per novem menses nullo acquirendi episcopatus desiderio, nulloque alio dominandi ambitu, sed potius ut ecclesiam cum rebus suis in libertatem vendicaret elaborare studuit. Quid pluribus immorer? imperatori in brevi fit gratissimus; pro sanctitatis & sapientiæ excellentis merito tam archiepiscopis quam episcopis fit acceptus: qui in solvendis sacræ scripturæ quæstionibus magistrum, aliarumque causarum disceptationibus sequestrum eum assumere gaudebant; quem archiepiscopi duo moribus & genere nobilissimi, ARIBO Moguntiensis, & PILIGRINUS Colonienſis vicissim assurgentes, alternatim in sedibus suis alterutrum stantes, sibi assedere cogebant, desiderabiliter eum audientes, subinde & interrogantes.

XLI. *Quod Judæum scientia veteris testamenti vicerit.*

Ea tempestate Judæus quidam in arte medicinæ præcipuus, & ob hoc imperatori CONRADO satis acceptus, in paternæ legis traditione ferebatur esse perfectus. Is aliquando quæstionibus ex veteri lege domnum WAZONEM aggrediens, eo usque contra eum litigando progressus est, ut revadiata sibi hama vini, digitum dexteræ manus abscidendum se ei præbiturum sponderet, si sententia ejus scripturæ testimonio comprobari non posset. Quid plura? Venitur ad veteris testamenti volumen; locus, unde controversia habebatur, inquiritur; atque illo evidenter WAZONIS parti consentiente, ipso fatente adversario digitus victori adjudicatur: qui cum a devicto sponsore nequaquam abnegari potuisset, usquequo cum repetere vellet, commendatum retinere gavisus est. Sicque hic bellator Christi novum Christiano nomini a præcipuo doctore gentis Judaicæ glorioſe retulit trophæum; habitumque est celebre in curte regia Judæum in sapientia famosum a WAZONE esse devictum. (*a*) Hunc idem imperator CONRADUS memorato ARIBONI archiepiscopo defuncto in sede Moguntiacensi substituere cogitabat; sed omnipotentis Dei misericordia Leodiensem ecclesiam suo fraudare noluit alumno; qui hunc multis sæpe exercitatum periculorum tentamentis ex bono filio optimum sibi patrem futurum reservavit. [a]

XLII. *Quod defunctis præpositis Johanne & Lamberto præpositus efficitur.* (*b*) [b]

Dum hæc in curte regia aguntur, Johannem præpositum hic obiisse repente nuntiatur. Hic domnus WAZO, etsi jam dudum curiales tumultus evasisse, & claustri quieti sese inclusisse exoptaverat; tamen usque dum substitutum aliquem in præpositura audiret, cum discedendi causa satis in promtu esset, domum repetere neglexit; ne non quietem repetere, sed potius suscipiendæ præposituræ se videretur ingessisse. Nec multo post audito quod Lambertus archidiaconus, præpositus factus esset, circa autumnum clausstrum revisit; cum paulo post idem Lambertus trium tantummodo mensium præpositus obiit, res suas disponendas per manus (*c*) fidei Wazonis decani dereliquit. Alioquin natale Domini, sicut mandatum acceperat ab imperatore, (*d*) Poderbrunno celebraturus erat, nisi hujusmodi eum defuncti fratris causa in fide suscepta retardasset. Sed longe alia vis, ut credimus, divina scilicet nescientem urget dispensatio; ut qui pro fidelitate clausstri tot & tanta a præpositis perpessus fuerat, tanto vigilantius commissa sibi præpositura ecclesiæ utilitatibus consuleret, quanto in antecessoribus pernicioſa cum fraude negligentiam pernotasset. Concurritur undique a fidelibus filiis ecclesiæ ad REGINARDUM episcopum; ab omnibus ut Wazo præpositura donetur obnixe postulatur, neminem digniorem hujus officii posse inveniri. At contra fuere nonnulli, qui primo quidem nutantis animo episcopi ne hoc fieret dissuadere conarentur; virum tam fortis con- [c] [d]

(*a*) Quæ sequuntur notatu licet dignissima prætermisit abbreviator.
(*b*) Hoc caput ab editis omnino differt.
(*c*) Manus fidei erant rei promissæ seu testamenti executores.
(*d*) De hoc conventu Patherbornensi omnino tacet abbreviator.

ſtantiæ præpoſitum facere, conſilium non eſſe, qui ſe eidem epiſcopo æquiparare, aut etiam ſuperiorem forſitam facere ob inſuperabilem conſciæ virtutis fiduciam haberet contendere; mitiorem potius quemlibet eligeret, qui in nullo voluntati illius reniti auderet. Rapitur medius inter diverſas linguarum auras fluctuans prælulis animus, quem tandem tanta conſilii ſoliditate roborat, ut nulli alii præter Wazonem præpoſituram concedendam eſſe cenſeat: fertur etiam ad hoc non parum valuiſſe, quod idem epiſcopus motus incurriſſet imperatoris, quibus profecto mitigandis tali honore ſublimando dilectum ejus capellanum deſervierit. Cumque hoc circa epiſcopum elaboratum eſſet, non minori ſudore erga Wazonem ad ſuſceptionem præpoſituræ ſollicitandum opus erat; qui vehementer inſiſtentibus amicis ſpiritualibus ut ultro invitatus ad diſpenſandam dominicis ovibus annonam accederet, multo vehementius eſt reluctatus, divitiarum ſibi ſatis ſuperque eſſe, præpoſitura ſe nequaquam indigere. Prævidens autem ſe utilitatibus fratrum neceſſarium fore; ad hoc cernens honeſta apud Deum & homines vocatione ad id officii ſeſe invitari, poſt ſexdecim decanatus annos, in quibus regiam incedendo viam, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinaverat, cum archidiaconatu diu multumque recuſato onus præpoſituræ humiliter conſenſit ſubire.

XLIII. *Præpoſitus factus ut ſe habuerit, & quod præbendam fratrum melioraverit.*

Inter has nimirum graduum aſcenſiones, ita vir Dei curabat humilitatis ſcalas in corde diſponere, ut quanto videretur major, tanto ſecum eſſet humilior, integrum ſe cuſtodire nitens ab his vitiis, quibus ejus nominis homines ſeſe implicare ſolent; quæque retro in humiliori loco poſitus, notare non timuerat in prioribus, ſuperbia videlicet & rerum eccleſiaſticarum rapina: proque ſuperbia, humilitatem qua omnibus erat affabilis; pro indignatione de falſa juſtitia gloriantium, cujuſcumque modis afflictis benigniſſimus Chriſti imitator compaſſionem exhibebat. Quo enim iſte infirmato non eſt infirmatus? Quo ſcandalizato non eſt uſtus? Sic nimirum alienæ infirmitati condeſcenſionem idem in ſe atque in aliis ſentiebat.

Jam vero quid in diſpenſanda familiæ Domini annona dixerim? Teſtes ſunt pene quotquot Leodium novere; quia cum ante eum unus tantum panis ſingulis fratribus quotidie daretur, & non amplius quam quadraginta [a] (a) carratæ vini in potu eorum per annum expenderentur; hic ex polenta nivei coloris quam ſimilam vocant, quinque marcas appendentem inſuper adjecit panem, centumque quadraginta carratas vini per annum cellario fratrum jure perpetuo abſque ulla ſterilitatis excuſatione dandas deſtinavit; quatenus inde & rationabiliter menſura potus augeretur, & ex reliquo fratribus eccleſiarum, quibus vinum non eſſet, conſuleretur; dicens, juſte ex majoris eccleſiæ abundantia minorum neceſſitatibus eſſe ſuppeditandum. Sic præbendam fratrum retro neglectam, pane, vino addito, inſuper largiori veſtitus ſolatio amplificavit, & ex vili optimam reddidit.

XLIV. *Qualiter exteriora adminiſtraverit.*

Duodecim pauperibus vel peregrinis quotidie coram fratribus reficiendis ſufficientia alimenta conſtituit, aſſerens hoc etiam parum eſſe, CUM TRADITIO ſanctorum patrum dimidiam partem vel etiam eccleſiaſticarum facultatum pauperibus & peregrinis cenſeat deberi. Præterea hoſpitale, quo conſerunantur nonæ ſive decimæ de epiſcopii agris, ipſius erat creditum providentiæ. Quod ille tam fideliter ſtabilire curavit, ut triginta pauperes per annum inde commode ſuſtentarentur, & ex eccleſia quam domnus BALDRICUS epiſcopus viginti quatuor eleemoſynariis ſuſtentandis deſtinaverat, duodecim inſuper reficiendi adjicerentur, omnes peregrini ſupervenientes ſine equis reciperentur, eos qui cum equis veniſſent recipere autumans epiſcopi intereſſe. ADEO SACRILEGII REUM DUCEBAT, ſi commiſſa ſibi officia ſuo labore non augmentaret. Interea, ac ſi hoſti infeſtiſſimo, frequentes corpori indicuntur abſtinentiæ, pauperibus Chriſti largiores augentur impenſæ. Recreantur quotidie utrique aſſidentes lateri, hinc clericorum, hinc pauperum catervæ. Referuntur ab ejus menſa utriuſque hominis cibaria, ipſeque hilaris conviva parciſſime refectus & fere jejunus, eſuriens ſemper & ſitiens juſtitiam, alios ſufficienter expletos dimittebat. Divitias ſuas communi utilitati quam ſibi deſervire malebat, quas in omnia pietatis opera inflectere optabat: ſentiebant humanitatem ejus ægritudines decumbentium, labores exulum; ſenio confecti, a divitiis in paupertatem devoluti, indeſinenter ejus ſuſtulti ſunt ſuffragio. Sicque vir eccleſiaſticus, omnibus omnia factus, oculus erat cæco, & pes claudo: hunc pupilli parentem, hunc viduæ invenere maritum. Hæc in amminiſtratione exteriorum.

Nota.

Nota.

XLV. *Qualis interius fuerit.*

Interius autem regularibus ſubditos inſtitutis, ut cariſſimos fovebat filios; rebelles ut ſeveriſſimus judex diſciplinæ gladio animadvertebat, in utroſque pietatis ſervans viſcera; dum hos ad meliora provocaret, illos vero a pravitate compeſceret. Nec timebat miles Chriſti ſi hominem offenderet; tantum interno judici, ſervando æquum & rectum,

(a) Et illud tacuit abbreviator.

non displiceret, memorans illud apostoli : *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Et illud psalmistæ : *Qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.*

Unde contigit, ut ob defensionem veritatis, pro qua ne mori quidem metuebat, nonnumquam aliorum, qui terrenæ potestatis culmine viderentur sublimiores esse, offensam incurrerit; adeo ut illi multimodæ ob hoc tenderentur insidiæ, sæpiusque de vitæ ipsius periculo a necessariis ejus haud injuria timeretur. Sed quia ex sententia Salomonis, *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*, iste, pennatum animal Dei, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, probra, minas, pericula, postremo omnia virtuti obsistentia libero volatu evadebat tentamina; primo quidem æquanimiter ea tolerando, suo autem loco & tempore eadem rationabiliter confutando, uti semper spiculo rationis adversariorum confodere solebat pectora. Erat enim hoc in eo, præ ceteris nostræ memoriæ mortalibus, tam laudabile quam mirabile, quod in quocumque negotio contra quemlibet sumeret controversiam, inexpugnabilis rationis ope munitus assequeretur victoriam. Hoc autem ideo fiebat, quia circumspectum ex omni parte animal Dei ante & retro oculos in intentionem boni direxerat, in cujus esse cum veritate & ratione ita defixerat, ut nec odio, nec gratia inde moveri posset: ac si videas contemnere ventos, saxa, Rhodopes; aut ceu procellis obstat Marpesia cautes.

Vitam suam Deo sibique notam ita disposuerat, ut noctes atque dies præter horam somni atque cibi, aut psallendo, aut legendo, aut rationabilibus ex causis disputando, in Dei laudibus continuaret. Raro aut neutiquam accessit, qui non congrua ætati & naturæ suæ condimenta retulerit. Lacte potabat infirmos, pane cibabat validos : vino & carnibus vescens, ut attestari solebat abbas [a] (*a*) Poppo, solus quorumdam secretorum ejus conscius, monachorum omnium sibi cognitorum vincebat abstinentiam; dum non quid sine concupiscentia, sed quantum comederet pensans, saturitatis malum cautius viperino sanguine devitaret. Vestes suas adeo moderabatur, ut nec ante alios ambitiosis, sed nec plurimum abjectis indutus, totius superstitionis typhum a se constanter abjiceret, satius ducens potentis imperio animi, quam asperitate cilicii corporis membra domari, quibus numquam lavacrum, raro molle præbebat stratum. Et quod sine lacrymis reminisci non possumus, solemne quiddam in consuetudine habebat secretum: adest veritas Christi me nihil fingere. Cum his & multis aliis difficultatibus jamjam præsenio exsangue premeret corpus, certis diebus durissima sibi jubebat verbera affligi, coacto correctori suo in verbo Domini terribiliter edicens, ut non parceret, & secretum vulgare non præsumeret. Quod ille suppressum diu etiam post obitum ejus tenuit; sed indignissimo sanctitatis ejus servo tanti pignus thesauri revelare non refugit. In tanta virtutum efficientia studebat semper, etsi in hac parte nequaquam in se, alias tamen ubique auream tenere mediocritatem. Et vere præcipuum discretionis speculum, regiam viam inter lævum dextrumque media vitæ suæ lucerna præmonstrabat incedendam.

(*a*) Et hæc prætermisit auctoris nostri abbreviator.

XLVI. *Quod defuncto Reginhardo imperator Conradus illum episcopatu donare voluerit.*

Hunc defuncto Reginhardo episcopo maxima pars filiorum ecclesiæ sibi episcopum fieri peroptabant : quorum ille sententiam ut a se longissime removeret, multum redarguendo eos, qui sibi majoris ecclesiæ præposito, eligendi præsulis primatum præripuissent; Nithardum custodem in episcopum elegit, omnem clerum & populum in sententiam suam venire coëgit. Adeo primatus sui auctoritatem non in se præferendo, sed in juniore sibi præponendo, fortiter vendicare studuit, usus auctoritate potestatis ad retinendum humilitatis propositum, non ad arripiendum sublimitatis locum. (*b*) Nec [b] mora, cum electo & virga episcopali imperatorem Conradum adiit, qui tunc forte in Italia hiemabat; repertoque Nonantulis oppido, petitionem ecclesiæ nostræ idem ipse auctor & legatus fideliter profert. Præsentato electo, hunc ad hoc onus suscipiendum idoneum esse, idque unanimiter a clero & populo postulari asseverat. Imperator autem; hunc, quem mihi, inquit, offertis, nequaquam agnosco, sed vobis mihi haud ignoto hunc honorem lubens cupio. Ille e contrario modis omnibus ut se posthabito episcopatus in electum retorqueretur, annitebatur; illum digniorem, illum aptiorem, utpote juvenem, agilem & promtum executionibus imperialis servitii; sibi frigido, senii gravedine confecto, jamque silicernio, deinceps potius cogitandum de tumulo. Cumque imperator nequaquam sententiam mutare vellet, eumque ad suscipiendum episcopatum vehementer urgeret; « Parcat, inquit, « majestas vestra, hujus decrepiti senis parcat, « obsecro, famæ in id ætatis productæ Dei gra- « tia absque perfidiæ nota. Si unius cujuslibet « hominis legationem suscepissem; cui posthac « foret fida nostra fides, si hanc ad commo- « dum meum retorquerem? Quanto magis si « matris ecclesiæ unum populum petitione « & electione sua fraudavero? Juste enim frau- « dis & perfidiæ accusabor, si contra commu- « nem nostratum consensum hanc indignus « dignitatem præsumpsero. At ne aliquo ani- « mus vester super electi vita & moribus mo- «

(*b*) Quæ sequuntur prætermisit omnino abbreviator.

» veatur ſcrupulo, mihi totum imputetur, in » me hoc animadvertatur. » Superatus vix tandem imperator, tam ſplendida eluctantis ſe ab epiſcopatu Wazonis nimietate, uti petebatur, NITHARDO epiſcopatum concedit. WAZO autem timens exterius honoribus proficere, ne interius moribus incipiat deficere, ei, cujus magiſter fuerat, patienter ac benigne gaviſus eſt ſubeſſe: ſicque ea quæ retro ſunt oblitus, & in anteriora extentus, per quatuordecim præpoſituræ annos ad bravium ſupernæ vocationis proſequebatur.

XLVII. *Qualiter in epiſcopum electus fuerit.*

Hunc talem ac tantum athletam ſuum Dominus diutius noluit eſſe occultum; ſed quem infra unius clauſtri ſepta dederat eſſe perfectum, quaſi in certaminis campum ſtrenuum juſſit prodire militem, ut in tempore iracundiæ ſuæ laboranti populo fieret reconciliatio, & belli famiſque tempeſtate periclitanti patriæ foret remedio.

Oblatum jam antea ſibi præſulatum recuſaverat; NITHARDUM, ut dictum eſt, ſibi prætulerat: quo defuncto, item a clero & populo ad epiſcopatum repoſcitur. Ille e contra credi non poteſt quantas moras ſuæ electioni innectere, quanto anniſu ne fieret ſtuduerit inſiſtere; electionem regi diſpliciturum, parum valere ſuper hoc negotio, magis ejus expectandum eſſe dicens arbitrium. Taliter renitentis & excuſantis ſententia non auditur, invitus a cunctis unanimiter eligitur, Ratiſbonam mittitur, ubi forte HEINRICUS tunc rex, poſtea imperator, Boëmiam cum exercitu aggreſſurus aderat. Virga epiſcopalis cum eccleſiæ noſtræ litteris præſentatur; res agenda in craſtinum differtur: poſtera die a rege cum epiſcopis & reliquis palatii principibus conſulitur. Nec defuere adulantium linguæ, qui electionem ſine regio favore factam, aſſererent caſſam fore; ex capellanis potius epiſcopum conſtituendum, WAZONEM numquam in curte regia deſudaſſe, ut talem promereretur honorem: quod vero nefas ſit alium epiſcopari, niſi quem conſtiterit *in curte regia evagari; ac non potius* talem eligi oportere, qui informatus ſubjectione clauſtralis obedientiæ, non tam præeſſe quam prodeſſe didicerit. Qua ſententia adulatorum facile inductus juvenilis regis animus, neſcio quem barbarum cervicibus noſtris præparabat imponere, cum inſpirante, ut credimus, Deo, ex omni illo conſiliariorum cœtu, ſoli HERIMANNUS archiepiſcopus, & BRUNO Wirzeburgenſis epiſcopus tam inutili ſententiæ ſaniori conſilio auſi ſunt obviare. Nec prius veritatis aſſertores, Deique cooperatores abſiſtunt, donec vix tandem regiæ majeſtati petitionem noſtram conciliant, & procerum animos in ſententiam ſuam trajiciunt. Sed manet adhuc ſapientes architectos labor longe operoſior: nam ac ſi de immaniſſimo monte columnam concentur excidere, haud aliter boni artifices noſtri omnibus modis inſiſtunt elaborare, ut vir iſte in virtutibus totus teres atque rotundus *conſentiat ſibi imponi onus eccleſiæ.* Perſtat diu immobile pietatis illud pectus in propoſito humilitatis; quod proſecto, ut ait beatus Gregorius, pietatis pectus non eſſet, ſi hoc pietas non viciſſet. Intellexerat enim ſi epiſcopatum non reciperet, ejuſdem potitum fore quemdam ætate & moribus juvenem, qui forſitan Dominici gregis ſtipem, quæ in laudem Dei, ſe duce, fructificaverat, diſſiparet, ſi ad pontificale culmen aſpiraret. Unde contigit ut dum ſublimitatis locum mente fugeret, juſſu ac precatu pontificum ſollicitatus, ea vero quam dixi neceſſitate potiſſimum coactus, tandem paſtor eccleſiæ fieri adquieſceret. Sic ſic intrat per oſtium in ovile, nec aſcendit aliunde factus paſtor ovium; quique irreprehenſibiliter intravit, procul dubio irreprehenſibiliter vixit. In ſedem epiſcopii reducitur, honorifice, ut decebat, ſuſcipitur: (*a*) ubi vero ad cathedram venitur atque in ea ſolemniter locatur, niſi præſens vidiſſem, nullomodo crederem cum quanto gemitu eruperit in lacrymas, quas haud ſecus ac puer ſeptennis ſub magiſtri ferula edere videbatur. Mirati ſunt omnes qui aderant, quomodo ferreum, ut putabant, ejus viri pectus in tantas poſſet ſcindi lacrymas; & ante actam ejus vitam ignorantes, inde veraciter probant paſtoris ſui animum de ſublimitate ejuſmodi non gaudere, ſed ſalutifero dolore torqueri. [a]

XLVIII. *Quod epiſcopus factus vigilanter ſanctam religionem exequebatur.*

Aliquandiu protracta epiſcopalis conſecratio; expetitur ab archiepiſcopo de expeditione reverſo, pro qua re vir Dei comitantibus diverſorum ordinum clericis ſanctam adiit Coloniam; ſanctorum limina, quorum numerus nulli præter Romam loco æque eſt conceſſus, piis pulſat precibus. Poſt triduum ſacro chriſmate in epiſcopum perungitur, & ex bono filio *in ſponſum matri ſuæ* Leodicenſi eccleſiæ confirmatur.

Tum vero explicare non poſſum, quam arduum ſanctitatis montem, evangelizaturus Sion, arripere ſtuduerit; quanta ſervitute corpus ſpiritui ſervire coëgerit, immo quanto anniſu totus in Dei laudem excreverit.

Abjectus ſecum in oculis Dei, inter humiles & ſubjectos ſe epiſcopum eſſe neſciebat; ſcholas, ſingulorum explorando ſtudia, frequentabat; quæſtiones proponendo, rationabiliter vinci quam vincere malebat; ſeque in hoc quaſi otium a turbine curarum conſerens, gaudebat, ut ipſe fatebatur, ſeſe inveniſſe refrigerium. Et divinæ legis arcana excellentis ingenii prærogativa noſſet rimari,

(*a*) Sequentia hujus capitis prætermiſit etiam abbreviator.

de

de Donati, vel Priſciani regulis ſcholares adoleſcentulos non dedignabatur interrogare; quos & viciſſim deſiderabiliter cupiebat audire, eos qui recte ſenſiſſent præferre, laudare; utiliores gratia & donis honeſtare, tardiores increpare, corrigere, ſuperiorum exemplo provocare: omnes poſtremo ſe meliores, Deoque acceptiores fieri optabat, dicens cum beato Moyſe: *Quis mihi det, ut omnis populus Deum prophetet?*

Nec inter hæc prætereundum exiſtimo de vigiliarum, matutinorum, & completorii officiis, quibus celebrandis quotidie in choro cum ceteris fratribus nemo prius illo occurrebat, nemo devotius intererat, nemo ſerior abſcedebat. Reliquas dici horas in eccleſiaſticis expendebat negotiis, licet in quadrageſimali tempore, vel a choro, vel ab aliquo fratrum conventu nullomodo ſe excuſare voluerit. Quo etiam tempore ſecretum cubiculi penitus præter eccleſiam ignorabat, ſaxeo ſedili pro lecto, mattula utens pro lectiſternio; cum ad horam refectionis pane avenario, fabaque modice præguſtata ſenilem ſuſtentaret imbecillitatem, in potu [z] iumens cerviſiam, ſæpius aquam puram. (*a*) In tanto abſtinentiæ rigore, nec facies angelica macie eſt confecta, nec gratia roſeæ conſperſionis eſt immutata: adeo virum deſideriorum, Danielem videlicet noſtrum, quem voluntas propria inſtar crucis Chriſti affligebat, divina pietas interna dulcedine ſatiabat.

XLIX. *Quam largus fuerit tempore ſterilitatis.*

[b] (*b*) Pauca referens plura prætereo, quorum aliqua brevitatis ſtudio me conſtat negligere, aliqua quæ a me neſciuntur, neceſſe eſt reticeri; quia nemini conceſſum eſſe arbitror, omnes hominis iſtius noſſe virtutes.) Statim primo epiſcopatus ſui anno, omni peſte crudelior fames incubuit, quæ ſex fere continuis annis Galliæ & Germaniæ populum noſcitur oppreſſiſſe cujus fœda ubivis fas eſt adhuc cernere veſtigia. Eademque tempeſtate prudentia noſtri Joſeph undique frumenta coëmere, & tutis apothecis recondere curabat; non quod inde terrena ſectari lucra quæreret, ſed ut gratis ad ſufficientiam ſuo tempore eſurienti familiæ Domini cibos fidelis diſpenſator diſtribueret: præter ſtipendia pauperum quibus quotidie libra denariorum expendebatur, cum aliis adeo multis, quæ enumerare non ſufficio; verecundioribus præ pudore a mendicitate abſtinentibus, prout quiſque erat, aliis denos, aliis vigenos, aliis trigenos, aliis ſexagenos, aliis centenos annonæ modios per occultos hujus rei opifices deſtinare curabat. Sed nec ingenuorum rem privatam hac dira neceſſitate extenuatam excellentis viri larga præteriit munificentia, qua annitente & ſummopere juvante, pro alimentis amplæ domus aurum ſponſale, veſtes, prædia diſtrahere opus non fuit. (*c*) Quid dicam de congregationibus clericorum, monachorum, & ſanctimonialium; erga quarum neceſſitates tanta boni paſtoris vigilabat ſolertia, ut quæ præ anxietate famis de ſtatuto victu deeſſent, de ſuo libentiſſime ſuppeditaret? Nihilominus pii patris induſtria ruricolarum laborioſam reſpicit inopiam; ad cujus malum temperandum, toto hoc famis tempore unicuique manſionario per ſingulas hebdomadas binos dari conſtituit denarios, ne præ inſtante anguſtia boves vendere, aut de cetero terram nativam relinquere cogerentur; ſicque ærumnoſam vitam aut mendicando ducere, aut mortem omni gladio ſæviorem cum omni domo miſerabiliter incurrere.

[c]

L. *De bello & caritate Virdunenſibus impenſa.*

Huic calamitati acceſſit alia peſtis æque intolerabilis, bellum videlicet quod Godefridus maxime in Virdunenſem & (*d*) noſtram [d] exercuit eccleſiam; quarum Virdunenſis, dum præda & incendio vaſtante urbem & domum ſanctæ Dei Genitricis cum omni ſuo ornatu, penitus everſa fuiſſet; ille in longinquo poſitus, graviter egregiæ urbis caſum doluit, & licet in ſimilis periculi metu poſitus eſſet, hilaris tamen dator, dirutæ urbi non diſtulit eſſe levamini, ſuppreſſo ſuo nomine mandata mittens inter hæc verba: ſancta Maria Leodicenſis mittit quinquaginta libras denariorum ſanctæ Mariæ Virdunenſi; medietatem canonicis fratribus, medietatem vero ad reparationem eccleſiæ. Hoc primum omnibus bonis ſuis exſpoliati loci illius canonici, tantæ cladis ex divino munere ſuſcepere remedium; & ne tanto largitori eſſent ingrati, publicas orationes & viventi & defuncto in perpetuum devovere. Hæc itaque, quam diximus, bellorum tempeſtas reſiduum famis conſumens, & divites cum pauperibus una calamitate conficiens, communem totius patriæ ruinam minabatur: & rueret procul dubio, rueret, inquam, tunc temporis inclyta Lotharingia, aut irrecuperabili excidio; quippe quæ ſine defenſore eſſet; aut, quod pejus eſt, in regem infidelitatis perjurio, niſi Dominus ſuum Joſue ad reſiſtendum hoſtibus eccleſiæ confortaret, & a bonis juſtitiæ partes contra factioſos defendendas eſſe inſinuaret.

LI. *Quod belli tempeſtatem maxima ex parte ſedavit.*

Jam immaniſſimi prædones res eccleſiæ

[a] Quæ ſequuntur Ægidio attribuit Chapeavilla, ſed male. [b] Deſunt in editis anſulis incluſa. Reliqua multum differunt.

(*c*) Hæc fere, ut multa alia, in editis deſiderantur.
[d] Abbreviator omiſit *& noſtram.*

invaſerant ; omnia præterea, quæ ante memor pontificis prudentia in urbem contraxerat, vaſtaverant : ipſe prædia eccleſiæ quæ ſibi uſurpaſſet, tenere ut propria diſponebat ; cum ecce bellator Chriſti inexpugnabilis & imperterritus lorica juſtitiæ induitur, gladio ſpirituali accingitur, prævia cruce Chriſti in omnibus periculis pro lancea utitur, dicens cum beato Martino : *Ego ſigno crucis, non clypeo, protectus, aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus.*

Succenditur ergo egregius iſte æmulator pietatis & juſtitiæ, eo nimirum zelo, quo Mathatias ob æmulationem paternæ legis prævaricantem Judæum in ipſis aris obtruncare non exhorruit ; & non alio modo ceſſantibus undique ducum & comitum armis, ſola ſpe gratiæ adjutus, ſibi & fidelitati eccleſiæ paucos ſatellites ſacramento confirmat. Primi enim bellorum ſucceſſus & ad modicum proſpere provenientes, multos militum noſtrorum in adverſam partem rapuerunt ; fruſtra arbitratos fore, ſi ſe novi flagitii complices eſſe contingeret, per vim beneficii, immo totius epiſcopatus pro libito potituros. Sed cum res illis in contrarium ceſſerit, nos quoque propugnatoris noſtri induſtriam proſequamur. Urbem pro tempore & loco munitam, per ſtatutos in arce vigiles, & clauſtra portarum jugiter ſerata, noctu dieque ab incurſu hoſtium tutam reddidit, & domos tam clericorum quam laïcorum armis refertas eſſe, cives nonnumquam in armis eſſe præcepit. Ipſeque continuus aſſidens epiſcopio, nihilque de ſolitæ religionis negligens penſo, per gnaros indices hoſtium machinamenta explorabat ; contra quæ omnia ſeque ſuoſque ſcuto prudentiæ ſatagebat protegere. Ita nimirum more Argi, ſi fabulæ fas eſt credere, centum oculis inſignitus, mala exteriora coërcebat, ut bona interiora non modo non minueret, verum inſuper augmentaret ; bona de die in diem deſiderabiliter appetens, mala vero fidelibus Chriſti, quibus maxime timebat, diligentiſſime præcavens : in quo ſolo, ut fidenter dicam, animus diviſus ad plura, non apparebat minor ad ſingula, integer & potens omnia, ſecundum Apoſtolum, qui illum confortabat. Cumque ab amicis etiam in longinquo poſitis moneretur per epiſtolas, ut relicto Leodio in Hoium ſe conferret, caſtellum ſitu loci munitiſſimum ; abſit, inquit, ut gregem Domini fugiens deſeram, & locum aliquem in tanta rerum turba ſine eis tutum eſſe credamus, ex quibus cum ſanctorum apud Deum patrocinio pendet omne, ſi quid commodi, ſi quid honoris videtur nobis adeſſe, bello aut tranquillitate ; quos ſi reliquero, audacior hoſtis invadere tentabit, & non ſine magno dedecore noſtro inſultabit effugio. Hic potius quoad licebit eſt vivendum, iſtic moriendum : quibus cum bonis jocundati ſumus, cum eis & periculis ſubjacebimus. Nimirum religionis & caritatis catena erga filios devinctus, non facile ab eorum præſentia divelli poterat.

LII. *Quod caſtella prædonum everterit.*

Fregit autem laudabiliter quandoque hunc propoſiti rigorem pietas, miſeria inopum & gemitu pauperum excitata ; & a quiete ſolita eum exurgere, & in auxilium eorum compulit properare : ſuadens hoc opere nihil eſſe beatius, nihil Deo acceptius, ſi efferatam prædonum rabiem ab innocentis vulgi oppreſſione compeſceret. Quorum magna pars in paludibus, ſive rupibus, firmiſſima ſibi receptacula communiverant ; quibus freti aliena per circuitum prædia uſurpaverant, incolas poſſeſſione privatos intolerabili ſervituti addixerant : in hac vero belli tempeſtate quanto liberius, tanto latius in omnem circa regionem vaſtitatis mucrone deſæviebant. Hæc nempe oppidula multis ante ſæculis, ſed tunc plurimum damnoſa, decernit vindex Dei, ſi poſſit, humo coæquare, & ab his latrociniis fatigatam diu patriam liberare. Atque eo ſpiritu inflammatus, quo Amalechitem Agag a Samuele, ab Helia Theſbite prophetas Baal conſtat eſſe mactatos ; raro tantum contentus milite, modo hoc, modo illud caſtrum fortiſſimus heros noſter cingere pergit obſidione. At interius latrunculi, vallis & paludibus temere confiſi, metum primo diſſimulare ſui periculi, contemnere, noſtros probris laceſſere, eos amentes vocare, qui domum ipſa natura firmatam veniſſent impugnare. Econtra noſtri, monitis tam præclari ducis animati, certatim inſtant vimineas crates texere, faſces quiſque comportare, per invia machinis novum iter facere : ſicque rem natura difficilem in brevi devicit laboris improbitas cum induſtria ; fit ſolum palus ranis & piſcibus notiſſima, parat exitialem latrunculis machinam, quibus tutas hactenus præbuerat latebras. Quæ ubi eo loci appulſa eſt unde certis ictibus illa latronum ſpelunca poſſet feriri, dies atque noctes ſine interſtitio æque adverſas habuere, dum ſuccedentes ſibi viciſſim ad laborem noſtri, creberrimis ſaxorum nimbis atria domus, omnes prorſus inteſtinas hoſtium latebras quaſſare non ceſſant. Ipſe epiſcopus præſens vigiliarum & pſalmodiæ vota omnipotenti Deo cum tali opere perſolvebat. Quid plura ? Godefrido fruſtra nitente ad auxilium ſuis venire, obſeſſi de vita & membris paciſcuntur, caſtellum funditus captum evertitur : inde aliud atque aliud caſtellum abſque retractatione ſimili ſtrage conficitur. Sed neque hoc ſilendum puto, quod inter obſidendum ſæpe millenis, ſæpe piuribus, raro paucioribus, antiquo Romanorum more quotidianos ſumtus præbebat armatis, gregario militi inte-

rim concedens usum mactandarum pecudum, absque eis quæ agrario operi essent necessariæ; ipsumque damnum ipse singulis possessorum ex integro supplebat, nullum injustitiæ locum esse patiens, etiam in tanta rerum difficultate. Qua ex re liquet quam tenax æqui & recti alias fuerit, quandoquidem eo tempore quo maxime captandus erat favor populi, ut fit in tali negotio, vel summa necessitudo rigidum Catonem a justitia divellere nequiverit.

LIII. *De divisione gratiarum huic homini collata.*

Libet in hoc homine divitias divinæ bonitatis intueri, & in unius cordis latitudine divisiones gratiarum ammirari; quas adeo discreta studiorum vicissitudine nitebatur amministrare, ut cum uni intentus esset negotio, aliis identidem obnoxius, nisi sciretur, nullo modo crederetur.

Nam si episcopum respicio, videor mihi videre supparem Gregorio; si militaria agentem, non imparem esse contemplor Machabæo. Hunc in sapientia Salomonem, in disputando accipio Augustinum: in cordis humilitate, continentia, & vigiliarum assiduitate, pauper spiritu quemlibet sanctorum anachoritarum referebat. Necessitate magis quam voluntate ita agebat ea quæ sunt sæculi, ut omnino caveret displicere Creatori.

Suo judicio inutilem & dierum malitiæ plenam creberrimis causabatur suspiriis canitiem; sentiens cum beato Job nihil aliud quam *tentationem esse vitam hominis super terram.* Unde & familiare habebat psallere cum beato David: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei?* & illud Doctoris gentium: *Cupio dissolvi & cum Christo esse.*

Nec est dubitandum, si is Neronianæ persecutionis, seu Decianæ tempora nactus foret, quin ultro se persecutorum prætoriis ingereret, & damnandus astaret, judicando sublimior, jugulo cervicem daret, feriendo fortior: qui dum ambiretur auxiliariis armatorum catervis, solam crucem Christi manibus proferens, medium sese armatis hostibus inferre, & si voluntas Dei foret, taliter morte occumbere paratus fuit, imitari desiderans eum qui dixit: *Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis.* Ta..ta propugnatoris nostri virtute exterrita adversariorum paulatim defecit insania; qui sicut ipsi adhuc testari solent, quotiens efferatis animis in nos grassarentur, statim ad urbem ut possent nostram & sanctorum oratoria conspicere; mens illis divinitus mutabatur; ut non modo malum non inferre, verum etiam pro reverentia ipsi loco pias impendere lacrymas liberet. Unde contigit ut qui cum periculo animarum alienis invadendis inhiabant, vix salva sui incolumitate tandem contenti essent propria retinere, modo cogente, modo obsecrante venerabili patre Wazone, postremo omnibus modis ut resipiscerent instante. Sic nimirum omnipotentis Dei pietas ecclesiæ suæ navim ejusmodi tempestatibus vexatam per efficacem prudentis naucleri industriam misericorditer dignatus est ad tempus liberare: licet in tanta factione, non tamen ut prius metuenda, bellum contra imperatorem fuit, bonis viris deferentibus.

LIV. *Ut imperatori suspectus fuerit.*

In quo, eo quod aliquando dementius in viros ecclesiæ nostræ insanitum fuerit, bonis viris deferentibus, vir Dei apud imperatorem falsi criminis est accusatus, quod data fide Godefrido, contra imperatoriam majestatem regnique salutem pactum fecerit, & quod de tanto viro nefas est opinari, eidem confidentiam dederit belligerandi.

Hæc quam fuerint a veritate aliena clamant alia facta ejus venerabilia: sed quia difficile est ut mentis oculus, hinc gloria & divitiis, hinc variis dispensandæ reipublicæ curis, hinc mille adulantium linguis in diversa raptatus, aliquando a veritatis luce non cœcutiat; persuasum est imperatori a deferentibus, ut in his quæ vere fideliter gesserat domnus Wazo, non communis commodi, seu imperatoriæ fidelitatis gratia, sed ex contentionis usu, propriæ inservierit arrogantiæ. Accessit ad suspicionem libera sacerdotis auctoritas, quæ totius duplicitatis exsors, a veritatis tramite neque ad dexteram, neque ad sinistram declinare noverat; quique pro veritate agendo cujuscumque facilius incurrere non trepidavit offensam, quam tacita veritate potentis gratiæ assentari voluerit. Unde unum refero, quod parvitati nostræ per diaconum ejus, qui hoc idem ab ore ipsius didicerat, contigit innotuisse. In quo arbitrati sunt quidam imperatorem illi non minimum succensuisse, eo quod discutiendas episcoporum super ecclesiasticis ordinibus causas nequaquam illi, ut pote laico, sed summo pontifici assignaverit.

LV. *Quid in causa episcopi Ravennatis senserit.* (a)

Quidam spectabilis genere Colonienſis canonicus Wigerus nomine, archiepiscopatum Ravennatem ab ipso imperatore Heinrico acceperat: isque antequam episcopus ordinaretur, biennio presbyter tantum, cum dalmatica & sandaliis missarum solemnia celebraverat. Unde pro multis inconsulte ab ipso ibidem gestis, & pro hac maxime quasi temeritate accusatus, ad palatium evocatur, ab imperatore quod ejusmodi præsumptionem admiserit graviter insimulatur. Cumque id semper ejus ecclesiæ presbyteris ex

[a] Vide Ughel. tom. 2. pag. 359. & Petrum Dam. lib. 6. ep. 2.

ſanctorum patrum auctoritate licuiſſe reſpondiſſet, ſuper his judicium epiſcoporum exquiritur: reſpondentibus quibuſdam ad voluntatem imperatoris, quibuſdam vero hæſitantibus, venitur ad WAZONEM epiſcopum. Illo multum excuſante, Italicum epiſcopum nequaquam a ſe Ciſalpino debere judicari. Imperator iterum ut ammonitus per obedientiam ſuper hoc facto judicii ſententiam edicat, vehementer inſiſtit. Ita coactus, tandem quid ſuper his ſentiret aperuit: ſummo, inquiens, pontifici obedientiam, vobis autem debemus fidelitatem: vobis de ſæcularibus, illi rationem reddere debemus de his quæ ad divinum officium attinere videntur; ideoque mea ſententia, quicquid iſte contra eccleſiaſticum ordinem admiſerit, id diſcutere pronuntio Apoſtolici tantummodo intereſſe: ſi quid autem in ſæcularibus quæ a vobis illi credita ſunt negligenter ſive infideliter geſſit, proculdubio ad veſtra refert exigere. Conſentientibus huic ſententiæ ceteris epiſcopis, nullius judicio eo die epiſcopatum perdidiſſet, niſi ipſe ultro imperatori redderet baculum cum annulo.

LVI. *Qualiter a comitiſſa Montis-Caſtrorum tentatus fuerit.*

Duo præterea non abs re arbitror eſſe referenda, in quibus diſſimiliter juſtitia viri Dei manifeſte eſt probata. Nam in altero quidem, quaſi pro imperatore fideliter acturus, contra Deum & religionem Chriſtianam ut infideliter ageret eſt tentatus; in altero autem licet aliquantum læſus ab ipſo imperatore, ſeipſum tamen pro ipſius fidelitate libenter impendere præſto eſſe eſt probatus. Quodam tempore HERIMANNUS Montis, qui dicitur Caſtrorum locus, comes & marchio pactum cum BALDUINO Flandrenſi jurejurando firmaverat, cum uxor illius magis ex muliebris inſtabilitate animi, quam juſtarum partium ducta favore; varium enim eſt & mutabile animal femina, ut ipſa eſt mille fraudium commentatrix verſutiſſima; ut quaſi maritum ſic a perjurio ſolveret, ſeipſam ejuſdem mariti ſui proditione polluere, Deique ſacerdotis conſcientiam hujus ſceleris conſenſui implicare eſt machinata; mandans illi per nuntium ut cum armatis veniat: locum & tempus, ubi & quando maritum capiat, ut imperatori tradat, denuntiat. Ille autem ultra quam credi poteſt, hujus novitatem facinoris abhorrens; nec fama, inquit, nec lectione compertum habemus, uxorem aliquando aut ex veritate, aut ex ſimulatione maritum impune tradidiſſe: quod enim tam aperte abhorreret ab humana conditione, pernicioſum eſt quoquomodo fingere. Ita nimirum vir Dei ſpecie virtutis palliatam linceis prudentiæ perſpiciens oculis nequitiam, virus lethiferum quod per uſitatum fraudis ſuæ vaſculum hoſtis humani generis propinare parabat, mellito affatim ſapientiæ condimento, ore conſtanter reſpuit. Nimirum pugilem ſuum Dominus hoſtes mutare, & per duros certaminum labores virile pugnatoris robur ſpectatoribus exponere voluit, dum multiformes antiqui illius ſerpentis facies tanto durius calcaneo ejus inſidiari permiſit, quanto ipſe impotentior hactenus caput damnabile hujus bellatoris ex divino auxilio pedibus ſubdiderat.

LVII. *Quod ſollicitatus ſit per litteras imperatori reſiſtere.*

Alio itidem tempore cum fama eſſet offenſum illi eſſe imperatorem, perlatæ ſunt litteræ ad domnum WAZONEM epiſcopum, unde, aut a quo tranſmiſſæ parum eſt nobis cognitum, quibus inerant verba ad ſollicitandum perſuaſibilia, ut tria millia (*a*) pugnatorum in munitionibus urbium & oppidorum ſuorum recipiat, qui belligerando illatas ſibi ab imperatore moleſtias facile vindicarent. Ille autem, uti jocunda nonnumquam ſeriis rebus ſolebat laxare diludia, inter colloquendum cum quibuſdam neceſſariis ſuis hujus rei mentionem habuit, ſibique ſatis congrue facultatem belligerandi ſuppetere jocundiſſime aggarriendo ingeminabat. Cumque illi quilibet ex his quibuſcum ſecretius confabulari ſolebat, ex auſu familiaritatis ſuggeſſiſſet, canos ejus ad id ætatis a primis adoleſcentiæ annis ſine querela perductos, numquam ad hoc devolvi oportere, ut jam ſub ipſum vitæ terminum talibus animum applicare debeat conſiliis: « Nemo mihi, inquit, aliud quam quod ſuades animo eſſe credat; domino imperatori ſecundum ſcire & poſſe meum nemo me fidelem eſſe, quomodocumque ab eo tractet, diffidat. Cujus etiam ſi eo uſque animi motus proceſſiſſent, ut dextrum ejus juſſu oculum amiſiſſem, quicquid ſiniſtro providere poſſem, ad ejus tamen honorem & fidelitatem reflectere non deſiſterem. » Quæ cum ita ſint, ſileat cum Judæis Chriſto derogantibus improba Wazoni detrahentium lingua, mirenturque cum bonis neminem noſtri temporis epiſcopum in ſancta religione vigilantius deſudantem, neminem ducem, marchionem aut comitem pro imperii Romani fidelitate, pro patriæ ſalute ſtudioſius decertaſſe. Quis enim niſi ille cum Dei adjutorio conjurationem adverſus imperatorem factam prudenter diſſipavit? Quis caſtella natura & arte munita ſtravit; GODEFRIDUM cum maxima militum factioſorum parte, hinc minis perterrendo, hinc donis, inde promiſſis ſollicitando, exarmavit?

LVIII. *Quod regem Francorum, ne Aquas-grani invaderet, per litteras abſterruerit.*

Sed ecce, dum brevitati ſtudens materiæ

[*a*] Editi *armatorum centum.*

ſuccumbere timui, multa dicenda præterii, ex quibus eſt unum quod multis arbitror eſſe incognitum, factum illud memorabile quod longe poſitus & facie forſitan ignotus, regis Francorum animos, jam pervaſam animo Lotharingiam ſibi uſurpare deliberantis, more Pauli per litteras mitigavit, & pene ab ipſo incœpti impetu revocavit. Quod, vel quomodo contigerit, retro ſeriem rerum repetentes diſſeramus. Rex noſter HEINRICUS nondum imperator, in Italiam profectus fuerat, Romam acceſſurus, a ſummo pontifice benedictionem apoſtolicam cum imperii inſignibus percepturus. Rarus apud nos miles, & ſecurus agricola, nullius interim metuentes incurſionis, grata terebant otia; cum ecce antiſtiti noſtro cum Maria ſedenti ad pedes Domini, nec tamen Marthæ ſedulitatem deſerenti ſignificantur ab occidentalis Franciæ partibus, ejuſdem gentis maximi motus, importune inſiſtentium & regi ſuo ſuggerentium, ut Aquiſgrani palatium juri ſuo, ut aiunt, olim appenditium, cum magnis armorum copiis invadat; regem & principes noſtros abeſſe, raros hic milites, nil contra moliri poſſe, poſtremo nihil obſtare quin poſſeſſa principali ſede in partem regni ſui cetera deinceps cedat Lotharingia. Pavet audito patriæ periculo ſancti patris ſollicitudo, cui quia per vim reſiſtendi copia non fuit potentiæ hominis, tali temporis opportunitate abuti volentis, ingenio & ratione obviandum eſſe opus intellexit, quod & inſtanter agere omnino ſollicitus fuit. Mittuntur ad regem, ut dictum eſt, efferatum animo, ſupplices ab eo litteræ, veteres utrorumque regnorum & eorumdem rectorum commendantes amicitias; duo hæc regna, ſi invicem ut hactenus fuerint pacata, cunctis terrarum nationibus timori fore, nihil præter Deum formidantia; proinde alterutris pacem neceſſariam eſſe, concordia creſcere res minimas, diſcordia vero dilabi maximas. Ille acceptas & auditas primo negligere, deſpicere, regem noſtrum arceſſere perfidiæ, injuriarum, ceterorumque criminum, quæ non attinet dicere: ſed velle ſibi vendicare regnum & palatium ab anteceſſoribus hereditario ſibi jure debitum. Diem inſuper ſatis procaciter mandat, quo hæc facere deliberaverit: cui e contrario noſter Cicero inter » alia talia reſcriptitat: « Novit, inquiens, ve- » ſtræ majeſtatis excellentia, quam turpi pœna » ſæcularis lex condemnet furti admiſſa; quæ » ſi in potentes cadere contigerit, licet apud » homines alio nomine videantur honeſtari, » tamen in interni arbitrii conſpectu eadem, » immo in magnis eo magis extant damna- » bilia, quo minori, ut ea admitterent, ne- » ceſſitate fuerant adducti. Penſate igitur, quæ- » ſo, quam ſit Deo execrabile & indignum » veſtræ regiæ liberalitati, longiſſime abſentis » comparis ſedem & regnum velle furati; & ab iſtiuſmodi, quæſo, intentione animum « revocate, quæ manifeſte repugnat veſtræ di- « gnitati. Quin potius ſi quid fortiter, ſi quid « potenter contra nos animo veſtro ſedet acti- « tandum, expectetur reditus regis noſtri, ut « quod expediat tunc a vobis fiat decentius. « Sed eſto, ſedes regni anteceſſoribus dolo cir- « cumventis ſublata, tibi eſt jure hereditario « repetenda: numquid per interjacta tot terra- « rum ſpatia ſolus es, aut ſine multitudine itu- « rus: minime, immo vero infinita militia, « miſeris parcere neſcia, comitaberis, qui etiam « te nolente & fruſtra prohibente mille homi- « num millia conſumere habebunt incredibili « vaſtitate. Unde certus eſto, ſi manus a clade « innocentium, quam mente incœpiſti, non « continueris, tot homicidiorum reus in oculis « altiſſimi teneberis, quot hominum corpora « vita carebunt, ſi hoc perfeceris. » Qua ſen- « tentia viri Dei audita, tyrannica rabies confeſtim eſt ſedata, & ſubito immutatus mente rex jubet epiſcoporum adeſſe cœtum. Epiſtolam mandat viri Dei coram ſe recitari: recitata hunc recte dici ſacerdotem, hunc vero proteſtatur eſſe epiſcopum, qui extraneus extraneo ſibi præ cunctis ex debito fidelibus ſanum dediſſet conſilium. Neſciens forſitan iſte imitatus eſt Theodoſium imperatorem, qui publice arguentem ſe & excommunicantem, omnibus id temporis epiſcopis veridica beatum Ambroſium prætulit ſententia. Cui exhibendæ amplius reverentiæ ex ipſa ſua contumelia occaſionem invenit, regia dignitate ſublimior nobiliſſima cordis humilitas. Ita certe facinus, ad quod multa ſatellitum millia rapinis inhiantium impellebant fluctuantem regis animum, Deo inſpirante, diſſuadere potuerunt longe poſiti unius hominis litteræ: quæ eouſque pacis amorem in ipſius reformaverunt pectore, ut nil tale ultra concipiens animo, imperatori mox ex Italia reverſo in reliquum dexteram cum ſacramento dederit & receperit.

LIX. *Epiſcopus Catalaunenſis eum per litteras conſulit quid de hæreticis cenſeat agendum.*

Præterea apoſtolica ſublimitas præſuiem noſtrum crebra litterarum viſitatione eſt dignata, quas ille reverentiſſime excipere ſolebat, humiliter, ſi qua forte per eaſdem interrogaretur, reſpondebat. Diverſi etiam pro diverſis conſulendis egregium ſapientiæ ſymmyſtam epiſcopi frequentabant per epiſtolas, quorum nullus utilia percunctatus ſuper inquiſitis prudenti reſponſo eſt fraudatus: ex quibus Catalaunenſium epiſcopus (*a*) pro periculo animarum ſibi creditarum ſanctitatem ejus conſulere aliquando neceſſarium habuit, quod hujuſmodi eſſe per litteras fatebatur. Aiebat enim in quadam parte diœceſis ſuæ quoſdam ruſticos eſſe, qui perver- [*a*]

[*a*] Rogerius II. qui ab anno 1043. ad 1062. Catalaunenſem epiſcopatum adminiſtravit.

sum Manichæorum dogma sectantes, furtiva sibi frequentarent conventicula, nescio quæ obscœna & dictu turpia quadam sua solemnitate actitantes, & per sacrilegam manuum impositionem dari Spiritum sanctum mentientes, quem ad adstruendam errori suo fidem, non alias a Deo missum quam in hæresiarcha suo Mani; quasi nihil aliud sit Manes nisi Spiritus sanctus, fallissime dogmatizarent: incidentes in illam blasphemiam quam juxta veritatis vocem & hic & in futuro impossibile est remitti. Hi tales, ut dicebat, cogebant quos possent in suam concedere turbam, nuptias abominantes, esum carnium non modo devitantes, sed & quodcumque animal occidere profanum dicentes; tutelam errori suo assumere præsumentes sententiam Domini in veteri lege occidere prohibentis. Si quos vero idiotas & insacundos hujus erroris sectatoribus adjungi contingeret, statim eruditissimis etiam catholicis facundiores fieri asseverabat, ita ut sincera sane sapientium eloquentia pene eorum loquacitate superari posse videretur. Addidit etiam plus de quotidiana perversione sese aliorum dolere, quam de ipsorum perditione. Quid de talibus præstet agendum anxius præsul, certum sapientiæ consuluit secretarium, an terrenæ potestatis gladio in eos sit animadvertendum, nec ne; modico fermento nisi exterminentur, totam massam posse corrumpi: cui antistes noster inter rescribens ait:

LX. *Responsio ejus quæ super hoc sedeat sententia.* (a)

[a] De quibus scripsistis, eorum quidem manifestus est error, antiquitus a sanctis patribus ventilatus, & luculentissimis eorum sententiis confutatus. Nam ut omittamus insanissimas, quibus de Spiritu sancto sibi mentiuntur, blasphemias, accipiat dilectio vestra, quantis se inopportunitatibus rerum sese ipsi implicare studeant, male intellecto Domini præcepto quo in veteri lege dicitur: *Ne occidas*; in quo nisi solam hominis occisionem prohibitam esse intellexerint; simili modo esum eorum quibus se licite vesci existimant, qualia sunt frumentum, legumina & vinum, sibi videant interdictum, quæ ut essent ex creditis terræ seminibus sua vivendi specie coaluerunt, & nisi a viriditatis suæ vita interfecta humanis usibus servire nequiverunt. Prætermissis sæcularium scriptis, hujus rei testis est Psalmista dicens: *Et occidit in grandine vineas eorum*; itemque Apostolus: *Insipiens tu, quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur.* Ipsa quoque veritas: *Nisi*, inquit, *granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Restat igitur, ut necessario fatentur vixisse, quæ accidentibus ex causis constat posse mortificari. Eligant ergo quod voluerint; aut more catholicorum de solo homine scriptum esse credant: *Non occides*; & nobiscum mactandarum pecudum copia licite utantur; aut si hanc sibi negari contenderint, nos quoque ex ipsa erroris sui sententia, panis, legumi-num, & ceterorum hujusmodi eis usum inficiabimur: quoniam ea nisi suo modo interficerentur, nullo modo humanis usibus aptarentur. Hæc licet Christiana abhorreat religio, & cum Arianæ hæreseos damnet sacrilegio; tamen imitata Salvatorem suum, qui mitis & humilis corde non venit clamare, neque contendere: sed potius opprobria, sputa, alapas, postremo crucis mortem subire; jubetur interim tales quodammodo tolerare, quia, ut ait beatus Gregorius: nequaquam innocentiam obtinuit Abel, quem Cain malitia non exercuit; nec uva nisi calcibus tusa, in vini saporem liquatur. Ut autem in promtu sit, quid de talibus velit fieri misericors & miserator Dominus, qui peccantes non statim judicat, sed ad pœnitentiam æquanimiter expectat; audiamus quid in evangelio suo exponendo parabolam tritici & zizaniorum agri, discipulos, immo in illis nos dignatus est docere: *Homo*, inquiens, *qui seminavit bonum semen in agro suo, est filius hominis.* Bonum semen, hi filii sunt regni; ager autem, hic mundus: *Inimicus homo, qui superseminavit zizania, est diabolus. Zizania autem, hi filii sunt nequam; messis autem, consummatio sæculi est: messores vero Angeli sunt.* Quid autem per servos primo apparentia zizania vellicare volentes nisi prædicatorum ordo signatur? Qui dum bonos a malis seorsum esse in ecclesia desiderant, quasi de bona tritici segete zizania eradicare quærunt. Sed sub magna discretionis censura paterfamilias ille prona eorum coërcet studia: *Nolite*, inquiens, *ne forte colligentes zizania eradicetis simul & triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem; & in tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania & alligate ea per fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* Quid his verbis nisi patientiam suam Dominus ostendit, quam prædicatores suos erga errantes proximos exhibere deciderat? Maxime cum hi qui hodie zizania sunt, possibile sit cras converti & esse triticum? Ad horum profecto servorum vos pertinere numerum, ardens in pectore vestro pro animabus diabolica fraude deceptis, spiritualis zeli fervor indicat, quo ne a malis boni corrumpantur, judicii sarculo triticeam segetem zizaniis purgare quæritis. Quod tamen ne a vobis immature, ne ante tempus fieri debeat, divinæ potius est obediendum sententiæ; ne dum justitiam in puniendis prævaricatoribus nos exercere putamus, ex impietate specie severitatis velata ei præju-

[a] Maxime differt hoc caput ab editis, in quibus præter initium hujus responsi, nihil fere de auctoris verbis reperias.

» dicium faciamus, qui non vult mortem pec- A
» catorum, nec lætatur in perditione morien-
» tium; ſed per patientiam & longanimitatem
» ſuam novit peccatores ad pœnitentiam re-
» ducere. Ceſſet ergo judicium pulveris, au-
» dita ſententia condemnatoris; nec eos quæ-
» ramus per ſæcularis potentiæ gladium huic
» vitæ ſubtrahere, quibus vult idem Creator
» & Redemptor Deus, ſicut novit, parcere:
» ut reſipiſcant a diaboli laqueis, quibus cap-
» tivi tenentur ad ipſius voluntatem. Sic, ſic
» nimirum tales ultimæ illius patriſfamilias
» meſſi a nobis convenit reſervari quidquid B
» meſſores ſuos facere jubeat; ſicut & de no-
» biſmetipſis cum timore & tremore oportet
» expectari: quia horum quoſlibet, quos mun-
» di hujus ager zizania habet, meſſis illa forſi-
» tan triticum inveniet; & quos in via Domini
» adverſarios nunc habemus, poſſibile omni-
» potenti Deo eſt in illa cœleſti patria nobis
» etiam facere ſuperiores. Certe legimus Sau-
» lum magis omnibus ſævientem beati Ste-
» phani protomartyris lapidatoribus interfuiſſe;
» & quem hic habuit perſecutorem, utpote
» martyr apoſtolum, illic ſe gaudet habere C
» priorem. Interim nihilominus meminiſſe de-
» bemus, quod nos qui epiſcopi dicimur, gla-
» dium in ordinatione, quod eſt ſæcularis po-
» tentiæ, non accipimus: ideoque non ad mor-
» tificandum, ſed potius ad vivificandum au-
» ctore Deo inungimur. Eſt tamen aliud quod
» ſollicite de prædictis agendum eſt ſchiſma-
» ticis, quod & vos nequaquam ignoratis, ut
» ipſi eiſque communicantes catholica com-
» munione priventur, ceteriſque omnibus pu-
» blice denuntientur, ut ſecundum prophetи-
» cam ammonitionem exeant de medio eo-
» rum, & immundiſſimam eorum ſectam ne te- D
» tigerint: quoniam qui tetigerit picem, in-
» quinabitur ab ea. » Hæc tantopere vir Dei exemplo beati Martini ſtudebat inculcare, ut præcipitem Francigenarum rabiem cædes anhelare ſolitam, a crudelitate quodammodo refrænaret. Audierat enim eos ſolo pallore notare hæreticos, quaſi quos pallere conſtaret, hæreticos eſſe certum eſſet; ſicque per errorem ſimulque furorem eorum, pleroſque vere catholicorum fuiſſe aliquando interemptos.

LXI. *De hæreticis nequaquam interficiendis.* (a)

Cum hæc ita ſe habeant, cumque tam aperte ratione evangelica ſanctione ſubnixa nil æque rationabiliter valeat contradici; videant quibus vacat, quomodo irreprehenſibiliter actum ſit, quod cum Goſlarii quidam hujuſmodi erroris ſectatores eſſent deprehenſi, poſt multam ſuperſtitionis ſuæ diſcuſſionem, juſtamque pro pertinacia errotis excommunicationem, ſuſpendio inſuper ſin- addicti. Cujus diſcuſſionis ordinem cum diligenter ſciſcitaremur, non aliam condem-

[a] Integrum hoc caput in editis deſideratur.

nationis eorum cauſam cognoſcere potuimus, quam quia cuilibet epiſcoporum jubenti ut pullum occiderent, inobedientes extiterant. Vere, fatebor enim, nec filebo, WAZONEM noſtrum, ſi hæc tempora contigiſſet, huic ſententiæ aſſenſum nequaquam præbiturum, exemplo beati Martini, qui ut intercederet pro Priſcilianiſtis, maximi imperatoris turpiter adulantium ſacerdotum conſilio depravati edicto damnatis, maluit excellentiſſimæ virtutis ſuæ detrimentum incurrere, quam eripiendis etiam hæreticis non conſulere. Hæc dicimus, non quia errorem hæreticorum tutari velimus; ſed quia hoc in divinis legibus nuſquam ſancitum, non approbare monſtremus.

LXII. *De Apoſtolico eligendo quid ſibi videatur imperatori reſpondet.*

Inter hæc ad mentem redit quod cum papa CLEMENS ex epiſcopo Bavenbergenſi in apoſtolica ſede ſublimatus, de hac vita diſceſſiſſet, imperator de ſubrogando in locum illius alio conſilium ejus quærere animum induxit. Ille autem, ut erat in omnibus, & in talibus maxime ſcrutator ſtudioſiſſimus, vigilanter cum aliis cum quibus laboris hujus partes expenderat, hinc geſta pontificum Romanorum, hinc eorumdem decreta, hinc authenticos canones, capitulare recenſere ſollicitus fuit. In quibus diligenter revolutis nihil aliud quam ſummum pontificem, cujuſcumque vitæ fuerit, ſummo honore haberi, eum a nemine unquam judicari oportere, immo nullius inferioris gradus accuſationem adverſus ſuperiorem recipi debere invenire potuit; & quoniam conductum erat hanc electionem apoſtolici pontificis in natale dominico futuram, audaciſſimus puræ veritatis aſſertor, reſponſalem ſuum illo tranſmiſit, & ingrata imperatori inter alia confidenter deferri juſſit mandamina, quæ fuere hujuſmodi. (b) « Recogitet, inquit, Serenitas « [b]
veſtra, ne forte ſummi pontificis ſedes de- «
poſiti a quibus non oportuit, ipſi divinitus «
ſit reſervata; cum is quem vice ejus ordinari «
juſſiſtis, defunctus ceſſiſſe videatur eidem «
adhuc ſuperſtiti. Quocirca, quandoquidem «
noſtram ſuper his flagitare placuit ſenten- «
tiam, deſinat ſublimitas veſtra aliquem in «
ejus locum qui ſuperſtes eſt, velle ſubſtituere; «
quia nec divinas, nec humanas leges certum «
eſt concedere hoc, aſtipulantibus ubique «
ſanctorum patrum tam dictis quam ſcriptis, «
ſummum pontificem a nemine niſi a ſolo Deo «
dijudicari debere. Teſtor Dominum, & quod «
ego indignus ſacerdos vobis juravi ſacramen- «
tum, ſuper hoc negotio nihil hac ſententia «
verius, nihil præſtantius a me excogitari vel «
inveniri poſſe. » Adventante autem memo- «
rato reſponſali antiſtitis noſtri ad curtem regiam, POPPO [qui] & BRUNO Brixionenſis

[b] Hæc Wazonis reſponſio omnino diſcrepat ab editis.

episcopus in summum pontificium jam pridem electus fuerat, qui postea a Romanis Damasus est appellatus : incertus ille quid faceret, nam res transacta erat, cujus transferendæ causa mandata ad imperatorem susceperat ; accessit tamen, & alia, quam facete ut noverat, imperatori præfert mandamina. » Postque omnia : « Adhuc, inquit, unum sû- » perest, quod domnus mandat episcopus, » quod quia res est exacta, vobis exponere non » est in causa. » Quo ille audito, ut est curiosus audire multa, & sententias diversorum colligere, a legato multum excusante rem propensius insistit extorquere. Responsalis autem ex industria moras redimere, & quasi inde diverticula quærere ; & tacite quodammodo hominem potentem prius ambire nitebatur, ut sicut bene noverat, rerum anticipatione, si qua subinde in corde oriri posset, frangeret iracundiam. Quid plura ? Spondet rex quidquid id foret se nequaquam succensurum, omnem proinde offensam adversus quantumlibet aspera mandantem remissurum : Postremo, si quod periculum gratiæ mittentis episcopi fore illi contigerit, eo quod reticenda prodiderit, sese omnimodis obviaturum. Tandem securus nuntius, quæ jussus fuerat exequitur mandamina, quæ quantum vera, homini voluntatem juxta potentiam suam metiri affectanti, fere tantum essent odiosa, si prælibatæ pactionis præoccupatio non obstitisset.

LXIII. *Insimulatus ab imperatore, quid fecerit, quidve responderit.*

Alio quodam tempore dum edictum fuisset, ut gens Fresonum, quæ duce Theodrico imperatori repugnabat, navali undique bello peteretur ; ille uti erat paterno affectu, timens militiæ nullum e navibus præliandi usum assecutæ ; simul ne paratas sibi ab hostibus incideret insidias, præsertim cum ad condictum congregandi exercitus locum per ducenta, aut eo amplius milliaria triduo (*a*) eundo accepisset mandatum ; concurrentibus tot rationabilium causarum difficultatibus ne quoquam discederet, neu fideles ecclesiæ frustra vexaret, consilium habuit. Itur ergo in Fresoniam, & reditur ab exercitu navalibus armis instructo, cum non multo post colloquium habetur ; ad quod pontifex noster accersitus, transgressionis imperatorii edicti, aliorumque aut negligenter aut infideliter gestorum graviter arcessitur, accusantibus injuste ipsis, qui ejusdem sæpenumero magnifice usi fuerant beneficiis. Cumque ad singula quæ objiciebantur rationabiliter sese purgare paratus esset, si excusandi copia daretur ; succlamante hinc regiæ partis adulatorum fremitu, hinc episcoporum consilia exhibentium adhortante cœtu, soli in tanto turbine deprehenso, diutius reniti imperatoris voluntati nequaquam constantia fuit. Tandemque, quia potentis animi indignatio non aliter visa est posse leniri, ad pedes ejus invitus acquievit incurvari, atque pro culpis redimendis quæ non erant, trecentas argenti libras coactus est revadiare. Quod quidem omni reliquo vitæ tempore eum pœnituit fecisse ; & licet imperator postea placatus omnia illi cum gratia donaverit, semper tamen dolendo, identidem in se redarguebat, cur talis culpæ suspicionem constantissime etiam usque ad sanguinem non removerit. Sed licet episcoporum consiliis obtemperans, in hac parte quodammodo succubuisse videretur ; tamen sacerdotali auctoritate ipso die & in eodem conventu curialium, dictus est hoc modo contra imperatorem usus fuisse. Namque dum in tanta tamque diutina disceptatione, illi tam podagræ morbo quam senio gravato, nulla ad sedendum copia fuisset ; quiescente vix demum insano fragore obstrepentium : « Vel nunc « tamen, inquit, majestas vestra, mihi decrepito & imbecilli sessum dignetur concedere ; « nam etsi Wazo rugis confectus & senio, indignus est honorari ; tamen sacerdotem & sacro chrismate inunctum dedecet inter populares tam inhoneste fatigari. » Imperator autem, utpote qui ejusmodi homo esset, qui sibi super episcopos potestatem nimis carnaliter, ne dicam ambitiose, quæreret usurpare : « Ego vero, inquit, similiter sacro « oleo, data mihi præ ceteris imperandi potestate, sum perunctus. » Quem econtra antistes veritatis zelo, justitiæque fervore vehementer accensus, talibus breviter instruendum esse censuit ; alia, inquiens, est, & longe « a sacerdotali differens, vestra hæc quam as- « seritis unctio ; quia per eam vos ad mortifi- « candum, nos auctore Deo ad vivificandum « ornati sumus : unde quantum vita morte « præstantior, tantum nostra vestra unctione « sine dubio est excellentior. » Talibus fluctuantis mundi jactatus procellis, peritus nauta navim suam odoris virtutum pomis refertam, ad innocentis vitæ & conscientiæ bonæ reflexit portum ; & fortis in adversis, humilisque in prosperis, sicut mundi lenociniis nequivit frangi, sic nec terroribus valuit concuti, dicens cum Psalmista : *Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo.*

LXIV. *Quos & quales præbendarios constituerit.*

Redit igitur calcato mundi turbine ad tui ovilis, beata Dei genitrix, & martyris Lamberti caulas, omnibus palatiis regum gratiores ; & pastor bonus ad æterna pascua oves dominicas agere contendebat, atque in hujus interim vitæ via, multis difficultatum asperitatibus consita, tota animi intentione

[*a*] Hæc tacuit abbreviator, quæ tamen referre debuisset, utpote quæ sanctum excusent pontificem.

tione in eis quod confractum fuerat, alligabat, & quod infirmum consolidabat, & quod firmum & forte custodiebat, judicans se non sibi, sed illis totum esse & vivere. Vidimus viginti quinque præbendas ab eo in uno die datas, quarum quindecim deservitores canonicos in ecclesia victoriosissimæ Crucis, decem in Bartholomæi apostoli ecclesia ex bonis majori ex parte a sese acquisitis constituit, (a) nihil ab eis quærens nisi probos mores & utilitatem divinæ servitutis; simul cum interminatione anathematis edicens, ne quis præpositus, vel decanus præter hæc alterius emolumentum lucri exigere auderet. Præterea si quando aliquis in locum fratris defuncti quæreret substitui, quia nobiscum res stabiliendorum stipendiorum respicit ad episcopum, offerebantur sæpe ab illis qui parentes aut filios canonicos fieri quærebant, aut fertilium agrorum fundi, aut multa numeratæ pecuniæ summa. Quibus » clementissimus pater ait: « Nolite; ecclesiæ » cui hæc offerre nitimini, fundi & pecuniarum est abunde; fratres illi potius quærimus » utiles & morigeratos: cujus qui se servitio » in perpetuo dederit, necesse non habemus » quod est vilius, temporale scilicet ab eo exp petere. Quid enim? Numquid dare aliquis » valeat seipso carius? Injurii ergo, mea sen» tentia, erimus, si ab eo qui seipsum dat, » quod sibi est præstantius, importune abjec» tiora quæramus. Liceat tamen prius expe» riri, si quibus studiis eorum exercitata fuerint » negotia: quæ si, ut expedit, valere consti» terit, quæ petuntur gratuito dare parati su» mus. Et ne difficultatem rei interposuisse » videamur, litteras, qui ad nos accedere de» siderant, afferant. Hoc tantum ab eis mu» nus, ut sit materia examinationis exposcimus. Hæc fidelis promissor diversæ ætatis, & ingenuis, & ex familia ecclesiæ progenitis exhibebat, nonnullis insuper additis præter stipendia beneficiis; cum ne puerorum quidem minus intelligibilem ætatem, quos videret indolis esse, & pro captu suo sciolos ab hac largitatis suæ janua excluserit. Talibus pietatis suæ beneficiis ad amorem studii multorum animi accenduntur, & nonnullos qui mobilitati animum dedissent vidimus ad studia conversos, obque improbitatem laboris cum perfectionis gratia a tanto largitore canonicam ecclesiæ stipem assecutos.

[a]

LXV. *De impendiis ab eo ad ædificia datis, & vitæ ejus perfectione.*

Jam vero si cui ex clero aut etiam ex laicis ædificia struere animus esset, hilaris dator largissimam, gravemque ære, porrigendo manum ad id laboris sese volebat admitti cooperatorem. Quod ego bonum ejus multis ante, & post impensum indigno mihi & non merenti, cum benignissime tum largissime exhibitum in simili opere sum expertus, accipiens a tam munifico largitore munus octo librarum cum aliis multis ad hæc necessariis; cum non multo post nil speranti, quippe qui minimum promeruissem, mediocritati meæ congruum satis insuper adjecit beneficium. Parum est quod dico, majora memorabo. Miserum me, vix fateri audeo, cum me indignissimum & confusione plenum dulcissimo illo suo excellentis scientiæ & elegantis ingenii sale condito dignaretur alloquio, nonnumquam psalmodiæ & orationis non repellebar secreto; licet sæpius quanto solitarie, tanto devote nocte & mane soli Deo in orationibus vacare solitus esset. Præterea certis in hebdomada feriis, vel certe jejuniorum tempore ex consuetudine solemni nulla umquam hiemis tempestate retardatus, patrocinia pedes nudus sanctorum circuibat; cum inter eundum, semper eleemosyna ejus in manu secum deambulantis desudaret, donec occurreret cui ea etiam nescienti tanquam Christo committeretur. Refectionis vero hora quæcumque parata erant pulmenta, ac si epulaturo, nullis reservatis qui vel a se, vel a simul discumbentibus eo die comedi poterant, vel exquisitissimis cibis, omnia pauperum alimentis insumebantur. Sicque manus eleemosynarum cum jejunii votiva castigatione caritatis igne concremata ad cœlos orationum levabat aromata. Quotidianam sane conversationem suam perseverantia & temperamento jugis abstinentiæ, potentia vigiliarum, ac ceterorum pro Christo laborum, irreprehensibilem coram Deo & hominibus exhibere studebat; nullum nec sibi nec aliis familiaribus secreta præsentiæ suæ frequentantibus vacuum ab opere Dei tempus esse patiens, quo non aut psalleret, oraret, aut legeret, aut de aliqua utilitate conferret, aut certe de sacræ scripturæ quæstionibus disputaret: in quibus dissolvendis quam alacer, quam efficax, quam promtus erat & facilis! Postremo in omni confabulatione ejus, si quando etiam a seriæ esset rei rigore laxata, quantam dignitatem, quantamque jocunditatem inesse liquido erat respicere! qui vix raro, aut numquam cibo, vel somno, nisi quantum naturæ necessitas cogeret indulserit. Sed quis omnia dicta ejus, vel facta memoratu digna, vel eruditissimus, stylo comprehenderet? Adeo meritis ejus omnia minorata sunt, quæ de tanto viro elinguis parvitas nostra vix sufficit explicare. Sed & alia, quæ dici possent de vita pontificis nostri insignia, quæ si enumerare velimus per singula, non jam breviarium, ut polliciti sumus, sed propositio majorem, codicis incurrimus quantitatem; ac si qui stagnantis lacus parva lintre, nimium securus pergit sulcare, dum nescit, vicinis æquoris metuendis absorbetur æstibus, & a mediis

[a] Quæ sequuntur in editis desiderantur.

periculis post dorsum respiciens, sero reminiscitur magna parvis tentare amminiculis quantæ fuerit temeritatis. Sed præstat interim, dum res in tranquillitate sunt, ad littoris sinus clavo fragilem lembum reflectere; ne si quod vires excedat tentaverimus, non tam cursum agere, sed fluctibus miserabiliter obrui videamur.

LXVI. *De imminente corporis ejus dissolutione.*

[a] (*a*) (Prætermissis igitur, ut dictum est, pluribus tam dictis quam factis ejusdem venerabilis viri admodum memoratu dignis, termino chartæ finem, vitæ ejus explicare studeamus, qua morte homo hic Dei, terrena linquens, cœlestia penetrans, feliciter exivit; & gregem Domini insolabili mœrore confectum suavissima sui præsentia egregius pastor desolavit. Quem quidem omnipotentem Deum ab eo precibus exoratum esse, nemo qui vitam ejus novit ambigat, cum hoc & frequentes in oratione testarentur lacrymæ, & ipse communi nonnumquam sermone cum his qui sibi familiarius adhærebant, annos suos ac si dierum malitiæ plenos sit causatus, etiam tempus esse quo infelicem exueret hominem sit protestatus.) Sextum ab ordinatione sua in regimine episcopatus agebat annum, & ut dictum est, fidelis summi patrisfamilias dispensator sua quibusque reddebat, servata diligentissime in omnibus disciplina; cum superveniente apostolorum Petri & Pauli solemnitate, jocundus ipsorum interfuit vigiliis, missisque priori, & postera die solemniter celebratis in singulorum ecclesiis, in illorum servitio religionis finem accipiens, per quos beata mater Ecclesia religionis sumpsit exordium, ad mensam rediens inter prandendum primo tremore, deinde gravi tactus est calore. Quo ceteris sensim artubus subrepente, licet ante remota non surgeret fercula, toto corpore tanto confectus est dolore, ut præter solitum proximæ noctis abesset vigiliis. Sed iterum resumtis viribus, sicut semper, ut credo, ultra omnes mortales infirmitati corporeæ solebat reluctari, sequentis diei, hoc est sabbati, vigiliis & matutinis adfuit; nec ex eo amplius choro & dilecto fratrum conventui interesse valens, nihilominus intra domus suæ penetralia invictissimum psalmodiæ & lectionis nota dulcedine reficiebat spiritum, quem corpusculo febribus fatiscenti potentissime imperitantem ad optatum diu præmuniebat exitum: nihil aliud nisi defectum sentire se in toto corpore protestatus. Ita ingravescente amplius morbo, spiritu tamen, ut diximus, totus robustus & integer, a sabbato ad quartam productus est feriam, in qua apostolorum celebrantur octavæ. Cujus diei summo mane jubet accersiri presbyterum, qui erga ecclesiastica pervigili cura solebat excubare; cui cum sese ab invicem separandos esse prædiceret, eam quam infirmis beatus Jacobus apostolus jubet fieri unctionem se libenter velle accipere adjecit: ea quæ huic operi forent necessaria mandat parari; abbates & presbyteros cum nonnullis ordine inferioribus clericis in capellam quæ cubiculo contigua est jubet recipi, ut his coram de rebus ecclesiæ disponeret, confessionem suam Deo illis testibus offerret, ipsisque orantibus & psallentibus sacram unctionem susciperet. Ipse cum duobus tantum *hujus secreti arbitris*, memorato videlicet presbytero, & subdiacono, item ejus camerario, remota omni voluptate carnis; quippe quæ ad mortem usque esset afflicta, *in solam spem beatæ resurrectionis*; lavat corpus multis retro annis lavacro incognitum; cupitque fortissimus contemptor sui, addita insuper infirmitati pœna, nunc circa se fieri, quod in sanitate devitare studuerat, ne noxiæ serviret voluptati. Lotus vero, albisque vestibus indutus, expectantibus in prædicto oratorio, a nemine sustentatus, sese infert fratribus; sedili locatur, cui insidens psalmodiæ vel lectioni vacare consueverat: missam audit, sacrosancto Domini corporis viatico felicem animam præmunit, jamdudum pulsanti Domino aperire paratam. Interim res Ecclesiæ per fideimanus disponuntur, quarum partem unam successori suo, alteram pauperibus & Deo servientibus fidelis testator delegavit; nulli cognato vel amico, egregius pater, ceteros omnes in Christo æqualiter diligens, dereliquit. (*b*) Cumque reverenter a prioribus nostris ammoneretur ut parentibus de his quæ Deus sibi donasset largiretur, idque nusquam a sacra auctoritate vetitum esse suggessissent: « Parentes meos, » inquit, quos superstites relinquo, illi commendo, cui me quoque non sundos, non » servos, non pecuniam ex hæreditate habentem antecessores nostri reliquere; quos » utrum degere privatos, necne, idem Deus » & Dominus noster voluerit, ipsius melius » permittimus misericordiæ. » Præterea si quid severius dictante ratione in quoslibet ab ipso incolumi judicatum fuerat, nullo mortis metu mutare, immo inconvulsum esse post obitum suum volebat, & inflexibilem propositi rigiditatem fortiter usque ad mortem retinuit; conscius utique sibi, quia bona animi intentione omnia fecerat, nihil de his justo judici ad quem festinabat displicere, ipso hoc in Evangelio suo attestante: *Si oculus*, inquit, *tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit:* oculi nomine intentionem; corporis, sequentes significans actiones; quia sicut oculo incedentis reguntur vestigia, sic nimirum prævia in- [b]

[a] Ausulis inclusa in editis non comparent.

[b] Quæ sequuntur in edito abbreviatore omnino omissa sunt.

tentione, ſi bona eſt in bonum, ſi mala eſt in malum, qualiacumque agentis ſequuntur opera.

LXVII. *De confeſſione ejus & unctione.*

Diſpoſitis igitur prudenter omnibus, abbas Olbertus ab ipſis pueritiæ annis coævus & collega, necnon conſecretalis illi divinæ legis meditator, ad agenda circa eum hæc Chriſtianæ religionis miniſteria, veſte ſacerdotali induitur, cupiens & ipſe eunti ad Chriſtum ſeſe addere comitem, quem in via Dei unanimi dilectione habuit conſortem. At ubi pſallendo & orando eo ventum eſt, ubi oleum imponi infirmo præcipit ordo, totus mente & ſpiritu vividus, licet carne præmortuus, quantulo anniſu valuit e lectulo ſurrexit, coram altari genua fixit, & ut ſcriptum eſt: *Juſtus in primis accuſator eſt ſui*, ſe peccatorem eſſe, ſeſe non taliter vixiſſe, uti deceret epiſcopum & verum Chriſtianum eſt confeſſus. Cumque & de aliis ſatis & diu ſeſe coram Deo accuſaret admiſſis, ſine quibus irreprehenſibilis ſanctorum vita, aut vix, aut nullo modo tranſigi poteſt; ſuggeritur ab abbate memorato auſu illius ſanctæ ſuæ familiaritatis, ſi quid aliquando in imperatorem ſive verbis vel etiam occultis cogitationibus deliquiſſet, Deo confiteri non tardaret, ut ſecurus ab omni inſidiatoris accuſatione cordium ſcrutatori Deo intrepide mereretur præſentari. Ad hæc ille confidenter: « Non reprehendit me, inquit, conſcientia mea in omni vita mea me in aliquo contra imperatorem deliquiſſe; quin immo ſemper honorem ejus cupivi & cupio, iſque ut in dies cum Dei adjutorio augmentaretur, quantum noſtra intererat elaboravimus. Ceterum quod nos libentiſſime honeſtati ejus deſervientes, ipſius gratiæ minus accepti fuimus, aliis profecto peccatis imputamus. Verum hoc maxime pœnitentia dignum me egiſſe ipſe reprehendo, quod immunis ab omnibus in ipſum infideliter geſtis, quaſi reus coram omnibus ad pedes ejus ſim provolutus, & hujuſmodi humiliatione ſuſpicionem talis culpæ, quæ Deo teſte nulla eſt, multitudini de me ingeſſerim, ſicque nomen epiſcopi nota falſi criminis infecerim. Sed heu! pudet ac pœnitet; ſucclamantibus cunctis, etiam religioſis viris, uti in me graviter commoto ſatisfacerem, ſolus diutius reluctari non potui, & victus, fateor, turpiter ceſſi. Unde quia invicte perſiſtendo, falſo imputati criminis ſuſpicionem non removi, plango & vehementer doleo. » His dictis, ſi qua contra eos qui præſentes eſſent fratres deliquiſſet, ſibi donari petiit. Contra aſſiſtentis cleri devotio a Domino Deo pontifici ſuo veniam petiit, ipſamque quantum ſua intererat ex ſe libentiſſime non ſine multis lacrymis impendit, idemque ſibi ab ipſo fieri ſuppliciter implorat. Quo facto ſolemniter cum pſalmis & orationibus ad id officii pertinentibus ab abbate quem ſupra memoravimus, per ſacram olei unctionem in viam pacis & beatæ quietis dirigitur.

LXVIII. *Quod abbas Olbertus ne ſeptem dies poſt eum faceret exoravit.*

Singulis deinde in ſua redeuntibus, vir Dei ſic manet in lecto decubans, nihil ſeſe niſi defectum pati aſſerens, expectatque, ita ut numquam in ſanitate hilarior, exoptatam diu horam qua vocantem migret ad Dominum. Teſtatique ſunt preſbyteri & capellani qui ei excubantes pro expectatione glorioſi exitus aſſiſtebant, pſalmodiam & orationes ipſis quibus incolumis ſolebat horis a præmortuo illius ore palpitante lingua ſæpius iterari. Nimirum quanto uſu vivens & incolumis imperitanti ſervire conſueverat ſpiritui, caro jam moriens approbabat. Quarta feria, ſcilicet apoſtolicarum octavarum dies tranſierat; quinta deinde feria ſuperfuerat: & cum jam vicina exitus, ut putabatur, hora a concurrentibus devotiſſime ad eum ſenioribus expectaretur, atque obnixe ut a lecto ſe ſineret deponi, ut morientibus ſolet fieri Chriſtianis, efflagitaretur: » Nolite, inquit, « hodie fruſtra fatigari, ſed cras diſceſſuro « mihi in Dei nomine occurrite. Quam ejus « vocem quotquot affuerunt, audiere; ſed & abbas memoratus qui pridie eum unxerat, hoc prænuntiatæ ab eo mortis indictum pio excipit gemitu: « Si diſcedis, inquit, omnipotentis miſericordia non ſinat me ſeptem « dies ſuper te in hoc mundo facere. » Quæ « verba petitionis, ut probavit rei exitus, ad aures pii auditoris aſcendiſſe credimus: nam ſtatim ad monaſterium beati Jacobi regreſſus, ubi ipſe præter alium quem gerebat Gemblacenſis cœnobii gregem, multorum pater extitit monachorum; ſubrepente totis artubus moleſtia, ſentit optabilem ſibi cum pontifice, eodemque unanimo fratre diſſolutionem corporis imminere; faſtidiens jam confragoſa hujus vitæ diſpendia, quæ ulterius ſibi ſine tanti conviatoris ſolatio reſtarent calcanda; Chriſti potius manifeſta contemplatione cum illo cupiens ſatiari, quicum viſionis ejus dulcedinem nondum re, ſed ſpe cognitam inter conferendum de notis ſacræ ſcripturæ myſteriis ſuſpirare ſolebat. Alter nobiſcum corona clericorum, alter decus monachorum. Alter licet inter fluctuantis ſæculi procellas practicæ vitæ actus propenſius regendos ſuſcepit, divina tamen contemplatione ſuſpendi & vitaliter exterioribus mortificari: alter vero tum profeſſione, tum animi intentione mortuus ſæculo, & duplicem duorum ovilium gregem paſcebat Domino, & benigniſſima tam eccleſiaſticarum facultatum, quam conſiliorum largitione prudenter diſpenſata, exterioribus nequaquam deerat ſolatio. Ambo divina & huma-

na ſapientia imbuti, ambo robuſtiſſimæ in templo Dei columnæ. Uterque in utroque Deo ſervientium ordine reginæ dextra divinam ſponſi majeſtatem aſtanti auro veſtem texere, ipſamque jocundiſſima varietatum diſtinctione gnari circumdare, idque ſtudioſe quoad viverent decertantes actitare. Sub tantis tuta cuſtodibus, tantiſque communita propugnatoribus intra honeſtiſſima bonarum artium quieſcebat otia, nec clandeſtinas latronum inſidias, nec aperte impugnantium formidans incurſus, tunc quidem felix Legia, ſed nunc amiſſa hac felicitate multo infelicior.

Sexta igitur feria illuceſcente, octavo ſcilicet idus Julii beatam paſtor noſter, ut prædixerat, creatori reddidit animam. Poſtque illum ſeptimo die, ſicut a Deo popoſcerat, memorati abbatis anima voti compos epiſcopum eſt ſequuta; ut conſtaret evidenter hoc myſtico dierum numero ob æqualis vitæ meritum in unam æternæ beatitudinis requiem hos tantos patres a mundi hujus voragine eſſe receptos. Migrant igitur, migrant ad Dominum factorem ſuum ſelices juſtorum animæ, multiplicibus pictatis ſtudiis exercitatæ: vivi utique lapides ad cœleſtis Jeruſalem ædificium colliguntur; & malitia remanentium exigente, hi qui tenero gregi multo adhuc tempore poterant prodeſſe, heu! nimis feſtine ſubtrahuntur.

LXIX. *Quod Legia tanto paſtore orbatur.*

Relinquit itaque ex matre filiam filio beatam, ac poſtmodum eodem patre multo beatiorem, miſeram paſtor bonus cum pupillis ſuis Legiam. Quæ etiamſi lapides poſſent lacrymas fundere, irrecuperabile ablati Wazonis damnum nequaquam ſufficienter valeret plangere; quippe cui poſt Deum hoc noſcitur debere, ut ſingularis nominis prærogativa inter majores circumquaque urbes ſola vocaretur fons ſapientiæ. Quæ autem regio tam abſtrſ̃a in terris, quam pervolitante fama Wazonis Legiæ nomen non penetraverit? Parum eſt quod trifida te celſam tanto patre novit Gallia. Te Alpina gerens corpora nequaquam ignorat Germania. Experimentum acceperunt gloriæ tuæ Pannonii, & nihilominus Hiberi. Nec latet extremo diffuſos orbe Britannos, Aquitanos cum Arvernis, tanti rectoris auctoritate quam alte caput extuleris. Tibi cedunt præ pontificis virtute circumcirca urbes nobiliſſimæ: ſed nec olim Roma potens indignum ducit ſe tua ſuperari gloria, quæ moderno tempore ex orthodoxis neminem huic tuo parem habuit ſuperſtitem. At nunc heu! tanto paſtore viduata ſtas magni nominis umbra, & adhuc prioris famæ tenore multos ſtudii amatores ad opinatum diſciplinæ invitas gymnaſium, ſperantes ſe cum liberali ſtudio victus & veſtitus ſolatio gratuito ſuſtentari. Ea enim ſpe patriæ finibus ſe excitos autumant, credentes illis referentibus, qui talia præſentes apud nos experti forent: qui plerumque litterarum exercitio non fruſtra expetito, cum ſolus Wazo omnes recipere ſolitus eſſet, & omnia ſuppeditare, quod fateri rubor eſt & negare fallacia, nullus eorum ab omnibus nobis hujus loci indigenis ſuſtentatur. Adeo pietatis opera quæ unus indeficienter agebat, omnes ſimul exercere, etſi volumus, non poſſumus.

LXX. *Apoſtrophia ad Legiam.*

Age ergo nunc, ô dulcis Legia, ſi qua eſt tibi cordi pietas in Deum, aut honeſtatis amor ad ſæculum, ardentiſſime, quæſo, ſaltem antiquæ religionis veſtigia amplecti contendito; quia etſi orbata es patribus, pro ipſis tamen nati ſunt tibi filii, quos omnipotens Deus, licet adhuc teneros & rudes, exemplo bonorum patrum ad ſanctæ religionis culmen potens eſt informare. Tibi enim, Domine, derelicti ſunt pauperes, pupillis tu eris adjutor. Sed eſt quod inter hæc, ô dulcis nutricula, in cujus gremio ego inter veræ philoſophiæ tyrones ſolus inutilis vernula coalui, paucis es ammonenda, ne dona Domini tui, ſi qua tibi ſunt, meritis tuis arrogare incipias; ſed potius temet æſtimatione infirmitatis tuæ omnium eccleſiarum pedibus ſubſternas, & maxime matris tuæ ſanctæ & venerabilis Coloniæ, quam Dominus poſt urbem Romam, tum infinito diverſi generis ſanctorum numero, tum jocundiſſime diſtincta ſanctæ religionis corona dignatus eſt inſignire. Hanc tu venerare ceu dominam, ut te non dedignetur agnoſcere filiam; quatenus te pro humilitate, illam pro caritatis remuneratione æthereus ille claviger prævius ambarum dux & patronus, cum utrarumque ovibus ad gaudia Domini ſui intromittat, & ad videndum Deum deorum in Sion, in cœleſtis Jeruſalem ſedibus componat; præſtante ipſo Deo vivo & vero, qui unus in trinitate, & trinus in unitate ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem. Cui regi ſæculorum immortali, inviſibili, ſoli Deo honor, laus & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

HISTORIA ANDAGINENSIS
MONASTERII S. HUBERTI
SCRIPTA INEUNTE SÆCULO XII.
AB AUCTORE ANONYMO.

Ex MS. Andaginensi ante annos quingentos exarato.

ADMONITIO PRÆVIA.

SEQUENTEM *Andaginensis monasterii S. Huberti in Arduenna historiam suppeditavit nobis antiquus ejusdem cœnobii codex ante annos quingentos exaratus, quem nobis indicavit reverendus pater Bernardus* Belvaux, *ejusdem loci tunc cellerarius, nunc prior dignissimus, utendum vero concessit reverendissimus ac pussimus domnus Clemens* Le Fevre, *abbas meritissimus. Auctoris nomen codex non profert, at monachum Andaginensem fuisse vel ipsa clamat historia. Scripsit autem ineunte sæculo* XII. *aut anno* 1106. *in quem desinit ipsius opus, aut sequenti, certe ante annum* 1108. *quo Radulfus Viridis ex præposito ecclesiæ Remensis factus est archiepiscopus. Nam numero* 95. *recensens eos qui Theoderici abbatis defensionem adversus Otbertum episcopum suscipere parati erant,* de Remensi quidem Metropoli *profert* dominum Manassem præpositum, postea factum archiepiscopum, Rogerum defensorem ecclesiæ & archidiaconum, Rodulfum cancellarium, & post Manassem præpositum, &c. *dicturus haud dubie* ac tandem archiepiscopum, *sicut de Manasse præposito dixerat, si post Rodulfi electionem operi suo manum admovisset. Sed quocumque anno scripserit, is certe auctor est diligens & accuratus, publicaque luce dignissimus, utpote qui nihil prorsus asserat, quod monasterii sui monumentis antiquis, aut certe testibus oculatis non sit subnixum. Plures etiam virorum illustrium profert integras epistolas, multaque adducit in medium quæ ad illustrandam cum civilem tum ecclesiasticam historiam non parum conducunt. Et quidem de abbatiæ suæ primordiis plane sobrie loquitur, ea solum attingens quæ ex cartis monasterii deprehendere potuit: acta vero sub Theoderico I. & Theoderico II. longe fusius prosequitur, utpote sibi magis nota: ante omnia præcavens ne quid dubium aut minus certum scribat. Nam postquam restaurationis monasterii sui seriem enarravit, & de primo loquutus est abbate, hæc habet:* Qui autem præ-

fato abbati ſucceſſerunt, vel quamdiu præfuerint, vel quomodo ſub unoquoque eorum locus ipſe profecerit aut defecerit, neque legimus, neque a quoquam certius relata didicimus. Ideoque his prætermiſſis, quæ noſtris temporibus audivimus & vidimus geſta recolamus.

Hoc vero in opuſculo non modo nudam ac ſingularem monaſterii Andaginenſis hiſtoriam habes; ſed & plura inſignis eccleſiæ Leodienſis monumenta majoris momenti, ac res potiſſimum geſtas ſub Walcando, Henrico & Otberto epiſcopis, ex quibus Otbertus Leodienſibus ſcriptoribus haud ſatis notus hactenus fuit. Hunc enim tamquam optimum præſulem, qui eccleſiæ ſuæ poſſeſſiones, acquiſito Bullionenſi comitatu ampliarit, repræſentare ſolent: cum tamen ſimoniacus fuerit, ſchiſmaticus, eccleſiarum deſtructor, & plane epiſcopatu indignus, uti ex hac conſtat hiſtoria, & ex variis inſtrumentis quæ tomo 1. hujus collectionis edidimus. Quare cum hæc multaque alia eaque nuſquam hactenus edita contineat, non modica utilitatis viris etiam eruditis futuram ſperamus.

Incipit liber qui Cantatorium dicitur, qualiter creata ſit abbatia S. Huberti.

Originis monaſterii Andaginenſis occaſio.

IN pago Arduennenſi, quoddam caſtrum Ambra dicebatur, eo quod Amberlacenſis fiſci caput haberetur, quod funditus everſum, Hunis vaſtantibus Gallias, per annos fere trecentos triginta ſeptem deſertum ad nihilum devenerat. Temporibus autem PIPPINI, qui major domus erat ſub Theoderico rege, uxor ejus PLECTRUDIS Amberlacum ſuæ ditionis fiſcum parabat adire, & per prædictum locum tranſiens tam tædio vaſtæ ſolitudinis, quam fervore æſtatis confecta, ibidem in pratis virentibus decrevit aliquandiu requieſcere. Et cum poſt exactam refectionem comites ejus longiori ſomno premerentur, ipſa curioſior pro equis paſcentibus, ne per ſilvas vagarentur, neminem excitans, ſola ſurrexit; equiſque recollectis, jam laſſior, dum ſuper acervum lapidum ibi forte congeſtum reſideret, cartulam quamdam cælitus illapſam obſtupuit coram ſe cadentem: quam licet pavida corripuit, & nemini comitum auſa fidere ſecretum, ad virum quantocius decrevit revertendum. Cui cum per ordinem retuliſſet eventum miraculi, [4] ille evocato (*a*) BEREGISO viro venerabili, qui tunc in Dei rebus obſequebatur eis, cartulam illi obtulit exponendam ſibi. Conſultus ſacerdos Dei reſpondit, locum quo eadem cartula deciderat, a Deo eſſe electum, ex quo multorum animæ tranſire deberent ad regna cœlorum. Pippino vero ſubjungente, quid ſibi inde videretur agendum, Beregiſus rapta occaſione, utpote qui jam diu deliberaverat, mundo relicto, liberius Deo vacare, ſubintulit principi, ne quantum in ſe eſſet divinæ diſpoſitioni deeſſet, paratum ſe ſolitudinem illam excolendam ſuſcipere, ſi eam ille ſibi concederet. Placuit Pippino Beregiſi propoſitum licet gravaretur admodum a ſe ſuum emittere cariſſimum. Illo tamen ſæpius inſiſtente, ut rem quantocius acceleraret, Pippinus cum comitatu curialium ſuorum venit ad locum inventæ cælitus cartæ. Ibi facta legali donatione, & rata coram principibus ſuis aſtipulatione, locum ipſum perpetuo habendum Beregiſo donavit, & perluſtratis finibus, ejuſdem donationis certas metas per ſubnotata confinia diſterminavit ad meridianam plagam inter diviſiones, ad orientalem plagam mollem campellum, ad Aquilonem inter Campilonem & Haletum Francum montem, inter Naſaniam & Anvanam tabulæ fontanam, ad occidentem rupem Sulmonienſem & fluvium Lunnam.

2. Hæc gens diu inacceſſis montibus ſeclusa tempore Valentis imperatoris repentina rabie (*b*) Gothorum terras invaſit, & rex eorum Filemer ante cum Gothis Gothicas & Scythicas terras ingreſſus, reperit ibi quaſdam magas, quas Alirumnas dicunt, & eas ſuſpectas habens, per ſolitudines fugatas exturbavit. Cum his ſilveſtres homines, quos Faunos Sicarios dicunt, coeuntes, hoc genus ferociſſimum inter Meotides paludes genuerunt, quod tetrum & exile vix humanam imaginem repræſentans, videntibus ſe nimium ingerebat terrorem vultus ſui horrore, eo quod eſſet deformis & execrandæ nigredinis. Maribus genæ deficcantur antequam lactentur, ut jam tunc tolerare laborem cogantur. Forma quidem exigui, ſed motibus arguti & expediti, atque ad equitandum promti ſunt, ſcapulis latis & ad arcuum curvationem & ſagittandum periti, cervicibus firmis & ſemper ſuperbia erectis animos ferociſſimos habentes & belluino more vi- Humiſcunt cum cæteris Ambra. [5]

(*a*) Beregiſum in monaſterio S. Trudonis *parentum traditione ſub religionis habitu educatum* ac ſacris litteris informatum fuiſſe tradit ipſius vitæ ſcriptor, deinde a Pippino Anſegiſili filio adſcitum, ut *præcipuum ſacerdotem ejus doctrinæ inſtituendum ſe cum conjuge & prole tradidit.*

(*b*) Quæ hic referuntur videntur deſumta ex Jornande libro de rebus Geticis cap. 24.

ventes. Hi cum Athala rege suo vindictæ nisibus subservientes, dum Galliarum urbes & castella simul & ecclesias vastarent, hoc quoque castrum in transitu suo subverterunt.

S. Beregisus instituit clericorum abbatiam.

3. At Beregisus continuis insistens laboribus, solatiis etiam quorumdam fidelium adjutus, silvestrem solitudinem purgavit, & habitabilem fecit, nec prius abstitit, quam ecclesiam beati Petri apostolorum principis, quæ in præfato castro olim funditus eversa fuerat, a fundamentis restrueret, & collectis secum religiosis (a) clericis abbatis nomine & officio ibidem Deo militantibus præesset. Quo post labores hujus peregrinationis ad Deum migrante, longo post tempore successores ejus ibi perseveraverunt in clericali schemate, donec Ludovico Pio imperatore filio Caroli magni regnante divina dispositio locum eumdem ampliavit hoc ordine.

4. Ejus tempore præerat ecclesiæ Leodiensi quidam venerandæ memoriæ Gualcandus in instaurandis rebus ecclesiasticis admodum strenuus: & ut per excessum de ipsa Leodiensi sede aliqua necessario dicantur, eamdem episcopii sedem beatus pontifex Hubertus ab urbe Tungrensi olim Trajecti permutatam, ab eodem vico transtulit Legiam, ut quia suo tempore magnæ industriæ & potestatis viguit, modicam villulam in nobilissimam civitatem & sedem episcopalem suscitavit, ibidemque leges publici juris & forenses mensuras, quæ adhuc supersunt, constituit. Quo etiam cum per revelationem divinam ossa prædecessoris sui beati Lamberti martyris retulisset, eumque in loco martyrii ejus sepeliens, ecclesiam condecentem super eum ædificasset, in pede quoque Publici montis in honore beati Petri apostoli templum exstruxit, ubi migraturus ad Dominum sepeliri corpus suum destinavit. Cujus sanctitatem cum crebra miracula declararent, sexto decimo anno migrationis suæ translatus in ecclesiam beati Lamberti a prædicta ecclesia beati Petri, ibidem veneratus est per annos LXXV.

Walcandus ejic. monachos instituit, in Andagin. cœnobio.

5. Anno vero Incarnati Verbi DCCCXXV. regnante, ut dictum est, Ludovico Pio, cum idem princeps ecclesiasticis rebus studeret in regno suo, congregationes sanctorum vel construeret vel olim constructas ampliaret, ad hoc idem agendum exemplo suo informabat & civitatum pontifices & provinciarum principes. Interea clerici præfatæ cellæ B. Beregisi cum jam pene deficerent, utpote in tam vasta & sterili eremo constituti, accepta occasione sibi consulendi, ad Gualcandum Leodiensem episcopum se contulerunt, & quomodo prædictum locum eorum divina providentia elegisset, quasque in eo paterentur necessitates illi retulerunt. Lætatus ille se invenisse opportunitatem saluti suæ providendi, si in eodem loco collaboraret voluntati divinæ, omnimoda intentione id exequendi curam concepit, & juvante Deo in præsentem statum suscitavit. Nam commutato ordine clericali anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo septimo decimo, IV. idus Augusti in die S. Laurentii martyris, monachorum ibi religionem constituit, dispositis eis possessionibus, & legaliter confirmatis in posterum quæ sufficerent usibus ibi Deo servientium. Constitutum est etiam ex communi decreto, ut de reditibus donationum quæ factæ fuerant B. Beregisio, ab eorum procuratoribus ad locum ipsum deferretur in eadem die annuatim oblatio, ut ex hoc in posterum & prioris adquisitionis & posteroris adjumenti discerneretur ecclesiastica possessio. Quo dum plures concurrerent, ut in tam remota eremo tanto liberius, quanto & secretius Deo vacarent, quidam etiam nobiliores clerici de ecclesia (b) B. Lamberti, eò convenerunt, mutatoque habitu ad contemtum mundi seipsos viriliter accinxerunt.

In illud transfertur corpus S. Huberti.

6. Hi secum deliberato consilio eumdem locum adhuc honestius sublimandi, præsertim cùm in hoc ipso patrocinari sibi sperarent favorem pontificis, petierunt ab eo transferendum illò corpus beati Huberti, asserentes urbi sufficere patrocinium beati Lamberti. Quæ res licet pro sui magnitudine nimium difficilis videretur pontifici, divina tamen gratia, cui nihil impossibile, justis petitionibus acceleravit effectum. Nam collecta episcoporum synodo provinciali apud ecclesiam beatæ Mariæ Aquisgrani palatii, Ludovicus pius & religiosus imperator interesse voluit ecclesiasticis utilitatibus ibidem disponendis. Ibi cum Gualcandus referret consilium de transferendo corpore beati Huberti ad locum Andaginum, divina dispositione prædicti principis, & totius synodi inde voluntarium obtinuit assensum, indicta ei conditione, ut tanto pontifici convenientem ampliaret honorem, & collectis ibidem fratribus tam præsentibus quam futuris vel posteris curaret omnem excludere necessitatem. Constituta vero die ad rem exsequendam ipse princeps Leodium venit, & cum palatina, tum etiam populari frequentia corpus sanctum quod cum loculo suo lapideo transferebatur, devotissime prosecutus, Mosam illud transposuit cum divinis hymnis & laudibus, cui etiam multa dona contulit regia largitione, quæ licet deperierint vel tempo-

(a) Clericos sæculares in monasterio Andaginensi a Beregiso abbate institutos fuisse vulgo ferunt; at repugnare videtur quod Beregisus ipse *sub religionis habitu* in Trudoniano monasterio educatus clericos sæculares in vasta solitudine adunaverit. Certe clericorum nomine sæpius intellectos fuisse olim monachos docet Mabillonius in præfatione ad sæcul. II. Bened. mihi omnino probabile videtur primos Andaginenses cœnobii inhabitatores monachos fuisse, *quibus* ignoto nobis aliquo casu substituti fuerunt clerici, & his iterum monachi. Hinc Beregisus in martyrologio Benedictino collocatur die 2. Octob.

(b) Id est ecclesia cathedrali quæ S. Lamberto episcopo & martyri sacra est.

rum vetuſtate, vel vaſtatorum diſtractione, ex eis tamen quædam noſtris adhuc temporibus ſuperſunt eccleſiæ. Supereſt optimus ſanctorum evangeliorum textus, auro gemmiſque paratus; ſupereſt pſalterium (a) auro ſcriptum per denos pſalmos capitalibus litteris diſtinctum; ſupereſt in uno volumine maximo ſuper totum pſalterium B. Auguſtini expoſitio; ſupereſt & liber qui intitulatur de Trinitate. Supererant duo totius anni Homeliarii, quibus renovatis, hiemalis datus eſt in eleemoſyna eccleſiæ (b) Guviniacenſi, æſtivalis vero miſſus eſt cellæ Pirenſi. De tranſlatione autem B. Huberti cetera reticere cenſuimus, quod evidentius & latius ea enumerat ejuſdem tranſlationis proprius (c) textus. Sed & hoc nimirum cum ſit actum divina gratia diſponente, credi probabiliter poteſt, eumdem beatum pontificem in loco quo venerabilis Beregisus quieſcebat, ſe quoque voluiſſe gratanter quieſcere.

S. Hubertus & S. Beregiſus coætanei.

7. Fuerunt denique contemporales ejuſdem loci ſtudioſi cooperatores. Decuit ergo ut quorum dum in corpore manerent viguit ad invicem familiaritas, eorum etiam veneraretur a devotione fidelium in uno eodem loco beatorum corporum ſocietas. Quod vero temporales fuerunt, ſi quis certius noſſe voluerit, ex geſtis Francorum per tempora regum & principum probari poterit. Pippinus enim primus hujus nominis ſub Lothario rege, qui fuit filius Hilperici ex Fredegunde, dux & majordomus extitit, negotia regni diſponens cum domino Cuniberto archiepiſcopo Colonienſi, qui ſub regibus Dagoberto & Sigiberto nobiliter & ſapienter ſe agens perſeveravit. Hic genuit ex Idda uxore ſua nobili & religioſa Grimoaldum & Beggam, & B. Gertrudem. Begga vero nupta Anſegiſo duci genuit hunc noſtrum Pippinum ſecundum hujus nominis, tempore Hilderici & Theoderici regum. Sub *Trajectenſi. hoc Hilderico B. Lambertus * Tregentemſi viguit. Theodericus autem rex ut erat hebetioris ingenii, abuſione nequiſſimi Ebroini, qui erat majordomus ejus admodum apud Francos viluit. Nec multo poſt Hildericus, qui erat potentior, in venando interiit, interceptus a quodam Bodilone nobili, quem contra legem majorum ad ſtipitem ligatum fecerat cædi: & cum poſt eum Theodoricus totum percepiſſet regnum, tertio anno prudens Pippinus Anſegiſi & Beggæ filius dux Auſtraſiorum factus invaluit, & B. Lambertum ſuggeſtione Ebroini, & factione Colonienſis epiſcopi ab epiſcopatu ejectum, exturbato Faramundo, ſedi ſuæ reſtituit poſt ſeptennium injuſtæ illius ejectionis ſuæ. Ipſe quoque S. pontifex poſt in brevi pro defenſione veritatis & caſtitatis, ut in geſtis (d) ejus legitur martyrio coronatus occubuit, eique in epiſcopatu B. Hubertus ſucceſſit. Quo etiam tempore dono prædicti Pippini ejuſque uxoris Plectrudis locum Andaginum cœlitus deſignatum excolendum Beregiſus ſuſcepit. Et quia B. Hubertus pro cura animarum ſibi credita, ut in vita ejus legitur, per omnem Arduennam ſtuduit evacuare idolatriam, quæ adhuc ibidem ſupererat, liquet quod ex confrequentatione commeandi uterque fuit notiſſimæ cognitionis, ejuſdemque in Deum dilectionis & devotionis, nec minus etiam cooperationis in hoc loco divinæ electionis, utriuſque inſtantia prædicationis fatiſcente perfidia in eodem territorio profecit augmentum Chriſtianæ religionis: unde & largiente Domino conceſſum eſt, ut quos ipſa provincia adhuc in carne poſitos meruit habere doctores, eoſdem cum Chriſto regnantes habeat ſpeciales patronos & defenſores.

8. Quanta & quali ſagacitate idem epiſcopus Gualcandus locum ipſum ampliare ſtuduerit, quibus poſſeſſionum redditibus, vel ex proprio fratriſque ſui Erohengoldi patrimonio; ſed & ex caſamentis a quibuſdam ſubtractis ſæcularibus, ſubſidium vivendi tam poſteris quam præſentibus perpetuo habendum procuraverit, ſi quis noſſe voluerit, relectis auctoritatis ejus privilegiis pleniter addiſcere poterit. Quæ privilegia licet ex magnæ devotionis affectu condidiſſe videretur, moroſo tamen conſilio & ſæpius ventilato aſſenſu cleri & ſenatus, & quorumque nobilium & ſapientium Leodienſis eccleſiæ; ſed & conſultu metropolitani ſui Colonienſis (e) Hildeboldi pontificis, auctoritate etiam (f) Leonis Romani pontificis & atteſtatione Ludovici piiſſimi imperatoris filii Magni Caroli imperatoris ea condidit, & canonica confirmatione roboravit. Et ut aliqua ex eiſdem privilegiis interponamus: « Res, inquit, vel poſſeſſiones, quæ « ad eumdem locum deputatæ hactenus fue- « runt, jure firmiſſimo delegamus, id eſt Apro- « villa, Lotvilla, Nelina, Palatiolum, Game- « della, Telvis, Leſteruvris, Ruvonia, Fan- « dilionis, Gabelium, Anſeromia, Rumendi- « nis, & eccleſias Melſun, Martilinges, Bui- « laidas, cum omnibus appenditiis ſuis. Simi- « liter etiam conſenſu fratrum noſtrorum con- « ſenſimus & permanere volumus eidem cellæ «

Widemius epiſc. monaſterium poſſeſſionibus ditat.

Quis confirmari curat.

(a) Hactenus ſervatur in Andaginenſi monaſterio pretioſiſſimum pſalterium auro elegantiſſime exaratum, non a Ludovico pio, ut credit auctor, ſed a Lothario ipſius filio donatum, ut probant verſus qui initio codicis reperiuntur.

(b) Guviniacenſe ſive Juviniacenſe monaſterium virginum ordinis S. Benedicti in diœceſi Trevirenſi S. Scholaſticæ ſacrum.

(c) Ejus tranſlationis acta ſive textus extant apud Mabillonium ſæculo IV. Benedictino part. 1. p. 295.

(d) Ejus geſta cum præviis admonitionibus & notis ac diſſertatione de cauſa mortis S. Lamberti edidit Mabillonius ſæcul. 3. Benedictino.

(e) Hildeboldus ſacri palatii archicapellanus interfuit concilio Francofurtenſi 794. præfuitque eccleſiæ Colonienſi ad uſque annum 818.

[f] Is eſt Leo III. qui Romanam rexit eccleſiam ab an. 795. ad 816.

alias

» alias res ex rebus eccleſiæ noſtræ ; quæ » videlicet non indominicatæ, ſed in benefi- » cio conſtitutæ fuerunt, id eſt Ternonia, » Teulidum, Matlida, Aldamum, Alventium, » Nentina, Florias, Wouvonium, Anduanium, » Bractis, quæ alio nomine nuncupatur epi- » ſcopi villa, Liſura, Evernicorten, Sulpia- » cum, Nogarias, Butheſaim, Vineas III. in ca- » ſtro Hoii, manſionem unam apud Leodium » a nobis conſtructam, necnon & vineam » unam cum manſo ad ſe pertinente in terri- » torio Leodienſi nuncupato Inúgilis, cum » omnibus appenditiis ſuis. Item in eodem pri- B vilegio poſt pauca. « Divino, ut credimus, » conſilio, & noſtrorum fidelium conſenſu tra- » dimus jam præfatis monachis omni anno de » argento libras XX. & decimam de caſeo ex » omnibus villis noſtris indominicatis, & de » tribus villis decimam vini, videlicet de Go- » ganheim, & Berthahein, atque Cunerono. » Poſt hæc duas addimus eis, ſcilicet Taver- » nas & Arnau, ut omnia regulariter viven- » tes ibi in victu & veſtitu ſatis abundeque ha- » berent. Iſta omnia coram clericis & laicis » noſtris in eorum privilegio cedimus & per- C » manere cupimus, tam noſtris quam ſucceſ- » ſorum noſtrorum temporibus. Poſtquam er- » go iſta gratia Dei rationabiliter a nobis per » omnia ordinata ad aures imperiales deve- » niſſent, magno gaviſus eſt imperator gaudio, » cœnobium Sugnilis nomine, in quo Deo di- » catæ erant moniales partibus ſanctæ Mariæ » & ſancti Lamberti cum omnibus ſuis appen- » ditiis tradidit jure firmiſſimo, ut epiſcopatus [a] » (a) Tungrenſis ſedis in nullo minorari vide- » retur pro rebus, quas Dei ſervis in mona- » ſterio præfato conceſſimus : & inſuper ad præ- D » fatam cellam quamdam ſilvam quæ dicitur » Wangiſiſus mons tradidit, eamdemque lega- » lem traditionem imperiali privilegio firma- » vit & ſignavit. » Harum poſſeſſionum maxi- ma pars huic eccleſiæ jamdiu deperiit, non ſolum violentia ſæcularium, ſed etiam epi- ſcoporum Leodienſium. Gualcandus vero [b] epiſcopus (b) ALTUENUM abbatem qui loco Altenus abbas. præeſſet ordinavit, poſſeſſioneſque & reddi- tus quibus fratres ſubſiſterent legali privile- gio eccleſiæ facto in perpetuum confirma- vit, credens ſpecialius profuturum ſibi, quic- quid ibidem gereretur uſque in finem ſæculi. Qui autem præfato abbati ſucceſſerunt vel quamdiu præfuerint, vel quomodo ſub uno- quoque eorum locus ipſe aut profecerit, aut defecerit, neque legimus, neque a quoquam certius relata didicimus, ideoque his præ- termiſſis, quæ noſtris temporibus audivimus, & vidimus geſta revolvamus.

Renualdus & Adelardus abbates. [c] 9. Anno incarnati Verbi MXXXIV. decedente (c) RENUALDO abbate, ſucceſſit ei dominus ADELARDUS a Reginardo epiſcopo ec-

[a] Ex hoc loco patet, quod etiamſi ſedes epiſcopalis Leodium eſſet tranſlata a S. Huberto, nihilominus tamen diu poſt dicta ſit epiſcopatus Tungrenſis.

[b] In libro miraculorum S. Huberti dicitur Alveus.

A cleſiæ B. Huberti abbas ordinatus, qui fue- rat monaſterii S. Trudonis ſcholaſticus & theſaurarius. Ipſe ut erat vir induſtrius & prudens, cum gravaretur longa & maxima famis neceſſitate, tum etiam inter imperá- torem HENRICUM & ducem GODEFRIDUM ma- jorem diuturna & inexorabili ſeditione, ca- ſtri Mirvoldi eccleſiæ acriter imminentis, ex edicto imperiali omnium fere principum cis Rhenum conſiſtentium graviſſima obſi- dione, tamen commiſſum ſibi locum, quod periculo temporis difficillimum erat, ne om- nino deſtrueretur, non ſolum viriliter deti- nuit, ſed in poſſeſſionibus ampliavit. Ædifi- cavit refectorium fratrum cum dormitorio, ædificavit cameram abbatis cum palatina do- mo. Eccleſiam Alventienſem quam ex pa- trimonio ſuo epiſcopus Gualcandus olim lo- co contulerat, a quibuſdam invaſoribus vi- riliter defenſam retinuit. Quartam partem Calviciaci fiſci a quodam nobili Roberto emit, cujus omnimodo medietas ab antiquo erat eccleſiæ donata ſibi pro ſatisfactione a STEPHANO comite, eo quod caſtellum *Mur- vot* violenter & injuſte firmaſſet in eccleſia- ſtica poſſeſſione. Habito quoque colloquio apud Evodium inter imperatorem HENRI- CUM itemque HENRICUM regem Francorum, ejuſdem imperatoris banno & auctoritate firmatum eccleſiæ mercatum procuravit, cu- jus omnes juſtitias telonium, bannum, co- mitatum, latronem, foralia vel cujuſcum- que placiti queſtum vel querelas ex antiquo more proteſtativo jure obtinuit tempore quo advixit, & ſine ulla calumnia ſucceſſoribus ſuis obtinenda, immo totam integram ab- batiam reliquit. Ejus adhuc tempore vigente publici juris juſtitia, in tota abbatia nullus advocatus alicui placito intererat, niſi tribus generalibus in anno. In his ſi quod vadium proveniret judicio ſcabinorum, eorum quo- que arbitrio determinabatur ſolvendum, non ad voluntatem duorum, ſed ad poſſibilita- tem perſonarum. De eodem queſtu com- muni advocatus obſonium debitum accipie- bat, & ſi minus proveniret, eccleſia illud ſupplebat. Præterea ſi quem rebellem advo- catus ad juſtitiam faciendam compellebat, decaternam ſuam accipiebat.

E 10. Anno vero Incarnati Verbi MLV. ſuæ autem ordinationis XXII. cum deceſſiſ- ſet, ſucceſſit auctore Deo, illi domnus THEO- DERICUS Lobienſis cœnobii monachus, a RI- CHARDO (d) abbate nutritus, & a GERARDO venerabili pontifice conſequenter in ſacer- dotem ordinatus, litteris adprime eruditus, quas etiam honeſtis decorabat moribus, adeo ut & ingenii vivacitate, & morali probitate tam juvenibus quam ſenibus ammirabilis & immutabilis haberetur, & quod eſt difficil- Theodericus I. abbas ex monacho Lobienſi vir doctus. [d]

[c] Renualdus in catalogo abbatum conſtituitur decimus nonus. [d] Abbate Virdunenſi ſancti Vitoni viro incom- parabili & multorum inſignium monaſteriorum reformatore, cujus acta habes apud Mabillonium ſæculo VI. Bened.

limum gloriam ſine invidia aſſecutus, omnibus indifferenter eſſet carus. Unde in philoſophia famoſus & pia concertatione a vicinarum congregationum abbatibus ad regendas ſcholas evocatus, Strabulaus ſub abbate [a] (*a*) Poppone, deinde Virduni ſub abbate Gualeranno domni Richardi ſucceſſore, poſtremo Moſomi ſub Rodulfo abbate tam ſtudiis liberalibus, quam probis moribus multos inſtituit, quos poſtea vidimus imitatores & aſſertores ejuſdem magiſtri ſui viros honeſtiſſimæ probitatis. Qui poſtea licentia abbatis ſui [b] (*b*) Hugonis Lobienſis Hieroſolymam adire coactus, ſed per Pannoniam tranſire præpeditus, Romam quaſi per Adriaticum mare navigandus divertit. Ibidemque præter * Deodignum Leodienſem epiſcopum cum quibuſdam ſibi familiariter notis, in eccleſia beati Petri invenit; quorum ſuggeſtione, immo pontificis amica prohibitione ulterius progredi preſſus, cum eis patriam petiit, & inter redeundum cujus eſſet ſcientiæ gravitatis & perfectionis proſpectus, a prædicto pontifice monaſterio ſuo honorabiliter eſt relocatus.

* ſpem l. Deodwinum.

Poſtulatur ad regendas ſcholas Fuldenſis. [c]

11. Non multo poſt Henricus imperator (*c*) Deoduino epiſcopo indixit, ut ſibi aliquem monachum ab abbate Richardo inſtitutum procuraret, quem in Fuldenſi monaſterio ſcholaſticum præficeret. Epiſcopus Theodericum, quem a Roma uſque Leodium ad hoc fuerat expertus idoneum, a Lobienſi monaſterio evocavit, ſecumque detinebat quaſi legandum imperatori. Evocatis interea ex edicto epiſcopali abbatibus & archidiaconis pro ordinando patre deſtitutæ eccleſiæ beati Huberti, adfuit & ipſe cum ceteris facturus inde ipſius ſibi agendæ ordinationis... Epiſcopo vero conſulente, quis haberetur idoneus deſolatæ præponi eccleſiæ, Godiſcalcus quidam honeſtæ gravitatis perſona, itemque Anſelmus decanus ſancti Lamberti, quorum vigebat permaxima auctoritas in hujuſmodi rebus diſponendis, reſponderunt, locuti prius cum conſilio, talem providentiam bene convenire fratri Theoderico. Succlamantibus aliis ad illos bene ſenſiſſe, ipſe etiam epiſcopus in ſententiam conceſſit voluntarie, & evocato domno Theoderico ut abbas ſieret, obnixius cœpit inſiſtere. Ille econtra reniti, qua poterat virtute impoſſibilitatem ſuam & inſufficientiam ſuam prætendere, imparem ſe tanto oneri reclamare, lacrymis etiam atteſtari cor a labiis non diſtare. Epiſcopus econtra renitentem cogere, conventus omnis inſiſtere, ne divinæ vocationi & voluntati videretur obſiſtere. Tandem tantorum oppreſſus auctoritate & violenter attractus a Gonzone Florinenſi abbate, & Stephano S. Laurentii injunctam ſibi curam ſuſcepit, & conſecratus eſt abbas in purificatione S. Mariæ ſemper virginis, ſicque comitatus prædicto Stephano abbate S. Laurentii ad commiſſam ſibi eccleſiam conceſſit: cujus culmen cum de longe vidiſſet, ut erat tunc hiems aſperrima, in mediis nivibus ad terram procidit, & Deum adjutorem ſibi adeſſe cum gemitu inclamavit, operto que capite (*d*) & nudis pedibus, monaſterium uſque proceſſit. [d]

Eligitur abbas.

12. Exceptus a cunctis cum digno favore, ſtudebat fratribus potius prodeſſe quam præeſſe, & lucrandis animabus magis exemplis quam doctrinis inſiſtere. Fuerunt autem quos ibi invenit fratres, videlicet Robertus ſenex, Ermenfridus decanus, Evrardus præcentor, Guillelmus præpoſitus, Alfridus theſaurarius, Lietbrandus camerarius, Lambertus (*e*) [e] organiſta, Gualerannus cellerarius, Robertus armarius, Stepelinus exterior (*f*) [f] ſcholaſticus, & interior Balduinus, Lambertus, Guerizo, Engenulfus, Renuardus, Otto, Gualterius. Multotiens vero adverſatus ab his qui in veteri mente nova meditari cogebantur, licet patienter & tacitus eadem perferret adverſa, in enutriendis & erudiendis & in convertendis etiam quos poterat ſagaciter & conſtanter elaborabat. Enutrivit idem abbas inter multos quos ab infantia timere Deum docuit, Giſlebertum ejuſdem eccleſiæ religioſum poſtea decanum, in ſcribendis & renovandis libris ſtudioſum, Alfridum cellerarium & cuſtodem, & poſtea cellæ Mirvoldenſis priorem, Liebertum cellæ Bullonienſis priorem primum, & poſtea majoris eccleſiæ præpoſitum, Arnulfum capellanum. Quemdam vero Lambertum nimis nobilitatem ſuam extollentem cum pateretur infeſtiorem, non tamen deficiebat ut * reſipiſcente exhortando, Deumque ut ei daret ſpiritum compunctionis (orando.) Hic in natali apoſtolorum Petri & Pauli lecturus ad vigilias nocturnales, cum ante abbatem ſine reverentia inclinationis tranſire cogitaret, ſubito expavit ſe videre inter brachia illius puerum glorioſæ habitudinis, abbati quidem hilariter congaudentem, ſibi vero minaciter indignantem. Qui dum tremens vix in legendo ſubſiſteret, redienſque humillimam inclinationem abbati exſolveret, mirantibus cunctis, adeo reſolutus eſt in lacrymis, ut nullo modo ceſſaret a ſin-

Lamberti ſenioris monachi mirabile vertic.

* Lor reſipiſcere.

(*a*) Hic etiam multis in monaſteriis collapſam reſtauravit diſciplinam, cujus acta ab abbate Altimontenſi ſcripta habes apud Bollandum 25. Januarii & apud Mabillonium ſæculo VI. Bened.

(*b*) Hic creatus eſt abbas anno 1033. in die Pentecoſtes, vivere deſiit 1053. ex brevi chronico Lobienſis tom. 3. Anecdot.

(*c*) Deoduinus epiſcopus Leodienſis creatus eſt anno 1047. teſte Alberico in chronico; cujus habes epiſtolam adverſus Berengarium apud Mabill. tom. 4. Annal.

(*d*) Hæc maxime notanda, quia ab ejus vitæ ſcriptore, & plura alia hic commemorata prætermiſſa ſunt.

[*e*] Hic locus præſertim obſervandus, quia tunc ratiſſima in monaſteriis erant organa, qua de re vide quæ diximus in Comment. in Reg. S. Bened. cap. 19.

[*f*] Scholaſticus exterior is erat, qui exteriores in monaſteriis ſcholas regebat, ſive qui ſæculares pueros diſciplinis informabat: interior qui monachos.

gultibus & ſuſpiriis. Poſt vigilias affuſus abbatis pedibus, confeſſus eſt peccata ſua ad purum, petens ab eo indicendum pro pœnitentia ſibi exilium, voluntaria mendicitate a ſe tranſigendum. Hortante vero abbate illum remanere ſecum, & ſpondente ſe illi in pœnitentia collaboraturum, reſpondit non ſibi videri utile, cum quibus dolebat ſe vixiſſe, velle amodo vivere; ipſique loco quaſi conſcio erroris ſui nulla re amplius ineſſe. Sic ergo ſeipſum obſtinatione ſalubri puniens, [a] (a) ferro per ventrem, perque brachia & tibias vinctus, proſequente illum abbate cum lacrymis, monaſterium exiit, tandemque cum magna defectione pedes Moſomum devenit; ibique tunc temporis vigebat regularis diſtrictio ſub abbate Rodulfo, ab eodem retentus ſubſtitit, poſtque duos fere annos in luctu & pœnitentia perſeverans obiit. Cujus exemplo quidam ex iis qui in loco remanſerant compuncti, & ſuæ ſalutis facti ſunt ſollícitiores, & abbati ad obediendum ſubjectiores. Lambertum * de maxima paupertate ad magnam gloriam Dei ſuſcitatum, aliquandiu ipſius eccleſiæ præcentorem & ſcholaſticum, poſtea vero Raginoldi Remenſis pontificis & Henrici abbatis precatu eccleſiæ B. Remigii ſcholaſticum, cardinalem (b) quoque & decanum, Fulconem præcentorem poſt eum, in illuminationibus capitalium litteratum & inciſionibus lignorum & lapidum peritum, Gozelinum in ſcientia litterali & conſilio promtum, ſed nullius terrenæ adminiſtrationis cupidum, Guiredum Ebernenſis cellæ præpoſitum & poſt Theodericum ſecundum abbatem ordinatum, Stephanum, Remigium & Rodulfum præcipuos in ſtudio ſcriptores, Gerardum poſt Guiredum Ebernenſem præpoſitum, Quintinum & Heribrandum admodum eruditos, ſed a Theoderico II. nimis immature curis exterioribus expoſitos, Herbertum pictorem immatura morte præventum, multum equidem dolendum, Guidonem ſcholaſticum ſcientia & moribus inſignem, Fulcuinum & utrumque Bernardum in eccleſiaſticis utilitatibus benevalentem, Hugonem quoque Macerienſem nobilitate & ſimplicitate laudabilem, Helbertum Leodienſem in abaco & muſica triumphantem, Raginerum Hoienſem, Alſemannum, Gualterum & Godefridum, & fratrem Beringeri abbatis Benedictum.

* ſupple exaravit.

[b]

13. Converſi ſunt ſub eo monachi eam vitam profeſſi Albertus preſbyter, poſtea Arduenſis præpoſitus; THEODERICUS & ipſe ſatis induſtrius Condruſtri præpoſitus, & poſt eum abbas ab Henrico epiſcopo ordinatus; Lambertus major dictus in eadem eccleſia ab infantia eruditus. Hic jam juvenis a marchiſſa BEATRICE Langobardiam ductus & apud Drogonem Parmenſem aliquandiu philoſophatus, cum poſt interfectionem marchionis Bonefacii patriam ſuam reverteretur, familiaritate ejuſdem abbatis attractus, ſub eo factus eſt monachus: cujus conſilium & auxilium quantum profuerit eccleſiæ vix olim poſteris videbitur credibile. Converſi ſunt ſub eo Beringerus & Adalbero, quorum uterque non multo poſt functus eſt abbatis officio. Inde Robertus canonicus eccleſiæ Virdunenſis, & poſt præpoſitus cellæ Cimenſis, Raginerus Macerienſis poſtea præpoſitus cellæ Pyrenſis, Obertus Teutonicus qui eccleſiæ quoad vixit Læſuram procuravit ex ea bene natus, Everardus Dionenſis, Stephanus Nannicenſis, Emmo, Alardus, Ebremundus, Garnerus & Dominicus Hoienſis, Fulcaudus Montenſis, pro bonis moribus cognominatus Johannes apoſtolus, Fulcherus, Richerus & Gunterus Pornenſis, uterque Arnulfus Valentinienſis, Alſmannus, Godefridus & Adelo Wavorecenſis.

14. His omnibus militantibus Deo ſub diſciplina regulari præerat abbas, quaſi quidam dux induſtriæ militaris. His omnibus omnia factus conformabat ſe ſingulis, donec formaretur Chriſtus in eis, nec quemquam exiſtimabat fortuna vel conditione, ſed moribus & religione: & cum ab ineunte ætate religioſe, inſtitutus, modeſte & caſte vixerit, tunc hunc ſibimet uſum vivendi continuandum inſtituit, ut nonniſi ſemel in die ſemper reficeret, tam parce tamen, ut continuatim eſuriret, & hoc ſine ovis & caſeo & abſque ſaginæ condimento. In legitimis autem obſervationibus adventus & quadrageſimæ biduanis & triduanis jejuniis ſe macerabat occulte. Præter communem monaſterii elecmoſynam duodecim pauperes quotidie alebat, quibus lotis pedibus & manibus, & refectione ſufficienti impenſa ſatis humiliter tamquam Chriſto ſe eis in terram proſtrabat. Viliſſimo ſtrato ſuperjecto cilicio paululum quieſcebat; ex quo latenter ſurgens communes vigilias ſemper anticipabat. Sicque genuflexionibus & orationibus cum lacrymis Deo ſeipſum mactabat. Theodorici vita auſtera.

15. Quadam autem nocte cum illo ſuo more vigilias anticipans orationi incumberet, ecce in ſimilitudine cervæ diabolus ei adfuit, & orationis ejus intentionem pulſu pedum inquietare cœpit. Illo revera cervam exiſtimans, cum indignatione ſurrexit, perſpecturus utrum clauſtri oſtium negligenter apertum ſero remanſiſſet, per quod eadem cerva nocturno errore acta illo introiſſet de proxima ſilva. Cerva eumdem modo præ- *Diabolum* ſub cervæ figura ipſius orationem perturbantem ſigno crucis fugat.

(a) Hæc erat olim pœnitentia eorum, qui propinquiores parentes gladio impetebant, ut ex eodem ferro circulo confecto corpus pœnitentis ſtringeretur, ac peregrinari ad loca ſancta, donec circulus ferreus ſponte eſſet diſruptus, juberetur. Quam pœnitentiam Lambertus tamquam ſpiritalis parricida in ſe ſuſcepit.

[b] Cardinales in eccleſia ſancti Remigii dicebantur ſeptem monachi ab abbate deſignati, qui ſoli jus & facultatem habebant celebrandi majorem miſſam, ex privilegio Leonis papæ noni qui eccleſiam dedicavit.

cedens, modo ſubſequens acerrime impete-
bat, donec uterque venit ad clauſtri januam,
quæ diligenter erat obſerata. Tandem ab-
bas obſtupefactus, horrore diabolicæ inſe-
ctationis, cum erectis ad Deum oculis ſi-
gnum ſanctæ crucis illi opponeret dicens:
Ecce crucem Domini, fugite partes adverſæ,
cum tanto ſtrepitu diabolus evanuit, ut om-
ne dormitorium, ſub quo tunc prædicta ja-
nua erat, videretur erui. Nec multo poſt
dum laſſus crebris genuflectionibus ante ma-
jus altare circa mediam noctem proſtratus
oraret, repente maxima lux per totam ec-
cleſiam cœlitus emicuit, & tum in ipſa luce
columba miræ pulchritudinis apparens, om-
nes baſilicæ angulos luſtrando pervolare cœ-
pit. Quæ cum ſingula ſanctorum altaria læ-
tis alarum plauſibus, & quadam ſuæ vocis
dulcedine hilariter ſalutaſſet, poſtremo leni
volatu allapſa quo venerabilis vir jacebat
tamdiu ſuperſedit, donec pulſatis vigiliis
cum prædicta luce ſubtracta diſparuit. Quod
cum fratres qui in cuſtodia mònaſterii excu-
babant vidiſſent, & in craſtinum abbati quaſi
neſcienti cum ammiratione & lætitia retu-
liſſent, ille eos cum indignatione redarguit,
& ne alicui quoad viveret hoc ipſum indica-
rent præcepit.

Columba cum ingenti luce ipſi apparet.

16. Præter canonicas horas, quas ut de-
bitas diligenter Deo exſolvebat, in venera-
tione beatæ Trinitatis & glorioſæ ſemper
Virginis Mariæ, itemque Petri apoſtoli, om-
niumque Sanctorum ſingillatim vigilias &
omnes horas diei decantabat, & pſalterium
etiam inter noctem & diem ex integro per-
currens, aut per ſe pſallebat, aut qui pro ſe
pſalleret procurabat. In quotidianis vero miſ-
ſarum ſolemniis quibus gemitibus quave
cordis contritione Domino ſacrificaturus
aſſiſteret, ejus ſolius eſt approbare, cujus
eſt omnium hominum corda penſare. Cu-
jus fuerit humilitatis in habitu, cujus gra-
vitatis in inceſſu, cujus æqualitatis in vultu,
cujus honeſtatis in actu, mirabatur non ſo-
lum quælibet eccleſiaſtica dignitas; ſed etiam
faſtuoſa & aliis irreverens ſæcularis poteſtas;
cujus & laudabiliter magnificabat abſentiam,
& humiliter honorabat præſentiam.

In oratione quam aſſiduus.

17. Evocatus ſæpe a religioſo (*a*) ANNONE
Colonienſium pontifice, amica veneratione
excipiebatur, & apud tantum virum aliquan-
diu familariſſime remorari coactus, divina-
rum ſcripturarum mutuo relatu quaſi in au-
reo Salomonis reclinatorio, media caritate
conſtrato delectabatur. Cui cum forte inter
loquendum familiari jocunditate objiceret,
quare quoſdam barbaros ſuæ parrochiæ trans
Rhenum commorantes in quadrageſima ab
ovis & lacte, & caſeo auctoritate pontificali
non compeſceret; reſpondit pontifex abſti-

[*a*] Anno ponti-ficis familia-ris.

[*a*] Anno inter ſanctiſſimos eccleſiæ Colonienſis præſules merito annumeratur, cujus præclara acta habes apud Surium die 4. Decembris. Jacet in Sigebergenſi ordinis S. Benedicti monaſterio, quod fundaverat.

nentiam & religionem eccleſiaſticam ſe qui-
dem omnino approbare, atteſtari & laudare;
differentiam vero ciborum firmis in fide non
multum obeſſe, cum Dominus in deſerto
per corvum Eliam paverit, non piſcibus ſed
carne; ſæpius autem ſe id prohibuiſſe, nec
prævaluiſſe, quod Chriſtiani dici paterentur
multum ſe gaudere, ne dum aliqua violen-
tia abſterreret, eoſdem barbaros a Chriſtiana
fide elongaret. Et quia eidem pontifici tan-
to erat abbas gratior, quanto apud eum
conſtabat honorandæ virtutis locus amplior,
numquam ab eo niſi muneribus honoratus
redibat, quæ & dantem & accipientem om-
nino decebant.

Mulieremin-firmam ſanat.

18. Quadam vero vice idem abbas cum
gratia orationis, tum etiam amore ductus
pontificis, Coloniam vadens, apud Juliacum
caſtrum a conditore Julio dictum, voluit
hoſpitari, ubi & in mane miſſas celebratu-
rus ad eccleſiam proceſſit. Mulier autem
quædam in eodem loco languebat, quæ
omnino cibo & potu privata & ſomno, ip-
ſos etiam propinquos quod viveret faſtidie-
bat. Hæc ammonita eſt per noctem, qua-
dam venerabili perſona ſibi vigilanti aſſi-
ſtente, ut in mane ad eccleſiam delata, de
manu abbatis miſſas celebraturi panem be-
nedictum peteret, ſeque ejus orationibus ſa-
nandam confideret. Parentibus languentem
deferentibus & abbati pro ea ſupplicantibus,
abbas non ſolitus loqui niſi poſt expletionem
pſalterii, averſione qua poterat reniti, ſignis
& nutibus hoc non eſſe ſuum conteſtari; tan-
dem convictus concurrentium lacrymis &
precibus, quinque oblatas benedicens, in
ore languentis miſit; illaque ſtatim recepto
manducandi uſu convaluit. Abbas vitans hu-
manas laudes, citius aufugit, nec ulterius per
idem niſi latenter tranſire voluit.

Adalberoni Metenſium epiſcopum viſitat.

19. Si quando vero pro reſponſis eccle-
ſiæ domno (*b*) ADALBERONI Metenſium epi-
ſcopo ſe præſentaſſet, mirabatur poſtmodum
ipſemet in recolendo meminiſſe, qua ſe illi
humilitate vir tantæ nobilitatis & poteſtatis
inclinaret, qua benignitate compulſum ad
ſecum prandendum ſedem collocaret. Cui
cum forte inter prandendum deferrentur
pirorum primitiæ, cœpit ea pontifex mani-
bus attrectare, ſæpius olfacta ſuper menſam
reponere, & quaſi ſub obtentu cujuſdam de-
lectationis tangendo & non guſtando, ſe in
eis cruciare. A quibus ſe omnino continens,
cum aliis illa diviſiſſet, abbas quod viderat
feciſſe epiſcopum diligenter notavit, & cau-
ſam facti ſolus cum ſolo, ſedens humiliter
requiſivit. Ad hæc epiſcopus ſuſpirans inge-
muit, & quia his olim in juventute ſua ni-
mis delectatus ſe peccaſſe meminiſſet, reſpon-
dit ſecum deliberaſſe, ut per quæ peccaſſet,

[*b*] Adalbero Friderici 1. comitis Luxemburgenſis filius eccleſiam Metenſem ab anno 1047. ad 1072. laudabiliter rexit.

per hoc & ſeipſum abſtinendo puniret. Edificatus abbas exemplo hujus abſtinentiæ gratulabatur multotiens apud familiares ſuos, id ſibi poſtea multum profuiſſe, & ne excederet per illicita ab ipſis licitis ſe conſtanter continebat.

Anno Incarnati Verbi MLXXI.

Erectio cellæ Ebernei curtis.

20. Domnus etiam Helinandus Laudunenſis epiſcopus, ejus familiaritate delectatus, monuit eum & adjuvit cellam unam in epiſcopio ſuo conſtruere, videlicet ante Novumcaſtellum ſuper Axonam, apud Eberneicurtem, ubi ab antiquo poſſidebat eccleſia B. Huberti quindecim manſos præter terram dominicalem. Qui epiſcopus ex conſenſu Fulcardi & Ebali archidiaconorum ſuorum, totius quoque capituli eccleſiæ Laudunenſis altare matris eccleſiæ prædictæ villæ, ſubſtitutis illi aliis novem, in Briania unum, in Pugnei-curte unum, in Mediana villa unum, inter Provaſium & Proviſiolum duo, in Gugnei-corte unum, in Vicuni-corte duo, in Raulci-corte unum ad opus prædictæ contulit cellæ, quæ omnia ratis & firmis privilegiis, excluſis quoque eorum altarium perſonis, habenda in perpetuum confirmavit B. Huberti eccleſiæ in Arduenna ſitæ. Nec multò poſt repoſita eccleſiæ Laudunenſi viciſſitudo hujus donationis ab eccleſia B. Huberti, videlicet bibliotheca una totius veteris & novi teſtamenti. Hanc a domno Giſleberto noviter conſcriptam Elinandus pontifex cum [a] (a) Joffrido Pariſiacenſi epiſcopo Colonia rediens & ad nos divertens, vidit, & laudantibus eam clericis ſuis concupivit, donatamque ſibi in gratia ſpecialis & perpetuæ amicitiæ inter eccleſiam Laudunenſem & noſtram obtinuit.

21. Fuit autem ei cauſa ad nos divertendi quaſi cujuſdam jocundi miraculi eventus. Audierat abbas Theodericus utrumque pontificem per Hoium tranſire ut Coloniam irent, miſſiſque ad eos litteris, mandavit ut per eccleſiam B. Huberti redirent. Litteris autem perditis in Leuga quæ dicitur Mala inter Hoium & Leodium, cum poſt duodecim fere dies pontifices redirent per eamdem viam, obtulit eis viator quidam novitèr inventas ibidem eaſdem litteras. Illi autem non ſine miraculo divinæ voluntatis, ſecum reputantes rei eventum, nullo modo præſumſerunt prætermittere abbatis mandatum. Venientes vero abbas officioſiſſima proceſſione excepit, per biduum retentos affluenter refecit, præſentatis inter prandendum ad jocunditatem ammirantium carpis & piſcibus vivis. Poſtea digreſſos impenſibus eccleſiæ Moſomum uſque deduci præcepit, gratias agentes Deo pro experta caritate, & probata in loco eodem nobili & venerabili religione, quam niſi oculis probaſſent, nullo modo, ut aſſerebant, narrantibus credidiſſent.

Anno Verbi Incarnati MLXXIV.

22. Philippus etiam rex Francorum ab eodem abbate rogatus, omnes capellas Novi-caſtelli, quod tunc tenebat, matri ſuæ eccleſiæ beatæ Mariæ, quæ eſt in Ebernei-corte recognovit & reddidit, eaſque privilegio ſuæ auctoritatis cum prædicta cella eccleſiæ B. Petri & B. Huberti habendas confirmavit.

Anno Verbi Incarnati MLXVIII.

Cella Pyrenſis ab Arnulfo comite donatur.

23. Arnulfo comiti Chiniacenſi ex patrimonio ſuo provenerat cella Pyrenſis. Qui licet juvenis, ductus tamen optima fama & amore Theoderici abbatis, tactus etiam propter optimæ religionis odorem ſepulturam ſuam ibidem conſtituere, præfatam cellam eccleſiæ B. Petri & B. Huberti perpetuo habendam legaliter donavit, addens ei quicquid inter *Marbais* & Faimum ſui erat juris, ut latius continetur in privilegio facto ejuſdem donationis. (b) Abbas autem data commutatione præbendarum ibidem prius ſervientibus clericis, ex conſenſu domni (c) Manasse Remorum pontificis, pro eis monachos ſuos in eodem loco ſubſtituit VIII. idus ejuſdem anni. Cum in gallicinio gratia orationis intraret idem abbas eccleſiam B. Hilarii, contigit in ea candelam divinitus accendi, ut ibi clareret adveniſſe filium lucis, ante cujus adventum ibidem lux cœleſtis emicuit. [b] [c]

Donatio cellæ Warcenſis & Noviandi.

24. Prædictus quoque pontifex Manasses ductus gratia religioſi abbatis, ex conſenſu clericorum eccleſiæ Remenſis altare B. Hilarii quod eſt in Guiſtineo, cum capella Guarcenſi, altare etiam S. Mariæ in Noviando ſuper Moſam dedit eccleſiæ S. Huberti, & excluſis in perpetuum eorumdem altarium perſonis, donum ſuum legitimis privilegiis publicæ factis, (d) & in conciliis ſuis recognitis confirmavit. Contigit autem non multo poſt, ut Adeladis uxor Arnulfi, ſoror autem Ebali Roceienſis defuncta & in introitu eccleſiæ verſus clauſtrum ſepeliretur. Manasses quoque frater ejuſdem Arnulfi divino flagello compellente monachus effectus, & poſt infra menſem mortuus ibidem apponeretur. Erant præterea quatuor fratres, videlicet Hugo & Ludovicus, Rodericus & Riquinus, filii Richezonis ex Liegarde amita Arnulfi comitis. Horum unus Riquinus ab Heribrando Bullionenſi interfectus ad caput prædictæ Adeladis eſt ſepultus. Hinc erga locum facti devotiores & Arnulfus & nepotes ejus. Nepotes quidem pro fratre ſuo dederunt eccleſiæ quicquid habebant apud [d]

[a] Joffridus ſen Godefridus filius Euſtachii 1. comitis Bolonienſis & Mathildis Lovanienſis, Godefridi ducis Bullionenſis patruus, eccleſiam Pariſienſem rexit ab anno 1060. ad 1092.

[b] Quod primo tomo edidimus pag. 472.

[c] Is eſt Manaſſes hoc nomine primus, vir genere nobiliſſimus, ſed moribus ignobilis, qui a S. Brunone Remenſi canonico poſtea Carthuſienſium inſtitutore non ſemel inſimulatus, tandem anno 1080. depoſitus eſt in concilio Lugdunenſi. Ejus apologiam habes in Mabillonii Muſæo Italico, tom. 1. pag. 117.

[d] Litteras ejus habes 1. tomo pag. 499.

Arnulfus comes exactiones injuſtas remittit.

Linaium & Carnetum, & quartam partem pontis quæ erat eorum apud Gabelium. Arnulfus vero præter cellam Pirenſem, quam ut dictum eſt B. Huberto donaverat, remiſit in perpetuum eccleſiæ exactiones quaſdam ab iniquis miniſtris anteceſſorum ſuorum apud Gabelium rebus noſtris impoſitas fraudulenter & injuſte, ſcilicet XL. modios avenæ menſuræ noſtræ, & unam carratam feni, alteram vero ſtraminis, quæ exigebantur ad paſcendum equum comitis, quatuordecim etiam garbas culturæ indominicatæ, VII. ſpeltæ & VII. avenæ, quæ dabantur ſcabinis, & villico deputatum unum modium frumenti. Pontenarii quoque cum in tranſponenda decima injuriarentur miniſtros eccleſiæ, meliores garbas violenter rapientes ſibi, agente Theoderico præpoſito, in curia B. Huberti mandavit eos venire Arnulfus comes, ex optimatibus ſuis Riquinum & Algoldum, Theodericum & Albertum ſecum ibi habens, & indicta bannali evocatione totius Gabelienſis poteſtatis, adjuravit antiquiores & meliores interpoſito ſacramento factæ ſibi fidelitatis, ut edicerent ei veritatem hujus conſuetudinis. Illi locuti cum conſilio reſponderunt comiti per Rodericum præpoſitum & Gobertum villicum, ſicut erant adjurati, exactiones iſtas ab iniquis miniſtris dominorum eſſe inventas & injuſte & fraudulenter impoſitas, & ideo judicio eorum ſi juſtitia ſervaretur omni modo adnihilandas. His comes auditis, Vigonem magiſtrum ſcabinum garbas acceptas ex cultura dominicali videntibus cunctis proprio collo juſſit referre & reponere in horreo beati Huberti. Quædam vero Venna, quæ apud eos dicitur radius, in Huia habetur, & quæcumque captura piſcium ibi pervenerit, a nona dominicæ noctis, uſque ad veſperam ſequentis diei, ſuum eſt eccleſiæ noſtræ ex conſuetudine veteris & quando idem radius firmabatur a villico noſtro, exigebat ſibi obſonium comitis villicus. Has omnes injuſtitias ne amplius a quoquam exigerentur, bannali auctoritate comes interdixit, pontenariis conſtituens de unaquaque carrata tranſponendæ decimæ unam garbam accipere: & ſi quid minus fuerit, de integra carrata, dimidiam illi provenire, ſicut placuerit miniſtro eccleſiæ, & hoc ſine ulla decertatione. Deinde comes pro his & aliis injuſtitiis, quas vel a ſe vel a ſuis recognovit factas eccleſiæ, culpam ſuam confeſſus eſt publice, & Ottone filio ſuo ſecum deducto, veniens ad monaſterium, Floherimontem cum familia & molendino donavit B. Huberto legaliter habendum. Filii quoque ſui dextram ſuper majus altare B. Petri applicavit, & ut omnia quæ eidem eccleſiæ donaverat, vel injuſtas exactiones, & conſuetudines quas annullaverat, ipſe etiam jurejurando ei confirmaret proprio ore, in papyro dictavit, præſentibus ibi quibuſdam optimatibus ſuis. Gabelium autem ſemel in dicendo ingreſſi, videtur utile notificandum poſteris, licet præoccupato ordine narrandi, quid ibi contigerit tempore domni (a) Henrici epiſcopi. Omnis decima ubicumque jaceat intra bannales terminos totius Gabelii conſtat eſſe ab antiquo eccleſiæ B. Huberti. Apud villam vero fiſcalium exciſis in foreſte ſartis, fœcunda ibi provenerat meſſis. In hanc irrepſerat latenter Raguenus ejuſdem villæ preſbyter, decimam ſartorum ſibi conatus abſtrahere: unde cum XX. garbas abſtuliſſet, Theodericus ſuperveniens præpoſitus, illi cum maxima indignatione quod invenit reſiduum decimæ conſtanter induxit horreo eccleſiæ, eumque ad epiſcopalem audientiam edixit ſecum venire. Evocatis autem antiquioribus vicinis, epiſcopo apud S. Hubertum commoranti uterque ſe præſentavit, ibi coram illo ſacramento veridicorum comprobata veritate, judicio Boſonis archidiaconi Raguenus preſbyter publicam juſtitiam fecit Theoderico abbati, & juſſu epiſcopi, decimam quam abſtulerat ſuo vehiculo reductam propriis manibus in horreo eccleſiæ repoſuit.

Anſeromiæ comitatus Theoderico abbati datus.

24. Namurcenſi comitatui, licet injuſte, ſubjacebat centenaria juſtitia Anſeromiæ, & vicecomitum violentia affligebatur nimis eccleſiæ familia. Dicturi cauſas exactionis Guillelmus de Virvia cum Hermanno & fratre ejus Rodulfo de Houhaia die condicta illò convenerunt, & in dominicali curia porcum unum invenientes in cœnam ſuam occidi & parari juſſerunt: bullientes carnes ſatis multus ignis ſuggeſtus coquebat, ſed nullo modo decoqui poterant, & miniſtris de more attentantibus eas, cruditatem ſuam & ſanguineum horrorem ingerebant. Cœnaturi domini cum tædio afficerentur hujus expectationis, carnes illas qualeſcumque eſſent ſibi juſſerunt apponi, ſed cœna eadem illis ultima fuit: nam Guillelmus a dæmonio correptus & Virviam in geſtatorio relatus miſerabiliter expiravit. Hermannus vero & Rodulfus aliquamdiu cum nimio dolore ſuperſtites defecerunt ſine pœnitentia & divina recognitione. His probatis Albertus comes Namurcenſis cum in Arduenna ſilva moraretur gratia venandi, & veneratione loci diverteret cum uxore ſua Ida, quæ prius fuerat uxor ducis Frederici, ad eccleſiam B. Huberti, Theodericus abbas prædictum comitatum Anſeromiæ obtinuit ab eis perpetuo remittendum eccleſiæ. Ea tamen conditio interpoſita huic remiſſioni, ut XX. modios avenæ noſtræ menſuræ præpoſitus Anſeromiæ quot annis exſolveret comitatui, villicus vero villæ de unaquaque domo ejuſdem poteſtatis modium unum avenæ exigeret pro dictis mo-

[a] Henricus Tullenſis dictus eſt eo quod ex genere Tullenſium comitum duceret originem. Electus eſt epiſcopus Leodienſis anno 1075. rexitque ad 1091.

diis xx. reponendum dominicali curiæ. Et hæc conditio firmata est maxime poscentibus villanis, qui per exactionem comitatus nimis gravabantur ab extraneis. Hoc etiam anno Willelmus comes Normannorum debellatis Anglis factus est rex eorum : qui ne ingratus esset honoris a Deo sibi collati, per cœnobia totius Angliæ undequaque evocatis præceptoribus religiosis, ordinem perfectæ religionis vel instituit vel reformavit, & per exterioris administrationis leges publicas ad civile decus excoluit. Idem rex ut erat largus in donariis, cum in solemnitate paschali militem quemdam videret cum offerentibus non offerre, evocatum interrogavit, cur non offerret : illo respondente sibi deesse quod posset offerre, rex centum libras denariorum illi jussit deferri, quas ille in clamide sua susceptas sine retractatione super altare omnes Deo obtulit. Miratus rex cum ceteris astantibus fidem offerentis, quidquid paschalis muneris sibi eodem delatum est, militi restituit.

25. Hugo Lingonensis episcopus Hierosolymam iturus, ad expetendum vitæ subsidium eumdem regem adiit, eique quasi ad decentem gratiam hujusmodi salutationem præsentavit.

Si quis in ante videt qui te circumspicit, ex te
Colligit, ante comes, rex modo, cæsar erit.

Quæ laus multorum favore exposita & commendata, cum placuisset regi, longum est memorari quot & quantis donis episcopum honoraverit.

Idem Hugo cum puerum quemdam ordinasset exorcistam, Hugo Lugdunensis archiepiscopus & Romanæ ecclesiæ legatus eamdem ordinationem nimis indiscrete irritam judicavit, ipsique puero acceptos semel gradus sua ordinatione iteravit : hanc injuriam sui episcopus mordaci joco removit, & hujusmodi sales archiepiscopo in faciem rejecit.

Si veteres renovare gradus, ut carmina nostis,
Unde reum me quisque meus præjudicat hostis.
Jam video quod quidquid ago mutare poteris.
Sed doleo quod non valeo vel nosse quod estis.
Si priscæ pietatis amor vos detinuisset,
Et servum qui vester eram non deseruisset,
Pro puero licet eximio non esset agendum,
Pontificem sine judicio sic destituendum
Quid latuit ? quæ causa fuit ? fuit utilis ordo.
Per me qui quartus per vos fuit in decachordo.
Jam decimare quod est poterit, multumque benigne,
Tres poterit præstare gradus & psallere digne.

Britannico cuidam clerico Marbodoni, cum recubaret ad prandium Guillelmi regis, delata est ad bibendum aurea vel argentea navis, quam dum manu teneret, talem de illa usum dixit :

Nec pice nec clavis eget hæc argentea navis.

26. Gozilo comes Bohaniæ apud Marlidam dominicalem domum fregit, & ad placitum abusus ibidem quibusque inventis, res etiam ecclesiasticæ familiæ satellitibus suis diripiendas permisit, & cum senatus pertraheret noctem jocis & sermonibus, repente percussus ultione divina in ipso crepusculo finivit vitam. Uxor ejus Ermentrudis de commisso domini sui humilem satisfactionem beato Huberto & abbati per optimates suos mandavit, & ut ibidem corpus ejus sepeliretur expetiit. Abbas ex consilio fratrum & satisfactioni & petitioni annuit, sepultoque Gozilone, Summcium allodium cum matre ecclesia & familia ab Ermentrude uxore illius, & Conone, Rodulfo, Widone & Henrico filiis ejus, legaliter ecclesiæ donatum acquisivit. Sub eodem tempore insimul cœpta est fieri octo turrium corona, & quæ in prato est in honore beati Ægidii ecclesia, murus quoque circa monasterium qui nimia vetustate pene totus corruerat, claustrum quoque & crypta. Gozelo comes Bohaniæ divinitus punitus.

27. Adeladis comitissa Araleonis fuerat filia nobilissima ducis Theoderici, soror vero Sigefridi patris Marchisiæ Beatricis. Hujus quidam cubicularius a rabido cane morsus & infectus solum quod supererat ei remedium salutis ad B. Huberti patrocinium confugit. Ejus enim apud Deum meritis habetur in loco eodem singulare privilegium probatæ virtutis, ut si quis infectus morsu rabido canis, aut lupi, aut cujuscumque insani pecoris, illò confugiens incisus fuerit, (a) ritumque ejusdem incisionis servaverit, sine dubio evadit periculum certissimæ mortis. Et ut per excessum vera probemus ea quæ dicimus, vidimus ipsi nostris temporibus duos juvenes in pago Hasbanico, qui infecti a quodam cane rabido, ne ad meritum B. Huberti confugerent seducti sunt a quodam presbytero ; promisit vero eis quibusdam incantationibus & medicamentis certitudinem sanitatis, acceptoque inde commodo, fecit eos persistere domi, confugientibus aliis ad ecclesiam B. Huberti, qui videlicet ab eodem A rabidis animalibus morsi a S. Huberto curantur. [a]

[a] Hactenus perseverat apud S. Hubertum ille ritus incisionis. Nimirum a rabido animali morsis, post depositа ad sacerdotem peccata, sacra communione refectis fit cum instrumento in fronte parva incisio, & in vulnere inseritur particula stolæ S. Huberti, quam linteo ad frontem alligato per novem dies morsi deferunt, certam interim vivendi rationem observantes, indubie sani revertuntur. Hujus etiam ritus meminit auctor libri miraculorum S. Huberti, cap. 14. apud Johannem Roberti.

cane fuerant infecti : quibus ſanis redeuntibus, prædicti juvenes furiis & doloribus vexati cœperunt inſanire, ut lupi ululare, ut canes latrare, vixque ad monaſterium deducti & ibi mortui, videntibus & audientibus incuſſerunt metum maximi horroris. Sed hoc per exceſſum. Prædictus autem cubicularius Adeladis ex more inciſus & ſoluto (a) capitalitio [a] fervus Sancti effectus, ad miſſam matutinalem deductus eſt communicandus. Intuitus autem fratres ordinate & reverenter conſiſtentes, inclinato capite, nuſquam oculos declinantes, corum in offerendo ordinatam ſucceſſionem, & devotionem in eundo & redeundo, compoſitam gravitatem, ammiratus eſt in eis, ut erat vir ſæcularis, quaſi quamdam imaginem mortificationis; reverſuſque ad dominam ſuam, quæ viderat ei renuntiavit. Illa quantocius miſſa legatione ad abbatem, magnis precibus ut ad ſe veniret obtinuit, venienſque nuntium adventus ſui ad comitiſſam præmiſit. Viſo nuntio, mulier virilis animi, & quæ conſcia propriæ nobilitatis, nullius curabat dignitatem vel perſonam ejus temporis, ſurrexit velociter ut occurreret abbati, mirantibus filiis ejus FULCONE & GUALERANNO quæ eſſet apud eam novitatis hujus veneratio, eorum ſuſtentata brachiis obviam proceſſit abbati, viſumque cum jam ab ea poſſet audiri, inclinato capite, humillima ſalutatione honoravit; & cum poſt orationem licentius alloqui eum poſſet, gratias, inquit, ago tibi, venerabilis pater, cujus filiorum tantam audivi religionem, tamque rarum hujus noſtri temporis ſanctæ opinionis odorem, cumque renumeraret quæ retulerat ei cubicularius ſuus, & per mutua ædificationis colloquia aliquamdiu in Domino delectarentur, obtulit abbati eccleſiam de Fiſco Anſlaro perpetuo habendam in uſus fratrum, præfatis filiis ejus laudantibus & confirmantibus hoc idem donum. Videns abbas copiam magnorum lapidum in fundamento veteris quondam civitatis, nunc autem pro caſtello mœnibus adbreviatis, ſuggerente Lamberto majore, ex eiſdem lapidibus eccleſiæ donari expetiit quantum ſufficeret ad ædificationem cryptæ vel clauſtri. Libenter illa quod petebatur conceſſit; ſed & operariis eccleſiæ, quamdiu ibi morarentur & hoſpitium & victum promiſit. Reſpondit abbas gratias Deo omnipotenti, ADELIDI & filiis ejus reverenter valedixit, & ad monaſterium rediit. Mox quoque a Leodio cæſoribus conductis, criptam & clauſtrum in præſentem ſtatum compoſuit, advectis ab Ara-leonis columnis cum capitellis & baſibus ſuis & altarium menſis. Auxit etiam oratoria a dextris & a ſiniſtris eccleſiæ; & a dextris quidem memoriam beatæ Mariæ ad medium altare novæ criptæ tranſtulit, & ibidem altare S. Stephani protomartyris ſubſtituit; a ſiniſtris vero memoriam B. Martini ut fuerat reliquit, ibidemque extrinſecus novum oratorium exſtruxit, quod dicitur ad ſanctam Jeruſalem, eo quod dominicæ ſepulturæ & reſurrectionis contineat expreſſam ſimilitudinem. Illuminavit quoque oratoria quæ exſtruxerat pulcherrimis feneſtris, quodam Rogero conducto ab urbe Remenſi, valenti admodum viro & promtiſſimo hujus artis & peritiſſimo. Ædificavit & altare in honore ſanctæ & individuæ Trinitatis ad pedes B. Huberti, ubi & maxima ſanctorum pignora depoſuit: quæ omnia non multo poſt Henricus epiſcopus, aſſumto ſecum Francone Bellegradenſi pontifice, qui ſecum tunc temporis morabatur Leodii, in magna gloria & lætitia dedicavit. Perfecit etiam prædictus abbas tabulam auream ante majus altare, quod eſt in honore B. Petri Apoſtolorum principis, quam olim cœperat ALBERTUS abbas, occaſione conterendi calicem unum aureum librarum viginti, qui cotenus permanſerat in loco, donatus olim B. Huberto a LUDOVICO Pio Caroli magni imperatoris filio. Plura autem donaria non tantum in argento & auro, verum etiam in auro textis ornamentis & libris, tam a præfato principe, quam a GUALCANDO pontifice eidem loco collata fuerant, quæ vel inhabitantium ſimplicitas, vel extraneorum abbatum aut præpoſitorum diſſipavit temeritas, aut aſportavit per abuſionem & cupiditatem effrænata impudenter licentia. Sed & ipſi noſtris temporibus vidimus quoſdam, quos nec nominandos cenſuimus, qui quaſi occaſione non curandæ vetuſtatis, multa incenderunt ex eiſdem auro textis ornamentis, re autem vera hoc inoliti cupiditate auri exinde rapiendi. Quid de librorum diſperſione & diſtractione memorandum, cum & ipſum auro ſcriptum pſalterium, quod Ludovici imperatoris fuerat proprium, ejus imagine in principio inſignitum, apud urbem Tullenſem fuerit venditum, quaſi in extera provincia ſecurius ibi celandum. Divina tamen diſpoſitio reſtituit illud eccleſiæ ſuæ hoc modo. Mater domni papæ Leonis IX. venale illud inveniens emit, & eidem filio ſuo tunc Brunoni, ut in eo pſalmos addiſceret, diſpenſavit; ſed cum in alio quolibet pſalterio & plane legeret, & facile quod diſcebat rederet, in illo tantum incurrebat tales offenſiones, ut nimio tædio a lectione videretur deficere. Nolebat enim Spiritus-ſanctus cujus electionis vas idem puer futurus erat, ne alicujus ſacrilegii contactu vel ignoranter contaminaretur. Mirante vero matre ſic filium in pſalterio adverſari, audivit vulgante fama fuiſſe illud eccleſiæ B. Huberti, & multiplici anathemate per diverſas regiones publicam

A B C D E

Donaria eccleſiæ S. Huberto diſſipata.

Pſalterium auro exaratum S. Huberto reſtituitur.

[a] Capitalitium proprie eſt cenſus qui per ſingula capita ſolvitur, hic vero ſumi videtur pro eleemoſyna, quam ſinguli ad S. Huberti ſuffragia vitandæ rabiei cauſa confugientes, completo voto ſolvebant.

blicam ejus quæſtionem fieri. Nec diu morata ad locum properavit, puerumque ſecum deduxit, & abſolutionem hujus ſuæ ignorantiæ humiliter expoſtulans, pſalterium eccleſiæ reddidit. Obtulit etiam pro ſatisfactione librum unum Sacramentorum, qui poſtea donatus eſt eccleſiæ beatæ ſemper Virginis MARIÆ, quæ ſua eſt beati Huberti apud Gabelium.

Exemtio ab omni Angaria erga caſtrum Bullonenſe.

28. Thetiboldus advocatus eccleſiaſticam familiam quibuſdam novis injuſtitiis opprimere volebat: quia abbate viriliter obſiſtente, evincere non prævalebat, ut ſe de eo juſtificaret, occaſiones quærebat. Unde & ad ducem GODEFRIDUM majorem ſe contulit, utque ad firmandum vallum caſtri ſui Bullonienſis exigeret injuſtam angariam de hominibus S. Huberti importune ſuggeſſit. Dux interimone abbatem, quem humiliter verebatur, inquietaret, tunc quidem ſiluit, donec ad monaſterium veniens ſe ibidem excipi petiit. Exceptus cum honore & per biduum detentus ab abbate in loco ſubſtitit, & inter loquendum ſuggeſtionem Thietboldi, ipſo quoque præſente, abbati retulit. Abbas evocatis Heribrando ſeniore caſtellano, & Hugone, Gualtero, Roderico, & Hugone, perorante Lamberto majore antiquas provinciæ conſuetudines, rei veritatem inveſtigavit, & teſtimonio prædictorum principum omnem familiam eccleſiæ, quæ vix ſufficeret in reſtituendis & continendis officiis & munitionibus monaſterii, hujus exactionis liberam eſſe conſtanter coram duce comprobavit. Ad hæc Thietboldus dum vellet abbati obſiſtere, dux malitiam ejus intelligens, ut erat vehementis animi, in eum indignatus graviter: » Hæc eſt, inquit, tua erga me » fidelitas, ut meo peccato iniquitatem & cupiditatem tuam expleas, dum mendacio tuo » me provocas peccare in Deum & in ejus familiam.» Et ſedens, ut ſolebat in audientia publici juris agendi, conſilio & teſtimonio legali judicio optimatum, hanc ſententiam conſtituit, & ne aliquando removeretur a qualibet perſona, firmavit, ut omnis familia eccleſiæ ab hac exactione in perpetum amodo libera eſſet, ſive eam deberet, ſive non deberet.

Anno MLXXIV.

29. Sub eodem tempore orta contentione inter abbatem & advocatos de comitatu abbatiæ, in præſentia ducis ejuſdem, filiique ejus Godefridi, omnino adjudicatus eſt & confirmatus abbatiæ & eccleſiæ ejuſque miniſtris prout illi placeret.

Oblationes quotannis factæ S. Huberto.

30. Tribus per annum oblationibus circa feſtum B. Johannis Baptiſtæ, eccleſia B. Petri & B. Huberti ſolemniter honoratur, quæ vulgo cruces Falmenienſes, Palatienſes, & Arduennenſes dicuntur. Quibus autem neceſſitatibus compulſi provinciales has conſuetudines Deo & B. Huberto devoverint, quibuſque probatis conſolationibus legaliter ſibi firmandas in perpetuum inſtituerint, qui latius addiſcere voluerit, relegat textum (a) miriculorum prædicti patroni. Has (b) edicto LUDOVICI Pii imperatoris filii Caroli magni & ſynodali banno GUALCANDI Leodienſis pontificis ibidem novimus addictas & certis finibus legali firmato privilegio determinatas.

[a] [b]

Anno MLXXV.

Godeſcalcus abbas Haſtenienſis eas ad ſe attrahere conatur.

31. Noſtris autem temporibus GODISCALCUS abbas (c) Haſtenienſis Palatienſes cruces fraudulenter tentaverat imminuere, & muneribus preſbyteros villarum ſeducens, Harneas, Gabelium, Wilererias, utraſque Burſivas, & utraſque Liures, Nevies, Gedinam, Granthes detrahens noſtræ, ſuæ attraxerat eccleſiæ. Hanc ejus præſumtionem compertam abbas Theodericus graviter tulit, & ut inde ſibi reſponderet in concilio preſbyterorum Granthes denominato per Freduardum decanum evocavit. Ibi Godeſcalcus præſente Boſone archidiacono, Ernetboldo altaris advocato, convictus judicio & ſubclamatione totius concilii, eccleſiæ beati Huberti quod ſuum erat ab antiquo publice recognovit; aſſurgenſque Theoderico abbati juſtitiæ vadium ei per manicam tunicæ ſuæ porrexit, & vades decem librarum exactus depoſuit, & ſic deinceps a præſumtione ſua ceſſavit. [c]

Godefridus dux ægrotans arceſſit Theodericum abbatem.

32. Dux GODEFRIDUS in Italia infirmatus, & exinde Bullonium revectus, cum jam deſperaret vitæ ſuæ, miſſis ad abbatem Theodericum legatis, ſatis humiliter, ut ſe viſitaret expetiit. Neque enim proceſſus erat de monaſterio facilis, maxime vero gratia alicujus perſonæ ſæcularis. Tandem ad eum ingreſſus, cum tantæ prius poteſtatis virum ita videret affectum, elevatis oculis ad Deum, Tu, inquit, humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum. Dux ad verbum abbatis compunctus, Pater, ait, cariſſime, nihil verius. Et erumpens in lacrymas, vix præ ſingultibus conatus eloqui, puram confeſſionem pro expectatione mortis, Deo coram abbate reddidit, eaque reddita, gladium ſuum ſibi deferri juſſit, quem aſſiſtenti filio ſuo GODEFRIDO, continuato gemitu pœnitentiæ, abbati reddendum præſentavit, eumque ſibi teſtem futurum in judicio Dei pro abrenunciatione militiæ ſæcularis ſatis humiliter, magis vero dolenter inclamavit. Quantas autem lacrymas ab oculis circumſtantium excuſſerit tanti doloris ſpectaculum, penſandum potius cenſuimus, quam referendum. Cujus enim cor non emolliret, cujus vel inhumanos affectus non inclinaret pœnitentia

(a) Extat apud Johannem Roberti in hiſtoria S. Huberti, & apud Mabillonium ſæculo IV. Bened.

(b) Idem habet textus miraculorum cap. 6.

(c) Haſtenienſis abbatia hodie in prioratum redacta, Valciodorenſi monaſterio ſubjecta, eumdem olim habebat abbatem qui Valciodoro præerat. De hoc autem abbate Godeſcalco vide ſi lubet chronicon Walciod. Spicil. tom. 7. p. 563.

tam devota, tamquam humilis illius quondam nominatiſſimi Romanæ urbis patricii & præfecti Anchonitani, & Piſani marchionis, & totius interjacentis Tuſciæ & Italiæ dominatoris, invictique Virdunenſium comitis & Lotharingiæ ducis Henrici, etiam imperatoris per tot annos acerrimi impugnatoris. Nec multo poſt ad eccleſiam B. Petri trans pontem ſitam juſſit tranſportari, proſequentibus cum abbate THEODERICO & Gonzone Florinenſi, & Hermendo Virdunenſi, filioque Godefrido cum optimatibus ſuis. Ibi ſibi deferri juſſit capſam ebuneam, quæ fuerat Bonefacii marchionis, plenam pretioſis ſanctorum reliquiis, inter quas eminebat portio magna Dominicæ crucis, & geſtatorium papæ Johannis. Ea acceptâ in manibus coram altare B. Petri, ſine alicujus ſuſtentatione in pedes libere conſtitit, & prædictam capſam tenens recenſuit ex ordine, videlicet ex edicto Alexandri papæ ſeparatum ſe eſſe a marchiſſa BEATRICE, & pro ejuſdem ſeparationis conditione ſtructurum ſe congregationem monachorum de communibus poſſeſſionibus utrimque Deo devoviſſe. Eaſdem quoque poſſeſſiones amborum conſenſu denominatas prædictum papam auctoritatis ſuæ privilegio confirmaſſe, quocumque ſibi placeret illas addicere: & quia prægravatus infirmitate id per ſeipſum exequi non poſſet, orare Theodoricum abbatem, ut hujus ſui voti curam exequendam pro ſe ſuſciperet. Erant vero ipſæ poſſeſſiones fere omnes militum ſtipendiariæ, qui licet palam non auderent duci eas ſibi ratihabere contradicere, pro hoc ipſo tamen ſubmurmurabant inter ſe cum maxima indignatione. Senſit abbas ducem fruſtra niti quod intendebat, cum intelligeret ſubmurmurantium calumnias, præſertim cum ex ipſa filii ejus quadam adverſione, notaret erga patrem jam læſæ pietatis imaginem, unde & ametando longius abſiſtens, reſpondit duci quod rogabatur ſe exequi non poſſe, alium potius quæreret, quem votis ſuis procurandis ſubſtitueret. Nec latuit ducem quod abbas timeret, & inclamato filio cum amaritudine objecit ei cur tam impudenter erga ſe violaret jura naturæ, cur adeo prodidiſſet ſe degeneraſſe ut ſaluti paternæ deficeret in hac ſuprema neceſſitate; non debere eum prædam facere ſceleris ſui pauca illa quæ deſtinabat redemtioni animæ ſuæ, cum ei plurima relinqueret parata ſuo labore. Reſpondente filio in nullo ſe defuturum ejus voluntati, accede, inquit pater, & da oſculum mihi in conditione ſervandæ hujus tuæ fidei & promiſſionis, interpoſito teſtamento vitæ tuæ & honoris. Sic abbas iterum iterumque reclamatus ab utroque, cum veram eſſe crederet, quam viderat inter patrem & filium pactam ſponſionem, jam non dubitavit vel inclamantibus adeſſe, ne videretur fructum pœnitentiæ peccatoris de ſe confidentis quantum in ſe eſſet aliquo modo defraudaſſe; & propius accedenti: Cariſſime pater, dux inquit, per hanc capſam, & ei porrexit illam, committo tibi hujus meæ devotionis curam, ut in ſalutem animæ meæ pro poſſe tuo exequaris eam. Ad filium autem, tibi, inquit, edico in fide debita & promiſſa patri adjutorium, cooperationem & defenſionem hujus executionis ſecundum ammonitionem iſtius abbatis', (dextramque ejus aſtrictam implicuit dextræ filii:) præſentem etiam eccleſiam B. Petri apoſtoli, quæ mei eſt patrimonii delego in perpetuum conſtituendis in ea monachis, matremque ejus Saltiacum-rivum confirmo eorum ditioni, excluſis omnino hactenus tenentibus eam clericis. Præter poſſeſſiones vero quas huic meæ devotioni privilegio & auctoritate Alexandri papæ confirmavi, ex conſenſu conjugis meæ BEATRICIS, tuo quoque, mi cariſſime fili, & ſponſæ tuæ MATHILDIS, in auro, argento, variiſque ornamentis, cenſum mille librarum rerum mearum mobilium aggregavi, quæ veſtræ committo fidei, ut hujus eccleſiæ proficiant utilitati. Hæc omnia a patre condicta & a filio laudata, abbas, ut erat ſimplex & rectus, credidit eſſe rata, omnique dilatione remota collocavit ibidem deſervire Deo ſatis honeſtas perſonas majoris ſuæ eccleſiæ, ſcilicet Alfredum cuſtodem, Lambertum majorem, Liebertum poſtea ſub ſe ejus loci præpoſitum, Arnulfum capellanum. Quorum religioſo & honeſto conventu dux adeo conſolabatur, ut licet infirmitate ſua ſemper increſcente gravaretur, auditis campanis quibus horæ canonicæ monachico ritu ſignificabantur, ejuſdem infirmitatis quaſi oblitus, quadam mentis hilaritate recrearetur. Interea cum vitæ ſuæ funditus diffideret, Virdunum ſe devehendum ſtatuit, ubi olim ſe condixerat ſepeliri gratia ſatisfactionis, ex quo eamdem civitatem ſuccenderat in contumelia Henrici imperatoris. Præfixa autem die ſuæ hujus evectionis, fecit ſe primum deferri ad eccleſiam B. Petri, ubi ſe commendans ejus patrociniis, ſimulque abbati & fratribus, ultimum valefaciens cum lacrymis, juſſit ſibi prandium in domo bannalis furni parari. Quo devectus, proſequentibus eum abbate & filio multiſque ex ſuis optimatibus, cum, electo a ſe loco, coram furno deponeretur: Hujus, inquit, officinæ ſemper procurator eſſe debuiſſem, ſi mihi propitia divinitas tot mala quæ geſſi parcere voluiſſet. « Quo cum refeciſſet, convenientibus ad ſe mendicis, ex quo enim cœperat infirmari, nullos convivos niſi pauperes habere voluit, ipſam bannalem officinam furni legali donatione B. Petro contradidit, ut in perpetuum deſerviret monachorum utilitati, licet hoc fruſtra; ſicut & alia omnia pene fecerit. Nam ab abbate, ut deſtinaverat, Virdunum dedu-

« Capſam reſquirunt ait Theoderico.

« Eccleſiam S. Petri ſuorum monachis donat.

Monaſterium aliquod condere deſiderat.

Virdunum deducit ſe cupit ibidem ſepeliendum.

Godefridus junior patris sui votum adimplere recusat.

ctus, cum adhuc vivens ibidem moraretur, quæcumque promiserat ei mentitus est filius, & in damnum vitæ suæ & honoris oblitus est misericordiæ & veritatis. Factus enim jam potens hereditatis paternæ dissimulavit meminisse quid se præsente & laudante deputaverat pater redemtioni animæ suæ. Suggerebatur ei a quibusdam suorum re vera infidelium, quasi ad gratiam, non debere eum perdere militum suorum amicitiam, in manu eorum suam constare valentiam, defeciſſe patrem suum a sensu proprio in extremis, consuleret potius rebus suis, quam illius obtemperaret deliramentis. Sic deductus a sententia servandæ pietatis, de disponenda eleemosyna patris interpellantem se abbatem callide suspendit quamdiu quidem supervixit. Supervixit vero fere per mensem. Virduni XIII. Kalendas Januarii terribiliter cælum intonuit, & in crastinum

tero. vita decessit.

33. Tunc tandem junior Godefridus qui esset apparuit, & recurrente ad se abbate pro testamento ordinando defuncti patris, non tantum consilium suum illi negavit, sed etiam minis & injuriis a se absterrendum putavit. Inferens instantibus negotium non ejus temporis esse nunc, non suæ utilitati convenire monachicam congregationem disponere, & militiam sui ducaminis postponere, quæ illi pater curanda commiserat bene curaret, alterius intentionis curam se actitare. Talem tamque subitam rerum commutationem abbas obstupuit, & quasi monstrum sic a se diversum indignatus exhorruit. Ne tamen per hanc repulsam videretur defeciſſe a promissa fide servanda, Heribrandum seniorem ceteroſque pares castri, quos fidelius ducem coluisse meminerat, interpellavit, ut secum de negotio patris Godefri-

Sed tandem alicujus possessionis cedit.

DUM adratiocinarentur eos conduxit. Ille tandem pudore convictus, respondit possessiones denominatas, quas milites sui stipendiarias tenebant se nec velle, nec posse subtrahere tenentibus, Astinetum vero cum banno & comitatu & omni familia, & quæstu, & denominatam partem Chevoni, bannalem quoque Cambam Bullonienſis burgi, quæ nullius erant feodi eleemosynæ patris sui se recognoscere & confirmare, relictum vero thesaurum rerum ejus mobilium in præsentia eorum se velle cum abbate dividere, hoc illi jam sufficeret, nec se amplius super his molestaret. Adhortatus abbas ut interim quæ concedebantur susciperet, neque juvenem quandoque meliorandum exasperaret, exhortantibus cessit, & Godefrido ad scrinium dividendi thesauri vix compulsus accessit. Godefridus ablatis inde septingentis marchis argenti in candelabris, in scyphis & scutellis aliisque utensilibus variis, abbati cetera reliquit, ea tamen conditione, ut ea disponeret respectu consilii sui. Consilio ta-

men Heribrandi castellani aliorumque fidelium suorum, qui ei suggesserunt ne sic inhumane annullaret eleemosynam patris sui super prædictam summam argenti, disposuit abbati & successoribus ejus Bellam vallem cum familia & banno & omnibus finibus & acquestibus suis: ad opus fratrum deservientium Deo in ecclesia B. Petri, quod vadium quiete ab eis possessum est quamdiu videlicet Godefridus advixit.

34. Erat non longe a majore ecclesia fiscus Caviniacus ex patrimonio RICHELDIS Montensis comitissæ, quæ viduata BALDUINO juvene Flandrensium comite, Flandrias amiserat, occiso filio suo Arnulfo a patruo ejus Roberto Frisone, per manus cujusdam Gerbadonis. Qui Gerbaldo non multo post confusus conscientia tantæ injustitiæ & temeritatis Romam petiit, & manus quibus dominum suum interfecerat domno papæ Gregorio septimo pro pœnitentia ejusdem criminis detruncandas obtulit. Gregorius executionem hujus detruncationis magistro coquorum suorum publice commisit. Educto Gerbodone ad pœnam quam decreverat pati, prædictum ministrum papa revocari præcepit, eique secreto edixit, ut si elevato ferro aliquo modo manibus motis titubaret continuo eas incideret; si vero constanter persisteret, patientiæ persistentis statim retento ictu parceret. Gerbodo ad ictum perstitit, statimque incolumem deputatus percussor papæ repræsentavit. Lætatus papa sic proveniſſe, pœnitentia Gerbodonis manus quas detruncandas obtulerat, jam non suas sed Domini esse judicavit, præcepitque ut per domnum HUGONEM Clunienſem abbatem revertens referret ei omnem rei ordinem, seque ejus consilio crederet. Ille ad abbatem veniens, ejus exhortationibus credidit, & postea eximius sub eo monachus claruit. Comitissa vero gratia Flandrias recuperandi, & filium suum occisum vindicandi, PHILIPPUM Francorum regem, ipsum quoque GODEFRIDUM ducem & ALBERTUM comitem Namurcenſem, multosque alios Lotharingiæ & Franciæ principes adversus ROBERTUM condixit, taxato singulis pretio ejusdem condictionis. Fuerat autem prædictus abbas longo ante tempore & Balduino & Richildi adeo familiaris & dilectus, ut multotiens ab eis exoratus, aliquandiu Flandris moraretur cum illis, & præter multa donaria quibus ab utroque redibat honoratus, duo allodia scilicet Sulmodium satis contiguum monasterio, & *Tavers* in Hasbania, legali donatione ecclesiæ sancti Huberti in perpetuum collata obtinere mereretur. Et cum eamdem comitissam licet a priore potestate dejectam sæpius tamen revisseret, ex priori amicitia occasione prædictæ conductionis Caviniacum fiscum illa ei in vadio accipiendum per Lambertum majorem obtulit. Lætatus abbas sibi

Pœnitentia Gerbaldonis ob occisum Arnulfum filium comitis Flandrensis.

Richildis comitissa filii sui mortis ultionem prosequitur.

Caviniacum Theoderico abbati dat in vadium.

offerri Caviniacum, quem jamdiu deſiderauerat eccleſiæ acquirendum, præſente & annuente duce GODEFRIDO quingentos bizantios auri de eleemoſyna patris ſui Caviniaco ſuperpoſuit, & ſic fiſcum eumdem interim ſub teſtibus legitimis, videlicet Segardo, Arnulfo, Gozvino, & Netboldo in vadium accepit. RICHILDIS cum amiſſis tot expenſis nihil profeciſſet, fugato etiam PHILIPPO Francorum rege a ROBERTO Friſone, ad domnum THEODUINUM Leodienſem epiſcopum ſe contulit, & ei Montenſe caſtrum cum omni honore illi ſubjecto, ſanctæ Mariæ ſanctoque Lamberto eumdem obtulit. Quæ coemtio eccleſias epiſcopii afflixit graviſſime, noſtram quoque ſpoliavit ex maxima parte. Intendebat enim comitiſſa viribus epiſcopi adverſus Robertum aliquid poſſe moliri, ſed non prævaluit. Venditum tamen caſtrum cum ſuis appenditiis in feodum recepit.

Montenſe caſtrum venditum epiſcopo Leodienſi.

35. Graſſabatur interea diſſidium inter abbatem & ducem, duce quidem a fide patri promiſſa omnino deficiente, abbate vero ut eam exſolveret in emancipandis conductis ab eo poſſeſſionibus conſtanter exigente. Sed neque fruſtra eſt imprecatio patris, quam, ut dictum eſt, filio moriturus ingeſſit, impoſita conditione vitæ ſuæ & honoris; nam uxor ejus MATHILDIS relicto eo Longobardiam rediit, ſæpiuſque mandante marito ut rediret, non ſolum non obtemperavit, verum edixit mandanti, ut ad ſe ille veniret, & ſic ut ſe curaret, capſam reliquiarum patris ſui Bonifacii ſibi deferret. Seductus ille ſpe conciliandæ ſibi conjugis, præfatam capſam eburneam cum reliquiis abbati violenter abſtulit, & Mathildi retulit, relicto tamen altari quod fuerat papæ Johannis. Sed nec ſic quidem apud eam maritalem gratiam obtinuit, ſpretuſque ab ea & inactus ab Italia Lotharingiam rediit. Conſcius vero ſe abbatem gravius offendiſſe pro ablatis ſanctorum patrociniis, cum ex hoc nihil ipſe profecerit, callidiori averſione imminentem ſibi acrius vitare cœpit. Coactus tandem abbas de eo deſperare, ut erat amiciſſimus domno HERIMANNO Metenſium epiſcopo diſpoſuit cum eo Romam ire, volens de eventu rerum papam Gregorium VII. conſulere, & inter eundum de eiſdem agere cum Marchiſſa BEATRICE. Ingreſſi viam Romæ paſcha celebrare certabant, ſed tardantibus eos quibuſdam, qui obſonia epiſcopo certatim impendebant, ad Lunenſem portum pervenerunt majoris hebdomadæ feria v. Ibi occurrit illis legatus Marchiſſæ Beatricis, cum precibus etiam filiæ ejus Mathildis, ut Piſas diverterent, ut apud eas proximum paſcha ſolemnizarent. Conſultus abbas quid inde videretur ſibi, reſpondit ille non debere gravari dignationem magnæ petitionis, neque differret invitatus occurrere, cum negotium adeundi eas incumberet utriſque. Sic divertentes Piſas honorabiliter ſuſcepti ſunt a matre & a filia, ſatis eminentiores ceteris curialibus habiti in eadem curia. In exſolvendis paſchalibus officiis convenerant ibi ſeptem epiſcopi, hiſque omnibus poſtpoſitis celebritas miſſarum dominicæ reſurrectionis oblata eſt agenda HERIMANNO Metenſium epiſcopo. Videns præter ſæcularium confluentium multiplices glorias clericorum, diverſi ordinis frequentiam, eccleſiaſtici miniſterii vaſa auri & argenti quamplurima, diverſi apparatus veſtes peregrinas, Beatricem & Mathildem procedentes quaſi cujuſdam dominationis præfecturas; epiſcopo in tali pompa miſſas celebrante, abbas in quodam angulo ſe celabat, operto capite, ſatis humiliter vacans pſalmodiæ cum Lamberto majore & minore. Mathildis circumſpiciens deprehendit abbatem latere laborantem, & nihil glorias tam feſtivæ oſtentationis curantem. Aſſiſtebat vero ei in decantandis pſalmis domnus (a) ANSELMUS poſt Alexandrum papam ordinatus Lucenſis epiſcopus, vir admodum religioſus & non multo poſt felici exceſſu clareſcentibus miraculis inter ſanctos a Domino aſſumtus. Hunc ad abbatem miſit, & ut ſuperius aſcenderet mandavit. Et cum obedienti ſedes deeſſet, Mathildis aſſurgens ei ſuam, ut erat parata, tranſmiſit, mirantibus cunctis quæ eſſet perſona tantæ apud eam dignitatis. Diſceſſurus autem in craſtinum, cum ei inter cetera familiaritatis colloquia, deceptum ſe a Godefrido diceret de eleemoſyna patris, illa ſuper his domnum papam conſulendum reſpondit, & ut faciliorem aditum inveniret apud eum obtinendi quæ vellet, litteras ei deprecatorias compoſuit, quas apoſtolico redderet ex nomine Mathildis, indicta ei conditione per ſe redeundi, & quæ ſibi evenerint per ſe referendi. Veniens ergo Romam cum epiſcopo, litteras Mathildis præſentavit apoſtolico, & per eas commendatus gratanter ſuſceptus eſt ab eo. Per ſeptem autem dies in Urbe demoratus, & cujus eſſet vitæ & probitatis perſpectus, adeo factus eſt papæ dilectus, ut die quadam ab hora prima in ſacra capella quæ dicitur ad ſanctum Laurentium, ubi cum ſandaliis dominicis retinentur capita apoſtolorum Petri & Pauli, pariter ſoli confidentes amica viciſſitudine divinis eloquiis intenderent, eo uſque nocte ſuperveniente Armatus Urbis præfectus papa jubente ad hoſpitium ſuum abbatem cum ſuis reduceret. Unde & inter cetera quæ ab eo gratia familiaritatis expetiit, privilegium etiam apoſtolicæ defenſionis eccleſiæ ſuæ auctoriſatum obtinuit, ut eccleſiæ Romanæ firmata & defenſata auxilio & auctoritate, immota ſtabilitate monaſtico ordini in perpetuum

a Piſas honoratur.

Et Romæ a papa.

Godefridus dux a Mathilde uxore derelictus.

Theodericus abbas Romã rendit.

[a] Is eſt magnus ille Lucenſis epiſcopus, qui Gregorio VII. carus fuit, cujus acta habes ſæculo VI. Benedictino.

[4]

perſiſteret, & ei etiam donata & amodo donanda anathemate æterno interpoſito firmiter conſtarent. Hoc idem privilegium papa ſe dictatum & in publico conſiſtorio Lateranenſis palatii quod dicitur ad Speculum, coram pluribus epiſcopis & cardinalibus eccleſiæ Romanæ recognitum & relectum ſubſcripſit manu propria: *Miſerationes tuæ, Domine, ſuper omnia opera tua.* Cùm vero a condicta Godefrido promiſſione abbas ſe abſolvendum expoſceret, quia in ea explenda filii ejus auxilium ſibi deeſſet, apoſtolicus non conſenſit, ſed ANNONI Colonienſi & THEODUINO Leodienſi apoſtolicæ auctoritatis formatas epiſtolas deſtinavit, ut Godefridum ad hoc quod patri morituro condixerat exſolvendum, vel conſilio inclinarent, vel eccleſiaſtico miniſterio inobedientem compellerent. Reverſus abbas per Mathildem, ut ei condixerat, exſolvit ei commendationis ſuæ gratias, referens quæ ex ſententia illi apud papam provenerant; illa licet nolentem aliquamdiu eum ſecum retinuit, & caſula una alba quæ fuerat domni papæ Leonis noni, ſubdiaconali quoque papæ STEPHANI qui dictus olim (*a*) FRIDERICUS frater fuerat ducis Godefridi majoris, a ſe digredientem honoravit. Nec tantum hac ſola vice gratia curiæ illius eccleſiæ noſtræ profuit, ſed & tempore papæ Alexandri II. cum idem abbas Roma rediens diverteret ad matrem & filiam apud Fraxinutum, quo conſtruxerant monaſterium monachorum in Alpibus Appenninis, per ſeptem dies detentus, ibi quotidie pallio uno muneratus eſt ab eis. In die vero digreſſionis ſuæ data eſt capſa una eburnea reliquiis Claudii martyris pretioſa, quam ſecum revehens in vigilia ſolemnitatis beati Huberti cum honeſta proceſſione, reſponſorium *Cives apoſtolorum* decantante, eccleſiæ intulit. Et ex tunc in eadem die cum commemoratione Benigni martyris Divionenſis, Claudii quoque celebritatem agendam communi aſſenſu congregationis inſtituit.

A quo privilegium & litteras ad Colonienſem & Leodienſem præſules obtinet.

A Mathilde omniſſa donis honoratur.

[*a*]

36. Cùm vero THEODUINO Leodienſi epiſcopo litteras papæ pro Godefrido ei miſſas tradidiſſet, & paulo poſt privilegium Romanam quod ejus conceſſione & laude eccleſia B. Huberti obtinuerat, quaſi congaviſuro obtuliſſet, de manu ejus accepit illud archidiaconus Boſo, cui ſe & omnia ſua procuranda idem epiſcopus crediderat ſpecialius, ut erat confectus ſenio. Idem Boſo abbati jam diu infenſus erat, eo quod præbendam unam cuidam nepoti ſuo Naſaniæ expetierat nec impetraverat, unde & collecto livore, occaſionem ſe vindicandi attentius quærebat. Explicita ergo carta & offenſus ignotis (*b*) ſibi ad legendum notis, quibus

Boſonem archidiaconum infeſtum patitur.

[*b*]

A conſcribuntur privilegia Romanæ auctoritatis, non, inquit, dubium quin hic lateat alicujus fraudis præſtigium, quod utique celat barbaries harum notarum. Raptum ab ore ejus verbum quaſi ad gratiam dicentis palatinæ ranæ exceperunt, cenſentes diligentius perſcrutandum, quod ut difficile ad legendum videbatur incertum. Tandem eaſdem notas ſenſim perſcrutantes hi qui inter clericos jactitabantur perſpicaciores, deprehenderunt rem, ut erat, ſcilicet eccleſiam beati Huberti ſpecialius mancipatam apoſtolicæ defenſioni, æternoque anathemate interdictum cuicumque perſonæ & poteſtati, ne quis ei præſumat damnum inferre vel injuriam, vel in acquiſitis vel in acquirendis, utque monachicus ordo ibi in perpetuum Deo deſerviat liber totius inquietudinis. Ad hæc Boſo rapta occaſione inſimulandi, caput ſuum quatiens cum ſuſpiriis ex maxima jam diu cœpta indignatione ſuccłamavit abbatem Theodericum abbatiam S. Huberti omnino prodidiſſe Romano pontifici, eccleſiam Leodienſem in hoc ipſo incurriſſe damnum intolerabile, & niſi epiſcopus ejuſque fideles maturius advigilarent, nihil ſibi de tanto honore hactenus habito remanſiſſe. Intellexit ex privato odio abbas publicam ſibi ſuſcitari invidiam, & indignatus ſe criminari præter conſcientiam, reſpondit conſtanter hujus malignitatis conjecturam nec ſe quæſiiſſe, nec apoſtolicum conceſſiſſe; venirent quicumque eligerentur fideliores eccleſiæ Leodienſis, paratum ſe Romam redire, ibique eis probaturum publice crimen quod ſibi imputabatur nihil eſſe, ea tamen conditione, ut ſecundum ſacros canones pœnas falſæ criminationis, ſe purgato, criminatores exſolverent. Præſenſit Boſo ſe ſuo capiendum laqueo, actumque de ſe, ſi Romæ proſequeretur abbatis reclamatio. Locutus itaque cum conſilio, non ſe aſſuetum Romano, ait, ſed Leodienſi judicio, nemini licere audientiam reclamare tam ſubito, niſi epiſcopi ſui, maxime vero metropolitani gravaretur judicio. Recognovit epiſcopus licet ſenex invidioſe calumniari abbatem; ne tamen videretur indiſcuſſum prætermittere quod putabatur damnoſum eccleſiæ, præfixit diem hujus diſcuſſionis agendæ. Retento igitur ſecum privilegio, abbatem dimiſit, & ceteros abbates epiſcopii cum archidiaconis, ut ad præfixam diem venirent, convocavit. Interea Boſo declamare in clero, ſpargere voces in populo, quanta malignatus eſt inimicus ſancto, qui commiſſam ſibi abbatiam ſubduxerit ſanctæ Mariæ ſanctoque Lamberto. Vagante paſſim ut ſuum eſt cum fama vulgabatur abbatis infamia, & licet apud ſe bene ſibi conſcium vera tueretur inno-

[*a*] Qui ex abbate Caſſinenſi factus eſt papa Stephanus x. cui morienti adfuit S. Hugo abbas Cluniacenſis.

[*b*] Illa quippe privilegia ſolebant Longobardicis litteris ſcribi, qui caracteres nonniſi a valde expertis diſtingui poſſunt.

centia, indignabatur tamen mendaciter gravari nihil tale merentis patientia. Præfixa die convenientibus evocatis, ipse quoque cum Theoderico præpositо & utroque Lamberto, omni modo veritati confisus affuit. Discutiendi etiam privilegii exemplar secum detulit, utque calumniatores ejus secum fixerant aliquid monstruosum ignotis in eo celari notis, cunctis legere volentibus innotescere assuetis conscriptum litteris. Lecto palam itemque relecto privilegio, & cum delato exemplari verbo ad verbum comparato, ventilantibus quibusque inter se prudentibus, quæcumque in eo continebantur, nihil in eo Leodiensi ecclesiæ deperiisse, nihil abbatem adversus eam deprehensum est machinasse, & cum jam non ex Bosonis odio, sed ex evocatorum judicio, causa penderet abbatis, in hoc tandem majorum & meliorum sententia consensit, Romanæ ecclesiæ proprium esse de omnibus judicare, nullis vero licere de ejus judiciis retractare: non succensendum abbati, quod ecclesiæ suæ procuraverit defensionem & auxilium apostolicæ auctoritatis, cum nec in sensu, nec in verbo excluserit debitam subjectionem ecclesiæ Leodiensis. Indignatus sic suam Boso adversus abbatem conjecturam extenuari, arrepto privilegio de medio consessu se subduxit: ipso tamen episcopo reclamante & indignante cum ceteris cur talem injuriam faceret abbati, vellet nollet, privilegium publice laudatum & auctorisatum reddidit. Soluta contentione, abbas absolutus recessit, sic exinanita existimatione illi objectæ criminationis, & comprobata erga ecclesiam nostram auctoritate Romanæ defensionis. Est autem hujusmodi privilegium in superiori pagina conscriptum, quod hic est interponendum.

Gregorii VII. privilegium.

37. GREGORIUS *episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio* THEODERICO *abbati monasterii sancti Petri sanctique Huberti Andaginensis in Arduenna constituti, suisque successoribus regulariter ibidem canonice intrantibus in perpetuum.*

Nulli fidelium est in dubio, quin sedes apostolica, eo quod universalis mater & omnium ecclesiarum princeps est, omnibus his jure ac debita sollicitudine præesse debeat, ut non eas catholicæ religionis unitate concludat, sed generali circumspectione etiam ab his quæ extrinsecus promoventur pro sua auctoritate salvet & muniat: inter quas tamen cum plures inveniantur, quæ speciali & propria commendatione in tutelam ejusdem sedis apostolicæ se contulerunt, ut speciali caritate & studio suæ matris amplexæ usquequaque securiores & liberiores ab omni infestatione consisterent, quas, ut dignum erat, ita Romana suscepit ecclesia, tantaque protexit undique diligentia, ut omnibus munimenta præsidii, nonnullis quoque gratiam conferret augendi. Cujus rei plurima nobis exempla sanctissimi viri reliquerunt, qui ante nos in illa, quam diximus, apostolica sede fulgentes, pro honore ecclesiarum Dei & exaltatione earum magis quam pro vita aut salute sua solliciti fuerunt. Suscipientes monasteria & venerabilia loca in patrocinium apostolicæ defensionis, & confirmantes ea propriis privilegiis, quatinus ex quotidiana tranquillitate ardentius in devotione divinæ servitutis & in omni bono proficerent. Qua in re quam pie, quam sancte fecerunt, & illorum nobis ostendit gloria, & ipsius rei tam fructuosa gratia. Nam cum oratoria in pace & tranquillitate consistant, & ecclesiastica beneficia pauperes Christi nutriant; cum vero laus Deo digne promitur, & remedia peccatorum tam vivis quam defunctis impenduntur. Unde nos in eadem sede apostolica, non nostris meritis, sed divina locati gratia, suscepti officii debitum considerantes, præfatum monasterium, cui tu, dilecte fili & prænominate abba, præesse dignosceris, tuo rogatu in tutelam apostolicæ sedis & nostram & successorum nostrorum defensionem suscepimus, confirmantesque & corroborantes sibi per præsentis paginam privilegii, ecclesiam sanctæ Mariæ super Axonam sitam, & ecclesiam S. Sulpitii super Mosam, ceteraque possessiones tam in villis quam castellis, ceteriſque ecclesiis & terris cultis aut incultis, seu in omnibus rebus mobilibus & immobilibus, quas nunc jure possidet, aut in posterum Deo miserante acquiret, quatenus omnia ad communem utilitatem fratrum inibi Deo famulantium sub tuo tuorumque successorum regimine & congrua dispensatione semper inconvulsa illibataque permaneant. Si quis vero regum, sacerdotum, clericorum, judicum ac secularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscentes, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & nisi vel ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit; a sacratissimo corpore & sanguine Dei Domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem justa servantibus eidem loco, pax Domini nostri Jesu Christi, ut hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Subscripsit autem manu propria domnus papa: *Miserationes tuæ, Domine, super omnia opera tua. Bene valete. Datum Lateranis in Calendis Maii per manus Petri S. R. E. presbyteri cardinalis & bibliothecarii anno primo pontificatus domni Gregorii VII. papæ, indictione undecima.*

38. Interea monitus GODEFRIDUS ex mandato papæ a Colonienſi itemque Leodienſi pontifice, ut conductam patri veritatem & fidem exſolveret, illeque nec monentes nec arguentes audire curaret, accidit ut domnus HERMANNUS Metenſis epiſcopus ad eum Bu-

Godefridus Gibbolius ab epiſc. Metenſi increpatus Bellam-railé &c. tradit Theoderico.

lonium veniret. Erat autem dominici adventus dominica ſecunda, & ut ſuum eſt ejus temporis inhorruerat paſſim hiems aſperrima. Exceptus a duce, ut decebat tantum pontificem, cum poſt cœnam in lecto ducis pauſaret, duce altrinſecus in eadem camera quieſcente, primo gallicinio apud ſanctum Petrum ſurrexerunt ad vigilias fratres, THEODERICO abbate tunc cum eis ibi demorante. Miratus epiſcopus ea tali hora ſe campanas audire, interrogavit ducem quo vel ad quid ſonarent. Reſpondit dux fratres apud ſanctum Petrum ad vigilias ſurgere, eoſque ex elemoſyna patris ſui ib.dem locatos conſiſtere. Ad hæc epiſcopus altius ingemiſcens, ô, inquit, nos infelices, quos in tantis deliciis quieſcentes Deo condemnant tales vigiliæ. Felices econtra, quos nec torpor mediæ noctis, nec horror hujus aſperrimæ hiemis reprimit a laudibus omnium creatoris Dei. Tu queque infelicior infeliciſſimis, quem nec-dum emoliiunt vel timor Dei vel amor patris tui, qui elemoſynam ejus defraudaveris, & fratribus tam devotis adhuc eam detraxeris! Ad hæc GODEFRIDUS compunctus in lacrymas erupit, & gratias agens rationabili ejus caſtigationi, quidquid ex hoc neglexerat, emendaturum amodo ſe promiſit. In craſtinum uterque abbatem mandavit, venienti dux officioſiſſime aſſurrexit, & nihil tale de eo ſperanti coram pontifice & quibuſdam curialibus ſuis vadium humillimæ ſatisfactionis genu flexo porrexit, ſe erraſſe, ſe peccaſſe in Deum & patrem ſuum eſt confeſſus, errorem quoque ſuum amodo ſe correcturum profeſſus. Miratus abbas & lætatus in Domino, qui ad quod vult inclinat corda omnium filiorum hominum, ſuggerente epiſcopo, dum recredidit quod ſibi porrexerat vadium, in verbo ſcilicet viventis adhuc patris ſui, quo eum adjuraverat, vitæ ſuæ & honoris conditione interpoſita; ſtatim ille pro his quæ de præfato theſauro ſubduxerat abbati, Bellam-Vallem ad uſum fratrum ei depoſuit, & eccleſiam Montis Madienſis cum tribus manſis terræ B. Petro in perpetuum poſſidendam legaliter tradidit.

Theodnici epiſc. Leodiēſis obitus.

39. Eodem anno THEODUINUS epiſcopus vita deceſſit, exortaque contentione inter quoſque potentes agendæ electionis, dum plures fieri voluiſſent epiſcopi, nulli eorum ut epiſcopus fieret contigit. Nam dux Godefridus, qui tunc forte morabatur cum Henrico rege, cum vix tenuiter perſenſiſſet epiſcopum obiiſſe, precibus ſuis obtinuit apud eum, nemini concedendum donum epiſcopii, niſi quem ille præſentaret ei: moxque ad HENRICUM Virdunenſem archidiaconum miſit, & ei ut remota omni dilatione ad ſe veniret mandavit. Feſtinavit ille duci occurrere, incertus omnino quid vel-

let. Leodienſes vero pro contentione præfata nulla adhuc electione firmata, ne videretur injurioſum regi, baculum pontificalem paulo moroſius deferri, ut eum referret injunxerunt Theoderico abbati. Quidam autem de clericis alter alterum anticipans curiam irrepſerant, ſperans quiſque vel ſibi proventurum eventum rei, vel paratus gratia viciſſitudinis ferre ſuffragium alteri.

Ipſi ſufficitur Henricus.

40. Interea ſuggeſſit dux clericum adeſſe, cui epiſcopium donandum deſtinaſſet, dignaretur rex, ut eſt ejus donationis agendæ, pro tribunali ſedere, & vocatis Leodienſibus epiſcopum illis conſtituere. Leodienſes vocati, licet morderentur latenter nemini illorum quod ſperaverant proveniſſe, ne tamen voluntati regiæ quæ in negotio præponderabat, viderentur deeſſe, Theoderico abbati ex conſilio referendam impoſuerunt domni Henrici electionem. Qui cum ceteris aſſiſtens regi, ut erat vir urbanæ elegantiæ, promtuſque latialis eloquentiæ: eligat, inquit, eum Deus, & ab eo præelectum nos quoque voluntarie eligendum decrevimus.

Qui Wolbodonem abbatem S. Laurētii deponit.

41. Sic domnus Henricus epiſcopio donatus, & obſequente duce in urbem favorabiliter receptus, non multo poſt a domno ANNONE Colonienſi pontifice ſolemniter eſt conſecratus: a quo etiam adjuratus eſt ſub teſtimonio collatæ ſibi benedictionis, ut ejus quoque utamur verbis, Per benedictionem, inquit, patris tui Annonis, obteſtor te, ut deſtruas ſuperbiam & inſolentiam Guolbodonis. Erat autem GUOLBODO abbas eccleſiæ B. Laurentii, qui nimium confiſus gloriæ ſuæ & nobilitati longe ſe aliter habebat, quam conveniret monachicæ profeſſioni. Nec diu moratus epiſcopus, privatis illum ammonitionibus corrigere, cum videret ſe in hoc non ſolum non proficere, ſed illum magis ad deteriora ex indignatione deficere, conſtituit diem ad deſtitutionem ejus publicam. Convenientibus abbatibus & archidiaconis cum ſe Guolbodo non poſſet purgare a criminibus objectis, decreta omnimoda res ejus in poteſtate & diſpoſitione epiſcopi. Epiſcopus, ne accelerando juſtitiam videretur evacuaſſe miſericordiam, obtulit ei locum & tempus agendæ pœnitentiæ, decrevitque ei ut Virdunum apud S. (a) Agericum aliquamdiu privatus ſecederet, & inter religioſos viros ibi noviter congregatos, ſatisfactionem ſuam dignam miſericordia comprobaret. Conceſſit ille primum judicio ſapientium & epiſcopali decreto ſe conſenſurum, ſed ad horam locutus quibuſdam ſuis, quod prius promiſerat exequi, poſt publica contradictione recuſavit. Epiſcopo exigente ut daretur ſententia huic reſultationi & inobedientiæ, decretum eſt ab omni conventu, ut in ſua ſe recognoſceret, ipſamque abba-

[a]

[a] Monaſterium ordinis ſancti Benedicti a Remberto epiſcopo Virdunenſi anno 1037. fundatum, unde & hic viri religioſi ibidem *noviter* congregati dicuntur.

tiam libere ad placitum ſuum diſponeret, cujus abbas convictus criminibus nollet illi ad emendationem obedire. Memoratus Guolbodo ad regem Henricum abiit, ejuſque violentia adverſus epiſcopum conatus eſt ſe tueri: qui dum eccleſiaſticam juſtitiam ſæculari audientiæ proſtituit, ſecundum ſacros canones omnem ſibi aditum recuperationis obſtruxit. Nam nec regiis precibus, nec minis potuit epiſcopus attrahi, ut eum reſtitueret, obtellatus ſe malle epiſcopium ad tempus intermittere, quam ejuſmodi inſolentiam pati ſine congrua ſatisfactione. Sic Guolbodo deſperatus Hungariam conceſſit, indeque ad regem reverſus in expeditione Italica poſitum, ad mortem uſque domni Henrici epiſcopi eſt apud eum.

S. Annonis obitus.

42. His actis circa Leodienſem ſynodum quæ agitur in feſto apoſtolorum Simonis & Judæ, in ſequenti Adventu domnus ANNO religioſus pontifex Coloniæ (a) vita deceſſit, in maximo damno totius illius provinciæ, quinque marchas argenti moriturus mittens eccleſiæ noſtræ.

[a]

Dux Godefridus occiditur.

43. In ſequenti ſolemnitate dominici natalis dux Godefridus natalitiam curiam celebravit in magna gloria Trajecti, infelix certe & nimis improvidus ſui, & cui ultima fuit pompa hujus ſuæ oſtentationis; nam inde deſcendens Friſiam, dum apud caſtrum Flardingis moraretur, per quoſdam neceſſarios ROBERTI comitis Flandrenſis, in receſſu per poſteriora percuſſus interiit. Cujus interitus equidem dolendus, omni Lotharingiæ adeo fuit exitialis, ut juſtitia & pax, quæ ultra memoriam eorum qui erant ejus temporis, profecerant ſub eo, in brevi, ejus defectu eveniente, deficerent cum eo. Cujus corpus, ſicut vivens diſpoſuerat, Virduni ad ſepulturam transferendum, dum perlatum eſſet Leodium, Henricus epiſcopus tanto amico deſtitutus in pompa maximi doloris proceſſit ei cum clero & populo totius civitatis, perque ſingulas congregationes præſens ipſe circumferri juſſit, exceptoque ſolemniter miſſas celebrari inſtituit.

44. Deinde proſecutus eum uſque Vilantiam, præ nimio dolore infirmatus, progredi ultra non potuit, & Theoderico abbati ad corpus deducendum vices ſuas commiſit. Ipſe delatus ad eccleſiam B. Huberti donec convaleſceret, ibidem fuit. Fuit autem a ſecunda dominica quadrageſimæ uſque poſt octavas ibi celebrati paſchæ. Nam delectatus religioſa fratrum converſatione & eorum probata erga ſe ſincera dilectione, nulla ſuorum vel clericorum vel principum potuit evinci ſuggeſtione, quin ante paſchalem celebrationem vellet locum mutare. Morabatur tunc junior GODEFRIDUS marchio cum illo, qui avunculi ſui deſtitutus auxilio, ejuſdem epiſcopi tuebatur patrocinio: quem cum ſæpius argueret de allodio Telins, quod Bullionenſis violentia jam diu ſubduxerat eccleſiæ, dicens etiam ſe timere illi vindictam hujus juſtitiæ; GODEFRIDUS conſilio & hortatu optimatum ſuorum epiſcopo ceſſit, & quod ſuum erat B. Huberto voluntarie recognovit. Dominica autem quæ dicitur in palmis, poſt ſolemnem ejus diei proceſſionem, proſequentibus nobilibus ſuis uterque acceſſit ad majus altare B. Petri apoſtoli, & baculum ſuum paſtoralem tenente epiſcopo, dextram ejus in ſuam Godefridus ſuperpoſuit, & cum eo productum allodium ſuper illud abſque ulla calumnia repoſuit. Impoſita etiam ſibi epiſcopus ſtola ſacerdotali, ne quis illud amplius eccleſiæ ſubduceret, ſub obteſtatione divini nominis interdixit, & imprecatione etiam anathematis excommunicavit; Godefridum vero culpam ſuam ſuorumque anteceſſorum humiliter fatentem abſolvit, & facto publice privilegio hujus recognitionis, ſua illud & ſuorum adſtipulata aſſignatione confirmavit. In ſequenti vero feria v. circa horam ſextam, parata ſibi ſede in portis templi, deductos ibi pœnitentes epiſcopii cum maxima reverentia & lacrymis Deo reconciliavit, & communioni per manus archidiaconorum ſibi reconſignatos reſtituit. Deinde ſolemniter infulatus miſſas celebraturus epiſcopaliter proceſſit, habens in miniſterium eccleſiaſticum electos ex fratribus ſeptenos uniuſcujuſque ordinis, duodecim quoque ſacerdotes in veſte ſacerdotali circumſtantes eum, ad expectationem conficiendi in ipſo canone ſacri chriſmatis. Tanta tunc temporis erat frequentia religioſæ congregationis, ut his exceptis, conventus exſequendi ordinis non vinceretur minui. Tanta ornamentorum copia abundabat eccleſiæ, ut pretioſis veſtibus ornati ſinguli procederent in ſuo ordine, ipſe etiam epiſcopus ſuis poſtpoſitis caſulam albam indueret, quæ fuerat Leonis papæ, datam, ut dictum eſt, abbati Theoderico a Beatrice & Mathilde. Quanta vero devotione dominicam paſſionem & ſepulturam exegerit, qua alacritate cum publica fratrum proceſſione, ambientibus eum archidiaconis ſuis, in ipſo ſancto ſabbato ſacri baptiſmatis fontes ore proprio conſecraverit, qualiter hoc idem privilegium matris eccleſiæ ſua auctoritate laudaverit & probaverit, quanta & quali gloria & lætitia paſchalem ſolemnitatem celebraverit, olim relatum vix credibile videbitur poſteris. Cum & ipſi curiales epiſcopii poſthabita urbe ab epiſcopo ſe quaſi in ſolitudine ad eum conveniſſe indignarentur, nec tamen vel in divinis ſolemniis vel in rerum

Henricus epiſcopus quadrageſimam apud S. Hubertum tranſigit.

[a] Anno 1075. Eo quippe anno ex Alberico mortuus eſt Theoduinus epiſcopus Leodienſis Kalendis Junii, cui ſtatim ſuffectus Henricus & conſecratus depoſuit Wolbodonem abbatem in feſto SS. Simonis & Judæ & eodem anno 4. Decembris ad ſuperos evolavit S. Anno.

exteriorum

exteriorum copiis se esse diminutos mirarentur. Elaborabat quoque episcopus ne propter frequentiam curialem ordo religionis aliquam pateretur inquietudinem ; sed etsi quando gratia refrigerandi fratribus vel in lectione, vel in colloquio interesse volebat, executores suos in ipso claustri aditu a se rejiciebat, & post se accludens valvas quasi quidam privatus adgaudentibus sibi revertere conveniebat.

Herimannus Metensis episcopus altaria aedificatum Eliberum consecrat.

45. Jam die festo mediante HERIMANNUS Metensium episcopus venit eum invisere, & exceptus ab ipso cum honorabili processione, tantæ solemnitatis videbatur lætitiam auxisse. Et quia longo ante tempore amicissimus erat abbati Theoderico, ejus congregationi in crastino eorum conventui se satis hilariter præsentavit, dicens sibi esse cordi ut aliquam gratiam eis relinqueret hujus ad eos adventus sui. Tunc ex consultu communi ab episcopo Henrico abbas expetiit, ut ejus consensu duo dicaret Deo altaria a se constructa noviter. Quod episcopo concedente, domnus Herimannus in feria VI. Paschali quæ obvenerat in Kalendis Aprilis, dedicavit oratorium unum quod dicitur ad sanctam Jerusalem, eo quod ad modum Dominici sepulcri conditum, ipsam quoque ejus formam repræsentet devotioni fidelium. In sequenti sabbato aliud quod erat duplex in superiori, continens memoriam B. Nicolai, in inferiori vero B. Andreæ apostoli, quod ad hoc maxime ædificaverat olim abbas, ut ibi specialius ageretur fratrum memoria, quorum corpora ibidem jacent translata ab effosso cimiterio pro crypta amplianda. Qui dum paratis donis episcopum decrevisset honorare, pro hac gratia impensa ecclesiæ episcopus non solum non acquievit quicquam inde accipere, sed econtra casulam suam pontificalem cum stola & baltheo, duobus quoque candelabris & uno pallio obtulit habenda B. Huberto.

46. Exacta Paschali hebdomada cum in suo digressu valedicerent fratribus, ex pietatis affectu singuli cœperunt flere altrinsecus : Henricus autem amplius, quasi ex desiderabili sibi quiete revocatus ad tam multiplices sæcularium negotiorum tumultus.

Beringerus prior S. Huberti præficitur monasterio S. Laurentii sed nonnegotioris.

47. Adhærebat ei familiarius quidam Virdunensis senex Eleutherius, vir equidem religiosus, & qui ab ineunte ætate instruxerat eum honestis & castis moribus. Hic sollicitus salutis & honoris illius attentius suggerebat ei ordinandam esse ecclesiam B. Laurentii, quæ aliquandiu viduata indigebat providentia abbatis. Qui dum moraretur cum episcopo, familiaris factus est Lamberto juniori & Beringero priori, inter quos concreverat jamdiu gratia veræ in Deo caritatis : quia inolita gratis libera erat totius necessitatis. Et cum sæpius Eleutherius colloqueretur Lamberto, forte inter loquendum incidit eis memoratæ abbatiæ mentio, & illo dicente de ejus ordinatione se multotiens cum episcopo contulisse, episcopum vero sollicitum, sed incertum cui convenienter eam committeret, respondit Lambertus, optime eam committendam BERINGERO, sapienti equidem & probatæ virtutis viro. Ille semel rapto verbo, gratias egit Deo, & quantocius suggessit episcopo, ut Beringerum sibi commodandum expeteret ab abbate Theoderico, quem interim ecclesiæ B. Laurentii loco prioris præponeret, donec per accessum temporis certius inde sibi consilium proveniret. Episcopus eum expetere non distulit, & vix ægre ab abbate impetratum & introductum ecclesiæ vacanti priorem esse constituit. BERINGERUS ut erat vir discretus & prudens, satagebat consulte omnia procurare, singulorum se moribus contemperare, neminem quasi importunus gravare, doctrina & exemplo graviores informare, leviores ne scandalizarentur interim dispensatoria patientia dissimulare.

Eligitur abbas.

48. Nec multo post superveniente festo B. Lamberti, cum ediceret episcopus abbatibus & archidiaconis reddendum sibi consilium de ordinanda ecclesia B. Laurentii, responderunt illi in commune consulendos fratres ipsius congregationis, eisque offerendam regularem & legitimam electionem abbatis. Episcopus in crastinum deducens eos secum ad locum venit, & fratribus ut abbatem sibi eligerent mandavit. Illi locuti cum consilio, cum abbatibus & archidiaconis elegerunt BERINGERUM consensu unanimi. Lætatus episcopus eorum electionem convenire voluntati suæ, abbati Theoderico cœpit vehementer innuere, ut Beringerum sibi absolutum redderet. Econtra cum abbas reclamaret, se nec velle nec posse tali viro carere, suæ magis ecclesiæ eum convenire, quam alienæ ; vix obtinuit episcopus quod petebat omni illo conventu suffragante, & tandem Beringero coram attracto, abbatiam S. Laurentii licet diu renitenti episcopus violenter ingessit, id revera disponente gratia Dei, quæ in brevi hoc se disposuisse comprobavit, dum illius labore & ingenio accrevit interius optimæ religionis congregatio, & exterius multiplex rerum ecclesiasticarum acquisitio.

49. Anno Dominicæ Incarnationis MLXXVI. graviſſima hiems incubuit, adeo ut in Galliis Ararim, Rodanum, Rhenum, Ligerim ; in Germania Albam, Visdam & Danubium ; in Italia Eridanum permaximos fluvios, ut taceatur de minoribus tanto gelu constringeret, quod mirantibus circummanentibus incolis, quasi per solidam terram pervii fierent. Hoc gelu tandem in vere remisso, tanta successit siccitas aëris, ut arentibus arvis pene desperaretur proventus messis futuræ. Theodericus abbas in quadragesima Ro-

Theodericus abbas Remis pluvia.n divinitus impetrat.

mam gratia orationis profectus, in redeundo Remis apud B. Remigium familiariter aliquandiu laſſus quievit. Vulgato autem per urbem tanti viri adventu, ipſe (a) MANASSES tunc Remorum pontifex, omneſque pene ejuſdem metropolis majores illum ſuppliciter adeuntes petierunt, ut de imminenti plaga deſperatis daret conſilium, ſimulque orationibus obtineret divinæ conſolationis auxilium. Ille licet invitus precibus tamen ſupplicantium victus, publicum populi conventum in baſilica (b) majori ſanctæ Mariæ ſemperque virginis genitricis Dei mandavit fieri, & inter miſſarum ſolemnia exorſus ſermonem pro qualitate periculi omnibus indifferenter unius diei jejunium indixit, & ut daretur pauperibus quæ ſubtrahebant ſibi. Quanta autem fuerit in exhortatione ſermonis ejus omnium, ipſorum etiam Judæorum compunctio, quam alacris indicti jejunii & eleemoſynarum executio, conſequenter oſtendit Dei omnipotentis miſeratio. Nam in craſtinum abbate miſſas celebrante, ſtatim ut eas terminavit, tanta tamque ſalubris (c) pluvia erupit, ut paſſim revirentibus campis, jamdiu deſperata Dei gratia donante, largiſſima ejus anni proveniret & meſſis.

[a] Is erat hujus nominis primus de quo jam facta eſt mentio.

[b] Hæc eſt Remenſis eccleſia cathedralis.

Adalbero monachus S. Huberti fit abbas Laudunenſis.

50. Sub eodem tempore adfuit Theoderico abbati legatio ELINANDI Laudunenſis epiſcopi, ut ſi quid apud eum poſſet vel ipſe vel eccleſia commiſſa, concederet fratrem unum ſuæ inſtitutionis, quem ordinaret abbatem eccleſiæ B. Vincentii martyris. Id cum abbas omnino recuſaret, epiſcopus vero hoc ipſum bis terque importunius repoſceret, tandem relato conſilio ad communem audientiam capitolii, unanimi fratrum electione dominum Adalberonem deduxit, eumque ſe præſente abbatem eccleſiæ B. Vincentii ordinari conceſſit.

51. Et ut memoretur idem Adalbero quis aut unde fuerit, fuit nobilis proſapiæ Suevus, & multiplicis ſcientiæ, Conſtantienſis eccleſiæ clericus. Hic duci Godefrido juniori ab Italia revertenti familiariter adhæſit, qui quamdiu advixit, habitus eſt apud eum amicitior amiciſſimus. Sed illo interfecto, cum ſe Adalbero junxiſſet Godefrido adoleſcenti, quem avunculus adhuc vivens adoptaverat ut heredem ſibi, inter illum & ALBERTUM Namurcenſem comitem orta eſt graviſſima diſcuſſio pro caſtello Bullonienſi. Qua de re nominato apud S. Hubertum inter utrumque colloquio, cum Godefrido adfuit ibi & clericus Adalbero, qui ut erat perſpicax in rebus deprehendendis, cum perſpexiſſet in fratribus inremiſſam intentionem exequendi ordinis, cum etiam pervidiſſet ex ipſa loci opportunitate non indigere ſolitudine, ſi quis vellet ibi Deo militare, divino reſpectu compunctus deſtinavit apud ſe vanitatem mundi reſpuere, quam tot caſibus ſubditam videbatur eſſe durabilem. Locutus ergo abbati, condixit illi diem ad eum ex toto revertendi, collectiſque quæ erant in promtu rebus ſuis, juxta condictum in capitulo ſe proſtravit more agendæ converſionis. Videns neminem ſe poſſe continere a lacrymis, cum tantarum paulo ante deliciarum juvenis, tam ſubito mutatus ad mundi contemtum adeo ſe accingeret, ut pretioſiſſimas oloſericalis habitus veſtes cum tunica oloſerica ſponte ſua ſpoliatus abjiceret, annuli quoque aurei digitis abſtracti, & in terram projecti clariſſimum tinnitum redderent, ipſe etiam converſionis ſuæ profeſſionem vix permittente ſingultu enunciare ſufficeret. Hic non multo poſt, ut dictum eſt, apud Laudunum Clavatum ordinatus abbas eccleſiæ S. Vincentii, quantum, Deo juvante, loco profecerit, teſtatur fratrum nobiliſſima religio ab eo inſtituta, informata interius, rerum quoque & cellarum *multiplex* augmentatio exterius.

Conſecratur crypta S. Huberti.

52. Anno MLXXXI. Dominicæ Incarnationis indictione IV. THEODERICUS abbas ad conſecrandam ſecundam cryptam quam ædificaverat, Henricum accivit epiſcopum, ejuſdemque conſecrationis diem præfixit, videlicet in idibus Januarii. Epiſcopus quod petebatur hilariter exequendum decrevit, comitatuſque FRANCONE *epiſcopo* Bellagradenſi, necnon maxima frequentia clericorum & curialium ſuorum in Epiphania Domini ad locum venit. Quantus autem concurſus non ſolum affinium, ſed & exterorum promiſcui ſexus & ætatis expectationem tantæ ſolemnitatis convenerit, quanta prædictorum pontificum devotione, quanta Leodienſium archidiaconorum & frequentia & *obſecundatione*, quam largis & multiplicibus obſoniis eadem conſecratio celebrata conſtiterit, ſi quis narraret vix crederetur a poſteris, præſertim cum degenerante ſæculo deficiat paſſim non ſolum copia, ſed & ipſa morum probitas, & antiqua moralitatis honeſtas.

Albricus advocatus indebita exactione vexatio indebita pervabarat per annum.

53. Apud Calvitiacum advocatus quidam Albricus nomine, in exigendo ſibi indebitas corvcias adeo imminebat eccleſiaſticæ familiæ, ut in arando vacca cujuſdam pauperis abortiret, ejuſque vice per totum diem jugum ſuſtineret altrinſecus pauper. Tantam tamque injuſtam exactionem abbas audivit, & Albrici inhumanitatem exhorruit, properans divum Adelonem expetiit, & quomodo ſubadvocatus ejus familiam eccleſiæ tractaret, ſatis dolenter ingeſſit, paratus hujuſmodi angariam probare nec illi nec alteri debitam. Indignatus Adelo adverſus Albricum,

[c] Hujus miraculi meminit auctor vitæ S. Theoderici n. 26.

hoc illum feciſſe erubuit, & expoſtulatæ probationis diem abbati conſtituit. Heribertus quidam admodum fidelis & probus erat tunc Calviciacenſis villicus. Hic die præfixa inter abbatem & Adelonem teſtificato legaliter ſacramento, idem ſacramentum judiciali examinatione per (a) aquam confirmavit, & advocatorum violentas exactiones, maxime vero corveias illi omnino indebitas comprobavit. Huic publicæ comprobationi interfuerunt Adelo Dinienſis, RAMBALDUS comes Mutienſis, Petrus Mirowaldenſis cum multis nobilibus aliis. Actum anno Incarnati Verbi MLXXXI.

[a]

Theodericus creatus apud S. Huberti legatus.

54. Nec multo poſt GODEFRIDUS Theodericum comitem cepit, qui filius Gerardi Flammenſis, regi etiam Henrico admodum familiaris, in quibus poterat adverſabatur juveni, quem Bullonium deductum ſatis liberaliter juſſit ſervari. Lambertus quoque junior tunc ut erat præpoſitus eccleſiæ S. Petri frequentius captum reviſendo, in quibus poterat, deſerviebat illi. Hic igitur poſt dimidium fere annum in eadem captione obiit, & jam moriturus Coloniam ſe deferendum familiaribus ſuis indixit. Ibi enim apud S. Gereonem longe deſtinaverat ſibi ſepulturam, collata illic rerum ſuarum multiplici munificentia. Lambertus vero ut ſemper erat curioſus eccleſiæ matris ſuæ utilitatibus, per Heribrandum Caſtellanum & Thicboldum effecit, ut abbreviato labore tam longæ hujus evectionis, ſepeliretur in eccleſia B. Huberti. Cujus rei gratia Gerardus & Gozwinus filii ejus contulerunt eccleſiæ legaliter in perpetuum habendos ſex manſos allodii apud Bridam, quæ ſub Trajecto ſita eſt in Taxandria. Actum anno Incarnati Verbi MLXXXII. Hoc eodem anno refirmavit epiſcopus HENRICUS caſtrum *Mirvolt.*

Caſtri Mirvoldi munitio.

55. Increſcentibus autem inimicitiis inter ALBERTUM Namurcenſem & GODEFRIDUM Bullonienſem, Albertus pro guerra Bullonienſi Mirvoldenſe caſtrum latenter refirmare diſpoſuit. Id cum HENRICUS epiſcopus deprehendiſſet, tum quia Godefrido omnimodis favebat, tum etiam quia per hoc vexandum epiſcopum timebat, anticipavit prævenire intentionem Alberti, & a RICHILDE comitiſſa Montenſi ipſum Montem cum comitatu & banno & ceteris ejus appenditiis, duo quoque ejus allodia, ſcilicet Braz & Griuspontem cum omnibus utilitatibus ſuis & familia taxato pretio comparavit, ſicque caſtrum maximis impenſis refirmavit. Cui cum quaſi ad cuſtodiam provinciæ milites deputaſſet, illi cogente inopia facti ſunt publici prædones, non ſolum villarum pauperes, ſed etiam ipſam abbatiam S. Huberti aſſiduis incurſionibus vexantes. Quæ res Theodericum abbatem uſque ad animam gravavit, timentem non ſolum ſuo tempori, ſed etiam in poſterum periculo imminenti, & cum frequenter per ſeipſum tum per quos poterat mediatores epiſcopum precibus ambiret, ut tam grande malum quod in exitium totius provinciæ firmaverat diſſolveret, ſibique pondus tanti timoris abſolveret, prætendens ſe in eccleſia B. Huberti hactenus fruſtra laboraſſe, cui poſt ſe relinqueret tam proximum vicinum *deſolationis certiſſimæ*. Compulſus epiſcopus ne tantum virum ſic ſibi inſiſtentem, & eo uſque habitum in amicitia familiarem inexorabiliter offenderet, utque ejus dolorem & indignationem utcumque leniret, ipſum caſtrum in omnibus appenditiis ſuis legaliter habendum tradidit eccleſiæ, & in eccleſia B. Michaëlis a ſe ibi conſtructa & dedicata fratres ex eccleſia B. Huberti conſtituit, cuſtodiamque conceſſæ munitionis abbati habendam induxit, aſſerente abbate ſe neſcire caſtrum cuſtodire ſed clauſtrum; *convictus tandem* ab amicis ſuis, maxime vero ſuggerente Lamberto majori, ne interim exaſperaret animos perſonæ potentis, indictam cuſtodiam diſpoſitis ibi fidelibus eccleſiæ intercepit.

Reliquiæ S. Scholaſticæ in monaſterio Juviniacenſi inventæ.

56. Tunc temporis Mathildis marchiſſa addiderat epiſcopo Virdunenſi, ut Juvinienſem abbatiam.... cui (b) Theodericus epiſcopus GOLBURGEM religioſam virginem præfecerat, quam diu multumque reluctantem de recluſione violenter abſtraxerat. Quæ cum in loco eodem ſcrinium reliquiarum inveniſſet, ferreis nexibus firmiter colligatum, jejuniis & orationibus quæ ibi reliquiæ continerentur a Domino ſtuduit quærendum. Cui cum divinitus revelatum eſſet partem corporis B. Benedicti ejuſque ſororis Scholaſticæ *virginis* inibi contineri, idem certius decrevit experiri oraculum, & ad hoc ipſum publice providendum, evocavit ad locum Theodericum epiſcopum. Epiſcopus ad rem edictum præfixit in exaltatione S. Crucis. Convenientibus ad eamdem expectationem non ſolum finitimis, verum etiam quampluribus exteris, adfuit etiam pro expetendis ſanctorum reliquiis Lambertus junior, miſſus ab epiſcopo Henrico & abbate Theoderico. Locato autem conſiſtorio in area campeſtri, ibidemque aperto reliquiarum ſcrinio coram *frequentia populari*, *inventa* ſunt duo capita, videlicet præfati fratris & ſororis, cum oſſibus diſſimilis quantitatis. Nam quædam videbantur virilis eminentiæ, quædam habitudinis femineæ. Quibus ab epiſcopo lacrymaliter expoſitis ad videndum, iterumque reverenter repoſitis, celebratis etiam ex eorum veneratione miſſarum ſolemniis, junctura una digiti B. Benedicti, & dens abſtra-

[b]

[a] Hoc eſt per aquæ judicium, quod quidem perinde ac *judicium per ignem* ad detegendam veritatem olim adhibebatur, de quo vide quæ diximus in lib. 3. de antiq. eccl. ritibus, cap. 7.

[b] Theodericus Virdunenſis epiſcopus cognomento magnus interfuit Remis concilio a Leone IX. celebrato vitamque produxiſſe traditur ad 1090.

ctus ex maxilla Scholasticæ virginis dono abbatissæ huic ecclesiæ provenit.

57. Interea episcopus ecclesiam B. Huberti frequentare, neglectis sedibus episcopii natalitias curias & paschales celebritates ibidem solemnizare, ordines ecclesiasticos suis temporibus agere, & fratribus sine aliqua suorum inquietudine familiarius cohabitare. Satagebat abbas quibus poterat obsequiis eum complacare, & inter agendum gratiam ejus de castro dejiciendo prætentare, sed episcopo quod petebatur callide dissimulante, modo rem ad optimatum suorum consilium referendam respondente, cum jam abbas fastidiens quereretur fratribus suis frustra se niti, suborta est magna seditio adversus episcopum totius congregationis, quod ecclesiæ hactenus liberrimæ obfirmasset intolerabile jugum obsidionis, tamquam magnum diabolum ad insidias sanctificationis. Quod licet in faciem illi objicere parcerent, eis tamen, quos illi sciebant primatiores, hæc ingerebant acerrime, ut ingesta sibi referendo, vel misericordiæ recordatum ab intentione reflecteret, vel ex eo certius, si esset eis desperandum, probarent. Familiaribus vero econtra causantibus? non sic dehonestandum vel provocandum tantæ potestatis virum hactenus eis tam amicum tamque humanum, Lambertus junior zelo matris suæ ecclesiæ incitatus, talis, inquit, amicitia cum ad hunc nobis exitium provenerit, eadem facilitate contemnatur, qua & probatur. Quod verbum notatum præ ceteris, cum episcopo velut ad contumeliam specialem referretur ex persona dicentis, episcopus concepta occasione, quasi justæ commotionis, adversus abbatem & fratres furere & conqueri cœpit; inferens non se sic meruisse injuriari, nec sibi a modo succensendum, si sic læsa ejus amicitia ad eos exerceret inimicitias. Intellexit abbas libenter eum causas affectare, ut quod petebatur de castro dejiciendo, quasi juste exasperatus recusaret, & de eo jam desperare coactus; secessit Franciam, utroque Lamberto comitatus. Et dum apud cellam Ebernei-curtis moraretur, exoratus ab ALBERONE abbate S. Vincentii, Lambertum juniorem illi habendum apud se permisit, nec multo post requisitus ab episcopo, cur se tamdiu absentasset, vel a loco suo, vel ab eo, Theodericus præpositus præmonitus ad ea respondere, respondit abbatem apud se deliberasse ex toto jam recedere, nolle eum a modo loco præesse, cui non poterat prodesse, dolere se tamdiu supersesse, ut se vivente videret tot suos labores deperiisse, castro quod firmaverat superexistente. Veritus episcopus cum divina offensa tum etiam publicam de recessu tanti viri infamiam, edixit præposito quantocius abbatem revocare, mandans ei se malle tot impensas, quas in castro frustra expenderat, perdere, quam Deum offendere, ipsumque sic ut recederet exasperare: pateretur tamen quandoque hoc agendum cum tempore & ratione. Revocatus abbas cum episcopo apud ipsum castrum occurrisset, & exceptus hilariter ab eo consedisset, conquerenti se nimis ab eo insequi & insectari, respondit abbas animo desideranti nihil satis festinari. Ad hoc episcopo secretius spondente illi absolvendum pro certo sibi effectum hujus desiderii sui, necdum tamen id posse convenienter fieri, ne imputaretur ejus levitati tam subita eversio tanti sui laboris. Consolatus interim abbas tacuit, Deum propensius exorans, ut disponeret ei celeriter proventum hujus suæ expectationis.

58. Audivit interea domnus PETRUS venerabilis prior S. Remigii notum sibi olim Lambertum juniorem morari apud domnum Adalberonem Lauduni, qui assumto Thiebaldo clausträli priore, cum Humberto præcentore, suggessit abbati HENRICO, ut missa legatione ad Adalberonem, Lambertum sibi commodandum expeteret, & quia scholastico indigebat scholas illi regendas committeret. Nec moratus abbas vir magnæ ætatis & maximæ honestatis, misso Heriberto succentore, dictavit ei animos Lamberti prius explorare, si concedente abbate Adalberone, ad S. Remigium consentiret venire, & tunc demum ex ejus consensu litteras suæ petitionis pro eo abbati præsentaret. Lambertus de mandato consultus, respondit se suæ potestatis non esse; ex consensu vero Adalberonis, paratum se quo mitteretur ire. Sic redditis deprecationis pro Lamberto litteris, Adalbero quod petebatur exhorruit, asserens id se non præsumere, nisi ex Theoderici abbatis voluntate, qui illum sibi commiserat reddendum ecclesiæ suæ. Interim tamen dubius an petitionem tantæ ecclesiæ omnino refelleret, an depositum sibi Lambertum ad sua remitteret, ad rem tractandam inducias petiit, & diem ad se redeunti legato constituit. Cœpit interea pertentare Lambertum quid mallet, & hortari ut se excusando illi quod verebatur absolveret. Lamberto in priori sententia persistente, scilicet sui se arbitrii non esse, præciperet ipse quod vellet, paratum se illi obedire. Adalbero excepit ab eo conditionem, quod remandatus a Theoderico abbate sine excusatione ut suus ad eum rediret, & in ejus placito se omnino reponeret, dimisitque eum ad præfixam diem, legato S. Remigii pro eo redeunte. Ille gratia Dei honeste deductus & amicabiliter exceptus, jussus est ecclesiæ scholasticus haberi, nec multo post electus & constitutus unus ex septem cardinalibus majoris altarii. Dignitas hujusmodi ordinis firmata est privilegio Romano ejusdem ecclesiæ a domno Leone papa, qui eam dedicavit, ut non archiepiscopo, non episcopo, non cuilibet majori

Lambertus S. Huberti monachus fit scholasticus & cardinalis immo archicantor Remensis sancti Remigii.

vel minori perſonæ liceat miſſas celebrare in ipſo altari niſi archiepiſcopo Remenſi, & cui abbas non quidem temere, ſed conſenſu fratrum permiſerit. Septem vero cardinales ad hunc honorem aſſumti publica electione præminent in tota congregatione, & liberi a certis officiis, quibus viciſſim deputantur alii, ſolummodo deſerviunt prædicto altari in feſtis diebus, baltheis utentes, & trium diaconorum totidemque ſubdiaconorum & acolythorum proceſſionem habentes.

59. Audita ſunt omnia apud S. Hubertum quæ evenerant de Lamberto, quem Theodericus abbas ſecum eductum Lauduni commiſerat, quaſi ad ſatisfaciendum epiſcopo, cui videbatur injurioſus pro verbo ſuperius incautius in eum prolato. Et indignantibus adverſus eum cuibuſque, amarius vero Lamberto majore, quod quaſi illius improvida ſimplicitate hujuſmodi damnum eveniſſet eccleſiæ, ut emolumentis nutritus deſerviret alienis utilitatibus, cœpit deliberare an depoſitum Adalberoni remandaret, an per ſeipſum Lambertum requireret. Imminebat vero dedicatio eccleſiæ Ebernenſis, quæ eſt in die S. Martini, illoque abbas veniens mandavit Lamberto ut ſibi occurreret. Ille audito mandato hora tertia, occurrit ei cum legatione eccleſiæ S. Remigii hora ſexta. Lætatus eſt abbas tam cito ſibi occurriſſe Lambertum, erubeſcentibus quibuſdam qui aſſerebant quaſi rebellem non eſſe venturum. Cui cum objiceret non hoc eccleſiam matrem ſuam de eo meruiſſe, ut alienis commodis deſerviens, illam poſtponeret, reſpondit Lambertus, non id recte calumniatores ſuos de ſe ſentire, ubicumque eſſet, ſe filium ſuum ejuſdem eccleſiæ ex toto recognoſcere, & ut ipſe melius noſſet numquam ſe hactenus arbitrio ſuo vixiſſe, nec amodo velle vivere, & ſi ſatis jam expertum adhuc experiri placeret, juberet poteſtative quid ſe facere mallet. Ad hæc abbas cum aſſidentes in ammiratione circumſpiceret, quod tam cito & rationabili reddita ratione, omnium a ſe calumnias removiſſet; legatio S. Remigii has illi litteras obtulit in eadem conſeſſione.

Litteræ abbatis & conventus S. Remigii ad Theodericum abbatem.

60. *Venerabili abbati* THEODERICO *Frater H. & fidelis illi S. Remigii congregatio, illam quæ eſt ſalus juſtorum a Domino. Apud caritatem veram, quam credimus veſtram, non multum laborat ad obtinendum quod petit fiducia fraterna. Sit ergo ipſius veſtræ charitatis, ut fratrem Lambertum nobis cum gratia veſtra remittatis. Sed neque vel vobis vel eccleſiæ veſtræ reputetur oneri, quod probatur honori, nec adſcribatur damno, ſi nutritus labore veſtro convenit idoneus ineſſe apoſtoli Francorum archimonaſterio, cum ſapientium judicio utile poſtponi debeat honeſto. Vale.*

61. Tunc demum abbas cum Lambertum ſic ſibi in omnibus obedire paratum perpenderet, tum etiam ne eccleſiam tantæ dignitatis non exoratus offenderet, illum cum gratia ſua remiſit ad S. Remigium, ipſe quoque ad ſuum reverſus eſt monaſterium.

Caſtrum Mirvolt dejici procurat Theodericus.

62. HENRICUS epiſcopus imminentem dominici natalis ſolemnitatem apud ſanctum Hubertum celebravit, ubi & in ſequenti quadrageſima ordinibus exactis, Leodium rediit. Abbas vero jam diu ſuſpenſus de promiſſione qua epiſcopus dejiciendum caſtrum condixerat illi, ut jam tandem experiretur eventum rei, aggreſſus eſt cum Leodium proſequi. In quarta autem feria paſchalis hebdomadæ, hora fere tertia veniens Tieletum, audivit a ſuis Serani eſſe epiſcopum, aſcenſaque navi, venit ad eum. Epiſcopus ad podium ſuum conſiſtens, de longe recognovit venientem: cui cum jam ripæ adlabenti gratia ſalutationis inclamaret, *Surrexit Dominus vere*, abbas reſpondit, *Et appareat Henrico hodie.* Quem epiſcopus benigne exceptum introduxit in capellam quam ſatis eleganter ipſe ibi condiderat, neminem præter Theodericum præpoſitum admittens in cauſa. Qui ſedens aliquamdiu cum vultum & vocem ſuppreſſiſſet, oculos lacrymis ſuffuſos elevavit ad cœlum, & converſus ad abbatem quaſi in agonia conſtitutum, « Scio, « inquit, quid quæras, cariſſime pater, ſcio « quid deſideras, quidve in poſterum verea- « ris ex malitia quam vides præſentis tempo- « ris, cujus ne mihi apud Deum, ut multo- « tiens minaris, imputetur occaſio, caſtrum « quod dejiciendum affectas, tuæ hodie vo- « luntati & poteſtati permitto, ipſumque Mon- « tem cum comitatu & omnibus quæ ſunt ejus « ditionis in perpetuum eccleſiæ tuæ poſſiden- « dum legaliter contrado, meque totum tibi « & filiis tuis gratia hujus viciſſitudinis Domino « Deo commendandum ſpecialiter committo. « Statim abbas lacrymatus præ gaudio, ad pedes ejus procumbit, quem epiſcopus & ipſe genu flexo levans humiliter, hoc eum feciſſe caſtigavit. Nec moratus abbas omnem eventum rei Lamberto majori, quem ad cuſtodiam caſtri cuſtodiendum reliquerat, ſcripto mandavit, & ut ad evertendam altitudinem ſathanæ quibus viribus poſſet, accingeretur, per obedientiam indixit. In craſtinum ſummo mane redditis ſibi litteris Lambertus, aſcenſo equo, circumquaque petvolavit, & publica exactione quoſcumque potuit ad caſtrum quantocius convenire compulit, & ne quis prætenderet occaſionem vel remorandi vel excuſandi, velut quadam anxietate animi inſimulabat minaciter neceſſitatem inſtantem propellendi periculi, ex banno epiſcopi amiſſionem rerum ſuarum intentans ſingulis, niſi adeſſent tuendæ munitioni, & firmando aggeri. Emora igitur ruſticorum, maxime vero carpentariorum multitudine, hora nona Lambertus ad caſtrum rediit, accinctuſque in primis cum

fratribus ibidem commorantibus, turrim aſcendit, & niſi prius viderat dejectum ejus apicem, ſe omnino non guſtaturum juravit. Videns ruſticos exemplo ejus incitatos, quaſi ſeipſos vindicantes in publicum hoſtem totius provinciæ, certatim inſurgere, ad ſumma turris convolantes tectum cum trabibus evolvere, parietes abruptis compagibus diſſolvere, mœnia ipſa cum propugnaculis everſa funditus eruere, tot impenſas, totque labores cum maximo colliſionis fragore in brevi concidiſſe: ſequenti feria ſexta abbas ab epiſcopo rediens, cum proſpiciens turrim non videret unde videri ſolebat a longe, ſuſpiciens in cœlum, quantocius de equo deſcendit, terramque deoſculatur, *Te Deum laudamus* devotiſſime decantavit. Et cum perveniſſet ad caſtrum, ipſum jam nudum aggerem dejectæ turris ſuſpiceret, elevata contra » cum manu, « Diſſolvat te, inquit, virtus » omnipotentis Dei, qui nutu ſuo muros Jericho corruere fecit. » Nec prius abſtitit, quam duodecim libras denariorum pro conducendis operariis ad eumdem tumulum complanandum deputaret, præter eos qui exacti convenerant ad caſtri deſtructionem,

Theodericus abbas Caviniacum a Richilde comitiſſa emit.

63. Per idem tempus Richeldis comitiſſa Montenſis rediens Roma per fiſcum ſuum Caviniacum tranſire diſpoſuerat, cujus tranſitum cum perſenſiſſet Arnulfus Chiſniacenſis, ut erat audacis malitiæ, inſecutus eam capere voluit. Quem, Deo juvante, effugiens, ad eccleſiam B. Huberti divertit, & officioſiſſime ab abbate Theoderico excepta, per hebdomadam in loco repauſans, ſubſtitit. Interim fratrum religione perſpecta diligenter, & multiplici obſequio ſibi hilariter impenſo delectata, Caviniacum, quod, ut dictum eſt, abbati depoſuerat in vadium, obtulit eccleſiæ funditus emendum. Quod cum abbati omnique congregationi placeret, communi conſenſu dies præfixa eſt coemtionis hujus agendæ, & hoc coram epiſcopo apud caſtrum Foſſenſe. Procuratus eſt quoque ibi comes Albertus ab abbate, qui eam reducens in ſua conſtituit ſecuritate. Abraſo autem argento quod in eccleſia inveniri potuit octoginta marchas ſecum deferens abbas, Foſſas venit, trecentis aliis per Lambertum majorem & Theodericum præpoſitum procuratis, apud mercatores & clericos Leodienſes vadibus depoſitis. Conveniente ergo comitiſſa Richilde cum filio ſuo Balduino, renovata eſt coram epiſcopo & duce Godefrido conventio condicta de Caviniaco: cujus pretii ſummam cum epiſcopus contraxiſſet ad marchas trecentas, præter ſeptingentas, quas olim abbas in vadium ſuperpoſuerat ei, mater cum filio ipſum fiſcum perpetuo habendum eccleſiæ B. Petri & B. Huberti per ceſpitem & ramum ejuſdem allodii legaliter in manus epiſcopi & abbatis, ducis quoque Godefridi eccleſiaſtici advocati contradidit, & publica audientia ſibi eum & quibuſque heredibus ſuis uterque funditus abjuravit. Et cum in exſolvendo argento videret epiſcopus viginti marchas deeſſe, duo candelabra ſua ejuſdem ponderis depoſuit comitiſſæ, quæ poſtea ex proprio redemit ductus amore eccleſiæ. Facta autem & confirmata carta coemtionis in publica præſentia epiſcopi & ducis, & ſignata teſtibus idoneis, abbas lætus ad eccleſiam rediit, & veſtituram legalem per manum ducis recipiens, ſuper altare B. Petri Caviniacum totum cum familia & omnibus acqueſtibus & appenditiis ſuis, ut proprium ſuum æternaliter eccleſiæ retinendum ſine ulla contradictione ſaiſivit.

Eidem locum conſtruendi moſendini a Hoiun concedit epiſcopus.

64. Poſtea remandatus abbas ab epiſcopo Hoium venit, ibique gratia dilectionis aliquamdiu ab eo retentus, cum regredi deſtinaret, ſuggeſſit epiſcopo apud ipſum oppidum eccleſiam B. Huberti duos molendinos habere, ejus gratiæ convenire, ut ſedem tertii conſtruendi monaſterio concederet: quod epiſcopus libenter concedens, evocatis miniſtris & judicibus ejuſdem oppidi, equum aſcendit, & ad placitum abbatis, optimam ſedem molendini ſuper Hoiolum difirmavit, quam legali dono eccleſiæ in perpetuum poſſidendam confirmavit. Erat eo tempore Boſo archidiaconus abbas Hoienſis eccleſiæ S. Mariæ, Lambertus nepos ejus publici juris proviſor & judex, Dodo diſpenſator epiſcopalis menſæ.

65. Bras quoque & Gruiſponti, quæ olim eccleſiæ perpetualiter donaverat, Arſiæ partem quæ ſui juris erat, ex allodiis quæ fuerant comitiſſæ Richildis, addidit. Et ne quis eadem ſua amodo vel immutaret vel removeret, æterno anathemate damnavit. Hanc partem Cono de Hamerina tollit eccleſiæ vi & injuſte.

Eccleſia Nafaniæ pleno jure ſubjecta S. Huberto.

66. Mater eccleſia B. Mononis martyris Nafaniæ a Gualcando epiſcopo data fuerat cum omnibus quæ ad eam pertinent, ab antiquo eccleſiæ B. Huberti in poteſtativa ditione. Ejus clerici acceptis ab abbate præbendis, tamen conſenſu & laude fratrum, condicto eis & ſoluto ſervitio debiti honoris, jam ex tunc detrectabant per inſolentiam ſubeſſe juſtitiæ abbatis, niſi in clericalibus conciliis ſub diſtrictione epiſcopali. Hanc quoque inſolentiam petente abbate epiſcopus, liberum conſtituens altare ejuſdem eccleſiæ, abſolvit, & omnes exactiones & juſtitias epiſcopales & archidiaconales, præſente ibi & ſecum condonante Boſone archidiacono, eccleſiæ B. Petri & B. Huberti in perpetuum remiſit, eamdemque remiſſionem facto privilegio auctorizavit. Quod autem pace beatæ ejus animæ ſanctæque memoriæ, non quidem exprobrando, ſed condolendo dicatur, Theodericus & Lambertus ejus ſimplicitati adeo dominabantur, ut om-

nino eis in omnibus ſe crederet, & quaſi conſulto Deo, eoſdem conſultores audiret. His enim fidens proviſoribus, tanto interius advigilabat liberius, quanto de externis dormiebat ſecurius. Sed cum non multum diſtet in vitio vel decipere vel decipi poſſe, in hoc damnoſum nimis crimen miſcuit gloriæ ſuæ, quod imprudenter patiebatur ſeduci eorum miſerrima ſuggeſtione. Nam ſi quem vel gratia conſanguinitatis vel acceptæ mercedis
[a] vellent noviter (a) caſſare, hoc de præbenda fratrum ſine eorum conſenſu non dubitabant abbati perſuadere, illeque eorum perſuaſioni non differebat obedire. Hoc modo amiſit eccleſiaſtica utilitas ex antiquis poſſeſſionibus Vincias & Leſterneias, & ex acquiſitis ab eodem abbate noviter Sulmodium in proximo, & Tavers in Haſbanio.

S. Theoderici abbatis obitus. 67. Anno Domini MLXXXVI. ordinationis vero ſuæ XXXII. Theodericus abbas non ſolum ſenio, ſed & confectus jejuniis, orationibus & vigiliis, laboribus etiam & curis commiſſæ ſibi paſtoralitatis, ab ipſa licet pertenui virtute corporis circa menſem Julium deficere cœpit, unde & gratia paululum repauſandi, Piros illi ſecedere placuit: ubi dum ſe ingraveſcente ſenſim infirmitate præſentiret ad mortem urgeri, Theoderico præpoſito ſibi ſecum moranti relationem ſuam ad monaſterium accelerandam indixit. Referendus vero litteras vel deprecatorias vel comminatorias, ut cuique conveniebat, ſcilicet Adalberoni Laudunenſi abbati, Guirido præpoſito Ebernenſi, Lamberto priori S. Remigii, Beringero abbati S. Laurentii, ipſi etiam Henrico Leodienſi diſpoſitis nunciis mittere feſtinavit, humiliter expoſcens, ut ſibi quantocius adeſſent, & morituro ultimum valefacerent. Et cum ab ipſa cella tranſpoſitus in alteram ripam Moſæ gratias ageret Deo, quaſi jam propinquior cui aſpirabat monaſterio, occurrit illi Lambertus major cum apparatu revectioni ejus congruo. Cum vero in craſtino circa horam nonam appropinquaret monaſterio, divertit ſuper Lumnam fluvium in quodam circumjacentis ſilvæ prato, ne quis fieret popularis planctus & tumultuatio. Sic evitata populari expectatione, in prima vigilia noctis dominicæ exceptus eſt cum maximo fratrum mœrore. Summo autem mane affuit illi epiſcopus cum Beringero abbate. Hi cum ad eum intrarent, ille collectis viribus ſedens in lecto, gratias Deo egit, & impoſita ſibi ſtola fratres ſuos tum præſentes abſolvit, divinæque miſericordiæ commendavit, & ſic demum eccleſiaſtico more ſe Deo reconciliandum epiſcopo humiliter obtulit. His omnibus hora fere tertia expletis, & inde ſtudens ſilentio & divinæ contemplationi in craſtinum hora eadem ad Deum migravit. Cujus ſtatim mi-

A gratione vulgata, occurrunt certatim ad tanti viri exequias Godefridus Bullonienſis, Albertus Namurcenſis, Arnulfus Chiſniacenſis, Cono Montis-acuti curiales, qui cum popularibus indifferenter admixti, quaſi patrem patriæ ſe amiſiſſe conquerentes lamentatione communi. Per biduum vero advigilatus ſolemni miſſarum celebratione, & continua pſalmorum decantatione, tandem ſepultus eſt (b) tertia die in crypta nova quam [b]
condiderat in honorem beatæ & glorioſæ ſemper Virginis Mariæ. Cujus obſequium cum epiſcopus vix expleret, lacrymis & ge-
B mitu vocem ejus intercludente, incredibile videbitur poſteris in quantos planctus omnes ſe ſuſcitaverint, quantiſque clamoribus dolori in commune ſatisfacerent.

Præpoſitus eligitur abbas. 68. Eo tandem ſepulto, epiſcopus obtulit fratribus eligendi abbatis optionem, proteſtatus inde nolle recedere, niſi eis loco defuncti ordinaret patrem. Convenit in unam ſententiam & fratrum electio, & curialium atteſtatio, & popularis acclamatio donandam eamdem abbatiam Theoderico præpoſito: quod licet ille videretur reniti, ſeque fateretur non convenire tantæ aſſumtioni, adeo increvit ſemel emotus omnium clamor,
C ut de re agenda nec ipſi retractare liceret epiſcopo. Jamque donata abbatia quaſſans caput, cum præ admiratione familiaribus ſuis enuntiaret tanti favoris clamorem timere ſe in poſterum alicujus ſiniſtri portenti fore. Sed neque ejus hanc enuntiationem eventus fefellit, & ut ſuo loco dicetur, per acceſſum temporis quod verebatur accidit. Theodericus vero recedentem epiſcopum proſequutus, & ab eo ex more in abbatem conſecratus, in calendis Septembris exceptus eſt a fratribus lætanter illi procedentibus. Quia ergo, ut ait quidam, difficile imperium retinetur, niſi eiſdem artibus quibus & paratur:
D ipſe adhuc rudis curæ paſtoralis, utpote eotenus aſſuetus prudentiæ exteriori, recordatus tandem quis fuerit, quiſve ex aſſumto officio cogeretur jam fieri, nimirum invenit ſe nimis imparem impoſiti ſibi oneris; & qui videbatur prius quaſi in plano firmiter ſtare, in præcipiti jam pede poſito cœpit apud ſe graviter titubare. Impos ergo ſuimet, veſtigia ſui prædeceſſoris licet utcumque conaretur proſequi, nullo modo tamen prævaluit aſſequi, & laxato paulatim rigore
E diſciplinæ, quo ille maxime viguit ad gloriam, dum ſe plus juſto quibuſque inclinaret quaſi ad gratiam, in brevi devenit ad contemtum per familiaritatem nimiam. Volens denique amari ex benevolentia a quibus debuiſſet timeri ex honoris reverentia: dum quibuſque indifferenter & inconſulte promitteret ſperanda quæ conferre non poterat, ipſos etiam veteres amicos ſuos ſibi

(a) Caſſare eſt in feudum vel ad cenſum dare.
[b] Mos quippe antiquus fuit ut abbates non niſi tertia poſt obitum die ſepulturæ traderentur, ut demonſtravimus in lib. 5. de antiquis monachorum ritibus cap 12. n. 6.

gratis inimicabat, maxima enim eſt pars beneficii, ſi cito negatur quod non dandum promittitur, & amicus ita debet haberi, ut putetur inimicus poſſe fieri. Unde cum inter eum & ſibi commiſſos ſuſcitaretur frequens diſſenſio, ad hoc uſque prorupit eorum mutua indignatio, ut privato germinante inter eos odio, ſuccreſceret in poſterum publica ipſius eccleſiæ maxima confuſio. Sed de his interim intermittendum.

69. Epiſcopus autem circa locum ex veteri pia conſuetudine ſollicitus, cum audiret a quibuſdam quæ gerebantur inter abbatem & fratres, & audita diſſimulans noſſe, eadem ſperaret corrigenda vel tempore vel ratione, idque minime proveniret, indignatus ſibimet ſuper tali ordinatione cum mœrore gravi, ecce, inquit, quod verebar accidit, ecce quam infelix exitus ex tam lætis initiis; nec tamen abſtitit, quin ſæpius locum reviſeret, fratres corrigeret, res eccleſiæ ne minuerentur attentius curaret, abbatem in quibus cum deprehendebat minus ſufficere ſuo conſilio & auxilio ſuſtentaret. Cujus ille vivaci ſedulitate refectus, a ſuo illo quo gravabatur apud ſe defectu cœpit conſtantior haberi, in his quæ curanda ſuſceperat, & quæ prius ut inexperta ſub quadam laſſitudine faſtidiebat: unde ea quæ erant eccleſiæ non ſolum retinuit, ſed & quædam ſua induſtria acquirere ſtuduit.

Allodium de Moroldi-heis acquirit.

70. Quidam nobilis Sigefridus cum uxore ſua condixerunt ſibi inviſere eccleſiam beati Huberti gratia orationis, qui ab abbate honeſte ſuſcepti, ibidemque per triduum retenti, pro impenſa ſibi benevolentia inducti, allodium de Moroldi Heis, quod erat eorum, eccleſiæ obtulerunt, partim gratis donandum, partim ab eis emendum. Gaviſus abbas ſe inveniſſe opportunitatem hujus acquiſitionis, XIX. marcas argenti viro & uxori ejus antequam recederent, appendit, & prædictam poſſeſſionem cum familia & omnibus appenditiis eccleſiæ in perpetuum legaliter donatam obtinuit.

71. Stephanus caſtellanus Montis-acuti caſatus erat eccleſiæ, quantum ad filium & filias nullum habens heredem: cujus hereditati cum nepotes illius inhiarent, abbas caſamentum quod erat eccleſiæ ab eodem Stephano redemit, & ante quinquennium mortis ejus redditum ſibi infirmorum uſibus

Noſocomiũ erigit.

deputavit. Ædificavit præterea hoſpitalem domum ad ſuſceptionem ſupervenientium peregrinorum, & repauſationem infirmorum pauperum, deputatis ibidem molendinis Caviniaci fiſci ad uſum illorum. Conſtituit etiam integram præbendam communi fratrum eleemoſynæ addendam ad remedium animarum hujus congregationis ſpecialiter deſtinatam.

72. Decima totius Amblacenſis fiſci videlicet indominicationis, erat ſuæ eccleſiæ quæ ſita eſt in Ambra B. Petri, & hoc tempore Beregiſi abbatis, dono Pippini qui erat major-domus Theoderici regis. Tempore autem (a) Henrici imperatoris cognomento Pii, cui [a] heredem non habenti Conradus in regnum ſucceſſit, Cunegundis comitiſſa quæ fuerat unica Gozelonis comitis dominatoris ejuſdem fiſci, Ottoni cuidam Saxonico nupſit, inter quos inhoneſto divortio eveniente, quod non eſt noſtrum renumerare, omne patrimonium Cunegundis lege Palatina devenit Romani imperatoris. Henricus autem imperator filius Conradi prædictum fiſcum cum caſtro quod dicitur Rupes Seremanni duci Frederico mutuavit pro quibuſdam ejus poſſeſſionibus, quæ in Saxonia opportuniores erant ſibi, ſed Cunegundis apud eccleſiam B. Petri & B. Huberti recluſa, coram altari S. Martini ſatis convenienter ibi vivens poſt longam pœnitentiam in Chriſto quievit, & ſepulta eſt juxta corpus patris ſui Gozelonis: quæ adhuc ſuperſtes dum frequentaretur a duce Frederico gratia caritatis, ejus ſuggeſtione idem dux prædictam decimam ex toto recognovit. Et quia erat vir veritatis & juſtitiæ, pro damno quod intellexit loco eveniſſe de eadem decima per memoratas dominorum commutationes, tradidit legaliter B. Huberto perpetuo habendum Montem Pincionis cum familia & omnibus appenditiis ſuis. Qui cum adhuc rudis antiquæ & debitæ conſuetudinis cognoſceret ex debito exſolvendas B. Huberto, omnes primitias ſingularum ferarum annuæ venationis totius ſilvæ Arduennenſis, tanta ſollicitudine ſuo tempore ſolvere eas curavit, ut quadam vice cum venatoribus ſuis aprum in monaſterio deferentibus progreſſus, ipſemet humeris propriis ejuſdem apri caput nobis videntibus eccleſiæ inferret, & ante altare beati Petri gratia devotionis deponeret. Dux quoque Godefridus cognomento Barbatus quadam die cum ad hanc conſuetudinem beato Huberto exſolvendam venatum iſſet, quinque cervos cepit, cum uno lupo, ipſos quoque omnes cum coriis, & capto lupo adhuc vivente, tranſmiſit nobis videntibus huic eccleſiæ. Poſt mortem autem prædicti Friderici Ida uxor ejus nupſit Alberto comiti Namurcenſi, iterumque prædicta decima cœpit ſubduci eccleſiæ, agentibus iniquis & fraudatoribus miniſtris, quaſi fiducia immutatæ dominationis. Ad hanc reclamandam abbas comitem ob uxorem ejus expetiit, & Lamberto majore rerum ordinem rationabiliter renumerante, illis quod ſuum erat eccleſia utriuſque aſſenſu recuperavit perpetuo habendum.

Cunegundis recluſa apud S. Huberum.

Primitiæ venationis S. Huberto oblatæ.

73. Apud Caviniacum fiſcum curialis familia habebatur, quæ olim eccleſiæ acquiſita cum ceteris popularibus, dominium eccleſiæ quaſi novum detrectans, ſervire ei dedigna-

[a] Ipſe eſt ſanctus Henricus imperator, qui heredem non reliquit quia virginitatem cum Cunegunde uxore ſua illibata conſervavit.

batur.

batur. Unde BALDUINUM comitem Montenſem filium Richeldis abbas Lamberto majore comitatus adiit, & ne inſolentiam eorum adverſus eccleſiam tueretur, ei rationabiliter ſuggeſſit; comes relato conſilio ad IDAM uxorem ſuam alioſque fideles ſuos qui interfuerant geſtis de Caviniaco ſuperius memoratis, eorum teſtimonio juſtam quidem cauſam abbatis recognovit; ſed mandavit ei ſe velle honorari gratia ejuſdem a ſe confirmandæ recognitionis. Abbas illi x. marcas argenti condixit, eumque ſecum Tudiniacum caſtrum, quo tunc epiſcopus cum Godefrido duce morabatur adduxit. In eorum præſentia Balduinus prædictam familiam curialem eccleſiæ beati Huberti ſuam eſſe recognovit, & a ſe reſpectu eorum omnino removit, omneſque qui videbantur eſſe hujus contradictionis cum ſervis eorum & ancillis, cum poſſeſſionibus eorum & allodiis, facto ibi publice privilegio confirmavit: cui etiam cum ſigillo epiſcopi ſuum quoque imprimi fecit.

Epiſcopo autem inferente duci ſatis utilem fore eccleſiæ B. Huberti acquiſitionem hujus fiſci, ſi quis etiam decimam ejus acquirere poſſet, quæ erat eccleſiæ Prumienſis, conſultu & hortatu eorum concepit Theodericus abbas hoc idem negotium exequendi. Denique reverſus, utrumque Lambertum Prumiam miſit, & nihil eis vel dicendum vel agendum dictans, eventum rei pertentandum commiſit. Excepti honorabiliter a venerabili abbate WULFRANNO, & ab eo familiariter per hebdomadam retenti, adeo virum ſuis affectabant facetiis, ut quibuſque ſuorum poſtpoſitis, illorum ſpecialiter frueretur colloquiis. Et Lambertus quidem major, utpote qui ab adoleſcentia ſua curiis fuerat aſſuetus, cum delectaret confabulantem ſibi abbatem palatinis ſalibus, junior vero prout erat illi dicendi locus breviter defloratos veterum annalium ſubinferret eventus, illud vel ſæpius exigebat abbas referendum ſibi quaſi ad gratiam jocunditatis, quomodo Papirius prætextatus puer, ne ſenatus conſultum proderet, matrem ſuam eluſerit. Hic capitolium ingreſſus ſub clamide patris latenter, indeque regreſſus, cum ſe quærenti matri præſentaſſet, illa inter oſcula interrogavit eum ubi tamdiu fuiſſet, quo reſpondente ſe cum patre in ſenatu fuiſſe; maternis argumentis cœpit puero inſiſtere, ut ſibi referret, quid ſecreti ibidem audiſſet: puer pertæſus quærentis fatigatione, cum omnino deliberaſſet apud ſe capitolii ſecreta non prodere, adinvenit artificioſe ſenatum duas uxores unicuique viro decreviſſe, idque in commune confirmandum craſtina ſeſſione quaſi ad utilitatem reipublicæ. Femina impatiens totius moræ, cum trepidans domum egreſſa potentiores Urbis matronas ſuſcitaſſet, factas pene in amentiam tali rumore, convenerunt in craſtinum ante capitolium jam ſenatu conſulente: ubi dum furore femineo conclamarent ne ſententiam heſterni decreti adverſus eas ſenatus ingravaret; ſed potius unicuique feminæ duos viros habendos decerneret. Requirebant patres quæ eſſet illa mulierum intemperies. Pavebant enim & mirabantur, non parvæ rei prodigium illam verecundi ſexus impudicam inſaniam. Tunc puer Papirius curiam ingreſſus publicum metum demit, & referens quomodo illi importuna mater inſtitiſſet, & quid ipſe matri inſimulaſſet. Tunc ſenatores ingenium pueri exoſculantes, honoris gratia Prætextatum cognominandum ſanxerunt, ob loquendi & tacendi prudentiam in ætate prætextata cauſamque & ordinem rei. Sic deriſa eſt impudentia feminei amoris & levitatis, & Papirio Prætextato, ut erat puer, dignitas adjudicata ſenatorii ordinis, aliis pueris ex tunc a ſenatu excluſis. His illatis ad placitum abbatis Lambertus addidit quæ ſubſequuntur: prout interveniebat ei opportunitas ad gratiam audientis, *Narrante, inquit, Platone, inducitur* quidam Giges in terræ hiatum magnis imbribus ſolutum, ibique invenit equum jacentem æneum. Cujus apertis lateribus, cum inveniſſet hominem mortuum quemdam, habentem in digito annulum aureum, abſtraxit & induit illum, ſicque ad paſtores regios ſe recepit, cum eſſet unus eorum. Qui cum prædicti annuli paleam ad palmam convertens, ipſe quoque omnes videns a nemine videretur. Hujus miraculi ſolers factus, rege Lydorum interfecto, cum quibuſdam ſuis principibus uxore ejus & regno eſt potitus.

74. Illud quoque, inquit, memorabile apud philoſophos habetur de Dammone & Pythia, duobus videlicet Pytagoreis, quorum alter a Dionyſio Sicilienſi damnatus ſententia capitali, petiit ab eo inducias domum ſuam diſponendi. Tyrannus aſtutiſſimus, quod reperiri non poſſe exiſtimavit, ſponſorem qui pro ſe feriretur, ſi moram faceret, ab eo requiſivit. Ille ut fidem faceret rèdeundi, vadem mortis ſuæ ſocium obtulit conſtanti animo pro ſe, ſi non reverteretur, paratum mori. Ad diem intentatæ mortis proſcriptus rediit, cum ſocius jam decerneret pro ſocio libentiſſime mori. Ammiratus tyrannus amicitiam philoſophis cariorem eſſe quam vitam, remiſſa ſententia condictæ mortis, utrumque in amicitiam ſuam aſcivit, quippe quos in tali periculo veros amicos probavit, &c.

75. His & hujuſmodi ſalibus abbas jam pronior ad gratiam factus, requiſivit ſecretius quæ fuerit cauſa eorum ad ſe adventus: at illi aperuerunt quod habebant in mandatis, conſilium epiſcopi & ducis, expoſtulationem quoque eccleſiæ B. Huberti pro mutuanda ſibi eccleſia Caviniacenſi. Requirente vero abbate quam viciſſitudinem hujus mutationis conferrent: reſponderunt illi

Commutatio inter abbatē S. Huberti & abbatem Prumienſem.

ecclesiam videlicet Melsinensem, cum uno manso terræ in confinio Vilantiæ, quæ pro situ positionis erat commodior ecclesiæ Prumiensi, sicut & Caviniacensis foret utilior ecclesiæ B. Huberti. Quæstionis hujus negotium cum retulisset abbas ad audientiam & consilium fratrum, communi eorum sententia decrevit quod quærebatur concedendum. Ut ergo rei diffinitione legatio rata constaret, condicta est dies qua utriusque ecclesiæ abbates cum advocatis suis ad eam determinandam & confirmandam convenirent. Statuta die dux Godefridus cum Theoderico abbate Prumiam venit, & evocatus ab abbate Wulfranno comes Bertoldus adfuit, sicque in publica præsentia, & communi consensu fratrum, multorum quoque regni optimatum cum prædictis principibus collectorum traducta & manu missa, sed & adstipulata est legaliter per manus abbatum & advocatorum conditio inter utramque ecclesiam prædictæ commutationis....

Rogerus Macerienſis ſepultus apud S. Hubertum.

76. Rogerus Macrienſis, vivente adhuc domno Theoderico abbate majore, consensu filii sui Godefridi donaverat B. Huberto quicquid habebat in Chenugio pro habenda apud eum sepultura, animæque suæ consequendo remedio. Post quadriennium hujus donationis, Rogero jam defuncto, & ut petierat ibidem sepulto, [a] Rodulfus abbas Mosomensis suggessit Raginoldo Remorum pontifici, eumdem Rogerum prædictam eleemosynam promisisse olim ecclesiæ Mosomensi, ejusque convenire justitiæ & honori, ut promissam attraheret abbatiæ sui juris. Credidit pontifex abbati, & quicquid in territorio Remensi suum erat ecclesiæ B. Huberti ei violenter interdixit, nisi sibi recognosceret quod reclamabat. Tali compulsus necessitate abbas ad archiepiscopum venit, assumtoque Lamberto priore S. Remigii, ab eo requisivit, cur sua B. Huberto sic interdixit. Raginoldus ut erat tenax cœptæ semel sententiæ, & maxime in quibus videbatur sibi super posse, tum etiam quia parum contra avaritiam consuluerat, in quibuscumque aliquod commodum sperabat, hujus disceptationis judicium decrevit referendum ad concilium episcoporum quod in proximo præfixerat [b] Suessionis civitate agendum. Abbas ad concilium venit, deducens secum Godefridum filium prædicti Rogerii, paratum sibi disrationare legaliter eleemosynam patris sui. Et cum inter cetera res quoque abbatis ventilaretur in concilio, hæc inde sententia publice determinata est episcoporum judicio: De altaribus Remensis ecclesiæ quæ acquisierat ecclesia beati Huberti Remorum pontificem posse licenter implacitare abbatem: de fundis vero abbatiæ non ei quicquam respondendum, nisi in audientia Leodiensis ecclesiæ, ad quam eadem ecclesia pertineret, cum ex decreto canonum constet nemini licere in alienam messem manum mittere. Sic res abbatis absoluta est judicio episcoporum. Bene autem conscius insensum sibi Reginoldum, eo quod unde sperabat nullum sibi proveniret commodum, adeo eum complacavit convenientibus exeniis, ut altare de *Bedols*, firmato privilegio & exclusa in perpetuum persona obtineret donatum ecclesiæ Pyrensi.

Concilium Sueſſionenſe.

77. Rogerus quoque Porcensium comes ante ipsum Porcense castrum trans fluvium Axonam ecclesiam in honore B. Thietboldi ædificare cœperat, ibique deputatis quibusdam rerum suarum possessionibus, quæ in privilegio ejusdem ecclesiæ renumerantur, cœnobium alicujus magni nominis, ut erat magnanimus, extruere meditabatur. Sed a suis proditus, & in captione dehonestatus, cum se non posse prosequi, quod nimis distulerat, videret; tædio quoque nimio affectus dehonestationis suæ, filiam suam Sibillam Godefrido filio Alberti comitis Namurcensis uxorem dedit, ipsumque Porcensem comitatum, cum omnibus quæ erant sui juris patri & filio maxima pretii summa ab eis accepta vendidit, quorum consensu unanimi & dono legali cellam prædictam B. Thietboldi Theodericus abbas ecclesiæ B. Huberti & B. Petri perpetuo habendam obtinuit, suosque monachos ibi constituit, firmato inde publice privilegio in archivio pontificali ecclesiæ Remensis, recognoscente illud & signante archiepiscopo Raginoldo cum clericis B. Mariæ semper virginis.

Cella Porcenſis domus.

78. Cellam etiam Chimensem, quæ est in honore B. Michaëlis archangeli, cum omnibus appenditiis suis, scilicet denominatis in privilegio ejusdem ecclesiæ subjectis illi ecclesiis, decimis, familia, terris cultis & incultis, pratis, silvis, vineis, aquis, molendinis, piscaturis, furnis, legali Galterii & fratris ejus Dodonis dono & uxoris ejus Hauvidis filiæ Arnulfi comitis ecclesiæ B. Petri & B. Huberti perpetuo habendam acquisivit. Ubi consensu (c) Engelberti Trevirensis archiepiscopi locatis monachis Robertum monachum optimæ habitudinis, olim autem clericum majoris ecclesiæ Virdunensis, præpositum constituit, cujus industria eumdem locum possessionibus & ædificiis ampliavit.

Cella Chimenſis.

79. Boso (d) abbas S. Agerici vir admo-

Boſo abbas S. Agerici.

[a] Hujus Rodulfi nulla mentio habetur in vulgatis indicibus abbatum Mosomensium. In quibus duos Rodulfos quidem reperio, unum qui præfuit ab anno 1031. ad 1049. de quo superius, & alterum qui devixit anno 1107. quos inter numerantur Bernerus 1069. Guido 1083. Heribertus & Reginaldus. Nisi forte error sit in illis indicibus & accelerandum sit tempus præfecturæ Rodulfi.

[b] Forte concilium Sueſſionenſe quod anno 1092. celebratum est adversus Roscelini errores.

[c] Engelbertus ex præposito majoris ecclesiæ factus præsul Trevirensis præfuit ab anno 1072. ad 1101.

(d) Bosonem ad annum 1106. vitam produxisse asserit Mabillonius in Annalibus Bened. Retellium secutus, verum hoc stare non potest, cum Henricus Leodiensis episcopus qui ejus obsequiis interfuit vivere desierit anno 1091.

dum optimæ religionis morabatur Jubiliæ cum episcopo suo Theoderico Virdunensi. Ibi infirmatus, cum se præsentiret moriturum, omnimodis precibus exegit a suis ad S. Hubertum se referendum, ibique sepeliendum. Prosequentibus autem quibusdam nobilioribus castri Hoiensis, fuerat enim inde bene natus, nepos videlicet Bosonis archidiaconi longe supra memorati, sepultus est in ecclesia honorifice ad dextram altaris B. protomartyris Stephani, deserviente ejus exequiis, qui tunc morabatur ibidem domno Henrico pontifice Leodiensi. Ex ejus parentum jure hereditario provenerunt huic ecclesiæ duæ mansiones xx. librarum in Hoiensi foro.

Obertus S. Crucis præpositus ad Henricum imperatorem confugit.

80. Henricus episcopus ut erat vir tuendæ virtutis, Obertum quemdam præpositum ecclesiæ S. Crucis criminibus convictum de civitate decreverat omnimodo exturbandum. Ille vero proripiens se ad Beringerium abbatem S. Laurentii venit, & apud eum tamdiu latuit, donec eo suffragante, in gratiam episcopi rediit. Sed non multo post collectis rebus suis Henricum regem adiit, qui a Gregorio papa per decennium excommunicatus, quibus poterat expeditionibus, Romanam ecclesiam persequebatur. Obsessa enim Urbe Gregorium papam fugaverat, eoque superstite Guibertum Ravennatem loco ejus substituerat, qui & ipse jamdiu excommunicatus sedem apostolicam temerarius invadere præsumserat. Decedente autem Gregorio apud Beneventum, cardinales Romanæ ecclesiæ [a] (a) Odonem Hostiensem episcopum, civibus religiosioribus consentientibus, pro eo in sede apostolica substituerunt, quem olim Remensem clericum & postea Cluniacensem monachum Urbanum papam censeri judicaverunt. Sic sacerdotio & regno diffidente, licet generaliter in mundo sancta ecclesia periclitaretur, specialius tamen Henrico insistente vexabatur, dum pontifices postposita justitia sibi faventes vel Urbano subtraheret vel Guiberto attraheret. Sub tali dissensione ecclesiastica languente justitia, præter cetera virtutum dispendia, simoniaca hæresis passim invaluerat, dummodo quos excommunicabat Urbanus Guibertus absolveret, & Guiberti desertores Urbanus colligeret. Interea adhuc superstite Henrico pontifice, Obertus morabatur cum principe, & honoratum secum delatis muneribus, prout poterat ambiebat obsequiis & favoribus alicujus honoris ab eo abstrahendi obtentis.

Henrici Leodiensis obitus. Episcopatum invadit Obertus.

81. Anno autem Verbi Incarnati MXCI. suæ vero ordinationis XVI. domnus Henricus hominem exuit in damnum gloriæ Leodiensis & maximo dispendio nostræ, quam specialius colebat, solitudinis. Cujus vix audita Obertus morte, sine electione ecclesiastica de manu regis episcopatum extorsit, cum maximis pactis præmiis, tamen etiam fidelitatem illi faciens interpositione jurisjurandi.

Wolbodone S. Laurentii & Leuponem S. Trudonis abbates depositos restituit.

82. Contulerant se ad eumdem principem duo quondam pseudoabbates, Guolbodo S. Laurentii & Leupo S. Trudonis, quos convictos & excommunicatos, criminibus probatis, domnus Henricus ab episcopio Leodiensi expulerat. Hi audita ejus morte, adducti in spem recuperandi honoris, & ipsi pacti sunt pecuniam principi. Obertus quoque restitutionem eorum ad gratiam ejus juravit, illos quoque secum Leodium deduxit. Dissimulavit tamen interim quæ intenderet agere, donec consecratus Coloniæ fidentior esset in malignitate exercenda. In eadem autem die reversionis suæ mandavit Beringero abbati ut sine dilatione ab ecclesia S. Laurentii discederet, & Guolbodoni abbatiam libere habendam relinqueret. Beringerus ne irrationabiliter culparetur abjeciſſe ecclesiam, quam legaliter susceperat regendam, in crastinum Oberto se præsentavit, causatus publice coram melioribus civitatis, nimis injuste se prægravari, sine judicio justitiam violenter opprimi, divinam quidem vel dispositionem vel permissionem placere sibi, velle tamen ab eis censeri, si sic mereretur tractari. Succlamantibus quibusque & hoc nimis injuriosum esse, nec tale quid illum pati debere; respondit Obertus, idipsum se bene recognoscere, sed præceptum domini sui non esse prætereundum sibi, quod sive justum, sive injustum illi juraverat exequendum. Ad hæc Beringerus constantior, « Sine magno dolore, inquit, relinquitur, quod non cum magno amore possidetur. » Sic digrediens tulit secum baculum quem tenebat pastoralem, attestantibus quibusque, ipso quoque Oberto, hunc illi juste convenire, & assumtis secum fratribus quos placuit sibi, secessit ad ecclesiam B. Huberti, quam plane recognoscebat matrem conversionis & professionis suæ. Ibi grataner exceptus, cum illatam non solum sibi injuriam referret, sed etiam publicas exordinationes, quas Obertus temere exercebat, cum Theoderico abbate & fratribus conferret; scilicet quod de manu excommunicati sine legitima electione & pacta pecunia episcopatum arripuisset, quod se sic ejecto, & Guolbodoni depositio justitiam prodidisset, quod abbatiam Florinensem Gisleberto Hasterensi præposito, & Bronensem cuidam Guiremundo S. Jacobi monacho, taxato publice pretio vendidisset, quod hactenus liberam & gloriosam sanctæ Mariæ sanctique Lamberti ecclesiam sic infecisset; tantam adversus Obertum suscitavit eorum indignationem, ut communi consensu quasi excommunicato probabiliter non amodo commu-

Beringerus ad S. Huberti monasterium se recipit.

[a] Non quidem immediate, nam Gregorium inter & Urbanum sedit Victor III. per annum I. menses 3. dies 24.

nicandum cenſerent. Ad hæc Beringerus timens eidem eccleſiæ pro periculo temporis, ipſius etiam abbatis retractans ſimplicitatem, inſufficientem huic tantæ defenſioni, ſubjunxit neminem inquinari, niſi ex conſenſu mentis; ſe quidem violenter expulſum, & ideo alias ſibi ſecedendum: ipſi cum pace loco ſuo perſiſterent, neque inimicitias temere aliquas in ſe ſuſcitarent, cum ad hoc nemo eos adhuc impelleret, caverent omnino ne inconſultius tale quid inciperent, quod quandoque eis incœpiſſe pœniteret. Reſpondit abbas ſe quoque ſui & ſuorum eſſe ſollicitum, malle ſe Obertum offendere quam Deum: ſi quis eſſet Domini, perſeveraret vel in loco perſiſtens, vel de loco ſecum exiens. Firmata ergo communiter hujuſmodi ſententia, Theodericus aſſumto ſecum Beringero ſeceſſit in Franciam, & cum Reginaldum Remorum pontificem de eventu rerum conſulendum expeterent, ille privatim Ambianenſem pontificem GERVINUM præmittens, mandavit venientibus ne ſe ei præſentarent, quia nullo modo vel in verbo vel in oſculo eis communicaret, niſi culpam ſuam fatentes, præmiſſus ad eos epiſcopus a Wibertina hæreſi & Oberti communione abſolveret. Illi per talem invectionem cum jam certiores fierent ſententiæ ſuæ, abſoluti per Gervinum, excepti ſunt venerabiliter a Reginaldo pontifice: a quo conſolati & confirmati, ut perſiſterent tuendæ veritati, diverterunt ad cellam Ebernei-cortis. Hanc Theodericus Beringero accommodavit, ut ibidem remaneret cum ſuis, donec per acceſſum temporis expectaret finem rei, ſicque Cimenſem cellam moraturus ibi expetiit. Interea Beringerus criminationibus infamare, vitæ & moribus ejus derogare, tam male ſe ab eo tractatum continuis querimoniis deplorare, non eum ex pontificatu honoratum, ſed pontificatum ex eo dehoneſtatum declamare. Nec latuit Obertum hæc eorum ſententia, & ſuæ publicæ criminationis infamia, quam licet diſſimulatam ſua ſibi etiam atteſtabatur conſcientia. Decrevit igitur ſe vindicare, ſed ne id videretur inconſulte feciſſe, evocavit conſulendos, quos ſibi vel præmiis vel promiſſionibus effecerat fideliores amicos. Convenerunt etiam quos ordinaverat & reſtituerat abbates, ſcilicet Guolbodo S. Laurentii, Leupo S. Trudonis, Giſlebertus Florinenſis, Guarmundus Bronienſis, Theodericum abbatem damnare parati, cum ipſi damnabiles ex decreto canonum, nullam haberent auctoritatem judicandi. Ne tamen ſoli viderentur præcipitaſſe ſententiam alicujus temeritatis, habito conſilio cum archidiaconis, decreverunt legitimis evocationibus abbatem proſequendum, & niſi infra terminos earum ſe repræſentaret ad epiſcopale judicium, illum juſte excommunicandum, aut omnino deponendum. Interim

Una cum Theoderico accedit ad Reginaldum Remenſem epiſc.

Obertus Theodericū abbatem vexat.

Obertus furere & in abbatem indignari, & unde *illi* tanta conſtantia contra Leodienſem epiſcopum demirari, ejiciendos ex loco monachos, & militibus ſuis abbatiam diſpertiendam minari. Miſſi ſunt ab eo ad monaſterium Godiſcalcus abbas Haſterienſis, & Guarmundus Bronienſis, ut fratribus hoc periculum enuntiarent, & ſic a ſententia revellerent, & errori ſuo hujus timoris impulſu inclinarent. Fratribus conſtanter perſiſtentibus, & illis communicare vel in reſpondendo nolentibus, populares qui audita hujuſmodi comminatione abbatem & monachos querebantur inſanire, in confuſione abbatiæ novis & inauditis deliramentis ab epiſcopo Leodienſi diſſentire, eos pœnas hujus diſſenſionis luituros, nec ſe amplius eccleſiæ vel *illis* deſervituros, niſi hujus novitatis utrimque ſopiretur contentio. Abbas tot infeſtationibus & queſtibus permotus, cum ab omnibus quaſi fugitivus argueretur, decrevit ſe objiciendum periculo, & præter ſpem omnium venit Leodium, Dei confiſus auxilio. Miratus adveniſſe, repræſentavit ſe auditorio adverſariorum condicta die. Igitur perſonata quæſtione in vice Oberti, culpatus eſt abbas Theodericus criminibus denominatis, videlicet papam URBANUM & Reginaldum Remorum pontificem in conſiliis ſuis [adhibuiſſe,] imperatorem dominum ſuum & ſe ejus epiſcopum ſuo inſtinctu excommunicaſſe, & per hoc excommunicatum eum probare, quod ſe ſuoſque ab ejus ſubtraheret communione: itemque fratres ſuos ab ordinibus ejus prohibuiſſe. Inſuper Beringerum publicum præconem ſuæ infamiæ ad ejus injuriam retinuiſſe.

Theodericus ad ſibi objecta reſpondet.

Abbas accepto loco conſulendi ſibi, cum advocaſſet quos noverat ſanioris conſilii, de criminibus objectis bona conſcientia pro ſe ſatisfacturus reſpondit, videlicet nec imperatorem nec epiſcopum excommunicandos quæſiiſſe ullo modo, nec excommunicatos ſe velle probare. Fratres ſuos ab ordinibus ejus ſe prohibuiſſe, quia ordinati ſufficerent officiis eccleſiæ; Beringerum abbatem poſt tantum præjudicium & violentiam ad matrem ſuam eccleſiam confugientem nec ſe debuiſſe abjicere, præcipue cum præcipiat Apoſtolus *neceſſitatibus ſanctorum communicare: judicio* eorum ſe paratum committere, ſi quid in his omnibus videretur alicui peccaſſe. Relatis per Henricum archidiaconum excuſationibus ſingulis, cum objiceretur abbati quomodo fidem faceret dictis, habito iterum conſilio, ad hæc uſque ventilata eſt ſententia hujuſmodi judicii, ut quia monachicus ordo erat vocationis apoſtolicæ, ex evangelica auctoritate ſufficeret excuſando abbati, Eſt & Non dixiſſe, interdicente Domino omnino non jurare, & ſi quid abundantius eſſet his, a malo eſſe. Indignatus Obertus poſt tot ſui ipſius contumelias, poſt

tot ſuæ animoſitatis minas, proveniſſe abbati tam facilem evadendi viam, mandavit ei gratiam epiſcopi Leodienſis ſemper eſſe neceſſariam abbati S. Huberti, elaboraret eam ſibi ad præſens maximis exeniis acquirere, cum necdum quicquam ſervitii videretur feciſſe. Ad hæc abbas ſibi bene conſcius, & longe alterius gloriæ cupidus, reſpondit Leodienſi epiſcopo non defuturum ſervitium abbatiæ, ſub hac diſſentione extenuatas res eccleſiæ, nec ſibi nec fratribus vel ad uſum vivendi eas ſufficere. Inde cum tandem poſt multas fatigationes dimiſſus ad monaſterium rediiſſet, graviſſimum a fratribus pertulit ſcandalum, exiſtimatus illis communicaſſe, quibus ipſi, ſalva fide, deſtinaverant non communicandum. Sed cum certius probarent id eum non feciſſe, decreverunt ut aſſumtis de fratribus quos vellet loco & tempori cederet, & meliora ornamenta eccleſiæ ſecum eveheret, perque remotiores cellas tranſponeret, ne ea ſuperveniens Obertus violenter diriperet. Reſpondente abbate nolle ſe communi periculo deeſſe, graviora eſſe mala quæ ſingulariter timentur, quam quæ pariter perferuntur. Fratribus quoque ſubjungentibus ſe magis illi timere, quam ſibi, qui ut privati epiſcopo nihil deberent, ceſſit tandem eorum conſilio acquieſcere, Lambertumque majorem & Wiredum pro defenſione fidei ſe ultro jungentes ſecum eduxit. Evectis quoque ſecum melioribus eccleſiæ ornamentis, ad cellam ſuam quæ tutior erat, in Cimenſi caſtro moraturus ibi feceſſit; & accepta fide cum obſidibus a Dodone prædicti caſtri domino de ornamentis reddendis eccleſiæ, quidquid de ſe eveniret; non multo poſt aſſumtis his qui ſecum venerant, & Roberto ipſius cellæ priore, Beringerum abbatem viſitare voluit, & veniens urbem Remenſem, illum apud S. Remigium invenit. Beringerus eum qui ſe gratia caritatis viſitabat exhorruit, quaſi jam apoſtatam factum, ne ab eo contaminaretur vitavit. Sic inter utrumque orta diſſentione, indignabatur abbas ſic ſine cauſa ſibi permutatum, quem ſperabat unanimem amicum. Diſcredebat ſe illi Beringerus credere, quem credebat excommunicatis communicaſſe, paratus etiam cum ſuis recedere, ſi cellam ſibi præfitam ille vellet accedere. Sed intercurrente ratione cum probaret abbatem extimationis ſuæ minime eſſe, regratiati Ebernei-cortem diſceſſerunt, ibique fratres graviter ſcandalizatos de præfatæ communionis calumnia invenerunt. Quibus cum ſatisfieret, non ſic rem ſe habere, vix duo ſatisfactioni huic potuerunt attrahi, Lambertus ſcilicet & Heribrannus monachi ſancti Laurentii, quibus adeo tunc erat exoſum nomen

Ad cellam Cimenſem cum pretioſis ornamentis ſe recipit.

A

B

C

D

E

Oberti, ut eo audito, vel in colloquio communi, nullo modo ſe continerent a ſputo indignationis. Unus tamen eorum, videlicet Lambertus, non multo poſt victus cupiditate ambitionis, ordinatus eſt ab eodem Oberto abbas Florinenſis, ſed poſt annum recordatus, a loco eodem privatus receſſit. Convenerant ad eamdem cellam tam ex noſtris quam ex fratribus S. Laurentii ad xxv. monachos, qui tanta honeſtate ſe agebant, tamque ordinata religione, ut Reginaldus Remorum pontifex, & Helinandus præſul Laudunenſium, afflati bonæ opinionis eorum odore, certatim eis vitæ neceſſaria ſubminiſtrarent; abbas quoque Beringerus elaborabat eorum inter quos deveniebat, adeo ſe conformare moribus, ut in brevi fieret omnium cariſſimus, & comes Ebalus communis aliorum tyrannus, haberetur illi mitis & humanus: qui eodem tempore ſuggerente uxore ſua Sibilla tertiam partem decimæ Ebernei-cortis eccleſiæ dedit, & pratum quod dicitur Regis legali auctoritate eidem loco habendum perpetuo confirmavit. Manaſſes etiam præpoſitus eccleſiæ Remenſis tanta eum collegerat affectione, ut ſæpius evocatum per biduum aut triduum ſecum manere compelleret, & ad abbatiam ſancti Remigii habendam poſt abbatem Henricum promovendum deſtinaret: quod & poſt archiepiſcopus factus feciſſet, niſi ille ad abbatiam ſuam revocatus Leodium rediiſſet.

Burchardi epiſc. Metenſis electio. [a]

83. Interea Metenſis eccleſia viduata Herimanno venerabili pontifice, elegit ſibi epiſcopum ordinandum (a) Burchardum præpoſitum Trevirenſis eccleſiæ, qui ſine conſenſu Henrici regis in civitate ſuſceptus, cum a Trevirenſi pontifice benedici vitaret, eo quod ille Wiberto, ipſe vero Urbano conſentiret, evocavit ad ſe conſecrandum Hugonem archiepiſcopum Lugdunenſium & legatum eccleſiæ Romanæ. Hugo ut erat devotus catholicæ fidei Mediomatricum intrepidus acceſſit, quinque comitatus epiſcopis, Conſtantienſi, Madeſconenſi, Lingonenſi, Tullenſi, Virdunenſi, Jeronta quoque abbate Divionenſi, qui olim audita deſolatione eccleſiæ noſtræ, ſcripſerat ei epiſtolam hanc conſolationis ſuæ.

Jerontæ abbatis Divionenſis epiſtola. [b]

84. Theoderico *abbati de S. Huberto, viro Dei gratia religione venerando & toti congregationi ſub eodem patre Deo militanti,* (b) Jerunta *Divionenſis abbbas & S. Benigni tota congregatio ſpiritum Moyſi in Pharaonem & in omnes ſervos ejus.*

Moyſes verus Altiſſimi ſervus maluit veritatem profiteri & affici cum populo Dei tribulatione. Johannes Baptiſta cujus dextera ſanctiſſimum caput Salvatoris tangere meruit, ſic propugnator & amicus veritatis extitit, ut

(a) Hic epiſcopus ignotus fuit Meurifſio epiſcopo Madaurenſi in hiſtoria epiſcoporum Metenſium, ſed & antiquo auctori hiſtoriæ eorumdem epiſc. Spicil. tom. 6. Ipſius tamen meminit Albericus in chronico, cujus auctoritate Sammarthani illum catalogo epiſcoporum Metenſium inſeruerunt.

(b) De hoc Jarenta ſeu Jarentone plura vide ſi lubet in chronico S. Benigni Spicil. tom. 1.

potius eligeret carceris ſqualorem & capitis obtruncationem, quam in faciem iniqui regis ſileret, & neſandis ejus nuptiis legis & juſtitiæ frenis armatura non obviare. Johannes Evangeliſta de fonte Salvatoris ebrius, & apud diligentem omnes dilectione præcipuus ſenilibus membris fomentum balnei noluit adhibere, quoniam inter balneantes hæreticum Cherintum conſpexit reſidere, credens illi nihil eſſe publicum, qui perfidia ſua ſe ſubtraxit a conſortio Chriſtianorum, docenſque nullam habendam communionem cum illis qui per hæreſim ſeſe præcidunt a corpore Chriſti, quique per avaritiam ſiunt ſagittæ diaboli, dentes in faucibus anti-chriſti, ſubdola viperarum progenies, organa ſerpentis antiqui. Cherintus in quo deterior Oberto? Cherintus ſola fraude catholicæ fidei nocuit, calliditate perfidiæ ſuæ quoſcumque potuit ad conſenſum ſui erroris attraxit. Obertus pecuniam dedit ut fieret hæreticus, ut fornax cupiditatis & avaritiæ, templum totius religionis & veritatis obrueret, & omni ſpurcitiæ infectus inquinatione, ſancta ſanctorum ſuis maledictionibus, ſi fas eſt dici, contaminaret. Ecce verus anti-chriſti ſatelles, currus ſathanæ & fidelis auriga, Simonis magi quædam ſimilitudo vera. Molitur deſtruere regnum Chriſti, dum ſanctæ matris eccleſiæ ſtatum perſequi non deſiſtit, & in corpus ſuum trajicere laborat, quos Chriſtus cruore ſuo redemit & paſcit & potat. Tanti capitis mortem exinanire cupit, oveſque tanto ſudore Salvatoris inventas leoni qui ſemper animarum noſtrarum ſanguinem ſitit, prodere non formidat, immo omnes in oblivionem veritatis & odium religionis ſecum præcipitare feſtinat. Ergo quia nunc tempora periculoſa quæ prædixit apoſtolus inſtant, omnes quod profeſſi ſunt eſſe contendant. Si tuba ſathanæ graviter intonat, & temporalium bonorum minatur diſpendia, carnis etiam quandoque morituræ admonet pœnas. Totum libenter Chriſti excipiat caritas, ut neque mors, neque vita, neque aliqua creatura terreat nos a defenſione veritatis & zelo juſtitiæ, ut a gremio matris eccleſiæ nequeamus avelli, & a ſemita Romanæ exorbitare ſedis. Quapropter vos, ô amici Dei & uſque modo veritatis, & ſanctitatis amatores, locum veſtrum, id eſt fidem catholicam nolite deſerere, in caſtra Domini lupos cum furore irruentes in quantum poteſtis exturbate, armati fide & ſpe cæleſtis gloriæ corroborati, omne pro nomine Jesu *improperium maximam dignitatem reputate, rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcipite, contumelias & corporum veſtrorum cruciatus certiſſimum peccatorum veſtrorum medicamen exiſtimate. Gloria & divitiæ Chriſtus ſit in corde veſtro. Bonum conſcientiæ veſtræ teſtimonium ſit vobis indeficiens conſolatio; & ſi aliquantulum pro veritate ſuſtinetis, fidelis eſt Deus qui non patietur vos tentari ſupra id q. od poteſtis; ſed veniens veniet & non tardabit, facietque proventum ut ſuſtinere poſſitis.*

Si vero molas leonum quas Dominus in iræ ſuæ confringet timetis, ne vos devorent, & ſimplicitatis veſtræ curſum aliquo modo perturbent, S. Benigni domus fugam filiorum eccleſiæ in Chriſti gratia benigne ſuſcipiet, & paupertatulam noſtram voluntati veſtræ non dicam dare, ſed quaſi veſtra vobis reddere vel miniſtrare ſumus parati. Quapropter, fratres cariſſimi, virilem animum in cauſa Dei tenete, & a veritate quæ Chriſtus eſt, ne excidatis omnino ſatagite, videlicet in exitu Iſraël de Ægypto ſanctificata eſt per Dominum vera confeſſio.

85. Huic conventui prædictæ benedictionis die ſtatura abbas Theodericus ſtuduit intereſſe, abbate Beringero, Lamberto, Wiredo, Roberto comitatu, pro ſe ſuiſque legatum eccleſiæ Romanæ interpellaturus. Cujus cauſam cum ſuggerentibus prædicto Jerunta abbate Divionenſi, & Radulfo abbate Virdunenſi, domnus Hugo Romanæ eccleſiæ legatus approbaſſet, & in conventu epiſcoporum relatam laudaret, eam auctoritate ſua, ex firmis firmiores reddit, beatificans eccleſiam cujus erant tales filii, qui deficientibus aliis, perſiſterent catholicæ & apoſtolicæ fidei; & promittens eis auxilium Romanæ eccleſiæ & ſuæ legationis, ne Oberto ſubeſſent vel communicarent omnino interdixit. Legatus pro Theoderico & ſuos ſuſtappovet hanc ſanctionem.

86. Obertus amaricatus relatione geſtorum, ut ſolebat, exarſit in ira, & ſæpius complosis manibus, ſeipſum arguebat, vel quia ſemel a ſe compulſo abbate non extorſiſſet licentiam nocendi partibus ſuis, exacta fide ſibi in nullo diſſentiendi, vel quod ſe adhuc continuiſſet, non confundiſſe penitus eccleſiam ſic ſibi rebellem S. Huberti, fratribus inde violenter expulſis. Nec diu conceptum furorem diſſimulare potuit, collectaque manu militari ad monaſterium venire diſpoſuit, & hoſpitatus Naſaniæ, nuncios adventus ſui præmiſit ad fratres, ut in craſtinum ei honeſte procederent, & ut decebat Leodienſem epiſcopum venientem ſuſciperent, comminatus vindicandum in eos, niſi ſolito accuratius & ſolemnius id agerent. Præmiſſis apparitoribus & hanc extorquentibus minaciter gloriam, nemo reſpondit ad gratiam; ſed ne conticuiſſe omnino nimia videretur indignatio, quaſſa tantum voce Giſlebertus prior dixit, ſe & fratres ſuper his in commune conſulturos, & pro re & tempore quid facere deberent ſe facturos. In craſtinum de negotio tractantibus, licet quibuſdam nutaret in occulto fidei tenerrimæ ſtatus, in hanc tamen ſententiam diſceſſit omnium melior conſenſus, legitimum abbatem eis præeſſe, quamvis contingeret eum tunc abeſſe, eorum communi aſſenſu illum ab epiſcopo diſſentire, ſine conſcientia ejus non debere eos cuiquam maxime cum periculo fidei conſentire: convenire Deo potius quam homini obedire. Erat autem ſolemnitas Jo- Obertus ad S. Hubertum contendit.

hannis apoſtoli, qua recolitur ante portam Latinam miſſus a Domitiano cæſare in dolio ferventis olei. Poſthabito igitur timore, cum fratres ordinem ſuum exequerentur, & ſuo tempore jam major miſſa celebraretur, ecce ſuperveniens Obertus cum tumultu & ira patentem intravit eccleſiam, & nulla reverentia præmiſſa orationis, cum furore in ſuperiores cancellos ſe proripuit, manibuſque injectis diacono evangelium legenti, librum clauſit, & cœptum officium ira dictante intermittendum minaciter edixit. Deinde totius moræ impatiens, arrepta ſacerdotali ſtola ambonem aſcendit, & ſine ulla retractatione abbatem abſentem & eos qui ſecum exierant nominatim excommunicavit, cauſatus publice eum meliora eccleſiæ ornamenta quaſi ſacrilegum ſubduxiſſe, vel quod magis eum gravabat, ſibi quaſi excommunicato non communicare. Obſtupefactis circumſtantibus in admiratione ſic effrænatæ immoderationis, cum ad ea quæ videbant ſcandalizarentur ſinguli, tum vel maximo pudore afficiebantur, qui cum eo venerant nobiles laici, ut & qui erant diligentiores illi ſervandæ fidelitatis: a quo vix obtinentes, ut quaſi in concilio loqueretur eis, compoſitis ſuggeſtionibus elaborabant eum revocare ſibimetipſi, dicentes illum quidem juſtiſſime iraſci, ſed eſſe injurioſum ab ira ſapientem ſupervinci, mirabile omnibus videri cum clauſiſſe & ſic excuſſiſſe evangelium Dei, ſe nec velle, nec poſſe pati officium quod interdixerat amplius interrumpi; in tali negotio non temerarie, ſed conſulto opus eſſe, præſertim cum ei ſubeſſet poteſtas cujuſcumque vellet, convenientioris tamen vindictæ. Ad hæc erubuit Obertus præſumſiſſe, quod jam ſanior nollet feciſſe, & publice confeſſus eſt, ſe tunc etiam maximam formidinem pertuliſſe, cum ſubito reſpexiſſet fratres conſiſtentes in choro ordinate, & poſthabito omni ejus timore Deo ſoli reverenter deſervire. Miratus cum indignatione tot & tales ibidem ſe offendiſſe, cum ſibi nuntiatum eſſet perpaucos in loco remanſiſſe, quibus ſtatim ſatisfaciens, quod eos inquietaſſet inconſultus, ut cœptum officium exequerentur humiliter expetiit, & eccleſiam exiit. Ea die copiis ſecum delatis prandentes pleniſſime refecit, non ut regratiaretur exaſperatis, ſed ut leniret exeniis quos non conſuerat terroribus intentatis. Præterea per quoſdam opportunos partis ſuæ omnes blanditiis ambire, ſingulorum animos attentare, firmiores circumvenire, infirmiores convenire, humilitatem & humanitatem erga eos attentius commendare, eorumque utilitatibus, ſi ſinerent, ſe communem fore. Ita per ſuos attentatis fratribus in craſtinum ſe præſentavit Obertus, & quamvis illis aſſurgere dedignantibus, indignationem tamen ſuam diſſimulare doctus, quaſi dolens pro eis, ut

Mira ejus impatientia.

Fratrum conſtantia emolitur tentat.

A ſeſe haberent cœpit percontari, neceſſitates eorum ac ſi ſuas conqueri, paratum ſe in omnibus conſulere illis: tantum ſopita omni contentione conſentirent ſibi, mallent ejus experiri amicitiam quam inimicitiam: penſantes cujus eſſet periculi talem peſſumdare eccleſiam, & eccleſiaſticam diſſipare familiam. Subclamantibus his qui cum eo venerant optime peroraſſe pontificem, omne os eorum adverſum ſe rationabiliter concluſiſſe, nec expedire eis talem virum in ſua culpa perdere, qui remiſſo auctoritatis pondere, non erubeſcebat humiliter expoſcere, quod, B ſi vellet, poterat violenter cogere. Non jam multum aberat, quin, ut dicitur, gladio melle lito, deficeret jam pene proſtrata in eis veritatis defenſio, niſi ſubveniſſet vel ſolo pudore paululum cunctata conſilii ratio. Secedentes namque in partem fratres conſulendi gratia, cum aliquamdiu dubitarent an deſiſterent, an perſiſterent in ſententia: tandem placuit omnibus nihil agendum ſine abbatis conſcientia, quem nullo adhuc legitimi examinis judicio videbant depoſitum, quemque ſciebant nullius criminis objectione juſte deponendum, inducias potius expeterent, donec miſſa legatione abbatem ſuper C his convenirent, & ſi poſſent impetrata immunitate libere veniendi & recedendi ſecum illum deducerent. Quod cum difficulter obtinuiſſent, & tres ad abbatem fratres deſtinaſſent, inter agendum quidam Bullonienſes gregariis ſatellitibus collectis apud Gruiſpontem, latentibus in ſilva inſidiis, vias obſederunt, & duodecim vehicula rapientes, quibus deducebatur epiſcopale ſervitium, donec ea dividerentur, in caſtro quod juxta erat *Mervolt* concluſerunt, vulgante fama, quæ, ut ſuum eſt, de minimis exaltat maxima. Nunciatur Oberto ſe cum ſuis circumD ventum, hac & illac latere in ſilvis cuneos hoſtium, talia neminem auſurum, niſi magnis viribus confiſum. Cœpit unuſquiſque pericula metu ſuo metiri, alius alium ad fugam hortari, ſicque proxima nocte conductis locorum peritis, infecto negotio propter quod venerant, per occultos anfractus Otbertus receſſit. Qui vero miſſi fuerant ad vocandum abbatem, cum præſente Dodone ei rerum ordinem retuliſſent, conſilio ejuſdem Dodonis, viſum eſt abbati non ſe ingerendum temere iratæ poteſtati, cedendum interdum fortunæ & tempori, idque a nullo E ſapiente imputandum crimini, cum ipſe Dominus pro perſecutione de civitate in civitatem fugiendum præceperit. Sic interim abbate ceſſante, cum audiretur Otbertus a loco receſſiſſe, jam ſecurior ipſe abbas ad monaſterium venire maturavit, & aliquamdiu moratus cum fratribus, in ſententiam quam tuebatur, eos repoſuit, eorumque rebus pro tempore ordinatis, Deo illos committens receſſit.

Cóvinium castrum Otberto venditum.

87. Per idem tempus ad augmentum episcopii quærebat OTBERTUS emere castrum Coviniacum, quod erat comitis BALDUINI hereditarium. Hujus negotii executores elegit Arnulphum & Wigerum fratres Tudetiani castri nobiliores, qui tanto sibi ad hoc videbantur opportuniores, quanto prædicto comiti ex vicinitate privatiores. Qua functione exacta, cum viderentur Otberto satis deserviisse ad gratiam, suggesserunt illi mercedem hujus suæ executionis non solum illi paratos remittere, sed & quantum placeret ei de suo addere, tantum daret abbatiam S. Huberti cuidam fratri eorum INGOBRANDO S. Petri cœnobii Lobiensis monacho. Quæ res cum difficilis videretur Otberto, superstite adhuc abbate legitimo, licet sibi inobedienti & contrario; subintulit præsens ibi comes Arnulphus nepos eorum, sed quod pro hoc ipso impedimentum curaret, id sibi curandum relinqueret, felicem fore tali procuratore abbatiam illam, nepoti suo se committente, non multo post in pristino statu reformandam. Otbertus ergo cum aliquandiu fatigaretur tot promissionibus & suffragiis, tum vero impelleretur ira & odio Theoderici hoc modo ejiciendi, licet reluctante conscientia ex judicio rationis, consensit tamen operam dare tantæ exordinationi. Mandavit denique ARNULPHO Lobiensi abbati, ut ad se quantocius veniret, & monachum suum INGOBRANDUM secum deduceret. Deductum sibi liberum reddi jussit, eoque præsente ordinavit abbatem ecclesiæ S. Huberti, nulla præmissa fratrum regulari electione, nullo cognito in eo merito maturitatis & vitæ. Dein missa legatione mandavit fratribus, se eorum utilitatibus & honestati consuluisse, nobilem illis & satis humanum abbatem ordinasse, orare ut gratia sui amoris illum voluntarie susciperent, sibique cum eo venturo favore debito procederent. Turbati omnes tam subita rerum permutatione, cum post communem admirationem ad se singuli redirent, cum denique postposita periculi necessitate cœpit evidenter apparere, quid apud quemque hactenus viguerat virtutis amore, quidquid latuerat simulationis timore; gravabat viros virtutis inimicum humani generis adversum eos sic suum malignasse consilium, suscitabat censores extincti pudoris affectatæ novitatis sic eis provenisse emolumentum. Illis pro pondere & æstimatione rerum vix erat vel cedendi locus, vel consulendi tempus. Alii ne celerius excessisse notarentur a communi sententia, sola reprimebantur verecundia, licet sit difficillima ad se celandum gaudiorum patientia. Tamen collecti in unum, cum quærerent in commune quomodo se præsenti necessitati compararent, licet quorumdam cor a labiis distaret, in hoc tamen omnes visi sunt consensisse, ut vel ad tempus in sententia persistentes consulerent æstimationi suæ & famæ, ut & qui deliberarent deficere, quasi coacti viderentur hoc fecisse.

Ingobrandũ Leodiensem monachũ introdit ad S. Hubertum.

88. Interea Otbertus illum suum ordinatum deducens advenit, habens secum ARNULPHUM Lobiensem abbatem, itemque ARNULPHUM comitem, plurosque episcopii nobiliores. Cumque se vix contineret a furore, indignatus neminem sibi, ut mandaverat, processisse, optimatum suorum suggestu hoc ipsum compulsus est dissimulare, ne videretur exasperare, quibus ignoti hominis personam veniebat ingerere. Evocatis igitur fratribus, indixit eis in unum convenire, se colloquendi gratia velle convenientibus intervenire.

Quem deducit ad monasterium.

89. Relicto interim Ingobrando, & assumtis secum quos affectandæ rei noverat idoneos, ad fratres processit, eosque hilari vultu salutans consedit. Et præmissa quæstione quomodo se haberent, quem exitum tot malis suis sperarent, subjunxit paterna sollicitudine, quod suum erat; illis providisse, eorum desolationi patrem idoneum procurasse, cumque illis adduxisse. Illis ad hoc reticentibus, & quasi ex habitu læsæ erga se pietatis, vultum in terra declinantibus, ex his qui convenerant pro sua quisque potentia, cœpit tacentibus succensere. Hujusmodi gestum summæ feritatis & immoderatæ dedignationis esse extremæ indicium, dementiæ, sic illos velle episcopo Leodiensi obsistere, nimia apud eos patientia illum viluisse, qui tamdiu insolentiam eorum sic impune pertulisset. Fratribus econtra publice cunctantibus præter legem se prægravari, satis superque injustum & injuriosum videri abbatem habentibus abbatem superinduci, & hoc ipsum nullius eorum esse cognitionis, nulliusque legitimæ electionis. Indignatus est Otbertus se suosque concludi tam evidenti ratione, jamque ordinationem suam tritam esse nisi contradicentes violentia opprimeret, postposita omni canonica auctoritate. Et ne quid inexpertum relinqueret erga sibi obsistentes, semel & iterum, licet retineretur ab eis, se pedibus eorum tentavit prosternere, ut vel tanta pontificalis dignitatis inclinatione vinceret, quos eatenus potestate probaverat omnino invincibiles. Igitur post multas contentiones, post varias verborum objectiones & rejectiones, exurgens de medio fratrum cameram secessit, & per abbatem Lobiensem itemque comitem Arnulphum mandavit eis, ut aut volentes placito suo gratanter accederent, aut sua sibi relinquentes loco discederent. Tam crudeli sententia determinata, fratres petierunt inducias præpositos cellarium evocandi, sed eas nullo modo nisi usque in crastinum potuerunt assequi. Interea ARNULPHUS comes singulos, ut quemcumque noverat, pro nepote suo aggredi, ejus causa consilium & auxilium

suum

ſuum eccleſiæ, polliceri, cum interim filius ejus Otto ipſa eadem die Caviniacum ſiſcum pervadens, omnem ejus prædam abducebat, & quoſdam etiam interficiens, fidem paternæ pollicitationis inficiebat. Nec jam ſupererat conſtantia diutius reniti ſitmioribus tot concuſſionibus fatigatis, infirmioribus tot promiſſionibus inductis. Iſti deſtinabant apud ſe huic exordinationi vel non communicandum, vel cum poſſent loco cedendum. Illi oblata ſpe novandarum rerum affectabant alicujus functionis aſſequi commodum, vel permiſſa libertate proſequi voluntatis propriæ vel otium vel negotium. Sic fratribus inter ſe diſſidentibus, magis autem a ſe deficientibus, Ingobrandum Otbertus introduxit, ibidemque introductum relinquens, tardius ſibi hactenus diſſidentibus ſe prævaluiſſe lætatus diſceſſit.

Sub Ingobrando invalente fraternæ diſcordiæ ſeminarium.

90. Ingobrandus poſt tot anxietates inſimulatæ ſibi contradictionis, tandem factus compos deſiderii ſui, ut erat rudis & nimiæ ſimplicitatis, otio & licentia juvenili cœpit reſolvi, ſecurus, immo inſcius procurandæ prælationis. Piget meminiſſe quomodo ſub his caſibus pulcherrimus ille flos maximi honoris & decoris hujus loci decoloratus concidit, qua velocitate defluxerit tamdiu elaboratus ille ſtatus decentiſſimæ religionis, & quæ cis Rhenum eo tempore laudabatur ſingularis, quæ quantæ fuerit excellentiæ vix aut nullo modo poſteritati futuræ videbitur credibile, cum ſit ſuum humani ingenii vel potius erroris, credere tardius quicquid virtutis inertiæ ejus putatur. Ingobrandus infracto rigore tenendæ virtutis, nimiumque expers moderandæ diſcretionis, contra morem majorum quadam liberalitatis ſpecie ferociores religioſorum animos emollire, juvenum vero & maxime adoleſcentium familiaritates affectare, poſtremo nec modeſtiæ nec ſumtui parcere, dum quoſque quaſi ad gratiam obnoxios fidoſque ſibi faceret; licet vero ſit difficile, hoc modo attenuatis immo pene elapſis eccleſiaſticis reditibus, ſupervenit rei familiaris inopia, quæ cum jam non ſufficeret imprudentium tolerare negligentiam, impulit eos etiam negligere damnum ſuum & infamiam. Nam diſtractis xxv. ex ornamentis eccleſiæ quæ remanſerant ibidem, abbate Theoderico meliora quæque ſalvandi gratia efferente, cum necdum prævalerent ſic effugere indigentiam, addiderunt etiam oppignerare aut vendere poſſeſſionum ſuarum molendinos & eccleſias. Præterea cum rerum indigentia, quod erat gravius paſſim premebantur vicinorum infamia, & quibus vigente religione fuerant gloriæ & honori, ea larguente erant jam ignominiæ & oneri.

Et comitiſſa conſilio Beringeri ſepultura in Stabulenſi monaſterio.

91. Sub eiſdem quoque diebus Beringerus erga eccleſiam quaſi Otberto ſubjectam, tantas exercuit inimicitias, ut converſionis & profeſſionis propriæ oblitus, ſuæ etiam & ſuorum retentionis in perſecutione ingratus, fieret loco inrecuperabiliter damnoſus. Nam cum illo ſuo more quaſi ad fratres ſuos ſuſtentandos quæſtionarias circuitiones ageret, ad Idam uxorem Cononis comitis venit, eamque apud Montem-acutum infirmatam invenit: quæ præſentiens ſibi mortem proximam, dum ſe apud B. Hubertum quo pater ejus Lambertus jacet, deliberaret ſepeliendam, Beringerus omnino obſtitit ne id fieret, utque ob ſubjectionem Otberti excommunicatos vitaret, (a) Stabulenſem ſepultu- [a]
ram potius expeteret, ibidemque eleemoſynam ſuam conſtitueret, cauſantibus filiis ejus Lamberto & Henrico quomodo Stabulenſis eccleſia videretur abſolutior, cum ex dono ſubjaceret regi Henrico, & ex cura paſtorali Otberto. Beringeri ſententia prævaluit, & reditum trium librarum quotannis eccleſiæ B. Huberti in perpetuum abſtulit.

Theodericus & Beringerus in Andaginenſes Ingobrādo parentes inimicitias exercent.

92. Theodericus quoque & ſectatores ejus, per quoſcumque poterant eccleſiaſticas poſſeſſiones infeſtabant, dumque ad incendia & rapinas earum tyrannos hortarentur, obſequium ſe præſtare Deo arbitrabantur. Unde & quidam accepta occaſione circa locum tyrannidis exequendæ, Ingobrandum impoſtorem & peſſimum clamare, fautores ejus fidei deſertores & religionis proditores denotare, & ideo omne malum eis inferendum, nullumque bonum illorum amodo ſervandum, idque quod erat eccleſiæ illis ſolis attribuendum, qui per cellas divertentes, malorum vitaverunt contagium. Denique quicquid ex eorum rebus rapere poterant, impune rapiebant, adeo ut ex ipſo monaſterio agerent prædas publicas, quod nemo umquam ejus temporis eveniſſe audierat. Quicquid etiam ſuum eccleſiæ erat in epiſcopio Remenſi vel Laudunenſi, item Metenſi & Virdunenſi ſine reſpectu Oberti, & illius ſui Ingobrandi, quieto jure deſerviebat abbati Theoderico, ſibique ſubjectis fratribus, interdicentibus ducibus Godefrido & Theoderico ſuis hominibus, ne alicujus prece vel pretio ſeducti injuriam illis inferre molirentur.

93. Guiredus quoque conceſſa ſibi providentia Sulpeum & Nogarias cum Chevogio procurabat, & hoc tanta inſtantia, ut ſi quem miniſterialium mercede Ingobrandi Moſomenſes vel Bullonienſes illuc deducere laboraret, ille eos vel aſtu præveniret, vel collectis viribus removeret.

94. Raguierus quoque Pyrenſis præpoſitus, tanta ſedulitate Macerienſem tranſitum illis obſtruxerat, ut nemo erumpentium ſe illo ingerere auderet, cujuſcumque negotii gratia.

[a] Stabulenſe celeberrimum ordinis S. Benedicti monaſterium a S. Remaclo in diœceſi Leodienſi fundatum, cujus abbas eſt ſacri Romani imperii princeps.

95. Robertus etiam Cuvenſis præpoſitus viribus Dodonis Calviacum, Flabouvillam & Gandrehengias pervaſerat, & fratribus qui illo plures convenerant eorum reditibus deſerviebat. Hanc abbatiæ diviſionem cum Ingobrandus Oberto ſæpiſſime ſuggereret, Obertus vero hoc ipſum duci Godefrido quaſi advocato eccleſiæ quod talia pateretur triſtis ingereret; ille e diverſo cauſabatur id ſibi injuſte cum ſuccenſere, ea quæ ſua erant eccleſiæ filiis ejus nec debere nec poſſe quemquam prohibere, ipſi hoc potius imputandum eſſe, qui tantam in loco hactenus honeſto ſuſcitaverit confuſionem, quique legitimo abbati ſuperinduxerit illum ſuum talem conſultorem & proviſorem. Sub tali hujus eccleſiæ confuſione Lambertus minor qui apud eccleſiam B. Remigii morabatur, propter temporis & rerum occaſionem ſubjectam (a) epiſtolam ſcripſit fratribus.

[a] Diſſidium inter Obertum & comitem Lovanienſem.

96. Graſſabatur tunc inter Obertum & Lovanienſem comitem inexorabile diſſidium, & ex eo inter utroſque medium graviſſime opprimebatur epiſcopium, comite ipſam civitatem frequentibus aſſultibus impetente, Oberto quoque collecta expeditione debellare comitem deſtinante. Hac occaſione condicta die convenerant in civitate principes provinciæ convocati, ut in tali diſſidio conſulerent rebus eccleſiæ. Cumque inter conſulendum inſerret Obertus prædictum comitem jam ſe excommunicaſſe, ſed illum nullo modo id curare, ſubintulit dux GODEFRIDUS arridens, dictum ſibi ab eodem comite excommunicationem illius nullam apud ſe conſtare, niſi abbas Theodericus de S. Huberto eam ſibi auctorizaret, ut aut ab eo ſe abſolvi repoſceret, aut illi quaſi ab eo excommunicato univerſalis eccleſia non communicaret. Ad hæc Obertus cum pene furoret, & nimis illoto ſermone furori ſatisfaceret, juravit cum indignatione, malle ſe mori quam reſpectu talis tamque vilis perſonæ ſe infamari vel deſpici, ſi quid uſquam valeret ipſe vel ſui. Cumque ipſis quoque principibus iratus opponeret in hoc eos fidelitati S. Mariæ ſanctique Lamberti deeſſe, quod ſic impune paterentur deprimi auctoritatem Leodienſis epiſcopi, nullo modo id illos decere pati ſi qua illis ſubeſſet cura ſui honoris. Commotus ad hæc dux ipſe in primis, ALBERTUS quoque comes Namurcenſis, & HENRICUS dux Hoienſis, CONO etiam comes Montis-acuti, ſed & præfatus ARNULPHUS Chiſiniacenſis, ut erat diverſus a ſe cum genero ſuo DODONE Cuvenſi reſponderunt, ſe quidem fideles S. Mariæ ſanctique Lamberti eſſe, ſed in hoc nimis patienter hanc ipſam fidelitatem hactenus diſſimulaſſe, quia diſſenſionis hujus cauſas neglexiſſent inquiſiſſe. Conſenſu ergo unanimi cœperunt inſiſtere,

Theodorici abbatis cauſa adverſus Obertum tuentur principes.

ut diem conſtitueret inter ſe & abbatem quæſtionis agendæ: ita dumtaxat ut quoſcumque poſſet, ſuæ ſententiæ defenſores, impune abbas deduceret & reduceret, & in publica audientia Leodienſis eccleſiæ per liberam licentiam dicendi & audiendi ipſis præſentibus elimata veritas triumpharet. Obſtupit Obertus, quaſi cornuto ut dicitur ſyllogiſmo interceptus, & cum nuſquam poſſet declinare, tot virorum compreſſus auctoritate, quamvis ægre diem illis conceſſit quæſtionis agendæ. Sed non poterat evinci ut abbati permitteret veniendi & redeundi ſecuritatem. Cumque cauſarentur omnes, & hoc injuſtum eſſe, ſibique inhoneſtum, cum ſatis intelligeretur, hac occaſione audientiam ſe velle declinare, tandem promiſit cum duce de his conſulendum, & per illum quicquid videretur eis inde agendum, in proximo ſe determinaturum. Hæc omnia cum DODO rediens abbati referret, ille exhilaratus gratias egit diſpoſitioni divinæ, ſperans ex hoc pendulæ defenſioni finem proventurum, & veritatis indicium ſub tot teſtibus ad victoriam producendum. Nec mora abbati Beringero hæc omnia per ordinem ſignificavit. Ipſe vero aſſumto ſecum Lamberto majore, & Roberto Cunenſium priore, Mediomatricum, Tullum, Virdunum aggreſſus eſt peragrare, propoſitam neceſſitatem tuendæ fidei notis ſibi fidelibus enuntians, quia non ſua, ſed Chriſti res erat agenda, ne ejus teſtimonio deeſſent inſtanter admonebat. Videns per ſingulas urbes religioſas & potentes perſonas, tantam pro juſtitia perſecutionem, non ſecus quam qui ſequebantur, indolere, periculi ſui ſecuritate religioſæ quondam & honeſtæ Andaginenſis eccleſiæ cauſam tuendam excipere, neminem eorum alium quaſi cunctando conſulere; ſed ſingulos opem ſuam certatim abbati promittere. Denique Paulinus Metenſium archidiaconus ut erat doctus ſuffragari hujuſmodi defenſionibus, (conſueverat enim longis & multis perſecutionibus, quæ illatæ fuerant Herimanno pontifici, conſtanter decertare tuendæ fidei.) » Et nos, inquit, jam diu fatigavit « hic rerum eventus, nec ad hos quaſi novos « caſus excipiendos cujuſquam incitatione in- « digemus. Et nos & noſtra Chriſto debemus, « dignitas hujus criminis communis eſt in « eum credentibus. Erit certe quoque injurio- « ſum, ſi quod debet eſſe voluntarium, aliqua « mora interveniente videatur extortum, & « quod verbis oſtentamus, auxilio differamus. « Huic negotio non conveniunt verba ſum- « mo ore ſtillantia, ſed ex intimo cordis fun- « do diligenter exſculpenda. Nulla hic merces « corrumpet linguas noſtras, liberis officiis « celebrabitur hæc amicitia & ipſa re, & non « ex commodo æſtimabitur hæc talis gratia. « Cui cum LANZO abbas S. Vincentii diceret, ſe quidem iturum promto animo, ſed quoſ-

[a] Hanc epiſtolam ſive amanuenſis negligentia, ſive quovis alio caſu in manuſcripto deſiderari dolemus.

dam famis periculo, quæ tunc maxima erat, » retardandos: » Noſtris, inquit Paulinus, ſti- » pendiis ibimus ſinguli, quia non eſt perfectæ » caritatis, ſi quod eſt exequendum gratis, in- » gravato adverſus amicum auxilio proſequa- » ris. » Eadem ad auxilium abbatis Tullenſes & Virdunenſes excitavit ſententia, eadem ad procedendum animavit conſtantia; cumque per tot defenſores cauſam ſuam agendam abbas æque jam ſecurus locaſſet, Cunis reverſus quomodo res ſua proceſſiſſet abbati Beringero apud Berneci-cortem commoranti, & quos ipſe procuraſſet ſibi reſcribi mandavit. Reſcripſit ille, ſe procurante, paratos ad condictam audientiam convenire de Remenſi quidem metropoli domnum Manaſſem (a) præpoſitum poſtea factum archiepiſcopum, Rogerum defenſorem eccleſiæ & archidiaconum, (b) Rodulphum cancellarium & poſt Manaſſem præpoſitum, Odalricum ſcholaſticum eccleſiæ Romanæ ſatis notum. De eccleſia B. Remigii Lambertum priorem & quos ſecum deducere vellet: De eccleſia Sueſſionenſi * Emolrannum archidiaconum, non multo poſt Lauduni epiſcopum ordinatum. De eccleſia Laudunenſi Ebalum archidiaconum & Adalberonem abbatem, & quos ipſe quoque ſecum venire competeret. Præterea ſignificavit ei per eaſdem litteras, Henrico & Lanzoni archidiaconis, & quibus ſibi viſum fuerat rationabilioribus Leodienſis eccleſiæ pro re & tempore ſe plurima ſcripſiſſe & tranſmiſiſſe, in quibus arguebat eos mercede Balaam ſeductos coram filiis Iſrael ſcandalum poſuiſſe, habentes modo Obertum pro pontifice, quem ſecum olim deteſtabantur judicio contradictionis juſtiſſimæ, & ut quædam ejus verba interponantur, » Si hoc, inquit, recte feciſtis, hodie lætamini in Abimelech & ipſe in vobis: Dominus autem lætabitur in operibus ſuis. Omnes has procurationes defenſionis ſuæ retulit abbas Dodoni Cunenſi, & ut ſecum ducem Godefridum commorantem Bullonii conveniret precibus obtinuit, per ſe certius ab eo quæſiturus, quid cum Otberto tractaſſet de ſecuritate agendi conventus. Reſpondit dux iterum atque iterum ſe Otbertum pro hoc interpellaſſe, illum vero varietatis verbis certius inde reſponſum hactenus inſimulaſſe; ſed in craſtinum ſe habiturum cum eo colloquium Villantiæ, ſecum eò uſque Dodo veniret, illicque experiretur quid credendum de mandatis abbati referret. Præſenſerat autem Otbertus ſtudioſiſſime abbatem rem ſuam procuraſſe, totque auditores adverſum ſe & clericos ſuos ſuſcitaſſe, ipſos quoque Leodienſes maximam indignationem concepiſſe, quod perſonæ aliarum urbium, quaſi perſpicatiores ſuperinducerentur eis ad diſputandum; & diffidens parti ſuæ ſi congredentur ei ad judicium, neceſſitatem imminentis audientiæ deſtinavit ſe quocumque modo vitare: unde & duci ad ſe venienti hoc ipſum ſecretius intimavit. Dux vero, ut hoc audivit, callide quod timebat Otbertus adverſus eum ingravavit, dicens eamdem audientiam non ſolum per ſe non avertendam, verum ſua auctoritate & conductu roborandam, compulit ſibi duplicari pecuniæ promiſſionem primam; ſicque malignante impietate cum avaritia, oppreſſa eſt eliminandæ veritatis experientia. Nam cum defenſione ducis & conductu tantus tamque vulgatus conventus ſperaretur agendus Leodii, imminente natalitio apoſtolorum Petri & Pauli, ipſa eadem die cum comite Arnulfo ſe Remis futurum publice condixit, ut ejus cauſam cum Rainaldo archiepiſcopo ageret. Cumque de Moſomenſi caſtro quod incenderat & vaſtaverat concordaret, Dodo intelligens Otbertum & ducem cognitioni diſcernendæ veritatis defeciſſe, eumdem defectum abbati retulit, etiam meliora ſperanti *maximi doloris vulnus adauxit.* Neque enim tantum pro ſe dolebat, ſubducto loco defenſionis, quantum pro his quos emoverat tantæ expectationi. Subinde quoque Beringerus aſſumto priore S. Remigii, Pyros uſque proceſſerat, quæſiturus de certificanda ſecuritate eorum quos & ipſe venturos ſollicitaverat. Ibidem pauliſper ceſſanti miſſus ab abbate Lambertus major occurrit, & quo aſtu Otberti & ducis, ſpes eorum fruſtrata eſſet, nihil tale verenti nunciavit. Beringerus indignatus ex tam ſubita rerum everſione, ſtatim dictante ſua indignatione, ſcripſit majoribus Leodienſis eccleſiæ non recte eos famæ ſuæ & honori conſuluiſſe, judicio & juſtitiæ nimis impudenter in capite ſuo defeciſſe, infamiam hujus defectus ſui longe lateque tot auditoribus repulſis declaraſſe. Sciens quoque abbatem Theodericum affici graviſſimo mœrore, ſecundum animi ſui teneritudinem, hanc inter plurima illi ſcripſit conſolationem. » Rerum quidem exitus prudentia metitur, ſed alieno decepti errore, « rotam fortunæ nos quoque aliquandiu re- « volvimus, & maximos labores fruſtra fati- « gati expendimus. Erit certe hoc æterni ju- « dicis vindicare, pro cujus fide maxime præ- « poſuimus inimicis ejus diſplicere. Sed mo- « pere vero curandum eſt vobis hoc citius eis « quos vocatis, ut in locis ſuis ceſſent, ſigni- « ficare. Ego quoque rediens, id ipſum cura- « bo maturare. Vale. » Nec mora ordinatis ab utroque legatis, ut ceſſante audientia ceſſarent & evocati. Beringerus rediens Remis quantocius duci occurrit, & quia pro tempore ſibi videbatur potens perſona potius caute lenienda, quam mordaciter exaſperanda, cum publice quæreretur de ea quam

[a] Et hic etiam Rodulfus dictus Viridis S. Brunonis olim familiaris, ex præpoſito factus eſt archiepiſcopus anno 1108.

[a] Ex hoc loco patet hæc omnia acta eſſe ante annum 1096. quo Manaſſes ex præpoſito factus eſt archiepiſcopus.

Vet. Script. & Mon. ampl. Collect. Tom. IV.

patiebatur ſancta eccleſia ab Otberto iniuriam, dicendi modum, quaſi defenſori ejus duci parcens, obliquabat. Cum enim Otbertum accuſaret, quod conſcium veritatis defenſionem male ſibi conſcius ſubterfugiſſet; ducem vero e diverſo commendaret, quod eam cum ceteris principibus epiſcopii condicendam extorſiſſet, dux rubore perfuſus, teſte conſcientia, arguebatur, qua ſe judice nemo nocens abſolvitur. Excepit verbum prudentiſſimus vir RAINOLDUS a Beringero privatim prænonitus, & cauſatus cur vel ipſe vel ceteri eccleſiarum defenſores ſic paterentur abbatias Leodienſis epiſcopii deperire, cum poſſent ſuum illum Otbertum ad quod vellent etiam nolentem violenter attrahere, vel volentem liberaliter inclinare; eouſque ducem rationabiliter inductum affectavit, ut promitteret ſe revera jam allaboraturum eccleſiaſticæ defenſioni, & legitimorum abbatum reſtitutioni, quod & hoc modo divina diſponente clementia proceſſit.

Otbertus Montem-clarum obſidere meditatur.

97. Erat caſtrum inter Hoium & Leodium, quod Mons-clarus dicebatur, quodque infeſtiſſimum ſibi navigantes per Moſam Otberto conquerebantur. Tot illorum querelas & injurias cum ille diu indignaretur pati, collectis viribus obſidere caſtrum deſtinavit. Huic obſidioni diſponendæ ducem epiſcopii & principes evocaverat, jamque ordinata expeditione ante caſtrum conſtiterat, cum ſubito dux, arrepto tempore, Otbertum inclamavit, eique publice conſilium ſuum & auxilium excuſavit, niſi abbatias S. Huberti ſanctique Laurentii ſuo ſtatu reponeret, & eas quas vendiderat, ejectis emtoribus, per condignas perſonas gratis ibidem ordinatas

Auxilium ipſi negant principes niſi depoſitos abbates reſtituat.

» diſponeret: « Quod, inquit, ô commilitones, a Deo auxilium ſperabimus, qui ejus » eccleſiis depereuntibus, non ſolum defenſionem non impendimus, ſed & liberam vocem contradictionis ſubtrahimus. Scilicet » hoc de nobis promeruit benigniſſima diſpoſitio creatoris, qui nos miniſtros ſuæ publicæ » rei conſtituit, ut pro ſua quiſque perſona » noſtrum illi negemus ſervitium, quos pro » tuendo jure ſuo hoc noſtro tempore elegit » ejus generale dominium. » Plura dicere parantis abrupit verbum aſſenſus principum, & invecti pariter in Otbertum, præfixam a duce conditionem de reſtaurandis eccleſiis & reponendis abbatibus legitimis violenter exigere cœperunt. Convenerant autem ad eamdem expeditionem diſponendam quidam ex archidiaconis & præpoſitis epiſcopii, qui rapta occaſione per hanc invectionem publicam, quaſi pro zelo tuendæ juſtitiæ, privatas animoſitates adverſus Otbertum ingravabant, ut ex his apud eum locarent in poſterum timorem, cujus niſi ex aliquo commodo inutilem vilipendebant amorem. Et cum illi conſtanter objiceretur quod omnino interdicit canonica auctoritas, ſcilicet taxato pretio abbatias vendidiſſe, & eccleſiaſtica miniſteria, quæ pro animabus curandis gratis largiri debuiſſet; Otbertus tali tamque inſperata compreſſus exactione, licet intelligeret hoc ſe non recte feciſſe, conabatur tamen ſibi prætendere non ſolum ſuæ malignitatis velamen, ſed & multorum prælatorum probatæ hæreſis defenſionem, conteſtatus non ſe in benedictionibus ſuis gratiam Dei vendidiſſe, ſed potius eas gratis contuliſſe: non autem ſibi videri injuſtum, ſi de poſſeſſionibus eccleſiaſticis ſuum exigeret commodum, quas non habentibus diſtribuebat ad habendum. Hæc peſtis de Francia transfuſa in Lotharingiam, quam ſit deteſtabilis noſtro tempore Petrus Damianus Alexandro papæ hujuſmodi invectione deplanxit. Sed ut ad rei ordinem redeamus, Otbertus prædicta principum exactione compreſſus, licet quaſi obtorto collo cogeretur velle quod nolebat, de abbatum reſtitutione, benigne tamen pro tempore reſpondit, & ex eorum ſententia quidquid inde cenſerent, ſe facturum promiſit. Decretum eſt ſtatim ut remota omni dilatione Wolbodonem & Ingobrandum ejiceret, & legitimos abbates locis ſuis reponeret. Ad hoc Otbertus veritus ne ſibi quandoque oneri foret, ſi talis permutatio abbatum ſubito & inconſulte fieret, retractato cum prudentioribus conſilio, de his judicium agendum conſtituit, ut rationabiliter illis pro culpa ſua convictis & ejectis, jam tunc excluderet ſibi occaſionem quandoque removendæ contentionis. Igitur præfixa die ad rem maturandam collectis abbatibus & archidiaconis judicium ſedit, & ex comprobatione injuſtæ in eos factæ exordinationis, & incompoſitæ eorum converſationis, uterque convictus loco quem invaſerat deceſſit.

Beringerus ecclesiæ ſuæ reſtituitur.

98. Scripſit extemplo Otbertus BERINGERO ſe illi regratiatum, & rejecto Wolbodone, ejus deliberaſſe monaſterium placere ſibi & primatibus ſuis ut fidenter redeat, & fratres qui ad eum confugerant ſecum reducat. Abbati vero Theoderico, licet idem ſuffragium idemque judicium in cauſa fuerit, hoc ſcribere diſſimulavit, tenaciſſimus erga eum conceptæ indignationis; optime etiam conſcius illum non communicaturum ſibi. Præterea cum illis ſuis fidelioribus abbatibus & archidiaconis ſecretius tractans, ut quia ad ejus placitum licet injuſte illum excommunicandum olim judicaverant, nullo modo ſuam paterentur infirmari ſententiam, niſi publica ſatisfactione ejus requireret abſolutionem & gratiam. BERINGERUS autem accepta legatione Otberti, primo quidem dubius hæſit an cœptæ defenſioni perſiſteret, an eccleſiæ olim ſibi commiſſæ jamque omnino deficienti revertens conſuleret. Verebatur enim, accuſante conſcientia, publicæ

vituperationis infamiam, ne reconciliatus Otberto videretur a veræ fidei perſeverantibus apoſtata, qui ejus hactenus tot probatis invectionibus prædicaverat apoſtaſiam. Sed ſæpius retractans non ſine divino nutu proveniſſe hunc in rebus tam mutatum tamque inſperatum eventum: aſſumens ſecum quoſdam ſuorum, properavit Leodium. Ibi occurrentibus ſibi extra civitatem archidiaconis officioſiſſime, cum ſe eiſdem comitatus Otberto præſentaret; Otbertus ut ſibi eum affectuoſius attraheret, coram duce Godefrido, itemque primoribus civitatis, obtulit ei juſtitiam de ea quam fecerat diſcedenti injuria: quam licet ægre Beringerus viſus eſt ſuſcepiſſe, ea tamen ab eo illi impoſita conditione, ut quidquid per Wolbodonem diſperſum diſpericrat eccleſiæ, ſuo ſtatui reformaretur: illo annuente, ſic deoſculatus eum ſecum ſedere collocavit, multis non ſolum mirantibus, ſed etiam ſcandalizatis, quaſi ex tam ſubita permutatione tanti viri, quem utique credebant nullo modo a priori ſententia poſſe divelli, cum ille, ut ſibi videbatur, coram Deo ſecurus conſcientiæ ſuæ & intentionis, non hoc ageret gratia alicujus ambitionis, ſed ut ſubveniret eccleſiæ periclitanti & fratribus ab ea diſperſis.

Theodericus ad ſinum monaſterium reddit.

99. His auditis abbas Theodericus, qui tunc morabatur Cunis, fratres ſuos ad conſilium evocavit, & quid in tali negotio opus eſſet ſibi agendum inquiſivit. Lambertus major, ut erat vir conſilii, itemque Wiredus, Robertus & Rainerius reſponderunt conſulenti gratias agendas divinæ diſpoſitioni, quod præter ſpem omnium eorum, locum eis patefecerit ad eccleſiam ſuam revertendi, rediret quantocius ſicut fecerat Beringerus, ne eo cunctante eveniret aliquis ſiniſter eventus, ſua etiam eccleſiæ referret ornamenta, quæ inde ſuſtulerat ſalvandi gratia. Firmato ergo conſilio decernitur tempus ad rem exequendam, & ex conſenſu Dodonis, aſſumtis ſecum ornamentis, media nocte caſtellum exiit, ſicque inſequenti veſpera Fredegorium venit. Poſtera die diſpoſitis per loca opportuna cuſtodiis, primo adhuc mane in querceto quod imminet monaſterio deſcendit, præmiſſoque ad fratres Lamberto majore, mandavit ſe eos reviſere paterno affectu, ſubjungens, ut nullo modo ſe vererentur, ſi quid exceſſiſſent per tam varios rerum eventus. Ad hæc quibuſdam conſcio pudore ſilentibus, quibuſdam vero timore Otberti, ne facerent quod nolebat opponentibus, tandem meliorum obtinuit conſenſus, ut, quod eos decebat, juſtitiæ & veritati & conſulerent honeſtati, utque abbati pro Chriſto exilium paſſo gratanter procederent, eumque pro ſuo recognoſcentes honorarent. His abbati relatis, procedentibus ſibi fratribus humiliter ſe proſtravit, & proſequentibus eum his qui ſecum exierant, quampluribus quoque, qui audito ejus reditu convenerant, cum Dei laudibus ingreſſus eſt eccleſiam. Deinde renumeratis vel oſtenſis publice ornamentis quæ retulerat, in conventu fratrum venit, & tam de communione Otberti quam de ſubjectione Ingobrandi culpam ſuam fatentibus pœnitentiam indixit, ſicque abſolutos deoſculatus priori ſententiæ reformavit. De prædicto autem eccleſiæ theſauro commiſerat, interpoſita fidei ſuæ ſponſione, Rodulpho Villantienſi, ſcilicet duas cappas, & textum evangelicum auro & gemmis inſignitum, qui fuerat Caroli magni imperatoris, & tria cornua eburnea ex eleemoſyna Godefridi ducis cognomento Barbati. Hæc omnia ut erat impudens neglector fidei & veritatis, irato ſibi domno Wlframno Prumienſi abbati, ut ei regratiaretur, in dono obtulit. Miratus abbas, requiſivit unde hæc illi proveniſſent, cum evidentem textum recognoſceret ex facta olim ſibi proceſſione. Tandem convictus eſt confiteri immo mentiri ea ſibi vendita ex diſtracto theſauro S. Huberti. Ad hæc abbas caput quaſſans, & de diſperſione tantæ eccleſiæ condolenter ſuſpirans, duo quidem ex cornibus fratri ſuo Ultrajectenſi epiſcopo tranſmiſit, cetera vero per Rodulphum B. Huberto caritatis gratia remiſit. Quam tamen gratiam abbatis prædictus Rodulphus quaſi a ſe eſſet, duobus equis pro ea exactis eccleſiæ impudenter vendidit, ex qua etiam iniquitate coram prædicto abbate convictus gratiam ejus perdidit.

100. Jam triduum tranſierat, & ecce Beringerus abbas cum Henrico archidiacono veniebat, ut ex præcepto Otberti quaſi vacantem diſponeret abbatiam. Audientes autem abbatem eſſe regreſſum & a fratribus receptum, in villam eccleſiæ quæ dicitur *Burs* diverterunt. Cumque ad Otbertum reverſi renuntiarent regreſſum abbatis, ille iratus interdixit nihil pro eo faciendum eccleſiæ miniſtris. Idem tamen interdictum eadem facilitate extenuatum eſt qua & prolatum, nec miniſtri eccleſiæ vel abbati vel fratribus pro hoc miniſtrare deſtiterunt. Otbertus quoque ira parumper refrigeſcente, diſſimulabat meminiſſe quod recognoſcebat ſe humiliter præcepiſſe. Indignatio tamen ejus erga abbatem pertinacius obfirmata, nec tempore, nec ratione ſedari poterat. Unde adeunte ſe Lamberto majore pro quibuſdam negotiis eccleſiæ, cum prædictum abbatem infirmatum audiſſet, ei quaſi excommunicato, ſi moreretur, interdixit fratrum ſepulturam communem, niſi ſibi ut epiſcopo ſuo ſatisfaceret vel communicaret. Abbas tamen ex infirmitate convaluit, & malitiæ Otberti adverſum ſe conſummatæ tanto ſecurior quanto & certior, hanc epiſtolarem apologiam ſcripſit eccleſiæ Leodienſi: in qua ſe nec excommunicatum pro-

bavit, nec quemquam nisi culpa exigente posse excommunicari.

Theoderici abbatis epistola ad ecclesiam Leodiensem.

101. *Cum nullum crimen anathemate dignum commiserim, injuste me excommunicatum liberrime defendo, quia nec fur, nec sacrilegus sum vel fui ejus ecclesiæ, quam Dei gratia rego, neque ecclesiam aliquibus suis rebus spoliavi, nec quicquam de fundis ejus aut vendidi, aut distraxi, aut cuiquam quod in me fuit usurpare permisi. Sed cùm viderem res aliarum ecclesiarum a suis emptoribus, hoc est a Wolbodone, Leupodone, Gisleberto, Warmundo male diripi, & in pretium simoniacæ suæ venalitatis pessime distrahi, timens ne similiter ab aliquo pervasore res ecclesiæ nostræ dilapidarentur, consilio Godefridi ducis, aliorumque sapientium virorum, qui quod postea accidit verebantur, partem thesauri cui maxime timebam, egredientibus mecum de monasterio fratribus, viris fidelibus commisi, & non alias quam infra possessionem & fundum ecclesiæ S. Huberti cum ipsis fideliter usque ad unum quadrantem conservavi, meamque restitutionem, operante Dei gratia, non ut sacrilegus, sed ut fidelis conservator, quod suum erat ecclesiæ mecum restitui. Unde si quæ jaculata est sententia excommunicationis, irritam eam censent præsentia testimonia sanctarum scripturarum, quæ me propugnant & defendunt. Hieronymus in commentariis super Matthæum versum illum exponens,* Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis, *ita dicit: Istum locum presbyteri & episcopi non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum nec sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de Leprosis ubi jubetur ut ostendant se sacerdotibus;* Et si lepram habuerint, tunc a sacerdote immundi fiant, *non quod sacerdotes immundos faciant leprosos, sed quod habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere, qui mundus & qui immundus sit. Quomodo ergo leprosum ibi sacerdos mundum vel immundum discooperiendo facit, sic & hic aut ligat aut solvit episcopus vel presbyter, non eos qui insontes sunt & noxii, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates; scit qui ligandus vel qui solvendus sit. Gregorius papa Januario Caralitano episcopo: Inter querelas multiplices Isidorus vir clarissimus a fraternitate tua se excommunicatum conquestus est; quod cur factum fuerit, dum a clero tuo qui præsens erat, voluissemus addiscere, pro nulla alia causa, nisi pro eo quod te injuriaverat factum innotuit. Quæ res nos vehementer afflixit: quia si ita est, nihil te cogitare de cœlestibus ostendis; sed terrenam te habere conversationem significas, dum pro vindicta propriæ injuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexisti. Unde de cetero esto circumspectus atque sollicitus, & talia cuiquam pro defensione injuriæ tuæ inferre denuo non præsumas: nam si tale quid feceris, in te scias vindicandum. Item Gregorius in evangeliorum tractatibus: Sæpe pastores ecclesiæ in ligandis & solvendis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequuntur; unde fit ut hac ligandi & solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, non pro subjectorum moribus exercet. Sæpe fit ut erga proximum odio vel gratia moveatur pastor. Judicare autem de subjectis digne nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi & solvendi potestas exercenda.*

102. Ea tempestate, hortante papa Urbano, una eademque intentio totius occidentis Christianos exciverat populos, videlicet armatos Jerosolymam adire, & Medos & Persas qui eam invaserant debellare, terramque repromissionis sibi tenendam subjugare. Huic expeditioni non solum diversæ ætatis populares, sed etiam ipsi provinciarum consenserant principes, & sponte posthabitis uxoribus & filiis, honoribus quoque & patrimoniis aut omnino relictis, aut pretio distractis festinabant captare incerta pro certis. Cum his Godefridus dux ire disposuerat, & causa parandi commeatus, Bullonience castrum Otberto venale exposuerat. Causa hujus negotii exequendi Ida mater ducis ejusdem Bullonium venit, quæ videns deperiisse eleemosynam patris sui majoris Godefridi, & monachos discessisse ab ecclesia B. Petri, consensu filii sui Godefridi, qui remissis fratribus ad matrem ecclesiam beati Huberti, hortatu domni Henrici pontificis iterata donatione legali, quidquid erat eleemosynæ prædicti avi sui in rebus mobilibus vel immobilibus, B. Petro & B. Huberto tradiderat coram testibus idoneis, graviter tulit, & abbatem Theodericum ad se venire mandavit: a quo dum quæreret cum mœrore cur vel quomodo memoria patris sui in loco illo defecisset; respondit abbas, id fratri suo & filio suo imputandum, qui subtractis reditibus adnihilassent locum, omnesque destructores ejus nosset excommunicatos secundum Alexandri papæ privilegium. At femina virtutis sollicita pro patre salvando, itemque pro fratre & filio absolvendo, abbatem cum lacrymis adorsa est orare, ut curam ecclesiæ B. Petri resumeret, & repositis ibi fratribus, periculum eorum qui in Deum & patrem suum peccaverunt absolveret. Ad hæc abbas cum negaret se posse quod cogebatur velle, mater filium suum impulit porrigere illi humiliter vadium satisfactionis, utque veniam excommunicationis obtineret, ecclesiam matrem de Saltiaco rivo cum capellis illi subjectis, itemque capella S. Johannis & præbendis ibi deservientium clericorum, omnibusque ejusdem

Monachi restituti in ecclesia S. Petri Bullonien sis.

capellæ mobilibus & immobilibus, ita ut decedentibus clericis qui erant tunc temporis, omnia subjaceant monachis, procurante abbate capellano, qui deserviet castro & populari parrochiæ, sicut avus suus Godefridus major B. Petro donaverat legaliter, ipse quoque fratribus ibi reponendis publice recognosceret. Quod cum Godefridus in audientia nobilium suorum sine ulla retractatione vel contradictione solemniter feciſſet; ipsa IDA comitissa matrem ecclesiam in Basceio villa, quæ propria ab antiquo sui patrimonii in Brachante erat sita juxta Nivigellam, ecclesiæ B. Petri & B. Huberti tradidit habendam pro anima patris sui Godefridi Barbati, itemque fratris sui Godefridi, filiique sui ibidem præsentis, eamdemque donationem legali privilegio & legitimis testibus confirmari, fratres etiam in sui præsentia ab abbate reponi obtinuit apud ecclesiam beati Petri.

Otbertus spoliat ecclesiam S. Huberti.

103. Otbertus gloriæ suæ studens, prædictum castrum oblatum sibi concupivit, & mille quingentas argenti libras pro eo duci condixit. Ad has exsolvendas cum proscripsisset exspoliendas congregationes episcopii, tum demum hac occasione adversus ecclesiam B. Huberti maximas inimicitias exercuit. Nam ipsis exactoribus suis missis, tabulam altaris auro tectam disparavit, tres cruces aureas, dispersis lapidibus effregit, quarum unam magnæ quantitatis domnus abbas Theodericus prior noviter fecerat studio Lamberti majoris, quamque Henricus episcopus a nemine destruendam sub anathemate interdixit. Ex hujus rapinæ reliquiis prædictus Lambertus unam marcam & dimidiam auri collegit, & allodium de *Felc*, quod est prope Nasaniam a Conone comite, qui cum duce Hierosolymam ibat, præsente Bovone de *Wahart* & Walterio de *Ambluz* donatum ecclesiæ comparavit. Nec multo post dux Hierosolymam vadens, ludum unum christallinarum alearum nobis trasmittens, multos secum nobiles & religiosos adduxit, quorum defensionis intuitu infectatio Otberti utcumque videbatur tolerabilis Theoderico abbati. Quibus abeuntibus, longo & gravi tædio affectus, cum se pensaret imparem perferendis tot rerum casibus, nemini quod conceperat edicens, quasi more solito ad tempus exiret, valedicens fratribus, ad S. Remigium Remis se contulit ibidem moraturus. Quod cum apud se destinasset, quia idem locus amplissimæ dignitatis & maximæ videretur honestatis, tunc magis hoc ideo affectavit, quia didicerat ibidem abbatem quemdam ordinatum ROBERTUM Majoris ecclesiæ monachum, quem ex dicto Urbani papæ experierat Manasses archiepiscopus causa ibi artius augendæ religionis. Quod quam longe aliter evenerit testatur Hugo episcopus Lugdunensis legatus ecclesiæ Romanæ, su-

Theodericus abbas apud S. Remigium se recipit.

per his ita scribens Urbano papæ.

Epistola Hugonis archiepisc. Lugd. adversus Robertum abbatem S. Remigii.

104. *Reverendissimo patri ac domino suo Urbano papæ* HUGO *Lugdunensis ecclesiæ servus seipsum per omnia. Litteras vel legationem cujusdam monachi Majoris-monasterii nomine* ROBERTI *ad vos jam venisse putamus, quem frater* MANASSES *Remensis archiepiscopus, quod per se non valuit, ordinandum abbatem S. Remigii, litterarum vestrarum auctoritate ab abbate suo impetravit. Adjuncti sunt ei quidam religiosi fratres, quorum fretus consilio & auxilio, subditorum suorum Remensium monachorum animos informaret, & ad sacræ religionis imitationem instrueret. Ipse autem prout virorum bonorum relatione cognovimus, spreto eorum consilio qui ei dati fuerant ad auxilium augendæ religionis, cæpit adhærere complicibus levitatis & remissius relaxare districtionem vitæ regularis. Quo comperto Remensis archiepiscopus sæpius eum per se perque alios religiosos viros, ut erga ordinem suum & sibi subditos corrigendos studiosior esset, admonuit, nihilque profecit. Tandem frustratum se cognoscens, de eo quem religiosum putaverat, & in abbatem consecraverat, hoc ipsum abbati Majoris-monasterii significavit, & ut eum corriperet & emendaret obsecravit. Abbas vero directis a latere suo religiosis personis, multotiens eum increpavit, & ne tam negligenter vivens, ecclesiam unde venerat dehonestaret, attentius admonuit, & nisi se emendaret, ut inobedientem & professionis suæ transgressorem se excommunicaturum intentavit. Quid multa? Die constituta se ad eum iturum, & velut patri suo obediturum promisit. Sed consiliariis suis pravis locutus, ire contemsit. Abbas autem sic ut minatus fuerat, eum, consentiente episcopo, excommunicavit. Ipso vero reclamante, & anathematis ejus vinculo se minime teneri dicente, quasi ab ejus obedientia & professione absolutus, & Remensi ecclesiæ ut sibi videbatur liber redditus, constituta est dies ab archiepiscopo, quo judicio episcoporum & abbatum lis illa terminaretur. Præfixa autem die convenientibus episcopis & abbatibus, multisque aliis religiosis personis, ipso quoque abbate Majoris-monasterii & priore Cluniacensi, discussis utrimque rationibus & objectionibus, cum probari non posset quod prædictus monachus Robertus, a primæ professionis suæ vinculo per abbatem suum præsentialiter vel per litteras ejus (manu) signatas, esset absolutus, ac sic liber archiepiscopo Remensi concessus: judicatum est ipsum ab abbate suo excommunicatum esse, nec ab episcopo Remensi retineri posse. Judicio sic facto, sæpedictus monachus minime adquievit, & ut pluribus videtur, quærens occasionem vagandi, prægravari se dixit, & audientiam vestram reclamavit. Quem cum archiepiscopus retinere vellet, & abbati suo reddere, propter reclamationem vestram liberum permisit ire. Qui illico ad nos veniens, rei gestæ seriem nobis nuntiavit, & ex ejus relatione didicimus juste eum posse*

revocari ab abbate Majoris-monaſterii. Nuntiavit etiam nobis pro hujuſmodi negotio quoſdam fratres Majoris-monaſterii ad nos venturos, & nobis offerentibus ut pro ſua commendatione vel reſtitutione, ſi fieri poſſet, eos expectaret, ſuſtinere noluit, & a nobis abceſſit. Die autem tertio poſt ejus abceſſum domnus HILGODUS *quondam Suiſſionenſis epiſcopus, & frater Pontius noſter quondam notus, Rodulfus quoque Remenſis eccleſiæ præpoſitus ad nos venientes rem geſtam nobis per ordinem narraverunt, & ex parte Remenſis archiepiſcopi litteras obtulerunt, ob ecrantes ut noſtro conſilio alterum abbatem in eccleſia B. Remigii ſibi ordinare licceret, ne detrimentum pateretur, ſi diu reſtore careret. Quod quidem propter ſolam appellationem veſtram facere noluimus, quamvis quod in tanto conventu, & a tam diſcretis perſonis factum fuerat juſtum cenſeremus. Itaque cum non ſit noſtrum ſanctitatis veſtræ prudentiam docere, provideat veſtra paternitas, qualiter prædicto monacho, ſi præſentiam veſtram adierit, vel litteras vobis direxerit, reſpondeatis. Si enim eccleſia B. Remigii venerit in poteſtate alicujus irreligioſi, & in temporalibus & in ſpiritualibus minuetur, & cum periculo animarum, cultus divinæ religionis ibi adnihilabitur.*

105. Hugo quoque Cluniacenſis abbas de eodem negotio ſcripſit eidem papæ Urbano.

Epiſtola S. Hugonis abbatis Cluniacenſis ad Urbanum eumdem.

Amantiſſimo & reverendiſſimo patri ſanctæ atque apoſtolicæ ſedis ſummo pontifici domno papæ URBANO, *frater* HUGO *Cluniacenſis cum tota congregatione veſtra continuas & devotiſſimas devotionis orationes & perpetuam pacem.*

Multi, ô Domine pater, juſtis ac neceſſariis cauſis exiſtentibus capiunt dignam veſtram adire præſentiam, ſed impediuntur variis difficultatibus obſiſtentibus. Unde & aliqui eorum ſatiem ad nos veniunt, quaſi ad domeſticos veſtros, ſi quomodo eis conſulatur vel ſubveniatur illorum neceſſitatibus. Inter quos domnus MANASSES *Remorum pontifex, veſter humilis filius, noſter quoque devotus amicus, quem & in alia epiſtola vobis commendavimus, conqueſtus eſt nobis de Majori-monaſterio, in eccleſia B. Remigii ſe quemdam monachum ordinaſſe, & longe aliter quam ſperabat de ejus irreligione maximum in loco damnum proveniſſe. Petiit autem ut interpellaremus inde vos; ſed quia domnus* HUGO *Lugdunenſis archiepiſcopus omnem ordinem rerum vobis ſignificavit, ſicut audivimus, reverentiæ ſuggerimus, ut ſi ad vos venerit idem monachus, prudentiam veſtram nullis circumveniat calliditatibus, ſed faciatis ei ſecundum ſapientiam quam a Deo habetis. Reverentiſſimam ac dilectiſſimam nobis paternitatem veſtram Dominus Chriſtus ſanam & incolumem nobis conſervet & univerſæ eccleſiæ.*

Theodericus abbas renuntiat dignitati

106. Abbas autem Theodericus in feſto S. Ægidii, qui olim fuerat dies ordinationis ejus, de monaſterio egreſſus, cum Remis moraretur, in ſolemnitate S. Remigii ſequenti venerunt ad eum Raynerus Pirenſis, Robertus Cimenſis, Wiredus quoque præpoſitus Ebernei-cortis, de intentione ejus certius inquiſituri. A quo cum didiciſſent privatam vitam ſe ſponte elegiſſe, tot infectationes Otberti pati non poſſe, eccleſiam ob ſui invidiam deſtrui vitare, nolle amplius præeſſe, quibus in tot periculis non ſufficeret prodeſſe. Reſponderunt fratres hoc non ſic temere agendum; ſed conſulendos abbates qui ad prædictum convenerant feſtum. Decernitur ergo tempus ad rem. Et cum ad abbatem ſancti Remigii ceteroſque ibi collectos eccleſiæ Remenſis conſilium referrent, & illi cauſam abbatis Theoderici veteri jam auditu notiſſimam ad reſpondendum ventilaſſent, ad hunc devenerunt finem, ut quia privatus vivere vellet ne Otberto ſubeſſet, caveret ne unde ſe expediret, alium impediret, neve prædicto Otberto ingereret, quem noviter pro ſe conſecrandum eligeret. Reſpondit abbas in hoc ipſo ſibi & fratribus ſuis conſuluiſſe, & domnum Beringerum abbatem S. Laurentii ſibi ſucceſſorem jam diu apud ſe deſtinaſſe, quia & monachus olim fuerit eccleſiæ, & a domno Henrico epiſcopo conſecratus legitime, nulla indigeret Otberti conſecratione. Laudatus abbas id optime providiſſe, conſenſu prædictorum vel præſentium fratrum ibi ſcripſit Beringero ſub obteſtatione profeſſionis ſuæ, quam fecerat eccleſiæ, ut illi in præſenti periculo ſuccurreret, quodque volenti animo abbatiam ſibi commiſſam relinqueret: hac tamen interpoſita conditione, quod quibuſlibet aliis poſtpoſitis, ideo cum ſucceſſorem elegiſſet, ne conſecratione Otberti indigeret. Scripſit etiam fratribus in commune, ut quem elegerat, ipſi quoque eligerent, ſicque per manus Raineri Pirenſis & Roberti Cimenſis baculum paſtoralem remiſit eccleſiæ: quem illi apud Piros ex conſultu interim reliquerunt, ut quaſi de incertis adhuc rebus præſentirent inter diſſidentes certius conſilium, & tanto citius Beringeri eligerent auxilium, quanto ex Theoderico abbate gravaret eos deſolationis ſuæ faſtidium, maxime propter infectationem Otberti, quæ tanto immineret eis infeſtior, quanto in deſolatos effrenatior. in gratiam Beringeri.

Quem fratres coëgit admittere.

107. Redditis vero litteris Theoderici in communi audientia, cum iners notaretur vel ejus ſponanea privatio, vel Beringeri eligenda prælatio, ut fit in novandis rebus, pro ſuo quiſque niti cœpit ingenio, orta inter eos diſſentione, Theodericum quidem commiſſos ſibi inordinate deſeruiſſe, ad abbatiam vero regendam plures apud eos ſupereſſe. Beringero ſuam illi ſufficere poſſe, nullo modo ſe pati eum ſibi præeſſe. Indefinito vero conſilio in tam vario diſſenſu, non multo poſt redditæ ſunt litteræ Beringero miſſæ

missæ illi a Theoderico. *In quibus cum se* legisset electum, & sciret jam a fratribus repulsum, paululum subridens, Cato, inquit, Uticensis die qua passus est repulsam risit, & nocte qua moriturus est legit. Et quidem repulsa, licet altius quam quisquam ratus esset, in cor ejus descenderit, pro tempore tamen quasi benigne respondit satis consulte: Repulsores suos censuisse sua sibi sufficere, unicuique in ecclesia sua militanti debitum honorem competere, scire se moribus eorum non convenire: quærerent cui flos gloriæ jam apud eos decedentis resloreret, & religio deficiens resurgeret.

Qui & ipse resignationi renuntiat. 108. Audivit interim Otbertus rerum seriem, & evocatis ad se de monasterio quos noverat meliores, mirari se dixit cur Beringerum repulissent, quem in ecclesiasticis utilitatibus virum tam valentem jam rapuisse debuissent. Eadem sententia de Beringero apud clericos & laicos crebrescebat, & neminem rei & tempori utiliorem censebant. Jam etiam fratres tot assertionibus convicti consenserant ejus electioni, cum ille semel concepta indignatione primæ repulsionis, nullis precibus Otberti, nullis acclamationibus fratrum vel cleri evaluit procurationi oblatæ attrahi. Tot igitur tempestatibus, tot dilationibus jam pene deficientis ecclesiæ pertæsus Otbertus, indixit fratribus, ut quem vellent de suis eligerent, eique consecrandum in abbatem præsentarent.

Lambertus major obit. 109. Inter has disceptationes Lambertus major infirmatus ad mortem, Beringerum de Leodio ad se reconciliandum mandavit, unctusque oleo quod sibi reposuerat ex consecratione Henrici pontificis anno Incarnati Verbi MXCIX. VIII. calendas Maii obiit, qui strenuus cooperator abbatis Theoderici majoris, in acquirendis prædiis & ornamentis, in renovandis & ampliandis ædificiis, in vitreis & fabrefacturis, in ordinando fratrum victu & vestitu, & in quibuscumque poterat ecclesiæ profectibus & utilitatibus, cum sub Theoderico juniore assueta dignitate privatus, adolescentes sibi præponi justissime indignaretur, adeo coactus desipere, ut post discessum ejusdem Theoderici, scrinulum B. Huberti, quod argento paraverat, ablato etiam capitio aureo mirifici operis, dispararet cum exactoribus episcopi, tres cruces aureas, & tabulam altaris auream in coemtione Bullonienſi deliberaret; Godefrido de Ham duo dorsalia cum dalmatica una & cappa commodaret; in ipsa quoque infirmitate sua extrema Beringero partem auri & copiam lapidum pretiosorum a loco asportanda relinqueret. Et ne cui videatur de Lamberto hæc talis mentio vel apud Deum pœnalis criminatio, vel apud homines judicialis detractio, noverit eum acerbo & longo dolore, ut hoc faceret, *provocatum*, dum nimis inhoneste tractatus & despectus in ipsa

A *senectute, tot labores juventutis* suæ apud ingratos doleret evanuisse: quia & est miserrimum genus infelicitatis felicem fuisse, & de regno in servitium, imo in contumelias decidere.

Obertus castrũ *Mirvolt* rædificat. 110. In eodem anno calendis Junii OTBERTUS castrum *Mirvolt* non longe situm a monasterio ad desolationem circumjacentis provinciæ refirmavit: quod obtentu domni Theoderici majoris Henricus episcopus dejecerat sub interminatione perpetui anathematis. Ipsum quoque montem qui ab antiquo fuerat B. Huberti ecclesiæ, firmato privilegio reddidit, condita ibidem & dedicata ecclesia in honore B. Michaëlis, fratres secretius, utpote in deserto Deo militaturos constituit. Provinciales autem ex timore desolationis quam verebantur, non solum sibi, sed & posteris suis, condicta die convenerunt ad ecclesiam B. Huberti, expostulantes corpus ejus cum lacrymis Otberto præsentari, si forte vel sic resipiscceret ab intentione hujus suæ incœptionis. Coacti fratres non solum necessitate communi, sed & propria quæ magis præponderabat, licet nimis inconsulte, utque fit in rerum tumultuaria perturbatione, nullis præmissis jejuniis, nullis vigiliis, nullo apparatu hujus executionis, assumto B. Viri corpore, processerunt nudis pedibus & operto corpore. Videns passim concurrentium turbas augeri, luctuque populari canentium lætanias & psalmos deprimi, audivit Otbertus tanti pontificis auctoritate se insequi, & ad horam furore dissimulato, ascensoque equo cum suis & ipse venientibus obviam processit. Præmissa vero paulisper reverentia orationis, post aspersionem aquæ benedictæ, inter thurificandum, fustem ad hoc ipsum paratum arripuit, & de cæsis fratrum capitibus sanguine fuso, per silvam palantes huc illucque dispersit. Super tantam tamque injuriosam temeritatem demirantibus turbis justitiam Altissimi, qui cum sit patiens redditor, secundum multitudinem iræ suæ non quærit. Perlatum est corpus Sancti ad ecclesiam B. Michaëlis archangeli, ibidemque advigilatum est a fratribus recollectis. In crastinum disponebat illud violenter auferendum Otbertus, sed cum in tali præsumtione nemo sibi assentiret suorum, jam sanioris animi resumens consilium, cum reverentia & honore ad suum retulit locum. Cujus evectio cum maximi fuisset ponderis, revectio vero levissimi, probavit eamdem evectionem sibi displicuisse & revectionem placuisse. Positum autem super altare B. Petri & per octo dies nullo modo potuit loco suo reponi, quasi quamdam satisfactionem exigeret hujus suæ remotionis. Non multo post ea ipsa die anniversaria, qua B. Huberto prædictam fecit *injuriam*, Otbertus captus est a comite Henrico, & Durboium usque deductus, incitato

S. Huberti corpus ad eũ placandum ei objicitur.

equo & ſatis feroci, duriſſime & inhoneſte collisus vix mortem evaſit; ſed & quamdiu ex tunc ſuperfuit, numquam adverſitatibus & dedecoroſis oppreſſionibus caruit.

Gerardus abbas eligitur.

111. Et dum Otbertus fratres iterum atque iterum de eligendo abbate compelleret, tunc demum illis præfixit diem, quo tales determinarentur dilationes. Electus tandem communi omnium conſenſu quidam GERARDUS, Leodium ducebatur: cui inter eundum de Otberto cœpit agi ſermo a deducentibus, donum ejus nullo modo legitimum fore, tam pro Henrici regis excommunicati ſubjectione, quam pro præfati caſtelli reſtructione quod reſtruebat, Henrici pontificis neglecto anathemate; tum etiam pro effuſo propria manu ejus monachorum immo ſacerdotum ſanguine. Hujuſmodi diſputatio dum attentius retractaretur inter Giſlebertum decanum & Wiredum Ebernenſem præpoſitum, perſuaſerunt Gerardo interim ceſſandum, donec ipſi euntes Leodium ſuper his abbatem conſulerent Beringerum. Gerardus, ut erat vir probus & nullius injuſtæ promotionis cupidus, ſimpliciter ceſſit illis ſuis conſultoribus condictum rei negotium exequentibus: qui cum id penitus non curanti Beringero de reddendo ſuper his conſilio ſuggererent, eidem etiam Otberto quod de dono ſuo non legali verebantur ingererent; ille id ſibi quaſi ad injuriam reputans ingeſtum, primoribus ſuis craſtinum indixit publicum auditorium, & utrum injurioſam ſibi tamdiu abbatiam S. Huberti funditus annullaret, an ordinaret, edixit eis in commune conſulendum. Succlamantibus cunctis potius ordinandam, iterum atque [iterum] ejus obtulit Beringero providentiam. Ille cum ſemel recuſatam nullo modo admitteret curam, communem omnium accepit ſententiam, ut deſtinaret pro æſtimatione ſua quam ad hoc exequendum utiliorem noſſet perſonam. Qui paululum cunctatus in tali oppoſita ſibi deliberatione, reſpondit pro tempore neminem utiliorem ſe noſſe, quam ibi præſentem

Wiredus ab Oberto abbatiam S. Huberti accipit.

Wiredum monachum ejuſdem eccleſiæ. Hortatus accedere Wiredus, licet, ut fit, aliquandiu reluctari videretur, tamen donante Otberto, abbatiam ſuſcepit, ſicque comitatus Beringero & Friderico præpoſito, Andaginum venit. Fratribus autem electionem ſic fruſtratam indignantibus, & venienti, ut eſt mos, procedere detrectantibus, intervenerunt mediatores Beringerus & Fridericus, ſuffragantes prout poterant ingenio & ratione, ne ſic inconvenienter hactenus fratri, amodo vero patri diſſentirent, & ſi eum hoc pati, illos tamen facere non debere: conſulerent vel famæ ſuæ, ne nimis inconſulte viderentur tale aliquid egiſſe, experirentur prius utrum eſſet utilis & retinendus, an inutilis & rejiciendus. Tandem rationi ad horam cedentes, ſuppreſſa ad tempus contradictione, paſſi ſunt illum adeſſe, ſibique æquaminiter intereſſe, donec eadem contradictio quandoque fieret juſtior, ſi conſecratus ab Otberto Romanæ ſententiæ probaretur deſertor, cujus antea fuerat acerrimus aſſertor. Gravabat autem adhuc ab introitu Ingobrandi præſentem eccleſiam maxima rerum inopia, quia diſpenſatores earum tractabant eas nimis prodige, nullo reſpectu fidelitatis, & pene ad numerum xx. librarum imminuti erant reditus eccleſiaſtici ab introitu domni Theoderici majoris de præbenda fratrum ſine conſenſu eorum, datis immo & venditis noviter & injuſte beneficiis, & hoc, ut ſupradictum eſt, conſilio & actu Lamberti majoris & Theoderici junioris. Et cum frequens querimonia fratrum coram Wiredo hujuſmodi injuſtitiam & damnum deplangeret, ille caput quaſſans, complosis manibus cum indignatione talibus conſultoribus & auctoribus pœnalem vindictam ultionis imprecabatur divinæ. Sed quam inexcuſabilis eſt omnis qui judicat, cum ipſe idem faciat! Quia enim, ut dicitur, voluntates regum ut ſunt vehementes ita & mutabiles, non multo poſt Wiredus prædictis noviter caſſatis, diem ad ſe conveniendi poſuit, & contra publicam fratrum contradictionem, ad privatam eorum gratiam ſingulos recuſavit, cum & ante legitimam conſecrationem ſuis nullum legale donum poſſet ab eo fieri. Unde & magis ex hoc crebreſcebat communis fratrum ſententia, illum omnino vel pro nullo habendum vel rejiciendum, cum Romanæ auctoritatis privilegium, quod a Gregorio papa huic eccleſiæ ſpecialiter eſt decretum, hujuſmodi præſumtorem poteſtatis honoriſque ſui dignitate cenſeat privandum, aut ſi quid verebatur manibus Oberti ſe ſubmitteret conſecrandum. Quod ille præſentiens Oberto conſecrationem ſuam offerenti aliquandiu ſe ſubduxit, utque tutius vitaret pondus neceſſitatis de proximo imminentis, Franciam divertit, & apud Ebernenſem cellam morari cœpit. Obertus hujus ſubductionis ſatis conſcius, attentavit eum inducere tanto facilius quanto & ſuavius, ex ſuo conjectans ingenio, ut ſeſe res habebat, nolle illum facile jam carere ſemel deguſtati honoris experientia, cujus donum in accipiendo recuſaverat de manu ejus, quæ ſibi non videbatur prius legitima. Scripſit autem illi in hunc modum a Leodio.

Oberti epiſtola ad Wiredum abbatem.

112. *O. Dei gratia Leodienſium epiſcopus fratri W. abbati de S. Huberto gratiam ſuam, & veram dilectionem in Chriſto.*

De promotione tua qualiter canonice & ſecundum regulam S. Benedicti fuerit facta, quomodo, inquam, humana gratia & terrena commoditas & cetera, quibus indigni homines indigne ad honores ſolent provehi, procul fuerunt

a nobis, utpote qui tam carnalem quam ſpiritualem rei veſtræ publicæ reparationem per vos deſiderabamus fieri, nulli notius eſt quam vobis, & eamdem rectæ intentionis oculum ſemper purum, ſemper apertum erga vos habere volens, quod in vobis bene cœptum fuit, melius perficere volui, & ad benedictionis gratiam in proximo vos perducere, Deo opitulante, diſpoſui. Vos autem illo tempore imparatum, vos in quibuſdam negotiis lacrymabiliter dixiſtis obligatum, & conſilio & auxilio bonorum, præcipue autem concordia & unanimitate fratrum veſtrorum ad tam ſublimem gratiam eſſe proveniendum, dicmque hujuſce rei perficiendæ elegiſtis & petiſtis, & in ipſa S. Andreæ feſtivitate, me annuente, ſtatuiſtis. Sed quia tunc Leodii non fuimus, quippe honori & gratiæ domni imperatoris deſervivimus, nos tunc Leodii non veniſſe nequaquam negligentiæ imputamus. Nunc autem præcipiendo vobis denuntiamus, & per veram obedientiam vos admonemus, ut remotis omnibus impedimentis x. *Kalendas Februarii Leodii ſitis in craſtino, hoc eſt in ſequenti die dominica ad percipiendam benedictionem paratus, voſque per Dominum & per B. Hubertum omnimodis ammonitum eſſe volumus, ut interim nihil aliud, niſi quod ad meum honorem & ad eccleſiæ veſtræ ſpectet utilitatem quæratur a vobis vel agatur. Vale.*

113. Sic Obertus, ut aiunt, gladio meſſe lito, ſi quid conſtantiæ ſupererat funditus extinxit, illeque præfixa die Leodium venit. Quem dum Obertus argueret, tamdiu oblatæ ſibi benedictionis gratiam ſubterfugiſſe, ille ad horam quaſi reſumto zelo veritatis atteſtandæ, vel ut idem apud fratres excuſabilior videretur de ſua conſecratione, hanc prætenderet, in publica audientia ſubintulit libero ore, non ſibi videri commodam ejus benedictionem, quippe cum in obſtinatione tam longa adverſus ſedem & auctoritatem apoſtolicam Henrico regi intentus ſingulariter faveret, tum quia ex hoc ipſo, ſi benediceretur ab eo, timebat fratrum ſuorum contradictionem, tum etiam quia in deſolationem eccleſiæ B. Huberti caſtrum *Mirvolt* reſirmaſſet, quod ne a quoquam amplius fieret Henricus prædeceſſor ejus interdixerat ſub perpetuo anathemate. Reſpondente Otberto non modo eſſe tempus iſtius diſcuſſionis agendæ, diſſimulataque callide indignatione invectionis tam ſubitæ, illam ſuam benedictionem jam quaſi volenti deliberabat ſubtrahere. Statimque bene conſcius ejus animoſitatis ad rem inter utrumque componendam, benigne ſubintulit: Benedictionem non eſſe Otberti, ſed Dei; cum econtra Dominus per Malachiam dicat de ſacerdotibus diſplicentibus ſibi: *Maledicam benedictionibus veſtris, quia non poſuiſtis ſuper cor, ut gloriam nomini meo detis.* Acceperat tunc temporis quidam monachus B. Laurentii Lambertus de manu Otberti abbatiam Florinenſem, qui ut jam dictum eſt, non niſi cum ſputo nominis ejus poterat meminiſſe, quamdiu cum Beringero morabatur apud cellam Ebernenſem. Hujus cum Wiredo conſecrando conſtituta erat conſecratio, quam tunc quidem gratia Wiredi Berengerus differendam obtinuit, donec Stephanus S. Jacobi abbas præmiſſus ad eccleſiam B. Huberti ex auctoritate pontificali hortaretur fratres conſentire agendæ benedictioni. Ille adveniens cum nullum quæſtionis ſuæ obtineret effectum, inter agendum requiſitus eſt a fratribus, ut ſecundum ſulmet intellectum ſuper ejuſdem rei negotium redderet eis liberrimum veritatis & juſtitiæ conſilium. Miratus abbas ſic ſe concluſum, cum quaſi obtorto collo cogeretur dicere quod nolebat veritatis & juſtitiæ teſtimonium, reſpondit ſe non veniſſe ut deferret eis veritatis & juſtitiæ conſilium, ſed ut voluntatis eorum eis qui ſe miſerant referret aſſenſum. Sicque inactus rediit Leodium. Wiredus licet ſolli- Wiredus ab Otberto cõſecratus fratrũ indignationem incurrit.
citus fraternæ contradictionis, magis autem curioſus quomodocumque retinendæ prælationis, Lamberti prædicti conſecrationi agendæ ultro ſe conſecrandus ingeſſit. Lambertus non multo poſt redarguente ſe conſcientia abbatiam Florinenſem ſponte deſeruit. Wiredus aſſumto ſecum iterum Frederico præpoſito Andaginum venit, diutiſſimeque ſperata, ſed negata proceſſione eccleſiam introiit. Injuriam hujus averſionis non ſolum ſibi injurioſam, ſed & Oberto, eccleſiæque Leodienſi, in publico fratrum conventu, præſente immo indignante Frederico conqueſtus, cum eo Leodium rediit, ibidem hoc ipſum conqueſturus. Et quia tunc temporis juſtitiam deprimebat poteſtas, & rationem voluntas, quidam ex fratribus inferendam ſibi violentiam timuerunt, & ex eis decem ſimul in una die abeuntes per cellas diverterunt. His quaſi exoneratus jam ſecurior immo ferocior Wiredus rediit. Nimiumque ambitioſus propriæ damnationis, & omnino incredulus fraternæ procurationis, eccleſiaſticas diſpenſationes ſub ſe ſolo proviſore commiſit laicis. Sic ergo ipſe laboris impatiens & domi conquieſcens, dum non Dei ſed ſua quærentibus magis quam fratribus diſpenſationes eccleſiaſticas crederet, cœperunt nullo procurante ſationes deperire, dominicales manſiones cum horreis ruere, aſſentientibus infidelibus miniſtris, & eodem aſſenſu ſe ipſos tuentibus, omnimodo advocati regnare ſuper pauperes eccleſiæ, legitimas conſuetudines detortas ad placitum ſuum demutare, obſonia indebita exigere, & leges voluntarias adverſus eccleſiam ingravare, conſtitutiones ſuas exactis ſcabinorum violenter judiciis in poſterum firmare, deprecatorias violenter quæſtiones exaggerare.

114. Interea indignabatur Theodericus

Theodericus suam repetit abbatiam.

suam de Berengero annullatam electionem, cœpitque abbatiam suam repetere, quam ea tantum remiserat conditione, ut ei talis succederet, qui non Oberti indigeret consecratione. Consilio ergo (*a*) RAGINOLDI Remorum archiepiscopi & abbatum qui testes erant præfatæ conditionis confirmatus, ex hoc ipso justam querelam agendi scripto mandavit Wiredo se satis superque mirari, illum tam impudenter fieri monstrum tam diversæ dissimilitudinis, ut a sententia, cujus olim secum fuerat acerrimus assertor, tam cito exciderit apostaticus desertor; ideoque nullam sibi debitam in ecclesiasticis dignitatibus prælationem, cum etiam pro mercede hujus iniquitatis apostolicæ sedis prodiderit auctoritatem: vel si eum, ut minus scientem suo seduxit consilio, ut se abbatia pro Christi fide privato, fraudulenter ejus succederet loco, in conducto a se ecclesiæ Romanæ judicio ex his omnibus inter eos ageretur discussio. Scripsit autem ei hoc modo.

[*a*] Raginaldus Remensis archiepiscopus obiit 19. Kal. Februarii 1096. ac proinde Wiredi intrusio debuit hæc antecessere tempora.

Theoderici abbatis epistola ad Wiredum.

115. *Frater T. ceterique fratres ecclesiæ B. Petri & B. Huberti W. nimis ambitioso & inconsiderate gloriam propriam quærenti, & in hoc ipso contra Deum & apostolicam sedem sibi faventibus.*

Filius æterni Patris semper coæternus & coæqualis ei in unitate Spiritus-Sancti, non rapinam arbitratus se æqualem Deo, semetipsum exinanivit, & assumta forma servi sine conditione servili, oblatum sibi regnum fugiendo recusavit, & crucem sibi bajulans ad mortem pro nobis ultro descendit, seque viam humilitatis non arrogantiæ constituit imitatoribus suis. Idem resurgens a mortuis in trina confessione dilectionis suæ, oves quas sanguine suo redemerat Petro commisit. Petrus cum data sibi potestate ligandi & solvendi eamdem auctoritatem & curam sedi Romanæ reliquit. Constat ergo Christo repugnare, ecclesiasticæ auctoritati & apostolicæ sedi non obedire, & eos æterna mortis diluvio involvi, qui extra arcam catholicæ unitatis fuerint reperti. Ad hanc fidem tenendam dominus BERENGERUS *cum suis vestra quoque industria doctior & ferventior ceteris, nos quasi simpliciores & tardiores informavit, ad cujus defensionem etiam cum periculo vitæ exemplum vestrum armavit. Quomodo ergo verbo Dei inimicus homo superseminavit zizania? Quomodo in agro cordis vestri germinavit spinas & tribulos tantæ inconstantiæ & dissimilitudinis. Monstruosa plane constat dissimilitudo, & omnino detestabilis coram Deo, apud quem nulla est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, ut quibus assertoribus firmata est sententia quam tenemus, eisdem desertoribus, quantum in ipsis est, infirmata pervertatur. Si enim post tot ventilata fidei christianæ testimonia, ut & nos & vos seduceretis, contra Deum sensistis, omnino probamini hæretici, & ideo in ecclesia Dei secundum sacros canones nullius promotionis vel auctoritatis habendi estis, solumque vobis locum pœnitentiæ sciatis in hoc superesse, ut Jesum præceptorem reclametis a longe. Si autem gloriam Dei relinquentes & vestram constituere volentes, facti estis apostatici, nonne siquidem de similibus idem est judicium, effecti estis membra diaboli, ut in vobis jam operetur mysterium iniquitatis? Et ne videatur vobis nimis injuriosa hæc nostra sententia, verbo & exemplo vestro jamdiu probata, consulite totius catholicæ christianitatis ecclesias, consulite etiam vestras apud vos conscientias, utrum vos in his conatibus vestris coram Deo vel excusent vel absolvant. Et quomodo defecit vestra virtus & constantia, qui nobiscum per [illegible] teras regiones, ut videbamini pro amore Christi passi mendicitates & exilia, & quasi cujusdam martyrii palmas in conspectu hominum præferebatis, quomodo scandalizantur in vestram apostasiam in suis locis. Scandalizantur in vobis sedes Remensis, Laudunensis, Virdunensis, Tullensis, quæ vobis præconantibus dolebant omnino, sed adhuc dolent decolorationem quondam splendidissimæ & religiosissimæ ecclesiæ Leodiensis, sed & nostræ Andaginensis. Sed & ille modernus ejus sedis angelus, non bene nostri sollicitus, instinctu vestro scripsit Remensi nuper archiepiscopo, ut clauderet nobis aperta viscera suæ caritatis, & prohiberet nos a finibus suis & constitutis apud se justis possessionibus nostris. Neque certe satis fuit gloriæ vestræ ecclesiasticas personas in nos commovisse, quod utcunque fuerit tolerabile; sed & conductu præsentiæ vestræ quamplures sæcularium tyrannorum ad nos infectandum præmiis & promissionibus armastis, & contra sanctorum canonum decreta ad audientiam eorum nos violenter coegistis. Qui in nos satis humaniores caritate vestra, cum intelligerent, immo cum mirarentur nos a priori sententia veritatis dissentire, exhorruerunt inter nos tractare quod non erat eorum judicare. Nobis autem audientiam vel Remensis vel Laudunensis ecclesiæ reclamantibus; tandem Remis convenimus, ibique cum* MANASSE *archiepiscopo* ENGELRAMNUM *Laudunensem episcopum pridie Roma regressum invenimus. In audientia eorum dato nobis loco vos defendendi, nobis autem libenter concedentibus placito vestro cedere, nobisque subesse, si salva fide judicaretur, nobis id fieri posse. Scitis certe quo judicio uterque pontifex causam vestram concluserit, videlicet nullo modo competere vobis vel nomen vel officium abbatis, nisi Romana auctoritas id specialiter religioni vestræ adjudicaverit, aut legatione veraci, delatis tamen signatis litteris, vobis confirmaverit. Precamur ergo, monemus & obtestamur sub obtestatione & judicio divini nominis per auctoritatem concessam B. Petro ejusque apostolicæ sedi, ut jam tandem aliquando & vestro & nostro periculo consulatis, & ad discernendam causam vestræ dissensionis,*

nobiſcum audientiæ Romanæ in venturo feſto Simonis & Judæ vos præſentetis, noſque, ut juſſum eſt, ex ſtipendiis eccleſiæ matris noſtræ quæ vobis abundant, nobiſcum deducatis, vel concedere dignemini unde ad eamdem audientiam ſtatuta die poſſimus convenire vobis. Si vero etiam cum ceteris injuſtitiis quas patimur, a vobis ſtipendium matris noſtræ eccleſiæ, quod ſcitis noſtrum ſicut & veſtrum eſſe, infra reclamationem audientiæ Romanæ nobis ſubtraxeritis, credatis pro certo quantum in nobis eſt, non nos defuturos præfixæ audientiæ, etiamſi ad hoc exequendum nobis quicquam non ſuppeteret, niſi ex mendicitate.

Wiredus ſedi apoſtolicæ judicium declinat.

116. Hujuſmodi evocationem WIREDUS relectam ſprevit & neglexit, noluitque credere quod indignabatur timere. Morabatur adhuc tunc temporis Lambertus Remi, & cum didiciſſet, referente Theoderico, incumbere ex apoſtolica reclamatione pondus tanti periculi Wiredo & ſubjectis ſuis, pro fratribus graviter indoluit, eumdemque Theodericum, ut erat tenerrimus in objectis ſibi controverſiis, tam per ſe quam per quos poterat prudentiores, ut conſilio & rationi adquieſceret, utque ab hac commonitione ceſſaret, allicere ſtuduit. Cui cum eo procurante ſuggererent multi, ipſe etiam MANASSES archiepiſcopus ſe inclinaret huic ſuggeſtioni, ſcilicet ſuæ, nullius eſſe utilitatis vel honeſtatis, eccleſiam tanti nominis, tantæ quondam religionis, ſic inconſulte per eum auctoritate apoſtolica deprimi, ſicque illum non ſuum deſignatum ſucceſſorem, vel ut ſibi videbatur invaſorem ſuæ quondam prælationis acrius inſequi, convenire ab aliquo locum ne omnino deſtrueretur tueri, quando ipſe deteſtaretur ſubjectionem Otberti. Tandem Theodericus acquievit rationi & tempori, adeo ut palam promitteret, ſi Wiredus ſibi credere vellet, paratum ſe cum eo Romam ire, & ſua procuratione apud apoſtolicum illi liberam abbatiam conclamari. Promiſſionem hanc laudantibus quam plurimis, gratia hujus compoſitionis Lambertus Wiredum expetiit, & ei prædictam affectationem erga eccleſiam & eum diligentium, Theoderici quoque aſſenſum, ſi illi credere vellet, nunciavit. Ad hæc Wiredus, non credam, inquit, inimico meo in æternum, neque ſine aſſenſu epiſcopi mei illo modo mihi eſt Romam eundum, cum præſto ſim coram eo cum Theoderico ſubire judicium. Reſpondente Lamberto ſecundum priorem & veram ſuimet ipſius ſententiam, quam cum Chriſti fidelibus olim tuebatur, Otbertum eſſe nullum, utpote apoſtolicæ ſedis adverſarium; adjecit ille: Neceſſario pro ſuo habendum quem Leodienſis eccleſia qualemcumque pateretur deciſivum. His auditis Theodericus tulit ſatis indigne Wiredo ſe talia mandaſſe, præfatis quoque conſultoribus ſuis improperavit ſatis injurioſe, & eos talia conſulendo verba perdidiſſe, & ſe ut dicitur crudum laterem laviſſe. Hinc inter utroſque ira & indignatio, hinc cum animarum periculo, cum etiam eccleſiaſticarum poſſeſſionum damno inter interiores & exteriores fratres diſſentio: adeo ut Caſtrenſes, Pirenſes, Sanctienſes & Cimenſes Wiredo ſubeſſe vel communicaſſe detrectantes Theodericum pro abbate omnimodo retinerent; quorum ille ut poterat ſollicitus pendentes ex ſuo reſpectu reviſebat frequentius, eiſque cohabitans hortabatur, ut ſalva fidelitate matris eccleſiæ B. Petri & B. Huberti locis ſuis in præficiendo allaborarent ſinguli. Unde & Emmo præpoſitus Pirenſis, poſtea vero abbas cœnobii Morinenſis, eccleſiam B. Mariæ & B. Sulpitii a domno Raigero cœptam perduxit ad præſentem ſummam. Caſtrenſes, Cimenſes & Sanctienſes, prout quiſque potuit, profecit in habitatione ſua. Occaſione quoque hujus diſſentionis, Dodo Cimenſis Calvitiacum & Flabot-villam violenter intercepit, & reditus earum fratribus cellæ ſuæ deſervire coëgit. Wiredus interea aſſentientibus ſibi quaſi ad gratiam fautoribus, immo ſeductoribus ſuis pro deliramento deſipiens, reputabat evocationem Romanæ audientiæ, quam Theodericus indixerat ei, quia ut exulem & pauperem nullo modo credebat poſſe exequi quæ videbatur minari, cum non haberet ſubſidium perficiendi. Theodericus vero non immemor ſui, ambiebat precibus quos noverat viros virtutis, ut compaterentur ſibi, & porrigerent manum caritatis ad exequendum negotium hujus ſuæ procurationis. Unde in brevi obtinuit ut eorum largitione acquireret ſubſidium honeſte Romam eundi, aſſumtoque Heribrando, Urbanum papam apud Beneventum commorantem expetiit, eique hujuſmodi compoſitionis clamorem humiliter præſentavit.

Theoderici libellus ſupplex ad Urbanum II. contra Viredum.

117. *Domino & univerſali papæ* URBANO *filii eccleſiæ B. Huberti pro defenſione veræ fidei ejuſque legitimi apoſtolatus paſſi diſperſionem in oculis Dei quod dicitur eſſe.*

Dormiente Domino JESU, *navis apoſtolica in medio maris jactabatur fluctibus, ipſo quoque nunc diſſimulante, peccatis exigentibus, ſanctæ eccleſiæ unitas a ſchiſmaticis perturbatur, & amariſſimis perſecutionum tempeſtatibus paſſim veritas & juſtitia confunditur. Hujus perſecutionis procellam jam per ſeptem annos ſine refragatione paſſi, tandem ad conſilium Romanæ eccleſiæ confugimus: quod quidem jam diu ideo diſtulimus, ne vobis eſſemus oneri, cum uſui non fuerimus. Poſt deceſſum domni Henrici Leodienſis legitimi epiſcopi,* OBERTUS *quidam dono Henrici dicti regis, cum quo in expeditione contra Romanam eccleſiam morabatur, epiſcopatum invaſit, & hic ſine canonica electione cleri & populi. Qui cum ſe fautorem & defenſorem Guiberti hereſiarchæ publice ja-*

ctaret, & quamplura quæ non sunt nostræ ac-
cusationis, contra sacros canones ad confusionem
ecclesiasticam temere exordinaret. Causa timoris
Dei & apostolatus vestri visum est nobis sub-
jectioni ejus nos subtrahere, cujus violentiæ
non poteramus resistere. Eductis nobiscum autem
quibusdam fratrum nostrorum, per cellas nostras
divertimus, quas in Remensi & Laudunensi
episcopio habebamus. Ibi interim per domnum
RAGINOLDUM *Remorum episcopum, perque ve-*
nerabilem HUGONEM *Lugdunensem primatem*
& hujus Romanæ ecclesiæ legatum, in sententia
quam tenebamus confirmati, adeo provocavi-
mus adversum nos iram Otberti, ut publice
quasi inobedientes sibi nos excommunicaret, &
locato judicio quorumdam abbatum & archi-
diaconorum suorum officium abbatis omnino nobis interdiceret. Inde juvenem quemdam Lobiensis cœnobii sine regulari electione loco nostro substituit, eumque contradicentibus fratribus violenter ingessit. Cujus juvenilibus ideoque incompositis moribus, quibus per biennium fere quo præfuit, dissipatis rebus ecclesiasticis, religio quoque quæ in loco eodem glorioſe vigebat deperiit. Unde compulsus Obertus a duce Godefrido aliisque provinciæ principibus quos gravabat ejusdem loci dispersio, illum suum ejecit ex eo. Sic nobis patente loco revertendi, cum rediremus ad fratres nostros, revocantibus eis, indignatus adversum nos Otbertus, cum audisset nos forte infirmari, sepulturam communem nobis, si moreremur, interdixit, ministris abbatiæ nullo nobis obedirent prohibuit, monachos ejicere & pro eis clericos reponere, & possessiones ecclesiasticas militibus suis dividere, nisi recederemus juravit. Nos vero dantes locum iræ, cum imminens ecclesiæ nostræ periculum LAMBERTO *Attrebatensi episcopo, & domno* RODULFO *Virdunensi abbati, multisque aliis sani consilii viris deploraremus, ad hunc tandem finem devenimus, ut sponte nostra privati baculum pastoralem loco nostro fratribusque remitteremus, ne propter nos eis eveniret quod timebamus. Huic tamen nostræ privationi ex consilio prædictorum virorum ea conditio est interposita & signatis litteris firmata: Me eo pacto privari consensi, si communis consensus fratrum loco meo eligeret præsse sibi quemdam* BERINGERUM *abbatem S. Laurentii, qui prius monachus nostri cœnobii, eamdem sententiam quam tuebamur, videbatur tueri. Hoc idem fieri censuimus, ut idem Beringerus a domno Henrico venerabili pontifice consecratus in abbatem, iterandæ consecrationis ab Otberto litaret necessitatem. Quod cum omnino facere nollet, & tædio hujus dilationis Obertus eligendum abbatem fratribus indiceret, & illi quemdam suorum communiter eligerent, frater Wiredus nobiscum olim causa tuendæ fidei egressus de monasterio, & Oberti hunc acerrimus impugnator, prædictæ quoque electionis spontaneus asertor, eidem electo persuasit, ut interim domi sessaret, ne gratiam electionis sua dono excommunicati inficeret, ipseque ad Otbertum se contulit, & præter conscientiam nostram & fratrum electionem de manu Otberti abbatiam invasit. Cogitationibus autem ejus se invicem accusantibus, cum se aliquamdiu a suscipienda consecratione Otberti subtraheret, & Otbertus hoc ipsum intelligens cum ad consecrandum sæpius evocaret, fratres communionem & subjectionem suam contradixerunt ei, si ab Otberto peteretur consecrari. Præter omnia autem quæ supra diximus, gravabat ecclesiam castrum quoddam non longe ab ea situm, quod* HENRICUS *episcopus destruxerat, & ne quis illud restrueret, perpetuo anathemate damnaverat. Hoc anathemate postposito, ad oppressionem monasterii illud reformaverat, & fratres corpus B. Huberti, quasi ad obtinendam misericordiam illo deferentes, usque ad sanguinis effusionem propria manu mactaverat. Hec omnia cum de Otberto* WIREDUS *nosset, rapto tamen semel honore privari timuit, & mutata sententia, quam nobiscum tenuerat, Dei gloriam contemsit, & suam quæsivit, sicque consecratus ab Otberto, invitis fratribus, pro patre se violenter ingessit. Hac indignatione fratres dispersi, cum insequerentur ab eo, quibusdam sæcularibus conductis confugerunt auxilium ecclesiæ Remensis & Laudunensis. Eo quoque illos prosequente, cum in præsentia domni* MANASSE *Remorum episcopi &* ENGELRAMNI *Laudunensium episcopi rerum gestarum inter nos ratio fieret, ex decreto utriusque firmata est nobis sententia, adire nos Romanæ sedis audientiam, & super his vestrum expectare judicium & justitiam. Venimus ergo huc multorum religiosorum impulsi consilio, quorum maxima expectatio ex nostro pendet spectaculo, ut vel ex nostra consolatione ad defensionem veræ fidei & vestræ fidelitatis proficiant, vel, quod absit, ex nostra desolatione & defectione & ipsi deficiant. Consulite igitur vestræ justitiæ, vestræ famæ, vestraque auctoritati, nec infidelium aut rebellium violentiam per impunitatem crescere sinatis.*

Wiredus papa excommunicatus.

118. Recitata in præsentia Urbani papæ hujus clamoris pagina, & a Romanis sæpius & diligenter ventilata, abbatem sic destitutum ob fidelitatem ecclesiæ Romanæ condoluerunt, & W. nisi resipisceret, & loco cederet, excommunicandum sine dilatione decreverunt. Suffraganteautem Rainero, qui Urbano in pontificatu successit, tunc quidem dilata est sententia hæc excommunicationis, usque in diem inter utrosque præstitutæ discussionis, si forte adveniente Wiredo certior fieret agenda discussio. Illo domi remanente, probatus est quasi conscius culpæ conditam sibi audientiam subterfugisse. Ideoque in solemnitate omnium sanctorum excommunicatione a papa formata, & data coram se ejusdem excommunicationis epistola.

119. URBANUS *episcopus servus servorum*

Urbani II. epistola ad fr. S. Huberti.

Dei, Arduennensis monasterii B. Huberti catholicis fratribus salutem & apostolicam benedictionem.

Audivimus & auditum non dolere non possumus, quia OTBERTI *pseudoepiscopi violentia venerabilis filius noster* THEODERICUS *vester abbas, pro catholicæ fidei gratia de vestro sit monasterio expulsus, & Wiredus pseudomonachus per ejusdem Oberti violentiam super capita vestra sit ingestus. Quod omnino nobis displicere sciatis. Unde vos litteris præsentibus salutantes, ut vestræ fidei constantiam conservetis hortamur, & licentiam indulgeo, ut si in monasterio vestro secundum Regulam beati Benedicti & apostolicam veritatem vivere non valetis, ad quodcumque religiosum volueritis monasterium secedatis, donec omnipotens Deus locum vestrum respiciat, & secundum beneplacitum suum in pristino statu reformet. Illum autem Wiredum monasterii vestri invasorem cum suis omnibus subditis, quamdiu ab ipsius monasterii invasione non destiterit, a sancta Romana ecclesia excommunicatum esse scriptis vobis præsentibus innotescimus.*

120. Misit & Urbanus papa Leodiensi ecclesiæ pro Theoderico hanc epistolam.

Urbani II. epistola ad Leodienses pro Theoderico.

URBANUS *episcopus servus servorum Dei, catholicis omnibus in clero Leodiensi & populo S. & A. B.*

Dolemus pro vobis graviter, filii in Christo dilectissimi, quia jam tanto tempore vestram ecclesiam errorum tenebræ contegunt, & a veritate sedis apostolicæ alienant. Unde vos tamquam viscerum meorum filios paterna dilectione corripimus, ammonentes & obsecrantes, ut ad meræ veritatis lumen mentium vestrarum oculos elevetis. Auferte malum ex vobis ipsis; lupum illum dico & furem, qui non ad salutem vestram per ostium introivit, sed aliunde ascendit, ut mactet & manducet & perdat. Aut igitur ecclesiæ invasorem & occupatorem, OBERTUM *dicimus, Henrici complicem & Guiberti, ex vobis, si quo modo possibile, pellite; aut ei tamquam a sancta Romana ecclesia alieno & excommunicato, obedientiam vestram consortiumque vestrum subtrahite. Hoc ipsum de Wiredo pseudoabbate præcipimus, qui per ejusdem pseudoepiscopi violentiam Ardennense monasterium B. Huberti occupavit. Si quis autem deinceps eis communicare præsumserit, donec ecclesiarum quibus incubant oppressione deserta, Deo & sedi apostolicæ satisfaciant, sciant se ejusdem excommunicationis vinculo innodatos. Vobis sane & ceteris omnibus notum sit, quia religioso abbati Theoderico licentiam dedimus, ut a schismaticis conversos, qui ad ipsum confugerint, a vinculo excommunicationis absolvat. Datum.*

121. Quam epistolam cum rediens Theodericus ex edicto papæ fratribus ecclesiæ B. Huberti publice redderet, Wiredo tunc forte absente, intellecto animarum suarum periculo communi, singuli in absentem scandalizari, pro se quisque subjectionem & communionem vereri: adeo ut Dominica quæ dicitur in Palmis usque ad exactum Pascha ab omnibus pene videretur destitui. Ille tamen dissimulata recognitione superpositæ sibi obligationis, defensionem hujus suæ obstinationis seipso judice conabatur tueri, contendens se a nemine, nisi ab episcopo suo posse excommunicari, seque paratum in præsentia ejus respondere quibusque calumniatoribus suis. His compertis Obertus licet ex decreto apostolicæ sedis eadem calumnia sibi esset communis, subridebat tamen secum, occasione hujus necessitatis a Wiredo tandem legitimus episcopus recognosci, a quo aliquamdiu quasi non legitimus visus est vitari: mandavitque fratribus interim parcere cœptæ disceptationi, donec ipsemet veniens imponeret finem rei. Wiredus interea elaborabat adversantibus sibi præstabilis fieri, prout quemque noverat pro moribus suis posse complacari, sicque paulatim apud temere tumultuantes animos & apostolica sententia viluit, & fervor tuendæ veritatis refriguit. Hoc ad tempus impedimento sic dilato, non tamen omnimodis ablato, Wiredus factus securior in maximum ecclesiæ damnum liberos & militares casatos cœpit sibi affectare, quorum receptis manibus inaniter jactaret suos esse. Causa hujus vanitatis dedit Johanni advocato Caviniacensem advocationem: qua occasione ille contraxit sibi totius Caviniaci utilitatem. Dedit Waltero de Ampliz allodium de Seriel, quod ab antiquo erat addictum & conscriptum præbendæ fratrum cum tribus solidis. Dedit Bovoni *de Wohart* molendinum ad lacum, & cambam *de Gruispont*. Dedit idem Rodulfo Villantiensi quasi suo parenti, solidatas terræ, quas ipsemet legali judicio reacquisierat ecclesiæ: Lamberto de Runema hereditatem ejus quæ ascripta erat præbendæ fratrum, in casamentum vendidit. Vendidit Goderanno *de Burs* minutam decimam ejusdem villæ, & Duranno quidquid tenebat terræ. His casatis sibi noviter conductis de rebus ecclesiasticis, ecclesiæ dolenti in perpetuum subductis subsidiis, quasi fortior & glorioſior vellet videri, longe aliter res ipsa processit, hoc ipsum disponente justitia Omnipotentis, qui in contrarium vertet quidquid videt inutiliter contra se moliri. Nam quos sperabat in consilio & auxilio sibi fore usui, frequentius, quasi ad dominum suum convenientes, cœperunt esse oneri; quosque in affluentibus conviviis præsentes audiebat laudatores, ex contemtu nimiæ familiaritatis absentes habebat derisores. Contigit etiam ut invidiam Otberti per quosdam eorum incurreret, dum aliquando apud eum convivantes graviter indignanti objicerent, abundantiorem immo lautiorem esse mensam abbatis S. Huberti mensa Leodiensis

epiſcopi, & cum Wiredo referretur a quibuſdam amicis id ſibi cavendum, illeque commotus promitteret tale quid amplius non admittendum, pravus tamen prævaluit uſus, nec fuit reſiſtendi virtus, quin cœpta vanitas continuaretur.

122. Anno autem Incarnati Verbi MCIII. Bovo caſtellanus Mirvoldi, qui videbatur in talibus amiciſſimus menſæ amicis, adverſus eccleſiam & W. inſurrexit. Nam violenter pervaſis quibuſve reditibus ſilvæ, qui eatenus erant eccleſiæ, vaſtatis etiam ſartis ruſticorum, eo quod illa ſine ſuo permiſſu feciſſent; piſcatores quoque eccleſiaſticos ad Lumniam tranſmiſſos miſſis apparitoribus cepit, & in caſtro cuſtodiæ mancipavit. Hujus injuriæ & incitatores & auctores cum W. ex conſultu fratrum excommunicare feciſſet, (habet enim hæc eccleſia ex auctoritate apoſtolicæ ſedis legitimam poteſtatem excommunicandi injuſtos pervaſores ſui cujuſque juris,) Bovo quaſi hanc inauditam temeritatem, prout acrius potuit, Oberto retulit, videlicet familiam epiſcopalem excommunicandam non eſſe, niſi vel prius ad illum præmiſſo clamore. Obertus cum maxima indignatione præfixa die exactionem hujus ſuæ injuriæ W. indixit, & ne interim de duobus eccleſiæ allodiis, ſcilicet Braz & Gruiſponte ſe ullo modo intromitteret interdixit. W. aſſumto Lamberto & Widone, cum privilegio legali interdictæ ſibi eccleſiaſticæ poſſeſſionis ad condictam audientiam venit, omneſque potentiores urbis perſonas cum Oberto adverſum ſe congregatas invenit. Locato judicio, ſederunt abbates & archidiaconi, in parte Obertus & laici. Appellatus eſt W. quod familiam epiſcopalem, ſcilicet defenſores ſui caſtri excommunicare præſumſerit, ſine reſpectu præmiſſi ad ſe clamoris. Reſpondit non ſe arbitratum eſſe ejus familiæ temerarios deſertores juſtitiæ, violentos impugnatores eccleſiæ, violatores pacis conſtitutæ & ſua excommunicatione firmatæ, nec ſe illos tales ut ſibi imputabat temere excommunicaſſe, ſed ejus excommunicationem pro pace infracta confirmaſſe. Silentibus abbatibus & archidiaconis, & annuentibus ejus rationabili reſponſioni, ad favorem Oberti obſtiterunt laici judicantes W. ex hoc omnino culpabilem, & ideo ex hoc incurriſſe offenſam epiſcopalem. At Lambertus ſedens cum archidiaconis, quomodo, inquit, hic hodie viluit eccleſiaſticæ & veſtræ dignitatis [decus,] dum hoc judicium quod rationabiliter erat cenſendum a vobis, tam irrationabiliter jam præcipitavit laicalis temeritas, nec noſſe debeant quid faciant clerici? Continuo indignantibus archidiaconis adverſus laicos, contentio ſurrexit, verituſque Obertus eventum contentionis, ſeſſionem mutavit, evocatis ſolum ad conſulendum aſſeſſoribus eccleſiaſtici ordinis. Dixit quoque W. ut in majus palatium cum ſuis ſecederet, donec conſultius cauſam ejus diffiniret. Inter conſulendum cum diceret Obertus W. utpote ſic ſibi injuriosum ſe velle deponere, allodia vero eccleſiæ Braz & Gruiſpontis caſtro *Mirvold* ſtipendiaria facere; reſtitit BERINGERUS conſtantiſſime, aſſerens nec W. dignum depoſitione, nec convellendam Henrici pontificis legalem donationem, publico & ſignato privilegio confirmatam eccleſiæ. Quibuſdam injuſte Oberto faventibus, quibuſdam Beringero juſte atteſtantibus, ſubintulit Obertus, prædictæ donationis nullum privilegium eſſe, vel ſi eſſet, illud in præſenti velle videre; putabat enim non adeſſe. Uterque Henricus, ut erant fideles eccleſiæ, W. adeuntes privilegii quæſtionem fecerunt, quod ſi haberetur, committeret eis Oberto deferendum. Exacta & accepta fide referendi commiſſum W. commiſit utriſque privilegium: quod cum interpoſita conditione illud reddendi obtuliſſent Oberto, illeque acceptum vel joco vel ſerio conaretur retinere, moroſe explicatum moroſius cœpit legere. At Beringerus alludens quaſi cæcutienti & ideo in legendo tardanti, dari ſibi legendum rogavit. Indignatus in eum Obertus, quaſi illi non bene videns videretur, cœpit legere citius, Beringero iterante ne gravaretur. Hac ipſa nitens incitatione, ut in ſubſcriptum anathema perlegendo incideret. Perlecto privilegio, cum novitate temporis atteſtarentur qui præſentes [erant,] verum illud eſſe, ſe legitimæ donationi Henrici pontificis interfuiſſe, ſeque eam vidiſſe & audiſſe, evocato W. privilegium publice probatum illi reddiderunt, dilato judicio exactæ excommunicationis ad feſtum ſequens B. Lamberti, quo dum abbates epiſcopii convenirent, & cauſa W. ventilata; illi pacem adjudicaſſent, eo quod excommunicationem epiſcopalem de infracta pace, ſua excommunicatione confirmaſſet. Obertus interim diſſimulata indignatione, tunc quidem ſiluit, ſeque plurimum gravari privatioribus ſuis ſæpiſſime deplanxit. Unus eorum Bruno cum ſe jactaret quaſi loci hujus archidiaconus, ipſam eccleſiam & Wiredum qualicumque occaſione gravaturum; hortatus eſt Obertus id attentius exequendum.

123. Anno MCIV. Incarnati Verbi Bruno archidiaconus, collectis preſbyteris quam pluribus, & congregatis militibus, ut in ſynodo ageret, magis autem ut eccleſiam vexaret, Andaginum venit, & W. ut ſibi & ſuis obſonium faceret mandavit. W. audiens eum ſynodali cauſa venturum, omnino indebitum ei recuſavit ſervitium, videlicet ex edicto B. papæ Gregorii, qui nec ab epiſcopo nec a qualibet perſona epiſcopali per procurationes omnino interdicit monaſteria monachorum inquietari. Quod etiam GUALCANDUS prohibet

Bruno archidiaconus vexat eccleſiam Andaginenſem.

prohibet privilegio ſuæ auctoritatis; remandavit tamen ſi caritatis gratia inviſeret locum, hoſpitalitatem ſe illi & aliis ſupervenientibus facturum. Sin autem parrochias ſuas ſollicitaret, expectationem ſuam non ſibi, ſed procuratoribus earum mandaret. Sic ille cum ira & indignatione rejectus, vix enim fuerat in monaſterium gratia orationis admiſſus, in domum Oberti tunc temporis preſbyteri ad hoſpitandum divertit, & poſtera die in baſilica B. Ægidii, quæ prius ab antiquo conſtiterat in honore B. Dionyſii martyris, ſynodo exacta Baſtoniam divertit. Ibi VI. idus Januarii archidiaconatus ſui clericos concilio indicto evocavit. Et hoc maxime ad inſidias & oppreſſionem eccleſiæ B. Huberti.

124. In caſtro autem quod Ambra dictum eſt ab antiquo, Andaginum vero monaſterium cognominatum a B. Beregiſo, mater eccleſia conſtiterat in honore B. Petri apoſtolorum principis ab initio ibi exortæ chriſtianitatis. In hac, ut longe prædictum eſt, GUALCANDUS epiſcopus Leodienſis, aſſenſu LEONIS Romani pontificis, conſilio quoque HILDEBOLDI metropolitani Colonienſis, hortatu etiam HLUDOVICI piiſſimi imperatoris, filii magni Karoli conſtituerat ordinem monaſticæ religionis, quæ ſecundum canonicam auctoritatem permanſerat ex tunc per annos cccxxv. poſitionis monachorum libera totius inquietudinis. Hoc ut eſt proprium matris eccleſiæ legitimum poſſidet baptiſterium, habens dotis nomine ſubjectionem quatuordecim eccleſiarum, quarum libertas publico autorizata privilegio, nullum epiſcopali vel archidiaconali exactioni debet reſpectum. Quia vero his noſtris temporibus diſſidente ſacerdotio & regno, eccleſiaſtica paſſim languebat auctoritas in agenda legali juſtitia, pro cujuſque perſona, loco rationis dominabatur voluntas. Unde & Bruno reputans apud ſe poſſe mature leges & tempora, in prædicto ſuorum concilio, quaſi præcordialem ſibi intulit querimoniam, videlicet Andaginenſem eccleſiam nimis ſibi inveniſſe injurioſam, ſe paſſum in ea deſpicabilem repulſam, indeque velle quacumque occaſione conceptam explere vindictam. Quia enim, utpote matri eccleſiæ, ſciebat ſe legitimum baptiſmum nullo modo poſſe detrahere, conabatur equidem oleum & chriſma ſuæ diſpenſationis omnino ei ſubducere; eccleſias, & ejus ſubjectionis & defenſionis banno ſuperimpoſito hactenus liberas violenter infringere, & hujus ſuæ voluntatis conatum eorum judicio ira dictante præcepit cenſendum. Super his W. a quibuſdam fidelibus eccleſiæ præmonitus, adierat idem concilium, ut removeret, ſi quid adverſus eam moliretur, impedimentum. Qui conſurgens libera contradictione proteſtatus eſt hujuſmodi eorum non eſſe judicium, nec eis convenire ſuper eccleſiam tantæ auctoritatis & libertatis aliquid cenſendum. Hujus quoque conaminis reſcriptum inter patres ſuos in generali ſynodo appellabat reſpectandum. Indignatus Bruno ſic ſe legali proteſtatione & ſynodali appellatione præventum, judicio præſentis concilii vellet nollet conceſſit W. reſpectum. Non multo poſt Obertus legationem ſuam ad Manaſſem Remorum archiepiſcopum direxit, & ut pro requirendo a ſe beneficio Bullonienſi ad colloquendum ſibi conveniret precibus obtinuit. Ergo ab utriſque apud Duciacum condicta die hujus colloquii, Obertus affectans videri quis eſſet vel quid poſſet, abbates & archidiaconos ſuos & quoſque potentiores epiſcopii ex edicto aſſumſit, & archiepiſcopo nihil tale curanti ſatis pompoſus occurrit. In feria autem ſecunda rogationum exacto eodem colloquio, præter effectum fruſtratæ quæſtionis, unuſquiſque ad diverſorium quod ſibi ſperabat familiarius feſtinabat. Cogebat enim eos ſolito ferventior æſtas. W. ſecum reduxit Leodienſes abbates Berengerum & Stephanum, jamque ſibi mitiorem Brunonem archidiaconum. Aliquando enim moderatur quod ad tempus non poteſt moderari ratione. Quo dum abundanti liberalitate dominicam aſcenſionem celebraſſent coram prædictis abbatibus, vexatio quam inferebat eccleſiæ, Brunoni objecta eſt. Abbates illum privatim convenientes & leniter increpantes, defenſionem etiam auctoritatis apoſtolicæ locum tuentem ſpecialiter firmato privilegio, ne quis inferat injuriam, niſi honoris ſui & poteſtatis interdicta dignitate ſatis renitenti præferentes, tandem a ſententia deduxerunt. Sic Bruno ratione convictus, quicquid indebitæ exactionis, quicquid clamoris, quicquid alicujus inſectationis vel infractionis vel proprio conatu vel hortatu alterius adverſus eccleſiam fecerat, vel facere intendebat, injuſte ſe feciſſe publice recognovit & pœnituit, & ne quis amodo ageret bannali auctoritate interdixit, itemque interdicendum Alardo decano in conventu ſacerdotum ſuæ ſubjectionis per obedientiam edixit. Alardus in ſequenti natalitio apoſtolorum Petri & Pauli bannales cruces deducentibus preſbyteris, cum exſolviſſet oblationes debitæ devotionis, in publico eorum conventu adjudicato ſibi conſenſu omnium, banne edictum archidiaconi de recognita pace & libertate eccleſiæ B. Huberti confirmavit, & ne quis idem bannum amplius infringeret excommunicavit.

Wiredus a Richardo cardinali excommunicatus.

125. Anno Incarnati Verbi MCV. (a) RICHARDUS quidam cardinalis eccleſiæ Romanæ, conciliis indictis, agebat per Gallias apoſtolicas vices, cui ſuffragante ROBERTO Vir- [a]

[a] Hic eſt magnus ille Richardus ab Alexandro II. creatus cardinalis abbas S. Victoris Maſſilienſis, multis perfunctus legationibus.

dunenſi, qui illi familiariter adhærebat, in eiſdem conciliis declamavit Th. ordinem ſuæ privationis. Cujus cauſa dum ventilaretur, ex ſententia fidelium decrevit idem cardinalis, nec debere, nec poſſe illum prælationis ſuæ dignitate privari, quam nimis inconſulte intermiſiſſe videbatur ob defenſionem veritatis & fidelitatem apoſtolicæ ſedis, ſciretque W. Andaginenſem eccleſiam omnino interdictam ſibi, aut pro certo excommunicatum cum omnibus fautoribus & ſubjectis ſuis. Hanc apoſtolicæ auctoritatis ſententiam LAURENTIUS abbas S. Vitoni & Robertus monachus interceperunt W. enunciandam. Cui cum ad colloquendum diem & locum indixiſſent, illeque non conveniſſet, per Adelonem præpoſitum mandaverunt ei cardinalis decretum: Th. quoque litteris ad fratres deſtinatis, ingravavit eis ejuſdem excommunicationis periculum. Sub his inſectationibus ſuis W. MANASSEM Remorum archiepiſcopum pontificem adiit, & altare de Sulpio quod eccleſiæ per annos VII. ſubtraxerat reddendum ſibi reclamavit. Manaſſes non ſolum quod ſubduxerat, ſed etiam altare de Nogarias remota perſona & facta publica & legali donatione conſenſu Gervaſii archidiaconi & totius cleri ſui firmato & ſignato privilegio eccleſiæ B. Huberti pro anniverſario ſuo ex ejus reditu ſolemniter agendo perpetuo habendum tradidit.

Conventus Aquiſgranenſis adverſus Obertum.

126. OBERTUS interea nimis immoderatus dominationis exercendæ cœpit Leodii civilia jura convellere, leges majorum mutare, conſuetudines annullare, utque liberius comprimeret minores, differebat interim exaſperare majores, donis etiam & promiſſis ad conſentiendum ſibi contrahebat potentiores. Sed nec diu potuit ſe continere, quin quod ad tempus diſtulerat prodereret, & in eadem oppreſſione fieret omnibus idem. Eccleſiarum denique & clericorum procuratores totius liberos forenſis juris violenter infringere tentavit: adeout cuſtodiæ manciparet domeſticos Frederici præpoſiti eccleſiæ B. Lamberti. Unde evocatus querimonia totius cleri Leodienſis, venit Aquiſgranum palatium, donec FREDERICUS metropolitanus Colonienſis ibidemque audientiam canonicæ diſcuſſionis publice habendam Oberto indixit. Advenit Obertus, advenit etiam cum abbatibus & archidiaconis multiplex Leodienſium clerus. Erat MCIV. annus Incarnati Verbi, feria V. primæ hebdomadæ quadrageſimæ. Sub iiſdem ferme diebus venerat W. Leodium de quibuſdam injuſtitiis eccleſiæ noſtræ illatis curaturus apud Obertum. Audiens autem tam frequens auditorium Aquis conveniſſe, comitatus Lamberto & Adelone, ibidem maturavit adeſſe. Quem præter ſpem adveniſſe mirati, proceſſerunt in curia regali Henricus & Bruno archidiaconi, poſtque orationem palatio introductum commendaverunt Colonienſi pontifici: a quo hilariter exceptus, & deoſculatus, interrogatus quoque ad quid veniſſet, illeque graviter ſuſpirans interim reticeret, jam enim ante præmonitus erat a Beringero, nullo modo ſibi fore utile, ſi inter tot adverſitates, ſuam quæ erat gravior cauſam de *Mirvelt* adverſus Obertum ſic oppreſſum ingravaret. Pontifex exſurgens, Berengerum & Stephanum abbates ſeorſim evocavit, & ut ſibi querimoniam cum dolore reticentis ex ordine exponerent, per obedientiam indixit. Beringerus optime conſcius rei & peritus dicendi, quod jubebatur enarravit. Videlicet quomodo prædictum caſtrum omni adjacenti provinciæ infeſtum, ex edicto imperatoris Henrici viribus totius Lotharingiæ vix fuerat dejectum, quomodo ab epiſcopo Henrico reſtructum, iterumque ab illo ſub interminatione perpetui anathematis deſtructum, quomodo etiam nunc in exitium eccleſiæ B. Huberti conſtaret refirmatum. Subjungente autem pontifice cur inde abbas clamorem differret, reſpondit quia juſtitiæ diffideret. Rapuit pontifex cum indignatione verbum diffidentiæ, juravitque de agenda juſtitia abbatem fruſtra diffidere, ſi vita ſibi ſupereſſet cum proſperitate. Circa horam ſextam collecto adverſus Obertum clero Leodii, videns tumultuaria diſſenſione rationem confundi, ſine viciſſitudine dicendi & audiendi injurias quas ab Oberto pertulerant, ſingulos conqueri, canonicas ſententias adverſus eum indifferenter conferri, donec pontifex Colonienſis eo ſecum introducto conſedit. Tandem ſedato tumultu, & data ſententia ut unus diceret pro omnibus, ad hoc exequendum electus conſtitit in medio Henricus archidiaconus, qui dicere exortus. » Hic, inquit, clamor ſuper domnum epiſcopum a nobis hodie agendus non eſt ejus privatæ vitæ, cujus teſtis eſt Deus & judex ſolus; ſed de injuſtitiis eccleſiaſticis & noſtris legibus & rebus publicis; videlicet quod abbatias taxato pretio vendiderit, quod eccleſiaſtica miniſteria quæ præſunt animarum curis, & quæ, utpote dona Spiritus-Sancti, donanda & accipienda ſunt gratis, pacta mercede diſtribuerit, quod in commune damnum eccleſiarum omnium provincialium monetas totiens mutaverit vel minuerit, & quod eſt deterius corrumpi conſenſerit; quod contra libertatem publici juris leges a majoribus noſtris hactenus habitas violenter infringere contenderit, quod nobis & quibuſque fidelibus S. Lamberti ne hoc faceret ſuggerentibus audire contemſerit, quod tandem potentioribus epiſcopii exigentibus ut ſe corrigeret, corrigendi, ſe fidem dederit, & datam irritam fecerit, quod theſauros eccleſiarum quas exſpoliavit, necdum cum poſſit reſtituere voluerit. Quia ergo ſic ſe habet publica Leodienſis eccleſiæ relatio, præter privatas

» multorum querimonias, quas longum eſt » proclamare, convenit auctoritati veſtræ Spi» ritum conſilii & rectitudinis adeſſe, ut di» ctante judicio reformetur juſtitia, & abſo» lutis filiorum ſuorum querimoniis in pace » eorum lætetur mater eccleſia. » Ad hæc archiepiſcopus in concilio loquutus Oberto, rediit, breviterque concionatus ſuper querimonia communi, Obertum rubore immo indignatione confuſum de quibus culpabatur publice increpavit. Nec prius abſtitit, quam de quibus criminabatur cleri ſui conſilio & arbitrio corrigenda conditeret, ejuſdemque conditionis obſidem propriam fidem & auctoritatem epiſcopalem in manu archiepiſcopi deponeret, terminum quoque prædictæ conditionis a ſe agendo concilio Coloniæ ſecunda dominica poſt Paſcha archiepiſcopus præfixit, ſicque jam veſpera imminente audientiam ſolvit.

Obertus concilium Coloniæ celebrari impedit.

127. Sequens Paſcha HENRICUS rex Leodii celebravit ibi maximis obſoniis. Apud eum OBERTUS effecit ne præfixum concilium Coloniæ fineret fieri, quia diſſimulata conditione fidei conditæ, correctionis pactæ verebatur exactionem. Si quid denique emendationis apud quoſque potentiores videbatur inde effeciſſe, non hoc effecerat vel fidei vel virtutis executione; ſed ut ad tempus ſuæ conſuleret infamiæ. Sic ex regali impedimento deficiente concilio, noſtra quoque fruſtrata eſt de promiſſione archiepiſcopi expectatio. Nec multo poſt ſuſcitavit Deus ſpiritum peſſimum inter Henricum & filium ejus.

Henricus imperator a filio dejectus de throno.

128. HENRICUS a papa Gregorio VII. excommunicatus pro criminibus evidenter probatis anno Incarnati Verbi MLXXVI. in ſynodo Romana, ex tunc per XXX. fere annos apoſtolicam ſedem impugnabat, & quantum in ſe erat omnes ſibi conſentientes a reſpectu & fidelitate ejus periculo animarum eorum averterat. Filio autem ejus jam coronato ſuggeſtum eſt ei a multis & maximis primoribus regni, ut eccleſiæ Romanæ, cujus erat pater ſuus tam longus impugnator, ipſe fieret fidelis defenſor, ſicque prætenderetur ſibi melioris cauſæ defenſionem patri repugnando. Suggeſtioni conſenſit juvenis, lætatus ſibi licere ut obſiſteret patri, aggregatiſque quibuſdam fautoribus ſuis, tranſiit Rhenum, & Saxones vel quoſcumque noverat a patre ſuo multotiens prius injuriatos, ſecum illi rebellaturos emovit. Pater autem aſſumto Leodii Oberto cum ſuis, collectis etiam quibus utcumque videbatur adhuc dominari, tranſito & ipſe Rheno per ſuperiores regni fines, itinere XV dierum proſecutus filium ſollicitabat provinciales ad bellum. Evocatis vero principibus regionum cum eis præſentialiter indiceret decertationem adverſus filium, reſponderunt illi, ad hoc compelli eos nec debere nec poſſe, quandoquidem omnes in commune ejuſdem filii ſacramento fidelitatis obligaſſet. Sed Henricus ſpe bellandi deceptus, immo quod imminebat ei deterius mediis hoſtibus quos putabat amicos interceptus, continuis & nocturnis itineribus Lotharingiam refugit, filio inſequente fugientem cum facibus & armis. Factuſque eſt illi adeo infeſtus, ut in caſtrum Bechenes hunc cis Rhenum fugientem concluderet, & exactis ab eo regalibus ipſum quoque regnum abjurare compelleret. Facta ſunt hæc MCVI. Incarnati Verbi anno. Sic pater a filio tractatus, & vix de cuſtodia ejus elapſus Coloniam venit, ſibi ſolemniter volentibus procedere non conſenſit, indeque ut privatus nudis pedibus in aſperrima hieme Aquiſgrani palatium peracceſſit. OBERTUS dolens hæc eveniſſe illi, magis autem ſi filius prævaleret timens ſibi, quaſi gratia fidelitatis occurrit illi, ſecumque, ut erat nimis temere vehementis animi, nimiſque imprudenter Leodium adduxit, quod ſe pœnitere cum vellet non licuit. Nam præter ejus ſuorumque impenſas, gravabat eum permaxime provincialium principum ibidem convenientium aſſiduitas, quos & ipſe ultro convocabat ut ſubvenirent regi deſtituto, agens & donis & promiſſis ne confœderarentur filio. Filius interea cum factæ ſibi fidelitati ab Oberto ceteriſque principibus confideret, & Leodii tunc Paſcha celebrandum deſtinaret, ipſe reſidens Aquis trecentos fere optimatum ſuorum ad urbem præmiſit, & hoc feria V. majoris hebdomadæ. Dux HENRICUS a filio ſubductus cum patre tunc Leodii morabatur. Hic hortatu Otberti in tempore confiendi chriſmatis, collectis ſecum militaribus auxiliis, emotis etiam viribus ejuſdem civitatis, cis pontem Viſuenſem adventantibus occurrit, illiſque pene interfectis & ſubmerſis, maximam cladem regno intulit, ſibique & patriæ inexorabiles inimicitias conſcivit.

129. Eodem anno Arnulphus comes Chiſniacum in hoc loco Kalendis Aprilis monachus factus, XVI. Kalendas Maii obiit. Ipſe ante annos quadraginta cellam Pirenſem, ut prædictum eſt, B. Huberto in perpetuum habendam contulerat, tuncque moriturus pretium X. librarum dedit eidem in eleemoſynam. Et quia filius ejus Otto tunc cum Henrico Coloniæ morabatur, nullumque donum hereditarii juris facere poterat ſine ejus conſenſu, per obſequentes fideles mandavit abſenti, ut per fidem debitam patri pro anima ſua deliberaret decimam de *Feſcals* & montem Floheri. Pridie autem Kalendas Maii apud caſtrum *Dolhem* ſub Leodio, obiit comes Cono indeque ſe petente relatus, ſepultus eſt Dinanum ſibi diu loco electo, qui ante X. annos iturus Hieroſolymam cum duce Godefrido, X. uncias noſtri auri, ut prædictum, ſuper *Fele* acceperat. Ip-

ſum quoque allodium totum cum partibus etiam quæ erant ſui juris in *Monz* & *Heis* & cella omnique familia ad eam pertinente ubicumque eſſet per manus fidejuſſorum ſcilicet Bovonis W. & Boſonis poſt deceſſum ſuum B. Huberto perpetuo habendum, facta inde legali carta deſtinaverat. Poſt cujus exequias Lambertus filius ejus eamdem elecmoſynam a fidejuſſoribus ſibi redditam legaliter eccleſiæ tradidit, præſentibus ibidem fratre ſuo H. archidiacono, patruoque ſuo H. eccleſiæ B. Lamberti decano, multorumque optimatum ſuorum legitimæ donationis teſtimonio.

130. De Mons quidam miles Udo caſatus erat, qui mediante Maio cum ſciret fratrem quemdam illo adveniſſe pro cenſu accipiendo, aſſumto nepote ſuo Thiebaldo furibundus ſupervenit adhuc in mane quieſcenti, & extracto gladio ſuo ſatis facinus de monacho perpetraſſet, niſi Thieboldus objecto cubito conatus ferientis ſuſtinuiſſet. Sic fugato fratre cenſum rapuit, ſed non hoc diu illi impune ceſſit. Nam reverſus inde cum apud Rupem comiti Henrico in prandio miniſtraret, quaſi amens pedem exurendum injecit cacabo carnium bullienti adhuc, & ex occaſione ejudem combuſtionis toto corpore tabefactus & reatum publice confeſſus eſt.

VITA SANCTI FREDERICI Leodienſis epiſcopi.

Ex MS. Alnenſis monaſterii.

PROLOGUS.

OMnibus ſanctæ catholicæ eccleſiæ filiis, fideles qui ſunt Leodii, unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Benedictus pater miſericordiarum Deus, qui multis perſecutionum fervoribus decoloratam Leodienſem eccleſiam ſub umbra alarum ſuarum protexit ſemper ac protegit a facie impiorum qui eam afflixerunt; filioſque ſuos in ipſa tot hoſtium oppreſſione cribratos ſicut triticum, ne deficiant tolerantia donat. Quæ facta ſunt in ea [a] his diebus (*a*) de paſtore noſtro ſancto FREDERICO, qui fuit vir clariſſimus ſanctitate ac genere coram Deo & omni populo, operæ pretium duximus ſtylo memoriæque mandare, ut non deſit poſteritati ſervandi ovile Domini cautela, ne fur qui non intrat per oſtium, aliunde aſcendens furetur & mactet & perdat. Vidimus enim quantas dederint ruinas, urbe oppreſſa, multiſque mortalium cæſis, ad extinguendam canonicæ electionis lucernam, domnum FREDERICUM dux Lova- [b] nienſis GODEFRIDUS (*b*) & advocatus Haſbaniæ WIGERUS, ceterique proceres Lotariæ: ſed gratia Dei longe aliter ac rati erant ceſſit; coronarunt ſiquidem martyrio juſtum, cujus memoriam auferre de terra nequicquam maturavere, ipſique non diu ſupervixere: enimvero aggravata ſuper eos manu Domini, poſt deceſſum Sancti, WIGERUS improviſa morte dux longe maximo exantlatus languore interiit. At ne quis abuſive martyrem me dixiſſe arbitretur, quod ignis incendium, quodve ferri ſupplicium gravius eſt, quam quod veneno interfectus, intolerabilia vitæ protelavit ſupplicia? Verum rem ipſam exordiamur.

FINIT PROLOGUS.

VITA EJUSDEM.

ANtiſtite Leodienſium OBERTO univerſæ carnis viamingreſſo, collecta fidelium ſynodo, de ſubſtituendo paſtore conſultum eſt, ſapientium ſententiæ propalatæ, ratio multa ſed diverſa variaque: pars ſiquidem amicum, pars proximum, alii alium delegere, nefas, dedecus, præterea damnum & calumniam quiſquis ratus eſt vinci: nec potuerunt libidini ſimul & uſui parere, quia profecto haud facile recte conſulitur ubi hæc officiunt. Orta eſt proinde magnæ diſſenſionis procella, tumultuantium fluctibus naufragante eccleſiæ cymba. Diſcordare ab invicem clerus & populus, nobilitas & vulgus, quorumdam arbitrium approbari, quorumdam improbari, effuſaque contentio ſuper principes errare fecit eos in invio & non in via. Henricus fons hujus ſeditionis, cauſa dilationis domnum FREDERICUM præpoſitum, totius pacis & concordiæ amicum, frivola appellatione invitat ante metropolitanum epiſcopum. Interea Alexander unus archidiaconorum & theſaurarius ac vice-epiſcopus, eccleſiarumque ſancti Martini ſanctique Bartholomæi præpoſitus, vir conſilio & ſapientia clarus, ambitione obſcurus, primates ſenatus ſeorſum ducit; alios muneribus, alios ſpe pecuniæ, nonnullos honoris, ſi proſperaretur, deſiderio allicit; ſicque cor ſuum eis aperuit. Præbuerunt aſſenſum quicumque fuerant factioſi, novarum rerum cupidi, ſeditioſi, adulatores falſitatis, omnes ſub peccato venumdati: horum factione ratus quod deliquiſſet tutum fore, manum ſuam levavit ad fortia, nihil intentatum relicturus, elevabaturque quodammodo dicens: Ego regnabo.

Ea tempeſtate rem publicam gubernabat HEINRICI IV. impia proles HEINRICUS, qui Abſalon exemplo, patre propulſo, regnum ſibi uſurpaverat: qua re quanta noſtris diebus nefaria exarſerint, reticere quam propalare præſtat. Hunc ALEXANDER ſimilem

[a] Hic nota ætatem auctoris.

[b] Dictus Barbatus anno 1095. comes Lovanienſis conſtituitur, deinde anno 1106. Lotharingiæ inferioris dux, & marchio Antuerpienſis ab Henrico IV. imperatore creatus. Mortuus anno 1140.

[a] ſibi quærens, cum ſociis (a) adiit; multaque pecunia, & ut fertur, ſeptem millibus librarum argenti ſacerdotium comparavit, ac rediens metu potius quam amore a duabus dumtaxat, quibus præſidebat, ſuſcipitur eccleſiis. Nam domnus FREDERICUS reliquis eccleſiarum ne profanæ ſuſc ptioni intereſſe auderent, interdixerat, multa oratione conſolans pavitantes, ut jactarent cogitatum ſuum in Domino, qui non dabit in æternum fluctuationem juſto. Civem quoque notum Franconem, qui poſtmodum monachus obiit, miſit, quinam huic funeſtæ intereſſent electioni exploratum. Adienſque illic fores eccleſiæ propter altare S. Gertrudis, ſpeculaturus ſuper arcam, incubuit ad rem diſſimulandam. Porro Alexander pene ſequentibus duabus congregationibus ac duce Lovanienſium, cum maximo militum & totius factionis ejuſdem comitatu, ubi oratorium eccleſiæ ingreſſus eſt, ſcillam ex more pulſaturus arripuit, ſed rupto funе nequicquam attentavit, quod pro ſiniſtro omine multi acceperunt. Cum ecce ſubintrans anachorita quidam, a tergo & ante dumtaxat caprarum pellibus protectus, crine longo, barba prolixa, piloſus undique & hiſpidus, aſtantem convenit Franconem; ſalve, inquiens, frater: ſiluit ille ſtupore, quiſnam eſſet ignarus; neque enim parem ſe vidiſſe profeſſus eſt. Poſtmodum dixit ei: Scio quoniam quis ſim ignoras, mihi tamen notus es tu. Itaque audi verbum Domini: miſſus ſum ab eo futura nuntiare tibi, ut per te res ceteris innoteſcant. Iſte qui pro epiſcopo ſe habens nunc ingreditur, noveris quia non proſperabitur, neque ſtabilietur; projectus eſt enim a facie Domini, ne dominetur in populo Dei. Elegit ſibi Dominus alium ſecundum cor ſuum, virum totum ex ſapientia & virtutibus factum, ipſe paſcet gregem Domini in ſanctitate & juſtitia, ſtans ſuper ſpeculam ejus jugiter per diem, & ſuper cuſtodiam ſuam cunctis noctibus. Requies illi nulla erit, tribulationes multorum, improborum inſectationes, quaqua verſum preſſuris attenuabitur, dies ejus breviabuntur. Verum poſt obitum, mira per eum Dominus operabitur, ad declarandum cujus ſanctitatis cujuſque dignitatis fuerit. Succedet in pontificatu quidam haud aliam ob cauſam, niſi nobilitatis titulo. Ab initio proſperabitur, formidabitur; ſed ſenſim deficiet, in finem vilipendetur. Tertius mundialem legem perdoctus ordinabitur epiſcopus: tamen non morietur. His blande dictis maturius ſeſe ſubripiens abſceſſit. Nec cunctatus ille ad præpoſitum rediit, quod viderat quodve audierat referens; miſſum eſt continuo ad revocandum, diſquiritur ubique locorum, ſed nequicquam:

[a] Sive ut ait chronicon S. Trudonis libro XI. pag. 477. Mortuo Otberto *baculum & annulum arripit, imperatori repræſentat, & ab eo recipit inveſtitus ſic a manu excommunicatæ de epiſcopatu Leodienſi.*

A enim vero, utpote qui a Deo miſſus, non comparens inveniendi ſpiritus quærentium ſe fruſtratus eſt. Verum de verbis prophetiæ ejus nihil cecidit in terra. Nam quod ALEXANDER, qui elevabatur in epiſcopum, non permanſerit, ſed Deus domnum FREDERICUM in præſulem confirmaverit, & ei coronam juſtitiæ multis tribulationibus fabricaverit, defunctumque virtutibus & ſignis clarificaverit, præſens relatio continebit. At quanti habitus initio pro faſtu ADALBERO, qui domno Frederico ſucceſſit; ſed paulatim ex imbecillitate ſenſus & corporis viluerit, atque Alexander illi ſuccedens, quantum primo formidatus ſit ſæcularium terrore judiciorum, ſed poſt declinans in avaritiam, debilitatus ſit. Ad extremum quoque e multis emergentibus accuſatoribus degradatus, & exepiſcopus obierit, omnes ipſi vidimus, & teſtes veræ prophetiæ ſumus. Nec in tranſcurſu diximus ad comprobandum, quia Dei judicium ſemper ſtatuat in eccleſia ſua diſpenſatores myſteriorum, bonos & malos ſecundum merita ſubjectorum. Nunc ad materiam redeamus.

Archiepiſcopus Aggrippinæ Coloniæ zelo juſtitiæ armatus, excommunicationis jaculum in Alexandrum jacit, legatos Leodium mittit, ne ſimoniace provectum ſuſcipiant, auctoritate beati Petri ſuaque interdicens. Mandat præterea primos eccleſiarum Dominica in palmis in metropoli coram adeſſe, ipſa videlicet die qua domnus Fredericus invitatus erat. Quid multis? Itum eſt, eidem de inordinata appellatione ſatisfactum, Heinrico pœnitenti venia data. Alexander ſecundum canonum decreta diſcutiendus accitur, nec adveniens anathematizatur. Leodienſes in propria ſede electionem habituri licentiam petunt, ſi proſpere cederet grates acturi: ſi ſecus VIII. cal. Maii Coloniam regreſſuri. Reditur, ſynodus renovatur, conſulitur ſuper his, factione ducis res impeditur. Agrippinam recurſatur; eo loci miſſa de Spiritu ſancto perorata, & ſpiritu conſilii adſtante, domnum FREDERICUM, virum ſecundum cor Dei delegere pari voto nec impari deſiderio, acclamantes ipſum ordinandum præſulem, felicem fore tali eccleſiam paſtore. (b) [b]
Res ipſa hortari videtur, quoniam tempus ammonet, * ſupra ad ſancti hujus genealogiam repetere, & qua ſtirpe, queis majoribus oriundus prodierit, per exceſſum paucis differere. *f. ſuperiora.

Hactenus de electione.

INCIPIT DE NATIVITATE S. Frederici epiſcopi.

FUit enim inſigni ex proſapia Pipini & Caroli magni haud obſcuro loco Namucenſi

(b) Chronographus Trudonienſis lib. XI. ait revertenti a Colonia Leodium *a Trajecto uſque ad urbem ab utraque parte Moſæ acerrimas inſidias per diſpoſitas locis aptis millitum copias*, Alexandrum poſuiſſe, *quibus ipſe quoque intererat.*

editus, patre ALBERTO, matre IDA: qui Albertus ejusdem Namucensis castelli comes opulentus, podagricus quidem extitit: verum militaribus armis famosus & insignis, trium filiorum germine floruit, quorum GODEFRIDUS primogenitus eidem jure successit, postque maximum vitæ hujus statum, [a] schemate susceptо regulari in Floressia, (a) in senectute bona migravit. Alter secundis rebus felix HEINRICUS, Rupis comes militans. Tertius Trinitatis cultor FREDERICUS, nutu Dei ab ineunte ætate studiis liberalibus Legiæ traditur erudiendus. Interea proficientibus in eo religiosæ vitæ meritis per accessum ætatis, matris ecclesiæ canonicus efficitur, deinde archilevita ordinatur, ejusdemque ordinis gratiam moribus condignis executus, præpositus sublimatur.

Deliberaverat vero jam dudum peregrinari pro Christo. Quam deliberationem perficiendi tum nactus facultatem, procrastinare ulterius non distulit. Igitur ecclesiæ tutelatorem dispensatoremque loco suo Andream sibi familiarem statuit. Præterea bonæ memoriæ abbatem cœnobii S. Laurentii adiens BERENGERUM, omnem præteritam actum suorum viam in confessione revelavit, ejusque & omnium fratrum se commendans orationibus, Jerosolymam contendit, ubi quo affectu & desiderio sancta frequentaverit loca & adoraverit, vix dicere sufficit. Jam vero ad superiora redeamus.

Itaque, uti prælibatum est, Coloniæ electus ex sententia totius cleri ac populi, suscepit jugum Domini; tametsi vitæ periculum mortisque discrimen se suscipere non ignoraret. Collecta subinde Remis synodo, summæ sedis apostolicæ pontifex affuit, qui & electum Domini chrismate sacro perunxit. [b] Ita consecratus Leodium nudis (b) plantis repatriavit. Processitque obviam civium pars major, exinde autem suscipitur a clero, & facta est lætitia magna in populo.

[c] Fautores (c) interea Alexandri contabescentes in se malitia recrudescunt, nullam, quam ei inferre queunt, prætermittunt molestiam. Ipse nihilominus ALEXANDER, pace turbata, castellum occupat Hoiense, ducis comitisque Lamberti sibi promissum opperiens adventum. At domnus FREDERICUS & frater ejus principes militiæ exercitus Domini, videntes quia multiplicata sunt mala, dederunt se murum pro domo Domini, periculis sese objicientes; dispositisque necessariis Hoium petunt. Incolæ vero ultro fores aperientes, obviam pergunt, se suaque omnia dedentes; at illi ingressis vineis ac machinis, castellum expugnare aggressi sunt. Cum interea dux magno cum exercitu nuntiaretur adventare, cui ut obstrueretur transitus concurrentes quidam, pontem in securi & ascia dejecerunt. Ita ducis frustratus est adventus. At parte ex alia LAMBERTUS comes per angustam semitam, quæ inter fluvium Mosam & asperrimam rupem arctissime patebat, amotis equis, propter loci difficultatem, adventabat, prosequente militantium atque inferioris ordinis longa caterva: cui frater episcopi occurrens, ubi audiri ab eo potuit: Ergone, ait, contra me in arma venis, cui hominium justa de causa fecisti? At ille frendens ira: Omne, inquit, hominium tibi hodierna die exfestuco. Tunc comes: & ego, ait, te ut perfidum hac hasta per medium fallacis oris inficior. Dixit, jactoque telo, fauces ejus, cum esset galeatus, trajecit. Hoc ille oppido fauciatus ictu, ruit, captusque est ligandus in compedibus & manicis ferreis. (d) Fateamur necesse est virtutis fuisse Dei, hominem armatum ab inermi viro vinci potuisse: quia nimirum sui divino quodam terrore perculsi, versique in fugam erant. Interea dux cum gravi ira inefficax rediens, omnia municipia episcopii aut comitatus Namurcensis cepit, omnesque fortes ubique locorum suo copulans agmini, Leodium in manu gravi peracceſſit; reversusque est & ipse GODEFRIDUS una cum fratre suo, crebros & inexorabiles ejus æquipollenter expugnavit assultus, gratia Dei per omnia victoria triumphans. [d]

Miserabile tum erat videre pontificem comprimi ab hostibus, ferro, torre, ac rapina, palam sævientibus; ab occultis maxime, quos felicitas amicos, infortunium vero sibi effecerat inimicos, quique tametsi illi adhærebant, partibus tamen favebant Alexandri; & quanto familiariores, tanto magis erant formidolosiores. Quæ enim efficacior pestis ad nocendum, quam familiaris inimicus? Ab his ergo cum plerumque pastorali pervigilio sacrorum frequentanti loca insidiaretur, utque desisteret, ab amicis rogaretur: Num, ait, ô chariſſimi, voluntati Dei contraire valemus? Testis est mihi scrutans corda & renes Deus, quia occidi quam

(a) Insigni monasterio ordinis Præmonstratensis, quod ipse Godefridus præsente S. Norberto fundaverat anno 1121.

[b] Solebant quippe novi præsules cum ad episcopalem sedem primum accederent possessionem adepturi nudis pedibus urbem ingredi, quod hactenus observant in Gallia episcopi Belvacenses.

[c] De his chronographus Trudonienſis: *Alexandri partes juvabat cum suis omnibus Lovanienſis comes Godefridus, tunc temporis dux Duracheniſis, comes Giſlebertus Leodienſis militiæ ſigniſer, Reinerus de Monte-acuto, comes Lambertus & pene tota familia eccleſiæ, cum ſuis viribus.* Et paulo post: *In tota Brabantia, in tota Hasbania non erat princeps aut dominus qui Alexandro non faveret, aut eum tueretur. Solus Loenſis comes Arnulfus inter utroſque medium agebat, Friderico tamen magis obtemperans ob domini papæ obedientiam, quam Alexandro ex imperatoris violentia.*

(d) Chronographus Trudonianus asserit vulneratum, captum, ductum fuisse Namurcum, additque: *Alexander obſidionem diu ſuſtinere non valens, & valde expaveſactus ex verbis papæ Calixti, qui ei mandaverat, quia claudaret ei januam æternæ vitæ, niſi ceſſaret, epiſcopo Frederico caſtellum redderet; & promiſſa emendatione & perpetua ceſſatione, in publico conventu Leodii abſolutus eſt a Frederico cum paucis adhærentibus ei clericis, & domi ſedens ad tempus invaſus ſiluit.*

ab amore ejus alienari malo : *Sive enim morimur*, ait Apostolus, *sive vivimus, Christi sumus*. Hac itaque fidei constantia invigilabat, nec iniquorum furor refrigescens adeo exarsit, ut mortiferum veneni poculum pararetur. Quid ultra morer? completa est iniquitas eorum, muneribus siquidem nescio quem pincernarum ejus corrupto, venenum poculo ipsius clam miscuerunt. Ipse autem, ut erat adeo honestæ simplicitatis, inconsulto quidnam esset bibit. Infirmatus est, languor supercrevit, decidit in lectum; consortati sunt operatii iniquitatis, iteravere calicem mortis, bibit secundo sacerdos, dolor invaluit, virus singula membra pererravit, unum oculorum ejus excussit, alterum extinxit. Cerneres omnibus venis inflatam cutem, & utris instar tensa vitalia. O quam triste erat videre tanta vexari calamitate sacerdotem sanctum, pium virum, nobilem, honestum, carne candida, pulchrum facie, statura procerum, cum vix ei respirare vitaliter saltem fas esset. Huc accedebat, quod infelicissimum infortunii genus est, pristinæ memoria felicitatis. Quis non doleret? quid non pavoris? quid non ammirationis? quis non obstupesceret? O terque quaterque beati viri tanta tribulatione purgati, sicut aurum fornacis, miram patientiam! Cum non impar sancti Job, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum, immurmuraret.

Cœpit interea suspiria longa trahere, mors & vita secus esse, cogebatur egredi anima debilitate; sed nequibat, quia nondum venerat hora ejus, ut transiret ex hoc mundo: ipse vero intra se ingemiscens incolatum suum prolongari, quippe cui mors quam vita potissima erat, flebat nocte ac die, ita desiderans ad Deum vivum, quemadmodum cervus ad fontes aquarum. Indignati interea fautores hujus sceleris, quod non juxta, ut rati erant, extemplo deficeret, & petiret nomen ejus, verbum iniquum constituerunt adversus eum. O nefanda crudelitas! renovaverunt poculum pestiferum, obtulerunt pontifici in extremis agenti. Quo hausto, tum vero mirum in modum ruptis intestinis, patentibus ossium medullis, penitus defecit, cilicioque sese superponi præcepit. Nec immemor dominicæ vocis, *Dimittite & dimittemini*, pro eorum, qui obtrectatores sui esse videbantur, amarissime flevit peccatis, & noluit consolari pro impiis, quia non sunt. Quos tamen potuit, accersivit, quod facere debuerant fecit, pedes eorum amplexatus est, veniam, quo magis compungerentur ad pœnitentiam, petiit, illis quod deliquissent benigne indulgens. Accito præterea [a] domno abbate (a) cœnobii sancti Jacobi in insula, potestate illum donavit quos excommunicatione ligarat solvere; & si quis necis ejus consentiens interfuisset, si secundo confessionis lavacro ablui vellet, non abnueret. Post hæc heros laudabilis versa facie ad orientem, tanto revera illustrius mentis acie ad Deum lumen verum erecta, quanto minus oculorum lumine videbat, compositis honeste membris, *in manus tuas commendo spiritum meum*, ô Christe pastor bone, dixit, interque discipulorum manus corpus linquens exanime, feria VI. qua sanguine Filii Dei redemptus est mundus, requieturus in sabbato, cum eo qui in ipso requievit, ab omni opere quod patrarat, animam cœlo reddidit VI. cal. Junii, quæ assumpta est cum candidatis in comitatu cœlestis Agni. Irruit mox super collum ejus sine ordine numeroque turba clericorum, pars caput, pars pedes, dextram alterque lævam osculari, lacrymis rigare: ille propter sedens complosis manibus lamentari, is præterea crines barbamque mœstitiæ causa vellere, clamor ingens luctusque esse.

Pulsatis interea ex more signis, vix sedatis amicis, episcopaliter vestitus in sacrarium defertur. Nudatur ad lavandum corpus sanctissimum. Mira res! venenum ab ore oculisque & auribus ejus, ut rivulus aquæ cœpit defluere, rupta cute, consumpta carne, ossa lacte candidiora parere. Quod ipsi videntes admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos. Domnus Andreas tunc temporis præpositus, infra annum Ultrajecti episcopus, perexsanguis expalluit, exclamavit, solo decidit veluti exanimis. Interea peracto demum officio, in medio templo locatur. Clerici & monachi congregantur, vigiliæ perorantur, nox insomnis pervigilatur; orto sole missarum solemnia peraguntur, ante majoris cancelli oratorium in faciem crucis Christi, per quem ei mundus crucifixus erat & ipse mundo tumulatur. Plus de vita Sancti hujus explanare supersedemus, propter Scylleos canes, quorum nonnulli, qui illum oderant, adhuc vivunt. (b) [b] Ceterum de miraculis, quibus secundum anachoritæ vaticinium, exuto homine nobiliter claruit, brevi absolvam ad laudem & gloriam ipsius, qui operatur omnia in omnibus, cui quod est esse perfectum est in sæcula sæculorum. Amen.

Igitur anno 1122. ab Incarnatione Domini, indictione decima quinta, translatus ad superos vir Domini Fredericus, terris deinceps insplenduit multis miraculorum signis, quibus ad lætitiam mœrentium lamenta civium convertit. Mutatio dextræ Excelsi. In primis visiones de gloria ejus monachis, clericis, laicisque visæ sunt; ne forte quod dici solet, multas curas sequuntur somnia, opponatur ab obtrectatoribus, rumori

(a) Olberto abbate sexto qui suffectus est Stephano anno MCXII.

[b] Hic nota ætatem auctoris.

relinquimus. Cetcrum per XII. annorum curricula ad mauſoleum ejus multiplices infirmorum greges diebus ac noctibus excubabant. Nam ibi alii viſum amiſſum, alii auditum, alii greſſum recipiebant, alii loquebantur. Jam præterea omnes ſanabantur, nonnulli etiam parvulos ſuos pro benedictione deferebant.

Interea ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli natalitius ſupervenerat dies, fideliſque Leodienſis populus, ne tanti viri ſepulchrum luminis honore diutius careret, conſultum convenit. Majores natu fraternitatem initiandam ſanxerunt, omnibus aſſentientibus ad hoc ipſum. Maturat interea quiſque pro poſſe donationem. Sed diſpoſitione Domini, qui ſanctum virum mirifice parabat glorificare, in ſubſequenti Dominica dilatum eſt. Neque vero bonorum vota dilatione minuuntur, immo prædicta die animæquiores adſunt. A Virtutem plerumque ſequitur invidia. Nonnulli ſiquidem clericorum nobiles, quibus, ut ait beatus Gregorius, nobilitas carnis pariebat ignobilitatem mentis, advenere, nihil religionis hoc ineſſe facto aſſerentes, debere potius ex præſenti donatione pavimentum ſuper tumulum reparari, præſertim cum non eſſet de amicis epiſcopi, cui id ſuppeteret, hocque plurimum placere Deo & beato martyri Lamberto. Hac itaque religionis ſpecie populum arcere nitebantur, ne terram, ex qua miracula fieri videbantur, raperent. Verum talium reprobravit conſilia principum Dominus, votaque ſuſcepit humilium. Infra nonam puellam adultam nimiaque renum colliſione natibus ſeſe trahentem, ad tumulum ſancti erigens ſanam.

Cetera quæ referuntur miracula, quia majori ex parte Ægidius de Aurea-valle retulit, hic exſcribenda eſſe non cenſui.

HISTORIA

HISTORIA
INSIGNIS MONASTERII
SANCTI LAURENTII LEODIENSIS.

Ex MSS. codicibus ejuſdem monaſterii.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

HISTORIAM inclyti S. Laurentii monaſterii ad muros Leodienſes multi & graves ac magni nominis auctores conſcripſere. Horum agmen ducit inſignis ille Robertus ſeu Rupertus ejuſdem loci monachus, deinde Tuitienſis prope Coloniam abbas, vir illa ætate cum religione tum eruditione & ſcriptis præſtantiſſimus, qui res geſtas epiſcoporum Leodienſium & abbatum S. Laurentii, quinque digeſſit libris. Ruperto acceſſit Reinerus ejuſdem cœnobii aſceta, qui ſub finem ſæculi XII. *florebat Leodii, & Ruperti opus ad ſua uſque tempora continuavit. Tertius ſubſequutus eſt Lambertus, ſeu quivis alius auctor anonymus ejuſdem familiæ, qui utriuſque opus abbreviaſſe videtur, & ab anno* MCCVI. *in quo deſierat Reinerus, ad annum* MCCLXXX. *& ultra perduxit. His accenſendi ſunt Adrianus de Veteri-buſco & Johannes Stabulaus qui res etiam ſui ævi ſcriptis conſignarunt, ſimplici quidem ſtilo, ſed veraci, atque adeo majoris ponderis. Denique Henricus de Palude & alii nonnulli abbatum ſuorum acta poſteritati commendaverunt.*

Et Ruperti quidem opus, quod præ manibus adhuc habebat Adrianus de Veteri-buſco fere totum dolemus excidiſſe. Nam ex quinque libris quibus omnino conſtabat, vix modo ſuperſunt quartus & quintus, in quibus ſummatim exhibentur res geſtæ Everacli, ſeu ut recentiores dicunt Heraclii epiſcopi Leodienſis & ſucceſſorum ejus uſque ad Otbertum, ſimulque hiſtoria primorum S. Laurentii abbatum. Tres vero priores libros temere abraſit neſcio quis monimentorum hujuſmodi parum æquus æſtimator, & quamdam pro iis epitomen repoſuit eximii operis S. Bernardi in cantica, quæ vulgo tribuitur Reinero, in quo ſane carta videtur plus æquo parcior, ut mitius loquamur. Id vero flagitii clamat adhuc violatus codex ſæculo XII. *exaratus, clamant & deletorum caracterum quædam altius impreſſa veſtigia: quamquam edita ſuperius Alexandri ſeu Anſelmi canonici Leodienſis hiſtoria, delinire utcumque poteſt litteratorum deſiderium.*

Hic itaque habes Ruperti opus abbreviatum, cum pura ejuſdem auctoris

narratione fundationis monaſterii ſui, quam imprimis commendat ſcriptoris inſignis pietas & eruditio. Habes & ejuſdem operis continuationem a Reinero, Lamberto, Adriano de Veteri-buſco, Henrico de Palude & aliis S. Laurentii monachis, omnium fere rerum quas afferunt teſtibus oculatis. Quibus per modum appendicis ſubjicimus ſelecta quædam inſtrumenta & diplomata, quæ partim a cariſſimo noſtro ſodali domno Cæleſtino Lombard *bibliothecæ S. Laurentii præfecto, partim a clariſſimo domino de* Louvrex *nobis ſunt tranſmiſſa.*

DE EURACLO EPISCOPO.

Anno Ch. 959. [a] BALDRICO primo hujus nominis epiſcopo mortuo, Euraclus (a) loci illius, qui Bonna dicitur, præpoſitus, ad epiſcopalem cathedram eſt aſſumtus. De quo, quia in hac Leodii civitate tantam ſibi memoriam acquiſivit, ea quæ alibi ſcripta reperi, ſilentio præterire nolui. Omnibus ſcholarum ſtudiis ita perfecte eruditus extitit, ut ſuis temporibus par ei nullatenus inveniri potuerit. Unde Ottoni imperatori, ac Brunoni archiepiſcopo Colonienſi ita charus fuiſſe perhibetur, ut nulla rerum majorum exercerent negotia, niſi in illius præſentia, niſi ejus eſſent conſilio aſtipulata. Totam Leodienſem eccleſiam, immo totam provinciam, nullis hactenus ſtudiis illuſtratam, ad ſtudium coaptavit, ſcholas conſtituit, peritos quaqua verſum clericos collegit, coſque magiſtros inſtituens ſua ope liberaliter pavit. Ipſe quoque frequenter illis intererat, ac perfectioribus divinam facundiſſime paginam lectitabat. Si quando autem pro re communi longius iret, non deerant quibuſcum in itinere de ſcripturis tractaret.

Anno 969. 2. Quodam ergo tempore invitatus ab imperatore, pro regni negotiis Calabriam venit: ubi dum eſſet, mediante die meridie eclypſis ſolis ſubito facta eſt, cunctiſque ſtupentibus, ac nimio terrore ſolo cadentibus, timor & tremor erat omnibus. Verum epiſcopus præ cunctis ſolus ſtabat imperterritus, utpote de naturali plenilunio ſoli ſubjecto, id accidiſſe non ignarus; acceſſit ſuis, ut ſurgerent imperavit, quidnam hoc eſſet edocuit, cum ſubito cœli facies, ut erat ante, clariſſima rediit. Prædixit tamen aliquid infortunii prope diem eventurum regi cum ſuis, quod & factum eſt. Quidam enim comes imperatoris eique familiaris, cum veniſſent Romam, ante oculos omnium a dæmonio arreptus eſt, itaut ſeipſum dentibus miſer deſcerperet. Sed conſilio præſulis hujus, imperator ad papam eum JOHANNEM adduxit, ut catena S. Petri collo ejus circumdaretur, ſanitatemque mereretur: verum dum a fallacibus clericis ſemel & bis alia catena furenti adhiberetur, nihil remedii pro-

A venit, ubi nihil erat virtutis. Tandem papa præcipiente, ubi vera S. Petri catena allata & collo furentis circumdata eſt, diabolus ſpumans, & multum clamans abſceſſit. Quam catenam THEODERICUS Metenſis epiſcopus arreptam, cum diceret ſe eam, niſi manu abſciſſa, non dimiſſurum, tandem rex conſilio epiſcopi noſtri ſedato litigio, a papa JOHANNE obtinuit, ut annulum hujus catenæ exſectum mereretur. Qui Theodericus Adalberone Metenſium epiſcopo defuncto, epiſcopus ſubrogatus, inſpiciens primas litteras nominum Metenſium epiſcoporum, quas angelus Domini dicitur dediſſe S. Clementi ejuſdem civitatis epiſcopo, & notans alias auro, alias argento, alias viliore metallo, pro meritorum qualitate, eſſe annotatas: cum videret eriam litteram ſui nominis argento eſſe prænotatam, dix. ſſe fertur; ſe in epiſcopatu tanta bona fore facturum, ut ipſa ſui nominis littera merito deberet auro annotari. Cujus bonæ intentionis initium oſtendit in cœnobio ſancti martyris & levitæ Vincentii, fundato in ipſius urbis inſula.

3. Aliud quoque imperatori infortunium accidit, ſecundum quod epiſcopus EVERACLUS ſuper eclypſim ſolis prædixerat ſuis. Nam dum ipſe rex partem exercitus ad Græcos miſiſſet, ut uxorem filio ſuo Ottoni acciperent, Græci ſuper eos irruunt, caſtra diripiunt, plures occidunt, plures capiunt, & Conſtantinopolim mittunt. Ad hoc tamen dedecus vindicandum, accepto a prædicto præſule EURACLO conſilio, imperator OTTO eminentiores ex ſuis in Calabriam mittit, qui Græcos aggreſſi, plures occidunt, plures naribus truncatis dehoneſtant, per Apuliam & Calabriam a Græcis tributum exigunt. Conſtantinopolitani vero audientes a ſuis male pugnatum eſſe in Calabria, contra imperatorem ſuum Nicephorum inſurgunt. Ille autem timens a filiis ſuis imperio expelli, quia ſenex erat, volebat eos eunuchizare. Quorum mater regina, quia nullo alio modo poterat eos liberare, ſuaſit primogenito ſuo JOHANNI NICEPHORUM patrem occidere, & imperare. Johannes itaque occulte cum ſuis intravit palatium, & occiſo Nicephoro, imperavit. Hæc extrinſecus meminerim, ut pateat omnibus, quantæ vir iſte

[a] Hic variant auctores. Evercharius appellatur apud Rogerium in vita S. Brunonis c. 29. In tabulis vero mortualibus S. Lamberti Everacrus. Ab Alexandro ſeu Anſelmo Everaclus, ab Ægidio Aureæ-vallis Eraclius, quod nomen retinuit Fiſenius & ceteri recentiores.

induſtriæ fuerit, quem ſic imperator in conſiliis ſuis ubique magni habuerit. Præterea referendum erit ſuis diebus in quanto errore ſancta eccleſia fuerit: nec tamen ſuam diœceſim ipſo providente quicquam nocuerit. Res acta hujuſmodi eſt.

4. Collecto a tota Italia epiſcoporum concilio, JOHANNES papa de nefariis cauſis infamatur. Qui tertio evocatus, dum ſe excuſatum venire cunctatur, poſt multa tandem, eo a cunctis præjudicato, LEO adhuc laïcus, electione omnium & conſenſu imperatoris papa inſtituitur. Sic Leo præſidens apoſtolicæ ſedi, fecit ordinationes & alia quæ erant apoſtolica. Nec longum Romani, alterata fide apud imperatorem, papam recipiunt Johannem. Ille ſynodo collecta Leonem depoſuit, & ejus geſta caſſavit. Statutumque eſt publico omnium judicio ſynodum a Leone habitam, nec nominandam ſynodum, ſed proſtibulum, favens adulteris. Quicumque igitur eo ordinante erant damnati, juſſi ſunt ſuam ipſorum proſcriptionem præſentare in carta hæc continente verba. *Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit.* Et ſic depoſiti remanſerunt in illis gradibus, ſi quos habuerant, nondum a Leone ordinati. Si qui autem digni judicantur, ut niſi accepta prius conſecratione ordinarentur, indicto illis eodem decreto, quod & damnatis a Conſtantino Neophito. Romani a Johanne papa pecunia illecti, imperatorem cum paucis Romæ morantem ſubito aggreſſi, ita ab exercitu imperatoris ſunt attriti, ut niſi ab imperatore & papa Leone milites imperatoris a cæde revocarentur, uſque ad internecionem Romani delerentur. Romanis per Leonem papam imperatori reconciliatis, poſt abſceſſum imperatoris, LEO papa inſidias ſibi parari ſentiens, ad imperatorem fugit. JOHANNES expapa ſe cum uxore cujuſdam oblectans, a diabolo in tempore percutitur, ac ſine viatico dominico moritur. Romani contra juramentum quod imperatori fecerant, ſe numquam electuros papam ſine ejus & filii ejus Ottonis conſenſu, BENEDICTUM papam ſibi ſtatuunt. Imperator, Roma obſeſſa, Romanos cæde & fame adeo afflixit, ut Leonem papam ſe recepturos promitterent. Benedictus rejectus non ſolum papatu, ſed etiam ſacerdotio, a Leone exordinatur. Nunc ergo ad ſuperiora redeamus.

Miſa Eurac li patientia.

5. Porro de humilitate & patientia præſulis EURACLI ſuperſedemus plurima narrare, cum nulli umquam malum pro malo, vel maledictum reddiderit pro maledicto. Nam cum multi ſanctitati ejus inviderent atque detraherent, quia nihil caret invidia niſi miſeria: ipſe tamen, per * acceptam injuriam numquam talia fecit. Nam cum cives Leodienſes multa eum injuria quadam die affeciſſent, promtuarium ejus vi irrupiſſent, vinumque omne effudiſſent, quamvis multorum adjuterio rem graviter ulciſci potuiſſet: maluit illis donare, quam ſuam injuriam vindicare. * f. poſt acceptam.

6. (*a*) Quia ergo hoc in loco eccleſia noſtra, eccleſia beati Laurentii martyris, ſub cujus patrocinio fideli ego indignus, qui hoc edidi opuſculum dego, cœpta eſt ædificari; utile arbitror ſcribere, quibus auctoribus exſtructa ſit & hactenus ſteterit hæc eccleſia S. Laurentii, quæ bona de manu Domini, vel quæ mala ſuſceperit in torcularibus, quibus per totum premitur ſemper Eccleſia Dei. Petimus autem omnes qui hoc in loco Deo militant, vel militaturi ſunt, quatenus ad cavendas hoſtis inſidias ſint vigilantiſſimi: quia draco ille magnus & rufus, qui in Apocalypſi Johannis, quia mulierem quæ peperit, & filium ejus maſculum devorare non potuit, adjecit bellum facere cum reliquis de ſemine ejus, ipſe forſitan quia glorioſus martyr caput illius in die certaminis ſui multis multo potentius conculcavit, adjecit ſemper & adjiciet bellum facere nobiſcum, qui illi ſpecialiter hoc in loco deſervimus. Nam a primis fundamentis hunc locum ne ſtrueretur diu multumque impedivit, extructumque magna ſemper ira impugnavit. Sed gratia Dei & beati Laurentii martyris meritis, quantulumcumque flumen de ore ſuo emiſerit, terra abſorbebit, & mulier, id eſt eccleſia, quam inſequitur, a flumine oris ejus non trahetur. [a]

VICTORINUS. Vellem apertius & moroſius exponeres quidnam ſit quod dicitur, quia: *Adjuvit terra mulierem, & aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumen quod miſit draco de ore ſuo.*

JOHANNES. Tunc utique quando illud formoſiſſimum in Nicæa concilium fervor chriſtiani principis Conſtantini excitavit, & publicis aſinis atque mulis & curracibus equis epiſcopos, & qui cum eis erant ad ſynodum venire præcipiens. Tunc, inquam, adjuvit terra mulierem, quia pene de tota terra, de toto orbe terrarum convenientes viri illuſtres ex omnibus gentibus, viri religioſi, viri famoſi diſputare ſcientes, omni elocutiónis arte exercitati, ad defendendam catholicæ veritatis Eccleſiam, in qua a facie ſerpentis, id eſt, ita ut non timeat ſerpentem, *per tempus & tempora, & dimidium temporis*, id eſt, tribus annis & dimidio, quanto tempore antichriſtus perſecutione ſua mundum vexabit: atque iccirco recte per hunc terminum in-

[*a*] In ms. codice hanc margini obſervationem appoſuit Adrianus de Veteribulco. *Hic incipit narrare fundationem hujus monaſterii. Nota tamen quod quidquid hic habetur de fundatione hujus monaſterii, ſumtum eſt ex ſcriptis domini Roberti de verbo ad verbum. In aliquibus tamen dicta ejus abbreviavit auctor.* Ergo Ruperti opus, quod modo non reperitur, ejuſque compendium penes ſe habebat Adrianus. Aliàs qui potuiſſet id ferre judicium? Vellem nobis indicaſſet abbreviatoris Ruperti nomen.

telligitur tempus quo perſecutionem patitur Eccleſia, pro eo quod in Chriſto pie vivit.

VICTORINUS. Jam nunc ad id quod intermiſeras redeundum eſt, quia plane quæſtioni meæ ſatisfactum eſt.

Euraclus primæ ponit fundamenta eccleſiæ S. Laurentii.

JOHANNES. Poſtquam igitur memoratus epiſcopus EURACLUS S. Pauli ſanctique Martini in hac civitate conſtruxit & copioſe ditavit monaſteria, jam emeritus ſenior, jam termino vitæ ſuæ proximo, iterum reſloruit, ut & beato Laurentio devotionem ſuam afferret, immo per ipſum Deo, cui Laurentius ſacrificium mundum in odorem ſuavitatis oblatus eſt. Itaque in honore ipſius cultor Trinitatis, tertii hoc in loco fundamenta jecit monaſterii. Fuerat autem locus ipſe infamis, ſcilicet latronum ſuſpendio, & malignorum hominum cæde pollutus: ſed forte ſapienti viro tanto ad hoc opus fuit aptior, quanto Calvariæ illi, in qua Dominus noſter ſanctus ſanctorum crucifixus eſt, videbatur ſimilior. Refert etiam non vana vetuſtas hunc locum illum fuiſſe, ubi interfectores S. Lamberti, cum peracto ſcelere redirent, digniſſima ſibi diviſerunt ſpolia, mortem ſcilicet mutuis ſibimet vulneribus inferentes, ſuaſque tam animas quam corpora diabolo, cui militaverant, debita cum rabie ſacrificantes. Sed quis niſi non ſapiens, ſitu loci & opportunitate oblata, talia reformidaret; cum Dominus Jeſus, ut jam dictum eſt, in opprobrio Calvariæ verum ipſe templum, & templi Deus pependeret; noſque omnes, quondam vaſa iræ, ſorti armato per fortiorem Chriſtum direpta, facti ſumus templa Dei. Itaque quia ſecundum jus belli, licet a victo tolli quicquid victori placuerit; hic quoque in abundantia peccati ut ſuperabundaret gratia, eccleſia Dei fundata eſt, & ſigna Victoris ſunt fixa. Cœpto itaque opere, mox ut aliquantulum a fundamento ſurrexere parietes, memorabilis epiſcopus quaſi ſponſus voti feſtinus, qui puellam necdum nubilem longe ante ſubarrat, quibuſdam prædiis, quæ adhuc poſſidemus, naſcentem eccleſiolam quaſi prima dote ditavit, nondum majus altare, quod erat beati Laurentii, ſed interim juxta hoc minus dedicans in honorem beati Sixti papæ & martyris. (a) Nec multo poſt gaudium hujus deſponſionis triſtitia, proh dolor! operuit, per mortem venerandi epiſcopi, domino vineæ vocante operarium ſuum ad recipiendum æternæ vitæ denarium.

Altare conſecrat in honorem S. Xiſti, dotat eccleſiam quibuſdam prædiis.

[a]

Moritur non conſummato opere.

8. Relicta eſt ergo imperfecta eccleſia, dotata quidem tenuiter, ſed ut dictum eſt imperfecta, inornata nullorum ſolatio filiorum. Dum ergo vir Domini EURACLUS ſuum adeſſe exitum moleſtia corporis ingraveſcente cognoſceret, monumentum ſibi fieri præcepit in eccleſia beati Pauli apoſtoli: (b) ſed eo die quo defungi debuerat, beatus Paulus ei perviſum aſtitit, nec ſuæ eſſe voluntatis ut quiſquam in ſua eccleſia, quamlibet juſtus & ſanctus, jaceret indicavit. (c) Juberet ergo ſepulcrum claudi, & ipſe illi aperiret cœleſtis januam regni. His viſis, amicos ſuos vocari juſſit, & quod ei oſtenſum erat, revelavit. Conſentientibus illis, in eccleſia beati Martini ſepeliri ſe juſſit. Quod & factum eſt ad laudem & gloriam CHRISTI JESU. Amen.

[b]

[c]

[a] Tertio nonas Septembris.

[b] Obiit VI. Kal. Novembris præſulatus ſui anno XIII.

[c] Tenuit in hunc diem, ait Fiſenius lib. 5. Hiſt. Leod. n. 39. Apoſtoli præceptio. Nullus æde tota tumulus eſt. Humo conduntur canonici, vel in adjacentibus ſacris porticibus, vel in ſacrariis ad utrumque templi latus poſitis.

[d] Caſtrum illud apud Ægidium dicitur caſtrum Montis-Caprini ſeu Montis-Capreæ vulgo *Cybremont*.

DE NOTHGERO EPISCOPO.

Notgerus S. Lamberti & alia templa Leodii extruit.

1. ILLO itaque defuncto, vir ſanctæ memoriæ NOTHGERUS in epiſcopatu ſucceſſit. Hic in capite hujus civitatis, ſicut hactenus cernitur, diadema ſplendide fabricavit, eccleſiam ſcilicet S. Lamberti a fundamento renovans cum domo epiſcopali; urbem muro cinxit, & in inſula domum S. Johannis Evangeliſtæ & dilecti Domini, necnon & ſanctæ Crucis devotiſſime conſtruxit. O beatam rempublicam, ſi epiſcopi moderni in quantum illis pecunia affluit, ſtudium haberent hujuſmodi! At ipſi juxta illud dictum ſapientis, *tranſi hoſpes & orna menſam*, nunc interim dum vivunt ornant menſam, quia laudem altaris extendunt, poſtmodum vero, quaſi de tranſitu hoſpitis, ſic de eorum vita & morte ſilebitur.

2. Curabat autem venerabilis ſacerdos NOTHGERUS, non ſolum de præſentibus, ut fieret pax tantum in diebus ſuis: verum etiam de futuris ſumma illi cura erat, ne ſub ſe adoleſceret, quod poſtmodum illis in laqueum eſſet. Enimvero CAPUT MUNDI (d) nobile caſtrum, ſic nominatum, eo quod ante Carolum magnum ſedes regni, quam ille Aquis tranſtulit, ibi eſſet; quod non tantum præſentibus quantum futuris nociturum prævidebat, ingenti calliditate & induſtria captum, ſubvertit. Sanctorum reliquias, quæ in tribus erant eccleſiis, ſuper ipſum montis verticem fundatis, intulit monaſteriis a ſe recenter conſtructis. Unde quantum noſtræ civitati commodum intulerit, præſentes ſentiunt & futuri, cum illo quotidie caſtello Legiæ nimium contiguo, militares ac prædones irrumperent, ac cæde & rapina omnia turbarent. Quod qua induſtria peregerit, quam turbata reſpublica fuerit memorabo.

[d]

Caſtrum Caput-mundi ſubvertit.

3. OTTO imperator Apuliam & Calabriam Italiæ provincias ad jus Græcorum pertinentes, transferre conatur ad Romanum imperium, maxime propter affinitatem, quam per uxorem ſuam Theophaniam cum imperatore Græcorum habebat. Græci vero offenſi, quod ille provincias eorum invaderet,

conducto ſibi Saracenorum auxilio, imperatori in Calabria bello congrediuntur, ubi omnes Romanorum copiæ uſque ad internecionem pene omnes deletæ ſunt. Imperator autem natando evadere nitens, a nautis ignorantibus eum capitur, & a quodam eorum, qui negotiator Sclavorum erat, agnitus nec proditus, per illum, re delata ad imperatricem, & THEODERICUM Metenſium epiſcopum, qui in civitate *Rhoſan* rei eventum præſtolabantur, difficulter per Sclavum & epiſcopum liberatur. Nautis quippe ad pecunias pro eo redimendo allatas inhiantibus, imperator aſcenſo equo vix evaſit. Omnibus pro infortunio reipublicæ animo conſternatis, ſola imperatrix feminea & Græca levitate, inſultabat eis, quod ab exercitu ſuæ nationis victi eſſent Romani, ac per hoc cœpit primatibus exoſa haberi. Otto imperator tædio & angore animi deficiens, Romæ moritur, & de imperatore ſubſtituendo inter primates diſſentitur, aliis filio ipſius Ottoni imperium deberi certantibus, aliis odio imperatricis, a filio ejus imperium transferre volentibus ad HEINRICUM ducem filium Heinrici, qui fuit frater primi Ottonis. Hic Heinricus ipſum Ottonem puerum factioſe raptum, in cuſtodiam tenet: ſed principes puerum de manu Heinrici extorquentes, in regno ſublimant, & imperavit annis XVIII.

4. Interea Rhemis ſynodo totius Franciæ congregata, ARNULFUS nepos Caroli ducis, quem ipſe Carolus epiſcopum Remis ſubſtituerat, omnium judicio exordinatus damnatur, & Adelgarius preſbyter, qui urbem prodidit, & portas Carolo aperuit, inſolubiliter excommunicatur. GERBERTUS ſubſtituitur epiſcopus, ſed quibuſdam cauſam ventilantibus, non potuiſſe degradari Arnulfum abſque ſcientia & auctoritate papæ Romani, Gerbertus depoſitus ad Ottonem imperatorem ſe contulit, quem imperator receptum primo eum Ravennæ archiepiſcopum, poſtea conſtituit papam Romanum. Unde & illud eſt monoſticum.

Scandit ab R. Gerbertus ad R. poſt papa viget R.

5. OTTO imperator Romæ Creſcentem patricium bello aggreditur: ſed victus Creſcens, & ex fuga retractus, capitur, vilique jumento averſe impoſitus circumducitur, & paulatim membris truncatus, ad ultimum ante urbem ſuſpenditur. OTTO imperator degens Romæ, dum cum Romanis ſe remiſſius agit, tractans qualiter jura regni & eccleſiæ ad antiquum ſtatum reformaret, Romani per hoc ad contemtum ejus adducti, ſubito contra eum conſpirant, & aliquot militum ejus peremtis, eum in palatio obſident; unde per induſtriam Heinrici ducis Bajoariæ, & Hugonis marchionis Italiæ, ſimulato pacto, vix extractus, Roma decedit cum SYLVESTRO papa. Et quia uxor Creſcentis imperatorem, ſpe regnandi, ad amorem ſuum pellexerat, dolens pro ejus diſceſſu, venenum ei miſit: quo ille conſumtus, inter remeandum in Italia moritur. Milites Tranſalpini corpus imperatoris defuncti cum inſignibus imperii ad Galliam referentes, crebris Italorum incurſibus laceſſiti, armis ſibi viam parant; ſed cum jam res in tuto eſſe putaretur, HENRICUS injuriato HERIBERTO Colonienſium archiepiſcopo, a cujus ore omnes pendebant, inſignia regni ab eo violenter extorſit, quaſi jure hereditario ſibi competentia: erat quippe filius HEINRICI ducis, qui fuit genitus de Heinrico fratre primi Ottonis imperatoris. HEINRICUS dux, *conciliatis ſibi animis quorumdam* principum regni, ungitur in regem a VILLIGISO Moguntino archiepiſcopo, & regnavit annis viginti duobus. Heinricus imperator potentiores regni viros bella ſibi concitare volentes, celeriter devincit, & reges gentilium in interiori Germania commorantes, qui Winidi dicuntur, tributarios ſibi facit.

6. Tali ac tanta reipublicæ, quæ ſic perturbata erat, neceſſitate, vir Domini NOTHGERUS anxius eſſe cœpit, ne quid mali de prædicto caſtro poſſet oriri, vel qualiter illud caperet vel ſubjiceret ſibi. Erat autem adeo forte & inacceſſibile, ut illo potiendi ſpem nullam haberet, omne prorſus humanæ * auxilium niſi ſubveniret. Vocatis ergo archidiaconibus, & quibuſdam in quibus maxime confidebat, conſilium ſuum aperit, rogat ut armati ſub cappis ſe ſequerentur, utque parati eſſent animoque forti obteſtatur. Erat autem ante Dominicum Paſcha quinta feria, quando pœnitentes ſuſcipiuntur, ſacrumque benedicitur chriſma. Mandat ergo epiſcopus his qui in prædicto caſtello erant, ut ſibi aperiant, eo quod ſacrum diei officium ibi eadem die celebrare vellet. Illi nihil ſuſpecti tali die, talique occaſione, clauſtra aperiunt, pontificemque cum ſuis benigne ſuſcipiunt. Qui introgreſſi, cappas, quibus obtecti erant, projiciunt, omneſque, quos ibi invenerant, eliminant & extrudunt. Ita epiſcopus, quod diu multumque deſideraverat, caſtello potitus, omnem munitionem deſtruxit, nec ab illo die hoſtibus ibi refugium eſſe vel munimen potuit.

(a) 7. Aliud etiam quod egit, referam [a] exemplum, unde civitati ſuæ, immo omnibus nobis valde conſuluit. Erat locus in medio civitatis altus & eminens [(b) habens turrim fortem,] quem ita natura tunc temporis munierat, ut ex alterutra parte videretur inacceſſibilis. Eum vir quidam nobilis & potens viribus, ſed ingenio malo pravoque, ſecus illum tranſiens concupivit, quia credebat ſe dominum fore civitatis, ſi illo potitus eſſet, & ſuper eum munitionem præparaſſet. Quid multa? verſuta calliditate cum a rege obtinuiſſet, epiſcopum aggreditur,

* f. humanū.

(a) Exemplum illud levius perſtrinxit Anſelmus cap. 52.

[b] Incluſa anſulis addidit Adrianus de Veteri-buſco.

prædictum locum sibi ab imperatore conceſſum, ut & ipſe non contradiceret deprecatur, dicens ſe munimen civitatis & eccleſiarum fore, ſi aliquam ibi aptaſſet munitionem. Intellexit epiſcopus, utpote vir altioris ingenii & prudentiæ, quos ille machinabatur dolos, ſed qua illi obviaret ratione cuſtos bonus de nocte ſollicitus erat. Timebat utrimque periculum; ſi fieri concederet, totius civitatis ruinam cogitabat; ſi contradiceret, quod illi ab imperatore conceſſum erat, tanti viri offenſam qua bonis exterioribus nociturus erat, metuebat. Tractato igitur prudenti conſilio, tamquam occupatus diſtulit, & diem longiorem, qua petita illi concederet ſtatuit. Receſſit barbarus quaſi jam ſecurus. Epiſcopus autem, vocato archidiacono atque præpoſito majoris eccleſiæ nomine Roberto, rem ut audierat exponit, monet atque hortatur, ut, quaſi ſe ignorante, jaciat fundamentum eccleſiæ, ſe præbiturum neceſſaria quæque. Paruit ille libenter ac citius, quia & ipſe jam mente conceperat aliquid Deo offerre, unde in memoria æterna cum juſtis juſtus mereretur eſſe. Fundamenta jacit, eccleſiam conſtruit, altare componit in honorem ſanctæ & victorioſiſſimæ Crucis. [a] (a) Cum interea die ab epiſcopo ſibi conceſſo barbarus rediit, ſe fraudatum agnovit, mille convicia in pontificem ſanctum, tamquam bellua frendens conjecit. Præſul vero quaſi neſcius unde ſic increparetur, rem omnino diſſimulat, quare tot ab illo conviciis afficeretur patientiſſime rogitat. Ille nimia ſuccenſus ira: Vere, inquit, de peſſima gente Alemannorum, qui ſemper infidi & inſtabiles mente fuerunt, te eſſe manifeſtum eſt, degenerare non potes. Quare locum non ſolum a te, verum etiam a rege mihi conceſſum, me abſente ædificari feciſti? Injuriam meam ruina vindicabo. Ad hæc epiſcopus, a quo id factum ſit tamquam ignarus requirens, præpoſitum accerſiri jubet. Quem, ut ſævientis barbari inſaniam mitigaret, graviter increpans quare id præſumſiſſet, cujuſve juſſu id concepiſſet, coram illo durius requirebat. Ille contra nihil motus, humiliter reſpondit, non præſumtione ſed devotione hoc egiſſe: ignorare ſe quod illi promiſerat, opus eſſe cœptum in veneratione S. Crucis, eſſe in poteſtate illius, ſi deſtrui oporteret. Cui epiſcopus: Si, inquit, aliud quid ibidem conſtruxiſſes, diruendum pro certo ſcires, & duci noſtro fidem ſervandam; malo enim mihi ſucceſſum quam fidem deeſſe. Sed quia redemtorem noſtrum in ſua Cruce, quam pretioſo ſanguine ſuo ſanctificavit, offendere non eſt conſilii, perfice quod cœpiſti. Ita mitigata eſt ſæva principis ira, & eccleſia, ut erat cœpta, conſtructa & perfecta, multaque poſſeſſione dotata. (b) Alia quoque eccleſia a Nithardo præpoſito (c) ejus conſilio & auxilio eſt ædificata, ad titulum S. Dionyſii martyris dedicata. (d) In qua xx. primum canonicos poſuit, deinde x. ſuperaddidit. [b] [c] [d]

8. Temporibus ejus ſiccitas magna vernalis, unde & ſatio primitiva impedita, & fames ingens ſecuta eſt. Fertur etiam precibus ejus annonam pluiſſe de cœlo in Haſbanio. Alii etiam piſciculos parvos de cœlo pluiſſe ferebant. Poſtea nix de cœlo nimia decidit, imber etiam continuus, qui autumnalem ſationem denegaret omnino. Epiſcopus vero NOTHGERUS indicto communi jejunio periculum imminens repulit. Terræ motus quoque factus eſt permaximus, cometeſque apparuit ſplendidiſſimus. Nono decimo Cal. Januarii circa horam nonam fiſſo cœlo, quaſi facula ardens cum longo tractu inſtar fulguris illapſa eſt terris tanto ſplendore, ut non modo qui in agris erant, ſed etiam in tectis irrupto lumine ferirentur; qua cœli fiſſura ſenſim evaneſcente, interim viſa eſt figura quaſi ſerpentis, capite quidem creſcente cum cæruleis pedibus. Quæ pericula oratione viri Dei ſunt annihilata. Anno 939.

9. Illo tempore quidam religioſus ab Jeroſolymis rediens in Siciliam, cujuſdam humanitate aliquando recreatus, didicit ab eo inter cetera, quod in illa vicinia eſſent loca eructantia flammarum incendia, quæ loca vocantur ab incolis Ollæ Vulcani, in quibus animæ reproborum luant diverſa pro meritorum qualitate ſupplicia, ad eaque exequenda deputatis ibi dæmonibus, quorum ſe crebro voces, iras & terrores, ſæpe etiam ululatus audiſſe dicebat plangentium, quod animæ damnatorum eriperentur de manibus eorum per eleemoſynas & preces fidelium, & hoc tempore magis per orationes Cluniacenſium, orantium indefeſſe pro defunctorum requie. Hoc per illum abbas ODILO comperto, conſtituit per omnia monaſteria ſibi ſubjecta, ut ſicut primo die Novembris ſolemnitas Omnium ſanctorum agitur, ita ſequenti die memoria omnium in Chriſto quieſcentium celebretur: qui ritus ad multas eccleſias tranſiens, fidelium defunctorum memoriam ſolemniſari facit; quam conſuetudinem etiam epiſcopus Chriſti NOTHGERUS ad ſuam diœceſim tranſtulit, eamque ſolemniter fieri ordinavit.

10. Caſtrum præterea Valentianas, ſitum in Marchia Franciæ ac Lotharingiæ, quod BALDUINUS comes Flandrenſium invaſerat, imperator HENRICUS obſedit, concurrentibus ad auxilium ejus ROBERTO rege Francorum & RICHARIO comite Normannorum. Sed quia idem rex de obſidione redierat

(a) Ibidem ſepultus eſt Robertus ille in navi illius eccleſiæ 6. idus Martii, obſervarque Fiſenius ex eccleſiæ archivo ipſum chorepiſcopum fuiſſe.

(b) Addit Fiſenius, recepiſſe in vicem ab epiſcopo dynaſtam illum prata quædam tranſmoſana, &c. lib. 7. n. 6.

(c) Cuſtodem fuiſſe majoris eccleſiæ tradit Alexander ſeu Anſelmus. De Nithardo plura Ægidius de Aurea-valle.

[d] Quarto idus Martii.

inefficax, vocato in auxilium ſuum prædicto epiſcopo NOTHGERO, contra Balduinum proficiſcitur, ejuſque auxilio & conſilio munitus, caſtrum Gandavum invadit, & depopulata terra, aliquot Flandrenſium primores capit. Unde BALDUINUS perterritus imperatori ſatisfecit, Valentianas reddidit, datiſque obſidibus cum ſacramento fidelitatis, manus ei dedit.

Notgerus locum S. Laurentii negligentius aſpexit, & imperfectū tecto cooperit.

11. Cum ergo NOTHGERUS tanta fecerit, hunc locum quaſi alienum fundamentum negligentius aſpexit: nuditatem tamen ejus omnium oculis patentem, completis tantum & æquatis parietibus, tecto cooperuit. Poſt [a] hæc Leonem quemdam (*a*) ex nobiliſſimis Græcorum epiſcopum venientem ad ſe, profugum cum ſuis excepit; qui bello Calabrico, quod OTTO ſecundus imperator contra Græcos geſſit, expulſus fuerat a Græcis, aſſerentibus quod Romanis Calabriam prodiderit. Et quia neceſſitatem coacti exilii verterat in voluntatem ſanctæ peregrinationis, ut perveniret ad illam quam expectaverunt *patres noſtri veram terram* repromiſſionis, hic illum ſancto in loco ſanctoque propoſito manere, & de eccleſia vivere cum ſuis inſtituit, & ſancte vivendo hic uſque in finem perſeveravit, tandemque migrans ad Dominum, in hoc eodem incolatus ſui loco [b] ante altare S. Gereonis corpore quieſcit. (*b*) Vir ergo venerabilis Nothgerus XXXVI. annis Leodienſi eccleſiæ præfuit, ac demum in bona ſenectute defunctus, migravit, & in eccleſia S. Johannis dilecti JESU, cui ſe totum corpore & anima impenderat, ſepultus requieſcit.

DE BALDRICO EPISCOPO.

1. QUo defuncto, ſucceſſit epiſcopus dominus BALDRICUS vir nobiliſſimus, omnique morum honeſtate præclarus, cujus ut *cuncta breviter bona comprehendam*, nulla in ſuo epiſcopio fuit baſilica, quam non aliquo juverit commodo, ſive eccleſiarum ſive poſſeſſionum largitione multimoda. Pandnardum ſuæ proprietatis allodium B. Lamberto tradidit & eccleſiam unam, unde pauperes XXIV. quotidiano aluntur ſtipendio. Florinenſe cœnobium fundatur & eccleſiæ Leodienſi ſubjicitur. Tum temporis etiam GERARDUS eccleſiæ Cameracenſis epiſcopus cum germano fratre GODEFRIDO Florinenſe cœnobium conſtruxit, prædiis ac poſſeſſionibus liberaliter dotavit, & S. Mariæ ſanctoque Lamberto illud contradidit. Cui cœnobio duas BALDRICUS epiſcopus eccleſias addidit, [c] (*c*) ne quid illic Deo famulantibus deeſſe videretur. Ipſe cum archiepiſcopo Colonienſi, HERIBERTO prædictam eccleſiam S. Mariæ ſanctique Lamberti a prædeceſſore ſuo Nothgero nuper conſtructam, debita conſecratione dedicavit. Eccleſiam quoque S. Bartholomæi apoſtoli, a quodam vita venerabili viro GODESCALDO majoris eccleſiæ præpoſito conſtructam, in ſuburbio cum prædicto archiepiſcopo conſecravit, & alia multa utilia fecit.

2. Caſtellum in villa Huguciardis munivit, ſed LAMBERTUS comes Lovanienſis eum aggreſſus, multos ex eis qui cum epiſcopo erant occidit. Quod mox (*d*) merito ſupplicio luit, percuſſus eſt enim a Domino, eo quod miſiſſet manum ſuam in Chriſtum Domini: nam cum Godefridus dux comitatum Montenſem depopularetur, Rachinerus cum prædicto Lamberto patruo ſuo eum inſecutus, apud Florinas pugnam conſerunt, ubi plus quam quadringenti viri occiſi ſunt, & ipſe Lambertus occubuit. Res autem mira contigit. Cum Lambertus ſpem victoriæ jam haberet, habebat quippe filacterium a collo uſque ad pectus pendens Sanctorum reliquiis refertum, *quorum patrocinio ſe in periculis* tutum fore credebat. Inſtante ei termino vitæ, filacterium illud a collo ejus exiliens, ſuper tumulum campi exilivit, & mox comes antea invictus perimitur. Quidam vero militum filacterium accipiens, in caliga abſcondit, ſed coxa ejus & crure intumeſcente rem prodidit, & filacterium domino ſuo Hezeloni fratri ducis dedit. [d]

3. Gens Hungarorum hactenus idolatriæ dedita, hoc tempore ad fidem Chriſti converſa eſt per orationes hujus epiſcopi, aliorumque ſanctorum virorum qui tunc temporis meritis clarebant, & per GISLEN ſororem imperatoris. Hæc enim nupta Hungarorum regi, ad hoc ſua jugi inſtantia regem adduxit, ut ſe & totam Hungarorum gentem baptizari expeteret. Qui in baptiſmate STEPHANUS eſt vocatus, cujus merita per Hungariam *multa miraculorum gratia* commendavit.

Hezelo frater Gozelonis ducis ſe ſuaque tradit S. Laurentio.

4. Pollebat, ut prædiximus, tunc temporis nobiliſſimus comes HEZELO, qui alio nomine Heinricus (*e*) dicebatur, frater Gozelonis ducis, vir conſilio & ſapientia clarus, & quod magis prædicare & pie memineſſe [e] debemus, beato Laurentio ſingulariter & unice devotus. Quod qua occaſione acciderit, qua neceſſitate ſe ſuaque B. Laurentio tradiderit, non immerito huic addiderim operi. Erant illi duo parvuli miræ pulchritudinis & venuſtatis, quos tenerrime diligebat, ut heredes patrimonii magnæque poſſeſſionis. Factum eſt ergo ſacratiſſima nocte Dominicæ Nativitatis, ut comes una cum

[a] Leonem ab Euraclo exceptum fuiſſe ſcripſit Ægidius de Aurea-valle, & poſt eum recentiores: at conſtat Euraclum ſub Ottone I. obiiſſe. Bellum vero cujus occaſione pulſus eſt Leo, Ottonem ſecundum habuiſſe adverſus Græcos.

[b] De quo tale cernitur lapidi inſculptum eſſe epitaphium. *Conditur hic præſul Græcus Leo qui fuit exul. Anno M.*

[c] Lierſiam prope Leodium, & S. Mariæ in Rovera.

[d] Quæ hic de comite Lovanienſi narrantur iiſdem verbis Sigebertus retulit ad annum MXV.

(*e*) Hermannus aliis dictus. Comes fuit Dasburgenſis, uti obſervat Papebrochius in notis ad vitam S. Wolbodonis; de quo & Mabillonius ſæculo VI. Benedict. part. I. pag. 186. & Annal. tom. 4. p. 186. 190. 191.

uxore ſua valde religioſa eccleſiam matutinus adiret, officiumque divinum more ſolito peraudiret, ſacramque Dominici Corporis & Sanguinis Communionem percipere. Pueruli mane ſurgentes, a miniſtro domus ſuæ panem commeſſuri accipiunt, intranteſque culinam, nullumque reperientes, caſu enim cocus exierat, carnem quæ ſuper ignem verubus circumpoſita aſſabatur, dominoque reverſuro in eſcam parabatur, tollunt, veſcunturque. Interim puerili more altercantes, ſibique mutuo iraſcentes, verubus acutis ſe invicem corde tenus perfodiunt, & heu, proh dolor! mortui decidunt. Princeps cocorum rediens, pueroſque jacentes mortuos offendens, exhorruit, exclamavit, ſemianimiſque cadens, vix demum animum recepit. Quid ageret miſer neſciebat: rem tamen occultare volens, ne parentes mortuorum tali nuntio talique infortunio ſubito deſperarent, parvulos ablatos occuluit, & quod actum erat omnino diſſimulavit. Peractis officiis, comes cum uxore de eccleſia redeunt, ad eſcam diſcumbunt. Comitiſſa, ut ſolebat, parvulos præſentari jubet. Reſponſum eſt ab illo qui illos abſconderat, cum aliis eos pueris ſpatiatum longius exiſſe. Credidit illa, comedit, ſed inter edendum quodam naturali & præſago dolore cordis tacta intrinſecus, jubet quantocius parvulos acceſſiri, non ſe comeſuram donec adventaverint. Ille qui rem diſſimulare & celare volebat, neſcius quidnam ageret, comiti cauſam aperit & oſtendit. Qui ſtatim menſis remotis exilivit, ſuper parvulos flevit, ſuarumque poſſeſſionum beatum Laurentium heredem conſcripſit. Illius devotio hic operata eſt, illius conſilium aliorum opus eſt, illius animæ gratia habenda eſt. Ipſe enim velut ille deſiderantiſſimus templi Domini Nehemias, apud plures civitatis hujus epiſcopos, unum poſt alium pro hoc loco interveniens, non ante deſtitit, quin deſiderium ſuum ſuimet oculi viderent.

5. Primum enim domnum Baldricum frequenti & familiari colloquio repetens, nunc commiſeratione loci, nunc amplificatione meritorum beati Laurentii, perſuadebat, uti ad hanc ſolitudinem manum ſuæ liberalitatis extenderet. Tandem obtinuit, & epiſcopus locum ſuo adventu lætificavit, ad altare acceſſit, vota vovit, prædia cum eccleſiis obtulit, & ad ordinandam in integrum eccleſiam animum intendit. Ecce autem (a) Johannes quidam gente Longobardus, ordine epiſcopus, & arte pictor egregius, a Deo ut credimus miſſus, quia necdum venerat tempus miſerendi loci hujus, beatum vero Jacobum fratrem ſuum jam pius Jesus honorare diſpoſuerat, jam ei eccleſiam, in qua a fidelibus ſuis familiariter & devote miniſtraretur illi fieri ordinaverat, epiſcopum familiari devotione adiit, & ab hac ſententia ſic ejus animum revocavit. Dixit enim non ſatis illum agere prudenter, quia memoriam ſibi non propriam ſtrueret, non ſuum quippe, ſed alienum eſſe fundamentum, cui ſuperædificare ipſe diſponeret. Et quia prædeceſſor ejus Nothgerus S. Johannis dilecti Domini memoriam præfixerat, nunc ipſe Jacobi fratris Domini eccleſiam adjungeret, ut eorum patrocinia ſicut meritis, ſic & vicinitate conjuncta forent. Ad hæc dubitanti, eo quod parvulam hanc jam allocutus fuiſſet, quomodo quæ ſemel jam dederat, hæc iterum auferret: ſubdidit ille nihil eſſe quod impediret, ſic enim nec in Deum nec in homines delinqueret. In homines quidem, quia locus ipſe tutorem hominem non haberet, qui pro ipſo reclamaret: in Deum autem, quia, [ſi] illi voviſſet, illi nihilominus ubicumque vota ſua redderet. Quid multa? Tandem epiſcopus approbato conſilio, ſe & ſua hinc abſtulit, & in Inſula S. Jacobi cœnobium fundatur. cœnobium ſancti Jacobi fratris Domini, qui & minor Jacobus appellatur, fundavit, (b) abbatem (c) & monachos, ſanctæque religionis normam, ſicut hactenus cernitur, in eo diſpoſuit, ubi & poſtmodum in corpore quieſcit, (d) factus particeps benedictionibus, quas ille filius accreſcens Joſeph promeruit, in quo ſolo Jacob licet XII. haberet filios, ſuam generationem, id eſt ſuæ vel paternæ ſimilitudinis pulchritudinem effudit.

Speciosus. In quo?

Johannes. In eo quod ſicut pater ſuus ex ſterili Sara, & ipſe ex ſterili Rebecca, naturam inopem, divina juvante gratia, progenitus, & de divina benedictione donatus, ſic & iſte ex ſterili Rachel dono Dei ſuſceptus eſt, futurus ejuſdem benedictionis heres.

Speciosus. Quid eſt quod de eodem Joſeph dicitur; quia cum eſſet ſedecim annorum, paſcebat gregem cum fratribus ſuis adhuc puer? Quomodo enim puer erat, qui ſedecim annos habebat.

Johannes. Non ita ſupereffluit ſermo Domini, ut nos docere velit quod hac ætate quiſque adhuc puer ſit, ſed ut citam juſtitiæ vel meriti mireris perfectionem; idcirco ſic utrumque vigilanter dictum eſt, ſedecim annorum, & adhuc puer. Hoc diligenti inſpectione dignum eſt; quia grandiores fratres accuſavit, adhuc puer; quod utique non feciſſet, ſi non puritatis amorem zelum-

[a] De Johanne illo plura Ægidius de Aurea-valle ex geſtis Baldrici ab auctore æquali.

[b] Hic obſervat Ægidius de Aurea-valle quem & recentiores ſequuntur, de condendo monaſterio S. Jacobi Baldricum deliberaſſe, ut eædem in prælio Hugardienſi factam aliquatenus expiaret. Verum unde id acceperit prorſus ignoratur.

[c] Olbertum Gemblacenſem virum inſignem de quo pluta chronographus Gemblac. Spicil. tom. 6.

[d] In crypta quam in honore S. Andreæ dedicaverat, Sepulchrum ejus marmoreum cernitur hodie in medio chori ab Ægidio *Lambrecht* abbate piæ memoriæ erectum.

que

que juſtitiæ jam haberet, quod in puero vel adoleſcente maxime laudabile eſt.

SPECIOSUS. Quo illos crimine accuſavit?

JOHANNES. Plane quia hoc Scriptura non dixit, vanæ opinioni locus datus eſt; quia multa ſunt vitia, quorum conſummatum opus peſſimum eſt. Aiunt tamen viri illuſtres, crimen Sodomitici fuiſſe ſceleris, in tantum ut cum pecoribus coïrent paſtores immundi.

SPECIOSUS. Quid eſt quod adhuc de illo dicitur, quia erat cum filiis Balæ & Zelphæ uxorum patris ſui? Quare cum illis eſſe quam cum aliis malebat?

JOHANNES. In hoc quoque æmulationem inſinuat fratrum ſuorum, qui erant ex Lia, cum quibus eſſe non audebat, quia cum de libera eſſent, grandiores habebant animos, filiumque dilectæ Rachelis non libenter aſpiciebant.

SPECIOSUS. Item movet me quæſtio qua dicitur: *Iſraël autem diligebat eum, eo quod in ſenectute ſua genuiſſet eum.* Numquid enim ſecundum corpus ſenex erat quando genuit eum, juvenis autem quando ceteri nati ſunt? Siquidem præter Benjamin infra XIV. annos omnes genuerat.

JOHANNES. Ita eſt: ſed reſtat ſenectutem illam hic aſſignari, de qua Sapientia dicit: *Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: cani enim ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* In illa namque veraciter ſenectute Iſraël genuit Joſeph, quia propter illam juſtitiæ ſuæ ſenectutem talem habere meruit heredem. Nec enim vir juſtus lætatur in multitudine filiorum, ſi mali ſunt; ſed in eo ſe tantum agnoſcit patrem, ſi filium relinquat poſt ſe, qui juſtitiæ conſequatur hereditatem.

SPECIOSUS. Item quæſtione animus meus pulſatur, quomodo Putiphar, qui eunuchus fuiſſe aſſeritur, poſtea uxorem & liberos habuiſſe legatur.

JOHANNES. Tradunt Hebræi emtum ab illo Joſeph ob nimiam pulchritudinem in turpe miniſterium; & a Domino virilibus ejus arefactis, poſtea electum eſſe juxta morem Jerofantarum, in pontificatum Heliopoleos, & hujus filiam *Aſcenech*, quam poſtea Joſeph acceperit uxorem.

SPECIOSUS. Cur pater ejus ſomnium illius ſic interpretari voluit: *Num ego & mater tua & fratres adorabimus te ſuper terram?* cum ejus matrem Rachel jam obiiſſe ſciret.

JOHANNES. Matrem appellat eam quæ ſupererat uxorem ſuam, conſuetudine non natura. Etenim matertera cum dicatur, eo quod ſit mater altera, recte matrem ejus Liam appellare poterat: verumtamen nec de patre palam legitur quod adoraverit.

INCIPIT DE S. WOLBODONE Epiſcopo.

1. DEfuncto, ut diximus, epiſcopo Baldrico, vir pietate inſignis WOLBODO, S. Martini Ultrajectenſis præpoſitus, in epiſcopatum ſuccedit, moribus implevit. Cui quantum debeatur a nobis, non me video idoneis poſſe conſequi verbis. In renumerandis ejus beneficiis jejuna eſt verborum viciſſitudo. Ipſe enim pater & tutor noſter eſt, ipſe hujus eccleſiæ ſancti Laurentii pretioſus lapis eſt, ipſe hujus domus columna & murus eſt; nec dubium de hac domo poſſe dici: *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*, quæ ſuper hujus ſancti præſulis venerandum corpus fundari meruerit. Sed hæc ſequentia dabunt intelligi. Nunc ordinem proſequamur.

S. Wolbodo creatur epiſc.

2. Eum imperator Heinricus miro diligens affectu, cum adhuc eſſet præpoſitus, ſecum aſſumſit, ſibique arctius aſtringens, in ſuo eum palatio retinuit. Sed, ut diximus, Leodienſi eccleſia paſtore ſuo viduata, convenerunt canonici ad imperatorem. Adhuc enim non electione, ſed dono regis epiſcopus fiebat; mortem ſui pontificis nunciantes, aliumque petentes. Tum vero imperator prædictum Wolbodonem, licet diu multumque renitentem atque amariſſime flentem, ſeque indignum vociferantem, eis tradidit; quem ut veluti patrem honorarent, benigne ammonuit, ab illo ſatagerent diligi, cujus gratiam ſcirent apud ſe pro magno ære cenſeri. Illi de tanto præſule hilares multumque lætificati, non enim ejus ignorabant ſanctitatem, ingenti cum lætitia rediere Leodium. Civitas omnis applaudit venientibus, epiſcopo pro ſua ſanctitate, clericis pro bona legatione.

Vir magnæ auſteritatis.

3. Erat autem idem vir Domini WOLBODO tantæ proceritatis & corpulentiæ, ut in multitudine populi devote ſe circumdantis, quiſnam eſſet cunctis appareret, & ſuper omnes ſcapulo tenus emineret. Verum cum multa ei pro conſuetudine eſſet abſtinentia, nihilominus tamen roſeus in eo vultus renitebat, immo, ut ſcriptum eſt, lux vultus ejus non cadens in terram amplius radiabat, amplius videri honeſtus erat; ſanctis æquandus pueris, quibus regius ille cibus faſtidium generabat: nam cum ei quotidie lautiores cibi, ut tantum decebat pontificem, apponerentur, pauperes ille admitti cenſebat, quibus appoſitas præbens delicias officioſiſſime miniſtrabat, pane & aqua ipſe contentus. Erat enim valde compatiens, & ſuper afflictos adeo pia geſtabat viſcera, ut plerumque cum nihil aliud haberet, tapetia vel aliam eccleſiæ ſuppellectilem pauperibus largiretur, donec a camerario ſuo redimerentur. Vigiliarum quoque & algoris ita patiens extitit, ut ſæpenumero dormientibus ceteris, diſcalceatis

in ecclesia pedibus pernoctaret. Et sicut de sancto Jacobo juniore legimus, quod multis genuflexionibus nervi ejus in modum camelorum obduruerant, sic pedes ejus crebra nuditate & laboris usu callosi erant effecti.

* Vota an. Christianæ. * Solet enim attestari quidam familiaris ejus, quod inter lavandum, pedes illius frigore & glaciali viarum asperitate adustos viderit, quamvis hoc omnes summo conamine, exemplo Domini humani favoris instabilem auram devitans, diu celaverit. Referam unum adhuc Sancti hujus exemplum, magnum constantiæ illius indicium.

Munus placando imperatori præparatum distribuit pauperibus.

4. Memoratus imperator HEINRICUS quibusdam sibi familiaribus male credulus, de illo aliquantulum erat suspectus, & ab eo falsa animi suspicione aversus. Quem episcopus placare saltem muneribus volens, quemadmodum Jacob fratrem suum Esaü, aliquantulum pecuniæ illi oblaturus venit ad curiam ejus. Nunciatum est imperatori ingentibus illum cum muneribus adventasse. Dies quo se illi præsentare debuisset indicitur: sed ea nocte supervenientibus omnia distribuit pauperibus, bono consilio malens inde superni regis acquirere gratiam, quam humanum sibi conciliare favorem: *Melius est enim*, ait Psalmista, *sperare in Domino, quam sperare in principibus*. Crastina die ad imperatorem jam securus sine munere introivit, qui ante cum muneribus ingredi formidabat. Ubinam esset quod attulerat rogitatur. Supervenerunt, inquit, regis & imperatoris nostri Dei legati, cui per illos omnia transmisi: non enim illum tibi præponere dubitavi, nec spero quod te illi præponendum æstimaveris: es enim in manu ejus, omneque regnum mundi, & cuicumque voluerit dabit illud. Imperator brevi revocatus ratione, gratiam illi suam reconciliat, dicens illum vere sanctum, se vero peccatorem & reum: illum debere honorari, qui Deum altissimum imperiali neglecta majestate sic honoraverit. Illum in regno suo plurimum valiturum affirmabat, qui regno Dei amicum se & familiarem ostendebat. Ita humanum imperium firmissimum esse, cum illud causa regni Dei minus valeret, cum existimatione illius vilesceret. Et impendio, inquit, postulo ut humanissimum incœptum religiosa cura non deserat: his enim maxime nutrimentis regnum meum stabilitum erit, non quod verear ne diligentia tua tali laude lentescat, quin potius spero benevolentiam tuam, si quid pleno potest adjici, largiorem; quia bonis familiare est studia bona cumulare, quorum gratiam sentiunt non perire. Ita vir Domini regiam magnificentiam placavit, & Dei omnipotentis gratiam non amisit.

* Gandavensis. Ad liberandum Godefridum ducē captivū mittitur.

5. ARNULFUS comes * Grandevadensis contra Fresones dimicans, victus fuga salutem meditatus est: sed præventus ab illis occisusque nequicquam attentavit. Cujus mortem THEODERICUS filius ejus ulciscī aggressus, totam pene Fresiam igni ferroque, omnique nocendi arte populatur. Ad quem debellandum GODEFRIDUS dux Lotharingiæ ab imperatore missus est, & conserto prælio, vox repente, nescitur unde, ab omnibus audita est: fugite fugite, capite capite. Cunctis actutum instar locustarum fugientibus, multisque adversariorum hinc inde peremtis, dux ipse GODEFRIDUS ab hostibus captivatur. Pro cujus liberatione venerabilis episcopus WOLBODO eo quod sibi notus esset & carus, transmissus est. *Qui tamquam fluminis impetus, qui lætificat civitatem Dei*, verba pacis & concordiæ ubi ubi de conscientia bona & fide non ficta eructuabat, & quasi quædam cœlestis virtus, ab omnibus omnino est reveritus. Quid multa? Prædonibus veniam ab imperatore obtinuit, ducem sanum recepit, pacatis omnibus, bellorum impetus conquievit.

Concilio interest.

6. Benedictus papa Romanus ab imperatore pro quibusdam regni & Ecclesiæ negotiis invitatus, in Gallias venit. Multisque episcoporum ad synodum unde unde confluentibus, multa ibi utilia, multa honesta decreta sunt, quæ omnia hujus nostri WOLBODONIS astipulatione fuerunt subnixa. Imperator enim quamvis archiepiscoporum suorum multa esset auctoritate & scientia suffultus, nihil tamen erat firmum, nihil stabile, nisi illius corroboratum fuisset consilio & sanctitate. Gratusque erat omnibus, non minus his qui venerant cum papa sanctissimo, quam eis qui erant cum rege memorato: fuit enim non solum regalibus peritus institutis, sed in ecclesiasticis quoque perfectus disciplinis. Ordinavit quippe in die sancto Paschæ, & in Assumtione Domini, dieque Pentecostes de singulis ecclesiis clericos cum solemni processione ad majorem ecclesiam convenire, dulcesque ex ipsis solemniis cantilenas in medio templi decantare. Multis præterea utilitatibus, & honestis Ecclesiam consuetudinibus pernavit: nam clericos dominicis sacrisque diebus in lineis candidatos, quod signum constat esse innocentiæ, ire instituit: in adventu autem, & a septuagesima usque in Pascha cappis nigris, tamquam pœnitentes circumamiciri perdocuit.

Processiones instituit ad majorem ecclesiam.

S. Heribertus archiepisc. regi reconciliat.

7. Prædictus rex sanctum Colonienſem archiepiscopum HERIBERTUM multis affecerat injuriis, eo quod lanceam & coronam, ceteraque regalia nonnisi nobilium judicio tradidisset illi, diuque magnæ inter eos fuerunt simultates, diu Ecclesia omnis in hoc scandalizata est, multumque attrita & commota. Qua de re vir Domini WOLBODO valde anguſtiatus est, tum quia regi familiarissimus erat, ejusque salutem & honorem diligebat, tum quia archiepiscopus, quem ille offenderat, suus dominus sanctusque homo esse virtutibus etiam manifestis claruerat.

Monet ergo ſecretius imperatorem, ne contra ſanctum Domini ulterius iram ſuam protelaret, juſtum eſſe Deoque placitum, ut qui illum ſine cauſa injuriatus fuiſſet, gratiam ejus cum ſatisfactione prior ipſe repeteret. Memorem eum eſſe verbi dominici: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei:* Melius eſſet ſi faciem Domini præveniret, qui injurias ſervorum ſuorum graviter vindicaret. Hac ille oratione flexus, Coloniam venit, in die Natalis Domini, coram omnibus archiepiſcopo ſatisfecit. Ita pravorum factio quæ occaſione hujuſmodi creverat, Eccleſiamque affligebat, caſſata eſt.

In morbum incidit.

8. Interea ſacerdos Domini multo ante ſui exitus diem, graviſſimo ſtomachi languore cruciatus eſt, ut ſi qua forte contraxiſſet delicta, infirmitas ſanaret diuturna: *Flagellat enim Dominus omnem filium quem recipit.* Cum autem in ſolemnitate Paſchali miſſarum ex more ſacramenta celebraſſet, tanta ſe debilitate ſenſit confectum, ut ſuum prope diem adeſſe non dubitaret exitum. Jam res clepera & anceps eſſe non poterat, quia toto corpore defectum ſui ſenticbat. Itaque parari ſibi ſtramenta vileque cilicium jubet: his cinere ſuperaſperſis, in eis ſe vere fortunatus ſenex compoſuit, cum ecce vi-

[a] » det diabolum pone adſidentem. (a) Quid hic, » inquit, adſtas ô inimice veritatis? Recede re- » cede cruenta beſtia, Dominus auxiliator meus, » ideo non ſum confuſus. Nihil periculi eſt » ſperantibus in illum: Crede mihi, non præ- » valebis adverſum me, » nihil in me funeſti » reperies, licet enim peccaverim, tamen fa- » ciem Domini in confeſſione præoccupavi. » Ille me recipiet, ille contra te cuſtos mihi » ac bellator fortiſſimus eſt. » Hæc eo dicente, receſſit inimicus.

Illi apparet S. Laurentius.

9. Illi autem taliter ægrotanti apparuit beatus Laurentius, & familiariter alloquens, quinta, inquit, feria mecum eris. O terque quaterque beatum lilium, quod cum tali roſa plantari mereretur in horto ſanctorum; non quidem ipſum eſt roſa, quia non rubet paſſionis ſanguine, ſed ex vicinitate roſæ melius complacet in ſua confeſſione & pulchritudine. Accepta ergo tantæ promiſſionis gratia, clericis & majoribus Eccleſiæ gratulabundus enuntiat, illis ſibi congaudentibus pariter & mœrentibus, quia pium erat gaudere, piumque flere pro tanti viri migratione. Ipſe ad diem illum deſiderantem præparat animam. Cum ergo gravi dolore cruciaretur diutius in cinere & cilicio recubans, accerſito Johanne archidiacono poſtea præpoſito ait, » Neminem, cariſſime fili, ab ingreſſu iſto ar- » ceri facias, ſed ingrediantur omnes, ut vi- » deant miſerum Wolbodonem, videant fu- » turum mox vermem & cinerem. Aſpiciat » grex paſtorem ſuum, ſit memor illius extre- mæ horæ, in qua viderit ſuum pontificem ultimo agone deficere. Mea ſaltem pœna ſit ei ultimæ dici memoria, facit exemplum, ipſa non facit eloquium. Plus eſt exemplo docere, quam voce.

10. Interim vocat abbatem S. Remacli Poponem, eique ordinandi hujus monaſterii curam committit. Ubi autem venit dies quintæ feriæ qui deſiderabatur, expectantem illum jam diſſolvi & eſſe cum Chriſto, non lætificavit deſiderii ſui effectus. Itaque cor ſuum triſtis inſpiciens, culpam in ſe deprehendit, videlicet quia viſionem tantæ dignationis dignis pariter & indignis plus juſto lætus innotuit, accitoque Wielando clerico familiari ſuo & religioſo, auctoritateque divini nominis illum aſtringens: Video, ait, quid juſtitia temporum, quid cauſæ noſtræ bonitas, quid cura tua, ſi tam tibi cordi ſum, efficere poſſit: nam coronam meam perdidi, niſi propitius Jesus miſertus fuerit mihi. Feria quinta venire debuit, & non venit, quia illum credo exacerbavi, eo quod viſionem ejus omnibus incaute prodiderim. Fac ergo vapulare me quod deliqui, ut merear veniam hujus delicti. Hæc dicens, vinctuſque ab illo, corpus languore depreſſum pius pœnitens verberibus ſubjecit. Itaque feria quinta ſubſequentis hebdomadæ venit propitius Dominus Jesus, cujus ille imaginem jam in ultimo agone poſitus offerri ſibi juſſit, devotus accepit, oſculis oris ſui diutiſſime aſtrinxit, lacrymis rigavit, crine terſit, pio exemplo illius peccatricis de qua dixit Dominus diſcipulis ſuis, *Amen, amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit evangelium hoc in toto mundo, dicetur quod hæc fecerit in memoriam ejus.* Igitur dum his intentus omnino eſſet, inter ipſa dulciſſima oſcula, cum vocante Domino, generoſum illum contemtoremque omnis potentiæ ſpiritum non emiſit, ſed ejecit. (b) Itaque anima ſancta in gaudium Domini ſui recepta, corpus ſanctum omni veneratione dignum, in hac eccleſia S. Laurentii honorifice conditum eſt. Abbas autem Poppo commiſſam ſibi hujus eccleſiolæ curam fideliter executus fuiſſet, ſed ſatan, qui ſemper, ut dictum eſt, huic loco ſtetit ex adverſo, invenit quomodo & per quos adverſari poſſet.

Monaſterii Popponi abbati commendat.

Verberibus ſe cædi fecit ac pie obit.

[b]

MIRACULA EJUSDEM, & de Durando epiſcopo.

1. Nam Durandus factus epiſcopus, non ſecutus eſt prædeceſſorem ſuum vel alios, qui plantaverant vineas, id eſt eccleſias devotione ſua: ſed e contrario tulit, & partim militibus dedit, partim ad menſam epiſcopii retinuit ea, quæ beato Laurentio ſanctus anteceſſor ſuus Wolbodo obtulerat.

Durando conceſſa S. Laurentio tollit.

[a] Simili fere modo S. Martinus Turonenſis epiſcopus diabolum in extremis adoriebatur, uti videre eſt apud Sulpitium.

(b) Anno MXXI. undecimo Kal. Maii.

Nam quia necdum positi fuerant, qui in hoc loco Deo militarent, leve putavit si ea, quæ ante militiam præparata fuerant, nemine sibi contradicente, tolleret. Non est recordatus miserationum Domini, qui illum de [a] paupere nido in quo natus est (a) & altus est, eo usque ad summos provexit proceres, ut dominorum suorum dominum & episcopum constitueret. Non, inquam, recordatus est misericordiæ quam fecerat secum venerabilis episcopus WOLBODO, qui imperatori quærenti clericum scientem litterarum, omissis aliis, eum pauperem commendaverat, rogans etiam ut super eum poneret oculos suos; quodque imperator episcopi commendationem tanta gratia dignam habuerat, ut cum hujus civitatis episcopum, & ut dictum est, dominum dominorum suorum faceret. Itaque visio dura apparuit illi semel & iterum propter hoc. Erat autem hujusmodi visio: eumdem venerabilem episcopum contra se stantem, & se acri vultu intuentem, eleemosynam quam a se Deo & martyri ejus oblatam ipse abstulisset repetere. Quod cum ille suis nonnihil sollicitus exponeret, aiebant, maxime hi quibus rapta largitus fuerat, non debere eum somnia attendere, hominem enim sapientem illum esse, *multas quippe curas sequi somnia*, ideo hæc illum dormientem videre, quod vigilans similia tractaret. His & hujuscemodi verbis adulantium lingua facile omnem timorem de corde ejus elambuit. Ecce autem tertio apparens Sanctus, & illo potentior episcopus WOLBODO in virga furoris venit, missus contra eum durus nuncius, & comminans terribiliter, ait illum non posse diutius vivere, jam enim securim ad radices arboris positam esse, quia fructum malum in bonum noluisset convertere. Inter hujusmodi verba gravissime illum cecidit, quem & statim prævia mortis ægritudo corripuit. Expergefactus ille, clamoreque ejus familia turbata est, convocat archidiaconos & primos civitatis, & narrans quæ viderit: En morior, inquit, ad misericordiam domini mei sancti Wolbodonis me projicite, ex opposito illius extra ecclesiam beati Laurentii, extra parietem sepelite me. Tradensque S. Laurentio prædium in Wasegga, quod nuper a Roberto archidiacono comparaverat, & quod solum residuum [habebat,] quatuor marchas auri, unde postea factus est calix optimus, spondebat quod si spatium sibi daretur, universa quæ tulerat in integrum restitueret. Sed non expectatus obiit, (b) & hic sicut petierat, extra ecclesiam sepultus est. Ibi tamdiu nudus & sine tecto jacuit, donec ecclesia nova fundaretur, & tunc ampliata domo, muro inclusus & sub tectum admissus est, & hanc sepulturam quæ hactenus cernitur, abbas Stephanus pro veneratione episcopii super illum composuit.

Durandum Volbodo imperatori cõmendaverat.

Qui beneficii immemor trina admonitione prævia ab eo perculsus obiit.

Moriturus tradit S. Laurentio prædium in Wasegga.

2. Hic est abbas STEPHANUS matutinus & primus hujus vineæ quam Deus hic plantari voluit operarius, qui XXXIII. annos & duos menses, longum videlicet diem propter spem denarii, in hoc opere explevit. Sed & antequam ad hoc opus vocatus fuisset, prius etiam quam sanctum monachi propositum susceptisset, non otia foris sectatus est, sed ubicumque fuit, semper in vinea Domini laboravit: nam & ideo cum esset S. Dionysii canonicus, sancto WOLBODONI episcopo adhuc viventi solo primum aspectu complacitus, cum ille de qualitate ejus a fratribus ipsius sollicite requisiisset, & laudanda didicisset, familiaris ejus factus est, & præ ceteris cariissimus. Hoc eo die contigit, quo ille prædicti martyris dedicata ecclesia, convictu quoque suo fratres lætificavit, hic ut cellerarius servivit. Invitatus est ergo, disponente ut credimus, Deo, quatinus cui semel viventi complacuisset, in ejus defuncti contubernio perenniter commaneret. Sed hic in initio dolores habuit ut parturientis, eo quod & episcopus * locum penitus negligeret, & cum his qui secum venerant, videlicet sex fratribus necessariis egeret. Cum igitur humilis servus Christi, velut exulem se & egenum conspiceret, & pro hoc loco circa sepulchrum sancti pontificis totis noctibus fleret, & oraret; quadam nocte, post uberes lacrymas, cum residens deflexo inter manus capite paululum obdormisset, hoc modo illum divina gratia ibidem consolata est: vidit assistere sibi juvenem speciosum ac splendidum, qui a pio patre Wolbodone se esse missum assereret. isque consolans eum; » Tu, inquit, nunc quidem tristitiam habes, « sed in proximo est ut hæc tristitia tua con- « vertatur in gaudium: etenim sanctus Lau- « rentius sanctusque WOLBODO locum hunc « pariter ante Deum assumserunt, & funda- « menta ejus in illis sanctis montibus sunt, & « quamdiu fuerint hic inquisitores regni Dei, « omnia quæ necessaria sunt corporis adjicien- « tur eis, & hoc erit tibi signum. In proximo « episcopus, flante spiritu Dei, huc animum « suum applicabit, & de grandi periculo, in « quo nunc est, enatans, hoc in loco suæ spei « figet anchoram. Ecce & is frater quem ho- « die mittis, ut ad vestimenta comparanda « mutuum aliquid accipiat, cum venerit ad « forum rerum venalium, præparatum a sancto « Wolbodone virum inveniet, qui quantum « necesse est gratis tribuat. » His ille acceptis, « evigilans confestim fratrem Renuardum, quem ad Viseti forum ire præceperat, jam egressum, jam vadentem revocari citius im-

STEPHANUS I. abbas S. Laurentii.

* Reginardus.

[a] Humili servorum Godescalci majoris ecclesiæ præpositi stirpe progenitus.

[b] Decimo Kal. Februarii anno Domini MXXIV. Ei tribuitur epistola adversus Berengarium, quæ est Deoduini de quo infra.

perat. Expoſita viſio eſt, cunctiſque gaudentibus, eumdem fratrem abire præcipiens, ex ejus eventu firmius didicit, quid de ceteris oraculi deberet ſperare promiſſis. Ille quippe ſtans in foro, & a quodam non ſibi noto interrogatus quid quæreret, cum reſpondiſſet ſe a ſancto Wolbodone miſſum, ut fratribus deferret aliquid veſtimentorum, nec ſe habere pretium, ſexaginta probatæ monetæ ſolidos ab illo ſatis hilariter tribuente, lætabundus accepit.

3. Interea quidam eccleſiæ noſtræ manſionarius, homo pauper & exiguus, ſed forte apud Deum meritis magnus, mira ſe quædam per viſiones nocturnas audire & videre perhibebat. Vadenſque per civitatem feſtis diebus ſimplicitate ruſtica, & quadam quæ verorum pauperum eſt licentia, palam omnibus proclamabat, ſanctum Laurentium ſanctumque Wolbodonem in Publico monte commune habere hoſpitium, eos totis noctibus metiri ſuum habitaculum, & quia parvum eis videretur, condixiſſe eos vetus debere dirui novumque fabricari. Cumque multis oſtenderet dicens: Hucuſque in longum, ſic in latum, tantoque in altum ſuas lineas ipſi tetenderunt, tamdiu ſtolidum & inſaniæ proximum cuncti crediderunt, donec univerſa effectus vera eſſe probavit.

Explicit liber quartus.

INCIPIT QUINTUS.

Reginardus per ſimoniam fit epiſcopus.

1. ANno Dominicæ Incarnationis MXXV. REGINARDUS poſt Durandum fit epiſcopus. Hic non attendens oſtium, (debemus enim ad gloriam Dei ore libero peccatum propalare pœnitentis, ſicut adulterium David & homicidium, ſicut negationem Petri, ſicut Mariæ ſeptem dæmonia.) Hic, inquam, non attendens oſtium, aliunde aſcendit in ovile ovium. Deſignatus enim ad epiſcopatum Virdunenſem, ipſe Leodienſem eccleſiam eodem tempore, Durando mortuo præſule, vacantem magis ambivit, aditoque CUNRADO tunc temporis imperatore, pecunia obtinuit ut optato potiretur.

Poppo curã adipiscitur S. Laurentii. [a]

Hoc igitur epiſcopatu adepto, abbas Poppo (a) cura hujus loci, quam a ſancto patre Wolbodone ſuſceperat, quia jam de illa deſperare cœperat, ſe abſolvit, & prædicto epiſcopo in manum remittit. Tunc agente enixius apud epiſcopum ſæpedicto comite HEZELONE, ut abbatem loco præficeret, & dicente ſcire ſe Virduni quemdam probatæ vitæ monachum, nomine STEPHANUM, quondam hujus civitatis canonicum; epiſcopus, ſi modo ille deducatur, facturum ſe pollicetur. Quo audito, idem comes celeriter dedit operam ut ille adeſſet.

2. Hoc tempore, Frederico Moſellanorum duce mortuo, quia mares filios non habebat, quibus ducatus competeret, GOZELO dux, impetrato ab imperatore etiam Moſellanorum ducatu, in Lotharingia nobilius principabatur. Burgundionibus vero non deſiſtentibus a conſueta contra regem ſuum inſolentia, rex RODULPHUS regnum Burgundiæ Conrado imperatori tradidit, quod a tempore Arnulfi imperatoris, per annos plus quam CXXX. gentis ſuæ reges tenuerunt, ſicque Burgundia iterum redacta eſt in provinciam. ODO autem Campanienſis regnum Rodulphi regis avunculi ſui, a Conrado imperatore nepote ſuo repetens, ut ſub eo regat Burgundiam efflagitat. Quod cum ei rex negaſſet, ille contra eum bellans, Lotharingiam incurſat, caſtella oppugnat, urbem Leuchorum, quæ Tullus dicitur, obſidet, & in nullo temperat furori ſuo. Erat tum temporis ejuſdem civitatis epiſcopus domnus BRUNO, qui poſtea factus papa eccleſiæ Romanæ, vocatus eſt nominis hujus nonus LEO. Hic tantæ fuit ſanctitatis, ut cum ad capeſſendam ſedem apoſtolicam Romam tenderet, audivit voces angelorum canentium: *Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis.* Ipſe vero, cum in papatu pauperem leproſum ante fores offendiſſet, eum fotum diligenter in lecto ſuo collocavit, quem cum referato oſtio non inveniſſet, in paupere ſe Chriſtum ſuſcepiſſe obſtupuit. Ipſe ergo, ut diximus, obſeſſa civitate ſua ab illo tyranno, orabat Deum attentius, ut auxilium miſericordiæ ſuæ mitteret ſibi quantocius. Ille tamen nihilominus ſæviit, caſtrumque Barum obſidet & capit. Tam ancipiti periculo permotus dux GOZELO Leodium venit, domnum REGINARDUM epiſcopum rogat plurimum & obteſtatur, ut non ſolum ſibi, verum etiam omni Lotharingiæ, immo vero univerſo ſubveniret imperio, quod æterno notaretur elogio, ſi prævaleret prædictus ODO; omnes Francigenas omnemque Burgundiam conjuraſſe cum illo, nihilque aliud meditari, niſi irruptionem in regno Romano. « Hujus, inquit, nobis « curæ abſolutionem diligentia veſtra uſu ex- « plorata promittit. Nihil moramini, mihi ſa- « tis ſubſidii eſt ſi venitis. Sed vereor indul- « gere verbis præconii veſtri, ne proximus eſſe « videar blandienti, quamquam dulce ſit cer- « tamen familiaris officii. In defectu rerum « nihil operæ eſt indulgere dictis. Res ipſa ve- « ſtram ſatis excitat experientiam. » Epiſcopus « habito cum ſuis conſilio, ſuum pollicetur auxilium, præcederet ipſe, ne abſentiâ ejus hoſtibus audacia, ſuis vero creſceret timor & deſidia: ſubſecuturum ſe citius cum ſuus paratus fuerit exercitus. Dux lætificatus promiſſis ejus, quem ſciebat multum valere in ejuſmodi, tum & ſapientia, quæ multum præſtat in arte bellica, ac nobilium militum multitudine quæ ſub eo erat, propere recedit,

Reginardus Gozeloni duci adverſus Odonem Campanienſem fert auxilium.

(a) Itaque annos ut minimum quatuor S. Laurentii locus ſub Popponis cura & adminiſtratione fuit.

suosque oppidò lætificat, quos in magno mœrore varioque curarum æstu reliquerat. Nec tamen congredi cum hoste ausus fuit, donec episcopus adventaret, donec sua exercitum præsentia lætificaret. Mox ut ille advenit, divisis in procinctu per turmas & cuneos militum alis, personantibusque hinc inde tubis, commissum est prælium, diuque incerta belli alea decoxit exercitum. Multitudo quæ cum hostibus erat, victoriam illis promittebat, hos innocentia sola protegebat; superbia illos armaverat, istos justitia. Odo princeps hostium sinistro cornu protrito, milites suos convertit, totum belli negotium in episcopum agit, a cujus se militibus cernebat præ omnibus & sentiebat prægravari. Episcopus Dei auxilium in præsenti discrimine invocans, nobilium mentes juvenum hortatu paterno excitabat; senibus ut pristinæ memores essent industriæ, neve suprema virtus nutaret prædicabat; illius gesta nobiliter olim declarata memorabat, hunc ex nomine proprio compellans, ut fortiter hostem cæderet exorabat. Gozelo dux recollectis suis, quos palantes revocaverat, legiones iterato restaurat, cum episcopo fortiter prælianti gradum firmat, ferrum denuo imbre lethali conseritur, plurima mortis imago vertitur; episcopus a latere lacessentes protudit, lectas retro legiones immisit. Albertus comes Namucensis, qui cum episcopo erat, dum præ nimio zelo hostem conterendi in confertissimos hostes incurrat, unde unde telis obruitur, sed dum cedere censet esse pudori, cum multo hostium detrimento non inultus perimitur. Crevit in adversis virtus: nam episcopus cum duce cernentes comitem interiisse, jam totis habenis in hostem irruunt, Odonem (*a*) cum omnibus suis nobilioribus interimunt, ceteros ubi ubi palantes confodiunt. Nec appositerunt ultra Francigenæ fines Lotharingiorum incursare. Leuca civitas diutina obsidione attrita, jamque nisi divina affuisset misericordia, in deditionem futura, liberatur. Episcopus Bruno, qui illa obsessus tenebatur, gratias Deo agebat, exauditum se fore subactis prædonibus. Episcopus Reginardus victoria plena potitus, & ab omnibus magnifice glorificatus, Leodium redit, & pro cunctis suorum, qui in expeditione oppetierant, obtulit Deo sacrificium laudis, factaque est ingens lætitia imperatori Conrado, cunctisque primoribus aulæ, domnus Reginardus ab universis prædicatur, qui tantum imperii hostem protrivisset, & quasi opprobrium abstuliſſet ab Israël.

[a]

Reginardum simoniæ rei pœnitet.

3. Interea jam episcopo Reginardo divinitus cœperat agi quod Dominus per prophetam dicit: *Venies usque ad Babylonem, & ibi liberaberis*: venerat enim usque ad Babylonem, ingentis scilicet peccati confusionem, & ibi respectus ab illo, qui respicit terram & facit eam tremere, quo respiciente Petrus flevit amare, tremuit ipse & flevit, territus periculi sui magnitudine. Igitur ut liberaretur Deum instanter cœpit exquirere manibus suis, sentiensque quod esset vinctus manibus, & quod nisi detectis vinculorum nodis solutionem mereretur, vadit Romam ad pedes apostolorum principis, ut ferrum quo vinctus esset solvendi potestatem habenti suppliciter detegeret; & cum animo jam, exemplo regis Ninive, de solio suo descendisset, vadit tamen cum tam ingenti pompa nobilium, ut non tam peregrinatio quam exercitus crederetur, aliis pro honore, aliis pro sua devotione secum proficiscentibus, tanto utique verius pœnitens, quanto minus multitudinem notorum in eo quod facturus erat erubescens. Cum his itaque ingressus Romam, & apostolorum principis ecclesiam, mox ut apostolicum Benedictum (*b*) intuitus est, in conspectu ecclesiæ suorumque comitum cum ingenti gemitu ad pedes ejus procidit. Moti omnes maximeque sui stupere miraculo. Præoccupant verba lacrymæ, vocemque ejulantis potius quam loquentis singultus intercipit. Itaque tanquam Lazarus ad magnam Domini vocem concussus, cum requireret apostolicus, & causam expectaret, tamquam de sepulchro totus prodiit, qualitatem suæ mortis fatetur, & vinculi quo erat compeditus, scilicet quod episcopatum quem non meruisset per gratiam, obtinuisset per pecuniam. Idcirco se velle dimittere, ait, sic male acquisitum, non dubitare *dexteram manum suam, quia se scandalizaret, abscidere, & projicere a se; melius quippe esse cum una manu privatum ad vitam ingredi, quam duabus manibus potentem potenter tormenta pati in gehennam ignis.* Itaque secundum suum ipsius judicium, apostolico quoque prosequente ita magis expedire, cum super altare beati Petri baculum pastoralem deposuisset, apostolica benedictione absolutus, privatus abire jubetur. Cum hi qui secum erant mœrerent, gaudebat ipse, sicut qui esset solutus a vinculis, abstractus ab inferis, suscitatus a mortuis.

Procidit ad pedes summi Pontificis. [b]

Renunciat episcopatui.

4. Interea recogitans apostolicus misericordius cum illo esse agendum, neque enim eum ceperat *in gladio & arcu suo*, sed ille ultro prodiderat delictum suum. Nam & Petrum, quia ultro flevit, resurgens Dominus ex nomine revocavit apostolum ad apostolatum. Tertia die mittens, vocari ad se jubet eum Leodiensem exepiscopum, & alloquens eum: « Quoniam, inquit, hactenus ut negotiator sedisti in templo Dei, & «

Quem restituere jubetur.

(*a*) Odonis cladem ad annum 1037. consignant Hugo Flaviniacensis in chronico Virdunensi cap. 29. breve chronicon Autissiodorense apud Labb. & alii.

[*b*] Renerus ab Ægidio exscriptus, quem & ceteri recentiores secuti sunt, pro Benedicto posuit Johannem, qui anno 1033. die 8. Novembris jam obierat.

» hoc agnoſcens, non expectato flagello Do- » mini, tuam ipſe cathedram evertiſti; nunc » in nomine Chriſti, & ex auctoritate Petri » apoſtoli, accipe curam & regimen ſanctæ » eccleſiæ, & permanens in ea, fac dignos » fructus pœnitentiæ; ſecundum poſſibilitatem » tuam paſce pauperes, & ſubleva in neceſſi- » tatibus deficientes, & ſi potes, alicujus Sancti » eccleſiam ædifica, ut cum defeceris, recipiat » te in æterna tabernacula. » Hoc vero ex- pertum in ſe quam bonum ſit præoccupare faciem Domini in confeſſione, auctum be- nedictione Domini ad propria remittit. Ita- que revertebatur, illud in ſe habens ſimile David, quod ſicut ille cum fugiſſet a facie Abſalon filii ſui, iterum in regnum ſuum eſt reductus; ita ipſe, poſtquam fugerat a facie peccati, mali videlicet filii, rurſus in regnum eccleſiæ reverti merebatur.

S. Laurentii eccleſiam cõſtruit.

5. Cumque revertens, jam per Publicum montem deſcenderet, jamque exiguum, quod hic ſitum erat, azylum conſpiceret, comes HEZELO nonnihil ejus ſecreti conſcius, » appropians lateri ejus, « Ecce, inquit, do- » mine, beatus Laurentius, qui te, ſi ab ipſo » promeruerit, apud Chriſtum potenter auxi- » liabitur. Hoc dicto, mirum in modum locus ipſe, & nomen ſancti martyris animo ejus incidit. Itaque cum civitatem ingreſſus fuiſſet, & debito cum honore exceptus, in pace re- ſedilſet, die quadam ſummo diluculo aſcen- dens ad orationem, viſitavit locum, & con- ſolatus eſt humilem & pauperculum abba- tem STEPHANUM, omnia viſioni ſupraſcriptæ convenientia repromiſit. Et quia jam hiems inſtabat. erat enim ille dies ſecundus menſis Novembris, propoſitum quod mente gere- bat, tunc quidem implere diſtulit. At ubi jam pene hieme exacta verna temperies ap- propinquavit, ecce repente die tertia menſis Februarii ſummo diluculo aſcendunt offi- ciales epiſcopi, & aſcendentes tectum eccle- ſiæ diſſipare, murumque ſubvertere ſumma alacritate & ingenti gaudio atque clamore cœperunt. Ita ſero in præterita veſpera fue- rat in domo epiſcopi deliberatum, ut abbati STEPHANO adhuc quieſcenti, repentinus fra- gor pro nuncio fuerit. Diruto itaque veteri ædificio, locus in quo ſteterat, poſitis fun- damentis per medium diviſus eſt. Funda- menta quippe novæ eccleſiæ a medio ejus foris in occidentalem plagam deducta ſunt, reliquum ejus ab orientali plaga cedens in habitationem ſancto epiſcopo Wolbodoni, fundamenta cryptæ accepit in honorem bea- tæ ſemper Virginis Mariæ. Erant autem in hoc opere epiſcopi, immo Dei adjutores, abbas OLBERTUS S. Jacobi, ſanctique Petri Gemblacenſis, vir totus ex ſapientia virtu- tibuſque factus, & HUNECO frater ipſius epi- ſcopi, & Memmerus * tunc temporis judex (a) civitatis.

* al. Meine- rus.

6. Nec illud inter prætereunda ponendum videtur quod accidit. Arbuſcula quædam, quam vulgo ſalandram (b) nominant, extra fundamentorum ambitum relicta fuerat; hanc ſupramemoratus ſomniator, omnino longitudine eccleſiæ concludendam eſſe perhibebat. Jam parietes non modice ſur- rexerant, & ille nihilominus ita futurum eſſe confidenter aſſerebat. Nec eum hæc ſua confidentia fruſtrata eſt. Venit quippe præ- dictus frater epiſcopi, & inſpecto opere vi- tuperare cœpit & deteſtari, multum ſibi diſ- plicere manſiones longitudinis, dominum ſuum multo melius poſſe perficere quod in- choaverit. Hæc dicens potenter ac fiducia- liter operariis imperat quadraginta pedes in longum augere parietes, aſſerens quod ſi epiſcopo non placeret, propriis ipſe ſumti- bus augmentum illud ſuppleret. Sic incluſa eſt ea quam diximus arbuſcula, & pauper ille his a quibus irriſus fuerat, arridens, quaſi victor inſultabat.

Eccleſiæ de- dicatio.

7. Itaque hoc opus licet homines adverſi, quaſi quidam Samaritæ diu multumque im- pediſſent, tandem Domino jubente fieri per- miſſum, & citius quam quis ratus erat poſſe fieri conſummatum eſt. Deinde expetita auctoritate apoſtolica, & veniente JOHANNE Portuenſi epiſcopo, ac PILEGRINO Colonienſi archiepiſcopo, anno Dominicæ Incarnatio- nis MXXXIV. indictione ſecunda, ipſius autem Reginardi epiſcopatus anno x. cum ſummo gaudio & honore eccleſia dedicata eſt. Prædictus vero JOHANNES Portuenſis epiſco- pus, cum poſtea factus fuiſſet papa Roma- nus, frater ejus Stephanus, ejuſdem papa civi- tatis ei apparens, dixit ſe infernalibus (c) pœ- nis cruciari, ſed ſperare ſe interventu ODILO- NIS abbatis veniam poſſe conſequi. Pro quo ſanctus ODILO tamdiu omni orandi genere laboravit, donec ſibi revelaretur ſe pro illo exauditum eſſe.

8. Satis autem conſtitit merita ſancti mar- tyris Laurentii toti ex tunc ſubveniſſe civi- tati: nam ſuperioribus annis, quamdiu baſi- lica vetus hic in negligentia ſtetit, expecta- batur ſemper & erat terribilis nox paſſionis beati Laurentii, gaudium utique victoriæ ejus aëriis ſpiritibus, qui ab ipſo victi ſunt horrore tempeſtatis obſcurare nitentibus, nam denſato nigram in nubem aëre, depu- gnantibus ventis & effuſis imbribus, fiebant tonitrua, crebraque micabant ignium jacula, ut manifeſte daretur intelligi ipſa propter odium ejus a malignis ſpiritibus elementa vexari. At ubi eidem victori ſerpentis anti- qui debitus hic honor cœpit exhiberi, om- nis illa tempeſtas, & ſpiritus contrarius Do-

[a] Hunc civitatis advocatum appellat Ægidius.

[b] Reinerius *Salangram* ſcribit, Ægidius *Sanlangam*, Stabulaus *Sambucum*, Papebrochius in vita ſancti Wolbo- donis Salviam fuiſſe putat.

[c] Id eſt purgatorii juxta veterum loquendi modum.

mino increpante obmutuit. Unde & huic civitati mos inolevit, ut quotiens nimia vel imbrium vel ficcitatis injuria, ſeu quælibet alia tribulatio ingrueret, congregatus clerus & populus cum lætaniis poſtulet ſuffragia beati Laurentii. Qui cum ſæpe ſubvenerit, ea præcipue die jocundam vultus Dei hilaritatem terris obtinuit, qua Godefridus canonicus ſancti Lamberti pignora ejuſdem S. martyris, ſicut apud nos ſcriptum habetur, ab urbe Roma detulit; ſol quippe toto menſis unius ſpatio, naſcentes tunc fruges nullo juverat caloris beneficio, nimiaque pluviarum injuria ſpem omnem totius anni tam in agris quam in vineis pene conſumſerat; nec exaudiebantur quærentes miſerationem a Domino, qui ſibi oppoſuerat nubem ne tranſiret oratio. Sed ea die congregatus in hac eccleſia clerus & populus, cum pro ſerenitate miſſas celebraſſent, mox ut clamatum eſt *Kyrie eleyſon*, ſciſſis eodem momento nubibus, ſol ſerenus effulſit, terramque deinceps diutino ac ſufficienti calore refecit.

Reginardi obitus.

9. Hoc modo gaudentibus angelis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, hic quoque locus gaudii ipſorum particeps factus eſt; at ille, ſcilicet REGINARDUS epiſcopus cum conſolatus fuiſſet locum, & poſuiſſet deſertum ejus quaſi delicias, qui adhuc augere voluiſſet gaudium & exultationem, nobis nimium cita morte præventus eſt. Itaque moriens eo in loco ſepulturam habere concupivit & meruit, ubi die ac nocte, quotiens ad deprecandam faciem Domini ingredimur, noſtris, ut ejus memores ſimus, ſemper ſe ingerat aſpectibus. Orat pro illo ad Dominum etiam eleemoſyna magni pontis, quem ſuper Moſam multis ſumtibus exſtruxit, pauperes quoque MCC. quos magnæ famæ tempore famis pavit, CCC. Leodii, CCC. Hoii, CCC. Deonanti, CCC. Foſſis, ſimulque eos quos verecundia mendicare prohibebat, in opera pretio conduxit. (*a*) Quapropter exoratus filius hominis, quia & ipſe habet ubi caput ſuum reclinet, locum illi præbeat in una manſionum, quæ in domo patris ejus multæ ſunt; & quia in medio fructu pœnitentiæ obiit, antiquæ conſuetudinis mos inolevit, ut per omnes agendas mortuorum collecta illa, ſcilicet: *Omnipotens ſempiterne Deus, in cujus humana conditio poteſtate conſiſtit, &c.* quæ pro pœnitente dicitur, pro eo diceretur, quod uſque ad deſolationem eccleſiæ ſervatum fuit, nunc vero ſolum in anniverſario ejus dicitur, & collecta communis pro epiſcopis & fundatoribus noſtris in agendis defunctorum recitatur.

[a]

Quæ eccleſiæ obtulerit cũ eam dedicavit.

10. Hic eſt theſaurus quem ipſe eccleſiæ S. Laurentii obtulit, in die qua eam dedicavit. Crucifixus aureus cum pede aureo, Crucifixus argenteus cum pede argenteo, calix aureus cum patena aurea & fiſtula, calix argenteus, miſſalis auro tectus, ſitula argentea, cappæ novem ex palliis optimis, caſulæ quinque, dalmatica una, ſubdiaconalia duo, ſtolæ quatuor, quarum una cum baltheo deaurata, unum doſſale optimum, pallia tria, hiſtoria integra, miſſalis unus cum evangeliis, epiſtolis & antiphonario; expoſitio S. Hieronymi in XII. prophetas, textus diſcoopertus, alius liber de evangeliis, liber de ordine epiſcopali, Gregorius Turonenſis, liber canonum, pſalterium.

11. In qua quidem eccleſia XXX. monachos ſub venerabili viro domino STEPHANO abbate regulariter vivere conſtituit, quibus in quotidianis ſtipendiis ſequentia aſſignavit. In Waſegga centum manſos cum omnibus uſuariis & appenditiis ſuis. In Hairs XXII. manſos cum integra eccleſia & aliis ſuis pertinentiis. Everhaliæ (*b*) XVI. manſos & dimidium cum dimidia eccleſia, & aliis appenditiis ſuis. Prædium quoque *Geſt* in comitatu Lovanienſi poſitum, ſicut ipſum liberum & ab omni exactione alterius dominii omnino abſolutum, cum ſua eccleſia & ſilva epiſcopali jure tenebat, tradidit ad altare ipſius, ut eccleſia beati Laurentii ipſum prædium cum eccleſia ſua, in ſilva, in culturis, in decimis, in campis, & in omnibus reditibus ſuis ſimili & eodem modo poſſideret jure perpetuo. Cujus prædii traditio facta eſt per manum LAMBERTI Lovanienſis comitis, quem legitimum advocatum eccleſiæ beati Laurentii de ipſo eſſe prædio conſtituit. In Moſmale XIII. manſos cum aliis appenditiis ſuis. In Publico-monte qui ipſi eccleſiæ adjacet, XI. manſos cum uſuariis ſuis. In Biecha (*c*) X. manſos. In Bubais (*d*) VI. manſos cum appenditiis ſuis. In Evernays X. manſos cum appenditiis ſuis. In Aurido (*e*) IV. manſos cum integra eccleſia. In Jamapia quatuor manſos & dimidium; in Colineis quatuor manſos; in *Maſvvic* V. manſos cum tertia parte eccleſiæ; in Bomela tres manſos & XIV. cultilia. In *Helecines* IV. manſos cum quarta parte eccleſiæ; in *Lones* unum manſum; in Ebrendore tres manſos. Inter quas etiam poſſeſſiones tradidit ad altare ipſius B. Laurentii integras eccleſias de *Fehe*, (*f*) & de *Leus*, & de *Boſleirs*, cum omnibus terminis & appenditiis ſuis, ut omnis decima tam de cultis terris quam de ſilveſtribus quandoque colendis, & de omnibus reditibus ad decimationem pertinentibus, ad jus eccleſiæ beati Laurentii, & ad uſus fratrum Deo ibi ſervientium perveniat.

[b] [c] [d] [e] [f]

12. Itaque præſulatus ſui anno XIV. tem-

[a] Hactenus Ruperti abbreviator ante annos quingentos exaratus. Quæ ſequuntur ex Renero & ceteris ſcriptoribus antiquis collegit atque exſcripſit Adrianus de Veteribuſco, uti ipſe teſtatur infra ad annum Chriſti MCCXVIII.

[b] *Al.* Euhaliæ. [c] *Al.* in Wietha. [d] *Al.* in Bubaris. (*e*) *Al.* in Auroto. (*f*) *Al.* de *Fehe* & de *Liers* & de *Boſſiers*.

poralis

poralis vitæ ſubtractus eſt luci, & ducatu beati Laurentii a valle lacrymarum aſcendens, intravit in gaudium Domini ſui MXXXVI.

[a] (a) Incarnationis Chriſti anno, nonas Decembris; corpuſque ejus cum honore maximo in hac quam conſtruxit eccleſia ante majus altare venerabiliter eſt reconditum, ubi tale ſuper ſepulchrum ejus ſculptum fuit epitaphium.

Huic domus hæc index, hæc ejus tota ſuppellex,
Nec minor indicio cultus epiſcopio.
Tollitur hic nonis perfuncta ſorte Decembris.
Par & ei introitus par erat & reditus.
Anno Domini MXXXVI. *obiit dominus Reginardus venerabilis Leodienſis epiſcopus.*

Poſtmodum procedente tempore domnus EVERLINUS hujus eccleſiæ abbas nonus, ſepulchrum ejus præclaro inſignivit opere & decore [b] (b) atque hoc epitaphium, ab ipſo compoſitum, auratis circa litteris inſcribi fecit.

Flos, decus Eccleſiæ præſul, ſpeculumque Sophiæ,
Hic Reginarde jaces, corpore jam cinis es.
Nos quia frumenti ſatias pinguedine dulci;
Paſcua ſint cœli centuplicata tibi.
Te rapit a tenebris mundi lux quinta Decembris.
Splendeat in requie, ſol tibi juſtitiæ. Amen.

Officinas monaſterii conſummat abbas Stephanus.

13. Poſt obitum igitur domini Reginardi, dominus abbas STEPHANUS, vir ſcientia clarus, ſed converſatione clarior, dignum ſe patremfamilias exhibuit, & quaſi pupillus abſque patre, ſoli Deo derelictus, ædificia clauſtri & officinas a Deo ſuſtentatus conſummavit, ſuccisiſque circumquaque ſilvis, quæ propter latronum inſidias noxiæ fuerant omni tranſeunti, vineas plantavit, novalia excoluit, & prædia conquirere, ædificia conſtruere, quantum abſque detrimento ſpiritualium poterat, totis viribus laborabat. Multa tamen hujus ſæculi adverſa, ſatana procurante, ſuſtinuit. Ac veluti uva dulcis ex vinea *Soreth*, id eſt electa vel optima torculari tribulationum ſæpenumero preſſus eſt, quo-

[c] De Nithardo epiſcopo.

niam NITHARDUS (c) nepos domini Reginardi ex ſorore, cuſtos S. Lamberti, qui avunculo ſuo ſucceſſerat in præſulatum, totam ſuppellectilem, & auri plurimum & argenti, quod ille ſancto Laurentio thezaurizaverat, ut in comparandis huic eccleſiæ prædiis pro illius anima expenderetur, retinuit & uſurpavit, non recogitans quanta pius nutritor ſuus ſibi feciſſet bona.

14. Quo defuncto VAZO epiſcopus ſucceſſor ejus, non minime dominum abbatem STEPHANUM afflixit, (d) jura quædam infringere volens circumjacentis terræ, quam venerabilis Reginardus liberam ab omni exactione huic eccleſiæ delegaverat. Hic VAZO fuit frater WENSONIS abbatis de Florinis. (e) Hic primo ſub Notgero capellanus fuit, poſtmodum magiſter ſcholarium, dehinc procurante domino Reginaldo factus eſt capellanus Conradi imperatoris, poſtea præpoſitus ſimul & archidiaconus Leodienſis. Ipſe prębendas fratrum ſuorum majoris eccleſiæ canonicorum pauperes & exiguas panis & vini & indumentorum redditibus ſufficienter ampliavit, & de multa inopia opulentiſſimas reddidit. Nam cum per dies ſingulos unicuique panis unus tantum in ſtipendio quotidiano tribueretur, iſte Wazo candentis ſimilæ quinque libras appendentem panem ſingulis diſtribuendum adjecit, & in potu vini CXL. vecturas ſingulis annis eccleſiæ ſuæ filiis proventuras; hac videlicet ratione, ut ex eo quod prædictis fratribus ſuppreſſit, aliarum eccleſiarum, quibus vinum non eſſet, conſuleretur inopiæ. Siquidem omnes regulariter in communi vivebant, ſine proprio, ſub obedientia & caſtitate. Quo epiſcopo ordinato, fames valida oriri cœpit, quæ quaſi per ſex continuos annos Germaniæ & Galliæ populos valide oppreſſit.

De Wazone epiſcopo. [d] [e]

15. Poſt Wazonem Theoduinus ſucceſſit, placidum Leodienſis eccleſiæ ſidus, qui baſilicam S. Dei genitricis Mariæ, ut magna devotione ſic magna operoſitate in Hoyo extruxit, in qua & ſepultus quieſcit ante altare quod ibi beatus Maternus conſtruxit. Cujus tempore eccleſia S. Jacobi Leodienſis cum reliquiis S. Bartholomei apoſtoli, Sebaſtiani & Pancratii martyrum, meruit ditari, miſſo ad Galiciam fratre Roberto ejuſdem monaſterii monacho, cum Anchelmo Leodienſi decano. Cui etiam Theoduino Stephanus papa nonus, qui in Leodienſi eccleſia nutritus fuerat a puero, frater ducis Godefridi de *Bulhon*, per Godefridum præpoſitum ſancti Petri partem ligni S. Crucis direxit, & ſuperhumerale. Ejus etiam tempore eccleſia noſtra glorioſiſſimi patroni noſtri Laurentii reliquiis meruit honorari, & per Godefridum majoris eccleſiæ præpoſitum, ut dictum

De Theoduino.

Super humerale Theoduino epiſc. mittitur.

(a) Ita etiam Ægidius, ſed errore amanuenſis manifeſto. Nam XIV. epiſcopatus Reginaldi annus incidit in annum 1038. Melius ergo Lambertus parvus ſancti Jacobi monachus in chronico, *Obiit Raynardus epiſcopus Leodienſis anno* 1038. *ſuccedit Nithardus.* Confirmatur ex inventa in tumulo Reginaldi anno 1568 lamina plumbea, in qua hæc legebantur: *Ego Reginardus Leodienſis epiſcopus exceſſi de vita anno ab Incarnatione Domini* MXXXVIII. *indict.* V. *nonis Decembris, & ſepultus ſum in baſilica S. Laurentii quam conſtruxi*, & ex alia lamina in tumulo Nithardi epiſcopi Leodienſis eodem fere tempore reperta, cujus hæc erat inſcriptio. *Anno ab Incarnatione Domini* MXLII. *indictione* X. IX. *Kalendas Septembris obiit Nithardus Leodienſis epiſcopus.* Nam cum Nithardus Reginaldi ſucceſſor annis dumtaxat quatuor præfuerit, conſequens eſt Reginaldum fato functum fuiſſe anno 1038.

[b] Sepulchrum hoc ab hæreticis Gheuſiis ſub principe Arauſicano everſum anno 1568. renovavit dom. Ogerus Loncinus abbas 35. illudque inſigni decoravit lapide marmoreo.

[c] Qui & Nizo ſive Hezo, ſubſcripſit confirmationi fundationis ſeu ſecundo diplomati Reginardi. *Nizo majoris eccleſiæ theſaurarius, ex proſapia mea*, ſcilicet ſororis ejus Beatricis filius. Nico etiam alibi dicitur. Vide Mabill. Annal. Bened. tom. 4. pag. 442.

[d] Non ſemper, ejus enim obtentu Henricus III. imperator anno regni ſui quinto confirmavit bona ſancti Laurentii: cujus diploma vide in appendice.

[e] Hinc corrige Stabulaum, qui in geſtis abbatum ſancti Laurentii cum hiſtoricis vulgaribus cum ſcribit filium fuiſſe comitis Juliacenſis, ex filia materteræ Nothgeri Leodienſis epiſcopi. Id non latuiſſet Alexandro ejus familiari & laudatori.

est supra. Anno autem episcopatus ejus XIII. domnus abbas Stephanus cunctorum hujus ecclesiæ monachorum pater primus qui usque in senectam & senium bene regi Christo militavit, tandem senex & plenus dierum de hujus vitæ laboribus evocatus, ad nominis sui, quod coronatus vel normale interpretatur coronam transiit, & togam æternæ pacis & quietis accepit, postquam præfuerat huic ecclesiæ XXXIII. annis & duobus mensibus. (a) Sepultus est in crypta ante altare S. Dei genitricis Mariæ, ad pedes S. Wolbodonis episcopi, apud quem pro sua religiositate & honestis moribus multum habuerat gratiæ & familiaritatis.

[a]

De Lamberto abbate II.

16. Succedit Lambertus abbas noster secundus, qui & ipse tempore suo prospere processit, homo multimodæ utilitatis. Hic vitam Heriberti Colonienſis archiepiscopi & miracula descripsit, & quædam musice de ipso composuit, & in versibus faciendis claro viguit ingenio. Sed si licet parva comparare magnis, aurea ætas S. Ordinis, quæ ante ipsum sub domino abbate Stephano fuerat, sub ipso in argenteum sæculum degeneravit. Præfuit annis circiter decem, sepultusque est ad dextram domini abbatis Stephani.

De Everardo abbate III.

17. Tertium a domino abbate Stephano pastorem sortiti sumus EVERARDUM (b) ecclesiæ Florinensis monachum, propter rerum exteriorum experientiam electum, qui parum huic ecclesiæ profuit, quippe qui nec uno quidem anno integro supervixit, sed eodem die quo prædecessor suus obiit, anno tamen revoluto, & ipse defunctus est. Et quia exterioribus magis quam interioribus deditus erat, sub ipso status sanctæ religionis quasi in æreum sæculum degeneravit. Sepultus est in crypta, ad sinistram scilicet domini abbatis Stephani. Post quem Wolbodo successit ferro potius ex duritia quam ex virtute comparabilis.

[b]

De S. Trudone.

18. His diebus tempore ADELARDI secundi hujus nominis abbatis sepulchrum S. Trudonis frequentissimis quotidie coruscabat miraculis, in tantum ut multitudinem peregrinorum non solum templi ambitus, sed etiam totius oppidi locus ferre non posset. Oratorium, chorus, claustrum, nocte dieque, vellent nollent monachi, non inveniebatur a multitudine vacuum. Quod magnæ fuit molestiæ senioribus monachis solitis & volentibus Deo servire in silentio: sed juniores, quibus tædio fuit religio & disciplina odio, gratulabantur talem se occasionem habere, & cœperunt cuncta ex libito agere. De oblationibus autem altaris, quæ aliquando in hebdomada centum marcis æstimabatur, quid dicam? Exhaustus enim denariorum acervus plurimos in custodiendo custodes fatigabat, plura enim audax fraus subtrahebat. Nam non uno tantum anno vel duobus, sed per totum tempus vitæ dicti abbatis ADELARDI, XXVII. scilicet annis perduravit. De quibus pecuniis ipse abbas ædificavit ecclesiam magnam S. Trudonis, & ecclesiam S. Mariæ in foro, & alias XII. in diversis locis & villis proprietatis ecclesiæ suæ. Sed quoniam quicquid a discipulis delinquitur, ad abbatem respicere beatus Benedictus testatur, percussit eum Dominus, eo quod nimis remisse ageret circa animarum tantum periculum, & sensu alienatus, phreneticus est effectus. Et cum tanta miracula Dominus quotidie per sanctum Trudonem operaretur, ipse tamen ibidem non potuit curari. Ductus est itaque Leodium ad hoc præsens nostrum sancti Laurentii monasterium, factisque non paucis diebus more phreneticorum, in crypta beatæ Mariæ Virginis, curari tandem meruit ad sepulchrum sancti episcopi Wolbodonis, quod illis diebus frequentibus coruscabat miraculis, atque in sobrietate sensus usque ad finem vitæ suæ incolumis permansit. Obiit anno Domini MLXXXII. VIII. idus Decembris; & in Martio sequenti, * igne resolutum est illud nobile & sumptuosum opus S. Trudonis, columnæque cum monasterio corruerunt.

* tertio idus. Vide chron. S. Trud. l. 2.

De Wolbodone abbate IV.

19. Igitur anno Dominicæ Incarnationis LXXI. regimen pastorale ecclesiæ nostræ WOLBODO susceperit, de quo arbitramur, quod princeps quidem extiterit, sed Dominus non cognoverit; scilicet propter peccata inhabitantium, hoc in loco præesse permiserit, quippe qui nimium confisus gloriæ & nobilitati suæ, quia venerabilium episcoporum sancti Wolbodonis & Reginardi proximus esset & affinis, illum referens patris patruum, istum referens matris suæ fuisse avunculum. Unde nimis se extollens, longe se habebat aliter quam conveniret monasticæ professioni. In

V. chronic. S. Trudonis, lib. 1. & 2.

[a] Duodecima Januarii ætatis suæ anno LXIX. de quo necrologium hæc habet: IV. *idus Januarii domnus Stephanus Deo duce ad nominis sui coronam transiit. Qui primus huic ecclesiæ 33. annos duos menses & undecim dies præfuit.* Anno 1656. in die elevationis sancti Wolbodonis corpus ejus integrum & incorruptum, ipso etiam monachali habitu illibato indutum inventum est, caput etiamnum canitie venerandum. Ejus epitaphium ex schedis R. P. Cælestini *Lombard* subjicere juvat.

Conderis hoc tumulo mortis legem subeundo
Stephane prime pater, jam te retinet pia mater
Iherusalem supera, pax & requies ubi vera:
Nam bene vixisti, gregibus bene consuluisti;
Jam recipis merita, vivirescis perpete vita.
Ut tibi jungamur, precibusque tuis meremur:
Quod lapis hic urget Christo veniente resurget.

Præfuit annos XXXIII. menses II. dies XI. migravit anno Domini millesimo LVIII. II. *idus Januarii. Requiescat in pace. Amen.*

[b] De Evrardo abbate hæc Renerus lib. 1. de monasterii sui scriptoribus, cap. 4. *Tertium sortiti a Stephano pastorem sumus Everardum ecclesiæ Florinensis monachum, pollentem experientia virum; quo virtutes veluti pacato utebantur habitaculo, qui hereditatem Domini pasceret in innocentia cordis sui, & intellectibus manuum suarum deduceret eum; sed paucitas dierum obstitit. Nam finitus est brevi, ut ne integro quidem anno adviveret. Lucida porro intentionis & curæ jam bene florentis non careat fructu. Itaque in diebus veri computetur anni & cum justis scriptus hereditate capiat terram, ubi est longiturnitas vitæ & villus, ubi est lumen oculorum & pax.*

omni enim habitu ſuo magis ſe gerebat ut principem, quam ut abbatem. Cum ergo ſancti illi eſſent in conculcationem, & bona eccleſiæ in direptionem, contigit dominum Theoduinum ex hac luce diſcedere, anno Domini MLXXV. Poſt cujus deceſſum orta eſt diſſenſio inter potentes agendæ electionis, & dum plures voluiſſent epiſcopi fieri, nulli eorum ut epiſcopus fieret contigit. Leodienſes tamen THEODERICO abbati S. Huberti, ut ad imperatorem domini Henrici dicti Pacifici ab eis electi electionem referret injunxerunt, quam imperator confirmavit.

Theoduinus moritur. an. 1075.

20. Henricus igitur ab archiepiſcopo Colonienſi ANNONE, qui cœnobium Sigebergenſe conſtruxerat, LIV. Leodienſis epiſcopus ſive Tungrenſis eſt conſecratus. A quo etiam adjuratus eſt ſub teſtimonio collatæ ſibi benedictionis, ut ejus quoque verbis utamur: » Per benedictionem, inquit, patris tui Annonis obteſtor te, ut deſtruas ſuperbiam & inſolentiam abbatis S. Laurentii Wolbodonis. » Epiſcopus autem HENRICUS ipſum WOLBODONEM in ſpiritu manſuetudinis corripiens, interventu nobilium, quorum erat affinis, & maxime WILHELMI Trajectenſis epiſcopi aliquamdiu diſtulit, & correctionem ejus expectavit. Cumque nihil ſic proficeret epiſcopus, ſed ille ex ſuperbia & indignatione ad deteriora deficeret, conſtituit diem ad diſcuſſionem ejus publicam; congregataque eccleſia & abbatibus ad hanc diœceſim pertinentibus, conſilio & judicio ipſorum, juſſus eſt Virduni in monaſterio S. Aggerici ſubire exilium. Conſenſit ille primo judicio ſapientium; ſed locutus cum ſuis, quod prius promiſerat exequi, publica contradictione excuſavit. Epiſcopo ut daretur ſententia huic inobedientiæ, decretum eſt ab omni conventu, ut in ſua ſe recognoſceret, & ipſam abbatiam libere ad placitum ſuum diſponeret, cujus abbas convictus criminibus nollet ei ad emendationem obedire. Nec moratus WOLBODO ad imperatorem Henricum abiit, cujus violentia adverſus epiſcopum conatus eſt ſe tueri. Sed nec precibus regis potuit epiſcopus attrahi, ut eum reſtitueret, obteſtans malle ſe epiſcopatum ad tempus intermittere, quam hujuſmodi inſolentiam pati ſine congrua ſatisfactione. Igitur adiit Romam apoſtolicæ ſedis expetens refugium. Apoſtolicus autem litteras epiſcopo mittit, ut aut illum reſtitueret, aut depoſitionem ejus legitimo judicii ordine definiret. Acceptis epiſcopus mandatis, diem ſtatuit ſynodi generalis, ut ubicumque ſit ille veniat, audiendus canonice, ſi quid juſtæ querelæ habuerit. Sed ille non venit in præſentiam, cum juſſu epiſcopi conveniſſet ex omni epiſcopio, abbatum, archidiaconorum, clericorum, laicorum congregatio valde magna. Petiit igitur epiſcopus ſanctum conventum propter Chriſtum & ſecundum Chriſtum ſibi verum dari conſilium. Tunc totus ille conventus Wolbodonem abjudicavit, & ut epiſcopus alium qui dignus eſſet in locum ejus ſubſtitueret conſuluit. Epiſcopus vero rogat virum ſanctum abbatem S. Huberti THEODERICUM, (a) ut Deo & ſibi det unum de ſuo grege monachum ad hoc opus idoneum. At ille priorem monaſterii ſui nomine BERINGERUM in religione probatiſſimum, tradit epiſcopo in abbatem ordinandum. De quo prætereundum non eſt, quod cum pauper fuiſſet, Dominus illum de pulvere ſuſcitaverat, & quod magis prædicandum eſt, depoſito potente de ſede, loco illius humilem exaltavit. Igitur tunc Dominus oves ſuas poſt multam earum diſſipationem viſitavit, cum hic abbas & paſtor ordinatus, curam earum ſuſcepit. Concordabat in eo vita cum nomine, & erat vir potens in opere & ſermone, fuitque Deus cum eo, & in omni negotio, in omni conſilio proſpere agebat. Benedixitque Dominus domui huic per illum, & multiplicavit tam in decimis quam in agris cunctam eccleſiæ ſubſtantiam. Dei quoque adjutores, qui ſæculo renunciaverunt, illi accreverunt, videntes gratiam Dei eſſe in eo. Tunc & venerabilis ROBERTUS monachus eſt effectus. (b) Interea retribuebantur ei nonnumquam mala pro bonis ab aliquibus ei objicientibus opprobrium Salvatoris, *Nonne hic eſt filius fabri*, & nobili viro honorem ſuum ſupplantavit. Ad hoc acceſſit, quod HENRICO rege paſcha celebrante Leodii, WOLBODO cum, circuita terra, rediſſet a Pulania & Anglia ipſo die ſancto Paſchæ, inter miſſarum ſolemnia coram rege procidit, conquirens & regiam auctoritatem implorans. Epiſcopus autem facti ſui vitans invidiam, non abnuit cum illo reverti ad judicium, diemque illi præfigit quo ſe præſentet in omni querela ſua audiendum. Domnus abbas BERINGERUS hoc audiens, die præfixa, quia Wolbodo more ſuo non comparuit, coram omni frequentia quæ convenerat, ſurgit in medium, expoſitaque, ut optime noverat, cauſa ſua, paſtoralem dimittens baculum, ſedit privatus ſub abbate ſuo (c) in loco privatorum. Tunc omnes qui convenerant, in Wolbodonem renovave-

Henricus epiſc. Leodienſis.

Wolbodo abbas S. Laurentii ob exciſſas judicio epiſc. & abbatum exilio damnatur.

Beringerus v. abbas.

Robertus qui & Rupertus, ille nimirum celebris abbas Tuitienſis, fit monachus.

[a] [b] [c]

(a) Cujus vitam ſcripſit Heribrandus hujus eccleſiæ S. Laurentii abbas quintus, quam habes apud Mabillonium ſæculo VI. Bened. part. 2.

(b) Cui Beringerus ut infra dicemus monaſticum tradidit habitum. Non ergo monachum induit Ultrajecti, ut ſcripſit Trithemius, nec in *Oesbrueh* prope Trajectum, ut vult Bucelinus in menologio Benedictino. Nam monaſterium S. Laurentii ibidem conſtructum, anno ſolum 1121. fuit, fundatum teſtibus Johanne Beka hiſtoriæ Traject. fol. 45. & Heda fol. 147. Narrat autem ipſemet Rupertus lib. 5. de Divinis officiis miraculum de Reſurrectione Dominica an. IIII. adeoque annis 10. ante Oesbrukani cœnobii conſtructionem. Accedit ejuſdem Ruperti teſtimonium in epiſtola ad Cimonem, quam commentariis ſuis in Geneſim præfixit. De Roberto Tuitienſi ſcribitur in chronico S. Trudonis quod dormiendo labia ejus movebantur quaſi meditando legem Dei.

(c) Theoderico qui publico iſti conventui aderat.

runt judicium, hoc addito, quod nec hujus ecclesiæ, nec alicujus in hac diœcesi dignus esset prælatione. Berengerus autem rogatus est ab omnibus, & ab episcopo ratione & potestate compulsus, onus arcæ Domini subjectis trahere cervicibus, qui duodecim postea prospere præfuit annis. Wolbodo vero cum rege recessit, & usque ad mortem Domini Henrici apud eum permansit.

21. Iste episcopus dedit sancto Laurentio ecclesiam de *Aioncourt* & mediam partem villæ cum omnibus appenditiis suis & decimas vinearum in Frangeis.

[a] Variæ donationes factæ S. Laurentio sub abbate Beringero.

(a) (Anno Domini MLXXIX. Heinricus Pacificus Leodiensis episcopus dedit S. Laurentio medietatem ecclesiæ de *Ayoncourt* & dimidium allodium & *Brombays* cum omnibus pertinentiis suis, & Holtam cum appenditiis suis, & *Kyrberge* cum integra ecclesia & omnibus pertinentiis suis, & aliam ecclesiam integram de *Opprenbais* cum IV. parte allodii, ita ut, sicut res ipsius ecclesiæ suæ dispositioni erant subditæ, sic sub abbatis sancti Laurentii sint providentia & dispositione. (b)

[b]

Anno MCXII. Obertus Leodiensis episcopus quidquid juris in ecclesia S. Petri de *Ayoncourt* habebat, exfestucavit, & ipsam absolvit, ut soli prælato suo, scilicet abbati S. Laurentii, canonico more de omnibus respondeat, sive de corporali stipendio suo, sive de spiritali animarum suarum negotio, excepto solo parrochiali presbytero.

Anno Domini MLXXXII. domnus Beringerus loci hujus abbas quartus dedit supra nominato Henrico Leodiensi episcopo, ecclesiam Serrani-campi, cum omnibus appenditiis suis; & ipse Henricus episcopus reddidit ei quidquid erat in Wasegga pertinens ad mensam episcopi.

Eodem anno Anselmus *de Solre* dedit S. Laurentio prædium quod vocatur *Evernays* superius, cum omnibus appenditiis suis; & Henricus episcopus petente abbate Berengerio, ex consultu sapientium, reddidit ipsi Anselmo *Meirbeis* in *Hamoi*, cum omnibus appenditiis suis & integra ecclesia, excepta S. Laurentii quam in *Meirbeis* possidet familia. Eodem tempore ex licentia Henrici episcopi domnus Berengerus abbas quartus, dedit in perpetuam commutationem sancto Jacobo allodium quod S. Laurentius habuit in Minasia, cum tertia parte ecclesiæ, & molendinum de *Wich*, & Robertus abbas S. Jacobi reddidit S. Laurentio ecclesiam de Mestia, cum omnibus terminis & appenditiis suis.

Anno Domini MLXXXI. Elbertus de Helmeis & frater ejus Emmo de *Grusnes* villulam de Mareis S. Laurentio tradiderunt, quam Henricus episcopus liberam fecit, & ut in perpetuum ab ecclesia non possit alienari constituit.

Eodem tempore Gerardus de Jamapia tradidit S. Laurentio quidquid habebat in Jamapia, scilicet XII. bonnaria terræ & curtem unam, cum omnibus usuariis suis ex integro, tempore Beringeri.)

Nota destructionem oppidi S. Trudonis.

22. Eodem tempore defuncto abbate Adelardo in monasterio S. Trudonis visus est Crucifixus moveri. Siquidem duo electi sunt in abbates, scilicet Lanzo abbas S. Vincentii Metensis, & Lupo monachus S. Trudonis. Episcopus autem Leodiensis Henricus consensit in Lanzonem. Qui postquam introductus est in abbatiam, a Lupone expellitur, & Lupo turrim ecclesiæ, quæ sola de incendio remanserat, munivit, & se in ea recepit. Quo audito episcopus, Lanzonem cum domno abbate Beringero magnæ vitæ & nominis, in ecclesia hac S. Laurentii constituit, deinde movit exercitum ad expugnandum turrim ecclesiæ S. Trudonis, de qua Lupo fecerat speluncam latronum. Quid multis morer? Agentibus Brustemiensibus, inter quos & Trudonenses antiquum odium erat, invasum est oppidum, & in medio fori gravissimum commissum est prælium. Prævaluit tandem multitudo, & Trudonenses retrogrado in atrium cogunt vestigio. In toto oppido nec minima domuncula superfuit incendio. Episcopus XII. postea marcas misit ad reædificandum templum beatæ Mariæ. Acta sunt hæc anno Domini MLXXXIV. in Junio. Episcopus Henricus convocatis principibus suæ diœcesis, pacem Leodii ordinavit, propter quod Pacificus dictus est. Obiit anno MXCI. & Hoii sepelitur. Post cujus obitum sedes vacavit quasi per annum, propter discordiam electorum.

Henricus Leodiensis episc. dictus Pacificus ob initam pacem cum Trudonensibus.

23. Erat tunc temporis in ecclesia Leodiensi canonicus quidam, Obertus nomine, præpositus S. Crucis, qui accepta licentia eundi Romam, cum invenisset regem in Italia, apud eum se in ejus curia cum ceteris capellanis contulit, ubi Wolbodoni nostro familiaris effectus, & ab ipso & ceteris regi Henrico commendatus, tantam familiaritatem apud eum adeptus est, ut eum, donum episcopatus habentem, Leodium, nunciata sibi morte episcopi Henrici, remitteret: sic tamen, ut data fide coram rege firmaret, quod tertio die post introitum suum Wolbodonem in hac ecclesia, expulso venerabili viro domno Berengero, relocaret. Wolbodo igitur trepudians, a mercatoribus hujus patriæ pecuniam multam mutuo accepit, quam de ecclesia ista persolveret; unde ipse rex ccc. marcas habuit, Obertus autem non parvam inde partem accepit. Itaque fama facti hujus Leodium pervenit, scilicet Wolbodonem advenire; & multas secum divi-

Henrico episcopo Obertus succedit.

[a] Quæ hic parenthesi interponuntur, sumta sunt ex libro cartarum ecclesiæ sancti Laurentii.

[b] Hujus donationis diploma in appendice subnectemus.

tias apportare. Quæ fama mox ut monachorum auribus tetigit, mœrebant hi in quibus erat lumen prudentiæ; alii autem qui leves corde erant, cupiditate novarum rerum, nonnulli vero quibus disciplina fuit onerosa, odio præsentis patris tripudiabant. Quid multa? tota civitas repleta est de nobilitate generis & divitiis Wolbodonis. At ille omnium egentissimus pecuniam mutuam acceperat, quam de carne & ossibus monachorum soluturus erat.

Qui ejecto Beringero, Wolbodo restituitur.

24. Venit igitur OBERTUS Leodium cum eo in vigilia Nativitatis Domini; sed nihil agere attentavit, priusquam in sede sua episcopali benedictione confirmaretur. Ordinatur ergo Coloniæ pridie Purificationis beatæ Mariæ, ibique firmata est sententia oportere perfici regis imperium. Cumque rediisset, evocato domno BERENGERO coram omni clero & populo, cunctisque pene principibus, non ex sua, sed quasi ex regis sententia invitus edicit oportere ut abeat. Nec erat in tanto conventu, quamquam multos adversarios haberet, quisquam tam audax, qui in eum umquam vel unum sermonis impetum, ad extorquendum illi baculum pastoralem, jacularet. At ille vir venerandus, expositа, ut optime sciebat, diligentia quam circa pastoralem curam habuerat, coram eis transiens, per medium illorum ibat. Detestabantur hanc judicii subversionem pene cuncti tam clerici quam laici, & cum honore eum deducentes, dederunt ei equos ad subvectionem fratrum, qui cum patre suo magis exules esse elegerant, quam sub mercenario vivere vel audire vocem alienorum.

25. Ejectus ergo vir Dei tam venerandus & huic ecclesiæ tam necessarius, venit cum fratribus suis ad abbatem S. Huberti THEODERICUM, qui eum benigne suscipiens & consolans, dedit ei prioratum unum * prope civitatem Rhemensem, ubi per tres annos & dimidium moratus est ingens exul, cunctis qui eum noverant valde gratiosus, Deoque devotus. Percusso igitur pastore, susceptus est infelix ille mercenarius cum infaustis canticis, monachis illud responsorium canentibus: *Deus domini mei Abraham, dirige viam meam, &c.* O infaustum diem illum quem tantæ tenebræ sunt secutæ. Sequenti etiam die exceptus est LUPO ille Hasbanensis, qui de ecclesia S. Trudonis fecerat speluncam latronum. O vere tempora infelicia. Nam cum Wolbodone veniens, statim se ostendit armata egestas, ita eum debitis exagitantibus, ut feram rapidam fames valida exasperat. Et quidem primo in pauperem ecclesiæ familiam durus exactor incubuit, nunc prece, nunc dura lege placiti prædam faciens ex eorum substantiis; deinde fundos ecclesiæ, decimas quoque paulatim oppignerat, partim vendens in perpetuum alienat, nonnulla sub conditione annui census emancipat, alia in beneficium alienis heredibus donat. Quod videntes monachi, cœperunt se invicem rixando detestari, abbatem Beringerum hæc omnia prædixisse referentes, ejusque beneficia recolentes, eorum ingratitudinem arguebant. Principes etiam hujus patriæ simul cum GODEFRIDO duce consilium inierunt, & OBERTI animum vix obtinuerant, ut domnum Beringerum remandaret, & domum istam de manu tanti prædonis eriperet. At episcopus, demandato Wolbodone, coram facta ejus arguebat: sed ille improvisus, vix usque in crastinum induciis impetratis, locutus est cum senioribus monachis qui partem ejus foverant, & conficta qua potuit purgatione, & dictorum seniorum armatus defensione, revertitur, ut qui nocebat noceret adhuc. Ipsi enim trepidabant timore ubi non erat timor, scilicet ne si domnus Berengerus abbas reverteretur, in ipsos, quia quodammodo causa commotionis fuerant, tantum malum retorqueret. Quapropter potentibus exasperatis, crevit circa locum despectio, & facti sunt despicabiles monachi in oculis omnium timentium Dominum.

Interim a probis omnibus desideratur Beringerus.

26. Domnus vero BERENGERUS, & qui cum eo erant, prædicabantur & laudabantur ab omnibus, & veniebant ad eum omnes qui illi detraxerant, in tantum quod etiam GERARDUS Trajectensis episcopus ejus gratiam requirens, eum dignis muneribus honoravit, suam operam ad sublevationem hujus ecclesiæ repromisit, sicut & postmodum fecit. Sed cum omnibus esset gratiosus, soli OBERTO factus est odiosus, quia illi imputabat quod nomen suum famosum ubique opprobriis coopertum esset. Interea Deo volente, vexatio dedit intellectum auditui, & licet diversa intentione, uno tamen igne discordiæ cœperunt omnes monachi simul contra Wolbodonem ardere. Crepitum incendii tota civitas audivit, & ipse episcopus ad extinguendum festinus occurrit. Quod semel & iterum atque tertio frustra tentatum est. Nam monachi cœperunt Wolbodonem tamquam simoniacum detestari, improperantes ei, quod quondam abjudicatus, nunc per pecuniam introductus, in bonis ecclesiæ tyrannizaret. Tunc episcopus qui stulte seipsum prodiderat, partem se pecuniæ illius habuisse, totus contra monachos insurgit. Quod videntes monachi, communibus supplicationibus in communi statutis, prosternebantur singulis noctibus in crypta ante altare beatæ Mariæ Virginis, & ad tumulum sancti episcopi WOLBODONIS; quod acceptum fuisse supernis revelationibus indicatum est. Nam vidit quisquam navim cum monachis in mari turbatam, a beata Maria ad littus perductam fuisse, sanctumque episcopum Wolbodonem ad altare S. Laurentii sacrificium laudis obtulisse, & baculum pastoralem Wolbodonis

* Evemicorum.

Qui monasterium depradatur.

in manu ejus fractum per innumeras partes diffiluisse.

27. Obertus episcopus monachis aversus, eo quod de simonia fecissent mentionem, in feria quarta Dominicæ Passionis, cum nullo imperio, nullis clamoribus flecti possent ad subjectionem Wolbodonis, quia se a communione ejus abscindentes, & se invicem cohortantes, perseverantiam sibi mutuo firmatis animis devoverant, nec ipsis manibus temperavit, & quosdam de prioribus violenter laicis tradidit abducendos; quos cum his furiis vincere non posset, tradidit eos STEPHANO abbati sancti Jacobi, ut apud illum exilio detinerentur. At illi qui relicti fuerant, dispersi sunt in capite omnium platearum. Tandem navim ingressi, quidam [a] ex ipsis ad episcopum Trajectensem (a) pervenerunt; & paulo post jussit episcopus omnes de finibus suis exire, quia inobedientes sibi essent. Qui navim conscendentes, longo navigio ad abbatem BERINGERUM pervenerunt; quos ille in pacis osculo benigne suscepit, & consolatus est; & sic ecclesia ista per trium mensium spatium, dispersis filiis, [b] desolata permansit. (b)

28. Tandem suscitavit Dominus spiritum GODEFRIDI ducis de *Bulhon*, & principum hujus patriæ, ut OBERTO episcopo quamdam vim rationabiliter inferrent. Nam cum obsessurus castrum Clarum-montem eorum auxilium flagitasset; responderunt sibi non esse tutum suas vel suorum animas pro eo mittere in periculum, timendumque esse ne pro eo morientes damnarentur, quia ipsis consentientibus destructis ecclesiis servos Dei suis effugasset sedibus. Tunc ille WOLBODONEM ad se vocatum repente dejecit, detinens eum apud se, & sperans quod abbatem BERINGERUM callide repellere posset, quem cum fratribus suis revocavit. Revocatus autem BERENGERUS, omnes fratres suos præmisit, & tam vigilanter & industrie eos dispersos conservavit, ut non perderet ex eis quemquam. Omnes igitur fratres qui cum eo, vel post eum ex hoc loco recesserant, una die simul iterum redierunt, quæ erat vigilia beati Laurentii patroni nostri glorioſi. Unde divinum officium diu intermissum, a primis vesperis solemnitatis ipsius martyris inchoantes, resumserunt. Domnus autem abbas BERINGERUS post fratres veniens, se episcopo coram clero & populo præsentavit; qui jussus reverti in locum suum, non acquievit, donec cunctas donationes Wolbodonis exigeret irritas fieri. Quod statim factum ad magnum commodum huic ecclesiæ provenit. Nam quæ gratis data fuerant, quamvis non sine multorum odio, gratis

Berengerus ab Oberto revocatur.

recepit. Quæ vero pretio distracta fuerant, pecuniis undecumque quæsitis magno labore redemit, & seipsum suavissimo Christi jugo subjiciens, filios suos secum inter angustæ illius vitæ, quæ ducit ad vitam, semitas tam exemplis quam documentis coarctabat. (c) [c] Nullus alicui evagandi locus, & a sanctæ religionis tramite exorbitandi sub eo erat. Quapropter Dominus multorum se timentium corda tetigit, ut in redimendis prædiis quæ per Wolbodonem pretio distracta vel vendita fuerant, manus illi liberaliter porrigerent adjutrices. Unde in brevi temporis spatio quidquid per Wolbodonem perperam gestum fuerat, Deo juvante, solerti pastoris diligentia restauravit. Ipse sancto Laurentio se officiosum præbuit, & reliquias ipsius in majori altari recondidit, (d) ut sequenti [d] scripto declaravit.

Beringerii diploma de reconditis in altari sancti Laurentii reliquiis.

29. *In nomine Domini. Amen.* BERENGERUS *Dei gratia abbas, totusque conventus S. Laurentii in Leodio, omnibus Christi fidelibus in perpetuum.*

Noverint omnes hujus ecclesiæ filii, & juniores nostri junioribus suis, & posteri eorum posteris suis enuntient, quod exceptis reliquiis quæ tempore consecrationis positæ sunt in altari beati patroni nostri Laurentii, duæ ampullæ, una cristallina plena, altera vitrea media, de pinguedine, id est sagina corporis ipsius beati martyris, a nobis reconditæ sunt in inferiori parte ejusdem altaris cum reliquiis sanctorum infrascriptorum, & aliorum multorum nullo scripto vel titulo designatorum. Quæ scilicet B. Laurentii reliquiæ tempore domni STEPHANI *primi abbatis hujus loci, a quodam religioso canonico sancti Lamberti, nomine Godefrido, postmodum Leodiensi præposito, ab urbe Roma sunt delatæ, & in hac ecclesia quarto idus Junii honorifice susceptæ, deinceps ab illo tempore ipsam diem fecerunt nobis festivam & celebrem. Quam etiam omni tempore, dum subsisteret locus iste, convenit condigno cultu celebrare, & beatum patronum nostrum Laurentium oportet credere pro hac parte corporis sui totum meritis nobiscum esse: quem etsi oculis non videmus, beneficiis tamen & defensione loci præsentem esse certissime scimus. Si quis autem percunctetur, quare in interiore altaris sinu sint, necessario id actum credat. Quia eo tempore quo omnium oculis patebant, & pene omnium manibus erant expositæ, occulte & palam cæperunt subripi & imminui. Quarum majorem in futuro præcaventes direptionem, eas occultiore altaris clausura abdidimus, ne perditis illis, salutis nostræ præsidium perderemus; sed cum salvatione illarum nostram & omnium futurorum hujus ecclesiæ filiorum salvationem lucraremur. Præcipue hoc monemus, ut celebritas diei qua*

[a] Conradum: Hos inter erat Rupertus, atque inde data Trithemio ansa, falso asserendi Ruperti Ultrajecti professum ad sanctum Laurentium.

[b] Urbanus in synodo Claromontana audiens sic pulsum sua sede Beringerum fuisse, epistolam misit ad eum consolatoriam, quam supra retulimus tom. 1. p. 553.

[c] Usus Cluniacensium tum temporis invexit, ut colligere ett ex chronico sancti Trudonis.

[d] Anno 1579. elevatæ fuerunt istæ reliquiæ & in sacrario cum aliis reconditæ.

ſuſceptæ ſunt, non prætermittatur quin ſit feſtiva, & ſuſceptionis earum annuatim jucundiſſima lætitia renovetur. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MXCV.

30. Quia igitur ipſe domnus abbas BERINGERUS vigilantiſſime ſuper gregem ſuum cuſtodias Domini obſervabat, fratres qui ſub eo degebant, ſanctitatis atque virtutum aromatibus redolebant, odoreque bonæ opinionis, ac litteraria ſcientia totam provinciam reſpergebant. Inter quos velut inauris aurea ac margaritum fulgens magiſter ROBERTUS emicuit, cui ſapientia ſenſum ut ſcripturas intelligeret, & de illis ſumma facultate, ſumma utilitate tractaret, aperuit.

[d] Ruperti a teneris educatis in monaſterio S. Laurentii.

(a) Hic a puerulo apud noſtrum educatus eſt monaſterium, & a domno Berengero monachicum ſuſcepit habitum. Hic multos libros compoſuit, quorum catalogum ejuſque vitam qui ſcire deſiderat, primum li-

[b] brum fratris Reyneri (b) de geſtis abbatum hujus loci relegat & ibi inveniet. Hic in libro VII. de divinis officiis cap. XVII. pro confirmatione Dominicæ reſurrectionis, cuidam confratri ſuo hujus loci monacho, jocundum contigiſſe refert miraculum infraſcriptum. Erat in hoc monaſterio S. Laurentii prope & extra muros Leodienſes monachus qui-

[c] dam Deo devotus nomine Heribrandus, (c) cujus mentem perſæpe ſubibat admiratio, quomodo verum Domini corpus, unde ipſe nullatenus dubitabat, clauſo reſurgere monumento & clauſis potuit januis ingredi ad diſcipulos. Igitur in ſancto Paſchæ ſabbato, dum ad præcedentes ejuſdem diei matutinos, extinctis de more cunctis luminaribus, eorum ultimum extingueretur, & ad canticum evangelii, ſcilicet, *Benedictus Dominus Deus Iſraël*, hac antiphona a domno abbate Berengero impoſita: *Mulieres ſedentes ad monumentum lamentabantur flentes Dominum.* Ecce repente ante pedes illius projectum cecidit illius quo firmiter ſubſtrictus erat cingulum. Ille ſolutum eſſe, & ſic cecidiſſe ſuſpicatus, quod tamen mirum fuiſſet, quia non delapſum fuerat, neque circum crura pedeſque deſcenderat, ſed ante pedes quaſi projectum exilierat, inclinavit ſe, ut tollens illud rurſum ſeſe accingeret. Cumque manus injeciſſet, ut illud ſibimet circumdaret, nodum ut erat firmiter aſtrictus, non cedere ſibi ultra quam dici poteſt admiratus: intendenti & ſecum cum ſtupore magno admiranti & reputanti quidnam hoc ſibi vellet, ecce in aëre vox ad eum facta eſt, & ſibilum tamquam auræ tenuis audivit dicentem ſibi:

Sic potuit clauſo Chriſtus prodire ſepulchro.

Mane ergo ubi primum loquendi copia fuit, duobus tantum fratribus, quorum unus fuit prædictus magiſter ROBERTUS, attonitus adhuc frater ille rem geſtam retulit, obnixe poſtulans, ut creditum ſibi ſecretum numquam niſi ejus ſuppreſſo nomine quoad viveret panderetur. Nam factum quidem lucere coram hominibus cupiit, ut glorificetur pater qui eſt in cœlis, ſe autem videri noluit, nec ſuis reputari meritis miraculum, cujus ſola Dei gratia, quo judicio neſcimus, operatrix fuit. Hic etiam ROBERTUS uno libello ſtatum eccleſiæ noſtræ proſecutus eſt, videlicet a quibus exſtructa ſit, quæ bona vel quæ mala de manu Domini ab Euraclo Leodienſi epiſcopo uſque ad Obertum ſuſceperit. De quo libello præſcripta pro majori parte excerpta ſunt. Interea dum multos libros ederet, & nomen ejus per provinciam totam celebre haberetur, contigit ut diabolo procurante multorum invidorum & detractorum moleſtias & inſultus pateretur. Quod provide perpendens domnus abbas BERENGERUS, & conſiderans quod ipſe jam ſenio gravatus in brevi eſſet migraturus, & præcavens ne poſt deceſſum ſuum, propter OBERTI epiſcopi animi levitatem aliquid indignum ab æmulis pateretur, paterna ſollicitudine ejus curam gerens, ipſum venerabili viro domno CUNONI abbati Sigebergenſis monaſterii, qui tunc temporis forte Leodium advenerat, attentius ſtuduit commendare. Quo auctore idem venerabilis ROBERTUS Tuitienſi cœnobio, quod modo uſitatius ab ipſius fundatore ſancti Heriberti juxta Coloniam, in abbatem præfectus eſt, ipſius abbate loci defuncto circa annum Domini MCXIII. (d) Igitur vir vitæ [d] venerabilis & ſapientiæ memorabilis domnus abbas BERINGERUS, cum XXXIX. annis & amplius huic eccleſiæ præfuiſſet, & in ſtatum laudabilem perduxiſſet, in ſenectute bona, plenus operibus bonis appoſitus eſt populo ſuo, & XVI. cal. Decembris migravit ad Dominum ſenex & plenus dierum, anno Domini MCXV. (e). [e]

31. Tempore hujus abbatis Beringeri, ſcilicet anno Domini MLXXXIV. cœpit ordo Carthuſienſis ſub Brunone, qui erat canonicus Rhemenſis, oriundus de Colonia. Eodem tempore, ſcilicet anno LXXXVII. corpus ſancti Nicolai a Myrrea urbe in Barim cum gloria tranſlatum eſt, & Urbanus papa ſecundus, qui de Cluniacenſi cœnobio fuerat aſſumtus, cum in Arvernia exularet propter Henricum imperatorem, apud Clarum-montem concilium celebravit, in quo ſtatutum fuit, ut horæ beatæ Mariæ quotidie dicerentur, & ſabbatis de ea ſpecialiter officium fieret. Eodem anno d IX Lotharingiæ GODEFRIDUS caſtrum ſuum

Incidentalia.

(a) Hujus gratiæ divinitus ſibi infuſæ ipſemet rationem reddit lib. 2. in Matthæum.

(b) Floruit tempore Everelmi abbatis noni, ſcripſit libros tres lacrymarum de caſu fulminis & alia multa a noſtro Bernardo Pezio edita tom. IV. theſ. noviſſ. Anecdot.

(c) Hujus ſancti Laurentii eccleſiæ ſcholaſticus.

(d) Auctorem noſtrum ſecutus eſt Fiſenius. Attamen Leodii adhuc agebat Robertus ſub Berengero abbate anno MCXIV. quo anno librum de Trinitate compoſuit, uti ipſe teſtatur in epiſtola nuncupatoria ad Cunonem abbatem.

(e) Sepultus in templi angulo ad januam clauſtri, non in crypta ut ſcripſit Fiſenius in floribus Leodienſibus.

de *Bulhon* OBERTO epiſcopo vendidit, pro mille ccc. argenti puriſſimi marcis, & tribus marcis auri. Eodem anno factus eſt concurſus innumerabilium populorum occidentalium nobilium & ignobilium ad terram ſanctam cum eodem duce Godefrido & aliis multis principibus, qui anno XCVIII. ceperunt Antiochiam, & anno XCIX. ſequenti, in feſto diviſionis apoſtolorum ceperunt Jeroſolymam, XXXIX. die obſidionis, unde verſus:

Virginis a partu ſolis qui claruit ortu,
Anno milleno centeno ſed minus uno,
Quindecies Julio jam phœbi lumine tacto,
Jeruſalem Franci capiunt virtute potenti.

Nam creduntur cum eodem duce Godefrido tunc transfretaſſe plus quam ducenta millia Chriſtianorum. GODEFRIDUS igitur ab univerſo populo, capta Jeruſalem, in regem eligitur; ſed numquam voluit portare coronam, dicens: *Numquam portabo coronam auream ubi Chriſtus portavit coronam ſpineam.* Sed heu! ſecundo ſuæ electionis anno moritur, & in eccleſia S. Sepulchri ſepelitur. Circa iſtud tempus STEPHANUS abbas ſancti Jacobi compoſuit novum cantum de ſancto Benedicto, ſcilicet *Florem mundi, &c.* & cantum de ſancto Jacobo majore. Et ROBERTUS monachus pater compoſuit cantus de ſancto Theodardo martyre, Goare ac Severo confeſſoribus.

Anno Domini MCXVIII. cœpit ordo Ciſtercienſis. Circa idem tempus cœpit ordo Templariorum & Hoſpitalium ſancti Johannis.

Imperator autem HENRICUS propter mala quæ in eccleſiam commiſit, impunitus non permanſit. Nam cum filium ſuum Henricum conſilio principum in regem Alemanniæ coronaſſet, & poſt ſe regnaturum deſignaſſet, ſeque Jeroſolymam profecturum devoviſſet, ab eodem filio ſuo ſimul cum Romana eccleſia eum perſequente, traditur, & apud Moguntiam in quodam fortalitio in Natali Domini includitur, & coram filio & apoſtolicæ ſedis legato, qui ibi advenerat, ſub interminatione mortis exfeſtucare compellitur. Cumque omnia quæ regno acquiſierat & omnia regalia reſignaſſet, coronam, crucem & lanceam reddidiſſet, in quadam villa juxta Moguntiam ſic ſpoliatus relinquitur. In qua cum moraretur, ſuperveniens fidelium ſuorum quorumdam legatio, cum præmonuit ut inde quantocius recederet; nam ſi ibi diutius maneret, aut in perpetuum carcerem raperetur, aut in eodem loco decollaretur. Quo nuncio percepto, venit Coloniam, & inde Leodium, ibique manſionem recepit. Quod filius ejus audiens, cum exercitu venit Aquiſgrani, & ſuos ut pontem præoccuparent Viſetum præmiſit. OBERTUS vero epiſcopus cum HENRICO *de Lembor*, qui erat dux Ardennæ, & militibus patris cum illis congreditur, parſque filii vincitur, aliis captis, aliis occiſis, aut in Moſam ſubmerſis, inter quos etiam BRUNO comes peremtus eſt. Sic Henricus imperio privatus, ab OBERTO & Leodienſibus rebus neceſſariis ſuſtentatus, fertur perambulaſſe foſſata civitatis, & poſuiſſe fundamenta firmitatis, quæ poſt vaſtationem a duce Brabantino factam, fuit conſummata. Sed nec ſic ceſſavit filius patrem perſequi: nam cum manu robuſta Coloniam oppugnavit. Cumque ad obtinendum Leodium properaret, defunctus eſt pater ejus Leodii anno MCVI. ſepultuſque fuit in eccleſia S. Lamberti; ſed quia ſæpe excommunicatus fuerat, ipſi interdicitur officium, cujuſque corpus effoſſum de eccleſia ejiceretur, quod in eccleſia in Comeliomonte ſita, nondum conſecrata tumulatur, ſed nono die poſt iterum effoditur, & ad filium in Spira defertur, ibique quinque annis inſepultus jacuit. Tandem per licentiam papæ in eccleſia Spirenſi cum patribus ſuis reconditus eſt. Anno MCX. corpus S. WIBERTI fundatoris cœnobii Gemblacenſis, per OBERTUM epiſcopum de terra levatur IX. Kalend. Octobris; & ſequenti anno ſanctus BERNARDUS annos habens circiter XXII. cum ſociis amplius quam XXX. ordinem Ciſtercienſem ingreſſus eſt. Circa hæc tempora cœpit primo celebrari feſtum Conceptionis beatæ Dei genitricis, & contigit hiſtoria quæ legitur de abbate Helſino, & floruit eo tempore ANSELMUS Cantuarienſis archiepiſcopus.

Henricus imperator obit Leodii, in eccleſia S. Lamberti ſepelitur.

32. Defuncto domno Berengero ſucceſſit ei vir fidelis & prudens domnus abbas HERIBRANDUS (*a*) in ordine quintus, in quo canities ſenſuum canitiei congruebat capillorum. Hic litterarum peritus erat, & ad dictandum promtiſſimus, ſive etiam ad verſificandum. Inde vitam Theoderici junioris abbatis de S. Huberto ſcripto tradidit. Ipſe præcipuus religionis cultor, ſub abbate Berengero magiſter novitiorum multis annis extitit, & tam in ſcripturarum ſcientiis, quam in monaſticis diſciplinis diligentiſſime eos inſtruxit. Conſecratus eſt in abbatem XIII. Kal. Decembris anni MCXV. Hic acquiſivit quinque ſolidos de quatuor bonnariis terræ in Vaſegga & modium multuræ, quod conſtituit dari pauperibus in anniverſario ejus, & fratribus ad refectionem quatuor ſolidos, ſed quoad viveret fratribus darentur in anniverſario conſecrationis ejus. Anno ſequenti civitas Leodienſis multis plagis attrita eſt. Hic abbas conſtituit feſtum ſancti Gorgonii apud nos cum XII. lectionibus perpetuo celebrari, ad preces fratris Renſonis monachi ſui. Nam dictus Renſo cum eſſet canonicus S. Dionyſii tempore domni Berengeri, dedit S. Laurentio pro redemtione animæ ſuæ XLV. marcas argenti, quas domnus Berengerus in utilitatem eccleſiæ fideliter diſpenſavit, & antequam fieret monachus iterum

De Heribrando 32. abbate. [*a*]

[*a*] Monachus profeſſus S. Jacobi dicitur quintus ordine abbas: nam Volbodo abbatis nomen non meretur.

XVI. quas domnus HERIBRANDUS in diversis solemnitatibus, & ad unum luminare ante capellam S. Benedicti ordinavit. Habebat autem dictus frater Renso singularem devotionem ad sanctum Gorgonium, eo quod primum ipse in ecclesia sancti Gorgonii in clericum tonsoratus fuit.

33. Anno MCXVIII. Obertus dedicavit ecclesiam S. Trudonis, & ecclesiam S. Petri in Leodio, quo anno & mortuus est. Non est autem prætereundum, quod fama refert, hunc OBERTUM cum abbate S. Laurentii in expeditione Henrici imperatoris, cepisse Mediolanum anno MCXI. (a) Sed hoc totum falsum est de Oberto, & nihil aliud fuit in veritate, quam id quod supradictum est de intrusione Wolbodonis in abbatiam, ex præcepto Henrici imperatoris, qui tunc temporis in expeditione Italica tendebat versus Romam. Fuerant enim ambo capellani ejus, scilicet Obertus & Wolbodo. Sed Wolbodo nobiliori sanguine ortus erat, quam Obertus. Floruit etiam eo tempore vir nobilis HELLINUS abbas sanctæ Mariæ, qui fontes fecit in eadem ecclesia opere fusili, & hospitale juxta ecclesiam S. Lamberti. Ordinavit etiam fraternitatem presbyterorum quæ hactenus conservatur. Hic quia synodalis lex & judicia non fiebant in Leodio, Romam adiit, sed peracto nondum negotio, defunctus est.

34. Eo tempore dux Lovaniensis GODEFRIDUS ædificavit monasterium Affligimiense in Brabantia, cujus primus abbas fuit FULGENTIUS vir sanctus, qui pene ducentorum monachorum pater extitit. Hoc tempore GUNDRAMNUS mimus, relictis vanitatibus sæculi elegit in silva Publici-montis eremiticam vitam ducere, & quia locus periculosus erat ad hospitalitatem exercendam, jecit fundamenta ecclesiæ, & ursus quem habebat trahebat lapides ædificii ipsius ecclesiæ. Frequentabant eum Leodienses mirantes, & cum ursо lapides ferentes. Quidam ex ipsis divinitus compuncti, sæculum deserentes cœperunt cum eo regulariter vivere, tandem ecclesia in honore S. Ægidii consecratur, (b) & dominus Petrus quondam decanus S. Petri in Leodio, ibi primus prior ordinatur.

35. Post mortem Oberti facta est dissensio inter clerum & populum, inter nobiles & vulgus. Nam Alexander archidiaconus & sacrista, saventibus & juvantibus eum duce Lovanienſi cum pene tota familia ecclesiæ, de manu Henrici imperatoris, qui tunc excommunicatus erat, baculum & annulum accepit. Partem FREDERICI juvabant comes Namurcensis frater ejus, civitas tota & omnes abbates episcopatus, qui tandem in Rhemensi synodo a Calixto papa, qui librum miraculorum S. Jacobi majoris collegit, ibi præsente benedicitur. Sed anno secundo ordinationis suæ migravit ad Dominum. Quam sancte, quam laudabiliter in episcopatu vixerit, post mortem ejus omnibus patuit. Nam ad sepulchrum ejus alii auditum, alii gressum recipiebant, & omnes quacumque infirmitate detinebantur convalescebant. Ibi puer a nativitate cæcus lumen recepit, & quædam puella luminibus orbata, perfecte fuit illuminata. Paralytici quoque decem curati, & multi a diversis ægritudinibus sunt sanati. Vitam ejus scripsit luculento sermone nonnus REYNERUS hujus loci monachus, vir magnæ scientiæ, qui multos libros composuit.

Oberto episcopo succedit Frederici frater comitis Namurcensis.

36. Post ejus mortem sedes Leodiensis vacavit plusquam per biennium. Nam ALEXANDER agente duce Lovanienſi electus fuerat ad episcopatum, sed obsistente sibi Colonienſi archiepiscopo pervenire non poterat. Nam archiepiscopus omnes electores pro excommunicatis habebat, eo quod ducem Lovanienſem excommunicatum in suum capitulum intromisissent, & per eum electionem fecissent. Cumque citatis majoribus apud S. Cornelium cum domno ROBERTO Tuitienſi abbate, quondam hujus monasterii monacho advenisset, & coram eo prostrati absolutionem peterent, Alexander interrogatur ab eo utrum obedire vellet. Cumque ille manu sua posita in manu archiepiscopi obedientiam promisisset, archiepiscopus ei per obedientiam præcepit, ne se amplius intromittat de episcopatu. Annuit ille, sicque conventus ille solutus est. Fuit in illo conventu contra Alexandrum domnus HERIBRANDUS abbas noster, cum RODULPHO abbate S. Trudonis, & quatuor canonicis Leodienſibus qui non consenserant electioni Alexandri.

Frederico mortuo biennium sedes vacat.

37. Elapsis duobus annis post mortem Frederici episcopi, ALBERO frater ducis Lovanienſis ei in episcopatu succedit. Vir bonus & simplex, pudicus, rectus, & sine avaritia, plenus bonis moribus. Quanta pax per eum in patria redierit videre jocundum fuit. Hic ecclesiam S. Ægidii perfecit, & in ea canonicos regulares instituit, quibus multa bona contulit, & abbatem ASSO nomine eis præfecit. Obiit anno Domini MCXXVIII. in Circumcisione Domini, sepultusque est in ipsa ecclesia S. Ægidii ante majus altare. Iste ALBERO festum beatæ Mariæ Magdalenæ primo per suam diœcesim celebrari instituit. Ipse

Albero frater ducis Lovanienſis succedit.

[a] Hæc prolixius descripsit Stabulaus. Sed in ima pagina Adrianus noster adjecit: *Ista quæ de Heribrando dicuntur falsa sunt; sed contigerunt eo modo, sicut dominus Robertus recitat in libro suo de fundatione hujus monasterii.* „Ista quæ sparsim „in ista compilatione scripta sunt, pro majori parte sumta sunt „ex dictis Johannis de Ultra-Mosam qui multas fabulas adinvenit, & veras historias mendaciis suis turpavit.

[b] Jacta sunt fundamenta monasterii sancti Ægidii tempore Berengerii abbatis, qui locum dedit canonicis regularibus sancti Augustini, uti constat ex epistola Wibaldi abbatis 371. tom. 2. hujus collectionis pag. 540.

etiam juri ſuo de mortua manu pietate motus primum ceſſit. Eodem anno domnus ROBERTUS Tuitienſis abbas, in ſenectute bona appoſitus eſt ad populum ſuum quarto nonas Martii. Domnus etiam Heribrandus abbas noſter quintus, ſenex & plenus dierum eodem anno VIII. idus Junii migravit ad Dominum. Poſt cujus obitum omnibus manifeſtum eſt ipſum fuiſſe, cui miraculum de Dominica Reſurrectione ſupraſcriptum relatum eſt contigiſſe. Ejus igitur corpus cum corpore venerabilis BERENGERI prædeceſſoris ſui, poſitum eſt in dextro latere navis eccleſiæ juxta parietem, ubi in uno poſiti monumento, (a) tali decorantur epitaphio, miraculo jam dicto ſuper monumentum in pariete depicto.

Quando mihi præeras, qui poſt te ſum datus abbas,
Me fecit dignum JESUS *hoc cernere ſignum;*
Ut ſcirem clauſo quod prodiit ex monumento.
Nunc ſumus hic poſiti, nos Virgo juvet prece miti.

Rupertus abbas Tuitienſis moritur anno 1128.

[a]

Quæ pictura renovata fuit anno Domini MCCCCL. in Octobri. Poſt Alberonem ALEXANDER epiſcopus electus, jam non aſcendens aliunde, Coloniæ conſecratur. Iſte eccleſiam Novi-monaſterii in Hoyo, in tutelam ſuam accepit, & ad priſtinum opus, quaſi pater proprius perduxit, & in honore ſepulchri Domini & S. Johannis Baptiſtæ dedicavit, & fecit eam liberam cum toto clauſtro & ſitu in decimationibus & aliis exactionibus, obtulitque ſuper altare pulchram bibliam cum calice, præſentibus domno WAZELINO abbate noſtro, & ASSONE abbate S. Ægidii.

Alexander Alberoni ſuccedit in epiſcopatu Leodienſi.

35. Anno Domini MCXXX. Poſt domnum Heribrandum ſucceſſit VI. loco vir bonus & manſuetus domnus WAZELINUS in religione probatiſſimus. Hic acquiſivit quatuor ſolidos in Mareis, quos conceſſit ad refectionem fratribus in die adventus reliquiarum dari, conſtituens diem illum in perpetuum in omnibus ſolemniter celebrari & honorari. Nam nihil poſſumus quod non honori beati patroni noſtri Laurentii debeamus. Hujus tempore INNOCENTIUS papa ſecundus, comitatus multa turba epiſcoporum & abbatum, inter quos erat beatus BERNARDUS Clarevallenſis abbas, Leodium venit dominica tertia quadrageſimæ, ubi a LOTHARIO rege & ALEXANDRO epiſcopo & tota civitate devote ſuſcipitur, & ab eccleſia S. Martini uſque ad ſanctum Lambertum proceſſionaliter deducitur ab eo; & Lotharius rex cum ſua conjuge ibidem benedicitur anno XXXI. Eodem anno ALEXANDER epiſcopus obtulit ſuper altare S. Laurentii pro ſalute animæ ſuæ unum manſum, ſolventem ſingulis annis quinque ſolidos in *Jahain*. Hujus ſoror abbatis Erlen-

De Wazelino abbate XI.

dis nomine, redemit quoddam feodum in *Hairs*, id eſt quatuor bonnaria terræ cultilis, quæ etiam tertiam partem unius manſi, & tertiam partem curtis, quæ ad ipſum manſum pertinet, eccleſiæ reſtituit, ita ut hæc deinceps eccleſiæ prior teneret, & totius manſi diſtrictio ad ipſum priorem pertineret, & tam hi qui curtem poſſiderent, quam illi qui duas partes manſi ejuſdem, quæ ſunt octo bonnaria, tenerent, ei fidelitatem facerent. Eodem tempore quidam Johannes frater noſtræ ſocietatis, redemit in *Hairs* duodecim bonnaria terræ cultilis, ſolventia XII. modios frumenti annis ſingulis; & quatuor curtes, quæ ſolvunt annuatim XX. denarios, & VI. capones, ut poſt mortem ſuam & uxoris in liberam & perpetuam poſſeſſionem eccleſiæ devenirent, & ad ſollicitudinem prioris monaſterii pertinerent, ut exinde infirmis fratribus deſerviret. Quidam etiam Robertus, antequam fieret apud nos monachus, redemit XII. bonnaria terræ cultilis, & unam curtem in *Febe*, & eccleſiæ reſtituit, & multi alii ſimiliter.

38. Tempore hujus abbatis WAZELINI vir venerabilis dominus Winandus decanus eccleſiæ S. Servatii Trajectenſis, & frater ejus Nicolaus, qui poſtmodum tempore domni VALTERI hujus loci abbatis octavi, apud nos factus eſt monachus, fratres noſtræ congregationis & amici, multo labore multaque expenſa pecuniæ eccleſiam de *Maeſvvic* decimamque de *Lohym* nobis reacquiſierunt. Prædium etiam in *Fode* a ſe comparatum, Deo & ſancto Laurentio pari devotione obtulerunt. Prædictus autem frater Nicolaus ſingulariter in acquiſitione eccleſiæ S. Severi in Meſſia XX. marcas argenti dedit, necnon & de terra quæ capellæ ſancti Chriſtophori circumjacet XIII. ſolidos annui cenſus, duos capones acquiſivit, de quibus diſtributiones in uſus fratrum in diverſis ſolemnitatibus ordinaverunt. Conradus vero ſecundus rex Romanorum acquiſitionem ipſius prædii de *Fode*, ſiti in comitatu de *Lamins* precatu ipſius abbatis Wazelini & fratrum, ſua auctoritate & regali banno in perpetuum eccleſiæ confirmavit, & ut præter legitimum advocatum altaris S. Laurentii, nullus alius omnino ibi ſubadvocatus ſit conſtituit, & ſigillo ſuo firmavit, atque ſignavit. Anno MCXXXIX.

39. Anno MCXXXV. ALEXANDER Leodienſis epiſcopus apud Innocentium papam de ſimonia accuſatus, & ab ipſo ſemel & ſecundo ac tertio vocatus, cum venire tardaret, in concilio Piſano deponitur. Quo diro nuntio percepto, in tantam amaritudinem incidit, ut quaſi vix confeſſione facta commu-

Alexander epiſc. Leodienſis ſimoniæ notatus, deponitur; nec multo poſt diem obiit.

[a] Monumentum illud deſtructum fuit ab hæreticis anno Domini 1568. cum fundatoris ipſius Reginardi tumulo, combuſta eccleſia cum multis aliis ædificiis. Anno autem 1581. cum inſtauranda eccleſia eſſet, & ibidem jacienda fundamenta; idipſum ſepulchrum fratres aperuerunt VI. Februarii, & præter cineres & oſſa pauca, calicis plumbei & baculi paſtoralis partes nihil repererunt, quæ ab ipſo latomo præſentibus tamen fratribus juniotibus & priore, qui hæc vidit & annotavit, recondita fuere partim in fundamento columnæ erigendæ, partim juxta.

nioneque percepta, & regulari vita ad ſanctum Ægidium promiſſa, ſic ſpiritum efflavit. Sepultus eſt in eccleſia S. Ægidii. Poſt quem ordinatur ALBERO primicerius Metenſis, avunculus comitis Lovanienſis, qui anno epiſcopatus ejus v. Bullionenſe caſtrum obſedit, & meritis S. martyris Lamberti, qui in deferendo & referendo illic feretrum ſuum multis miraculis claruit, illud obtinuit. Cujus [a] hiſtoriam frater noſter Reynerus in libello (a) conſcripſit, quem triumphale Bullionicum intitulavit. Sub præſulatu iſtius epiſcopi cœpit diſciplina clericalis & correctio deperire, & viſitationes ab ipſo annullari, prælatorum fervor tepeſcere, canonicorum devotio deperire, ambitus clauſtralium domorum nocte aperiri, per quos tamquam per regalem viam ambulabatur, equi & plauſtra trahebantur, & in ipſis domibus mulieres nocte & die pro libitu ingredi ſinebantur. Præbendæ jam venales erant expoſitæ; ſed & ſacramenta nulli gratuito tribuebantur, omneſque avaritiæ ſtudebant, ſacerdotes ſæpe bis in die miſſam cantabant. Cives civitatis filias ſuas paſſim & indifferenter abſque graduum diſcretione, tam clericis quam laïcis conjugali fœdere copulabant, & libentius eccleſiaſticis quam ſæcularibus perſonis. Quapropter Dominus ad iracundiam concitatus, civitati per mirabilia ſigna interitum minabatur. Sed beata Dei genitrix Maria, ſicut cuidam ſancto viro, coram altari ejus in oratione proſtrato oſtenſum eſt, civitati ſuis precibus veniam obtinuit, & ex tunc memoria beatæ Mariæ ſemel in hebdomada, cum prius numquam fieret in Leodienſi dioœceſi, cœpit invaleſcere, ut beneficiis ejus ſaltem in modico videretur reſpondere. Sed cito ad vomitum revertuntur, & deteriores effecti ſunt. Nam ſacerdotes & eccleſiaſticæ perſonæ non jam latenter habebant concubinas, ſed uxores ſolemniter tamquam laïci deſponſabant, legitimumque talium reputabant matrimonium. Videntes hoc canonici antiqui eccleſiæ Leodienſis, & dolentes, Henricum de *Lexe*, alias de *Lucemborch* præpoſitum majorem, ad curiam miſerunt, qui epiſcopum ad curiam fecit vocari, quia in omnibus negligens extitit. Rediens vero epiſcopus a curia, Orcinæ moritur & ſepelitur.

Alberoſuccedit.

Nota

Alberoni ſuccedit Henricus.

40. Ipſe vero præpoſitus ab omni clero & populo eligitur & LX. epiſcopus poſt beatum Maternum conſecratur. Hic merito converſationis & vitæ optimæ miniſtravit, & bona eccleſiæ ſuæ multum ampliavit. Ipſe videns eccleſiam ſancti Severi in Meſſia, quæ patroni ſui corpore aliorumque ſanctorum pignoribus nobilitata floruerat quondam religione canonica, in tantam permutationis negligentiam decidiſſe, ut imminuto cultu divinæ ſervitutis, ipſiſque pene labentibus ædificiis, jam non videretur eſſe quæ fuerat, de ejus reſtauratione ſemel & iterum atque tertio cum verbum feciſſet in conventu Leodienſis eccleſiæ, ex conſilio ſpiritualium virorum domno WAZELINO abbati noſtro eamdem eccleſiam contradidit, (b) cum dote integra & omnibus pertinentiis ſuis, cum tota omnino familia & poſſeſſionum redditibus univerſis, ita ut ab illa die & deinceps eccleſia S. Severi ſubjecta ſit eccleſiæ S. Laurentii, tanquam propria filia ſpirituali matri, & eam, tam in ſpiritualibus quam in temporalibus, abbas S. Laurentii, ut propriam eccleſiam, libere diſponat, & regularem monachorum ordinem ad ſerviendum Deo in ea inſtituat. Excepit tamen decimam de majori & minori *Seron* & de Foriſvilla, quam ad epiſcopalia continuit, eo quod beneficium ſit perſonæ, quæ more eccleſiaſtico epiſcopali debet adhærere obſequio, anno Domini MCXLIX. Quam donationem poſtmodum RADULPHUS Leodienſis epiſcopus, annuente abbate Meſſienſi, coram toto clero in capitulo Leodienſi ratificavit & confirmavit anno LXXI. tempore domni EVERLINI abbatis noni.

41. Eo tempore S. Bernardus iterato Leodium venit (c) & in eccleſia Leodienſi miſſam ſolemniter celebravit, ac poſt miſſam in loco qui dicitur *Pratum epiſcopi* publice prædicavit. (d) Ibi puerum claudum ſibi oblatum, cum tibias ejus ſignaſſet & rhenes, protinus erexit; duas quoque aridas manus tangens curavit, cæcum ſenem per ſignum crucis illuminavit, & alterum claudum ambulare fecit in conſpectu omnium qui convenerunt. Poſtea quinque cæcos in Leodio illuminavit, & claudos tres erexit. Hæc videns HENRICUS epiſcopus, abbatiam de Alna fundavit, (e) & monachos ibi inſtituit, quæ prius fuerat abbatia canonicorum ſæcularium una de XII. ſicut & Meſſia. Eodem tempore prædicante beato BERNARDO, & monacho quodam nomine Rudolpho, per CONRARDUM regem facta eſt ſecunda expeditio Jeroſolymitana ex omni regno occidentis: ſed heu nihil relatione dignum actum eſt, immo fame, gladio, & peſte & captivitate innumerabilis ille conventus maxima ex parte periit. Eodem tempore EUGENIUS papa bona eccleſiæ noſtræ confirmavit, & de eccleſiis parochialibus monaſterio noſtro collatis, talem conſtitutionem fecit, ut deinceps nullis aliis

[b]

[c]

[d]

[e]

Alnenſe monaſterium monachis cedit.

[a] Hoc opus hiſtoriæ ſuæ inſeruit Ægidius de Aureavalle in Alberone II. cap. 29. & ſeq. Nuperque recudit noſter Bernardus Pez tomo 4. theſaur. noviſſ. Anecdot.

[b] Inſtrumentum hujus conceſſionis edidimus in tom. 1. pag. 808.

(c) Dominica poſt octavas Epiphaniæ.

[d] Gaufridus monachus Clarævallis epiſtola ad Hermannum epiſcopum Conſtantienſem miracula hæc prolixe deſcribit.

(e) Alnam fundavit S. Landelinus ante annos mille, pro monachis Benedictinis, quibus progreſſu temporis ſucceſſerunt canonici ſæculares; & his canonici regulares S. Auguſtini; qui tandem ſub Henrico epiſcopo locum ceſſerunt monachis ordinis Ciſtercienſis.

conferantur, ſed retento uſufructuario monachis, ſacerdotes in eis conſtituantur, qui de accidentiis habeant unde vivant. De Annona vero in matribus eccleſiis, quæ ſub ſe alias habent eccleſias, XXIV. modios; in aliis eccleſiiis quæ per ſe ſunt, duodecim modios annonæ recipiant. Tempore iſtius abbatis WILHELMUS de *Donglebert* vir nobilis, tradidit S. Laurentio allodium ſuum in *Gobertengeis* liberum omnino, ea libertate qua illud Wilhelmus ipſe poſſederat, ut cenſus ipſius allodii ſolveretur eccleſiæ S. Laurentii; & cum aliquis inde moreretur, heres defuncti terram ſuam de manu prioris monaſterii requirere debebit, quia terra eſt de jure & conſuetudine capituli.

De canonici S. Bartholomæi vita auſtera.

42. His diebus quia canonicorum ſæculatium tepuerat devotio multi eorum ſæculo renunciantes, in hoc monaſterio ſub regulari diſciplina Deo ſervire deligentes, monachi facti ſunt. Inter quos quidam ſancti Bartholomæi canonicus & decanus, auſteram valde & paucis imitabilem vitam duxit, ita ut nudo pavimento ſubſtrata tantum vili mattula quieſceret, loco pulviili poſito ad caput lapide, ex pilis camelorum contexta continue ad carnem toga veſtiretur. In triduum autem in hebdomadam tendebat, jejunium & aliquando per totam quadrageſimam a potu abſtinebat. Omni tempore a vino ſe relegaverat, neque infirmitate detentus carnibus veſci aliquatenus conſentiebat, & victum quem ſibi ſubtrahebat, ex voluntate abbatis pauperibus miniſtrabat. Siquidem monaſtica religio in hoc monaſterio tunc maxime floruit.

43. Igitur vir religioſus domnus WAZELINUS abbas noſter ſextus, cujus tempore domus hæc proſperata eſt in omnibus, ſenex & plenus dierum appoſitus eſt ad populum ſuum anno Domini MCXLIX. III. cal. Octobris, ſepultuſque eſt ad dextrum cornu altaris beatæ Mariæ ad miracula. Ipſe, ut creditur, conſtruxit clauſtrum S. Gertrudis. Ejus tempore ædificata eſt eccleſia S. Nicolai in Glano, ſed nondum perfecta fuit antequam decederet. Præfuit circiter annis XXI. & tribus menſibus.

De Wazelino II. abbate VII.

44. Poſt quem ſucceſſit WAZELINUS ſecundus, abbas VII. prudentia & litterarum ſcientia clarus. Hic domni Roberti quondam hujus loci monachi, eruditus magiſterio, ſcripſit librum de concordia evangeliorum & expoſitione eorum, opus multum utile, ſed manſit imperfectum. (a) Hic in ordinandis picturis vel texturis allegoricarum materiarum tam veteris quam novi teſtamenti, ſingulari pollebat ingenio. Ipſe apud nos oratorium S. Georgii conſtruxit, (b) & de transfiguratione Domini, de ſanctis Agaunenſibus, & de ſancto Apollinare martyre ſolemnes cantus compoſuit. Et quia ſcientiæ gemmas auro illuſtravit religionis, fama bonæ opinionis longe lateque redoluit, gratiamque & diſciplinam bonam coram Deo & hominibus invenit, diſcretione præditus, eloquentia ſuavis, publice ac privatim vel ammonere vel corripere erat opportuniſſimus. Hujus tempore frater Lambertus loci hujus monachus de cyclo paſchali illos verſus compoſuit. (c) [c]

45. Eo tempore, ſcilicet anno Domini MCLI. ipſo die beatæ Mariæ Magdalenæ, conſecrata eſt eccleſia S. Nicolai in Glano, quæ tam fundi quam ædificii jure noſtra eſt, ab HENRICO ſecundo Leodienſi epiſcopo anno epiſcopatus ejus nono; ubi Gozelo de Hambruwis & uxor ejus Emma, tradiderunt ad altare ſancti Nicolai, die conſecrationis ipſius, duo bonnaria terræ quæ adjacent eidem villæ. Quapropter abbas & conventus conceſſerunt eis omnium bonorum participationem, quæ apud nos vel apud eamdem eccleſiam amodo fient, & ut anniverſarium eorum in poſterum a fratribus S. Nicolai in vigiliis & miſſa recenſerentur, quam traditionem ipſe epiſcopus HENRICUS confirmavit. Hanc eccleſiam dicuntur exſtruxiſſe duo fratres nobiles de *Bolſeez*, Gerardus & Antonius milites, qui in eadem ſepulti ſunt. Sed ſuper hoc nullum autenticum ſcriptum reperi, niſi quod eadem eccleſia tam fundi quam ædificii jure noſtra eſt. Sane in regula in commemoratione defunctorum ſic ſcriptum habetur: Quarto nonas Januarii commemoratio Idæ converſæ, pro qua habemus LV. bonnaria terræ, de quibus debent ſuſtentari duo monachi accepti in eccleſia S. Laurentii, & debent deſervire S. Nicolao in Glano. Sed quando hoc fuerit, neſcitur, nam in libro cartarum ſuper hoc nihil continetur. Igitur WAZELINUS abbas noſter VII. jam ſenex & grandævus, poſtquam hanc eccleſiam annis novem ſtrenue gubernaſſet, XVIII. cal. Julii migravit ad Dominum, ſepultuſque fertur eſſe in capella S. Georgii quam ipſe exſtruxerat.

De Walt. abbate VIII.

46. Succedit WALTERUS abbas octavus, cujus tempore contigerunt illa quæ in libris lacrymarum ſcripta ſunt, & hic parvo quidem tempore, ſcilicet tribus annis huic eccleſiæ præfuit, ac octavo cal. Auguſti a ſæculo migravit; ſepultus eſt ante capellam S. Sixti.

De Everlino abbate IX.

47. Quo defuncto, vir vitæ venerabilis EVERELMUS, quem Everlinum nominamus, novem angelorum ordinibus ſociandus, huic eccleſiæ præficitur abbas nonus. Qui hanc eccleſiam, & ejus officinas ædificiis decorando, redditibuſque ſuo ſtudio acquiſitis, quotidiana fratrum ſtipendia augendo,

[a] Liber iſte viſitur etiamnum in bibliotheca ſancti Laurentii.

[b] Deſtructum fuit anno 1700. quo renovata fuit eccleſia.

(c) Opus illud Lamberto Tuitienſi monacho Mabillonius attribuit Analect. tom. 4.

apud Deum & homines bonam ſibi memo- A
[a] riam præparavit. (a) Hic ex nobiliori Haſbaniæ ſanguine oriundus, filius fuit domni LIBERTI militis, habuitque ſex fratres, ſcilicet domnum Euſtachium militem, & Ottonem, Amelium, Antonium, Johannem & Libertum.

48. Eodem tempore, ſcilicet anno Domini MCLXII. imperator Fredericus magnus, poſtquam Mediolanum longa obſidione contriviſſet, cives quorumdam principum interventu adjuti, ſe & civitatem imperatoriæ poteſtati ante conſpectum ipſius venientes, gladioſque ſuos nudos cervicibus imponentes, veniam petentes tradidiſſent, muros civitatis cum turribus funditus deſtrui, & foſſata impleri mandavit. Fuitque cum imperatore HENRICUS Leodienſis epiſcopus, qui in tantum ejus gratiam adeptus eſt, ut Mediolano deſtructo, trium Magorum corpora, qui Domino JESU in cunabulis poſito aurum, thus & myrram obtulerunt, ei Leodium transferre concederet. Sed proh dolor! epiſcopus morte præventus, apud Papiam defunctus eſt, & ſic Leodienſis eccleſia pretioſa Magorum corpora perdidit (b) uſque in hodiernum diem. Hæc idcirco commemoravi, C
quia fama refert abbatem S. Laurentii cum epiſcopo Leodienſi fuiſſe in deſtructione Mediolani, quod de nullo alio, niſi de domno Everelmo poteſt verificari. Dubito tamen ſi ita fuerit, quia fuiſſet in primo anno ſive ſecundo ordinationis ſuæ. (c)

[c] Henrico ſecundo epiſc. Leod. ſuccedit Alexander ſecundus cui Radulphus.

Poſt Henricum ALEXANDER ſecundus tribus annis rexit epiſcopatum. Cujus temporibus oſſa Caroli magni tranſlata ſunt, & in feretro argenteo collocata.

Poſt Alexandrum ſucceſſit RADULPHUS, qui eccleſiæ noſtræ ſatis extitit favorabilis.

49. Anno Domini MCLXVIII. tempore D
domni EVERLINI renovata eſt fraternitas inter eccleſiam noſtram & eccleſiam ſancti Jacobi, ſicut hactenus conſervatur.

Eodem tempore orta eſt longa contentio inter eccleſiam noſtram S. Laurentii & eccleſiam S. Ægidii ſuper domo abbatiæ ſancti Ægidii, quæ hoc ordine terminata eſt. Eccleſia S. Ægidii manſum unum liberum allodii quod apud Noviliam poſſidebat, eccleſiæ S. Laurentii jure perpetuo poſſidendum in æternum memoriale, & in teſtimonium E
reformatæ pacis dedit; pro remiſſione autem
* id eſt Mediolanenſes. decimæ ſuæ duos bizantios Melechinos * annuatim eidem eccleſiæ S. Laurentii in perpetuum ſolvit, unum in die paſſionis ſancti Laurentii, alterum in die dedicationis eccleſiæ beati Laurentii per unum de fratribus ſuis abbati ſive priori ſi abbas abſens fuerit, tradit, nec a trecenſu dictorum bizantiorum umquam recedere poterunt, nec aliquam commutationem pro eis dare, nec de ipſorum quantitate quicquam imminui licebit. Et pro bizantiorum horum perſolutione omnem decimam infra ambitum remiſſam habebunt. Teſtes fuerunt de eccleſia S. Lau- Nota numerum monachorum S. Laurentii duodecimo ſæculo.
rentii Cuno prior cum XXVI. ſacerdotibus, B
ſex diaconibus, tribus ſubdiaconibus, & octo acolythis monachis profeſſis numero XLVI. De eccleſia S. Ægidii Lambertus prior cum XIII. ſacerdotibus, uno diacono, IV. ſubdiaconis, octo acolythis, numero XXVI. Actum anno MCLXX.

50. His diebus domnus abbas EVERLINUS ædificavit oratorium S. Jacobi; quod conſecratum eſt in honorem B. Mariæ ſemper Virginis, beati Jacobi fratris Domini, beati Andreæ apoſtoli, beati Johannis evangeliſtæ, & S. Jacobi fratris ejus, beati Laurentii, ſancti Lamberti, beatique Servatii & omnium ſanctorum, x. cal. Maii anno Domini MCLXIX. C
Ipſe etiam conſtruxit domum abbatiæ majorem, quæ dicitur domus abbatis, in qua ordinaverat oratorium & altare in honorem SS. Lucæ & Mauritii conſecrandum; ſed cum his temporibus ſanctus Thomas Cantuarienſis martyr Domino conſecratus multis miraculis clareſceret, in ejus honorem prædictum altare conſecratur, ex amore quem erga eum NOTA.
habuerat, cum ſecum ſtuderet Pariſius, quod fuit primum altare, in ejus honore conſecratum in iſtis partibus.

51. Eodem tempore domnus ELBERTUS D
abbas ſancti Huberti Leodium venit, & in hoc monaſterio obiit, ſepultuſque eſt in capella S. Jacobi. In ſiniſtro autem latere ejuſdem capellæ habentur duo ſepulchra elevata, in quorum uno ſepultus dicitur eſſe domnus EUSTACHIUS miles, frater ipſius EVERLINI; & in altero PETRUS abbas Gemblacenſis, & SIGEBERTUS abbas Bronienſis.

52. Tempore iſto quædam vidua Beatrix nomine obtulit ad altare S. Laurentii LX. marcas argenti, de qua pecunia acquiſitum E
eſt allodium in *Borlei*, videlicet XVIII. bonaria terræ cultilis, curtiſque una ſolvens duodecim denarios & obolum, anno LXXI.

[a] Petrus Cellenſis lib. 2. epiſt. 5. Hugoni abbati Cluniacenſi commendat abbatem Leodienſem S. Laurentii de quo inter alia hæc habet: *Vidi perſonam, & amavi; audivi cauſam, & approbavi. In perſona prudentiam, religionem, litteraturam, ſimplicitatem notavi; in cauſa retentionem pacis, malitiæ exterminationem, ſimultatis repreſſionem, juſtitiæ tenorem animadverti. Qui de tam longe quærit pacem, nonne amet quod quærit? Qui tempore tanto & tali a ſancta fratrum ſuorum congregatione peregrinatur, quibus putas ſtimulis affectionum vemordetur, ut vacca illa reclufis vitulis mugientes, vincentes ſanctitate propoſiti uſitatum & conſuetum affectum carnalitatis, &c.* Hæc epiſtola ſcripta fuit poſt annum 1158. quo creatus eſt Hugo abbas Cluniacenſis & ante 1161. quo depoſitus fuit. Quæ autem hic de abbate S. Laurentii dicuntur, ea aut Valterium abbatem, qui ab anno 1158. tribus annis præfuit, reſpiciunt, aut Everlinum, qui ſub finem 1160. aut ineunte 1161. electus eſt profectuſque in Italiam dicitur, quo in itinere in Cellenſi diverſatus monaſterio, ad Cluniacenſe migraturus, hanc a Petro abbate accepit commendationis epiſtolam.

(b) Ea Coloniam tranſlata ſcribunt plures auctores, hactenus magna cum veneratione ibidem coluntur.

(c) Hujus abbatis anno 1. unitus dicitur monaſterio S. Laurentii prioratus S. Nicolai in Glano in ſuburbio Leodienſi ſitus aſſenſu Gerardi & Antonii de *Belpai* militum fratrum illius fundatoris ſuperſtitum atque Odæ ſeu Idæ nobilis matronæ converſæ.

Iſte abbas EVERLINUS multa bona eccleſiæ acquiſivit, & multas pitantias ſeu refectiones fratribus conceſſit, & ut fratribus quotidie in vino provideretur, ordinavit, quinque minutionibus fratrum quinquaginta ſolidos aſſignavit, prout plenius continetur in carta ſuper hoc confecta anno Domini MCLXXVI.

46. Anno ſequenti domnus EVERLINUS preſbyteratum *de Febe* conventui reſignavit, cui reſignationi RADULPHUS Leodienſis epiſcopus, conſenſum præbuit; ſic tamen, ut pro recompenſatione ejuſdem beneficii, in crypta beatæ Mariæ pro eo perpetuum luminare in altare majus de reditibus ejuſdem preſbyteratus inſtitueretur. Pro cujus confirmatione miſſus ad curiam Romanam frater Euſtacius hujus monaſterii monachus, qui inde tres litteras detulit. Primo, bullam confirmationis omnium bonorum eccleſiæ. Secundo, ſpecialem litteram confirmationis eccleſiæ & preſbyteratus *de Febe* a domino papa Alexandro III. Tertio litteram indulgentiarum XII. epiſcoporum, quorum quilibet XL. dies indulgentiarum omnibus vere pœnitentibus & confeſſis eccleſiam noſtram viſitantibus conceſſit, quas RADULFUS Leodienſis epiſcopus confirmavit, & XXX. dies ſuperaddidit anno LXXIX. Eo tempore emit ipſe domnus EVERLINUS mediam partem allodii de Embemis, cujus altera medietas noſtra erat. In cujus acquiſitionem Inniza vidua decem marcis argenti juvit. Circa hæc tempora viſus eſt ſanctus Laurentius nocte omnia monaſterii & clauſtri loca deambulaſſe, & cum lucerna ſcrutatus ſuiſſe, & quoſdam non ut filios lucis ambulare dedignatus, eos longius virga eliminaſſe. Itemque conſpecta eſt imago crucifixi, quaſi vivens in cruce amaras ſudiſſe lacrymas, ſanctuſque martyr Laurentius cuidam monacho illius provoluto pedibus in viſione reſpondit: O frater, venio iterum aſſari. Quæ viſiones magnum quod futurum erat præſignavere malum.

1181. De fulminis caſu in eccleſiam S. Laurentii.

Nam anno Domini MCLXXXII. XI. cal. Aprilis in craſtino Palmarum, cum conventus in civitatem ad exequias cujuſdam canonici proceſſurus, maturius officium horarum expleſſet, matutinali jam miſſa finita, ſubito cum maximo nubium fragore & horribili ſonitu fulmen (*a*) cecidit ad ſiniſtrum latus noſtræ turris, & per majus oſtium monaſterii valvas feriendo ingreſſum, ultro citroque volitans ac diſcurrens, confundit omnia vapore, fumo & fœtore, nullum tamen penitus læſit, quamvis intus plurimi eſſent. Et nunc quidem ſupra cortinas, quæ ſicut mos eſt in quadrageſima, in medio eccleſiæ ante crucifixum & ante cancellum pendebant, ſe levando, nunc infra ſe deponendo, ad majus altare pervenit; palliumque, quo ipſum altare opertum erat, ſcidit, non uſſit. Sigillum vero marmoreum in ſeptem partes diſſolvit, ſed ſudarium, quo prædictum tegebatur ſigillum, ab uſtione vel ſciſſura inventum eſt illæſum. Pixidem quoque argenteam, in qua Corpus Dominicum habebatur, ſuper altare projectam, fratres invenerunt illæſam, modicum tamen foramen præter ſolitum habentem, & inſtar atramenti ſuliginatam, quam aperientes tres oblatas intus integras, ſed paululum obfuſcatas repererunt. Catenulam vero ferream; de qua ex more pendebat, vis caloris abſumſerat, ut vix aliquanti exinde annuli reperiri poſſent. Reliqua vero omnia permanſerunt intacta. Denique fulmen ipſum eo quo intraverat modo reverſum, atque circa crucifixum & cortinam ei appendentem volitans, per majus item oſtium monaſterii ſupra caput mulierculæ cujuſdam aſtantis & S. Laurentium invocantis, innocue egreſſum eſt. Domnus vero abbas EVERELMUS & fratres non parva turbatione conterriti, & hæc ſuis peccatis imputantes, multis ſatisfactionis & pœnitentiæ modis divinam majeſtatem placare ſtuduerunt. Et quoniam eccleſia noſtra tertio nonas Novembris a ſanctis dedicata eſt epiſcopis, videlicet PILIGRINO Colonienſi archiepiſcopo, JOHANNE Portuenſi epiſcopo, apoſtolicæ ſedis legato, & domno REGINARDO Leodienſi venerabili epiſcopo præcipuo fundatore noſtro; viſum eſt abbati & fratribus, quatinus pro tantorum reverentia patrum, denuo ipſa eadem die reconſecraretur, & altare portatile ex epiſcopali licentia majori altari ſuperponeretur. Interim domnus abbas EVERELMUS velut Martha ſatagens circa frequens miniſterium, novum altare ædificavit, & gradus quibus ad illum aſcenditur ipſum elevando ordinavit, prius enim duobus tantummodo gradibus ad ipſum aſcendebatur. Tumbam domni REGINARDI, ſicut nunc cernitur renovavit, & ei novum epitaphium aureis litteris inſcribi fecit. Redeunte igitur die dedicationis, dedicatum eſt novum altare a domno RODULPHO Leodienſi epiſcopo, cum magno cleri & populi tripudio. Cujus dedicationis ſolemnitatem exemplo Salomonis vel Machabæorum egerunt per octo dies. Et deinde mos inolevit, ut contra conſuetudinem aliarum eccleſiarum, ſolemnitas dedicationis per integras octavas annuatim a nobis peragatur. Igitur venerabilis paterfamilias domnus EVERELMUS vir magnæ induſtriæ & ſagacitatis, ſequenti anno XIII. cal. Januarii temporalis vitæ ſubtractus eſt luci, & ut ſperamus & credimus ducatu B. Laurentii intravit in gaudium Domini ſui anno Domini MCLXXXIII. Ipſe, ut fertur, fontem in monaſterium per canales plumbeos introduxit, & vivarium in monaſterio ordinavit. Sepultus eſt in capella S. Jacobi.

[*a*] De hoc fulminis caſu opuſculum edidit Reinerius S. Laurentii monachus, a nobis tom. I, editum pag. 95.

53. Decimo loco ſucceſſit in regimine domnus BALDUINUS, de cujus geſtis nihil

De Balduino abbate X.

invenire potui. Hic dicitur esse sepultus ante capellam S. Dionysii : obiit XII. cal. Aprilis anni MCXCII. & sic præfuit annis decem. His diebus præbendæ in foro rerum venalium erant expositæ per manum cujusdam carnificis, qui dicebatur Udelinus, & omnes qui præbendas emere volebant, ad eum confluebant. Quod videns sacerdos quidam de sancto Christophoro, qui Lambertus *Begge* dicebatur, a cujus nomine adhuc *Beguinæ* vocantur, hunc errorem cœpit detegere, & contra eum publice prædicare. Nec mora cuncta civitas commota est, curruntque certatim populi ad insoliti sermonis prædicationem, unde multi corde compuncti, se peccasse confessi sunt. Quod videntes prælati, dentibus stridentes in eum, ad episcopum accesserunt, accusantes eum, qui missis clientibus jussit eum comprehendi. Cumque hi qui eum comprehenderant, per ecclesiam ducerent, quidam sacerdotes & clerici in eum irruentes, suis ungulis impingebant. Erectis igitur ille sursum oculis respexit ad altare beatæ Mariæ Virginis, & ingemiscens ait : Heu, heu ! ecce dies venient, cum subtus te porci terram effodient. » Quod sic accidisse non dubium est ; nam anno MCLXXXV. tota ecclesia cum claustro concremata est, feretrum S. Lamberti ad ecclesiam S. Bartholomæi transportatum est, fluxis a passione S. Lamberti annis quingentis quindecim minus. Ecclesia etiam S. Petri cum claustro & omnibus officinis combusta est. Unde versus illi :

Annis transactis a Christo mille ducentis
Subtractis ter quinque, ruit locus iste per ignem,
Festo Vitalis Domini fuit ultio talis.

Vera Beguinarii origo.

54. Eodem tempore orta guerra inter ducem Lovanienſem & comitem Namurcenſem ; Gemblacum primo incensum (*a*) postmodum destructum est, & terra comitis a papa Lucio diu in banno posita. Eodem tempore erat quidam clericus qui devote horas beatæ Mariæ quotidie dicebat, quem Virgo de pœnis eripuit, sicut cuidam monacho Cistercienſi pro se oranti aperiens revelavit. His diebus HENRICUS Albanenſis episcopus apostolicæ sedis legatus Leodium venit, & congregato clero sermonem fecit, & eorum acriter redarguit vitia, simoniam detestando. Tunc compuncti præbendas suas resignarunt. Qui amarissime flens eos qui in una ecclesia præbendati erant, in alia instituit. Sed nec sic eos de salute sua securos reddidit. RADULPHUS autem episcopus cruce signatus Jerusalem perrexit, unde cum rediret veneno interiit anno XCI. Post quem ALBERTUS frater ducis Lovanienſis eligitur, qui sequenti anno in die Chrysogoni Remis martyrizatur.

Radulphus epiſc. Leodienſis veneno extingaitur.

Albertus ſuccedit, huic vero Albertus de Cuck.

[a] Monasterii Gemblacensis incendium a comite Namurcensi illatum describit Guiberrtus abbas Gemblacensis in epistola XIII. ad Gertrudem virginem a nobis edita tom. I.

48. Post mortem domni Balduini abbatis X. successit GERARDUS, ætate quidem juvenis, sed moribus grandævus : vir providus & magnæ industriæ. Hic in navi ecclesiæ crucem in pavimento fieri fecit. His diebus frater GOESVINUS hujus domus sancti Laurentii monachus electus est in abbatem sancti Jacobi. Qui cum eamdem ecclesiam annis novem gubernasset, sponte resignavit, eo quod ecclesia S. Jacobi eo tempore a quibusdam pravis hominibus graviter opprimeretur. Quapropter domnus GERARDUS tunc abbas noster, a conventu S. Jacobi in abbatem eligitur, eo quod in omnibus locis ejusdem abbatiæ contra perversos homines qui eam deprædabant, amicis optimis vallatus esset & munitus. Cui episcopus ALBERTUS statim in capitulo S. Jacobi donum abbatiæ ejusdem contulit, & fidelitatem ejus accipiens, in chorum cum fratribus *Te Deum* canentibus, eum conduxit ; sed tantum VII. mensibus supervixit. Obiit autem domnus GERARDUS abbas noster XI. & sancti Jacobi decimus quartus anno Domini MCXCVII. calendis Novembris, sepultus in navi ecclesiæ ante crucifixum.

De Gerardo abbate XI.

55. Succedit OTTO abbas duodecimus, qui fertur fuisse decanus S. Pauli, & resignasse decanatum Ottoni nepoti suo, qui fuit fundator Scholarium & Vallis-benedictæ, ubi & corpore quiescit, scilicet in choro sanctimonialium. Hic abbas OTTO cum assensu conventus dedit quatuor fratribus, scilicet Garnerio, Antonio, Johanni & Servatio hospitale S. Christophori, quod tunc valde parvum erat, & ad ampliandum illud dedit illi domos duas & unam curtem, sic tamen ut regulam S. Augustini susciperent, & secundum eam mores suos dirigerent, liberam electionem haberent in recipiendis fratribus & sororibus : secum electos autem & productos abbas sancti Laurentii sine contradictione & repulsa haberet sua approbatione ibi cum aliis fratribus instituere. Eorum esset sacerdotem in ecclesia ibi adjacente eligere, abbatis vero electum & productum sibi de manu sua instituere, qui si male se gesserit, & super hoc ammonitus non se correxerit, abbatis erit eum sine contradictione amovere, & ecclesiam alteri electione prius celebrata conferre. Cum ipso sacerdote participabunt sacris omnibus, nisi quod ab ecclesia extremæ recipient remedium unctionis. Nulli justitiæ nisi solius abbatis subjacerent, &c. Quæ omnia HUGO Hostiensis & LEO presbyter cardinales apostolicæ sedis legati confirmaverunt. Actum anno XCIX.

De Ottone abbate XII.

56. Anno sequenti obiit ALBERTUS DE CUCK Leodiensis episcopus. Hic in curia Romana existens grandi studio & labore obtinuerat pretiosissimas reliquias, (*b*) videlicet de ipso [b]

[b] A Celestino papa III. ut habet Ægidius monachus Aureævallis cap. 93.

corpore beatiſſimi martyris Laurentii, ideſt A de carne ejus in craticula aſſata, ſanguine tamen quaſi recenter infuſa, ut ſe intuentibus veritas adhuc oſtendit, quæ in magna veneratione ab eo habitæ, poſt deceſſum ejus procurante domno abbate OTTONE, tertio cal. Maii ad nos cum magno honore translatæ in majori altari ſunt aſſumtæ. Quam diem ipſe OTTO abbas deinceps in futurum annua commemoratione conſtituit eſſe ſolemnem, quia nihil boni poſſumus quin ejus honori debeamus. Aſſignavit etiam fratribus B eo die ad refectionem octo modios ſpeltæ ſuper ſeptem bonnaria terræ in *Glons*.

Alberto de Cuck epiſc. Leodienſi Hugo de Petra-ponte ſufficitur.

57. Poſt Albertum HUGO DE PETRA PONTE fit Leodienſis epiſcopus, qui ordinationis ejus ſecundo cœpit fundare monaſterium Vallis ſancti Lamberti. Eodem anno GUIDO Prænestinus epiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus, novum hoſpitale in honore S. Matthæi, quod modo dicitur ad catenam dedicavit. Hic Leodienſem clerum reformavit. Anno MCCCII. opus murorum Leodii initiatur, ſilvaque Glani ſucciditur, & tributum ab incolentibus civitatem exigitur. Eo tempore C facta eſt controverſia inter abbatem S. Laurentii & præpoſitum de *Ayoncourt* ſuper dono ſcholaſtriæ. Unde facta querimonia ab abbate coram ſynodo Leodienſi, hi qui ſuper hoc judicare habebant, omnia quæ præpoſitus injuſte vindicare attentaverat, eidem abjudicaverunt, tam in dono ſcholaſtriæ, quam altarium ſeu præbendarum: hæc omnia ad juriſdictionem abbatis pertinere aſſerentes. Hoc tempore elegit conventus de S. Jacobo HEINRICUM DE JOPILHE monachum hujus monaſterii S. Laurentii in abbatem, qui VII. anno adminiſtrationis ſuæ privatus fuit, & D poſitus ad eccleſiam beatæ Mariæ Magdalenæ, & ibidem obiit & ſepultus eſt.

Dominus abbas OTTO fecit dedicari altare ſub turri in honore SS. Johannis Baptiſtæ, Lamberti, Vincentii martyrum, ſanctique Nicolai confeſſoris. In qua dedicatione conceſſit fratres habere quatuor modios ſpeltæ pro refectione. Quæ dedicatio ſtatuta eſt celebrari Dominica poſt purificationem beatæ Mariæ. Poſtmodum vero ad prædictum altare veneratio beatæ Catharinæ acceſſit. In E cujus feſtivitate idem abbas OTTO decem modios ſpeltæ fratribus pro refectione aſſignavit. Item in utroque feſto S. Benedicti octo modios. In feſto S. Nicolai ad refectionem fratrum ad ſanctum Nicolaum XVIII. ſolidos, & in dedicatione ipſius eccleſiæ S. Nicolai decem, & multa alia ut patet in cartis eccleſiæ. Ipſe etiam inſtituit feſtum S. THOMÆ epiſcopi Cantuarienſis & martyris apud nos ſolemniter celebrari, aſſignatis fratribus ea die ad refectionem XXIII. ſolidis. Ipſe etiam acquiſivit ſex ſolidos ſuper unam domum ad fontem, quos conſtituit ad altare ſub turri, ut inde fiant candelæ in feſtivitatibus quinque patronorum, & in dedicatione ipſius altaris continue arſuræ. De ejuſdem etiam licentia Liebertus monachus acquiſivit ſex ſolidos & tres denarios, ut inde fiant candelæ quæ ardeant ante imaginem beatæ Mariæ ſemper Virginis ſub turri in quindecim feſtivitatibus anni.

58. His diebus venit Leodium abbas Cluniacenſis, & ab abbate OTTONE ſuſceptus, renovavit fraternitatem utriuſque monaſterii modo qui ſequitur.

In nomine Domini. Amen. Ego frater « Societas Cluniacenſium cum S. Laurentio.
HUGO humilis Cluniacenſis abbas, præſentium « ſignificatione litterarum omnibus fieri volo « manifeſtum, nos pro quibuſdam magnis ne- « gotiis Leodium adiiſſe, & ibi a venerabili « & cariſſimo confratre noſtro domno OTTONE « abbate S. Laurentii & ejuſdem eccleſiæ con- « ventu, tantum nobis exhibitum fuiſſe reve- « rentiæ & honoris, quantum poteſt cuilibet « exhiberi perſonæ. Poſt exhibitionem vero « dicti ſolemnis honoris, oſtenderunt nobis « abbas & conventus ſcriptum in quo conti- « nebatur fraternitatis nexus, quo Cluniacen- « ſis abbas & congregatio tota & ipſi in uni- « tatis vinculo & caritatis amplexu & mutua « animarum ſubventione tenebamur aſtricti. « Quæ conjunctio tempore piæ recordationis « domini H. Claremon. prædeceſſoris noſtri « fuit, ut nobis conſtitit, celebrata. Ad quod « etiam ad eorum inſtantiam nos adjunximus, « ut quiliber monachus S. Laurentii veniens « Cluniacum, cum teſtimonio litterarum pa- « tentium abbatis ſui recipiatur cum honore, « & habeat capitulum & communionem ple- « nariam cum Cluniacenſi conventu, & liceat « ei ibidem moram facere quantumcumque « voluerit toto vitæ ſuæ tempore, vel ad tem- « pus. Ipſi vero abbas & conventus præter ge- « nerale beneficium in quo Cluniacenſibus fra- « tribus ſubvenire tenentur, conceſſerunt per- « ſonæ noſtræ, ut poſt deceſſum noſtrum tan- « tum faciant pro nobis, quantum faciunt pro « novitio ſuo. Quod ut ratum habeatur, in te- « ſtimonium hujus facti, dedimus eis litteras « noſtras ſigilli noſtri munimine roboratas. « Actum anno Verbi Incarnati MCCVI. «

59. Hoc tempore cœpta eſt fundari eccleſia Juncis Trajecti in honore S. Mariæ, poſtmodum anno XVI. fuit conſecrata.

Anno Domini MCCXII. Leodium a Brabantinis ſpoliatur in die inventionis S. Crucis, & ſequenti anno in nocte Calixti a ſancto Lamberto Brabantini ſunt devicti. Et deinde ſtatutum eſt ut ſingulis hebdomadis ſemel fiat officium de veneratione S. Lamberti.

Anno XIV. domnus abbas OTTO preſbyteratum de Aurido conventui reſignavit, cui HUGO DE PETRA-PONTE conſenſum præbuit, hoc adjiciens, ut de redditibus ejuſdem preſbyteratus in anniverſariis patris ſui & matris ſuæ XX. ſolidi, & in anniverſario ſuo & fratris

ſui

xx. ſolidi diviſim ad refectionem fratribus concederentur. Quod capitulum Leodienſe ſimul & archidiaconus confirmarunt & poſtmodum Honorius papa.

Concilium Lateran. cui interfuit Odo abbas S. Laurentii cū epiſc. Leodienſi.

Anno XVI. ſequenti menſe Novembri præſidente INNOCENTIO tertio celebrata eſt univerſalis ſynodus Romæ in eccleſia Lateranenſi, anno domini Innocentii XVIII. in qua ſynodo fuerunt CCCC. & XII. epiſcopi. Ubi confirmati fuerunt quatuor ordines ſcilicet Prædicatorum, Minorum, Scholarium, & Ordo S. Trinitatis. Hi enim quatuor ordines tempore Innocentii tertii ſunt inſtituti. Iſtud autem concilium fuit tribus annis per univerſum orbem prænuntiatum, & tamen in eodem nihil novum & ſalubre fuit ſtatutum. Interfuit huic concilio HUGO epiſcopus Leodienſis cum domino OTTONE abbate noſtro. Dominus papa contulit domino epiſcopo HUGONI pulchra clenodia, ſcilicet lacrymam Domini noſtri JESU CHRISTI & juncturam Pauli apoſtoli. Epiſcopus vero lacrymam reddidit dilecto ſuo abbati noſtro OTTONI, juncturam autem poſuit Leodii in eccleſia ipſius apoſtoli. Ipſe vero licentiatus a domino papa, ſuos ſolemniter cum ODONE abbate noſtro Leodium remiſit, præcipiens eis ut abbati ſicut ſibi in omnibus obtemperarent, & votum quo ſe obligaverat in ſpecula de *Stepes*, ad limina ſancti Jacobi tendens, devotus implevit.

Lacryma Domini.

Anno ſequenti Innocentius papa Roma egreſſus, Peruſii febre acuta arreptus, materia ad cerebrum rapta, freneſim incurrit, & in Julio moritur. Cui ſucceſſit Honorius. Eodem anno Damiata a Chriſtianis capitur.

NOTA.

Hucuſque quæ de geſtis abbatum hujus monaſterii ſancti Laurentii in diverſis libris authenticis, videlicet magiſtri ROBERTI *& fratris* REINERI *monachorum hujus loci, ex geſtis pontificum Leodienſium, & ex libro cartarum eccleſiæ, qui procedit uſque ad annum Domini* MCCXVI. *ſparſim colligere potui, veredica relatione in unum congeſſi. Ceterum ea quæ ſequuntur, ſic accipienda ſunt, tamquam ſic contigerunt, vel contingere potuerunt, uſque ad annum Domini* MCCLXXX. *Quia ſicut non puto omnia eſſe falſa, ſic nec affirmo omnia eſſe vera. Quæ vero de geſtis pontificum interſeruntur, tamquam authentica accipiantur.*

60. Hic abbas OTTO antiqua antiphonaria fieri fecit, in quibus a feria quinta in cœna Domini uſque ad ſabbatum hebdomadæ Paſchalis incluſive totum officium, tam diurnum quam nocturnum, more canonicorum, juxta concilium Aquis celebratum tempore Ludovici imperatoris ordinavit. Quam ordinationem Walterius abbas XXI. iterum mutavit. Poſtquam autem idem Otto a curia Romana rediit, deinceps de geſtis ejus nulla autentica memoria reperitur. Unde videtur quod obſervantia regularis in ſuo fervore priſtino non permanſerit, ſed aliquantulum tepeſcere cœperit, licet conventus ſuo modo exteriores obſervantias cum tribus ſubſtantialibus religionis debitè obſervaret, carnes non comederet, ſed tantum ter in hebdomada ſagimine veſceretur. Præfuit circiter annis XXX. Ipſe multa bona eccleſiæ acquiſivit, & puto quod eccleſia hujus tempore plumbo cooperta ſit. Obiit XV. Kal. Auguſti, ſepultus eſt, ut credo, ante capellam S. Benedicti ſub lapide polito varie ſtrato. Uſque ad ipſum enim abbates epitaphia non habent, & ideo de ſepulturis eorum incerta relatio eſt.

Sagiminis uſus ter in hebdomada.

61. Poſt Ottonem ſucceſſit JOHANNES abbas XIII. vir bonus & manſuetus. Hic cuilibet eccleſiarum regularium juxta Leodium ad minus duos modios ſpeltæ in anniverſario ſuo contulit: ſic ſcriptum in una inveni chronica latine deſcripta. Ejus anno ſecundo obiit (*a*) HUGO DE PETRA-PONTE epiſcopus Leodienſis, qui eodem anno acquiſierat oppidum S. Trudonis (*b*) cum abbatia. Cui ſucceſſit JOHANNES DE APIA, nepos ejus ex ſorore. His diebus venit Leodium OTTO cardinalis apoſtolicæ ſedis legatus, ut Johannem epiſcopum ſummo pontifici contra imperatorem fœdere copularet. Qui voluit pauperes clericos ſub parcimoniæ ſtudio divitibus coæquare, & econverſo, ſervata in omnibus parcitate, & patrimonium crucifixi æqualiter dividere. Quod clericinon ferentes, demandaverunt Aquenſem præſidem, qui regis vices in hoc defenderet. Cujus adventu cognito, legatus OTTO cum epiſcopo feſtinavit egredi civitatem. Voluit igitur epiſcopus, nam imperator ſibi regalia interdixerat, omnem clericum a civitate recedere, interdicens ibi ſacramenta conferri, nec divina celebrari, excepto quod parvuli baptizarentur, diſponens ſuper civitatem irruere, & ſedem epiſcopatus alibi collocare. Quod clerus renuit, & ſedem apoſtolicam appellavit. Hinc cœpit fraternitas eccleſiarum & mediante imperatore exemtio earum. Interea tractatur de pace inter papam & imperatorem. Sed imperator Fredericus nullo modo voluit acquieſcere, niſi papa Leodienſes abſolveret, & tam crudelem ſententiam relaxaret. Quapropter miſſis ſtatim ad legatum nunciis, eos juſſit abſolvi. Qui duos abbates Ciſtercienſes Leodium miſit, & ſententiam quam tulerat revocavit. Hoc tempore fundatum eſt monaſterium quod dicitur *Grandepratum* & clauſtrum quod dicitur *Vinea noſtræ dominæ*. Item moniales *Roberti-montis* tranſlatæ ſunt ad Vallem benedictam. Fundati ſunt etiam in Leodio Scholares, Prædicato-

De Johanne abbate XLII.

[*a*] Hugo de Petra-ponte

Hugoni de Petra-ponte Johannes de Apia ſuccedit.

[*b*] De Johannis de Apia

[*a*] Obiit Hugo de Petra-ponte epiſcopus Leodienſis pridie idus Aprilis hora ſexta anno 1229. ut teſtatur Ægidius de Aurea-valle, ac proinde Johannes electus eſt abbas an. 1227.

[*b*] De hac oppidi S. Trudonis acquiſitione fuſius agit Ægidius cap. 135.

res, & Minores eodem tempore. Anno Domini MCCXXXVI. imperator FREDERICUS descendit in *Marburch* castrum, ubi in calendis Maii affuit innumerabilis populi multitudo, ut a sapientibus duodecies centena millia utriusque sexus homines æstimarentur convenisse ad translationem corporis S. ELISABETH, ubi affuit FREDERICUS imperator cum multitudine episcoporum & nobilium. Interfuit ibi etiam JOHANNES DE APIA Leodiensis episcopus cum JOHANNE abbate nostro, qui inde secum asportavit de oleo quod e corpore S. Elisabeth fluxit. Anno sequenti Johannes episcopus obsedit castrum quod *Pilans-vacca* dicitur, ubi ægritudinem incurrit, qua & XI. cal. Maii XXXVIII. anni Dionanti obiit, sepultusque est in monasterio Vallis S. Lamberti.

Non est autem silentio prætereundum quod fama communis & chronicæ Gallicanæ referunt abbatem S. Laurentii hujus episcopi tempore mitratum fuisse, & omnia pontificalia per instantiam ejusdem episcopi gratis habuisse, quod verum esse non potest. Nam JOHANNES abbas noster episcopo Johanni quasi per annum supervixit, qui tamen mitratus non fuit; nisi dicatur quod potuit fieri ut sibi mitra missa fuerit, sed ipse eam portare recusavit, & ideo a monasterio recessit. Si quidem ad monasterium Vallis S. Lamberti secessit, & ibidem obiit & sepultus est, scilicet ante introitum capituli, anno Domini MCCXXXIX. VIII. idus Februarii.

Discordia in electione episc. Leodiensis.

62. Post mortem domini Johannis episcopi una pars elegit Ottonem præpositum Trajectensem, & majoris ecclesiæ canonicum. Alia pars Wilhelmum fratrem comitis Flandriæ. Interea illis properantibus ad curiam, graviter vastabatur episcopatus Leodiensis, quibusdam partes Ottonis, aliis Wilhelmi fovere & tueri nitentibus. His ita se habentibus obiit Johannes abbas noster XIII.

De Henrico abbate XLV.

Post quem eligitur in abbatem HENRICUS DE HACCURT, filius domini Wilhelmi *Rorchin* domini de *Haccurt*, qui impetrata a summo pontifice Gregorio nono confirmatione sua & mitra, cum benedici deberet, venit Leodium CONRARDUS filius Frederici imperatoris, OTTONEM in cathedra episcopi inthronizans in die omnium sanctorum, ubi etiam tunc domnus HENRICUS in regis præsentia in abbatem consecratus est, & primus [a] mitra decoratus, (a) anno Domini MCCXXXIX. calendis Novembris. Cujus facti fama celebris perdurat usque hodie. An vero sicut fama refert, omnia gratis habuerit, sive secundum verba beati Bernardi, suum fratrumque suorum victum pro his adipiscendis expenderit, Deus novit. Unde de abbatibus talibus Bernardus sic ait. » Miror quosdam in nostro ordine monasteriorum abbates humilitatis regulam odiosa intentione infringere, « & sub humili, quod pejus est, habitu & tonsura tam superbe sapere, ut multo labore ac « pretio apostolicis acceptis privilegiis, per ipsam sibi vindicant insignia pontificalia, utentes & ipsi more more pontificum mitra, annulo, sandalibus. Sane si attenditur rerum dignitas, hoc monachi abhorret professio, sed « mysterium liquet solis congruere pontificibus. Profecto esse desiderant quod videri gestiunt. Quod & si nomen eis conferre privilegiorum posset auctoritas, quanto putas « auro redimerent ut appellarentur pontifices. « Quo ista ô monachi! ubi timor mentis? ubi « rubor frontis? Nec enim quia prælati monachis ideo non monachi, nam professio « facit monachum, prælatum necessitas. Ut « autem non præjudicet necessitas professioni, « accedat non succedat prælatio monachatui. « Quis, inquam, umquam probatorum monachorum tale aliquid aut verbo docuit aut « reliquit exemplo? Duodecim gradus humilitatis magister vester S. Benedictus edisserit, propriisque distinguit descriptionibus. « In quo quæso illorum docetur, ut hoc facto « delectari monachus, has quærere debeat dignitates? Sed non propter me inquis facio, « sed quæro ecclesiæ libertatem. O libertas « omni ut ita dicam servitute servilior! patienter ab hujusmodi dignitate abstineam, quæ « me pessime addicat superbæ servituti. Hæc « Bernardus. Verumtamen quam infausta hæc corona fuerint ecclesiæ nostræ in sequentibus apparebit; cum his ventilata fuerit usque ad extremam desolationem, nec adhuc fex sit exinanita.

Nunc ad ordinem redeamus. Ottone sic inthronizato, voluit rex ut cives ei fidelitatem facerent. At illi responderunt quod parati essent illum recipere quem ecclesia reciperet. Interim fama volat WILHELMUM esse confirmatum a papa, qui expectatur fere per annum, & in reditu de curia obiit in via. Post quem eligitur ROBERTUS Lingonensis episcopus, qui fuerat abbas Claræ-vallis. Hic dedicavit ecclesiam Prædicatorum Leodii cum GUIDONE Cameracensi episcopo idibus Augusti anno MCCXL. Eodem anno Robertus episcopus Leodiensis celebravit synodum in capitulo Leodiensi, in qua facta est controversia inter abbatem Gemblacensem & abbatem S. Trudonis super sedibus eorum, quæ hoc modo determinata est.

Robertus episc. Lingonensis Leodiensi eccles. præficitur.

ROBERTUS Dei gratia Leodiensis episcopus universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis in Christo salutem. Quoniam labentium temporum cursus eorum « quæ geruntur memoriam non servant, contra oblivionis incommodum providendum «

[a] *Hæc addit in margine chronici hujus auctor.* Sic habet in parte chronica Gallica sed non verum; vidi litteram ab eo sigillatam in contrarium. Et *in ima pagina*: Nota tamen quod quamvis exscripsi, tamen postmodum verissime cognovi cum tunc mitratum non fuisse; sed postea mitram suis expensis impetrasse. *fr. Adrianus.*

» eſt remedio ſcripturarum, ne quæſtiones
» concordia vel judicio terminatæ, in recidivæ
» quæſtionis ſcrupulum relabantur. Hinc eſt
» quod cum coram nobis in ſynodo noſtra
» Leodienſi contentio verteretur inter abba-
» tem S. Trudonis ex una parte, & abbatem
» Gemblacenſem noſtræ diœceſis ex altera,
» ſuper ſedibus eorum in noſtra ſynodo ſta-
» tuendis, præſente venerabili patre B. quon-
Lauſenſi deſt. Lamberti. » dam epiſcopo Lauſenſi, præpoſito, decano,
» archidiacono Leod. de conſilio & volun-
» tate quamplurimorum aliorum Leodienſis
» diœceſis, per ſententiam definientem pro-
» nuntiamus præpoſitum S. Lamberti ad dex-
» teram & abbatem Gemblacenſem ad ſini-
» ſtram, & immediate abbatem S. Trudonis
» debere ſedere, & poſt dictum abbatem, ab-
» batem ſancti Laurentii Leodienſis. Datum &
» actum feria v. poſt Trinitatem anno Dñi MCCXL.
» Hanc litteram ſervat abbas S. Trudonis.

Henricus abbas viſitat & reformat hoſpitale ſancti Chriſtophori

63. Sequenti anno dominus abbas HENRICUS fecit viſitationem in hoſpitali S. Chriſtophori, quia fratres illi a priſtino fervore declinaverant, & eis modum vivendi, ſcilicet qualiter intus extra ſe haberent, in ſcriptis tradidit. Videlicet, ut omnes ad divinum officium horis competentibus convenirent, & toties orationem dominicam loco horarum dicerent. Dominicis vero diebus ſacerdos eorum inter matutinas & primam capitulum eis teneret, ſimul comederent, ſilentium debite obſervarent. Summopere tria vota quæ ſunt ſubſtantialia cuilibet ordini, ſcilicet caſtitatem, obedientiam uſque ad mortem & vivere ſine proprio cuſtodirent, quia ſine illis non eſt ſalus. Sine braccis, camiſia vel tunica non dormirent. Minutiones quater in anno haberent, ſemel in menſe raderentur, veſtes ſine tinctura de panno non ſumtuoſo, cappam cum ſcapulari de griſeo panno deferrent, & ſotulares ligaticios. Et ſi contingeret ibi mulieres recipi, differrent a fratribus, ſeparatæ a menſa, ab igne & a dormitorio, &c. Quem modum vivendi ipſi ſuſceperunt, & de conſenſu abbatis a domino ROBERTO epiſcopo Leodienſi confirmari fecerunt.

Proceſſiones pro obtinenda pluvia.

64. His temporibus facta eſt ſiccitas immenſa, ita ut fructus terræ ab omnibus pene deſperarentur. Convenientibuſque in unum clero & populo, de communi conſilio ſtatuerunt divinam clementiam exorandam. Et triduano idcirco jejunio, trinam proceſſionem ab omni clero & populo nudis pedibus & in laneis celebrari decreverunt, ſcilicet feria ſecunda, quarta, & ſexta. Convenientibuſque cunctis in eccleſia S. Lamberti, aſſumtis ſanctorum reliquiis cum corpore S. Theodardi martyris, cum divinis laudibus & lacrymoſis ſupplicationibus, ad eccleſiam apoſtolorum, quæ nunc eſt Carthuſienſium, prima die perrexerunt, ſecunda ad ſanctum Leonardum, tertia ad ſanctum Ægidium. Cumque prima die, ſcilicet feria ſecunda, adhuc eſſent in eccleſia apoſtolorum, miſſa celebrata, quidam ſacerdos Deo dignus, vidit in viſione chorum apoſtolorum una cum beato Theodardo divinam exorare clementiam, beatam quoque Virginem Mariam eorum precibus contradicentem, eo quod in illa proceſſione clerus de ea non feciſſet ſolemnem commemorationem: ſed quando in proceſſione de ea fieret ſolemnis commemoratio, ſcirent ſibi miſericorditer ſubveniri. Quid plura? Iteratur proceſſio, feria IV. itur ad S. Leonardum, & commemorationem beatæ Mariæ, quam in prima proceſſione omiſerant, duplicata devotione reſumunt, inchoaturque antiphona *Salve regina &c.* & cum ante eſſet maxima æris ſerenitas, ſubito tanta inundatio pluviæ erupit, ut fere omnes qui in proceſſione aderant, hac illacque diſpergerer. *Meritis* ergo beatæ Mariæ ſemper virginis cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum, & omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo. Unde ſtatutum eſt ſingulis annis dictas proceſſiones debere fieri ante Auguſtum, ordine tamen retrogrado, ſcilicet ut primo feria VI. eatur ad S. Leonardum, feria IV. ad S. Laurentium, & feria ſecunda ſequente ad Scholares, quia eccleſiæ S. Ægidii & apoſtolorum nimis diſtabant a civitate.

Anno Domini MCCXLV. INNOCENTIUS papa IV. FREDERICUM imperatorem imperio deſtituit, & Lantgravium Thuringiæ in imperatorem coronari fecit, qui cito poſt obiit.

Obitus Roberti epiſc.

65. Anno XLVI. ROBERTUS Leodienſis epiſcopus obiit. Hic obtinuit a capitulo generali Ciſtercienſi, ut per univerſum ordinem Ciſtercienſem feſtum S. Lamberti cum duodecim lectionibus annuatim celebraretur. (a) Et vacavit ſedes Leodienſis per annum, propter diſcordiam electorum. [a]

Henricus Leodienſis epiſc. XLI.

Interim FREDERICO Romanam eccleſiam in manu valida perſequente, papa in adjutorium eccleſiæ alium regem eligi diſponebat, & ut circa locum ad eligendos reges antiqua conſuetudine deputatum auxilia compararet, WILHELMUM Hollandiæ comitem, & HENRICUM fratrem comitis Gelriæ, ex duabus ſororibus ducis Brabantiæ procreatos, unum in regem, & alium in Leodienſem epiſcopum concipit ſublimare. Horum promotionibus per PETRUM CAPUCII diaconum cardinalem ſancti Georgii ad velum aureum, quem papa ad hoc delegaverat, procuratis. HENRICUS poſt beatum Lambertum XLI. epi-

[a] In capitulo nimirum hujus anni, edito hoc ſtatuto, *Ad petitionem R. Patris Albanenſis epiſcopi, & venerabilis patris Leodienſis epiſcopi, & capituli ſui, ſtatuitur quod feſtum S. Lamberti fiat cum* XII. *lectionibus & una miſſa per univerſum ordinem. Officium ſicut unius martyris pontificis.* Eodem in capitulo definitum eſt in gratiam epiſcopi ejuſdem ut quiſque abbas vitam S. Domitiani apud ſe quæreret & quæque ad eumdem ſpectantia deferret ad ſequens generale capitulum, *ibid. ſtat 3. tom. 4. Anecdot.*

ſcopus numeratur. Qui juvenis moribus & ætate, per decem annos diſpenſative Leodienſem rexit eccleſiam, ad ſacerdotium non promotus. Cumque Aquenſes moniti per papam, ut electionem regis admitterent, & in hoc ſibi per contumaciam rebellarent, loco eorum cum incolis interdicto, contra ipſos, tanquam contra fautores Frederici, ut aſſerebat, hæretici, & inimicos fidei, in remiſſionem peccatorum Chriſti fideles vivificæ crucis inſigniri caractere prædicationibus invitantur. Tunc HENRICUS abbas noſter congregatis omnibus eccleſiæ noſtræ feodalibus & multis amicorum turmis *in Haccur*, villa nativitatis ſuæ, & ipſe cruce ſignatus, armatus armis non religioſis, ſed ferreis, domino legato & HENRICO Leodienſi electo, cum WILHELMO etiam cruce ſignato, a Leodio Aquis tendentibus occurrit. Hinc fama exiit abbatem S. Laurentii plures habere feodales quam epiſcopus. Igitur urbs Aquenſis ab ipſis cum ducentis fere millibus undecumque collectis & cruce-ſignatis potenter obſidetur ſub anno Domini MCCXLVIII. in menſe Maio. Quibus ſua mœnia animoſe defendentibus, & Fredericum in ſuum auxilium expectantibus, ſex menſium tempus adimpletur. Tandem inedia fatigati, ſub certis pactis electo portas aperiunt, qui ibidem a WILHELMO S. Sabinæ epiſcopo cardinali ad hoc legato calendis Novembris die Dominico in regem Alemanniæ conſecratur, Frederico adhuc vivente. Hic veniens Leodium multa privilegia & libertates eccleſiæ noſtræ conceſſit, & feodales abbatis ab omni alia juſtitia exemit præter abbatis. [a] Verumtamen quia domnus abbas illis quos ſecum duxerat oportuit quod neceſſaria miniſtraret, & tempus obſidionis ſex menſium ſpatio duraret, neceſſe erat eccleſiam tunc creditoribus obligari: abbateque in exterioribus negotiis occupato, & popularis favoris pulvere turgido, cœpit religio omnino deficere, monachique de ſuæ eccleſiæ libertate gloriantes, a rectitudinis tramite deviabant, & ſpiritualibus eccleſiæ oculis, id eſt prælatis caligantibus, non erat qui errata corrigeret, & exorbitantes ad viam morum reduceret, juxta id quod ſcriptum eſt. *Incraſſatus eſt dilectus & recalcitravit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum.* Et quia receſſerunt a Deo, abſtulit ab eis Dominus omne conſilium, ita ut guerris in iſta patria inſurgentibus, cum multis divitiis affluerent, non ſufficerent ad eccleſiæ obligata perſolvenda. Pro quibus ſolvendis neceſſe fuit penſiones vitales ſuper bono eccleſiæ venumdari, quod in magnum ſcandalum huic eccleſiæ provenit, ut inferius patebit.

66. Anno Domini MCCL. cal. Maii a PETRO Rothomagenſi archiepiſcopo apoſtolicæ ſedis legato majus altare Leodienſis eccleſiæ, rege WILHELMO, SIFREDO Moguntino, ARNOLDO Trevirenſi, & CONRADO Colonienſi archiepiſcopis; necnon JACOBO Metenſi, GAUGERICO (*b*) Catalaunenſi epiſcopis & electo Leodienſi præſentibus, in honore B. M. Virginis ſanctique Lamberti martyris conſecratur [b].

Iſtis temporibus inter clerum & laicos primum, deinde inter populares & inſignes eſt orta diſſenſio; & deinde ſoli populares commoventur contra electum, canonicos, & inſignes. Unde electus & clerus commoti, civitate relicta & interdicto ſuppoſita receſſerunt, bona ſua ſecum & theſauros eccleſiæ deportantes. Sed anno LIII. in octavis ſancti Martini ſopita diſcordia, clerus redit & organa reſumuntur. Poſt cleri reditum orta nova briga, populares eloquentia Henrici de Dionanto decepti, duos conſtituere magiſtros, qui libertatem civium tuerentur, & hoc jurarent ſe fideliter effecturos. Quod cum ſcabini & requiſiti jurare nollent, vicenarii per civitatem ordinantur, ut populus poſſit facilius congregari. Et ut breviter concludam, infra quatuor annos quater civitas ſupponitur interdicto, clerus recedit & revertitur, & multum infeſtatur.

Obitus Henrici abbatis.

67. Anno Domini MCCLVIII. duodecimo cal. Septembris obiit domnus HENRICUS abbas XIV. ſepultuſque eſt in medio chori ſub corona, cui tale epitaphium ſuppoſitum eſt in lapide ſculptum.

Abbas HENRICUS *nigrorum flos monachorum,*
Largus, pacificus, præfulgens lampade morum,
Lux patriæ, decus eccleſiæ, ſpeculum probitatis,
Juſtitiæ cultor, venie pater & pietatis,
Paſtor ovis forma, ſignum, dux, prævia norma,
Cum magnis magnus, cum parvis mitis ut agnus:
Ex Haccur *natus, primus mitra decoratus,*
Hic jacet humatus, cui Chriſte remitte reatus.
Anno Domini MCCLVIII. XII. *cal. Septembris obiit pie memorie dominus Henricus abbas S. Laurentii quartus decimus.*

Iſtius abbatis tempore fuit eccleſia depicta. Ipſe fecit fieri in tenui pergameno miſſale unum pretioſum, aureis litteris ornatum & notatum. Item breviarium cum nota in duobus voluminibus, cujus una pars adhuc eſt in eccleſia. Tempore ejus ſcilicet circa annum Domini MCCXLIII. vel XLIV. Innocentius papa IV. procurante, ſicut dicitur, capitulo Leodienſi, miſit mitram JOHANNI XX. abbati S. Jacobi Leodienſis, quam ille numquam portavit, cum tamen quinque annos ſupervixerit. Cui ſucceſſit MICHAEL per XXXV. annos, qui & mitram portavit, & eccleſiam debitis gravatam & regulari obſervantia deſolatam dereliquit.

[a] *Additur in margine ipſius auctoris manu* Opinio eſt.
[b] Nullus hoc nomine extat in ſerie epiſcoporum Catalaunenſium, ſed hoc anno ſedem illam occupaſſe dicitur Petrus de *Hant*, cujus obitum conſignant ad annum 1262.

De Gerardo abbate xv.

68. Poſt mortem Henrici ſuccedit GERARDUS abbas XV. qui & ipſe fecit malum in conſpectu Domini, & ſecutus eſt errores prædeceſſoris ſui, nihilque præter nomen tantum memoria dignum poſteris dereliquit. Siquidem iſto tempore monachi Dei timore poſtpoſito, mundanas gloriolas optimas arbitrantes, ſe illis in omnibus quantum poterant conformabant.

Feſtum S. Sacramenti Leodii inſtitutii.

Anno Domini MCCLX. HENRICUS epiſcopus inſtinctu Evæ recluſæ S. Martini, Urbano papæ ſcripſit epiſtolam ſuper inſtitutione feſti Sacramenti, & ex tunc a Leodienſibus cœptum eſt celebrari, dehinc in Germania & Francia eſt celebratum, poſtmodum univerſaliter ab omnibus eccleſiis eſt ſuſceptum. Anno Domini MCCLXXI. XIV. cal. Martii obiit domnus GERARDUS abbas noſter XV. ſepultuſque eſt ante altare S. Stephani, cui inſcriptum eſt tale epitaphium.

Funde preces, ora pro me, perpende quod hora
Stabis in orbe brevi flos & homo labilis ævi.
Quantum durabis? ſtatim quod poſco rogabis,
Ut tibi fiat idem, mihi ſis homo ſis pius idem.
Anno Domini MCCLXXI. IX. *cal. Martii obiit dominus Gerardus abbas loci hujus quintus decimus.*

De Enoch de Jupilia abbate XVI.

69. Deinde ſucceſſit in regimine domnus ENOCH, qui & ipſe ambulavit in viis prædeceſſorum ſuorum, nec appoſuit cor ſuum ut quæreret Deum, & averteret iram ejus a domo iſta, ſed ultra prædeceſſores ſuos aggravavit eccleſiam penſionibus multis, & ut ita loquar debitis infinitis. Anno Domini MCCLXXIII. domnus GREGORIUS X. papa, pontificatus ſui anno III. Lugduni pro paſſagio univerſali concilium generale congregavit. Ad quod cum fuiſſet epiſcopus HENRICUS perſonaliter evocatus, Leodienſes, Hoyenſes, Dionantenſes, & Sancti-Trudonenſes ad concilium deſtinantes, ipſum de inſolentiis & defloracionibus virginum accuſaverunt. Quem papa interrogans, petiit an vellet cedere an ſententiam expectare. Qui ſperans obtinere gratiam, annulum reſignavit. Sed inanem hunc papa abire permiſit. Unde:

Qui fuit ante comes, dux, marchio, præſul & abbas,
De thalamo papæ tantummodo presbyter exit.

De Johanne de Anghien epiſc. Leodienſi.

Vixit annis XII. poſt reſignationem ſuam infeſtando patriam. Tunc per papam ſubrogatur in epiſcopatu JOHANNES DE ANGHIEN Tornacenſis epiſcopus, abbatia de Stabulo ſibi tradita. A quo cum Henricus quondam epiſcopus Leodienſis ſummam pecuniæ peteret, VII. anno epiſcopatus ſui per ſatellites Henrici capitur, & caballo impoſitus, cum pinguis eſſet, inconſueta ventilatione deficiens, ante portam de *Helechin* ſpiritum exhalavit. Et quoniam libertates eccleſiarum conatus erat infringere, & propter hoc per eccleſias ceſſatum erat a divinis, non ſinitur in majori eccleſia ſepeliri, ſed in eccleſia noſtræ Dominæ, ubi epiſcopus ſedet ad pacem, ſepelitur. Hujus tamen oſſa cum Adolpho *de Waldege* ad preces ejus extremas tumulata ſunt ſecum. Et vacavit ſedes Leodienſis per annum.

70. Anno LXXXII. in vigilia Omnium-ſanctorum recipitur Leodii in epiſcopum JOHANNES filius comitis Flandriæ, vir nobilis, humilis & honeſtus, doctor decretorum. Hic ordinavit ſtatuta ſynodalia. Ejus tempore inſignes ſuper venalibus maltoutam levare cœperunt, contra cleri & populi voluntatem. Propter quod epiſcopus cum curia ſua totuſque clerus Hoyum receſſerunt, per annum & decem menſes manentes ibidem. Eo tempore fuerunt poſiti novem fratres Wilhelmitæ in loco ubi nunc morantur. Interea eccleſia noſtra gravibus onerata penſionum & aliorum debitorum oneribus, lugebat crebras cenſuras eccleſiaſticas occaſione eorum per parochias civitatis in ſe & in ſuis membris fulminari. Quapropter cupientes monachi ſe a tantæ confuſionis ſcandalo liberare, & monaſterium a dictorum debitorum mole relevare, convenerunt in unum, & in domnum WILHELMUM dictum de *Julemont* abbatem S. Jacobi, qui religionem deſolatam in monaſterio ſuo ad ſtatum honeſtæ converſationis perduxit, Johannem decanum Leodienſem, Amelium & Wilhelmum monachos dicti monaſterii unanimiter compromiſerunt, & per juramentum a quolibet & ſingulis dictorum monachorum tunc dicti monaſterii præſtitum, promiſerunt quod ipſi ſtarent ordinationi & reformationi ipſius monaſterii, prout dictis domno Wilhelmo, domno Johanni, fratri Amelio & fratri Wilhelmo videretur dicto monaſterio expedire. Qui hujuſmodi ordinationis & reformationis onere in ſe ſuſcepto, viſis & conſideratis diligenter dicti monaſterii neceſſitate & utilitate, multa ſalubria ordinaverunt. Statuentes etiam inter cetera quod ipſe Johannes decanus Leodienſis, Johannes inveſtitus de *Willenburgh* canonicus Leodienſis, & Everardus de Inſula civis & ſcabinus Leodienſis, eſſent receptores & levatores per triennium continuum a data dictæ ordinationis, ſcilicet a feſto S. Johannis Baptiſtæ anni MCCLXXXIX. omnium reddituum & bonorum ſive ad menſam abbatis ſive conventus prædictorum ſpectantium ſolvendo penſiones eorumdem, & quod dicti abbas & conventus aliquatenus manus ad bona prædicti monaſterii non apponerent. Item quod ſigilla abbatis & conventus penes ipſos quatuor arbitros deponerentur, & per eos litteræ reddendarum penſionum ſigillarentur, quod & factum eſt. Nam in cuſtodia eorum in monaſterio ſancti Jacobi repoſita ſunt. Quibus ſic ordinatis, omnes monachi dicti monaſterii tenere dictas ordinationes juramento firmaverunt; & dicti Johannes decanus, Johannes de *Wille-*

brung & E. de Inſula onus dictæ ordinationis in ſe ſuſceperunt. Quam ordinationem JOHANNES epiſcopus Leodienſis plurimum laudavit & approbavit, & teneri mandavit. Interim domnus ENOCH abbas infirmatur, & tertio nonas Julii anno XCI. moritur, & ante altare S. Crucis ſepelitur. Cui tale epitaphium inſcribitur:

Moribus ornatus jacet hic ENOCH *tumulatus.*
Abbas qui dignus, largus fuit atque benignus.
In prece devotus erat inſtans pectore totus,
Unde placens factus, in ſacris promtus & aptus,
Ut ſibi donetur requies hoc quiſque precetur.

Anno Domini MCCXCI. *tertio nonas Julii obiit bonæ memoriæ domnus* ENOCH *abbas hujus loci* XVI.

De Johanne de Nivella abbate XVII.

71. Deinde factus eſt abbas XVII. JOHANNES DE NIVELLA. Hic in principio niſus eſt in parte aliqua monachos ſuos reformare, ſed non paruerunt ei. His diebus monachi Cornelii-montis de conſenſu ſuperiorum ſuorum cum epiſcopo ad locum Minorum ur.de migraverant, in manibus epiſcopi remanentem, de caſtro cum epiſcopo permutarunt, quo loco nunc Deo famulantur. Eodem anno XCI. civitas *Accon* per Saracenos deſtruitur, & Damiata capitur, ac JOHANNES epiſcopus Leodienſis moritur, duoque in diſcordia eliguntur, ſcilicet GUIDO DE HANNONIA & WILHELMUS DE MECHLINIA. Sed Guidonis electio per archiepiſcopum confirmatur, & ab omnibus recipitur, regalibus a rege impetratis, Wilhelmo ſedem apoſtolicam appellante. Hic Guido videns hoc monaſterium ſic debitorum mole gravatum, & morum honeſtate deſtitutum, talem ordinationem fecit in eodem, quod quilibet monachus dicti monaſterii contentus eſſet certa portione ſibi per ipſum aſſignata, nec ultra dictam ordinationem ſive portionem ſibi aſſignatam, nihil per ſe vel per alium reciperet, & ſi aliquando ſciret recepiſſe, dicto Guidoni vel proviſoribus ſuper hoc ab eo conſtitutis denuntiaret. Conſtituitque duos procuratores monachos, ſcilicet Henricum *Qualhier* & Nicolaum de *Othei*, qui omnia bona monaſterii levarent, quæ tam ad mensam abbatis quam conventus ſive officia pertinerent, & ne in ultra portionem ſibi aſſignatam aliquid darent. Quam ordinationem omnes monachi tenere juraverunt. Sed proh dolor! multi male tenuerunt, undecumque poterant bona levantes, & contra juramentum ubi poterant recipientes. Interim electio Guidonis per Bonifacium papam caſſatur, & HUGONI DE CABILONE conſanguineo ducis Burgundiæ epiſcopatus Leodienſis traditur, ac a Leodienſibus anno Domini MCCXCVI. honorabiliter recipitur. Qui multis creditorum querelis & proborum virorum ſuper inhoneſta converſatione monachorum querimoniis pulſatus, locum viſitavit, & abbatem JOHANNEM in hec conſentientem privavit anno XCVII. in die Fidis virginis. Aſſignata igitur die electionis novi abbatis in craſtino Nativitatis Domini, prior monaſterii Amelius nomine, & Johannes quondam abbas cum aliis ſeptem, per viam ſcrutinii elegerunt in abbatem Hermannum cuſtodem monaſterii. Sed Werricus præpoſitus S. Nicolai in Glano cum duobus aliis, elegit fratrem Gerardum de Fontanis, qui erat cancellarius. Cum igitur Hermannus tamquam a majori parte electus, ſe epiſcopo ut eum confirmaret præſentare vellet, appellavit contra eum dictus Gerardus coram epiſcopo, aſſerens ipſum Hermannum tempore electionis de ſe factæ fuiſſe excommunicatum, eo quod habitum non deferret. Similiter ipſum & omnes electores ſuos fuiſſe perjuros & fures, ex eo quod contra juramentum proprium occulte bona ultra portionem ſuam levaſſent. De cujus inſtrumento appellationis præmiſſa tranſſumta ſunt. Fuerunt tunc monachi profeſſi numero XVII. Sed alii tres elegerant, unus illum, alter alium.

De Werrico abbate XVIII.

72. Cum igitur hi duo inter ſe ſuper dignitate contenderent, Werricus præpoſitus S. Nicolai multis hinc inde promiſſionibus ſe gravando, & debita debitis cumulando, ipſam impetravit. Quod HUGO Leodienſis epiſcopus ægre tulit, ſed contra ipſum Wericus ſedem apoſtolicam appellavit. Hunc inter omnes miſerabilem dixerim, eo quod prioratum S. Nicolai, ubi in quiete ſtabat, deſeruerit, & eccleſiam hanc uſque ad ultimam deſolationem perduxerit. Si quidem anno Dñi MCCC. quo annus jubileus primum per papam Bonifacium VIII. inſtitutus eſt a centeſimo in centeſimum annum celebrari, eccleſia noſtra tanta mole debitorum eſt oppreſſa, ut oportuiſſet monachos mendicare, niſi ſibi alibi proviſiſſent. Unde de numero monachorum ſupraſcripto, ſcilicet XVII. non manſerunt niſi quinque monachi tantummodo. Qualiter autem divinum officium tunc celebrabatur ſapientum judicio derelinquo. Iſtis temporibus inter dominum de *Avvans* & progeniem de *Warous* cruenta guerra naſcitur inteſtina, unde cædes multorum hominum crudeliſſimæ prodierunt.

Adolphus de Waldege epiſcopus Leodienſis.

73. Anno Domini MCCCI. HUGO Leodienſis epiſcopus transfertur ad archiepiſcopatum Biſuntinum, & ADOLPHO DE WALDEGE traditur epiſcopatus Leodienſis. Qui veniens Leodium, & eccleſiæ hujus deſolationis magnitudinem perſpectans, abbatem WENRICUM adminiſtratione privavit, & regimen monaſterii in manu ADÆ abbatis S. Trudonis reſignavit intrante anno Dominicæ Incarnationis MCCCII. Cujus curam regiminis dictus abbas exercuit per annos quinque, non tamen omnimodam quam potuiſſet adhibens diligentiam. Hic conſtituit duos procuratores idoneos, qui debita inquirerent, & omnia bona monaſterii levarent, penſionariis ſatis-

Guido de Hannonia electus epiſc. Leodienſis.

Hugo de Cabilone epiſc. Leodienſis.

facerent, ac in defalcationem debitorum magis urgentium reſiduum converterent.

Monaſterium ſupra modum debitis aggravatum.

Sed cum debita ſuper bona eccleſiæ excreſcerent in tantum, quod ipſe ſolus abbas in XI. millibus marcarum eſſet creditoribus aſtrictus, & quædam ex his per fœnus uſurariorum & comeſtus equorum quotidie augmentum ſumerent, exceptis aliis debitis & penſionibus non ſolutis & retardatis, quæ quaſi ad triplum tantum aſcendebant, quantum eccleſiæ redditus annuatim valerent. Idem abbas habito ſuper hoc maturo conſilio, viſum eſt eis melius eſſe partem bonorum, quibus eccleſia ſatis abunde fuerat dotata, hereditarie vendere, quam proceſſu temporis creſcentibus undique debitis ex integro perdere. Quare ipſe abbas præfatus licentiatus & permiſſus ab epiſcopo, pro utilitate monaſterii vendidit hereditarie, tam in terris quam cenſibus, decimis, ac domibus uſque ad valorem mille modiorum ſpeltæ. Pecunias vero de hujuſmodi venditione receptas, aſcendentes ad ſummam XXI. millium marcarum Turonenſium, ipſe abbas debitis magis damnoſis & creditoribus magis opportunis ampliavit. Summa autem reddituum monaſterii anno præſcripto in ſpelta, ſiligine, piſis, frumento, multura, hordeo & avena computatis uno modio ſiliginis, piſorum, frumenti, multuræ, &c. pro duobus modiis ſpeltæ fuit circiter IX. millium quingentorum modiorum ſpeltæ modicum amplius. Summa denariorum aſcendit ad CIX. marcas. Redditus in caponibus deductis deducendis remanent eccleſiæ DCC. XXXIII. capones valentes XXXVI. lib. & XII. ſolidos & den. parvorum Turonenſium VI. denariis id eſt XII. Turonenſibus pro capone computatis. Item VII. amæ vini & XXXIII. libræ ceræ. Quæ omnia ſimul computata faciunt D. XVI. libras & XI. ſolidos parvorum Turonenſium; libra valet XX. ſolidos, ſolidus XII. denarios, denarius duos Turonenſes. Præter hæc habuit eccleſia XXX. bonnaria ſilvæ & vineas & prata decimaſque vinearum & fœni, &c. Summa penſionum venditarum ad vitam DCCCC. reliquarum non aſſignatarum cum trefundis ſeptem mill. CCC. & LXXXII. modiorum ſpeltæ, quæ ſimul junctæ faciunt octo mill. CC. & LXXXII. modios ſpeltæ. Hæc omnia tranſſumta ſunt ex autentica copia regiſtri illius anni. Sed & ſequentia pene omnia ex ſcriptis autenticis ſunt exſcripta.

Theobaldus de Barro epiſcopus Leodienſis.

74. Eodem anno obiit epiſcopus ADOLPHUS, cui ſucceſſit THEOBALDUS DE BARRO, in cujus manibus abbas S. Trudonis regimen eccleſiæ hujus reſignavit, in qua tunc decem circiter monachi cum abbate erant. Epiſcopus vero abbatem Werricum in adminiſtratione poſuit iterum, ſed ille minime ſe correxit, & facta ſunt poſteriora ejus pejora prioribus. Anno Domini MCCCVII. una die & hora Templarii per totum regnum Franciæ capiuntur. Quo facto rex petiit a Clemente papa quinto ordinem deſtrui, imponens Templariis horribilia. Unde in ſequenti anno ordo per ſententiam aboletur in concilio Lugdunenſi, & rex Franciæ Pariſius magiſtrum ordinis ditiſſimum cum multis Templariis, impoſita ſibi confiteri nolentibus concremavit. Tunc Clemens papa, *in principio erat Verbum, &c.* in fine miſſæ dici conſtituit, & ad illum locum *& Verbum caro factum eſt* inclinantibus indulgentias..... dierum conceſſit. Anno XII. THEOBALDUS epiſcopus Romæ confoſſus multis vulneribus moritur. Cujus morte Leodii nunciata, oritur diſſenſio inter inſignes & capitulum ſuper conſtitutione mamburni, nam inſignes volebant intereſſe electioni, ſed per ſolum capitulum Ar. de *Blanckehen* præficitur in manburnum. Quapropter inſignes confœderati comiti Loſſenſi, quadam feria quinta caſas in quibus carnes venduntur incenderunt nocte. Unde multitudine ad arma concurrente, majores verſus eccleſiam ſancti Martini aciem direxerunt, & ante S. Hubertum præpoſitum qui per capitulum mamburnus fuerat præfectus proſtraverunt. Deinde in eccleſiam S. Martini fugientes, ſtraminibus undecumque congeſtis, cum ipſa eccleſia per populares ſunt concremati. Eodem anno papa dedit epiſcopatum ADULPHO DE MARCHA, qui venit Leodium in die Nativitatis Domini anno XIII. Hic gravibus querimoniis creditorum & civium ſuper inſolentiis abbatis WERRICI & fratrum ſuorum pulſatus, monaſterium viſitavit, & ipſum abbatem WERRICUM iterum adminiſtratione privavit, conſtituens quemdam qui magiſter Johannes Pinguis dicebatur, receptorem omnium bonorum eccleſiæ, ut ipſe omnia bona eccleſiæ levaret, & abbati & fratribus portiones ſibi taxatas per ipſum epiſcopum adminiſtraret, penſiones ſolveret, & de reſiduo prout poſſet creditoribus ſatisfaceret. Acta ſunt hæc anno XIV. Cumque WERRICUS abbas contra mandatum epiſcopi ad bona eccleſiæ manus poſuiſſet, commotus epiſcopus, in abbatem manus injecit, & in caſtro Cornelii-montis cuſtodiæ mancipavit, ubi per multum temporis ſtetit. Sed poſtmodum circa Nativitatem Domini latenter inde receſſit, & in *Glons* ſe recepit. Quod ut epiſcopo nuntiatum comperit, in Brabantiam ſeceſſit. Ceteri vero monachi ab epiſcopo vocati, *timentes* ipſum de rigore velle procedere, omnes de monaſterio fugerunt, univerſa quæ aſportare poterant rapientes & ſecum deferentes, & ita remanſit hæc domus Dei vacua & ſine inhabitantibus a tempore quadrageſimæ uſque ad Nativitatem Domini quaſi per annum deſerta. Ad tantam namque devenerat deſolationis vaſtitatem, ut nec ſolus eſſet ei inhabitator. Unde tunc vere planctus Jeremiæ hic potuit recitari, & in tanto ſpatio temporis cultus divi-

Adulphus de Marcha epiſcopus Leodienſis.

Monaſterium S. Laurentii deſertum.

nus omnino eſt derelictus ex toto, ita ut nec una miſſa in eccleſia legeretur, excepto die ſolemnitatis S. Laurentii & dedicationis eccleſiæ, in quibus diebus Johannes Pinguis receptor bonorum per advenientes ſacerdotes fecit in eccleſia miſſam decantari, & ipſis prandium miniſtravit. Miror tamen cur ad minus ter vel quater in hebdomada per aliquem ſacerdotem ſecularem in eccleſia non ſint celebrata miſſæ myſteria, cum pro parvo cenſu hoc fieri potuiſſet. In dicta autem ætate interpellatus eſt Leodienſis epiſcopus pro revocatione conventus, qui tandem acquievit, jubens monachos ad monaſterium revocari. Qui redierunt in vigilia Nativitatis Domini, & a primis veſperis dictæ ſolemnitatis divinum officium reſumſerunt. Erant enim quaſi decem numero; abbas tamen non rediit, ſed in Brabantia manſit gravi mole debitorum oppreſſus. Acta ſunt hæc anno Domini MCCCXV. Sed cum eccleſia a creditoribus graviter premeretur, contigit multos ex penſionariis mori de peſtilentia in anno XVIII. & tunc ex pecuniis receptis de venditione nova penſionum mille modiorum perſoluti ſunt multis creditorum. Sed pro retardatis penſionibus ſatisfieri non potuit. Obierunt etiam tunc aliqui de fratribus, & manſerunt ſeptem tantummodo. Videns autem Johannes Pinguis quod eccleſia noſtra progreſſum non haberet, ſe a bonorum levatione abſolvit, & epiſcopo computationum ſuarum regiſtrum obtulit anno XX. Habuit tunc eccleſia in ſpelta octo mill. c. & XVI. modios, in denariis CCCLI. libras Turonenſes, capones DC. LXX. &c. Inde tenebatur in penſionibus quinq. mill. D. LXVI. modiis. Et deductis deducendis manſit monaſterium obligatum in debitis duobus mille ſpeltæ & XX. libris communis pagamenti.

Ad quod monachi revocantur.

75. VIDENTES igitur monachi quod ſi Werricus abbas diutius viveret, tota eccleſia in perpetuum deſolanda eſſet, nam ballivus de *Hanut*, ad præceptum ſeneſcalli Brabantiæ, levavit eodem anno omnia bona quæ eccleſia noſtra habebat in Brabantia, occaſione CCC. florenorum quæ abbas tenebatur magiſtro Johanni de Florentia de promotione ſua, convenerunt eum per probos viros ut dignitati renuntiaret, & ad S. Nicolaum quiete perſiſteret. Qui tandem ſub certis pactionibus, videlicet ut primo anno CCCC. modios ſpeltæ haberet, ceteris vero C. & LXXX. & preſbyter celebrans ibi XX. modios ſpeltæ annuatim, & ſic dignitati renuntiavit anno XXIII. Præfuit taliter qualiter XXV. annis; de cujus regimine plura eſſent ſcribenda, ſed ſufficit ejus miſerias paucis explicaſſe. (a)

[a] De Gaverido abbate XIX.

76. Eodem anno elegerunt fratres fratrem GAVERIDUM virum probum, & ut puto monachum S. Huberti in abbatem, (b) qui multa bona feciſſet, niſi malitia temporis obſtitiſſet. [b] Ipſe accedens ad regimen monaſterii omnia invenit poſita in ruina, in domo abbatis non invenit nec unum ſcamnum, nec tripodem, nec ſcutellam, nec linteamen unum, niſi ſolos nudos parietes, & cœpit omnia ſecundum poſſibilitatem ſuam reparare. Sed multa occurrerunt ſibi contraria. Ipſe in primo anno ſuo ſolum habuit DCCCC. LVI. modios ſpeltæ pro ſe & conventu ſuo in expenſis victualibus & neceſſariis intus & extra monaſterium. Reliqua bona aſſignata fuerunt penſionariis, aut perdita propter terras incultas. Iſte reparavit fontis meatum qui tempore Werrici obſtructus erat, & quaſi neglectus. Renovavit coquinam, reparavit vivarium, fecit ut opinor, primas cellas in dormitorio. Hic fieri fecit ſecundo anno ſuo ſcilicet XXIV. majorem campanam quæ dicitur *jocunda*, ſuper quam ſic ſcriptum habetur: *Magiſter Gerardus de Leodio me fecit anno Domini* MCCCXXIV. *tempore domni* GAVERIDI *abbatis* XIX.

Dum ſono vaneſcat, & plebs tua, Chriſte, quieſcat,
Fulgur, tempeſtas, tonitrus, ſathanæque poteſtas.

Item & aliam campanam quæ dicitur *Pairetta*, ſuper quam habetur ſcriptum: *Mentem ſanctam ſpontaneam, honorem Deo & patriæ liberationem.*

77. Eodem anno epiſcopo multis debitis involuto, & multis de injuſtitia conquerentibus, epiſcopo conſenticnte, de capitulo, militibus & burgenſibus eliguntur perſonæ XX. ſuper bono patriæ proviſuri, qui conſedentes quamdam cartam ordinant epiſcopi ſigillo ſigillandam. Quam cum epiſcopus ſigillare nollet, inter ipſum & civitatem diſcordia renovatur, & Leodienſes totam juriſdictionem epiſcopi impedire cœperunt, villico ne quemquam malefactorem caperet inhibendo. Unde epiſcopus cum curia ſua & archidiaconis receſſit ad Hoyum, & ſequenti anno in feſto Matthiæ civitas ſupponitur interdicto, & majus capitulum transfertur ad Hoyum. Eodem tempore eccleſia noſtra grave placitum habuit adverſus quemdam nomine Ægidium *Kacelot*. Propter quod dominus abbas GAVERIDUS perſonaliter ivit Rhemis, & ad curiam Romanam, ut parceret expenſis. Ipſe etiam penſiones vendere noluit: propter quod ipſum & fratres ſuos minori portione contentari oportuit. In anno XXVI. imago beatæ Virginis Mariæ, quæ ſculpta eſt ſuper oſtium capellæ S. Georgii, multis cœpit clarere miraculis. In anno autem XXVIII. adhuc durante interdicto, Leo-

(a) Obiit in ſancto Nicolao circa annum 1327.
(b) Additur in ima pagina hiſtoriæ domini Stabulaus, iſte fuit de Bronio vel de illis partibus, quia quando electus fuit, itum fuit in occurſum ejus uſque ad Namarcum, ut habetur in expenſis illius temporis.

dienſes

dienſes ſuper venalia maltoutam dudum ab omnibus abjuratam poſuerunt. Quapropter reliqui canonici qui in civitate remanſerant, inde receſſerunt. Quod videntes Leodienſes, plurimos eorum ſpoliaverunt: daturque lex, quod quicumque poſſet capere clericum recedentem, bonis ipſius libere uti poſſet; & LII. preſbyteri clam incarcerantur, prohibueruntque ſub pœna capitis preſbyteris ſervantibus interdictum, ne in feſto Pentecoſtes miſſam celebrare præſumerent, niſi poſt feſtum intenderent continue celebrare, & multa alia inconvenientia perpetrarunt, ſicut in epiſtola ſummo pontifici per eccleſias directa plenius continetur. His diebus Johannes de *Hars* * miles, non modicum eccleſiam noſtram turbavit, volens & requirens quod abbas & conventus ibi facerent prioratum ſex monachorum, qui dirigerent animam ſuam in conſpectu Altiſſimi quoad ſpiritualia, & adminiſtrarent ſibi equos & currus quoad temporalia; dicens ſe audiviſſe quod quondam ita fuerit, & in multis gravavit eccleſiam. Eodem anno duo ex monachis invicem contendentes in eccleſia vulneraverunt unus alterum, propter quod monachi omnes fuerunt ſuſpenſi, & reconciliata fuit eccleſia anno XXIX. in die apoſtolorum Petri & Pauli, & monachorum ſuſpenſione durante, in reconciliatione eccleſiæ, & in die S. Laurentii atque in die Aſſumtionis beatæ Mariæ eſt celebratum officium per preſbyteros ſæculares. Item eodem anno oblatio ad beatam Mariam ad miracula aſcendit a feſto S. Ægidii uſque ad Paſcha uſque ad LXXXIV. libras Turonenſes & ultra.

* *l. de Hairs.*

Pax inter epiſc. & civitatem.

78. Anno XXX. facta eſt pax inter epiſcopum & civitatem. Relaxatumque eſt interdictum quod per quinque annos duraverat, & ex tunc paulatim canonici revertuntur. Cumque ſubſidium ab eccleſiis ſubito peteretur, & eccleſia noſtra non haberet unde ſolveret, impignorata ſunt jocalia eccleſiæ quæ remanſerant, ſcilicet duæ pelves argenteæ, duo thuribula & quædam alia. Eodem tempore rediit abbas GAVERIDUS de curia, & videns monachos vitam non ſibi placentem ducere, fecit eos vocari Hoii coram epiſcopo, qui miſit aliquos ad viſitandum monaſterium. Quibus aliqua minus placita abbati conſtituentibus, ac ordinantibus, conſiderans abbas ſe in hoc loco parvum fructum facere, dignitati ceſſit, & ut opinor unde venerat regreſſus eſt.

De Arnoldo abbate XX.

79. Vigeſimo loco ſucceſſit ARNOLDUS, qui & ipſe ex alio monaſterio neſcio quo eſt aſſumtus. Hic cujus vitæ extiterit, aut qualiter ejus tempore ſtatus eccleſiæ noſtræ ſe habuerit compertum non habeo, niſi quod ipſe multas penſiones vendidit & eccleſia in deſolatione permanſit. Fueruntque tempore ſuo quinque vel ſex monachi in monaſterio. Reliqui hinc inde diſperſi, videlicet in *Maeſvvic*, in *Glons*, & in *Fexhe*, &c.

Anno Domini MCCCXXXV. cum jam progenies de *Avvans* & de *Warous* amplius XXXVIII. annis ſe cruentis cædibus fatigaſſent, & ab epiſcopo & a civitate aſtipulantibus bonis villis ſtatutum fuiſſet, ut qui aliquem occideret, capitalem ſententiam ſubiret, mediantibus probis viris & diſcretis in hanc concordiam convenerunt, ut electis hinc inde XII. perſonis, qui de interfectis ab utraque parte ſatisfactiones mutuo compenſarent, illi in noſtram eccleſiam S. Laurentii intrarent, inde non exituri donec perficerent inchoatum. Qui intraverunt monaſterium in principio quadrageſimæ, ſtetereruntque uſque poſt Paſcha. Tandem ordinationem quam fecerant, in die S. Servatii in palatio coram populo publicaverunt, quæ vocatur pax de XII. His temporibus fuit Benedictus papa XII. de ordine Ciſtercienſi aſſumtus, qui fecit *Benedictinas*.

Anno XLII. obiit ARNOLDUS abbas noſter XX. præfuit annis VIII. menſ..... Iſte obtulit in curia Romana pro promotione ſua M. florenos & VI. minuta ſervitia. Quæ cum ſolvere non poſſet, & eum epiſcopus ab adminiſtratione removiſſet, appellavit. Et habetur adhuc littera decani S. Servatii de iſtis.

De Walterio abbate XXI.

80. Poſt hanc lamentabilem & diuturnam deſolationem, & gravem divinæ viſitationis animadverſionem, elapſis jam paulo plus minuſve centum annis ex quo diſciplina regularis in hoc loco cœperat tepeſcere & fervor religionis imminui, ſingulis quæ ſua ſunt quærentibus, recordatus eſt Dominus miſericordiæ ſuæ, nec eſt oblitus omnino miſereri, ſuſcitans ſuper domum iſtam ad ejus quantulamcumque ſublevationem pauxillum auxilii, ſed non in loco fideli. Eo ſiquidem miſericorditer diſpenſante, dominus Walterus dictus *Macharius* Stabulenſis monaſterii decanus, in hujus eccleſiæ abbatem eſt aſſumtus. Hic itaque adveniens, invenit in monaſterio omnia diruta, diſtracta & annihilata. Tamen aſpirante ſibi divina gratia, ſollicite & in quantum potuit invigilabat reparationi & reformationi, monachos diſperſos ad monaſterium revocans, plures etiam de novo creans, fueruntque in monaſterio ejus tempore monachi XIII. duo in ſancto Nicolao in Glano, habentes ſinguli LX. modios ſpeltæ, unus in Meffia qui habebat modios LXX. Ipſe vero dominus Walterus in numero erat XVII. Hic comparavit duo graduala in monaſterio Lobienſi venalia, fecit fieri duos antiphonarios hiemales pulchros, & æſtivales inchoari, ſumtis exemplaribus a monaſterio S. Jacobi, quia ea quæ ad divinum officium pertinebant, quaſi penitus erant diſtracta & annihilata. Fecit etiam canonem fieri pro majori altari, & unum miſſale pro ſe, item magnum lectionarium in

festis XII. lectionum, cum Evangeliario nocturno & collectarium antiquum. Item librum de unctione infirmorum & commendatione defunctorum, & quædam alia, fecitque quod bonum est in conspectu Domini, sed non in corde perfecto, quia parum de spiritualibus observantiis reformavit, sed tantum secundum hoc sæculum monachos suos ad quandam secularis vitæ honestatem perduxit. Registrum tunc ascendit ad VII. mill. modios CCC. & LXXXV. modios speltæ. Pensionum summa erat quatuor mill. CCC. XXXIV. modios speltæ. Ipse autem abbas DXVI. modios speltæ habebat pro portione sua. Prior LX. Reliqui fratres vivebant in communi habentes solum vestiarium suum quorum provisionem faciebat supprior. Iste abbas primus omnium emolimentum de carbonibus quæ *Hulle* vocantur habuit. Ipse etiam pensiones aliquas vendidit, sed tamen quod sibi de portione sua supererat in utilitatem ecclesiæ expendit. Videntes igitur monachi abbatem & priorem per se vitam ducere, & se cum suppriore in paupertate degere, desiderantes & ipsi libertatem, unanimiter contra abbatem insurgunt, volentes ut singulariter cuilibet suam portionem tribueret. Quibus ipse placere cupiens de divisione bonorum & numero monachorum conscriptionem fecit, ordinavit & gratificavit, & propter hoc fratribus valde placuit, & sic status ecclesiæ nostræ qui modice reparari coeperat, iterum in recidivum quodammodo prolapsus est. Abbas autem apud *Glons* secessit, & quasi continue ibi moram traxit. Fratres vero propriæ voluntati derelicti in antiquam suam conversationem degenerabant, & vitam confusione plenam ducebant. Quapropter reverendus pater ENGELBERTUS Leodiensis episcopus, qui Adulpho patruo suo in episcopatu successerat, probos viros & discretos ad visitandum monasterium misit, quorum ordinationem hactenus servatam sub censuris ecclesiasticis observari præcepit, sed male observata fuit. Acta sunt hæc anno MCCCLII. Ipse vero dominus WALTERUS de portione sua molendinum de *Glons*, quod olim in generali venditione alienatum & venditum fuerat, reacquisivit & monasterio restituit, affectans ut annuatim fierent ejus exequiæ in remissionem peccatorum suorum. Ipsum igitur domnum Walterum fratres sui, dum adhuc viveret, multum commendaverunt, & memoriam ejus ut ita loquamur, quasi ad sidera extulerunt. Præfuit monasterio circiter annos XIII. & sepultus est in medio oratorii cujus epitaphium ita exaratum est.

Proprietatis vitium induxit.

Engelbertus Leodiensis episcopus.

Iste monasterii præsentis commodus abbas
Nomine Walterus proprio, cognomine vero
Macarius, genere quamvis ac corpore magnus,
Corde tamen prorsus humilis famæque nitore
Lucens, exterius animi dulcedine flagrans,
Cœlestem sapiens summi dulcoris odorem.
Anno Domini MCCCLV. *undecimo calendas*
Aprilis obiit piæ memoriæ domnus Walterus hujus loci abbas XXI.

81. Post cujus decessum sequenti anno nocte quadam mugientibus circumquaque tonitruis, & quibusdam ex fratribus antematutinos quindecim graduum cantica incipientibus, cecidit fulmen ad sinistrum latus turris, & matricularium ad campanas festinantem invasit, terruit, ac quasi amentem deinceps effecit. Inde descendens per foramen patulum, intrauit ecclesiam, & ascendit ad celatas in sinistro latere, ac magnum ibi foramen asseribus depulsis reliquit. Rursusque catenam a qua crucifixus dependet, descendens, ipsum crucifixum non tetigit, sed lignean imaginem similitudinem diaconi habentem, in medio chori vice pulpiti locatam stravit, ac in duas partes scidit, & sedes cantorum subvertit, ipsis monachis hæc videntibus quasi exanimis præ horribili terrore prostratis & obstupefactis, quibusdam in oratorio, aliquibus in descensu dormitorii exeuntibus. Post hæc versus altare majus volitans, ipsum non attigit, sed cortinas transiliens in muro retro altare ubi imago beati Laurentii depicta fuerat, tam graviter impegit, ut ex ipso muro varia frusta evelleret, ac ipsam imaginem deformaret. Sed & quamdam laminam ferream, cui innitebatur basis sustentans seraphim versus sinistrum cornu altaris, aut asportavit aut taliter demolita est, quod ab illa hora citra numquam cuiquam hominum nec sola ejus particula appareret. Quo facto rursus se erigens, ascendit catenam a qua in medio oratorii corona dependet, rursusque descendens cum impetu versus sepulturam domini WALTERI antedicti, ibidem ut videbatur, terram subintravit, ingenti fovea versus pedes sepulti relicta, nec postea comparuit. A primo autem casu fulminis usque ad hunc, fluxerunt anni C. & LXXIII. ut patet intuenti. Hic abbas habuit consanguineum qui dicebatur Ægidius de LEXHI, qui longo tempore fuerat computator monasterii. Hic fecit fieri antiqua organa & dotavit altare quod construxerat ante imaginem beatæ Mariæ ad Miracula in XVI. modios speltæ. Postea quædam mulier nomine..... ad idem altare reliquit quatuor modios & duo sextaria speltæ.

De casu fulminis.

82. Post mortem domni Walteri successit in regimine JOHANNES XXII. abbas natione Francus, (a) vir industria pollens & scientiæ non mediocris, non tamen a conventu electus, sed per summum pontificem monasterio destinatus. Siquidem eo tempore

De Johanne abbate XXII.

[a]

[a] Forte monachus S. Benigni Divionensis, utpote qui post septem annos abbatialem illius monasterii dignitatem ambiverit, in qua tamen bene se gessisse memoratur in chronico S. Benigni tom. 1. Spicil. pag. 479.

dominus papa cum curia ſua reſidebat in Avenione, a qua ipſe dominus JOHANNES exiens de familia cujuſdam cardinalis, abbatialem dignitatem impetravit, quam per ſeptennium poſſedit. Iſte collegit quaſdam auctoritates ſanctorum doctorum, & in cedula deſcriptas, in aula parieti affixit. Ejus tempore fabrica eccleſiæ extra monaſterium ſatis competenter inſtaurata eſt. Monachi tamen diſſolutam & irregularem vitam ducebant, ſinguli quæ ſua ſunt quærentes, & tamquam laïci in omnibus ſe gerentes. Quapropter domnus ENGELBERTUS Leodienſis epiſcopus, iterum viſitavit monaſterium anno LX. & ordinationes quas pridem fecerat, obſervari præcepit. Eodem anno reconciliatum eſt clauſtrum S. Gertrudis, & modicum poſt reconciliatum eſt clauſtrum monaſterii propter ſanguinis effuſionem. Ipſe autem abbas JOHANNES occaſionem capiens viſitandi cognatos, & amicos tam in Francia unde duxit originem, quam in curia, abiit iterum verſus curiam, quemdam de monachis nomine Johannem *Blondin*, vice ſui in temporalibus conſtituens, qui ſibi portionem ſuam ad dignitatem ſpectantem annuatim deſtinaret, & denuo cum cardinali prænarrato moram traxit. Anno autem VII. ex quo profectus eſt e monaſterio noſtro, contigit abbatem Digionenſis monaſterii ab humanis decedere, cujus dignitatem JOHANNES abbas noſter cœpit ambire, & cardinalem pro promotione ejus ad eamdem interpellare. Qui cardinalis, de dignitate igitur S. Laurentii, inquit, quomodo „ diſponere propoſuiſti? » Eſt, inquit, in Ar„ denna prior quidam tenens prioratum in „ Evrincuria ſatis pinguem, monaſterio S. Hu„ berti in Ardenna ſubditum, ad cujus opus, „ ſi conſulueritis, reſignabo in manus domini „ papæ dignitatem ſancti Laurentii, ipſe vero „ prior prioratum ſuum ad opus veſtrum. « Quæ eodem ordine ſunt completa. Eodem anno Johannes quondam abbas noſter, tunc vero Digionenſis defunctus eſt.

De Roberto abbate XXIII.

83. Hoc modo domnus ROBERTUS dudum monachus S. Huberti, auctoritate ac litteris fultus apoſtolicis ſuper dignitate abbatiali hujus monaſterii, a fratribus cum dedignatione & contra votum receptus eſt, & ab abbate & conventu S. Huberti odioſe quamdiu vixit deteſtatus, propter expenſas quas faciebat pro redemtione ſui prioratus, ſicut prædictum eſt ad curiam devoluti. Erat autem ipſe domnus ROBERTUS pius, animo ſimplex, puſillus corpore; genere tamen conſpicuus, exiguoque ſcientiarum titulo præditus, & idcirco quampluribus erat deſpicabilis, & prælatione quodammodo inutilis. Tamque degebat remiſſus, ut ſubditi ſibi monachi parum ei deferrent, ſed adverſus eum ſe erigentes, diviſionem bonorum præmemoratam per eum gratificari & ſigillari quodammodo extorquerent, necnon plures ſibi libertates hactenus dedecores & inſolitas vendicarent, monachum vertentes in canonicum, immo in laïcum, nam canonicus regularis interpretatur, obedientiam in irreverentiam, paupertatem in præbendam. Anno Domini MCCCLXIV. ENGELBERTUS Leodienſis epiſcopus per papam tranſlatus fuit ad archiepiſcopatum Colonienſem, & JOHANNES DE ARKEL epiſcopus Trajectenſis ad epiſcopatum Leodienſem, qui venit Leodium eodem anno, penultima Julii, & ſequenti anno obſedit caſtrum de *Rummins*, quod ſibi traditum ſolotenus evertit. Johannes de Arkel epiſc. Leodienſis.

Anno LXIX. in vigilia Aſcenſionis Domini invaſit ignis monaſterium S. Jacobi, & combuſſit refectorium & partem de dormitorio & de hoſpitio abbatis.

Anno LXXIV. in feſto diviſionis apoſtolorum venerunt danſatores Aquiſgrani & deinceps Trajectum, & in Septembri venerunt Leodium, ubi multi ſanati ſunt in capella beatæ Mariæ in clauſtro S. Lamberti uſque ad tria millia, ex eo quod legebatur evangelium ſecundum Johannem, ſcilicet *In principio*, *&c.* ſuper capita eorum.

84. Iſtis temporibus facta controverſia inter domnum abbatem ROBERTUM S. Laurentii, & abbatem S. Jacobi, & inter utriuſque conventus priores, quis deberet præcedere, & quod monaſterium deberet primo ſigillare. Quæ hoc modo ab epiſcopo JOHANNE DE ARCK deciſa eſt, ut quando dominus Leodienſis eſſet in pontificalibus abbas, S. Jacobi ei vicinius adhæreret, aliis vicibus tam in abbatibus quam prioribus ille alium præcederet, qui primo ordinatus in dignitate vel prioritate fuiſſet, & eccleſia S. Jacobi primo ſigillaret. Eodem anno ordinati ſunt XXII. judices, qui haberent poteſtatem corrigendi omnes officiales miniſtros epiſcopi, & eſſent ſuper omnes judices patriæ. Quam pacem JOHANNES DE ARCK ſigillavit, de quo poſtea plurimum doluit. Ordinati vero volebant cognoſcere de omnibus cauſis, volentes etiam conſtringere epiſcopum quod reſtitueret quaſdam pecunias quas extorſerat a quodam Trudonenſi pro quodam caſu, de quo ſuus anteceſſor eum quietaverat, & voluit communitas quod ad hoc cogeretur epiſcopus. Qui receſſit verſus Trajectum, & deinde ad Gregorium papam, a quo benigne receptus eſt, & cauſa commiſſa cardinali Florentino, qui dure adverſus communitatem proceſſit, & miſit ſententiam excommunicationis & interdicti Leodium, ut omnes ceſſarent a divinis. Quod interdictum tam ſtricte ſervatum eſt, quod nec in die Nativitatis Domini, nec Paſchæ cantaverunt. Communitas igitur fecit mamburnum Walterum de Rupeforti. Qui habuit conſilium cum Leodienſibus, quod peterent ſub-

ſidium ab eccleſiis, & vocantes eccleſias in capitulo, concluſerunt omnes dicentes quod ſi vellent nollent, antequam exirent capitulum S. Lamberti, darent ei D. aureos duplices, & quaslibet ſecundariarum eccleſiarum ducentos. Qui ſic incluſi diu promiſerunt eis quod ante ſolis occaſum capitulum daret eis trecentos, & quælibet eccleſiarum centum. Venerunt igitur ad S. Jacobum & petierunt ducentos, dicentes abbati quod ſi non ſolveret ante ſolis occaſum, quod in craſtino duplicarentur, & poſtea triplicarentur. Et timens abbas cum proteſtatione fecit reſponderi pro ducentis dup. Inde venerunt ad ſanctum Laurentium in craſtino, ſed abbas & monachi ſic evacuaverunt domum ſuam, quod nihil invenerunt niſi campanas, nec aliquid eis dare voluerunt. Tandem in Junio facta fuit pax ſic quod viginti duo non judicarent ſuper perſonas eccleſiaſticas, nec de bonis eorum, & epiſcopus deberet habere XVI. mill. florenos.

Anno LXXVIII. in Martio obiit GREGORIUS papa. Cardinales autem propter metum corporis elegerunt URBANUM VI. & poſtea in eodem anno in Novembri contra illum elegerunt CLEMENTEM VII. Eodem anno obiit JOHANNES DE ARKEL epiſcopus Leodienſis, & ſepultus eſt in Trajecto inferiori. Cui ſucceſſit per Urbanum VI. ARNOLDUS DE HORNE etiam epiſcopus Trajectenſis, tempore ſchiſmatis.

85. Nunc revertamur unde digreſſi ſumus. Abbas Robertus multa bona in eccleſia feciſſet, ſi dignitatis auctoritas ei non defuiſſet & maturitas ſenſus, ideoque a monachis ſæpe injuriabatur. Cumque eccleſia aliqua onera ſuſtineret, concedebat ipſe pecunias & recipiebat annuas penſiones a propria eccleſia, quæ antequam reſignaret aſcendebant ad c. & XX. modios ſpeltæ annuatim. Ipſe acquiſivit duos modios ſpeltæ ſingulis annis fratribus in feſto S. Huberti diſtribuendos, cujus feſtum ſub duplici officio fecit celebrari, eo quod in ejus monaſterio prius fuerat monachus. Fecit etiam fieri de ſua portione domum in *Bodegneez*, quam ſæpius cauſa recreationis ſolebat viſitare. Ejus tempore facta fuit Aquila lignea in medio chori & ſedilia juxta altare, eo quod declinante ad ſenium impetivit eum morbus podagræ, id eſt contractio articulorum manuum & pedum. Unde propter inſolentias monachorum quaſi paſtore carentium, domino ARNOLDO DE HORNE epiſcopo Leodienſi, in monaſterio viſitationem facienti anno LXXXIII. tradita eſt cedula, in qua inter cetera continebantur etiam iſta quæ ſubjecta ſunt.

Arnoldus de *Horne* epiſc. Leodienſis.

» *Reverende pater, &c.* Ut ſtatus eccleſiæ » veſtræ S. Laurentii, &c. verius innoteſcat, » eſt ſciendum quod ipſa eccleſia habuit hoc » anno LXXXIII. ex ſuis certis reditibus VII. M. » XC. modios ſpeltæ. Inde exeunt pro trefundis & miniſtris IX. C. LXX. modii ſpeltæ, pro « diſcomputationibus mille modii, pro ornamentis eccleſiæ de novo hoc anno factis, « videlicet caſulis, dalmaticis, tunicis, vexillis, cortinis ſericis & lineis CCC. cor.... auri faCientes DC. modios ſpeltæ. Item, pro fabrica « & communibus expenſis XIV. C. modios « ſpeltæ, & ſic remanent ipſi eccleſiæ & perſonis ejuſdem pro expenſis victualibus DCCXX. « modii ſpeltæ. Ceterum præter præſcripta, eſt « etiam eccleſia obligata diverſis perſonis in « diverſis locis multis gravibus debitis, quæ ſi « eccleſia ſolvere debeat, videndum erit ubi « accipiet. Primo debet eccleſia pro duobus antiphonariis in quatuor *voluminibus*, & pro « duobus pſalteriis cum ſuis pertinentiis, factis « per Wilhelmum ſcriptorem & Reynerum « illuminatorem CC. duplices. Item, pro XC. M. « ſtelgiarum emtarum ad opus clauſtri, C. ſcuta « antiqua. Pro quatuor columnis æreis & quatuor imaginibus deſuper deauratis, pro molendino de *Glons* & eccleſia de *Maeſtricht* CCCC. « duplices & plus, &c. «

86. His acceptis, epiſcopus ſiluit aliis negotiis occupatus. Sed domno ROBERTO fuit capellanus nomine Stephanus *de Mariles*, vir admodum in temporalibus aſtutus, genere & forma conſpicuus, ſtatura procerus, & in his quæ exteriorem hominem concernunt ſufficienter decoratus, & idcirco a laicis qui talia magni pendunt, extitit adamatus. Qui ipſi domno ROBERTO conſuluit, ut quia ipſe morbo affectus eſſet & ſenio, ſibi ipſi conſuleret, & regimen monaſterii, cujus uterque ſtatus de die in diem declinaverat, alteri committeret, & ſic ſibi parceret, & requiem caperet. Conſentiente ſtatim abbate & applaudente ſermonibus hujuſcemodi, conventionibuſque & promiſſis inter ipſos duos initis, quæ tamen poſtea minus complevit domnus Stephanus antedictus, ipſe domnus ROBERTUS abbas ad opus domni Stephani reſignavit in manus domni Papæ ſuam abbatialem dignitatem, miſſa clanculo ambaxiata verſus curiam Romanam pro confirmatione ipſius domni Stephani ad præfatam dignitatem obtinendam. Quæ conventus ut agnovit, ſi olim adventu domni ROBERTI ægre tulerunt, jam in ira maxima exarſerunt, & reniſu quo poterant ipſis domno Roberto & Stephano reſiſtere molientes, elegerunt capitulatim congregati domnum RAYSKINUM priorem de Bertreya, dudum priorem hujus loci, in abbatem conſtituentes, deinceps Wilhelmum ſuum confratrem in hac cauſa procuratorem, recipientes ab eodem juramentum fidelitatis præſentialiter & ſolemniter ab ipſo in capitulo præſtitum, ad hoc negotium fideliter exercendum & ſollicite proſequendum. Qui miſſus ad curiam Romanam & legatos domni Stephani ibidem reperiens, concordiam quamdam ſeu colluſionem iniit cum eiſdem. Expeditis igitur litteris apoſto-

Robertus abbatiam reſignat.

licis, confirmatus est domnus STEPHANUS in abbatem hujus monasterii. Deinde reversis utriusque partis legatis, domnus ARNOLDUS DE HORN episcopus Leodiensis, percipiens legationem esse pro domno Stephano, præcepit ne frater Wilhelmus, qui legationem conventus exercuerat, non de ipsius episcopi consensu, ad monasterium admitteretur, pro eo quod minus fideliter egisset. Qui placitum habuit contra conventum coram officiali Leodiensi super sui admissione, & tandem impetrata pace reversus est ad monasterium, & constitutus procurator ac receptor omnium bonorum ecclesiæ. Postea vero longo tempore transacto, effectus est prior claustralis. Domnus autem Robertus modo quo præfertur dignitate exutus, quam possedit annis XXVII. post relignationem vixit annis VIII. Sepultus est in crypta ante capellam S. Dionysii, cujus epitaphium ita habetur exaratum.

Abbas ROBERTUS *morum virtute refertus*
Subjacet huic tumbæ, vir dulcis more columbæ.
Qualis ejus vita fuerit, vel quis redimita
Hac cœnobita Laurei novere Levitæ.
Quod cunctis suavis larga fuit sua vis,
Quidquid agant honor es, quoque mitra liquit honores,
Vocari domine nam renuit ipse, domi ne
Perditio sistat, domus hæc ab principe si stat.
Anno Domini MCCXCVI. V. *cal. Novembris obiit piæ memoriæ domnus* ROBERTUS DE GYMONT *quondam abbas hujus loci* XXIII.

De Stephano abbate XXIV. 87. Anno a nativitate Domini MCCCLXXXVIII. domnus STEPHANUS modo antedicto confirmatus, ob reverentiam sedis apostolicæ in pastorem est receptus, convenientibus in capitulo monasterii nostri consilio domini Leodiensis, & ipso Stephano similiter cum toto conventu, & habitis hinc inde diversis disceptationibus super ordinatione domini Leodiensis ibidem lecta, quam tandem ambæ partes tenere juraverunt, super qua perita fuerunt plura instrumenta & facta. Hic STEPHANUS licet esset vir ingenio callens & in temporalibus astutus, nullum tamen ecclesia nostra per eum consecuta est progressum, nec in temporalibus, nec in spiritualibus, quin potius vice versa omnia contigerunt. Ipse multis pensionum oneribus ecclesiam gravavit, in tantum quod in primo anno suo plus quam octingentos modios speltæ pensionum vendiderit. Circa hæc tempora contigit in Villari monasterio Brabantiæ res digna relatu. Erat ibi abbas quidam nomine [a] MARTINUS, (a) quem conventus tenuerat Parisius usque ad baccalariatum Theologiæ. Qui electus in abbatem adhærebat duci & ducissæ Brabantiæ, & de conventu non curabat. Insuper auferebat fratribus necessaria.

[a] Dictus est Martinus de Hoyo, abbas Villarii XXXV. de quo vide si lubet librum I. Historæ Villariensis a nobis editæ tom. 5. Anecdotorum.

Conventus vero sæpe conquestus visitatoribus, nihil profecit. Unde accidit quod quidam frater infirmatus quæsivit butyrum ab extra sibi in infirmitorio mitti ab amicis. Abbas autem videns butyrum fecit portari in domum. Ad instantiam igitur infirmi conventus convocatus, improperavit abbati duritiam suam, & accipientes octo juvenes abbatem, incarceraverunt eum donec promitteret quod omnia restitueret. Abbas vero liberatus de carcere conquestus est episcopo Leodiensi & abbati Cisterciensi, qui venientes in Villari, illos monachos posuerunt in carcere, & congregatis eis in capitulo una cum majori ballivo Brabantiæ, dixit abbas coram omnibus, « Ego, inquit, precor beatam Virginem Dominam nostram de Villari « & sanctum Nicolaum, ut aliquod signum « demonstrent in eo qui habet injuriam. « Et « statim ut verba complevit, os ejus versum est retro, & cœpit rugire sicut brutum animal, versusque est in furiam. Unde caveant ceteri, qui etsi tali animadversione non plectuntur, timeant quod nisi emendaverint in futuro, æternis suppliciis reservantur.

Anno Domini MCCCLXXXIX. populus Trudonensis habens discordiam contra abbatem & conventum & episcopum, cum jam esset interdictus per archiepiscopum Colonien-sem, primo ejecit conventum de claustro violenter, & postea cum armis exiens destruxit domum abbatis, quæ dicitur Novacuria, & etiam domos scabinorum suorum, quos etiam expulerant. Interim obiit ARNOLDUS DE HORNE episcopus Leodiensis, & traditus est episcopatus JOHANNI DE BAVARIA anno XC. Obitus Arnoldi *de Horne* episc. Leodiensis.

Eodem tempore, Dei disponente clementia, egregiæ indolis adolescens Henricus Adæ XVII. ætatis agens annum in hoc monasterio habitum monachalem susceptt. Quem credimus huic loco divinitus prædestinatum in salutem multorum. Hic cum bonis polleret moribus, quamvis in ordine congregationis fieret novissimus, & adhuc novitius, tamen ab abbate Stephano magister novitiorum est constitutus. Et quia monasticæ religionis fervor jam pene ex toto defecerat, in tantum ut vix adesset presbyter qui ipsum divinum officium inchoaret, abbas Stephanus ipsum Henricum Adæ quamvis minor esset in annis, in XXI. ætatis suæ anno in sacerdotem fecit ordinari, & antequam XXII. annum implesset eum promovit in suppriorem. Ex tunc fama bonitatis ejus per cunctorum ora volitare cœpit, ipseque fratres suos ad frugem melioris vitæ semper induxit. Præterea cum pater ejus carnalis, etiam Henricus Adæ dictus, ex hac luce migrasset, & ad ipsum non pauca bona tam mobilia quam immobilia devoluta essent, quia tunc temporis monachi in communi non vivebant, sed unusquisque pro se solo

tantum ſollicitus erat, ipſe præclarum virtutis dedit exemplum, ſe hujuſmodi proprietariam diviſionem bonorum gratam non habere, fratribus ſuis pauperioribus ſubveniendo, & præcipue in infirmitatibus eos ſuſtentando, ea quoque quæ ſibi ſupererant in utilitatem eccleſiæ expendendo. Nam emit unum miſſale pretioſum pretio LXX. florenorum. Et quia illis temporibus a duobus Chriſti fidelibus beato Laurentio devotis reparatum fuit feretrum ſive ciborium ipſius martyris, quod ſuper altare S. Crucis eſt poſitum, ipſe venerabilis Henricus tunc ſupprior fieri fecit tabulam ſuper altare ſancti Stephani collocatam, in qua adoratio Magorum figuratur. Reliqua vero omnia & hereditates patris ejus ad monaſterium devoluta ſunt.

89. Anno XCV. durante ſchiſmate ſiebant multæ ſpeciales miſſæ in Francia & in Leodio; & inde cœpit gravis diſſentio inter conventum noſtrum S. Laurentii & conventum S. Jacobi, quis alium deberet præcedere. Eodem tempore pro penſionibus venditis ædificata eſt coquina conventus & parvum granarium ſuper ſtabulum equorum, & domus in *Bovvar* infra vivarium reſtaurata, in qua abbas STEPHANUS quaſi continue manere ſolitus erat, & de conventu parum curabat. Inſuper & ea quæ ad conventum pertinebant ubicumque poterat levabat, & inde nullam rationem reddebat. Sicque facies eccleſiæ noſtræ valde fœda erat, & crebras cenſuras eccleſiaſticas per parochias civitatis occaſione plurium debitorum, in ſe & in ſuis membris fulminari lugebat, in tantum quod ipſa domus denuo deſolationi videretur propinqua.

Lambertus de ſtipite. 90. Anno XCVIII. promotus eſt Pariſius in doctorem decretorum expenſis monaſterii frater Lambertus de Stipite, qui ſtatim impetravit prioratum de Bertreya, & parvam curam adhibuit ad ſeipſum & monaſterium reformandum. Anno primo obiit in ſancto Jacobo abbas cum XII. fratribus, ubi tres electi fuerant & renuntiaverunt. Quartus renuntiare voluit, ſed conventus mox incœpit *Te Deum laudamus*. Anno IV. cum abbas STEPHANUS jam præfuiſſet monaſterio annis circiter XVI. decubuit in lecto graviter infirmatus uſque ad mortem. Miniſtratis itaque ſibi ſacramentis eccleſiæ, fratribuſque omnibus congregatis, & ad ejus ſtratum aſſidentibus, declaravit ſe fratrem ſive magiſtrum Lambertum de Stipite pro monacho hujus eccleſiæ non tenere. Et ſupponens manum ſuam capiti fratris HENRICI ADÆ ſupprioris dixit omnibus: Recommendo vobis filium meum hunc dilectum. Quo dicto, regirans ſe ad parietem fertur ſubito ex viſione tetræ imaginis coram ſe ſtantis perterritus expalluiſſe, & in hanc vocem erupiſſe. *Chi gran noir homme qui ſtat la al parees nos toevvety tos.* Et illo dicto emiſit ſpiritum anno Domini MCCCCIV. duodecima die menſis Martii, & ſepultus eſt in crypta noſtra, inter capellam beatæ Mariæ & capellam ſancti Dionyſii, cui tale epitaphium ſuperponitur in ſilice ſculptum.

Conditur hoc ſilice vir mitræ fultus honore,
Sponte ſua domnus quam liquerat ante ROBERTUS,
Corpore procerus, nequaquam corde ſeverus,
Hic ſed magnanimus, facundus, ore venuſtus,
Iſte fuit STEPHANUS DE MARILS *atque vocatus,*
Omnipotens cujus dimittat quoſque reatus.

De Henrico Adæ abbate XXV.

91. Poſt mortem domni Stephani unanimi conſenſu omnium electus eſt in abbatem hujus monaſterii vir venerandus & ſæpe memorandus HENRICUS ADÆ, tunc hujus loci ſupprior, & confirmatus eſt per JOHANNEM DE BAVARIA electum Leodienſem, quia Leodienſes neutrales erant tempore ſchiſmatis. Eo tempore ſumma redditum in ſpelta ſex mille & ſeptingenti XCVIII. modii duæ tertiæ & duæ quartæ ſpeltæ. Inde exeunt pro penſionibus, treſundis & miniſtris ter mille & quadringenti modii ſpeltæ. Tenebatur etiam monaſterium pro penſionibus non ſolutis & pro aliis debitis ultra ſummam trium millium trecentorum floren. Hollandiæ. Inſuper pro confirmatione ipſius domni Henrici & conſecratione ſive benedictione & aliis requiſitis expoſita fuerunt ultra undecies centum flor. Hollandiæ. Item facto inventario poſt mortem domni Stephani de bonis eccleſiæ, tam pauca reperta ſunt, quod vix relatione digna viderentur. Nam de LXXX. marchis argenti quas habere debebat in ſcyphis argenteis nihil inventum fuit. Immo novem ſcyphi conventus cum XII. cochlearibus ad Lombardos impignorati, perditi fuerunt. Et ſuper hæc omnia, quarto anno electionis ſuæ ſurrexerunt guerræ inter electum Leodienſem & civitatem ac patriam totam, unde ſecutum eſt bellum id magnum in *Othey*. In his omnibus tam arduis & difficillimis rebus poſitus ipſe pater reverendus, non eſt effractus animus ejus; ſed ſpem ſuam non in ſe, ſed in Domino ponens, appoſuit manum ſuam ut educeret domum iſtam de medio anguſtiarum & tribulationum. Et primo quidem fratres ſuos verbo & exemplo confortans & exhortans, cum eorum cuncta deficiſſent, ſua illis communicavit, & ad communem vitam perduxit. Et quia filius pacis erat, diſcordiam quæ inter noſtrum conventum S. Laurentii & conventum S. Jacobi cum magno ſcandalo jam decem annis fere duraverat, ſe arbitrali ſententiæ præpoſiti Leodienſis ſubmittendo, dirimere procuravit: cujus tenor talis eſt.

Leodienſes neutrales tempore ſchiſmatis.

SENTENTIA ARBITRALIS.

CHRISTI *nomine invocato. In cauſa arbitrali pendente coram nobis inter venerabiles &*

religiosos viros abbatem & conventum monasterii S. Jacobi Leodiensis, ordinis S. Benedicti, ex una parte; & abbatem & conventum monasterii S. Laurentii extra muros Leodienses ejusdem ordinis, parte ex altera, super controversia seu altercatione, super prærogativa in processionibus, videlicet in delatione Crucis cujuslibet monasteriorum prædictorum & reliquiarum, in delationibus torticiorum & aliis actibus ecclesiasticis seu aliis. Diligenter visis & auditis rationibus & allegationibus partium prædictarum, omnibusque coram nobis productis, exactissime ponderatis; dicimus, arbitramur, pronuntiamus, decernimus & declaramus: Quod cum inter ipsas partes altercatio seu controversiæ prædictæ vertuntur, tamquam inter conventuales & monasteria habentia conventus tamquam corpora, & abbates tamquam capita; & ex productis coram nobis historiis, chronicis & aliis multiplicibus munimentis nobis diligenter & cum magno labore recensitis, clare liquet monasterium S. Jacobi primo habuisse abbatem & conventum: illos de sancto Jacobo debere præferri, seu ipsum monasterium debere gaudere prærogativa, & præferri monasterio & conventui S. Laurentii in delatione Crucis & reliquiarum, quando in processionibus deferuntur, & in delationibus torticiorum. In ingressu vero conventuum pronuntiamus & decernimus ac etiam declaramus, religiosos utriusque conventus debere incedere permixtim, secundum ordines suos & professiones. Taliter videlicet, quod inter illos qui sunt in eodem ordine constituti, ille alium præcedat, qui antiquior est in professione; ut causa exempli: inter duos religiosos presbyteros dictorum monasteriorum, præferatur ille qui antiquior est in professione, & sic de aliis in aliis ordinibus inferioribus constitutis. Et si eodem die professi fuerint, arbitramur, pronuntiamus & declaramus, monachos monasterii S. Jacobi, ista paritate posita, semper debere præcedere illos de monasterio S. Laurentii. Et similiter arbitramur, pronuntiamus & decernimus in missis specialibus, in exequiis seu aliis actibus, in quibus conveniunt conventualiter, debere observari; videlicet, ut permixtim sint & conveniant, & in oblationibus & in pacis osculo, & etiam quando de utroque monasterio monachi mittuntur ad ordines, videlicet quod semper ille alium præcedat, in quolibet actuum prædictorum, inter illos qui sunt in eodem ordine constituti, qui primo fuerit professus. Et si eodem die fuerint professi, ille de sancto Jacobo, seu illi præcedat seu præcedant illum seu illos de monasterio S. Laurentii. Sententiam vero reverendi in Christo patris & domini domini JOHANNIS DE ARKEL *quondam episcopi Leodiensis, quantum ad abbates & priores dictorum monasteriorum, in suo vigore volumus, prout partes voluerunt, firmiter permanere. Et etiam quantum ad sigillationem quarumcumque litterarum, de qua sigillatione dicta sententia clare fecit mentionem. Quantum autem ad ordinem scribendi, causis & rationibus supra tactis & aliis animum nostrum movcntibus, conventum beati Jacobi præferri debere conventui monasterii S. Laurentii arbitramur, pronuntiamus & declaramus.*

Hæc est sententia arbitralis domini Johannis Ægidii præpositi Leodiensis, postea cardinalis, lata inter abbates & conventus monasteriorum S. Jacobi & S. Laurentii, anno MCCCCV. 16. Julii. Hic obiit Leodii anno MCCCCVIII.

92. Denique domnus abbas Henricus Adæ tanta perfusus erat Domini gratia, ut ab omnibus qui eum cognoscebant vel loquentem audiebant, amaretur, laudaretur, & veneraretur, propter venustatem & elegantem morum dispositionem. Omnibus se conformabat, nullum spernebat, parvum ut magnum, pauperem ut divitem, amicum & inimicum sibi loqui volentem non dedignabatur; sed promtissime & patientissime audiebat, & adeo rationabiliter & prudenter responsa dabat, ut eos crebro gratos sibi redderet & quietos. Erga fratres suos, quos, proh pudor! in via morum & disciplinæ contrarios habebat & rebelles, & a quibus sæpe graves injurias sive contumelias sustinebat, qui sæpe ei in faciem resistebant, & provocare conati sunt, multæ clementiæ erat, paratus semper indulgere, si is qui peccaverat, se voluisset corrigere. Multæ erga ipsos compassionis extitit, ut plerumque eis usque ad lacrymas compatiens, ipsos ad fletum usque perduxerit. Sed multa in cordibus suorum subditorum extitit duritia & obstinata perversitas. Nam cum in XVI. administrationis suæ anno multi ex fratribus suis substracti essent ab hoc sæculo, procuravit ad omnimodam monasterii reformationem fiendam, ut auctoritate domini Leodiensis quinque reciperentur monachi ex S. Jacobo, qui stabilirentur in hoc loco, & in officiis congruis præficerentur. Quod ut monachi percepe-runt, demandatis amicis suis, omnino fieri impedierunt; quia cum quinque fratres de S. Jacobo per consilium domini Leodiensis & per notabiliores canonicos ecclesiæ Leodiensis, una cum magistro Lamberto de Stipite fuissent adducti, tantum scandalum est per monachos rebelles & eorum amicos, quod quasi ducenti armati cum balistis & aliis armis jam claustrum intraverant, suscitatum, ut lætus quisque existeret, si unde venerat in pace redire posset. Periculum namque monachis, & præcipue magistro Lamberto fuisset, si remansissent. Hoc modo diabolus, ut suos amplius possideret, de ipsis miserabiliter triumphavit.

De virtutibus Henrici Adæ.

Tentat monasterii reformationem.

93. Incidit igitur consilium domno HENRICO ADÆ abbati, minus salubre: videlicet ut juvenes adhuc pueros & innocentes in monachos reciperet, & eos in arcta disciplina

cuſtodiri & inſtrui faceret, quod & fecit, unde poſtea doluit. Nam cum hi ad perfectam ætatem perveniſſent, magis contrarios habuit & infeſtos, quia quidquid circa eos factum fuerat in tenera ætate, ex crudelitate exiſtimabant proceſſiſſe, ut ex tali animi conceptu, ſicut creſcebant corpore, ita & rancore. Unde ſæpe habebat in ore illud propheticum : *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem contemnentes ſpreverunt me.*

94. Poſtmodum aliud conſilium habuit per conſilium domini Leodienſis, qui viſitationem in monaſterio fecit; ut ſi illitteratos reciperet, prius ad ſcholas deſtinaret, & antequam profiterentur, ad aliquod monaſterium reformatum eos mitteret, & ſic poſtmodum fecit, quod cum non pœnituit. Hic perpendi poteſt quantum monaſterii reformatio ei cordi eſſet, licet ad eam pervenire non poſſet. Unde ſæpe de fratribus ſuis » colloquendo dicebat: » Neſcio nec conſidere valeo, quomodo iſti mihi tantum ſunt » ingrati, & quare tantum malignantur contra » me, cum nihil exigam ab eis, niſi ut bene » vivant vel faciant. » Quia ſi centies mihi mortem intentaſſent, ſtatim paratus eſſem indulgere, quaſi numquam mihi forefeciſſent.

Præterea verax erat in ſermonibus & promiſſis, omneque mendacium execrando odiebat, nec faciliter de probata ſibi perſona aliquid mali credebat. Verbum blaſphemiæ, aut maledictionis, aut diaboli ex ore ejus numquam procedebat; ſed nec patienter audire poterat. Omnes bonos naturaliter diligebat: ad religioſos reformatos ſingularem affectum habebat, & eos nonnumquam ad menſam propriam invitabat, & ſæpe cum eis de ſcripturis ſanctis conferebat. Largus in eleemoſynis fuit: ſed hoc egit ſic, quod fratribus notum non fieret. Unde præter quotidianas eleemoſynas, poſt mortem ejus relatum eſt a fide dignis, quod aliquibus devotis perſonis aliquando ſummam c. griffonum, aliquando L. interpolatis vicibus committeret diſtribuendam pauperibus, ubi opus eſſe ſcirent. Igitur virtutum ſuarum lumine totam patriam illuſtrabat, & omnibus amabilis & reverendus erat, nec quidquam umquam ſiniſtri de eo aliquatenus ſuſpicari poterat; quippe in tanta fratrum tortitudine ab adoleſcentia poſitus, non propriis viribus, quia hoc foret impoſſibile, ſed Dei auxilio, in quo ſpem ſuam poſuerat, fretus, virginitatem ſervaverit uſque ad mortem, ſicut teſtatus eſt ille qui ſuper hoc veram habuit cognitionem. Revera hoc donum Dei eſt, & quaſi miraculum a Deo reputari debet, quod in adoleſcentia inter tales poſitus, caſtitatem ſervare potuerit.

95. Et quoniam in Domino ſperaverat, Dominus cum ad ſalutaria dirigebat. Quo auctore licet monaſterium in multis, ut ſupra dictum eſt, inveniſſet obligatum; tamen paulatim creditoribus ſatisfaciens, multa & præclara ædificia ſuo tempore conſtruxit aut reparavit. Ædificia à eo cõſtructa. Nam coquinam novam cum omnibus adjacentibus ſubtus & ſupra, & majus cellarium, quo vina reponuntur, in domo abbatis de novo fieri fecit. Item ſtabulum equorum & magnum granarium deſuper, cum muro, a porta reſpiciente ad ſanctum Ægidium, uſque ad portam monaſterii, fieri fecit. Turrim etiam ſubtus & ſupra, intus & extra, & in ea novum campanile una cum feneſtra vitrea & campana, quæ dicitur *Benedicta*. Item, tectum ſacriſtiæ & totum tectum plumbeum dexteri lateris eccleſiæ, & omnia pene vitra, & etiam canales lapideos. Item, ambitum & ipſum refectorium ſuo tempore reparavit, aut renovavit. Multa etiam alia ſpectabilia circa ſacriſtiam & eccleſiam in ornamentis, veſtibus, & libris fieri fecit: ſicut miſſale magnum in duobus voluminibus, cum exemplari & collectario. Libri comparati. Homeliarium magnum dominicis diebus per annum. Oculum moralem, collectarium ſuper pſalterium, Boetium de conſolatione, librum de apibus, diadema monachorum, & ſermones ſuper *Pater noſter*, quæ omnia pro pretio ſcribi fecit. Acquiſivit etiam a magiſtro Lamberto de Stipite pretio c. coronatorum ſummam Aſcen... & bibliam unam ac concordantias majores. Non pauca etiam extra monaſterium ſuo tempore fuere reparata, quæ hic longum eſſet enarrare per ſingula; inter quæ præcellunt domus in *Geſt*, domus in *Everney* cum aliis ædificiis. Turris etiam eccleſiæ de Meſſia, & multæ reparationes eccleſiarum & domorum in diverſis locis. Semper ejus animus occupatus fuit aut in reparationibus eccleſiarum & domorum, aut circa ſalutem animarum, aut circa monaſterii reformationem; & in eo uſque ad mortem permanſit, licet ad hoc pervenire non potuerit.

96. Anno Domini MCCCCXXIX. cœpit guerra inter Leodienſes & Namurcenſes, & in anno XXX. exierunt Leodienſes, & deſtruxerunt patriam Namurcenſem, unde eccleſia noſtra habuit magna damna. Anno XXXIII. ipſo die Petri ad vincula de ſero infra X. & XI. horas ante matutinos, cecidit fulmen cum tonitruo in medio chori ſuper aquilam ligneam deauratam, & ſcidit in partes cuſtodiam ejus de corio factam, & cuſtodiam ligneam diviſit, & per chorum ſatis procul ab aquila ſparſit, roſtrumque ipſius aquilæ, & alam ejus dextram amputavit; partemque lapidis ſuper quam poſita eſt fregit, ac ipſam pene totam denigravit, & nihil aliud nocuit, niſi quod totam eccleſiam fœtore ſulphureo reſperſam reliquit, nec perpendi potuit ubi intraverit vel exierit.

97. Igitur cum Dominus fidelem ſervum ſuum pro laboribus remunerare decreviſſet, ſicut flagellat omnem filium quem recipit, etiam Ejus morbus & obitus.

etiam hunc reverendum patrem noſtrum quem jam gravi morbo, qui paralyſis dicitur, ante quatuor annos viſitaverat & miſericorditer ſanaverat, iterum repercuſſit. Attamen etſi languebat corpore, fervebat in eius mente deſiderium reformationis eccleſiæ; & in ultima ægritudine poſitus, miſit magiſtrum Ægidium carpentatorem Namurcum cum ſumma pecuniarum, ad comparandum ligna pro magno granario conſtruendo, quæ vix omnia fuerunt adducta antequam ex hac luce migraret. Nam uſque ad agonizationem vixit in bona cognitione, utens loquela & ratione, inventariumque fieri fecit coram notario & teſtibus fide dignis, de his quæ reperienda erant poſt mortem ejus apud eum, ſecundum cujus tenorem inventa fuit ſumma mille griffonum, & ſcyphi argentei XXIV. cum VI. gobinetis deauratis, duodecim cochlearia argentea, & dragerium argenteum cum cochleari; & aſſignavit XIX. gobinetos in conventu, quæ omnia tempore ſuo fieri fecerat. Nulla debita per eum facta monaſterio poſt ſe reliquit, ſed multi monaſterio tenebantur, fere uſque ad duo millia modiorum ſpeltæ. Et revera niſi a Domino univerſorum adjutus fuiſſet, mirum videretur quomodo hæc omnia facere potuiſſet, cum uſque ad mortem ejus monaſterium adhuc obligatum eſſet pluſquam in mille & quadringentos modios ſpeltæ antiquarum penſionum quolibet anno ſolvendarum. Anno vero Dominicæ Incarnationis MCCCCXXXIV. ætatis ſuæ circiter LX. adminiſtrationis autem XXXII. nonis Septembris pius paterfamilias HENRICUS ADÆ hujus domus S. Laurentii venerabilis abbas XXV. & reparator egregius, perceptis rite omnibus eccleſiaſticis ſacramentis, appoſitus eſt ad populum ſuum, & ſepultus eſt in crypta inter capellam beatæ Mariæ, & capellam S. Sixti martyris, ubi elegerat locum ſepulturæ. Super cujus tumulum in lapide quem ipſemet emerat dum viveret, hoc epitaphium eſt ſculptum.

Ad Dominum vade, pater Henricus fuit Adæ
Nomen tale tibi faciat Deus hoccine ſcribi
In libro vitæ, qui prætulit huic domui te,
Quam deſolatam tua cura dedit reparatam.
Mitra dotatum te reddidit unio fratrum.
Sobrius & caſtus clarebas, nec tibi faſtus.
Legia te pavit, inſtruxerat, & generavit;
Qua votis crebris ſonuit tua fama celebris.
Qui tibi ſuccedet ad agenda ſalubria ſe det.
Anno Domini MCCCCXXXIV. *menſis Septembris obiit domnus Henricus Adæ hujus loci abbas* XXV. *Requieſcat anima ejus in pace. Amen.*

Habet eccleſia pro eo hereditarie XX. modios ſpeltæ. Requieſcat in pace. Amen.

Suam huc uſque hiſtoriam abbatum S. Laurentii Leodienſis perduxit R. P. Adrianus de Veteri-buſco. Sequuntur in eodem codice geſta domni Henrici delle Cheraux, *quæ ſi conſcripſit idem auctor uti ex charactere conjicimus, ea diverſis temporibus prout contingebant, conſcripſit, unde & ſtylus longe differt.*

98. Succeſſit domnus HENRICUS DELLE CHEREAUX abbas XXVI. Qui licet concorditer per viam Sancti Spiritus fuiſſet electus, & miſſo decreto ad concilium Baſileenſe obtinuiſſet confirmationem: non tamen poſtea intromiſit ſe in aliquo de adminiſtratione dicti monaſterii, donec recepiſſet bullas confirmationis ſuæ a domino EUGENIO papa quarto, & donec accepiſſet munus benedictionis a domno JOHANNE DE HEYNSBERCH epiſcopo Leodienſi, quod accepit in profeſto tranſlationis beati Benedicti quod erat XI. Julii anni MCCCCXXXVI. Iſte domnus Henricus honeſtis parentibus in..... oriundus anno Domini MCCCC. cum multa difficultate ad primarias preces domni JOHANNIS DE BAVARIA fuit receptus menſe Novembris. Qui ita abſtractus fuit a ſuis, quod infra VI. annos parentes ſuos non viſitavit. Eratque XV. annorum quando habitum religionis ſuſcepit. Fuitque juvenis fortis & pulcher, robuſtæ complexionis, ſed moribus agreſtis, & uſque ad ſacerdotium vix valuit bibere vinum. Cum igitur promotus fuiſſet ad ſacerdotium, videns eum domnus HENRICUS ADÆ virum induſtrium & ſollicitum, fecit eum diſpenſatorem, & poſtea recepit eum in capellanum ſuum & receptorem, & quotidie miſit eum ad forum & ad placitationes, & ſatis caute & ſollicite in ſuis officiis ſe gerebat. Verumtamen quoniam domnus abbas HENRICUS ADÆ totum ſtudium & intentionem ſuam ad reformationem monaſterii dirigebat, domnus Henricus *delle Cheraux* quantum potuit in reparatione ei aſſiſtebat temporalium, ſed e contrario in reformatione ſpiritualium. Et ergo juſto Dei judicio ſicut fecit factum eſt ei.

De Henrico delle Cheraux abbate XXVI.

Mores ejus.

Varia obit munia ſub Henrico Adæ.

Contrarius fuit reformationi.

99. Conſecratus ergo in abbatem, rogatus fuit pro uno juvene, quem domnus Adæ cum conſenſu conventus miſerat ad ſcholas, pro quo etiam domnus Bruno ſigillifer, qui principalis fuit promotor & procurator ipſius domni Henrici, tam in curia Romana, quam in Leodio, ſupplicabat, quem recuſavit recipere. Sed cum conventus reſponderet, quod quantum in eis erat, ei tempore domni Henrici Adæ ſuum conſenſum dediſſent; reſpondit: Se non curare; ſatis ruſticaliter. Quod reſponſum ſigillifer ægre accepit, ſicut poſtea ſatis oſtendit. Venit igitur ad capitulum, & dixit quod antiquitus fuiſſet de more, quod novus abbas pro ſuo jocundo adventu poſſet conferre unam præbendam vacantem, unde petebat ſibi ſimiliter fieri. Reſpondit conventus: Quod placeret, dummodo præſentaret idoneum. Ipſe reſpondit: Quod ipſe præſentaret unum, quod ſi non eſſet idoneus, totum periculum caperet ſuper ſe. In craſtino præſentavit

unum puerum octo annorum, contra antiquum ſtatutum, quo cavebatur quod nullus reciperetur niſi compleſſet XV. annum, & induit eum ſcapulari, & miſit ad ſcholas. Ipſe etiam procuraverat alium filium fratris ſui veſtiri per primarias preces domni JOHANNIS DE HEINSBERCH epiſcopi Leodienſis. Deus hoc vidit & tacuit, ſed ſicut apoſtolus dicit, *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.* Scio certiſſime quod de nulla re mundi tantam diſplicentiam habuit, & nihil ſibi ita contrarium fuit.

Fratrum in ſe odiũ excitat.

100. Igitur illi qui cum promoverant, expectabant de die, quod eis officia ſua diſtribueret, & nemini aliquid dabat, ſed omnia faciebat ſicut ſolebat, laicum ordinans ad eundum ad forum, &c. Incœperunt ergo in ſe tabeſcere, & habito conſilio, demandatoque uno magiſtro Prædicatore, petierunt, quod ad evadendas cauſas murmurationum, vellet eis concedere veſtiarium ſuum. Requiſitus de hoc ſatis benigne, interrogavit: Quantum vellent habere. Cumque de hoc pariter loquerentur; ſupervenit ipſe cum ira, & interrogavit illum magiſtrum, an vellet cum privare adminiſtratione ſua; magiſtro reſpondente: Nequaquam; dixit ei: Quod iret ad domum ſuam, & & non veniret amplius, niſi demandaret ipſum. Habita igitur occaſione ſubtraxit eis omnem proprietatem; quia uſque ad illud tempus redditus altaris beatæ Mariæ ad Miracula, & pitanciam de *Travveng*... & bibalia de accenſ.... inter ſe ſolebant dividere. Unde plus commoti contra eum, demandaverunt eum in capitulum, & petiverunt ab eo certas petitiones, quod haberent minutiones ſuas, ſicut in ſancto Jacobo, & fratrem computatorem, & cellerarium & veſtiarium, &c. Tandem ad hoc perventum eſt, quod abbas & conventus compromiſerunt in arbitros, ſcilicet in domnum Brunonem ſigilliferum & in domnum officialem. Et dedit dominus Leodienſis licentiam quod duo de conventu, quando neceſſe eſſet, poſſent ire ad Leodium cauſa proſequendi cauſam iſtam. Et quia arbitramentum ipſorum adhuc habetur, ideo plus inde aliquid ſcribere ſupersedi. Datum MCCCCXXXVI. anno, qui erat primus adminiſtrationis ſuæ.

Subtrahit eis omne peculium.

Verumtamen jocalia vendita propter talhiam pacis Namurcenſis, quæ promiſerat conventui redimere, non redemit, nec alia fieri fecit, licet pecuniæ conceſſæ civitati & patriæ reſtitutæ fuiſſent.

Capitulum provinciale monachorũ nigri ordinis celebratur Coloniæ ex decreto concil. Baſil.

101. Anno Domini MCCCCXXXVI. concilium Baſileenſe decrevit capitulum provinciale nigri ordinis debere celebrari Coloniæ in monaſterio S. Partaleonis. Eodem anno defuncto domno abbate S. Jacobi REYNERO, electus fuit ibidem domnus RUTGHERUS DE BLOEMENDAEL in abbatem. Qui confirmatione accepta ab ipſo concilio, de alia non curavit. Qui ſtatim electus fuit ut eſſet unus de præſidentibus capitulo; & commiſſum fuit ei convocare omnes abbates diœceſis Leodienſis, ad comparendum in eodem capitulo in Dominica *Jubilate*, cum clauſula tali: Quod tenor prædictæ citationis omnibus & ſingulis conventibus dicti ordinis promulgaretur, quatenus ſi ipſi vellent intereſſe præfato capitulo, vel querelas ferre aut inſtructiones, venire valeant, & veniant ſi velint, ſuorum ſuperiorum prohibitione non obſtante. His perceptis, conventus S. Laurentii miſerunt ad capitulum provinciale fratrem Johannem de Yride unum ex ipſis, & conſtituerunt eum procuratorem ſuum, ſicut moris eſt, &c. Quo comperto, abbas valde iratus, omnes fratres qui miſerant eum, ſuſpendit a celebratione; & cepit a nonno Johanne de Stabulaus claves cuſtodiæ, & miſit priorem cum certis proceſſibus & querelis contra ipſum fratrem Johannem de Yride. Abbas etiam S. Jacobi multum indignabatur ei. Sed abbas S. Mathiæ definivit cum ceteris abbatibus eum licite potuiſſe venire, & conventum licite feciſſe, eum mittendo; præcipiendo abbati quatinus eum benigne tractaret, & expenſas ipſius in eundo, ſtando & redeundo ſolveret. Tandem per medium amicorum facti ſunt concordes, & reſtituit ei ſcilicet nonno Johanni de Yride claves capellæ S. Jacobi, quas ei abſtulerat. Claves tamen cuſtodiæ non fuerunt reſtitutæ nonno Johanni de Stabulaus, ſed nonnus Gerardus *de Gingelim* manſit cuſtos per multos annos ſequentes. Acta fuerunt hæc anno MCCCCXXXVII.

Mittitur ex monaſterio S. Laurentii ad cap. provin. Johan. de Yride.

Præclara ejus adminiſtratio.

102. Et quamvis monachi de ipſo querelarentur, tamen optime eis providebat in victu & veſtitu, nihil omittens eorum quæ prædeceſſor ſuus facere conſueverat. Augmentabat eis unum ferculum in æſtate & vinum ſæpe care emebat. Semper veniebat ad matutinas, frequenter ad primam, ſæpe in principio ad completorium. Omnibus Dominicis celebrabat miſſam de S. Laurentio, niſi valde præcipua feſtivitas fuiſſet, ſicut in Dominica de Trinitate & ſimilibus. In primo anno ſuo concepit reparare tumbam S. Wolbodonis, & in ſecundo perfecit. Tertio anno adminiſtrationis ſuæ cœpit emere ligna & alia neceſſaria ad faciendum novum granarium in monaſterio, quod eodem anno fuit incœptum, ubi expoſuit magnas expenſas. Prædeceſſor tamen ſuus multa ligna præparaverat, quæ tamen minime ſufficiebant, quia opus magnum eſt & præclarum. Neſcio tamen qua intentione illud calefactorium ſuper granarium fuit factum. Circa iſta tempora nonnus Johannes de Yride & frater Jacobus de Vizeto ſcripſerunt *Catholicon*.

Ædificia ab eo facta.

Lues epidemica Leodii & in monaſt. S. Laurentii.

103. Anno Domini MCCCCXXXIX. cœpit domnus abbas jacere fundamenta novæ portæ verſus Leodium tertia Auguſti. Eodem

anno facta eſt peſtilentia magna in Leodio, & quaſi per totum mundum. Tunc obiit primo Lovanii frater Johannes *de Lantin*, novitius nepos abbatis. Poſtmodum obierunt in monaſterio ſucceſſive frater Nicolaus de ..... & ſupprior & nonnus Jacobus, Ægidius Deffia. Prior infirmabatur, ſed convaluit poſtea. Videns abbas priorem & ſuppriorem infirmos, & ſe ſolum, creavit Johannem de Yride in ſuppriorem, alio adhuc vivente, ſed inuncto, qui tunc omnium infirmorum curam gerebat. Ultimo cœpit infirmari Walterus de Tumba prior in ſancto Nicolao, ad quem viſitandum abbas perſonaliter acceſſit. B

Nota. Sed prior de ſtatu ſuo & peculio nihil abbati revelare voluit. Pro cujus anima nec una miſſa fuit dicta, nec factæ exequiæ. Tunc domnus abbas dixit Johanni de Yride ſuppriori quod providerent ſibi de novitiis idoneis, ipſe vellet facere teneri regulam.

Adrianus de Veteri-buſco admittitur inter novitios. 104. Eodem anno fuerunt veſtiti in die Conceptionis glorioſæ Virginis Mariæ, quæ fuit initium noſtræ ſalvationis, frater Johannes Goſwini, frater Petrus de *Attenhoven*, & frater Adrianus de Veteri-buſco, quos abbas voluit inſtrui ſecundum regulam. Cumque unus eorum nollet portare calceos corrigiatos, dixit ſibi domnus abbas, quod ipſe vellet quod portaret, & quod novitii magiſtro ſuo in omnibus obedirent, quia in brevi intenderet facere teneri totam regulam. In Nativitate Domini interrogavit ſupprior abbatem, ubi duceret novitios ad prandium; quia tunc nonnus Johannes de Yride ſupprior, frater Gerardus *de Gingelim*, & frater Wilhelmus *de Lymborch* abſtinebant a carnibus. Domnus abbas reſpondit quod omnes comederent ſimul, non oporteret ſic feſtinare. Comederunt igitur novitii carnes uſque ad Dominicam Quadrageſimæ, & deinceps abſtinuerunt cum voluntate abbatis, & ſemper comedebant in refectorio, legentes lectionem inter ſe. Qui prius comederat ille legebat, & ſic alius poſt eum, & iſti ſex tempore minutionum faciebant medictatem conventus cum novitiis ſupervenientibus. Cumque domnus abbas ædificaret pulchra ædificia in exterioribus & temporalibus, & bene ſolveret ſuis mercenariis & creditoribus, ac diſciplina regularis cœpiſſet vigere in divinis officiis & rebus ſpiritualibus, cœpit fama boni regiminis ejus ubique diſſeminari, non ſolum in patria Leodienſi, ſed E in omnibus locis circumvicinis. Abbas etiam gratia Dei præveniente cœpit proficere de die in diem in melius, & multum delectabatur in proſperitate incœptæ religionis, fuitque novitiis ſatis favorabilis, & deſiderabat augmentare numerum fratrum, & magis de extraneis quam de civitate aut locis vicinis.

Novitii cum quibuſdam antiquis abſtinent a carnibus. C D

105. Anno MCCCCXL. emit domnus abbas torcular ab abbate S. Jacobi. Fecit parvum portale ante eccleſiam S. Gertrudis, quod eſt ſumtuoſum; quia abbas ſolvit pro ſolo plumbo ibi poſito XXIII. griffones & pro pictura v. clinckardos. Fecerat etiam abbas magnas expenſas circa molendinum *de Warlege*. Sed cum ſic domnus abbas proſperaretur, & fama virtutum ejus & boni regiminis ejus ubique divulgaretur, contigit magiſtrum Eymericum *Groy* & magiſtrum Johannem *de Lymborch* canonicos S. Martini, ire ad curiam Romanam, quibus domnus abbas dedit, ut puto, c. florenos Rhenenſes ad impetrandum gratiam a pœna & culpa omni anno, & ordinandi confeſſores idoneos, qui haberent poteſtatem abſolvendi, & ſcripſerunt etiam magiſtri civitatis. Sed ſupplicatio fuit nimis indiſcreta & refutata, & impetraverunt ſolum unam conſervatoriam xx. annorum.

Torcular acquirit Henricus, aliaque ædificia erigit & reparat.

Anno MCCCCXLI. abbas inveſtivit duos, ſcilicet magiſtrum Wilhelmum & Nicolaum *de Latins* nepotem ſuum, fratrem illius qui Lovanii obierat, qui cum alio nepote ſuo etiam cum ſcapulari miſſus eſt Lovanii ad ſtudium, commiſſique fuerunt ambo magiſtro Everardo *de Harlem*, cui dedit abbas omni anno xx. florenos Rhenenſes pro cura eorum. Eodem anno cœpit abbas præparare ligna & lapides pro nova braxina quam conſtruxit illo anno & ſequenti.

106. Cum igitur omnia proſpera ſuccederent, inſidiâ diaboli de parva cauſa ortum eſt magnum diſturbium; quia cum anno XLII. circa Dominicam *Judica* nepotes abbatis veniſſent de Lovanio, & diſponere ſe deberent ad faciendam profeſſionem, viſum fuit quod iſti tres profiterentur ſimul, ſecundum ordinem inveſtitionis eorum, ſcilicet fratres Johannes, W. & Nicolaus. Tunc nonnus Arnoldus *Loon* dixit abbati in cœna, præſente ſuppriore. » Domine permittitis nepoti veſtro fieri injuriam? quia ipſe deberet præcedere magiſtrum Wilhelmum. Suppriore contradicente, abbas in fine dixit cum ira: Ego « facio vobis quicquid poſſum, & tamen ſemper eſtis contra me. « Hunc ſermonem ſupprior timuit, & in craſtino quando abbas venit in capitulo, propoſuit cauſam eſſe Lovanii; unde cum competeret ibi mitti, ut fieret eiſdem expenſis, petebat nepotes ſuos in craſtino ad profeſſionem admitti. Interrogatus prior reſpondit ſe neſcire an poſſet fieri, ſed ſupprior fuit magis expertus, * ipſe primo diceret opinionem ſuam. Supprior volens placere abbati, fecit longum ſermonem, volens probare, quod liceret. Quapropter indignati ſeniores, dixerunt etiam quod ſibi placeret. In fine interrogatus prior, reſpondit: Ex quo placet omnibus, placet etiam mihi: ſed ego putabam quod non liceret. Et ſi licet de iſtis, quare facimus alium expectare? In craſtino ergo fecerunt ambo profeſſionem, & die ſequenti

Gravis exoritur diſcordia inter ipſum & monachos.

* *ſuppl.* ur.

iverunt ad Lovanium. Magiſter Wilhelmus A videns alium ſibi prælatum, in ſabbato exuit habitum quem portaverat duobus diebus minus quam per annum. Hic fecerat totum malum, nam occulte detrahebat magiſtro ſuo, & furtive carnes comedebat.

Prohibet ne a carnibus abſtineant novitii.

107. Tunc abbas nolebat amplius conſentire quod novitii abſtinerent a carnibus. Et cum frater Johannes de Varenna deberet facere profeſſionem, refutavit eum abbas. Tunc ſupprior & nonnus Gerardus *de Ginghelim* rogaverunt tantum abbatem, quod juvenis ſuit profeſſus. Sed domnus abbas dixit ſibi, quando audivit confeſſionem ejus, quod faceret ſicut ipſe, id eſt comederet carnes. Poſt decem dies dixit juvenis, quod quandoque erat anxiatus, quod promiſit Deo, ſi profeſſionem faceret, quod numquam carnes comederet. Et tunc ſupprior cum fratribus ſuis in minutionibus ivit ad Carthuſienſes, & ibi demandatis aliquibus juriſperitis habuit conſilium quod juveni eſſet conſulendum. Quod ut abbas audivit, valde iratus præcepit, ut juveni non daretur niſi panis & aqua, intendens eum ponere in turri. Tunc ſupprior rogavit ut poſſet eum ducere in Treverim, & abbas conſenſit. In littera autem quam abbas S. Mathiæ ſcripſit, una ſedula erat incluſa, in qua continebatur: Recepimus fratrem Johannem ad probam, ſicut eſt de more. Quam cum abbas legiſſet, imputavit ſuppriori quod ipſe feciſſet hoc adjungi, & alienavit ſe omnino ab eo & a fratribus ſuis, non permittens eos alicubi ire. Et quando in minutionibus exibant, ſemper injunxit quod non irent ad Carthuſienſes, religioſi etiam non permittebantur intrare. Et quando aliqua erant agenda, non vocabantur. Et ipſi ſex ſæpe ſoli cantabant verſus & officium in choro. Unde dominus JOHANNES DE HEYNSBERCH fecit unam viſitationem anno MCCCCXLIII. quæ primo fuit ſuſpenſa ad tempus. Sed cum abbas cum ſuis fuiſſet ad epiſcopum, & non habuiſſet bonum reſponſum; agentibus amicis ſuis ad procurationem monachorum & prioris, qui in illa fuit deponi juſſus cum amicis ſuis, facta eſt inquiſitio ſuper ſuppriorem a laïcis, quod debuiſſet feciſſe aſſiſtentiam fratri ſuo exuli & proclamato. Unde ad requeſtam laïcorum poſitus fuit ſupprior in carcere, primo in dormitorio, deinde in turri, in die Monulphi & Gondulphi. Erat tunc quidam juvenis noviter profeſſus, frater Johannes de Balancia, quem abbas multum dilexit, & in camera ejus frequenter erat. Iſte cum abbas eſſet ad matutinos in die Calixti, ſuppriorem de carcere eduxit, & ivit cum eo in Trevirim. Abbas datis epiſcopo pecuniis impetravit ut prima littera mitigaretur, & recepit fratres in gratia, ſed non ſicut ante. Tunc commiſit magiſtro Everardo quod provideret ſibi de novitiis Teutonicis, quia Galli non eſſent ducibiles, & ſic fuit receptus Nicolaus *de Harlem* cum ſocio. Et nota quod quidquid abbas attentabat contra religionem, primo ſemper verſum eſt in caput ſuum, & fuit ſemper primo pœnitens. Hoc anno fecit abbas novum puteum ante braxinam.

De juvene monacho qui voverat abſtinentiam.

Johannes de Yride monaſterium Placentiæ.

108. Anno MCCCCXLIV. Eugenius papa ſcripſit abbati unum breve quod adhuc habetur, unde magis timuit. Eodem anno obiit nonnus Johannes de Yride in monaſterio ſancti Sixti in Placentia, redeundo de curia Romana, ubi obtinuerat confirmationem ſuam in una abbatia, ad quam epiſcopus Tullenſis B eum promoverat. Requieſcat in pace.

Eodem anno cum frater Johannes de Balancia rediſſet ad partes, nonnus Ægidius Surdelli cum amicis ſuis procuraverunt multum quod poſſet redire iterum ad monaſterium. Et iterum miſit epiſcopus fieri unam novam viſitationem, in qua non fuit in propria perſona; ſed archidiaconus de *Corſovaren* pro eo. Quæ viſitatio adhuc habetur.

109. Anno 1448. domnus Johannes de *Stabulaus* & Ægidius *Surdelhe* iverunt per Leodium ad amicos eccleſiæ, ut darent eis aliquid C ad reparandum organa ſua, ipſi haberent anniverſarium ſuum in eccleſia, & ſic illo anno & ſequenti facta ſunt organa. Et notandum quod ſicut quando abbas fuit pro religione, omnia venerunt ſibi proſpera, ſic quando oppoſuit ſe religioni, omnia venerunt ſibi contraria Nam anno 1442. incœpit placitum contra Ægidium *de Lens*, ubi expoſuit ultra mille florenos Rhenenſes, & tamen ſuccubuit tunc in Monte-regis. Deinde pro fonte monaſterii ubi aquam perdidit; & cum feciſſet novos canales & novum meatum, vix D potuit invenire aquam, & ſemper a ſuis commenſalibus magis deceptus fuit. Anno L. in profeſto S. Michaëlis combuſta fuit braxina & piſtrina igne caſuali, de quo neſcitur unde habuit ortum. Ab illo die abbas cœpit deficere & declinare. Fuitque demandatus frater Johannes *delle Chereaux* de Pariſius, qui cum eſſet ordinatus preſbyter, poſuit ſe in loco in quo fuit veſtitus octennis. Et cum in ſancto Jacobo frater Florentius junior eſſet quam frater Jacobus de Vizeto, ſemper in E proceſſionibus frater Johannes *delle Chereaux* vel manſit in domo, vel ivit ſpatiatum per eccleſiam; ecce quantum ſcandalum propter miſerabilem elationem.

Variæ in monaſterio diſcordiæ.

110. Anno LII. obiit prior S. Nicolai, & H. *Jalheal* factus eſt prior. Tunc abbas creavit Amelium priorem. Deinceps parva pax fuit inter fratres, & nullus modus in regimine. Unde inter ipſum priorem & nonnum Johannem *delle Chereaux* orta eſt contentio coram abbate, & dixit Johannes quod oporteret epiſcopum iterum venire & facere viſitationem. Amelius non curavit, & quamvis abbas generalem inquiſitionem feciſſet ſuper ipſo, tamen nec ipſe ſe emendavit, nec

abbas cum corripuit. Tandem crescentibus querelis, episcopus monasterium iterum visitavit, ducens secum magistrum Johannem *Goes* fratrem Minorem, priorem Carthusiensium, & priorem Carmelitarum. Quam visitationem capitulum Leodiense cassavit, ex quo nullus eorum interfuisset. Incœpta igitur fuit visitatio de novo, & interfuerunt domnus episcopus, decanus, archidiaconus, officialis capituli & alii. In qua omnes officiales fuerunt remoti ab officiis suis, scilicet prior, supprior, cellerarius, & custos, & computator; & novi instituti cum magna difficultate. Sed cum certa nova venissent de Roma, quod papa acceptasset renuntiationem factam per dominum de *Heynsbereh*; abbas priorem deposuit, & nepotem suum fecit priorem. Conventus contradixit, & ivit ad capitulum Leodiense conquerendo. Capitulum Leodiense abbatem ad hoc compulit quod nepotem suum deposuit & priorem restituit. Sed cum bullæ domini de *Bourbon* fuissent præsentatæ in capitulo, abbas istum priorem deposuit, & nepotem suum priorem fecit. Prior scilicet domnus Jacobus de Vizeto appellavit, sed ipse taliter se habuerat post restitutionem suam, quod nullus ei curavit adhærere; & sic de hac visitatione nihil boni evenit, quia omnes depositi rehabuerunt officia sua. Prior statim post tres menses obiit, & domnus Arnoldus factus est prior, de quo non contentus, obtinuit litteras sigillatas a domino Leodiensi, quod esset coadjutor abbatis, quas aliquo tempore celavit. Sed tandem compulsus ad manus abbatis eas portavit, qui eas dilaceravit, & in ignem projecit.

Henricus *del Chereaux* dignitati cedit.

III. Eodem anno abbas emit fortalitium de *Kykempois* pro tribus millibus florenis Rhenensibus, nescius quid faceret, scilicet anno LVII. Anno LVIII. domnus Arnoldus nimis tendebat ad abbatiam, & tunc renuntiavit juri suo, & ivit ad sanctum Nicolaum cum fratre Johanne *delle Chereaux*, qui hæc omnia procuravit contra patrem & avunculum suum, qui eum nutrierat. Steterunt igitur apud sanctum Nicolaum fere per triennium, procurando quantum poterant contra conventum. Igitur conventione facta cum nonno Amelio, prædictus F. Johannes duxit notarium ac testes ad * abbatem, famando quod abbas renuntiasset. Quod ut compertum fuit, vocato Johanne notario, abbas, si quid fecisset, totum revocavit. Eodem sero in sabbatho venerunt litteræ a domino Leodiensi, quod haberent consensum abbatis, & constituit diem electionis ad feriam secundam, & demandavit do.... illos de Meffia. Feria secunda totum consilium spirituale domini Leodiensis cum episcopo Sueffionensi venit, & rogaverunt pro Arnoldo, & non habebant aliam commissionem, nisi Arnoldum facere abbatem. Decepti igitur fratres consenserunt in viam compromissi, & sic commissarii episcopus Sueffionensis, decanus Leodiensis, archidiaconus, magister Judocus, magister Aymericus, primo audierunt vota singulorum; & tunc accepto juramento a singulis, quod si esset nominandus, quod non faceret memoriam nec ultionem de transactis, nec deponeret aliquem de officio suo, &c. Quod cum omnes juassent & promisissent in manu episcopi & decani, elegerunt domnum ARNOLDUM LOEN, qui de juramento ante electionem facto parum curavit, & omnes officiatos deposuit quos invenit. Si bene fecit jam novit. Abbas autem domnus Henricus obiit die quadragesimo sequente. Misereatur ejus & omnium nostrum omnipotens Deus. Factæque sunt de eo exequiæ sicut de uno simplici fratre, nec habuit *verba mea* nisi per xxx. dies. Quia quamvis fuerit omnino delirus, tamen non poterat sic deponi aut rejici. Horrendum est incidere in manus Dei viventis, qui nos meritis sanctorum suorum eruat ab ira indignationis suæ.

Eligitur Arnoldus *de Loen*.

De Arnoldo Loen abbate XXVII.

II2. Anno Domini MCCCCI. natus est dominus Arnoldus *Loen*, anno MCCCCXV. vestitus, vigesimo-quinto presbyter ordinatus, & a domino Henrico *delle Chereaux* in quasi capellanum assumtus & commensalis effectus. In negotiis ecclesiæ solebat cum computatore mitti, sed de nulla re sibi cura fuit nisi de seipso. Sæpe habuit in ore, semper in corde: *Quilibet pro se*. Habuit officium cantoris in choro, & quando dominus abbas in choro faciebat officium, ipse in cappa regebat chorum, & custos in cappa faciebat officium capellani abbatis, serviens sibi in missa & vesperis. In causis agendis valde erat simplex, parum curans de damnis vel profectibus ecclesiæ. In celebratione missarum & in orationibus vocalibus satis fuit devotus, semper timoratus, numquam mente quietus. Ab ineunte ætate semper ambitiosus, elatus, & vanæ gloriæ cupidus, tenax valde, & nihil sibi satis erat. Medius quoque inter bonos & malos, dum tamen non tangeret eum. Proprios tamen motus animi sui non verecundabatur personaliter dicere. Referebat etiam fratribus, quod pœnituit eum, quod quando dominus Henricus *delle Chereaux* fuit factus abbas, quod non laborasset tunc pro seipso. Et cum cœpisset dissensio inter abbatem & conventum anno MCCCCXXXVI. ipse fuit unus de principalibus, qui se abbati opposuerunt.

II3. Anno MCCCCXXXIX. facta est gravis pestilentia in Leodio & per totum mundum, de qua dicitur, quod bene pars tertia hominum obiit. Tunc sex fratres de conventu S. Laurentii obierunt, & ipse ARNOLDUS tactus modicum de peste, & timens mori, pecunias suas posuit ad manus domini abbatis, quas non potuit rehabere quando petiit.

Anno MCCCCXL. videntes ipſe & alii ſeniores, quod domnus abbas F. Johannem de *Iride* quem fecerat ſuppriorem & magiſtrum novitiorum, in gratiam magnam recepiſſet, & ejus uteretur conſilio, timentes reformari per ipſum, oppoſuerunt ſe abbati unanimiter. Tunc dominus abbas removit a ſe dominum Arnoldum, & miſit ad conventum, qui occupatus fuit circa cellam ſuam, & circa capellam apoſtolorum, quam dominus abbas ſibi aſſignaverat poſt obitum domini Jacobi de *Bertinhers*. Unde in diebus canicularibus cœpit graviter infirmari, præcipue in nocte S. Laurentii, & timebat mori. Cui nonnus Johannes de *Iride* maximam caritatem exhibuit, ſerviens ſibi in ipſa infirmitate, ſic quod domnus Arnoldus pro gratiarum actione promiſit ultroneus non requiſitus, quod numquam ſe ſuppriori opponeret, quia homo eſſet magnæ caritatis. Qua ſpe illectus ſupprior fecit ſibi pacem cum domino abbate. Inſuper obtinuit quod de pecuniis quas abbati tradiderat, faceret ſibi in capella ſua quod fieri vellet, ipſe ſolveret. Reconciliatus itaque abbati fecit pingi apoſtolos Petrum & Paulum, & circa volturam; & abbas reddidit ſibi pecunias ſuas, ut poneret ad reparationem in capella. Inſuper dedit ſibi pecunias ad dandum fratribus in minutis negotiis quando indigerent; ſed non diu duravit hoc. *(Hic quædam narrantur quæ in vita Henrici delle Chereaux reperies, de receptione nepotum abbatis.)*

114. Iſte domnus Arnoldus in perſona ſatis pulcher erat, ſed in ſermone titubabat, & computatione facta inter ipſum & magiſtrum Evrardum *de Harlem*, qui curam ipſorum gerebat, magiſter Everardus voluit probare quod abbas ſibi plus promiſiſſet, quam ſolvere volebat, allegans domnum Arnoldum in teſtem. Abbas reſpondit quod de domno Arnoldo non curaret, qui neſciret nec Theutonicum, nec Gallicum, nec Latinum. Et talis erat tunc temporis fama ejus per Leodium, ſed magnam ſpem habebat in amicis ſuis, & confidebat in eis, & propter hoc ſuſtinebatur ab abbate & ab amicis abbatis.

Tandem cum nonnus Amelius eſſet factus prior, & propter eum gravis diſſenſio orta eſſet in conventu, & querelæ veniſſent ad dominum Leodienſem, & dominus Leodienſis feciſſet viſitationem in S. Laurentio, dominus Arnoldus quamvis eſſet commenſalis abbatis, tamen vertit ſe contra abbatem, & tenuit partem cum conventu. Sed cum dominus LUDOVICUS DE BOURBON fuiſſet receptus Leodii, amici abbatis traxerunt eum ad partem, & ſuaſerunt abbati, quod fecit eum ſuppriorem, & nepotem ſuum Nicolaum de *Lantins* priorem. Tunc facta eſt per eos talis ordinatio, quod unus eorum vel prior vel ſupprior ſemper eſſet in refectorio cum fratribus qui abſtinebant a carnibus; Prior igitur cum fuiſſet naturaliter homo pacificus & timoratus, permittebat ſe duci ubi etiam non volebat. Tenuitque officium prioratus, ad quod cum magno ſcandalo fuit intruſus, & per capitulum Leodienſe remotus, iterumque per abbatem, cum auctoritas capituli expiraſſet, repoſitus; circiter tribus menſibus, ſcilicet a feſto S. Johannis uſque ad feſtum S. Dionyſii, quo die obiit de peſte, & nullus alius in monaſterio.

115. Quo defuncto, domnus Arnoldus tantum practicavit quod ipſe factus fuit prior, & domnus Theodericus *de Lymont* reſtitutus eſt in officio ſuprioratus, & Johannes *delle Chereaux* factus eſt computator. Sed nec ſic fuit requies, quia Arnoldus non ceſſavit, quin ſilenter & occulte obtinuit ſibi ſigillari adminiſtrationem monaſterii per dominum Leodienſem. Quod cum conventui notificatum fuiſſet, omnes reſtiterunt, & duxerunt abbatem in capitulo, qui præcepit ei quod litteras quas habebat poneret ad manus ipſius; quod & fecit. Quas abbas laceravit & projecit in ignem in præſentia conventus circa tempus quadrageſimæ. Tunc per annum conquievit, ſed cum parva pace.

Fit prior, & continuo litteras impetrat ab epiſc. Leod. de adminiſtrando monaſterio.

Quas abbas laceravit.

116. Anno Domini MCCCCLVIII. dominus Arnoldus iterum cœpit anhelare ad abbatiam, & diverſis diverſa promittere, aſſiſtente ſibi domno Johanne *delle Chereaux*, qui procuravit pro eo contra dominum abbatem avunculum ſuum, qui nutriverat eum & fecerat eum monachum contra Deum & antiquas conſuetudines juratas, de quibus accepit totum periculum ſuper ſe, quia ſtatutum fuit quod nullus reciperetur niſi quindecim eſſet annorum, & iſte non erat novem annorum. Et ergo juſto Dei judicio venit ſibi totum in contrarium. Cum ergo frater abbatis intellexiſſet iſta, intimavit conventui, qui omnes unanimiter inſurrexerunt contra domnum Arnoldum, & ducto abbate in capitulo coram notario & teſtibus, revocavit domnum Arnoldum de officio prioratus, & inſtituit domnum Theodericum *de Lymont* priorem. Tunc per medium amicorum inventus eſt modus, quod revocato domno Heinrico *de Jalley* de ipſo prioratu ſancti Nicolai ad monaſterium, domnus Arnoldus *Loen* ibi poſitus eſt, adjuncto ſibi ſocio domino Johanne *delle Chereaux* ſub certa portione, ut in inſtrumento per dominum Leodienſem confirmato, plenius continetur.

Iterum ſibi ambit adminiſtrationē.

Ipſi committitur præpoſitura S. Nicolai.

117. Ipſis igitur ibidem apud S. Nicolaum commorantibus, conceptus fuit modus regiminis monaſterii per conventum & conſiliarios eccleſiæ. Domnus Arnoldus ſemper contrariabatur in omnibus confratribus ſuis, nec propter tempeſtatem quæ cecidit anno LIX. propter quam monaſterium habuit bene in damnis MCC. modios ſpeltæ, ipſi nihil voluit diſcomputare, nec aliquam gratiam facere. Quando dicebatur ſibi quod rediret

ad conventum, ſtatim reſpondit: Bene volo redire, ſed accepto regno.

In adventu facta eſt magna querela contra eum coram toto conventu a nonno Johanne *delle Chereaux*, quod non daret ſibi ad comedendum, & dixit ſibi frater Johannes in facie, quod mallet eſſe in Jeruſalem, quam feciſſet eum adminiſtratorem vel abbatem, quia non haberet in ſe aliquam humanitatem. Sed magiſter Eymericus fecit inter eos concordiam.

118. Cum igitur bene & honeſte ſe regeret, & creditoribus ſatisfaceret, domino abbati bene provideret, murumque ad ſecretade novo fieri feciſſet, novam tabulam ſuper majus altare incœpiſſet, & novum vexillum cum baculo deargentato, & alia plura fieri feciſſet, ſtimulante invidia conceptam malitiam abſcondere amplius non potuerunt. Conceperunt igitur pariter dolorem & pepererunt iniquitatem: quam iniquitatem? Quod non diſcederent nec ceſſarent, niſi ARNOLDUS eſſet abbas, & accepit nonnus Johannes onus ſuper ſe idipſum procurandi. Cœperunt igitur adulari aliquibus ſenioribus, & trahere eos ad ſe pulchris verbis & promiſſis, & ſic retruſerunt ſe ad prandendum in menſa abbatis. In feſto igitur S. Ægidii, quando prior cum quatuor fratribus ivit ad S. Ægidium, fuit dicta poſita, quod tempore majoris miſſæ venirent, & facerent abbatem renuntiare. Et fama erat quod domnus Henricus de Thenis computator S. Jacobi, aſpiraret ad abbatiam, & amici ejus & domini abbatis concordes eſſent. Venerunt igitur magiſter Daniel *de Blehem* & aliqui alii, ſed via illorum illa vice fuit pro nihilo, quia alii conſiliarii domini non venerunt illa die.

Eius artibus ſtuderet abbatiam dignitati renuntiet.

119. Feria tertia venit conſilium domini Leodienſis, & cum ipſo multi de amicis abbatis, & propoſuit ſigillifer loqui cum domino abbate de renuntiatione. Qui ſtatim, licet delirus eſſet, reſpondit, quod hoc numquam cogitavit & numquam faceret. Tunc ſigillifer archidiaconus *de Corſvvaren* dixit: Domine detis mihi. Abbas reſpondit: non faciam; ſed ſi eſſetis, juvarem vos deponere ſi poſſem. Videntes igitur quod nihil poſſent perficere, conventu aſtante, receſſerunt confuſi. Nonnus Johannes *delle Chereaux* ivit ad Meffiam locutum cum priore, & habuit colloquia cum ſenioribus, expectando horam quando poſſet implere intentum ſuum. Bis vel ter tentavit, ducendo ſecum notarium, ſed impeditus fuit.

Una feria VI. quando fratres vadunt ad raſuram, & cantaretur miſſa de *requiem*, invenit, ſicut diſpoſuerat, omnia oſtia aperta, & capellanus abbatis, ſicut ordinatum fuit, erat in porta, & ſic abbas erat ſolus. Aperuit calefactorium; quid dixerit vel quid ibi fecerit ignoramus. Frater Bartholomæus qui erat ad diſpenſam, cum inveniſſet omnia oſtia aperta, mirabatur. Et ecce vidit ipſos exeuntes a retro, & ſtatim cucurrit ad abbatem, quæſivit ab eo quid iſti petiſſent ab eo. Reſpondit quod petiſſent unam abſolutionem. At illi cum feſtinatione receſſerant. Frater Bartholomæus, convocato conventu, indicavit eis quid inveniſſet. Statim miſſum eſt pro Johanne de *Broechuſen* notario S. Lamberti, coram quo domnus abbas omnia revocavit quæcumque dicere potuiſſet, vel imponebatur ſibi ſe dixiſſe in præjudicium ſuæ abbatialis dignitatis, quia numquam fuit de mente ejus, & numquam conſenſit renuntiare. Qui notarius ſtatim poſuit inſtrumentum in forma, & miſit priori. Sed antequam nuntius inſtrumentum portaſſet, venit nuntius domini Leodienſis, portans litteras ejuſdem ad conventum continentes in forma, quomodo diu deſideraſſet providere monaſterio de paſtore, ſed propter abbatem qui non conſenſerat, hucuſque dilatum fuiſſet: nunc vero quia conſenſum abbatis haberet, ſtatuit diem electionis novi abbatis ad feriam ſecundam ſequentem, volens quod conventus canonicam electionem haberet, & vocarentur omnes qui intereſſe haberent. Sub hoc verbo electionis fratres aliqui fuerunt decepti, dicentes quod abbas eſſet omnino inutilis, & dominus Leodienſis offerret eis liberam electionem, & ideo merito deberent eſſe contenti. Fuerunt igitur cum feſtinatione illi de Meffia demandati. Conventus autem habuit magnam fiduciam in magiſtro Eymerico, & deliberaverant facere quidquid ipſe conſuleret.

Indicitur dies ad novi abbatis electionem.

120. In Dominica miſit prior duos fratres ad invitandum aliquos amicos & ſapientes ut intereſſent electioni. Qui cum veniſſent ad dominum decanum Leodienſem, ille dixit, quod libenter faceret pro eccleſia quidquid poſſet; ſed ſi conventus non vellet habere ARNOLDUM abbatem, tunc conſuleret quod conventus ad electionem procederet. Aliqui qui principaliores erant non curabant advertere. Magiſter Eymericus venit ipſa die, & convocato conventu, ſuaſit quod eligerent viam compromiſſi, & magiſter Arnoldus *Wir* officialis capituli Leodienſis diſſuaſerat omnino illam viam. Poſt matutinos prior vocavit ad ſe fratres quos volebat, & ibi concluſum fuit, quod eligerent viam compromiſſi, qua intentione id fecerit ignoro. In craſtino conventu cantante miſſam de Spiritu ſancto, venerunt qui ex parte domini Leodienſis miſſi fuerant, & etiam illi quos conventus invitaverat, & dicta miſſa, convenerunt omnes in capitulum, & lecta littera credentiæ ex parte domini Leodienſis data officiali, ipſe cœpit commendare domnum Arnoldum ex parte domini Leodienſis, & ſi conventus vellet eum eligere, dominus Leodienſis vellet omnino aſſiſtere. Interrogati a noſtris an dominus Leodienſis renun-

Eligitur Arnoldus per viam compromiſſi.

tiationem ab abbate factam, gratam & ratam haberent, ne frustra ista fierent, respondit Suessionensis episcopus, in casu in quo dominus Arnoldus eligeretur, dominus ratam haberet & assisteret, nec aliud dicere voluit. Decanus Leodiensis consuluit sicut prius. Aliqui nostrum fuerunt cæci. Proposita igitur via electionis, eleginus viam scrutinii; sed tandem persuasum est nobis quod procederemus per viam compromissi. Tunc prior, qua intentione fecerit ipse novit, elegit episcopum Suessionensem archidiaconum, & magistrum Judocum de Marka. Tunc unus de conventu dixit: Isti nominati non bene noscunt conscientias fratrum; ego non consentio, nisi dominus decanus & magister Eymericus fuerint cum eis. Dominus decanus & magister Eymericus noluerunt acceptare. Tunc unanimiter responderunt omnes, quod tunc nollent compromittere, & sic ipsi quinque ascenderunt in aulam superiorem & tractaverunt per longum tempus. Episcopus & magister Judocus fuerunt pro Arnoldo, decanus pro conventu, archidiaconus semper voluit quod res suspenderetur, magister Eymericus in medio nitebatur trahere archidiaconum ad partem decani, & ipse adhæsisset eis. Quod cum potuit obtinere, proposuit viam unionis hoc modo, scilicet ut vota singulorum audirentur, & eis auditis haberent consilium. Cumque major & sanior pars nominassent unum, episcopus dixit se non posse in alium consentire quam in Arnoldum, & sic ordinationem fecerunt inter se, quod omnes monachi singillatim in manu episcopi & decani promitterent se omnia indulgere, quæ usque in illam diem & horam unus contra alium quoquo modo in dicto vel facto excessit; & si contingeret eum abbatem nominari, quod numquam de transactis aliquid ab aliquo exquireret, vel imputaret aliquo modo. Item quod quicumque nominaretur in abbatem, quod caritative fratres susciperet & tractaret, & promitteret sicut supra, quod neminem de officio suo deponeret, vel removeret nisi de consensu & consilio consiliatorum ecclesiæ, ipso prius audito. Similiter promitteret, quod in casu in quo, quod absit, inter ipsum & conventum aliqua dissensio oriretur, quod statim demandatis consiliariis ecclesiæ, staret ordinationi eorum, in bono pacis & concordiæ. Quibus sic singillatim promissis, magister Judocus relationem suam continuavit, dicens: « Carissimi fra» tres, nos gaudemus multum quod tam be» nivole in unam caritatis unionem conve» nistis, & invenimus in vobis multos bonos » viros religiosos & discretos, & utiliores pro » regimine monasterii, quam ille forte sit, » quem nominabimus vobis: sed oportet tem» porizare; vos audistis omnes quæ promisistis, » & similiter ille quem nominabimus vobis, fecit quæ jam in conspectu omnium vestrum « in manu domini episcopi, & in manu do« mini decani promisit. Et tunc in vim com« promissionis nomine omnium elegit dominum Arnoldum *Loon* in abbatem hujus monasterii, & dixit, incipite *Te Deum laudamus*. Erat XII. hora & amplius, feria secunda in profesto Fabiani & Sebastiani anno MCCCCLIX.

121. Ducto igitur electo in choro, & cantato *Te Deum laudamus*, ivimus ad prandium, Arnoldus ad sanctum Nicolaum; inde cœpit se præparare, & invitare amicos suos ad seriam quintam quando voluit præsentari in capitulo, & fuerunt multi invitati, ita quod capitulum fuit totum repletum, unde domini de Majori fuerunt indignati, & dixerunt: Quid vult iste facere, vult omnia consumere in una die. Solvit cuilibet canonico tria sextaria vini. Aliqui ex laicis, qui fuerant invitati, videntes multitudinem, verecundati non venerunt ad prandium. Tunc archidiaconus *de Corfvvaren* cum fratre suo milite ascensis equis venerunt ad Trajectum ad dominum, & nonnus Henricus de Thenis de S. Jacobo ivit in infirmitorio; quid ista significarent non bene scitur, sed multi aliquid suspicabantur quia Henricus habuit adhuc spem. Henricus Gregorii prandio facto ivit ad dominum electum in Trajecto, & sicut ipse dixit, dominus invasit eum dicens; Vos decepistis me, quia dominus *de Corfvvaren* fuit hic & dixit, quod bene habuissem plus de abbate, quam vos promisistis, quia ipse ostendit mihi cedulam in qua promisit mihi solvere XVIII. c. florenos Rhenenses, & ergo volo tantum habere, vel ego faciam unum alium. Henricus, ut dixit, ut hæc audivit, cecidit ad genua, & rogavit quod dominus teneret sibi promissum, quia sic convenerat cum domino, quod nullus alius posset promoveri ad abbatiam, nisi Arnoldus. Et ascenso equo, festinato venit ad Leodium, & hora secunda noctis pulsavit ad hostium *Collar Loon* fratris Arnoldi, referens sibi ista. Qui consternatus animo dixit: O Deus omnipotens, quare frater meus non sterit in pace, eamus ad eum. Hora IV. venerunt ad S. Nicolaum cum domnus Arnoldus adhuc dormiret. Qui cum audisset ista, respondit: Ex quo hucusque processum est, oportet facere ulterius. Tunc Henricus Gregorii voluit quod *Collar Loon* sibi pro ista ultima responderet summa, & se adversum ipsum obligaret, & sic factum est. Henricus igitur ascenso equo festinanter ivit ad Trajectum, & impetravit a domino commissionem datam officiali faciendi ulterius. Tunc officialis concessit litteras proclamationis, quas in Dominica Ægidius *Hamont* legit alte in ecclesia nostra ad aquilam ubi legitur evangelium, citans omnes contradicere volentes vel opponere, ad feriam secundam coram officiali Leodiensi.

122. Feria

Solitum juramentum præstat epiſc. eccl. Leod.

122. Feria ſecunda dominus Arnoldus cuſtodivit horam ſuam, quia non conſtituerat procuratores, & petivit eos judicari contumaces, & petivit electionem ſuam confirmari, ubi portatus eſt tunc liber evangeliorum in quo legit hoc juramentum : *Juro ad ſancta Dei evangelia, quod ex nunc in antea ego ero fidelis & obediens, tamquam feodalis & ſubditus domino & prælato meo, domino Leodienſi epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus, & eccleſiæ Leodienſi, & quod numquam dabo conſilium, auxilium vel favorem in præjudicium ſeu detrimentum ſtatus & honoris, juris aut juriſdictionis epiſcopi & eccleſiæ Leodienſis, nec talia facientibus aſſiſtam auxilio, conſilio, facto vel favore; quin imo pro poſſe meo ſtatum, honorem, jura & juriſdictionem ipſorum epiſcopi & eccleſiæ Leodienſis promovebo & manutenebo.*

Item, quod bona & jura dignitatis ad quam ſum aſſumtus aut confirmatus non alienabo, præſertim niſi conſilio & aſſenſu dicti domini Leodienſis epiſcopi, qui pro tempore fuerit; quin immo alienata, ſi quæ fuerint, ad jus & proprietatem illius revocabo pro poſſe.

Item, quod ad ipſam dignitatem canonicum ingreſſum habeo, nihilque dedi vel promiſi pro ipſa adipiſcenda. Et in monaſterio in quo ipſam dignitatem obtinebo, perſonalem & continuam faciam reſidentiam, niſi ſuper hoc fuerit mecum diſpenſatum.

Confirmatur ejus electio.

123. Hoc juramento facto, procurator domini quæſivit inſtrumentum deſuper, ſimiliter & officialis, qui ex commiſſione domini Leodienſis ejus electionem tunc confirmavit. Eodem die exceptis ſexcentis florenis Rhenenſibus quos promiſerat ſolvere Henrico Gregorii caſtellano de *Franchimont* ad opus domini Leodienſis, obligavit ſe dominus Arnoldus ad ſolvendum ſuper ſigillum mille florenos Rhenenſes, ſcilicet in menſe Februarii ccc. in feſto S. Johannis cc. in feſto Nativitatis Domini cc. iterum in feſto ſancti Johannis cc. & in feſto Nativitatis centum. Promiſſi fuerunt epiſcopo Sueſſionenſi tunc ſigillifero cc. Rhenenſes; cancellario LX. Rhenenſes; notariis ſigilli XX. notario capituli XXIII. notario cancellariæ decem; magiſtro Judoco XXV. magiſtro Eymerico XXV. per Henricum Gregorii cubiculariis & conſiliariis domini Leodienſis cc. & L. Rhenenſes. Erat enim eccleſia noſtra omnino data in prædam, & ubicumque iſte ponebat manum, oportebat eum ſolvere duplicia jura. Audiens hæc epiſcopus ordinum, petebat etiam magnam ſummam; ſed tandem deſcendit ad XXV. Rhenenſes, ſed magiſtro Henrico procurante, non habuit niſi XIV. Rhenenſes, quos cum magno murmurio accepit.

124. Feria tertia poſt Vincentii fecimus obedientiam in capitulo, & ipſe electus confirmatus tunc, & dominus Hubertus de Meffia, & Gerardus ſocius ejus, & Johannes *delle Chereaux* fecerunt juramentum in capitulo, quod nos omnes ante feceramus, de non recipiendis novitiis antequam attigerint XX. annum ex utero. Conſecratus fuit feria IV. in octavis Agnetis. Primo ſurreximus mane, & cantavimus omnes horas & miſſam de octavis Agnetis. Et electus ivit ad domum Johannis de Varenna cum amicis ſuis. Tunc canonici ſancti Martini in cappis ſericis cum cruce vexillata, deſcenderunt uſque ad ſtipitem in Catena, & duxerunt eum cum reſp. *Deum time*, in eccleſiam S. Martini, & in medio eccleſiæ cantaverunt in organis & diſtantibus *Te Deum laudamus*, & ſic ductus ad altare fecit juramentum ſolitum, & obtulit ſuper altare unum parvum florenum, & ſic a canonicis indutus cappis ſericis, reductus eſt uſque ad portam civitatis. Ibi ſtabat conventus S. Laurentii cum cruce vexillata eum expectans, & tunc prior & ſupprior ſuſceperunt eum in froccis, & cantor incœpit reſp. *Strinxerunt..?* in medio eccleſiæ, *Deum time, &c.* cum collecta, & ſic ductus eſt ad altare, & oſculatus illud, aſcendit in veſtiarium; ſed epiſcopus ſe fecit diu expectari antequam venit, & incœpta miſſa de S. Spiritu, poſt graduale miſit cedulam priori, quod duo ſeniores jurarent electionem abbatis eſſe canonicam, & ipſum eſſe idoneum ad tantam dignitatem. Tunc prior & ſupprior timuerunt. Tunc vocati ſunt duo ſeniores, ſcilicet H. *Jalhey* & Hubertus, qui fuerunt ſeniores in ordine, & fuerunt de favore ejus. Cum interrogaret epiſcopus: Eſt electio hujus canonica? & Eſt idoneus? Prior & ſupprior tacuerunt. Tunc prior dixit epiſcopo in auricula, Domine nos non elegimus eum, ſed compromiſſarii. Tunc *Jalhey* reſpondit; eſt ita, & ſic proceſſit epiſcopus ulterius. Finita miſſa, epiſcopus duxit eum ad ſtallum ſuum, & oblitus fuit *Te Deum* incipere, & obedientiam præſtare, ſed exivit ad veſtiarium, & alii ſecuti ſunt ipſum, factumque prandium ſolemne in refectorio. Quæſitus eſt nuntius qui iret ad curiam Romanam, & miſſus eſt magiſter Daniel de Caſtro canonicus S. Trudonis, qui petiit unum equum & centum & quinquaginta Rhenenſes, quos oportuit in fine quod haberet, & unum beneficium, unde habuit altare in crypta. In die S. Matthiæ receſſit, & in craſtino, id eſt XL. die electionis novi abbatis, obiit dominus HENRICUS DELLE CHEREAUX abbas, cui facta fuit magna injuria, ſed per ſuos. Et factæ fuerunt pro eo exequiæ ſicut de ſimplici monacho, nec habuit *Verba mea* niſi per XXX. dies.

Conſecratur.

Henricus del Chereaux abbas moritur.

125. Tunc cœpit abbas ARNOLDUS ad memoriam revocare quæ paſſus fuerat, & durius tractare illos qui nolebant eum regnare ſuper ſe, ſed ſolummodo verbis, quia adhuc non erat ſecurus, & multi dicebant, quod ſi papa eſſet informatus, quod numquam confirmaret tam enormem electionem.

Papa tantum se reddidit difficilem, nec electionem cassavit, nec de novo providere voluit, sed simpliciter sive post mortem, sive per renuntiationem abbatiam vacare contigerit, eum in abbatem præfecit, curam regimen & administrationem ei committendo, & sic non habuit aliquod jus novum in abbatia, quod consiliariis non placuit, quia speraverunt quod papa omnia cassaret, & de novo sibi provideret, & oportuit iterum bullam rescribere, sicut & decretum bis fuit scriptum. In leges tamen Dei impie agere sæpe impune non cedit. Nam in profesto S. Gregorii sequentis facta est tanta seditio contra procuratores, ut ubicumque reperirentur male tractarentur, de quibus longum esset scribere. Rediit magister Daniel de curia in principio Julii, qui receperat ad bancarios MCCCC. equites & XL. solvendos Brugis infra tres menses, quos solverunt magister Rigaldus & Oliverius de Quarcu, in fine Julii. Igitur receptis bullis, in crastino S. Laurentii portavit eas in capitulo, & fecit eas legi in præsentia domini decani Leodiensis & magistri Judoci, & magistri Eymerici, magistri Danielis, & Johannis notarii, & fuit abbas tamquam noviter receptus, & præstavimus novam obedientiam.

126. Tunc præcepit & fecit nova præcepta & nova mandata, quæ gravia erant ad portandum, & multi erant attædiati, nescientes quid agerent, quia videbatur eis res intolerabilis.

Notandum hic quantum malum sequitur ambitionem, quia sicut dominus abbas ipse personaliter in mensa retulit nobis, scilicet priori, suppriori, Amelio, Ægidio, Johanni *delle Chereaux*, Jacobo de Vizeto, Adriano & Bartholomæo præsentibus, quando reddidit computationes suas in octavis S. Laurentii, quod quando fuit prior conventualis, locutus fuit de promotione sua cum domino Waltero de *Corsvvaren* archidiacono & sigillifero, tunc commissario Domini in ecclesiasticis, & convenit cum eo pro certa summa, non tamen bene recordatur quæ fuerit: quia ipse sigillifer fecit scribi per clericum suum unam cedulam, quam ipse dominus Arnoldus manu sua subsignavit, & illam cedulam numquam rehabere potuit. Cumque unus ex fratribus dixisset, quod fuit male factum, tantam pecuniam promittere de rebus ecclesiæ, ipse unum malum verbum respondit, videlicet: Quod si quis plus offerre voluisset, semper ipse excessisset, quia ipse ita audax fuisset facere periculum de anima sua sicut unus alius. Propter hanc cedulam monasterium multum fuit gravatum.

Additur in margine 11. *millefloren. Rhen.*

127. Illo primo anno multa levavit de feodalibus suis, quia multos fecit adjournari, qui non levaverant tempore prædecessoris sui. Et quia erat nimis durus, monasterium habuit inde damna tempore guerrarum, quia multi conquerebantur de ipso. Dominus Johannes tamquam villicus, & camerarii sui excoriabant homines, & ipsi inutiliter expendebant.

Anno MCCCCLXII. fecit reparari partem muri in fundo jardini, qui ceciderat, & circa Pascha fecit reparari cameram antiqui abbatis juxta turrem, quæ postea deposita fuit. Facta sunt ædificia. Anno dom.

Anno MCCCCLXIII. fecit reparari cameram in dormitorio & venit ibi dormitum. In Maio fecit reparari granarium in clausto S. Gertrudis.

Anno MCCCCLIV. fecit tectum super portale S. Gertrudis, quod steterat XI. annis absque tecto. Eodem anno emit lapidem ad ponendum super sepulchrum suum, quem anno sequenti fecit sculpi & poni in loco suo. Fecit etiam fieri pulchram mitram pro se, confracta antiqua mitra domini Henrici Adæ, quæ tamen pluribus bene placebat. Fecit etiam fieri domum ad Petrosam, de qua acceperat saisinam supra magistrum Eymericum, de qua saisina magister Eymericus valde male contentus fuit.

Anno MCCCCLXVIII. in die sancti Marci evangelistæ, quia putabatur esse pax, fecit dejici antiquam bassam aulam, & de lignis quæ præparata erant pro braxina combusta, fecit construi novam aulam, quæ cum erecta fuisset, & quasi tecto cooperta, redierunt Leodienses de Francia, & fuit in periculo iterum comburendi, sed Deus servavit tunc ædificia nostra pro sua misericordia & nostra diligentia.

Eodem anno fuit perfecta tabula majoris altaris nostri de bibalibus quæ dantur conventui. Eodem anno fecit fieri mitram pro qua exposuit c. & XXX. Rhenenses.

Anno eodem, id est MCCCCLXVIII. in crastino Simonis & Judæ irrupta est civitas Leodiensis, spoliata & incendio tradita.

Anno MCCCCLXIX. factum est pavimentum & solarium & caminus in aula infirmitorii. Eodem anno perfecta fuit porta de pecuniis dominæ Johannæ de Gorinia in autumno, domino abbate stante in Lovanio.

Anno MCCCCLXX. dominus abbas fecit fieri cameram propter calefactorium suum.

Anno MCCCCLXXI. fecit fieri cameram supra dispensam, & cocleam lapideam, in qua erratum fuit in ponendo lapides in fundamento. Fecit etiam foramen in parte turris, ut possit videri in ecclesia. Facta est etiam campana in *Fexhe* & ejus occasione fecimus fieri majorem campanam nostram & secundam post *Jocundam*, & unam parvam in capella S. Laurentii in *Glons*. Fecit etiam abbas fieri capellam quæ dicitur *Angelorum*.

Cecidit anno MCCCCLXXII. antiqua aula in S. Nicolao, & destructa sunt reliqua ædificia ipsius prioratus, non tamen fuit conventus an consentiret requisitus. Fuit tamen

murus eccleſiæ ipſius verſus meridiem repa- A
ratus de novo & tectum ſimiliter.

Fruſtra ipſi ſuadetur ut dignitati ce-dat.

128. Anno MCCCCLXXII. in craſtino ſacramenti magiſter Antonius *Hanneron* præpoſitus tunc ſancti Servatii, cum invitatus fuiſſet cum domino de *Payage* in S. Laurentio, dedit in commiſſis magiſtro Antonio *Eſtervel* canonico S. Lamberti, quod requirerent abbatem, qui jam ſenex eſſet, quod vellet renuntiare dignitati ſuæ ad opus ſuum, ipſe vellet ſibi optime providere & eccleſiæ prodeſſe. Abbas reſpondit quod non faceret. Similiter locutus fuit fratri Arnoldo *Jaſpar*, quod abbatem ad hoc induceret, B
ipſe recognoſcere vellet. Ex hac occaſione, ut opinor, in vigilia S. Johannis Baptiſtæ frater Johannes *Jaſpar* jocundus rediit de palatio, & dixit ſe bene fuiſſe feſtinatum, & rogavit fratrem Adrianum, quod in craſtino S. Johannis vellet ire levatum cenſus de *Everays*, altera vice faceret tantum pro eo. Ille reſpondit quod diceret abbati, ipſe iret. Abbas hoc audito, dixit fratri Adriano quod maneret juxta ſe, quia intellexit aliqua, quæ ſibi non placeret, & miſit Arnoldum in *Everays*. In craſtino Johannis venit Hermannus cancellarius, dominus de *Corſwaren* cum C
domino W. de *Horrion* pranſum cum abbate, & prandio facto, dixit cancellarius fratri Johanni de *Loz* & fratri Bartholomæo quod exirent modicum, ipſi vellet loqui ad partem domino abbati. Illi exeuntes manſerunt ſtare ad oſtium. Tunc cancellarius cœpit abbatem requirere ex parte domini Leodienſis, quod vellet ponere dignitatem ſuam ad manus domini Leodienſis, ipſe faceret ſibi bene provideri. Abbas alte reſpondit quod non faceret. Ad quod verbum *Loz* intravit, & dixit: Quid eſt iſtud? Vultis nos decipere? Domnus de *Horion* excuſavit ſe D
quod de hoc nihil ſcivit, dominus de *Corſwaren* dixit, quod ipſi facerent pro eccleſia, & confuſi receſſerunt.

129. In die ſancto Nativitatis Domini venit dominus WILHELMUS Erembergius ad Leodium, & tempore veſperarum luſit ad pilam in palatio, & dominus Leodienſis dimiſſis veſperis, vidit eum ludentem. Poſt luſum fecit dominus W. petitionem ſuam pro uno amico ſuo quem habuit in S. Laurentio, quod dominus vellet eum facere abbatem, quia abbas jam ſenex eſſet. Dominus ſtatim an- E
nuit, & in die Innocentum venit pranſum cum domino abbate prior de Catena, & locutus fuit abbati de renuntiatione, & in craſtino amici illius pro quo dominus W. requiſitus fuit, venerunt pariter in uno loco, & obligaverunt ſe ad certam ſummam, quilibet pro rata ſua ſolvere in manu Triſtis, ſi eorum amicus eſſet abbas, videlicet prior Scholarium ad c. florenos Rhenenſes, dominus Johannes de *Ans* L. dominus Natalis ad L. &c. ad numerum XXIV. Et major pars ſimplicium iverunt ad tabernas, & ſeminaverunt per Leodium novum abbatem debere fieri in S. Laurentio. In ſabbatho frater Adrianus & dominus Bartholomæus invenerunt Henricum de Braxina, & interrogaverunt eum quid feciſſet. Reſpondit ſe obligatum fuiſſe cum ceteris, ſed non ſcivit ſummam. Similiter dixit magiſter Petrus de *Voxtem*, ſimiliter *Reynſoneaz*, & addidit: quod fecimus, fecimus pro eccleſia, quia dicebatur nobis quod conventus bene vellet. Interim dominus Leodienſis miſit magiſtrum Theodericum de *Zantis* ad abbatem, ut renuntiaret, & non fuit aliquis de familiaritate abbatis, quando dominus Leodienſis fecit eum ſollicitari ad ſuadendum abbati quod renuntiaret. Tunc ad ſupplicationem aliquorum de conventu dominus de *Humbercourt* ſcripſit litteram domino Leodienſi, quam portandam dedit magiſtro Richardo. Quapropter dominus Leodienſis ſiluit per tempus.

In Februario petiit frater Adrianus ab abbate c. griffones pro infirmaria & camera hoſpitum, & quod quolibet anno fierent duæ virgatæ tecti novi ſuper cryptam, & in S. Nicolao, & annuit abbas. Et miſſis ad Trajectum domno Petro de *Attenhoven* & domno Bartholomæo, emerunt lectos, cervicalia, & coopertoria lectorum, & alia aſcendentia ad XL. griffones.

Anno MCCCCLXX. quia oportebat quod cives Leodienſes redimerent hereditaria bona ſua, dominus abbas conceſſit fratri ſuo *Collar Loen* cc. & IX. Rhenenſes & expoſuerat pro mitra ſua c. XXX. & hos CCCXL. Rhenenſes quos levaverat, ut dicebat, de feudalibus & juribus ſuis, dedit conventui & monaſterio pro anniverſario ſuo, ut oretur pro ipſo. Et voluit ſic haberi ſcriptum in martyrologio.

130. Anno MCCCCLXXIII. In principio Junii, cum dux Burgundiæ eſſet in terra Gelriæ, dominus Leodienſis miſit dominum LIBERTUM epiſcopum Beritenſem & *Triſtis* canonicum S. Martini ad abbatem, ut vellet renuntiare, ipſe vellet ſibi bene facere provideri. Tandem dominus abbas, mediatore præſcripto Gerardo, concors cum domno Bartholomæo in craſtino Sacramenti, vocatis magiſtro Theoderico de *Zantis*, & magiſtro Georgio Burgenſi & Laurentio *Beemont* cum abbate de *Bealrepert*, auditis primo pro forma fratribus, ut quilibet nominaret unum, & coram ipſis in præſentia notarii, qui fuit Laurentius *Beemont*, conſtituit procuratores ad renuntiandum dignitati ſuæ, ad opus domni Bartholomæi. De mane cum cœpiſſet publicari, fratres fuerunt male contenti, & volebant reſiſtere, ſed frater Adrianus pacificavit eos. Domnus Arnoldus quadrageſimo die ſequenti obiit. Supra cujus tumulum ipſo vivente tale feci epitaphium quod eſt in ſilice ſculptum. Moritur.

Vir decoratus mitra jacet hic tumulatus
Arnoldus dictus Locn *de* Tremech *vocitatus.*
Qui fuerat cantor, poſt ſupprior, hinc prior, inde
Præpoſitus ſancti Nicolai, poſtque creatus
Hujus cœnobii bis denus ſeptimus abbas.
Donet ei Chriſtus ſit ut in requie locus ejus.

De Bartholomæo abbate XXVIII.

131. BARTHOLOMÆUS DE LONGO-CAMPO anno MCCCCXLVI. in die S. Matthiæ fuit veſtitus. Hic ſcripſit Summam de pœnitentia, unum breviarium & dimidium, Nicolaum de Lyra ſuper pſalterium, Hermannum de Schildis, qui perditus fuit, unum proceſſionale in choro, partem Summæ vitiorum, Nicolaum de Lyra ſuper Joſue, Judicum, Regum, Paralipomenon, Eſdræ, Nehemiæ, &c. Hic poſtea fuit celerarius, deinde receptor generalis, poſtea per reſignationem domini Arnoldi *Loen*, conſentiente conventu, factus abbas hujus monaſterii XXVIII. & fuit conſecratus in abbatem per dominum LIETBERTUM epiſcopum Beritenſem in præſentia domini Leodienſis domini LUDOVICI DE BOURBON, in craſtino Epiphaniæ in feria VI. anno Domini MCCCCLXXIV. Qui ſtatim in principio adminiſtrationis ſuæ omnes fratres congregavit in unum, & petito ab omnibus & ſingulis ſuæ propoſite voluntatis de vivendi modo, omnibus conſentientibus & aſſentientibus propoſuit, ſtatuit, & concluſit quod deinceps eſſent uniformes in omnibus, exceptis infirmis, tam in abſtinentia carnium, quam in uſu & uniformitate veſtitum & morum. Iſte primò loco ſcutiferi conduxit pictorem, qui pinxit aulam inferiorem, & cameram ſuperius & alia. Item loco ſervitoris habuit ſcrinificem, qui multa etiam fecit opera circa aulam. Item in feſtis Pentecoſtes ivit ad Antuerpiam, & emit unam rubeam cappam & duas tunicas rubeas. Item fecit mitram pro ſe & pro abbate Stabulenſi unam. Item fecit fieri de caſula Angelorum unam cappam. Item fecit fieri ſigillum ſuum & conventus de argento. Item fecit fieri novam domum, in qua currit fons, & poſuit canales ligneos pro plumbeis; ſed hoc conventui non placuit. Item fecit reparari altam aulam juxta coquinam, & totam domum novis cooperiri ſcailgis anno MCCCCLXXV.

Item circa feſtum Pentecoſtes iterum Antuerpiam ivit, & emit materiam pro nova alba cappa, & pro nova rubea caſula ad ſimilitudinem dalmaticarum anno ſuperiore per ipſum emptarum. Item emit unum pulchrum baldekinum, & fecit unam blaviam dalmaticam pro ſe, & coopertoria ſedilium.

Plura alia fecit quæ ſi nunc ſcriberentur, volumen proprium exigerent, & lectorem brevitatis amatorem prolixitate nimia onerarent. Ex paucis autem qualis vir fuerit quamque rei monaſticæ utilis poteſt dignoſci.

Obiit anno Domini MDIV.

132. HENRICUS DE OREY, quo confirmato obiit dominus JOHANNES DE HORNE epiſcopus Leodienſis, cui ſucceſſit ERARDUS DE MARKA in epiſcopatu Leodienſi, qui ordinatus fuit in ſacerdotem in monaſterio noſtro S. Laurentii prope Leodium, in oratorio SS. Philippi & Jacobi præfati monaſterii. Et quia præfatus dominus Henricus de *Orey* fuerat de favore ipſius Erardi ut epiſcopus fieret, erat valde in gratia, ita ut ipſe dominus epiſcopus conſtitueret præfatum Henricum unum de conſiliariis ſuis. Ergo cum dominus Erardus epiſcopus reſideret in caſtro Huyenſi, petiit a domino Henrico abbate S. Laurentii ut ſibi mitteret fratrem Johannem *Los* ad depingendam capellam ſitam in caſtro Huyenſi. Qui Johannes miſſus per abbatem ſuum illuc ivit, & capellam prædictam depinxit, qui dum ibidem per plures maneret dies, frequenter apud Cruciferos converſabatur, in quorum bibliotheca reperit bullam Urbani ſecundi ad Beringerum, quam anno 1507. die Dominica in craſtino Prothi & Hyacinthi excopiavit & ad priorem ſuum miſit.

De Henrico de Orey abbate XXIX.

Sed cum dominus Henricus de *Orey* abbas diem clauſiſſet extremum anno quinto adminiſtrationis ſuæ in profeſto ſancti Jacobi; tan altera die, hoc eſt ipſo die S. Jacobi, fratres elegerunt via ſcrutinii in abbatem, præfatum Johannem *Los*, quem pronuntiavit dominus ERARDUS epiſcopus, tam vice ſui quam omnium fratrum; quia tunc epiſcopus præſens erat, & eumdem Johannem *Los* per ſummum pontificem confirmatum ipſe Erardus de Marcha epiſcopus Leodienſis, in propria perſona conſecravit ultima Januarii ſequentis, anno milleſimo D. XVI. vel XVIII. in monaſterio noſtro S. Laurentii.

133. Ergo dominus Johannes abbas XXX. tempore ſuæ adminiſtrationis ædificavit domum abbatialem, pulchram ſcilicet illam quæ ſtat in curia monaſterii noſtri, prope turrim eccleſiæ noſtræ. Fecit etiam coqui lateres in horto qui ſitus eſt ante portam monaſterii; de quibus lateribus ædificavit partem domus abbatialis verſus turrim. Item, ædificavit illud locutorium quod ſtat in curia monaſterii, in oppoſito prædictæ domus abbatialis. Item ædificavit oratorium in honore S. Annæ, quod ſitum eſt in eccleſia noſtra verſus eccleſiam S. Gertrudis; in quo oratorio ſepultus fuit pater ipſius Johannis *Los*; non per ipſum Johannem *Los*, ſed per ſucceſſorem ejus qui eum ibidem ſepeliri fecit. Nam ipſe dominus Johannes *Los*, quando impetravit ab epiſcopo Erardo de Marcha, ut altare prædicti oratorii conſecraretur, ſimul etiam impetravit ut oſſa quorumdam defunctorum, & in eccleſia noſtra ſepultorum, de ſuis ſepulchris transferrentur ad alium honeſtum locum; quia ejus intentio erat, quod eccleſia noſtra deberet eſſe libera in hoc, ne aliqua ſæcularis perſona in noſtra

De Johanne *Los* abbate XXX.

ecclesia sepeliretur; & propter hoc transferri fecit & ejici extra ecclesiam ossa Wilhelmi de *Strelhe* & Marthæ de Messia uxoris ejus, quæ jacent in porticu ecclesiæ versus ecclesiam S. Gertrudis, ubi videtur lapis eorum sculptus. Nam antea jacebant intra ecclesiam ante imaginem trium Magorum, quæ sculptæ habentur in latere S. Mariæ ad miracula.

134. Iste JOHANNES Los postquam fuit electus in abbatem, antequam consecraretur, aut priusquam haberet nova ex Urbe, fecit sculpi lapidem ad ponendum super sepulchrum suum, quem lapidem accepit ex pavimento porticus ecclesiæ versus ecclesiam S. Gertrudis. Nam prædictus lapis jacebat politus in præfata porticu inter primum gradum ecclesiæ nostræ & alium lapidem qui versus ecclesiam S. Gertrudis est, situs super sepulchrum Ægidii de *Orey* prædecessoris domini Johannis *Los*.

Super ergo prædictum lapidem sculpi fecit unam arborem pro media parte habentem folia, & ex alia parte apparet tota arida, in cujus summitate sculptus est Agnus Dei, quem S. Johannes Baptista demonstrat cum digito, quem Agnum circumdat scriptura talis: *Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Ex quo circulo ab digito S. Johannis manus dextræ Agnum demonstrante, procedit alia scriptura quæ talis est: *Pœnitentiam agite, appropinquat regnum cœlorum.* Radicem vero arboris cum trunco inferiori complectitur alia scriptura quæ talis est: *Remitte mihi Domine, ut refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero.* Ad radicem autem arboris securis est sculpta, supra quam talis habetur scriptura: *Securis ad radicem arboris posita est.* In medio vero arboris habentur arma ipsius Johannis *Los*, sicut ipse elegit, etiam antequam esset in abbatem electus, quibus armis utebatur in suo sigillo postquam fuit abbas confirmatus. Nam illæ quatuor litteræ..... quæ habentur in quatuor angulis ipsius lapidis erant arma patris ipsius. Ad radicem autem arboris est ipse Johannes *Los*, sculptus sine mitra & sine baculo pastorali, sed flexis genibus, & junctis manibus, in modum orantis hanc scripturam proferre videtur:

Pulveris en saccum genitum me protoparente,
Cœlica fac rapere, Christe, duce te, paranimphe.

In circuitu vero dicti lapidis habetur scriptura talis:

Dimitte me, Domine, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non revertar ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis.

Prædictum ergo lapidem fecit poni supra sepulchrum suum, quod ipse præparaverat sibi antequam esset consecratus in abbatem, in loco quem elegerat, scilicet ante januam chori in introitu cryptæ versus dormitorium, ante illam imaginem crucifixi quæ solebat stare supra januam chori, & modo stat supra januam cryptæ, prout supra dictum est.

Notandum autem quod quamdiu ipse vixit, prædictus lapis positus erat per contrarium quam modo stat, quia imago dicti Johannis *Los* respiciebat cum vultu versus cryptam quasi orans ad imaginem crucifixi. Sed cum obiisset, lapis contrario modo est positus. Prædictum ergo lapidem fecit poni, & nocte immediate sequente, incidit gravem infirmitatem, de qua infirmitate licet multos medicos consuluerit, & diversa remedia sibi adhibuerint, tamen nullus umquam potuit eum sanare, nec dicere qualis esset infirmitas, sed permansit languens in omni vita sua, licet aliquando per intervalla temporum mitius sentiret. (a)

135. JOHANNES PEECKS de Loone, anno MCCCCLXXVIII. fuit vestitus. Hic erat pictor, quam pingendi artem a seipso fere didicerat, fuitque in ea arte expertissimus, ut ostendunt tabulæ in ecclesia nostra pulcherrimæ de casu Luciferi, & extremum judicium. Hic primo ad monasterium venit anno MCCCCLXXVII. ipso die divisionis apostolorum; sed quia non erat satis annosus, attingens scilicet vigesimum annum, stetit hic tamquam servitor & familiaris ultra annum, in quo depinxit primo multa in superiori aula, quæ annectit coquinam, deinde alteram ab alia parte versus portam depinxit quasi totam, & incœperat cameram abbatis, quam fecerat abbas illo anno fieri, annexam scilicet aulæ prædictæ versus portam vici. Item, depinxit portam exteriorem super vivarium, versus S. Ægidium, quam reparavit domnus Bartholomæus abbas, & quasi de novo fecit. Et anno probationis revoluto, admissus est a conventu, nemine contradicente, erat enim juvenis puræ innocentiæ, absque felle amaritudinis, omnibus dilectus; professus est ipso die Michaëlis feria IV. Pinxit passionem Domini. De fundatione monasterii tabulas pinxit, item stirpem S. Annæ, & alia multa, usque dum electus est in abbatem anno 1508. ipso die Jacobi Majoris. Scripsit & composuit quædam chronica. Præfuit circiter VIII. annis. Fecit omnia nova ædificia in quibus abbas habitat, & novam portam interiorem prope computariam, & cameram juxta eam. Obiit anno Domini MDXVI.

[a] De Johanne *Peecks* abbate XXXI.

136. JOHANNES DE NOVILIA anno 1501. in die circumcisionis Domini fuit vestitus. Fuit dispensator hujus monasterii. Electus est in abbatem anno Domini MDXVI. in festo divisionis apostolorum. Hic statim ut confirmatus fuit, dejecit antiquum refectorium, cœpitque reædificare novum, debitis quæ partim ipse, partim prædecessores ejus fecerant,

De Johanne de Novilia. abbate XXXII.

(a) Tradit Valerius Andreas in sua Bibliotheca Belgica pag. 528. eum scripsisse res gestas episcoporum Leodiensium ab anno 1449. in quo desierat Johannes *Stabulaus*, ad sua usque tempora.

nondum ſolutis. Unde monaſterium gravia ſenſit damna, quandoquidem ad quartum tantum ſuæ adminiſtrationis annum ſupervixerit. Fecit ambulacrum ligneum juxta portam majorem, & ſupra portam pulchram cameram, ubi dominus deambulare & ſpatiari ſolet. Quod tamen ambulacrum prædeceſſor ejus Johannes de *Los* incœperat.

Obiit in profeſto S. Johannis ante portam Latinam anno 1520.

De Gerardo abb. xxxiii.

83. Gerardus de *Zuylre* (al. de Zolris.) anno 1506. in feſto viſitationis beatæ Mariæ Virginis in quinta feria fuit veſtitus frater Gerardus de Solris, fuit ſuccentor multis annis, poſtea cantor. Scripſit quædam devotionalia, tornandi artem exercens multa operatus eſt, utpote roſaria, pyxides, ſcyphos, &c. Electus eſt in abbatem hujus loci anno Domini MDXX. circa octavas Philippi & Jacobi, * defuncto jam Johanne de Novilia, qui Mechliniam acceſſerat ſanitatis recuperandæ gratia; quam cum non recepiſſet, reductus ad monaſterium ſtatim obiit in profeſto Johannis ad portam Latinam. Hujus geſta in fine dicentur. Deo ſpiritum reddidit anno Domini MDLVIII. ipſo die decollationis Johannis Baptiſtæ, acuta febri correptus in *Kicquepoy*. Præfuit utiliter annis 38. & duobus menſibus. Requieſcat in pace.

* IV. nonas Maii.

Circa initium adminiſtrationis ſuæ ferebatur monaſterium obligari tam ex antiquis debitis, quam novis pro confirmatione ejuſdem contractis, plus quam in duodecim millibus florenis, ſed infra triennium, Deo juvante, nos pene ab illis exemit.

Varia in monaſterio ædificat & reparat.

Anno 1523. ſterni fecit pavimentum cryptæ & capellam S. Jacobi lapidibus varii coloris coctis atque terreis. Fecit horreum in Waſegga, renovavit partem turris verſus vicum, quæ non parvam tum minabatur ruinam.

Anno 1525. in profeſto converſionis ſancti Pauli novam crucem deauratam ſuper turrim poſuit dominus abbas prædictus. Eodem anno in choro dextro verſus ſacrarium, dominus abbas poſuit effigiem S. Laurentii.

Anno 1526. in capite XL. infirmitorium incœpit, idque paucis ſuccedentibus perfecit annis cum omnibus clauſtris adjacentibus.

Eodem anno reparata eſt capella ſancti Benedicti, novaque feneſtra addita, altare inſuper muro conjunctum eſt: nam antea ei non committebatur. Sub quo repertum eſt ſarcophagum lapideum plumbo opertum, continenſque reliquias, ſed neſcitur quales. Repoſitum eſt idem ſarcophagum ſub altari anno eodem quo ſupra.

Anno 1528. D. Gerardus emit ac fieri fecit Trajecti parva organa, quæ in crypta poſuit, quæ conſtiterunt centum vel circiter florenos.

Anno 1530. domum ædificavit portario dominus abbas, cameramque deſuper. Eodem anno fecit nova ſtabula in *Kikempois*, poſtea pontem lapideum.

Anno 1531. completa & perfecta ſunt organa nova in navi eccleſiæ ſita, quæ fieri fecit dominus Gerardus abbas pretio quatuor millium florenorum Rhenenſium noſtræ monetæ.

Eodem anno coxit ducenta & ſeptuaginta millia laterum ad novum dormitorium fratrum refectoriumque conſtruendum, totidem ferme coxerat anno 1529. Materia accepta eſt ex prato ante portam monaſterii ſito.

Anno 1531. ſterni fecit pavimentum eccleſiæ Zuylrenſis lapidibus Namurcenſibus, de quo ſequens charta.

« Anno redemtionis noſtræ ſupra mille-
« ſimum quingenteſimum primo ac trigeſimo,
« R. in Chriſto pater D. Gerardus Zulreus,
« cauſis urgentibus, Campiniam petiit: venienſ-
« que in Zulrenſi pago, aliquantiſper illic di-
« verſatus eſt. Dum igitur quoque die baſili-
« cam ejus pagi rem divinam auditurus acce-
« deret, proſpiciens ſacræ ædis pavimentum,
« non ſatis pro dignitate loci eſſe conſtratum,
« vehementer indoluit, concepitque tum ani-
« mo ut hanc partem, quæ ſibi in hoc a ſupe-
« ris videbatur eſſe relicta, reſtituendam exor-
« nandamque ſuſciperet. Itaque cum idibus
« ipſis Novembribus ejuſdem anni ad generale
« comitium parochus, villicus, ſcabini quos
« vocant, totaque communitas convenirent;
« idem reverendus in Chriſto pater amore quo-
« dam & dulcedine ſoli genitalis perfuſus, mi-
« ſit ad illos ex ſuis aliquot, qui ſuis verbis
« dicerent, libenter ſuo ſumtu ſe curaturum
« ut area templi illa rudis & inamœna, aſſer-
« culiſque maligne coeuntibus operta, brevi
« ſuum nitorem, ac purum decus acciperet;
« ſi tamen in vicem tam obviæ benignitatis vel
« hoc rependeretur, ut quotannis in anniver-
« ſario die mortis ejus, ſolemni ac vocali ſacro,
« diacono ac ſubdiacono ex more rei divinæ
« miniſtrantibus, præſentes ac poſteri animam
« pii patris ac ceterorum benefactorum me-
« morias ſummo numini commendarent. Gra-
« tiſſima fuit parocho, villico, ſcabinis ac toti
« communitati pia reverendi patris atque li-
« beralis oblatio, conditionique omnes & ſin-
« guli concordibus animis hilariter ſubſcrip-
« ſerunt, obſtringentes ſeſe ac poſteros juſta,
« exequias, mortuorumque ſacrum perpetuis
« temporibus modo & ritu quo ſupra pro anima
« toties nominati patris & benefactoribus fide-
« liter exſoluturos. Et hæc quidem omnia ad
« perpetuam rei memoriam litteris mandare
« voluimus, ac etiam in martyrologio tran-
« ſcribi regiſtroque inferi ſcabinorum juſſimus,
« ne in futurum prætextu ignorantiæ res ſuo
« privetur effectu. «

Datum anno, menſe, & die quo ſupra.

Anno 1535. pontem ædificavit lapideum in *Kykenpois*. Anno 1537. conventualem aulam ædificavit inter refectorium & braxinam.

Eodem anno abſolvit aliam magnam domum, quæ piſtrino atque vivario adjacet. Eodem anno fecit fieri conventui ſcyphos argenteos & cochlearia argentea 24. Anno 1538. aliam novam aulam hyemalem conſtruxit, & aliquot refectorii pilaria erexit. Anno 1540. refectorium novum abſolvit, conſtruxit novum horreum a fundamento in *Kykenpois* infra duos aut tres menſes. Fecit a fundamento reparari capellam hoſpitalis S. Agathæ, cum aliis ædificiis adjacentibus, quæ fuit conſecrata anno 1542. pridie Benedicti in Martio, per ſuffraganeum GEDEONEM epiſcopum Caſtorienſem, qui eidem contulit indulgentias aliquas, videlicet in dedicatione capellæ anniverſaria XL. dies; in die Agathæ totidem, in die Adriani totidem, in die Hadelini totidem, qui ſunt patroni ejuſdem capellæ. In fine Decembris redemit a Johanne *Compart* commiſſario civitatis Leodienſis, penſionem XXVIII. florenorum aureorum, pro quibus ſolvit quingentos & ſexaginta in auro. Anno 1525. redemerat XIV. florenos aureos ab heredibus Petri de *Kemexhe*, pro quibus ſolvit octingentos & XL. florenos, omnes Leodienſes pro eadem penſione. Anno 1542. refectorium fuit perfectum, circa quod tam extrinſecus, quam intrinſecus laboratum eſt tribus & ultra annis. Anno 1549. fecit fieri novam campanam horarum 966. libras ponderantem, quæ baptizata fuit VI. menſis Octobris, & *Stephanus* nominata, ſequenti item die in locum ſuum ſuper dormitorium elevata. Eodem anno fieri fecit baculum vexilli novum ex puro argento in diverſis locis deauratum.

Horologium novum opus inſigne inceptum anno 1549. & perfectum anno 1550. quinto die Maii. Juſſit reparari muros monaſterii a porta monaſterii uſque ad portam S. Ægidii, qui pene corruerant præ vetuſtate nimia, & per circuitum tecto cooperuit. Jecit fundamenta muri contra Caballi-foſſam, ubi numquam antea fuerat; ſed per dumos & ſepes recludebantur ab hac parte pratum & vineæ, non ſine magno detrimento frugum, quod fiebat per fures tam nocturno quam diurno tempore, qui & perfectus eſt eodem anno in Junio, &c.

Anno Domini 1552. ſupervenit nobis quidam venerabilis dominus archiepiſcopus Hiberniæ cum uno capellano ſacerdote & famulo laico; hic tendebat ad Urbem, & volebat intereſſe ſynodo Tridentinæ, expulſus ſiquidem fuerat e ſede propria a rege Anglico hæretico Lutheranæ ſectæ fautore, & ad inſtantiam RR. epiſcopi Leodienſis ſuſtinuimus eum gratis a circumciſione Domini uſque ad feſtum S. Valentini. Cui diſcedenti verſus œcumenicum concilium dominus abbas dedit optimum equum, & auream peciam viginti duorum Carolinorum. Sed ipſe gravi infirmitate præventus, iterum rediit ad civitatem Leodienſem, & habuit locum in monaſterio Vallis divi Lamberti, deinde vagatus eſt de loco ad locum.

Anno 1552. perfecta eſt pars clauſtri verſus curiam domini abbatis, & multa alia renovata ædificia. Eodem anno ſolvit ad ſubventionem patriæ MCC. florenos monetæ Brabantinæ.

Expugnata eſt civitas Metenſis a rege Franciæ HENRICO ſecundo in profeſto palmarum. In Junio expugnatum eſt *Danvilleis* cum caſtro, & redactum eſt in poteſtatem regis Franciæ. 10. cal. Julii. Expugnatum eſt Ivodium a Francis, in profeſto Johannis Baptiſtæ. Similiter & Cymmachum cum ſuis caſtellis.

Anno 1553. reddita eſt arx Bollonica in poteſtatem dominorum de Marka, per capitaneum ejuſdem arcis, qui & decollatus poſt multam torturam fuit Leodii ſabbatho poſt octavam paſchæ; ſed negat ſe culpabilem in mortis articulo. Eodem anno ab eiſdem demolita eſt arx Hedina & ſolotenus deleta, in qua captivatur dominus de *Eſdein* dux Bolloniæ, cum quibuſdam aliis.

Anno Domini 1554. 22. Martii in nocte cœnæ Domini circa duodecimam terra tremuit.

Eodem anno penultima Aprilis conſecratur navis eccleſiæ S. Lamberti cum clauſtro & ſacellis a domino GREGORIO SILVIO ſuffraganeo.

Eodem anno oppidum dictum *Marienburch* a Francis expugnatur, in quo totus pene Brabantiæ apparatus continebatur. Bovinia etiam expugnata comburitur, Dyonantum vi capitur, & arx quondam fortiſſima ſolotenus diruitur ipſo die tranſlationis divi Benedicti, ceteraque oppida & arces ſuper ripam Moſæ uſque Namurcum, atque dominia partim ſpoliantur, partim comburuntur. Binchium comburitur & ſolotenus coæquatur, & rex per totam Hannoniam tranſiens, omnia vaſtat & comburit.

Apud nos recipiuntur quatuor ex confratribus noſtris Florinenſibus cum abbate eorumdem, quorum monaſterium fuerat combuſtum, & fratres ex Waſor, & omnes eccleſiaſtici, monachi & ſanctimoniales gregatim ad Leodium confluunt.

Eodem anno in Octobri fecit dominus abbas fieri novos ſcyphos argenteos pro conventu pulcherrimos & ſumtuoſos.

Anno 1555. die cinerum, recepimus bullam indulgentiatum plenariam a ſummo pontifice JULIO pro gratiarum actione & fide catholica per Angliam reparata, & populus tribus diebus jejunavit, & quarto die communicavit. Et quinta feria ſequentis hebdomadæ fit dietas patriæ, in qua exigebat GEORGIUS AB AUSTRIA epiſcopus Leodienſis maximam ſummam pecuniarum pro ſubven-

tione imperatoris contra regem Franciæ, & ut ferebatur, pro conservatione patriæ. In Brabantia autem conceditur imperatori decimus denarius & vigesimus omnium rerum.

Anno 1555. in Aprili fecit fieri dominus Gerardus duas pelves argenteas duorum millium florenorum ad usum summi altaris & cœnæ Domini.

Eodem anno in principio Maii exegit RR. episcopus Leodiensis GEORGIUS AB AUSTRIA maximam summam pecuniarum ab ecclesia & communitate. Unde fuimus taxati ad octingentos florenos Brabanticos & LX. unum, pro bonis in patria Leodiensi existentibus. Unde appellaverunt secundariæ ecclesiæ contra prædictum episcopum coram domino conservatore domino GERARDO abbate divi Laurentii, qui & dedit eis mandatum contra hujuscemodi exactionem. At abbas sancti Jacobi tamquam conservator episcopi rursus appellavit coram metropolitano archiepiscopo Colonienſi contra idem mandatum abbatis S. Laurentii. Deinde processum est ad Urbem per deputatos secundariarum ecclesiarum, & ita episcopi postulatio non fuit secuta suum effectum.

Eodem anno postridie palmarum revocati sunt ad proprium cœnobium ex sancto Laurentio fratres Valciodorenses.

* vel 5°. Eodem anno * tertio nonas Junii, hoc est secunda feria pentecostes, Leodii in hospitali Cathenæ benedicitur per GREGORIUM SILVIUM suffraganeum Leodiensem, nonnus LAMBERTUS DE WAGNEZ abbas Aureæ vallis.

Anno Domini 1555. impetravit GEORGIUS AB AUSTRIA episcopus Leodiensis, unam generalem visitationem sive reformationem super omnes ecclesias & monasteria etiam exemta, unde debebat incipere ab ecclesia cathedrali ad collegia, deinde ad monasteria; sed secus egit, quia non fuit auditus a secundariis. Suam executionem exorsus est in monasterio S. Laurentii, hoc domino abbate admittente hoc modo.

Sexto siquidem Martii die comparuerunt apud nos ex principis mandato, dominus GREGORIUS SILVIUS suffraganeus, REMACLUS abbas divi Huberti, Guillelmus de Pictavia cancellarius, & magister Antonius de Giveto canonicus divi Johannis. Quibus ab abbate & omni conventu benigne susceptis, in loco capitulari facta brevi exhortatione, & lecta antiphona *Veni sancte, &c.* petierunt procedere via scrutinii, & processum est spatio unius fere diei: primo examinarunt juniorem procedendo ad seniorem, & nihil inventum fuit dignum correctione, sic recesserunt confusi.

Eodem mense XIV. Martii proclamatæ fuerunt induciæ quinquennes Leodii inter imperatorem CAROLUM V. & HENRICUM secundum Francorum regem. Eodem mense recepimus ex Urbe bullam indulgentiarum plenariam a summo pontifice Paulo IV. Eodem anno ipso die divi Georgii consecratur altare in *Kicquenpois* per dominum GREGORIUM SILVIUM suffraganeum. Eodem anno in Dominica rogationum recepimus iterum ex Urbe bullam indulgentiarum, & jejunavimus tota illa hebdomada, quinta feria excepta, propter rogationes.

Anno Domini 1556. in Januario, comparavit dominus Gerardus Zulreus domum Eustachii aurigæ ad usum monasterii nostri.

Eodem anno in principio Martii apparuit cometa multis diebus.

Eodem anno in festo S. Margaretæ fuerunt processiones Scholarium translatæ ad Observantes propter pestem, quæ sæviſſime grassabatur in monasterio Scholarium.

Eodem anno 12. cal. Maii receſſit dominus abbas Florinensis cum fratribus & ministris suis ad monasterium proprium combustum & desolatum, relicto suo suppriore apud nos: quem dimisimus benigne & gratis, nihil prorsus ab eo recipientes pro expensis duorum annorum. Ipse siquidem abbas obtulerat domino nostro centum angelottos aureos.

In Septembri moritur archiepiscopus Colonienſis, vir bonus & catholicus. In Octobri ipso die Franciſci, in Bello-reditu benedicitur abbas Vallis-Dei nonnus LAMBERTUS DE CLARO-MONTE.

Anno Domini 1557. feria quarta post Dominicam Passionis facta est una diæta in patria Leodiensi, in qua exigebantur sub nomine principis, LII. millia florenorum bonæ monetæ. Renovatur quoque fœdus inter Brabantinos & Leodienses, & ut liceret transire per civitatem, oppida fortalitiaque Leodiensium militi Brabantino, sed XXXII. ministeria nihil suorum admiserunt, quibus adhæserunt nobiles & status ecclesiarum secundariarum.

Eodem anno fuit tanta caritas omnium rerum, & præcipue frumenti, quod populus pene universus redactus fuit ad extremam pene inopiam.

Eodem anno in profesto translationis sancti Lamberti tempore matutino fuerunt fulgura & tonitrua, ceciditque fulmen super turrim sive campanile Vallis S. Lamberti, quam in pulverem usque redegit, campanas, organa, navim ecclesiæ & partem chori combussit. Altera Philippi & Jacobi venduntur grana in S. Laurentio, ubi fuit tanta oppressio populi, ut vix portæ monasterii a XXX. viris custodirentur. Admittebatur populus per majorem portam, & dimittebatur per portam divi Ægidii.

Eodem anno IV. nonas Maii hora secunda post meridiem, spiritum Deo reddidit GEORGIUS AB AUSTRIA episcopus Leodiensis, Leodii in suo palatio. Sequenti vero die a canonicis in loco capitulari eligitur D. ROBERTUS DE BERGIS coadjutor, vir parvæ staturæ, sed doctus.

Anno

Anno Domini MDLVII. ipſo die commemorationis divi Pauli, venit dominus ROBERTUS DE BERGIS electus Leodienſis ad S. Laurentium, dormivitque in aula divi Gregorii: ejus familia occupavit omnes cameras hoſpitum ſuper portam, & ubique. Manſit autem nobiſcum cum ſua familia tredecim diebus.

Anno Domini 1557. fuit magnus conflictus prope S. Quintinum ſuper ripam Sommæ, inter phalanges Philippi ducis Flandriæ, & Henrici ſecundi regis Franciæ. In quo conflictu ſuccubuiſſe ferebantur de exercitu regis Franciæ XV. millia peditum, & tria millia equitum, multique nobiles captivi ducti. Pro qua victoria adepta celebrata fuit ſpecialis miſſa in S. Lamberto cum proceſſione ſolemni de S. Spiritu, ſicut fieri conſuetum eſt feria VI. poſt Paſchà.

In Novembri ordinatur dominus ROBERTUS DE BERGIS electus in epiſcopum Leodienſem, ſacerdos in Curingia, & primitias ſuas Deo obtulit in monaſterio dominarum de *Herkenrode*. Quarto calendas Decembris in prima Dominica adventus Domini, conſecratur idem dominus epiſcopus in prædicto monaſterio monialium. In tertia Dominica adventus Domini, hoc eſt in profeſto Luciæ recipitur epiſcopus Leodienſis ab eccleſia, nobilibus, & civibus atque univerſali multitudine.

Anno Domini 1558. infra octavas regum expugnatur Caletium portus Angliæ a Francis. Eodem anno poſtridie apoſtolorum Philippi & Jacobi incœpta eſt braxina noſtra a domino Gerardo Zulreo, præparatis prius omnibus neceſſariis, ſed præventus morte non conſummavit. Eodem anno in Auguſto fecit idem abbas duo thuribula argentea, & duas dalmaticas nigras pro exequiis faciendis. Oppidum dictum *Thionville* expugnatur a Gallis.

Anno 1558. ipſo die Michaëlis ex hoc migravit ſæculo CAROLUS imperator V. in Hiſpania, & duæ ejus ſorores, LEONORA relicta regis Franciæ Franciſci primi, & MARIA quondam regina Hungariæ, gubernatrix Brabantiæ.

Anno Domini MDLVIII. ipſo die decollationis S. Johannis Baptiſtæ ex hac luce migravit R. ac Deo & hominibus carus pater & DD. GERARDUS ZULREUS abbas hujus loci XXXII. qui bene, utiliter & laudabiliter huic cœnobio præfuit XXXVIII. circiter annis. De novo a fundamento pene dirutum ſumtuoſe ædificavit; cenſus, prædia, eccleſias, ceteraque monaſterii bona reparavit & magnifice exaltavit. Obiit in arce noſtra de *Kicquepois*, in qua conſilio amicorum ſe receperat, propter peſtem quæ monaſterium urgebat, gravi & intolerabili febre correptus, inter manus fratrum ſuorum.

Ipſo die Ægidii ſepulto domino, celebravimus electionem novi abbatis. In qua electione concorditer, laudabiliter & devote convenimus in dominum HENRICUM NATALIS. (*a*) Dominicà infra octavas Nativitatis Mariæ recepimus bullam adminiſtrationis monaſterii, confirmatam per epiſcopum & capitulum Leodienſem. Epiſcopus habuit pro ſuis juribus CCCCL. aureos, ſigillifer CL. parvus ſigillifer L. capitulum Leodienſe pro præſentatione electi habuit C. & VIII. florenos monetæ Brabantiæ & IX. ſterl. De Henrico Natalis abbate XXXIV. [a]

In Februario ipſo die qui divæ Apolloniæ ſacer eſt, recepit electus noſter litteras confirmationis ſuæ ex Urbe, & in tertia Dominica quadrageſimæ, ſcilicet *Oculi*, fuit benedictus per dominum GREGORIUM SILVIUM ſuffraganeum Leodienſem, 26. Februarii. Eodem die mane hora VIII. comparuit dominus electus cùm amicis ſuis & quinque abbatibus, videlicet S. *Jacobi*, S. *Huberti*, Vallis S. Lamberti, S. Ægidii, & Belli-reditus in cappis ad finem clauſtri divi Martini. Ibi præſtolabantur ceteros prælatos Leodienſes, archidiaconos, præpoſitos, decanos omnium eccleſiarum, canonicos divi Lamberti pene omnes, ex ſecundariis eccleſiis duos, omnes in cappis & almutiis ſuis, & idem electus in cappa aurea. Ad quem locum deſcendit ab eccleſia ſua collegium divi Martini cùm cruce vexillata, aqua benedicta, in cappis & ornamentis ſuis ſolemnibus; cui electo obtulerunt crucifixum oſculandum. Quo peracto, cantat S. Martini intonavit reſponſorium *Deum time*, facta prius humili inclinatione ante electum, & deducentes eum medium inter præpoſitum & decanum uſque ad navim eccleſiæ ſuæ; ibi decantaverunt *Te Deum*. Quo cantato, aſcendit ad ſummum altare ad faciendum juramentum. Quibus peractis, reduxerunt eum cum omni pompa proceſſionaliter & cruce, uſque ad exitum ſecundæ portæ S. Martini verſus S. Laurentium. Ibique recepit eum conventus inter priorem & ſuppriorem medium, & cantor incœpit reſponſoria de S. Laurentio uſque ad eccleſiam noſtram proſequendo. Et cum perveniſſet ad navim eccleſiæ, fratres giraverunt ſe ad latus dextrum ſub imagine divi Laurentii ordinate, & electus inter duos priores incurvavit ſe ad genua in medio navis, ubi erat ſcamnum poſitum, ſuper tapeta & tria pulvinaria, ubi cantor inclinans ſe verſus electum, intonavit reſponſorium *Deum time*. Deinde incœpit cantor antiphonam, *Veni deſiderator bone*, & eam proſequentes intraverunt chorum, & ita intravit electus ſacriſtiam.

[a] Anno 1534. religionis habitum ſuſcepit in die Fabiani & Sebaſtiani martyrum & ſequenti anno eodem die profeſſus. Primitias ſacerdotii ſui obtulit anno Domini MDXXXVIII. altera Georgii. Hortulanus effectus 1542. altera Scolaſticæ virginis: multa opprobria & maledicta ab emulis præcipue Leodienſibus pertulit injuſte & mendaciter. Obiit anno 1577. ſepultus in cryptà ad pedes S. Wolbodonis.

Anno Domini MDLIX. ipso die Mariæ Ægyptiacæ publicata est Leodii pax inter regem Franciæ HENRICUM secundum, & PHILIPPUM regem Hispaniæ & comitem Flandriæ.

Anno MDLX. cœpit dominus HENRICUS NATALIS abbas 33. ædificare molendinum in *Glons*, ubi fuerat antiquitus aliud acquisitum per Walterum Macarium abbatem, super Jechoram fluvium.

Anno Domini MDLXI. in Dominica prima quadragesimæ recepimus indulgentias a summo pontifice Pio, ut oraremus pro omni statu ecclesiæ, synodo celebranda, & reconciliatione hæreticorum a catholica fide deficientium. Rursus easdem pene recepimus in Maio anno 1562. Et in profesto divi Servatii venit ROBERTUS DE BERGIS episcopus inhabitatum in monasterio nostro, cum tota sua familia, causa recuperandæ sanitatis; occupavitque omnem inferiorem infirmariam, & frater ejus cum conjuge sua superiores cameras infirmorum, manseruntque nobiscum usque ad profectum Mariæ Magdalenæ.

Anno Domini MDLXIII. toto pene mense Februario tractatum est in capitulo Leodiensi de ordinatione novi episcopi, hoc permittente domino ROBERTO DE BERGIS episcopo, qui tum valetudinarius in suo palatio residebat. Fuitque electus decanus Leodiensis dictus GERARDUS GROOTBERGH, mediante pensione.

Anno Domini 1564 mutuavimus magistratibus & communitati Leodiensi quatuor millia florenorum monetæ Brabantinæ, pro recuperatione unius obligationis qua tenebatur patria erga comitem de *Meghen*, tamquam heredem domini GEORGII AB AUSTRIA episcopi quondam Leodiensis.

Anno Domini MDLXV. corruit pars murorum monasterii ad centum pedes prope caballi-fossam, quam reparari fecit dominus Henricus abbas multis expensis in Martio.

Eodem anno in Februario oritur grande facinus in Bello-reditu: nam abbas cum cœnasset cum fratribus suis, & exueret se ad lectulum requieturus, strangulatur, & gladiolo jugulatur a suo camerario. Cui successit in monasterii regimine Fr. JOHANNES MANGHEN.

Anno Domini MDLXVI. incœpit dominus abbas Henricus Natalis reparare arcem nostram de *Kickepoy*, & magno sumtu renovavit: primo ab introitu castelli ubi fuerat stabulum equorum, fecit coquinam & multa alia pulchra ædificia, vetera dejiciens, & nova reparans, procedendo usque ad terminum loci turrim quæ dicitur *Gilkyne* renovavit & exaltavit. Aulam conventualem funditus evertit, fecitque sumtuosa ædificia usque ad capellam inclusive, granaria plura ad usum communem. Vallum quoque secundum versus silvas fecit, muroque cinxit, & multa bona & utilia monasterio nostro ampliavit & fecit, præcipue circa silvas & nemora. Prælatus prudens, castus, sobrius, utilis, & magnanimus; nemini placere cupiens nisi Deo, & fratrum utilitati consulens.

De Jacobo Thomæ abbate XXXV.

Jacobus Thomæ de Leodio filius Godefridi Thomæ procuratoris curiæ Leodiensis religionis habitum suscepit anno 1563. postridie divi Matthæi evangelistæ in quarta feria. Profitetur idem anno Domini 1564. ipso die divi Michaëlis, ipsius siquidem professio translata est ad VIII. diem sequentem. Primitias suas Deo offert anno Domini 1566. ipso die triumphi divi Lamberti in die Dominico. Anno 1573. custos sacrarii ordinatus. Anno 1576. dispensator seu œconomus abbatis, anno 1577. tertia Octobris ad abbatialem electus gradum. Anno 1578. nona Martii Dominica *Lætare* consecratus ab ipsomet episcopo Leodiensi in ecclesia S. Martini, suffraganeo defuncto. Anno 1586. privatur dignitate abbatiali per sententiam definitivam, a RR. Johanne-Francisco episcopo Vercellensi, necnon nuncio apostolico, cum potestate legati a latere, ac in ejus loco omnium fratrum consensu & voto, eligitur R. domnus OGERUS LONCHIN anno ætatis suæ 32.

XXXVI. abbas Ogerus Lonchin.

APPENDIX
AD HISTORIAM S. LAURENTII LEODIENSIS.

I. Instrumentum venerabilis domini Reginardi Leodiensium episcopi.

Ecclesiam S. Laurentii Leodiensis dotat.

SI quæcumque facimus in verbo aut opere, omnia in nomine Domini facere nos oportet, multo maxime necesse est ipsum invocare, atque etiam implorare in his quæ pertinent ad cultum religionis, in qua postpositis omnibus, æterno Regi singulariter adhærere summum quidem bonum est, quibus a Deo contingit. Sed & eos proximum gradum tenere speramus, quorum pierate ac beneficiis illi foventur in proposito sanctitatis. Nam & vitis sustentantibus ulmis magis fœcundatur, & ipsæ steriles non sunt, dum alienis fructibus cooperantur. Sic & vidua quæ Helisæum hospitaliter tractabat, amissum filium recepit; & Martha evangelico ministerio prædicatur, quod ipsi Domino atque ejus discipulis officiosa caritate servierit.

Hæc & multa alia mecum reputans, ego REGINHARDUS Leodicensium indignus episcopus, cum ex propriis operibus plus mihi formidinis esset ad pœnam, quam fiduciæ

ad gratiam, decrevi mihi amicos & adjutores aliquos procurare, qui me deficientem recipere, atque ad æterna tabernacula possint aditum præstare. Ea spe & consilio confugiens ad tutelam & patrocinium gloriosissimi martyris Laurentii in honore Domini nostri JESU CHRISTI, ad venerabilem memoriam ejusdem sui levitæ conatus sum construere cœnobium monachorum ante portam urbis Leodii, quod suffragante Dei misericordia, citius quam quisque ratus erat complevi, abbatem & monachos illic constitui, heredes meos imprimis beatum Laurentium, deinde ipsos institui, eosque redemtionis animæ meæ fidejussores feci, ut eorum orationibus liberatus a morte, vitam æternam merear invenire.

Hæc igitur sunt quæ per manum advocati Wiggeri præfatæ ecclesiæ jure perpetuo mancipamus. In Wasegga centum mansos, prædium *Meirbes* habens XL. mansos cum integra ecclesia & aliis appenditiis suis, *Hairs* XXII. mansos cum integra ecclesia & aliis sibi pertinentiis; Euerhaliæ XVI. mansos & dimidium cum dimidia ecclesia & aliis pertinentiis suis, *Gladous* XVII. mansos cum quarta parte ecclesiæ, & aliis appenditiis suis, Baldindas quinque mansos cum quarta parte ecclesiæ & aliis appenditiis suis. In *Huars* X. mansos cum quarta parte ecclesiæ. In Bieta decem mansos. In..... * decem mansos. In *Bierbaiff* sex mansos. In Aurido quatuor mansos cum integra ecclesia. In Jemeppia quatuor mansos & dimidium cum appenditiis suis. In Groswuico quatuor mansos. In Venta tres mansos. In *Maseyck* quinque mansos cum tertia parte ecclesiæ. In Bomela tres mansos & quatuordecim cartilia. In Honstami duos mansos. In Loner unum mansum. In Mera unum mansum. In *Thiereborck* duos mansos, ecclesias *Leus*, Serrani campi, *Eexhe*, *Bollers*, Altripia.

* *f.* Euerhaliæ.

De cetero oramus atque obsecramus per misericordiam Dei, ne quis successorum nostrorum cogitet horum quicquam movere vel infirmare; imo studeant pro salute animarum suarum & hæc conservare & alia adaugere. Quod si contemserint hoc facere, & vel ipsi vel alii pravi homines tentaverint aliquid eorum per violentiam, aut per dolum occupare, illos ex auctoritate Patris & Filii & Spiritus Sancti, & beati Petri principis Apostolorum atque omnium Sanctorum, sed & domni PILIGRINI Colonienſis archiepiscopi, qui hanc traditionem manu propria adstipulatur, & dedicationis est princeps, & JOHANNIS Portuensis episcopi legati apostolicæ S. sedis, & nostra auctoritate execramur, exterminamus, & eradicamus ab omni sorte justorum, & in præsenti sæculo & in futuro. Atque ut omnis legalis firmitas impleatur ingenuorum testium nominibus subassignatis, hoc nostrum institutum apud posteros commendamus.

† Ego PILIGRINUS Dei gratia Colonienſis archiepiscopus subscripsi & confirmavi.

† Ego JOHANNES Portuensis episcopus & bibliothecarius S. R. E. subscripsi.

† Ego REGINARDUS Leodiensis episcopus subscripsi & confirmavi.

Sigillum comitis ARNULPHI, sigillum GISLEBERTI comitis. Sigillum comitis GOZELONIS, sigillum WIGGERI advocati, sigillum Reimboldi. Sigillum Huberti. Sigillum Wilhelmi. Sigillum Heriberti, sigillum Oldrici. Sigillum Gerardi.

Data tertio nonas Novembris, anno Dominicæ Incarnationis MXXXIV. indictione II. Anno vero domni Conradi imperatoris undecimo. Actum Leodii feliciter. Amen.

II. Hanc autem solemnem dotationem ipso eodem die Reginardus (*a*) diplomate sequenti confirmavit. [a]

EGO REGINARDUS Leodicensium indignus episcopus, ex propriis operibus plus formidinis ad pœnam, quam fiduciæ habens ad gratiam, a facie formidinis & a majestate terribilis judicii Dei, confugi ad tutelam & patrocinium gloriosissimi martyris Laurentii, ut in die mala auxilio intercessionis ejus liberarer, & sub umbra meritorum ejus protegerer. Sciens autem ex sacris scripturis, quod fiducia sit magna coram summo Deo eleemosyna omnibus qui faciunt eam; & quia idem S. Martyr dispersit & dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi, ante portam Leodiensis civitatis, ad salutem & munimen populi Christiani, monasterium ejusdem martyris a fundamentis construxi, & ipsum monasterium una cum PILIGRINO Colonienſis ecclesiæ archiepiscopo, & JOHANNE Portuensi episcopo & apostolicæ sedis legato, tertio nonas (*b*) Novembris dedicavi, & in eo pauperes Christi monachos in sancta religione ad honorem & gloriam nominis Domini ipsi fideliter servientes constitui, & de rebus sive possessionibus quas habebam, vel quas acquirere potui, eos heredes meos & amicos, qui me recipiant in æterna tabernacula, feci, ut ipsi mea carnalia metere, & sua spiritalia mihi seminare debeant. [b]

Hæc igitur sunt quæ per manus advocati Wiggeri jure perpetuo mancipavi. In Wasegga c. mansos cum omnibus usuratiis & appenditiis suis. In *Hairs* XXII. mansos cum integra ecclesia, & aliis sibi pertinentiis. Euerhaliæ XVI. mansos & dimidium cum dimidia ecclesia, & aliis appenditiis suis.

Prædium quoque *Gest* in comitatu Lova-

[*a*] Hoc diploma editum est in nova Gallia Christiana, tom. 3. sed maximam partem decurtatum, integrum damus & multo accuratius.

(*b*) In nova Gall. Christ. *Decembris* corrupte.

nienſi poſitum, ſicut ipſum liberum & ab omni exactione alterius dominii omnino abſolutum cum ſua eccleſia & ſilva epiſcopali jure tenebam, tradidi ad altare ipſius, ut eccleſia quoque beati Laurentii ipſum prædium cum eccleſia ſua, in ſilva, in culturis, in decimis, in campis, & in omnibus reditibus ſuis ſimili & eodem modo poſſideant jure perpetuo. Cujus prædii traditio facta eſt per manum LAMBERTI Lovanienſis comitis, quem legitimum advocatum eccleſiæ beati Laurentii de ipſo eſſe prædio conſtitui. In *Moſmal* XIII. manſos cum aliis appenditiis ſuis. In Publico-monte qui ipſi eccleſiæ adjacet, undecim manſos cum uſuariis ſuis. In Bietha decem manſos, in *Bubais* VI. manſos cum appenditiis ſuis. in *Evernaiſe* X. manſos cum appenditiis ſuis. In Aurido IV. manſos cum integra eccleſia. In Jamapia quatuor manſos & dimidium. In * Calineis IV. manſos cum quarta parte eccleſiæ. In Loneis unum manſum. In *Eurendore* tres manſos. Inter quas etiam poſſeſſiones tradidi ad altare ipſius beati Laurentii integras eccleſias de *Fehe* & de * *Lenauſe* & de *Bollers* cum omnibus terminis & appenditiis ſuis, ut omnis decima tam de cultis terris quam de ſilveſtribus quandoque colendis, & de omnibus reditibus ad decimationem pertinentibus, ad jus eccleſiæ S. Laurentii, & ad uſus fratrum ibi Domino ſervientium perveniat.

* *al.* Leus.

Decretum quoque eſt ut in prædiis poſt legitimum advocatum beati Laurentii, nullus alius omnino ſubadvocatus ſit. Qui advocatus numquam in placito abbatis ibi ſedere, niſi ab ipſo abbate vel a miniſtris ejus pro aliquo negotio fuerit evocatus: nullam exactionem ibi facere, *nulli penitus* ſubadvocato ibi beneficium dare præſumat, nullum ibi obſonium, nullam precaturam habebit, nihil omnino præter quod abbas ſua manu ei dederit, uſurpabit, exceptis his dumtaxat quæ ejus auxilio, ſi quando pro aliquo evocatus negotio cum abbate acquiſierit.

De cetero oramus atque obſecramus per Dei miſericordiam, ne quis ſucceſſorum conetur horum quidquam movere vel infirmare: immo ſtudeant pro ſalute animarum ſuarum hæc confirmare, & a pravis & malis hominibus defendere. Eos autem qui per dolum aut per violentiam hæc infringere tentaverint, niſi reſipiſcant, & auctoritate Patris & Filii & Spiritus Sancti, & beati Petri omnium apoſtolorum atque omnium ſanctorum, ſed & domni PILIGRINI Colonienſis archiepiſcopi, qui dedicationis eccleſiæ beati Laurentii eſt princeps, & JOHANNIS Portuenſis epiſcopi, legati apoſtolicæ ſedis, & noſtra auctoritate excommunicamus ab omni ſorte ſanctorum, & in præſenti ſæculo & in futuro.

Atque ut omnis legalis firmitas impleatur, hanc confirmationem præſentis ſigilli noſtri atteſtatione corroboravi, & teſtes tam idonei ſunt adhibiti, qui *magnæ* reverentiæ & ſplendoris poſſint eſſe præſentibus & futuris.

Domnus PILIGRINUS Colonienſis archiepiſcopus. Domnus JOHANNES Portuenſis epiſcopus ſedis apoſtolicæ legatus, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ bibliothecarius. WAZO majoris eccleſiæ præpoſitus, Hugbaldus decanus. Nizo theſaurarius. Ex proſapia mea, ADELHARDUS, GERARDUS, WILHELMUS. Nobiles viri, quorum conſilio & cooperatione res eadem acta eſt, GOZELO dux, & filius ejus GODEFRIDUS, HERMANNUS comes, ARNULPHUS comes, GILBERTUS comes, GOZELO comes, ADALBERTUS comes, WIGERUS advocatus, Rembaldus, Hubertus, Bernardus, Wilhelmus, Heribertus, Olericus, Gerardus, Adelardus, Godefridus.

Et de genere meo Huneco, Wilhelmus, Hubertus, Olericus, Reginardus, Razo, Obertus.

De domo mea miniſteriales interfuerunt huic confirmationi, Aaron, Warnerus, Tiebaldus Lambertus, Everelmus, Thiefridus & alii multi tam clerici quam laïci.

Actum Leodii tertio nonas Novembris anno Dominicæ Incarnationis MXXXIV. indictione ſecunda, anno domini Conradi imperatoris undecimo.

III. Inſtrumentum venerabilis domini Reginardi Leodienſis antiſtitis.

De dono Lamberti de Altapia.

QUoniam a majoribus noſtris traditum tenemus quarumlibet rerum conditiones melius inconvulſas ſervari, cum ad poſterorum notitiam tranſmittuntur, ego REGINARDUS gratia Dei Leodienſis epiſcopus notum facio tam præſentibus quam futuris eccleſiæ filiis, quod Lambertus de Altapia homo ingenuus, pro culpis ſuis capitalibus a me excommunicatus, vendidit mihi eccleſiam de Altapia, quam partim pro ea, quam pro abſolutione ſua dare debebat, partim pro ea, quam ſecundum noſtras conventiones.... ille exſolvit. Quam eccleſiam ego præſente Lamberto eccleſiæ S. Laurentii, quam pro redemtione animæ meæ in Publico-monte conſtruxi, per manum Wigeri advocati tradidi & jure perpetuo mancipavi. Et ut id perpetuo ratum ſit, carta hæc impreſſione ſigilli noſtri ſignata in teſtimonio erit, & teſtes aſſignati. GOZELO dux, ADALBERTUS comes, ARNULPHUS comes, GOZELO comes, GISLEBERTUS comes, Reimbaldus, Bernardus, Adelardus, Heribertus, Godefridus. Et de genere meo Huneco, Willelmus, Humbertus, Oldricus, Reinardus.

IV. Item ejuſdem venerabilis epiſcopi

De molendino de Watlege.

UBi res geſta magis perplexa eſt, ibi ob conſervandam geſtorum memoriam majoris providentiæ cautela adhibenda eſt. Unde ego REINARDUS gratia Dei Leodienſium epiſcopus, pro rebus quas beato Laurentio contradidi recte ſollicitus, notum facio præſentibus & futuris, quia ſicut cetera quæ eidem beato martyri tradidi, ita & molendinum de *Warlege* ſuper fluvium Jecoram cunctis impedimentis legaliter abſolvi, primum facta commutatione publica, datis ſcilicet tribus manſis apud Medianum *Hairs* Gonthero militi, per manum advocati, id eſt comitis Giſleberti. Accepi itidem per manum ejuſdem comitis ab eodem Gonthero molendinum illud cum adjacentibus cum XII. bonnariis. Et quia curſus aquæ trium dominorum allodiis prælabitur, ſcilicet S. Remacli, & Wilhelmi conſanguinei mei beneficium ibi habentis ex comite Loſſenſi, & Meineri judicis & civis Leodienſis, effeci ut abbas S. Remacli Poppo, qui conſecrationi monaſterii ejuſdem S. Laurentii præſens interfuit, etiam dicti Willelmus & Meinerus ſinguli ore & manu propria illum aquæ curſum abdicarent, & ab omni reditu ſive ſervitute in perpetuum abſolverent & S. Laurentio redonarent, annuente pariter ipſo Giſleberto comite, de quo jam dictus Willelmus beneficium tenebat.

Quod ſi quis pravorum hominum infringere tentaverit, ſive per violentiam, ſive per dolum, calumniam intulerit, & rem bene & legaliter geſtam immutaverit, illum ex auctoritate Patris & Filii & Spiritus ſancti atque omnium ſanctorum execramur, exterminamus atque eradicamus ab omni ſorte juſtorum in perpetuum; atque ut omnis legalis firmitas impleatur, ingenuorum teſtium nomina ſubaſſignamus.

Ego REINARDUS Leodienſium epiſcopus ſcripſi & proprio ſigillo confirmavi. Teſtes comes ARNULPHUS, comes GISLEBERTUS, comes GOZELO, WIGERUS advocatus, Reimbaldus, Hubertus, Bernardus, Heribertus, Willelmus, Heribertus, Oldricus, Gerardus.

Data III. nonas Novembris, anno Dominicæ Incarnationis MXXXIV. indictione ſecunda, anno vero domni Chunradi imperatoris undecimo.

V. Ejuſdem venerabilis Præſulis.

De quinque manſis in Baldineis.

IN nomine Domini noſtri JESU CHRISTI. Quoniam ſicut ſcriptum eſt, eleemoſyna a morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam æternam: ego REGINARDUS Leodienſis A epiſcopus ex propriis operibus plus formidinis ad pœnam quam fiduciæ habens ad gratiam, decrevi facere mihi amicos pauperes Chriſti, qui me deficientem recipiant in æterna tabernacula. Ea igitur ſpe & conſilio confugiens ad tutelam & patrocinium glorioſiſſimi martyris Laurentii, qui diſperſit & dedit pauperibus, & juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi: ad venerabilem memoriam ejuſdem conſtruxi cœnobium monachorum ante portam urbis Leodii, quod, ſuffragante Dei miſericordia, complevi, & in ipſo monaſterio heredes meos pauperes Chriſti monachos inſtitui, B eoſque redemtionis animæ meæ fidejuſſores feci, ut eorum orationibus liberatus a morte, vitam æternam merear invenire.

Igitur inter alia prædia quæ, donante Deo, prætato monaſterio jure perpetuo mancipavi, Baldineis quinque manſos cum quarta parte eccleſiæ & aliis appenditiis ſuis tradidi ad altare beati Laurentii. Quæ traditio legaliter facta & confirmata eſt auctoritate domini PILIGRINI Colonienſis archiepiſcopi, & domini JOHANNIS Portuenſis epiſcopi, bibliothecarii S. R. E. præſentibus quoque archi- C diaconibus & multis nobilibus atque liberis hominibus.

Sane advocatiam ejuſdem prædii *Baldines* liberam reliqui in manu epiſcopi Leodienſis, ut præter eum nullus umquam ibi advocatus ſit, ne qua in poſterum occaſio detur his, qui ſtudio malignitatis rebus eccleſiaſticis inſidiantur; ſed ſub tuitione Leodienſis epiſcopi ſemper conſiſtat, per quem omnis comprimatur injuſtitia, de qua illi proclamarent eccleſia, & facta per nos jam dicti prædii libertas perpetualiter maneat inconcuſſa. Omnem autem juſtitiam ipſius prædii, & ſervitium, & annonam, & quæque ſolent D quaſi jure advocatiæ a ruſticis exigi, abbati ex integro contradidi.

De cetero oramus & obſecramus per miſericordiam Dei, ne quis ſucceſſorum noſtrorum conetur horum quicquam movere vel infirmare; immo ſtudeant pro ſalute animarum ſuarum hæc confirmare, & a pravis & malis hominibus defendere. Eos autem qui per dolum aut per violentiam hæc infringere tentaverint, niſi reſipiſcant, ex auctoritate Patris & Filii & Spiritus ſancti, & beati Petri apoſtolorum principis & omnium E ſanctorum, ſed & domni PILIGRINI Colonienſis archiepiſcopi, qui dedicationis ſanctæ eccleſiæ B. Laurentii eſt princeps, & JOHANNIS Portuenſis epiſcopi, ſedis apoſtolicæ legati, & noſtra auctoritate excommunicamus ab omni electorum ſorte, & in præſenti ſæculo & in futuro. Atque ut omnis legalis firmitas impleatur, ingenuorum teſtium nominibus ſubaſſignatis, hoc noſtrum inſtitutum apud poſteros commendamus.

Teſtes fuerunt comes ARNULPHUS, comes

GISLEBERTUS, comes GOZELO, WIGERUS advocatus, Reimbaldus, Hubertus, Bernardus, Wilhelmus, Oldricus, Gerardus, & alii multi.

Actum Leodii tertio nonas Novembris, anno ab Incarnatione Domini MXXXIV. indictione secunda, anno domni Cuonradi imperatoris undecimo.

VI. Litteræ venerabilis domni Reginardi Leodiensis antistitis.

De dono prædii de Jest.

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI. Ego REGINARDUS præveniente gratia Dei Leodiensis episcopus, considerans in judicio Domini super villicatione sanctæ ecclesiæ mihi credita, me multis curarum nexibus & innumeris ecclesiasticæ dispensationis debitis implicitum, confugi ad consilium & auxilium ipsius Domini, & secundum dictum ipsius, feci mihi amicos de mammona iniquitatis, qui me, cum defecerim, recipiant in æterna tabernacula. Nam ante portam Leodiensis civitatis ad salutem & munimen Christiani populi monasterium pretioli & glorioli martyris Laurentii a fundamento construxi, & ipsum monasterium una cum domno Piligrino Colonicnsis ecclesiæ archiepiscopo & apostolicæ sedis legato, tertio nonas Decembris * dedicavi, & in eo pauperes Christi monachos in sancta religione ad honorem & gloriam nominis Domini ipsi fideliter servituros constitui, & de rebus seu possessionibus quas habebam vel quas acquirere potui, eos heredes meos feci, ut ipsi mea carnalia metere & sua spiritualia mihi seminare debeant.

* lege *Novembris* ut in aliis instrumentis, quibus concinit hujus dies scriptionis.

Inter quas etiam possessiones tradidi ad altare ipsius beati Laurentii *Jest* prædium in comitatu Lovanienſi positum, sicut ipsum liberum & ab omni exactione alterius omnino absolutum cum ecclesia sua & silva episcopali jure tenebam, nullum penitus in aliquo participem in ipso habens prædio, ut ecclesia quoque beati Laurentii ipsum prædium cum sua ecclesia in silva, in culturis, in decimis, in cambis & in omnibus reditibus suis eodem modo & similiter omnino possideret jure perpetuo. Quæ traditio qualiter sit facta per manum Lamberti Lovanienſis comitis, quem legitimum advocatum ecclesiæ beati Laurentii de ipso esse prædio constitui, notum facio præsentibus & futuris fratribus & omnibus fidelibus ipsius ecclesiæ & nostris, ut solliciti & præmuniti sint adversus malitias pravorum hominum, qui rebus ecclesiasticis insidiantur, & super eas injustam sibi usurpant dominationem.

Præsentibus itaque supradictis episcopis & multis nobilibus & religiosis tam clericis quam laicis, ipsum prædium cum ecclesia sua & silva, & cum omnibus reditibus ad ipsum pertinentibus, tradidi beato Laurentio pro salute animæ meæ in usus ibi servientium Deo monachorum, & episcopali auctoritate interdixi & confirmavi, ut in hoc prædio præter legitimum advocatum altaris beati Laurentii, & eum solum qui de legitimo advocato ipsam advocatiam administrabit, nullus penitus ibi sit subadvocatus, & ipse nihil pro advocatia sua, nisi quod ipsi statutum & difinitum est, aliquando ibi exigat.

Habebit autem ipse advocatus avenam suam de mansionariis & cortilanis, & venator ipsius, dum circum ad effugandos lupos facit, ibi cum duobus tantum aliis pernoctabit, & ad opus obsonii ipsorum unum denarium, unum panem, unam gallinam & unum decimum avenæ per singulas curtes ipsius prædii forestarius accipiet. Qui forestarius pro mercede hujus suæ exactionis unum de denariis & unum de panibus, unam de gallinis atque unum decimum avenæ retinebit sibi.

Ipsi quoque venatores pro effugandis, ut dictum est, lupis, de illa curte quæ propria est abbatis S. Laurentii, duos solidos annuatim accipient.

De cætero ipsum prædium ab omni exactione alicujus comitatus & ab omni implacitatione sive dominio ipsius advocati ita liberum & absolutum erit, ut numquam ibi vel præsente vel absente abbate in placito sedeat ipse advocatus, nisi ab ipso abbate, vel a ministris ejus pro aliquo summo negotio evocatus, & tunc tantummodo tertium accipiat denarium. Nihil quoque ibi, nisi quod abbas ei sua manu dederit, usurpabit. Nullum ibi obsonium, nullam ibi precaturam habebit; numquam, nisi ab abbate & ministris ejus se intromittet de aliqua justitia ibi facienda, vel de sturma sive burma, nisi evocatus pro hoc ipso fuerit, & tunc tertium accipiat denarium. Silva quoque ad ipsum prædium pertinens, ab ejus dominio libera erit, ut nec inde vendat, neque det alicui, neque aliquam partem ipsius silvæ usurpet sibi, neque alicui ut inde lignum succidat, potestatem dare debeat, nisi abbas ei dederit aut permiserit. Quæ constitutio seu traditio ipsius prædi, ut nulla unquam violentia vel iniqua machinatione infringatur, aut de sua excidat libertate, nos tres episcopi, domnus Piligrinus Colonicnsis archiepiscopus, & ego Reginardus Leodiensis episcopus, & Johannes Portuensis episcopus, legatus sedis apostolicæ, eam confirmavimus auctoritate Patris & Filii & Spiritus sancti, & potestate apostolica per ipsum Johannem nobis tradita.

Quod si quis hanc constitutionem aliqua fraude vel aliqua violentia seu alio aliquo modo umquam infregerit, eum condemnavimus & anathematizavimus & æternæ dam-

nationi subſtravimus, & partem ejus & partem eorum qui ei consilium & auxilium præbuerint, posuimus cum Chore, Dathan & Abiron, quos vivos terra deglutivit, & cum Juda, qui Dominum & magistrum suum tradidit, & postea abiens laqueo se suspendit, & disrupta sunt omnia viscera ejus, & cum diabolo, & cum omnibus angelis ejus sequacibus ejus inferno & æternis ignibus deputavimus.

Quam etiam confirmationem præsentis sigilli nostri attestatione corroboravi, & tam idonei testes sunt adhibiti, qui magnæ reverentiæ & splendoris possint esse præsentibus & futuris.

Domnus PILIGRINUS Colonienſis archiepiſcopus.

Domnus JOHANNES Portuenſis epiſcopus, apoſtolicæ ſedis legatus & S. R. E. bibliothecarius. WAZO majoris eccleſiæ præpoſitus, HUGBALDUS decanus, NIZO theſaurarius. Ex proſapia mea, Adelardus, Gerardus, Wilhelmus.

Nobiles laici quorum conſilio & cooperatione res eadem acta eſt, Gozelo dux, & filius ejus Godefridus; Herimannus comes, Arnulphus comes, Giſlebertus comes, Gozelo comes, Adalbertus comes, Wigerus advocatus; Reimbaldus, Hubertus, Bernardus, Wilelmus, Heribertus, Oldricus, Gerardus, Adelardus, Godefridus.

Et de genere meo: Huneco, Willelmus, Humbertus, Oldricus, Reginardus, Wazo, Obertus.

De domo mea miniſteriales qui interfuerunt huic confirmationi; Aaron, Warnerus, Thiebaldus, Lambertus, Everelinus, Thiefridus, & alii multi tam clerici quam laici.

Actum Leodii tertio nonas Novembris anno Dominicæ Incarnationis MXXXIV. indictione ſecunda, anno regni domini Cuonradi imperatoris undecimo.

VII. Ejuſdem venerabilis antiſtitis.

De XIII. *manſis ir Moſmale.*

IN nomine Domini noſtri JESU CHRISTI. Ego REGINARDUS Leodienſis epiſcopus, conſiderans in judicio Domini ſuper villicatione ſanctæ eccleſiæ mihi credita, me multis curarum nexibus implicitum, confugi ad conſilium & auxilium ipſius Domini, fecique mihi amicos de ipſius bonis qui me recipiant in æterna tabernacula cum defecerim. Nam ante portam Leodienſis civitatis monaſterium pretioſi & glorioſi martyris Laurentii a fundamento conſtruxi, & ipſum monaſterium una cum domno PILIGRINO Colonienſi archiepiſcopo, & JOHANNE Portuenſi epiſcopo & apoſtolicæ ſedis legato, tertio nonas Novembris dedicavi, & in eo abbatem & monachos conſtitui.

Inter cetera igitur prædia quibus eccleſiam ipſam dotavi, tradidi ad altare ipſius beati martyris XIII. manſos allodii, cum omnibus appenditiis ſuis & familia in *Moſmale*, ſicut ipſum prædium liberum & ab omni exactione alterius omnino abſolutum epiſcopali jure tenebam. Præſentibus itaque ſupradictis epiſcopis & multis nobilibus & religioſis tam clericis quam laicis, hanc traditionem per manum Wigeri, quem legitimum advocatum ipſius eccleſiæ conſtitui, implevi & epiſcopali auctoritate interdixi, ut ibi præter legitimum advocatum altaris, nullus penitus ſit ſubadvocatus. Ipſe quoque numquam ibi in placito ſedebit, niſi ab abbate vel a miniſtris ejus fuerit evocatus, niſi in tribus dumtaxat generalibus placitis, in quibus tamen nihil niſi tertium denarium habebit, & obſonium cum quinque viris. De cetero ab omni exactione & ab omni implacitatione ſive dominio ipſius advocati liberum & abſolutum erit. Nullum ibi obſonium, nullam preſaturam habebit, nullam omnino ibi exactionem faciet. Quæ conſtitutio ut rata & inviolabilis permaneat, nos tres epiſcopi eum qui aliqua eam fraude vel violentia ſeu alio aliquo modo infregerit, æternæ damnationi ſubſtravimus. Quam etiam confirmationem præſentis ſigilli noſtri atteſtatione confirmavi, & idonei teſtes ſunt adhibiti.

Domnus PILIGRINUS Colonienſium archiepiſcopus.

Domnus JOHANNES Portuenſis epiſcopus.

WAZO majoris eccleſiæ præpoſitus, HUGBALDUS decanus, NIZO theſaurarius. Ex proſapia mea.....

Nobiles laici GOZELO dux & filius ejus GODEFRIDUS, HERIMANNUS comes, ARNULPHUS comes, GOZELO comes, WIGERUS advocatus.

De domo mea Aaron, Warnerus, Thiebaldus, & alii multi tam clerici quam laici.

Actum Leodii III. nonas Novembris, anno Dominicæ Incarnationis MXXXIV. indictione ſecunda, anno regni domni Cuonradi undecimo.

VIII. Carta Henrici Leodienſis Antiſtitis.

De Villula Mareis.

HENRICUS gratia Dei Leodienſium epiſcopus, præſentibus eccleſiæ fidelibus & futuris poſt me epiſcopis pacem & tranquillitatem & ſecuritatem in Chriſto Domino JESU noſtro.

Quia ad hoc poſiti ſumus, ad hoc regimen eccleſiarum & curam etiam rerum ſæcularium agendam ſuſcepimus, ut eccleſiaſticæ paci non ſolum dum advivimus, ſed & in poſterum quantum poſſumus provideamus, omnibus eccleſiæ noſtræ filiis & fratribus futuris & præſentibus notum eſſe volumus, quod cariſſimus frater & filius noſter BEREN

GERUS abbas ecclesiæ S. Laurentii nos adierit, & adductis secum multis amicorum nostrorum, multis etiam ex familia sancti Lamberti, obnixe nos rogaverit, ut quasdam ecclesiasticas possessiones, quas vel ipse acquisierat, vel antequam ipse abbas fieret ecclesia tenebat, a cujuslibet potestatis injusta pervasione in posterum defenderemus, & carta & sigillo nostro & episcopalis auctoritatis excommunicationis munimine confirmaremus. Quod & fecimus sollicite & provide. Nam in die solemnitatis S. Laurentii inter missarum solemnia inter cetera, villulam quæ appellatur *Mareis*, præsentibus multis, qui ad diem festum convenerant, annitentibus etiam duobus fratribus Elberto *de Helines* & Emmone *de Guisnes*, qui ipsam villam pro redemtione animarum suarum S. Laurentio tradiderant, sub anathematis æterna interminatione & cartæ præsentis datione liberam fecimus ab omnium hominum pervasione injusta, sic ut in æternum ita sit libera, ut tota villula & totus comitatus sit omnino in districtu abbatis, quicumque allodium ibi habeat, sit falsa mensura & latro & lex campalis, & sturma & burma, & cetera ad comitatum appendentia. Et ut nulli liceat ex ea quicquam alicui in beneficium dare, nullam, excepto abbate, in eo precariam facere, nec pro aliqua præstitura alicui commodare, nec pro aliquo prædio vel allodio quamvis optimo vel meliori pro aliqua commutatione sancto Laurentio eripere, nullum præter legitimum altaris advocatum habere. Qui advocatus, exceptis tribus modiis avenæ ad mensuram Leodiensem modii, quæ ibi ab ipsis largitoribus Elberto & Emmone constituta est, nullum placitum, nullum aliud jus ibi penitus habebit, nisi forte pro aliqua necessitate ab abbate evocatus ibi fuerit, de illo placito unde juverit tertium tamen * denarium habebit. Præter hoc nullum aliud jus, nullam precariam, nullum obsonium, nullam pernoctationem, nullam penitus in ea habebit exactionem. Quod qui infringere præsumserit, ei quam in præsenti ferimus, subjaceat æternæ maledictioni, & sit pars cum illis, quibus in judicio suo dicturus est Dominus: Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis ejus.

* f. tantum.

Testes hujus nostræ constitutionis & excommunicationis ex archidiaconibus sunt Hugo, Godescalcus, Theodewinus, Bozo, Herimannus. Ex laicis, comes Albertus, Cuno comes, Arnulphus, Godescalcus, & alii.... Ex familia nostra Lambertus, Warnerus, Lambertus de Ponte, Lambertus de Insula.

Data Leodii anno Dominicæ Incarnationis MLXXXI. indictione IV. regnante Henrico rege IV. anno regni ejus XXVI. episcopatus autem nostri anno sexto.

IX. DIPLOMA HENRICI V. Romanorum imperatoris pro Leodiensi S. Laurentii monasterio.

Confirmat prædii de Wasegga advocatiam.

EGO HENRICUS divina favente gratia V. Romanorum imperator notum facio omnibus præsentibus & futuris Dei & nostris fidelibus, quia CONRADUS imperator noster atavus precatu STEPHANI abbatis S. Laurentii, advocatiam prædii, quod habebat S. Laurentius in Wasegga, dedit ALBERTO Namurcensi comiti, constituens ei pro ipsa advocatia annuatim in festivitate S. Remigii de singulis mansis fiscalibus modium avenæ & quatuor denarios, & in tribus placitis generalibus tertiam partem..... sed & ipsum denarium non sua, sed abbatis & ministri ejus dispositione recipere. Omnibus vero aliis quæ foris vel intus abbas vel ministri ejus per se colligere possent, nihil exigeret, nec de ullo alio negotio ei in aliquo penitus molestus esset, non ibi pernoctaret, aut obsonia aliqua vel ab abbate vel a rusticis exigeret, nullam ibi precariam faceret, nihil omnino præter tertium denarium de placito, & in quolibet trium placitorum generalium, quatuor item solidos pro obsoniis recepturus. Hoc constitutum multis annis ab ipso ALBERTO comite, & a filio ejus æque ALBERTO vocato inviolabiliter custoditum, cum GODEFRIDUS filius ejus comes Namurcensis, trangressus esset, & multis injustitiis & infractionibus, tam ipse quam qui sub eo sunt advocati Waseggani; præmeritus BERENGERUS abbas S. Laurentii nos adiit, & proclamationem faciens adversus insolentiam ejus, & subadvocatorum suorum, nostræ potestatis auxilium postulavit. Ideoque evocatum ipsum comitem Godefridum de infractione advocatiæ quam ex nobis tenebat, arguimus; & ex decreto fidelium nostrorum præcepimus, & regali edicto statuimus, ut ne ulterius quidquam injustitiæ, aut infractionis, aut violentiæ in Wasegga præsumeret inferre, nullam pernoctationem in ea faceret, nullum obsonium præter constitutum, nullam precariam, nec ipse nec subadvocati ejus, ulterius ibi exigerent, nihil omnino præter supradictas constitutiones usurparent, &c. Qui ratione victus, de his omnimodam correctionem coram optimatibus nostris & suis hominibus promisit. Ut hujus justitiæ veritas rata & inconvulsa permaneat, carta hæc præcepto nostro conscripta, & sigilli nostri impressione firmata, erit S. Laurentio in testimonium defensionis contra violentiam improbitatis. Præterea de terris Publico-monti (*a*) adjacentibus, quæ sunt S. [a]

[*a*] Publicus-mons dicitur mons ille civitati Leodiensi adjacens in quo conditum est S. Laurentii monasterium.

Laurentii,

Laurentii, & de parva inſula, quoniam & de his coram nobis querela acta eſt, ſicut & de ceteris poſſeſſionibus clericorum quæ ſunt infra urbem, vel in ſuburbiis, præcipimus & præſentis ſigilli ratum munimine & conſtans eſſe volumus, ut abacto omni violentæ novitatis machinamento, ſecundum leges veteres, quas habuerunt hactenus, ex quo fundata eſt ipſa eccleſia S. Laurentii, per annos ferme LXVIII. ſecundum ipſas agant in omni placito vel negotio, ſcilicet ut omnia a diſtrictu epiſcopi ſint libera, præter falſam-menſuram, & latronem, & legem Campalem, ſturmamque & burmam. Et quicumque in hujuſmodi deprehenſus fuerit culpabilis, ſolus eat ad placitum * Auriti. Ceteri omnes ab eodem ſint liberi, nullam ibi precariam, neque heribannum niſi per abbatem accipiant, nec de ullo penitus placito quiſquam eis moleſtus ſit, præter ea quæ excepta ſunt. Et ut omnis legalis firmitas impleretur, teſtes ingenuos adhibuimus ERLINUM Wiſeburgenſem epiſcopum, & fratrem ejus ALBERTUM cancellarium, comitem WIBERTUM, comitem HERIMANNUM, comitem HEINRICUM, comitem ARNULPHUM, WILHELMUM civitatis advocatum, Wilhelmum Lambertum *de Maſtreick*, Henricum *de Hameche*.

* Aur. Ø.

X. EUGENII PAPÆ III. LITTERÆ.

EUgenius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Wazelino abbati S. Laurentii in Leodio S. & A. B.

Quæ a fratribus noſtris epiſcopis pro eccleſiarum quiete rationabili providentia ſtatuta ſunt, in ſua volumus ſtabilitate firmare, ne pravorum hominum valeant in poſterum refragatione turbari. Ideoque conſtitutionem, quæ de parochialibus eccleſiis veſtro monaſterio collatis & de beneficiis ſacerdotum eiſdem eccleſiis ſervientium a venerabili fratre noſtro HENRICO Leodienſi epiſcopo rationabili providentia facta eſt & ſcripto ſuo firmata, ſedis apoſtolicæ auctoritate firmamus & ratam manere cenſemus: videlicet ne de cetero eccleſiæ parrochiales quæ eidem monaſterio collatæ ſunt, in uſus cedant aliorum, ſed retento uſufructuario monachis, ſacerdotes in eis canonice ordinentur. Qui tamen ex earum reditibus habeant unde vivant: videlicet oblationes miſſarum & ſolemnium & quotidianarum, & de viſitationibus infirmorum, & de ſepulturis & agendis mortuorum. De annona quoque in eccleſiis matricibus, quæ alias ſub ſe habent eccleſias XXIV. modios annonæ, in eccleſiis aliis quæ per ſe ſunt, modios duodecim. Nemini igitur liceat deinceps beneficia illa aliis conferre perſonis, ſed monachis maneant, quibus collata ſunt, ſalvo ſynodali jure & obedientia Leodienſis epiſcopi.

Datum Pariſius v. idus Maii.

XI. CONCORDIA INTER EVERELMUM abbatem S. Laurentii & Marſilium S. Ægidii.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. EVERELMUS Dei gratia abbas eccleſiæ S. Laurentii & MARSILIUS eadem gratia abbas eccleſiæ S. Ægidii de Publico monte, tam futuris quam præſentibus in perpetuum. Officii noſtri ſollicitudo nos admonet, ut ſaluti animarum & paci eccleſiarum providentiæ noſtræ commiſſarum ſtudeamus invigilare, & ne per aliquam diſcordiam ſpirituale vel temporale damnum patiantur, congrua in Domino proviſione conſulere. Ea propter notitiæ præſentium & ſucceſſioni futurorum in memoria æterna tradimus, quia longam contentionem, quæ inter utramque eccleſiam S. Laurentii & S. Ægidii ſuper dono ejuſdem abbatiæ S. Ægidii, multiplici tam ſpiritualium quam temporalium rerum damno, diu verſata eſt, noſtro ſtudio & ſapientium virorum conſilio, cooperante Deo, terminavimus, argumenta cum quibus utraque pars juſtitiam ſuam munire videbatur, melius pacis compoſitione quam judicii diſcuſſione abſcidendam eſſe perſpeximus. Communi ergo omnium fratrum utriuſque eccleſiæ conſenſu & approbatione, eccleſia beati Ægidii manſum unum liberum allodii quod apud Novilium poſſidebat eccleſiæ ſancti Laurentii jure perpetuo poſſidendum in æternum memoriale & teſtimonium reformatæ pacis dedit. Pro redemtione autem decimæ ſuæ duos bizantios Melechinos annuatim eidem eccleſiæ S. Laurentii in perpetuum ſolvet, quorum unum in die paſſionis S. Laurentii per unum de fratribus ſuis mittet, & abbati ſive priori, ſi abbas abſens fuerit, tradet. Decimæ autem determinatio ſic facta eſt. Infra ambitum, intra quem curtim, hortos & manſiones ſuas fratres noſtri canonici S. Ægidii habent in præſenti, omnem decimam tam majorem quam minorem pro bizantiorum perſolutione remiſſum, libere poſſident. Præterea in quocumque loco infra terminos parrochiæ de Arrido habitacula facere voluerint, decimam tantummodo vulriminis remiſſam habebunt, de illis videlicet terris, quarum decima ad præbendam fratrum B. Laurentii proprie pertinet, nec a trecenſu prædictorum bizantiorum umquam recedere poterunt, nec aliquam commutationem pro eis dare, nec de ipſorum quidquam quantitate imminui licebit, quamlibet abundans, quamlibet tenuis, etiamſi nullus determinatæ decimæ proventus fuerit. Quia vero nos EVERELMUS & MARSILIUS abbates licet indigni, pro hujus pacis & pactionis ordinatione plurimum laboravimus, hoc ſpecialiter meruiſſe videmur, ut in utraque eccleſia nos & hujus rei cooperatores videlicet Petrus S. Pauli canonicus, & frater DROGO S. Jacobi

monachus æternum memoriale habeamus, ad majorem quoque ejuſdem pacis firmitatem, hoc addidimus, ut antiquus mutuæ fraternitatis tenor inter utramque eccleſiam per omnia inviolabiliter & perpetualiter obſervetur, & ut hæc tam rationabiliter tam ſolemniter acta perpetuis temporibus manu tencant inconvulſa, ſacerdotes utriuſque eccleſiæ nobiſcum ore ſuo prolata anathematis ſententia illum excommunicaverunt, quicumque hæc temere tranſgredi, vel mutare aut occaſione controverſiæ quocumque modo reſuſcitare attentaverit. Horum omnium rationabilem ordinationem ſub chirographo conſcriptam & noſtris & utriuſque eccleſiæ ſigillis roboratam, fideliter & perpetualiter in utraque eccleſia ſervari Dei auctoritate conſtituimus. Huic rei interfuerunt & teſtes adhibiti ſunt de eccleſia S. Laurentii Cuno prior, Lambertus, Warnerus, Heribrandus, Hezelinus, Renerus, Balduinus, Johannes, Godefridus, Robertus, Engelbertus, Anſelinus, Simon, Hermannus, Geſo, Balduinus, Goſvinus, Robertus, Stephanus, Lambertus, Guntherus Robertus, Philippus, Godeſcalcus, Albertus, Euſtachius, Julianus ſacerdotes. Robertus, Henricus, Petrus, Marcus, Walterus, Engelbertus diaconi. Iembertus, Henricus, Liebertus, ſubdiaconi. Laurentius Servatius, Bruno, Reinerius, Johannes, Manito, Reinerus, Henricus acolythi.

De eccleſia S. Ægidii Lambertus prior, Nicolaus, Winandus, Rogerus, Heplo, Walterus, Giſlibertus ſacerdotes. Livericus diaconus. Elgerus, Lambertus, Johannes, Bruno, ſubdiaconi. Bonifacius, Gerardus, Johannes, Nicolaus, Johannes, Warnerus, Stephanus Henricus acolythi. De eccleſia ſancti Lamberti Henricus præpoſitus & archidiaconus, Balduinus, Bruno, Amalricus, Rodulfus, Theodericus, Otto archidiaconi. Hubertus decanus. Drogo abbas S. Jacobi, Lucas abbas Montis-Cornelii, Benedictus decanus S. Johannis, Henricus decanus ſancti Pauli, Otto canonicus. Actum ſolemniter anno Incarnati Verbi MCLXX. indictione II. ordinationis domni Rodulfi Leodienſis epiſcopi anno II. Ego Henricus ſacerdos canonicus ſancti Ægidii ſcripſi & ſubſcripſi feliciter.

XII. INSTITUTIO DOMNI OTHONIS abbatis de numero monachorum.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Amen.

Ego Otho per gratiam Dei dictus abbas & ceteri fratres monaſterii beati Laurentii, amnibus tam futuris quam præſentibus in perpetuum. Cum variis ac multiplicibus cauſis quotidie cenſum eccleſiarum decreſcere, ſubſtantias attenuari videamus pro varietate temporis & rerum confuſione, ex præſentibus futura metientes, ruinæ domus noſtræ volentes præcavere, attendentes in ea numerum perſonarum adeo excreviſſe, quod omnes præ nimia multitudine penuriam ſuſtinere cogeremur, & res præbendæ ſuſtentamini noſtro minime ſufficeret: cupientes etiam delere antiquam conſuetudinem prædeceſſorum noſtrorum quæ ſatis non videbatur eſſe competens, qui extra monaſterium clericos vel laicos in monaſterio fecerant præbendarios, in choro quoque inter pſallentes fratres tamquam ſtatuas inutiles illitteratas perſonas locaverant; neceſſitate aſtricti, prudentum virorum uſi conſilio, communi aſſenſu ordinavimus, quod quam cito numerus præbendarum noſtrarum, qui nimis erat ampliatus, per deceſſum virorum ad quadraginta fuerit redactus; quadragenarium nullatenus amplius excedet, ni forte ad claſtrum talis perſona venerit, quæ quamdiu vixerit de proprio tam victum quam veſtimentum plenarie & ſufficienter ſibi acquirat.

Nullus de cetero clericus aut laicus extra monaſterium præbendam capiet de monaſterio. Nullus laicus ſub monachali habitu coronabitur, vel locum habebit in choro. Tantum quadraginta litterati erunt & pſallentes. Quorum cum unum vel plures mori contigerit, abbas ad libitum ſecum alios qui ſimiliter pſallant, ſubſtituet. Præterea ad memoriam conſervandam quod eccleſia beati Nicolai in Glano noſtræ eccleſiæ ſemper ſubjaceat, & a matre filia numquam ſeparetur; unus & ſolus de fratribus apud ſanctum Nicolaum commorantibus in eccleſia B. Laurentii ex integro tam in victu quam in veſtimento præbendam captet. Quotquot autem ab illo domus S. Nicolai ſuſtentare poterit, a matre eccleſia nihil præbendæ penitus requirent neque capient; Etſi de facultate domus S. Nicolai procurati per omnia tamen abbati & matri eccleſiæ tenebuntur obedire. Ut hæc inſtitutio fixa & immobilis permaneat, omnes quicumque eam perverterint, vel abſque congrua diſpenſatione immutaverint, in facie totius eccleſiæ noſtræ coram altari B. Laurentii in præſentia abbatis S. Jacobi & de *Gemblues*; quorum ſigilla præſenti cartæ appoſita ſunt in teſtimonium, clericis & laicis aſtantibus, ſub interminatione anathematis in perpetuum innodavimus.

Actum anno ab Incarnat. Domini MCXCVII. ſub teſtimonio Roberti prioris S. Laurentii, Godeſcalci, Alberti cantoris, Henrici capellani, Marci & Brunonis, Gerardi de *Butheſele*; Henrici camerarii, Lowici cellerarii, & totius conventus noſtri, ſub teſtimonio prædictorum abbatum S. Jacobi & de *Gemblues*, magiſtri Radulphi de S. Paulo, Arnolfi villici S. Laurentii, Anſelmi, Everlini, Wacheri & aliorum multorum.

XIII. LITTERA GUIDONIS LEGATI de bonis S. Nicolai in Glano.

GUIDO miſeratione divina Preneſtinus epiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus univerſis Chriſti fidelibus ad quos litteræ præſentes pervenerint ſalutem in vero ſalutari. Cum ex officio ſollicitudinis noſtræ pro poſſe noſtro promotioni eccleſiarum debeamus adeſſe, & juſtis poſtulationibus petentium nos benignos exhibere, ad petitionem & inſtantiam eccleſiæ Leodienſis, multorum honeſtorum virorum uſi conſilio, cum dilecto filio BALDUINO magno cruceſignato duximus miſericorditer agendum, & ejus votum quod minus commode adimplere potuit, propter plurima impedimenta & corporis ſui incommoditates concomitantes, eum abſolvere a voto quod fecerat ad terram Hieroſolymitanam in aſſumtione crucis decrevimus: ita quod quidquid poſſidebat extra civitatem Leodienſem, nominatim ſexaginta bonaria terræ, vel plura in *Ans*, in *Bolezeies*, in *Montegneies* jacentia eccleſiæ beati Nicolai in Glano, quæ prius paupercula extiterat, ad relevandam eam & ſuſtentandos monachos in ea Deo ſervientes erogavit, & plura quæ eſt in poſterum habiturus. Quod quidem fecimus, ut ita prædictæ pauperculæ eccleſiæ per ipſum Balduinum ſubveniretur, & Deo honeſte ibi ſerviretur. Idcirco univerſitati veſtræ mandamus, ut præfatum Balduinum ſuper hoc totum liberum & abſolutum habeatis, inhibentes diſtrictius auctoritate legationis qua fungimur, ne quis eum ſuper hoc in poſterum moleſtare præſumat. Et ut acta noſtra rata & ſtabilia permaneant, ipſi Balduino hanc paginam ſigillo noſtro roboratam in teſtimonium duximus concedendam.

Datum Leodii anno Incarnationis Domini MCCIII. VIII. idus Decembris in die S. Nicolai.

XIV. DE S. NICOLAO IN GLANO.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Walterus major decanus & archidiaconus & univerſi majoris eccleſiæ in Leodio priores omnibus præſentem paginam inſpecturis in perpetuum.

Quoniam facta hominum ſolent plerumque per oblivionem deleri, vel per occaſionem e ſtatu ſuo dejici & expelli, neceſſe eſt ea multiplici munimine roborari. Ea propter præſenti ſcripto ad memoriam omnium reducimus, quod BALDUINUS magnus & uxor ejus IDA pio æſtuantes deſiderio, quicquid in Bolzeis, vel extra civitatem uſquam tam in carrucis quam in terris ſeu ædificiis dinoſcuntur poſſidere ob ſalutem animarum ſuarum eccleſiæ S. Nicolai contulerunt, & ſuper altare in eleemoſynam reportaverunt, & omnes quicumque prædictam eccleſiam ſuper eadem eleemoſyna moleſtare præſumſerint tam in eccleſia S. Laurentii quam eccleſia S. Nicolai excommunicari fecerunt, volentes ex ipſa eleemoſyna altare in medio ejuſdem eccleſiæ conſtrui, & duos monachos Deo ibidem ſervituros in perpetuum ſuſtentari. Actum eſt hoc anno Dominicæ Incarnationis MCCII. indictione VI. & ut hoc factum ratum & inconvulſum permaneat, nos Walterus major decanus ad confirmandam veritatem præſenti paginæ ſigillum meum cum ſigillo majoris eccleſiæ appoſui, appoſitis eccleſiæ S. Laurentii & abbatis ejuſdem eccleſiæ ſigillis: hujus rei teſtes ego Walterus decanus major & archidiaconus, Helyas de *Builhon*, Henricus cantor, Heinricus Foſſenſis præpoſitus, Lambertus præpoſitus S. Petri, Liebertus præpoſitus ſancti Martini, Thomas præpoſitus ſanctæ Crucis. De fratribus eccleſiæ S. Laurentii domnus OTHO abbas, Robertus prior, Albertus cantor, Heinricus camerarius, Lodowicus cellerarius. De militibus Liebertus & Rigoldus, Humbertus & Faſtradus de *Leſchi*, Gerardus de *Hoſemont*, Razzo de *Warfizée*, & Lambertus frater ejus. De miniſterialibus eccleſiæ S. Laurentii Arnulphus villicus, Anſelmus, Everelinus, Walcherus & omnes alii.

XV. CONFIRMATIO ET ACCEPTATIO dictæ donationis ex parte Othonis abbatis ſancti Laurentii Leodienſis, ejuſque conventus.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. OTHO abbas eccleſiæ S. Laurentii, Robertus prior totuſque ibidem conventus, omnibus veritatem diligentibus in perpetuum. Ut firmum ſit & ſtabile, nullaque in poſterum occaſione turbetur quod rationabiliter actum eſſe dinoſcitur, præſenti ſcripto omnium memoriæ tradimus, & ſigillorum noſtrorum munimine confirmamus BALDUINUM & uxorem ejus IDAM inſtinctu Dei ob ſalutem animarum ſuarum eccleſiæ S. Nicolai contuliſſe & ſuper altare reportaſſe quidquid apud Bolzeis, vel extra ſepta civitatis uſquam in carucis, terris, ſeu ædificiis dinoſcuntur poſſidere; unde altare in medio eccleſiæ conſtrui, & duo monachi debent ſuſtentari. Singulis vero annis de his omnibus percipient ſex modios ſiliginis, & totidem ſpeltæ & viginti ſolidos, donec eccleſia S. Nicolai triginta tres marcas de reſiduo collegerit. Quibus collectis, prædicti Balduinus & Ida omnium bonorum quæ S. Nicolao contulerunt, quoad vixerint, fructus percipient. In his quoque triginta tribus marcis octo marcæ accipientur, & ad comparandos aliquos reditus deducentur illis ſimiliter toto vitæ ſuæ tempore percipiendos. Altero vero illorum decedente eccleſia S.

Laurentii medietatem reditnum qui comparabuntur de octo marcis prædictis ad celebrandum ejus anniversarium accipiet. Altero quoque defuncto, eadem ecclesia utrique in plena possessione reditnum quos contigerit de octo marcis comparari ad faciendum utriusque anniversarium succedet. Actum anno Incarnationis Dominicæ MCCIII. indictione VI. Testes sunt de ecclesia majori dominus Walterus decanus major & archidiaconus, cujus sigillum cum nostris sigillis ad majorem cautelam præsenti paginæ appositum est. Testes etiam sunt Elias de *Builhon*, Henricus cantor, Henricus de *Marembais* Fossensis præpositus, Lambertus de *Wathar* præpositus S. Petri, Thomas præpositus S. Crucis. De ecclesia S. Laurentii testes Robertus prior, Godescalcus, Albertus cantor, Henricus camerarius, Lodowicus cellerarius. De militibus Liebertus, Rigoldus, Humbertus, Bastianus, & Fastradus. De ministerialibus S. Laurentii testes Arnolphus villicus, Anselmus, Wacherus, & alii.

BREVIS HISTORIA collegiatæ S. Petri Eyncurtensis ecclesiæ ad Lovaniensem S. Jacobi parochialem ecclesiam translatæ.

Auctore Adriano de Veteri-busco monácho S. Laurentii Leodiensis.

Ex ms. codice S. Laurentii Leodiensis.

De sancta Ragenulfa.

1. TEmpore Dagoberti regis Francorum & filiorum ejus Clodovei & Sigeberti virgo Christi RAGENULPHA sanctitate claruit in Gallia. Cujus pater Ayus mater vero Aya dicti sunt, ex quorum vocabulo *Ayoncourt* villa usque hodie nomen accepit. Quæ virgo gloriosa in *Brombays* nata fuit. Sed cum parentes ejus eam nuptui tradere vellent, clam cum nutrice sua fugit, & in loco quo adhuc in corpore habetur, diu latuit, ubi dum oraret, ad preces ejus fons erupit, qui usque hodie multis ægrotis confert remedia corporeæ sanitatis. Hujus sponsus, ut fertur, fuit Ebroinus, qui post a Theoderico rege Francorum majordomus effectus, totam Franciam perturbavit, S. Leodegarium martyrizavit, S. Lambertum de episcopatu suo expulit, & multa mala fecit. Ipseque a quodam improvise occisus, miserabiliter mortuus ad inferna sine pœnitentia descendit. Obiit autem beata Ragenulpha circa annum Domini DCVII. vel circiter, XIV. Julii. Cujus sacrum transitum cum parentes ejus cognovissent, corde compuncti, supra ejus tumulum procedente tempore ecclesiam construxerunt; in qua ipsius sacratissimæ virginis meritis usque hodie multa fiunt miracula, & ægrotantes recipiunt sanitatis remedia. Hæc patent in legenda ejus.

Ejus parentes collegium canonicorum erigere proponunt.

2. Anno Domini MXXXVI. quidam nobiles de Brabantia de progenie ipsius sacratissimæ virginis descendentes, accesserunt ad dominum REGINARDUM Leodiensem episcopum, & possessiones suas ad ipsius providentiam & dispositionem offerentes, rogaverunt ipsum, ut in ipsa ecclesia erigerent collegium duodecim canonicorum. Qui facta & accepta donatione, id se facturum spopondit, sed morte præventus, implere nequivit, quia eodem anno quinta Decembris ab hoc sæculo migravit, ut habentur hæc in littera quadam quæ continetur in archivis canonicorum Aycurienſium, quam litteram ego frater Adrianus vidi, legi, & manu tenui, sed copiam ejus non recepi.

Cujus prædia sibi retinent epiſc. Leodienſes.

3. Defuncto igitur domino Reginardo, NITARDUS nepos ejus in episcopatu succedens, præscriptis nobilibus defunctis, eas-dem possessiones applicavit sibi, & jure episcopali possedit. Similiter successor ejus dominus WAZO qui centum & quinque annis vixit, de quo scribitur iste versus.

Ante ruet mundus, quam surgat Wazo secundus.

Wazoni successit in episcopatu dominus THEODWINUS, qui similiter istas possessiones jure episcopali retinuit. Quibus temporibus erat in cœnobio sancti Laurentii prope muros Leodienses abbas quidam nobilis genere, sed ignobilis moribus, Wolbodo nomine, qui in superbiam elatus, eo quod S. Wolbodo fuerat avunculus matris suæ, & venerabilis dominus Reginardus patruus patris sui, bona monasterii in sæculares pompas expendebat, & in feudum diversis personis distribuebat. Cum vero post obitum domni THEODWINI domnus HENRICUS qui dictus est Pacificus, in episcopum fuisset electus, & a S. ANNONE archiepiscopo Colonienſi in episcopum consecratus, dixit ei sanctus archiepiscopus: Per benedictionem, inquiens, patris tui Annonis, obtestor te, ut destruas superbiam & insolentiam abbatis S. Laurentii prope Leodium Wolbodonis. Receptus igitur dominus HENRICUS Leodii in episcopum, vocavit ad se abbatem Wolbodonem, & admonitum semel, bis ac tertio, cum incorrigibilis esset, eum ab abbatiali dignitate vocata synodo deposuit, & virum venerabilem domnum BERENGERUM priorem S. Huberti in abbatem præfecit. At quoniam prædictus Wolbodo multa damna monasterio intulerat, domnus Henricus episcopus dictas possessiones Deo & sancto Laurentio obtulit, ut sicut suæ dispositioni fuerant subditæ, sic sub abbatis S. Laurentii sint providentia & dispositione, faciendo de ipsa donatione litteram & cartam, secundum morem tunc consuetum. Cujus tenor sequitur in hæc verba.

4. *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.*

Carta Henrici epiſcopi prædicta prædia S. Laurentio offerentis.

HENRICUS *Dei gratia Leodienſis epiſcopus, omnibus qui ſunt & erunt eccleſiæ filiis, ſalutem in* CHRISTO JESU.

Gratia Dei præveniente, quidquid conamur in bono opere, ad laudem & gloriam nominis Domini nos oportet facere. Et quia maxime de animarum noſtrarum ſalute nos convenit ſollicitos eſſe, dignum eſt præcipue illa nos curare quæ pertinent ad cultum ſacræ religionis. Quia etiam incomparabile lucrum eſt pro terrenis cæleſtia, pro tranſitoriis mercari æterna, convenit nos illis præſtare temporalia, qui nobis reddant æterna; hic nobis illos amicos facere, qui nos deficientes in æterna tabernacula poſſint recipere. Hæc & multa alia reputans mecum, ego HENRICUS *Dei dono Leodienſis epiſcopus, de peccatis meis plus timui condemnari, quam de bonis operibus juſtificari, cum ceteris ſanctis S. Laurentium parans mihi patronum, exemplo prædeceſſorum meorum, quorum alii tam ejus quam alias ſacras intra & infra urbem noſtram conſtruxere baſilicas, & multis poſſeſſionum reditibus honeſte nobilitaverunt, & Deo ſervientes deputaverunt: alii eccleſiis ab aliis conditis, ubi minus quod ſufficeret erat, neceſſaria contulerunt de his quæ ſibi ſuperabundabant. Pro ſalute animæ meæ tradidi eidem S. Laurentio medietatem eccleſiæ de* Ayoncourt, *& dimidium allodium, &* Brombais, *quæ ſitæ ſunt in comitatu* Donglebert, *cum omnibus pertinentiis ſuis, & Holtam, quæ eſt in comitatu* Steppes *cum appenditiis ſuis, &* Hyrberge *cum integra eccleſia & omnibus pertinentiis ſuis in comitatu* Anſguers, *& aliam eccleſiam integram de* Opprenbays *cum quarta parte allodii, ita ut ſicut res ipſius eccleſiæ meæ diſpoſitioni erant ſubditæ, ſic ſub abbatis S. Laurentii ſint providentia & diſpoſitione. Quod ut ratum & inconvulſum ſit, precamur & obteſtamur per miſericordiam Dei omnes ſucceſſores noſtros, & ſub interminatione perpetui anathematis inhibemus, ne cui liceat hanc noſtram traditionem inde revellere, neque in ſuos uſus redigere, vel alio transferre, vel per dolum aut violentiam occupare, neque in beneficium dare, neque precariam vel commutationem facere. Quod qui præſumſerit, cum diabolo & omnibus ſequacibus ſuis, ſubjaceat æternæ maledictioni. Quia vero dicta vel facta litteris mandata melius in memoria retinentur, cartam hujus traditionis conſcribi, & ſigillo noſtro juſſimus ſignari, & teſtes idoneos, tam canonicos quam laicos ſubter annotari.*

Godeſcalcum archidiaconum, item alium Godeſcalcum archidiaconum, Herimannum archidiaconum, Levoconem præpoſitum, Henricum præpoſitum, Robertum S. Mariæ præpoſitum, Franconem Scholaſticum, Godeſcalcum capellanum, Thiebaldum capellanum; laicos ingenuos Heinricum comitem, Cunonem comitem, Godeſcalcum de Cinnei, Lambertum filium Lamberti de Foron, Lambertum de Kamont, Walterum de Holois, Franconem de Hendrekines.

Actum Leodii VII. *cal. Januarii, anno ab incarnatione Dominica* MLXXIX. *indictione prima, anno Heinrici Romanorum regis* XXVI.

Sic patet quod prædictas poſſeſſiones epiſcopi Leodienſes tenuerunt jure epiſcopali per XLII. annos. De hoc in martyrologio monaſterii S. Laurentii ſic ſcribitur & legitur uſque hodie.

Secundo calendas Junii commemoratio domini HENRICI dicti PACIFICI, Leodienſis epiſcopi, qui dedit S. Laurentio eccleſiam de *Ayoncourt*, & mediam partem villæ, cum omnibus appenditiis ſuis.

Sed Beringerus abbas ibi collegiũ XII. canonicorũ inſtituit.

5. Domino Heinrico ſucceſſit in epiſcopatu Leodienſi dominus OBERTUS; ad quem accedens prænominatus dominus BERINGERUS abbas S. Laurentii, quia vir bonus & religioſus erat, aperuit epiſcopo mentem ſuam, ſupplicando eidem quod votum præſcriptorum nobilium dignaretur implere, quia videretur ſibi, quod monaſterium S. Laurentii illas poſſeſſiones non deberet retinere. Epiſcopus reſpondit ſe gratum habiturum quidquid per ipſum abbatem inde fuiſſet ordinatum. Abbas vero apud quoſdam nobiles ſcilicet Anchelmum & Rodulphum, multum inſtetit, ut ad erectionem collegii XII. canonicorum in eccleſia S. Petri Ayncurienſis juri ſuo quod habebant, tam in parte decimarum quam in reditibus poſſeſſionum prædictarum, renuntiare vellent, & conferre in ſtipendiis canonicorum inſtituendorum. Quod tandem impetravit, & ſic prædictus abbas ibidem collegium canonicorum inſtituit, prædictas poſſeſſiones, quæ circa locum ipſum erant, eis pro præbendis aſſignando, excepto jure patronatus, præeminentiæ, prælationis & juriſdictionis, ac dimidii allodii cum cenſibus & caponibus, quæ omnia & ſingula dominus OBERTUS epiſcopus gratificavit & approbavit, & in ſynodo Leodienſi quidquid juris ipſe vel archidiaconus in prædicta eccleſia S. Petri de *Ayoncourt* habuerant vel uſurpaverant exfeſtucavit, ut deinceps ſoli prælato ſuo abbati S. Laurentii de omnibus reſpondeant, tam de corporali ſtipendio, quam de animarum ſuarum negotio, excepto parochiali preſbytero. Et hæc omnia per has litteras ſuas confirmavit.

Cujus inſtitutionem cõfirmat Obertus.

6. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, præſentibus & futuris approbandum teſtimonium veritatis. Sicut ſeras portarum ſanctæ eccleſiæ, quas Dominus ſemel ſua confortavit benedictione, profanari ulterius & excidi fas non eſt, ſic omne quod per eas legitimo ordine ſemel admiſſum vel remiſſum eſt, caſſari vel immutari illicitum eſt. Unde ego* OBERTUS *gratia Dei epiſcopus, libertatem eccleſiæ ſedis de* Ayoncourt, *ſedens in portis hujus eccleſiæ Leodienſis, id eſt in generali conventu archidiaconorum, & omnium per quorum ora manuſque quæcumque rata eſſe cupimus, in ſtatum perpetuum, tranſfigenda ſunt, legitime definivi, &*

præsenti scripto cum sigilli mei attestatione affir- A *mavi, videlicet ut sit libera ab omni obsonio, vel tractatura, cunctoque in ejusmodi servitio. Ut deinceps soli prælato suo, scilicet abbati S. Laurentii, canonico more de omnibus respondeat sine dubio, parte quoque Anchelmi liberi hominis nullatenus excepta. Nam cunctis laudantibus immo & postulantibus, atque judicantibus, præpositus Fredericus, idemque ejusdem loci archidiaconus quidquid in ea juris habebat, in me reposuit, ut de cunctis illam absolverem propriæ ditioni S. Laurentii. Et ego de meo quoque jure cedens, ex integro illam canonica libertate constitui, ut de cetero illis nemo molestus* B *sit, quia videlicet cum sint clerici canonicæ professionis, proprium habentes prælatum, extra ipsum nulli responsuri sunt, sive de corporali stipendio suo, sive de spiritali animarum suarum negotio. Presbyter solus quemcumque ipsi parochiæ dederint, ut per legitimum intret ostium, adducetur per ipsos ad archidiaconum, & de manu ipsius accipiet spiritualis curæ donum & bravium, responsurus illi in suo concilio solummodo de ipsa cura animarum populorum; & in perpetuum ejusdem libertatis testimonium, illud quoque servabitur eis, quod* C *chrisma & oleum accipient de manu episcopali, id est a custode S. Lamberti. Ratum itaque hoc & inconvulsum permanere hinc usque in generationes omnes agentium auctoritas... expellit. Immo ipse Christus, quo præsidente vel mediante actum est, sicut ipse ait,* Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Christus, inquam, qui opera manuum nostrarum præveniens pariter & subsequens, dirigit super nos hoc quod per nos digne ad honorem ipsius factum est, firmum at-* D *que perpetuum omni calumnia perpulsa custodiat.*

Actum anno Dominicæ Incarnationis MCXII. *indictione* V. *imperante Henrico quinto, anno regni ejus sexto, episcopatus autem nostri* XXI.

Testes idonei, qui præsentibus interfuere, sunt ii quorum mortuorum quoque nomina non solum monumento, sed & splendori erunt huic attestationi.

Fredericus S. Lamberti præpositus, ejusdemque, ut jam dictum est supra, memorati loci archidiaconus, Henricus decanus pariter & archidiaconus, Henricus nepos ejus archidiaconus; E *& Fossensis præpositus: Adelmannus archidiaconus, idemque Nivigellensis præpositus, Alexander archidiaconus, qui & custos S. Lamberti præpositusque S. Bartholomæi; Andreas archidiaconus & præpositus sancti Petri; Lambertus S. Martini præpositus; Liezelinus præpositus S. Crucis; Seifridus S. Johannis, Stephanus Scholasticus, Algerus, Nicolaus, Emmo, Reimbaldus, Wilhelmus, & reliqui.*

De nobilibus autem viris, GODEFRIDUS *comes Namurcensis,* ARNULPHUS *comes Lossensis,* GHISELBERTUS *comes de Durate,* LAMBERTUS *comes de Monte-acuto,* REYNERUS *advocatus, & filius ejus Wigerus, Lambertus de* Dyepenbech, *Reimbaldus* de Visterin, *Boso* de Barche *& alii.*

De familia quoque episcopi Theodericus de Ponte, Lambertus dapifer, Guarnerus pincerna, & alii multi synchronomi BERINGERI *abbatis S. Laurentii, cujus in manu donum prædictæ libertatis posui, cum parte, ut prædictum est, Anselmi & Rodulphi.*

Collegium illud subjectum fuit S. Laurentio.

7. Sic patet quod monasterium S. Laurentii præscriptas possessiones possedit & tenuit XXXII. annis ante erectionem ipsius collegii, fuitque ipsum collegium Ayncurienſe subjectum dominis abbatibus S. Laurentii, tamquam suo proprio prælato, quemadmodum collegium sancti Gengulphi Florinensis subjectum est abbati de Florinis. Sed quia *Ayoncourt* longe distat a monasterio, consensu abbatum habuerunt superiorem unum sub abbate, quem aliquando præpositum, aliquando decanum vocaverunt.

In feretro autem sanctæ virginis Ragenulphæ infixa habetur littera sigillata duobus sigillis, quorum unum est abbatis, talis tenoris.

* *Anno ab Incarnatione Domini* MCCCXCI. *dominus* BALDUINUS *abbas S. Laurentii, anno ordinationis suæ tertio; rogatus a subjectis sibi hujus ecclesiæ canonicis, techam pretiosas sanctæ Ragenulphæ virginis reliquias continentem, præsente multa cleri & populi frequentia, aperuit, & ad majorem fidei ac devotionis confirmationem, celebrata solemniter ostensione reliquiarum, & annuntiatis, quæ patrata erant, recenter miraculis, eas in loculo alio decentius ac diligentius relocavit.*

Contentio de dono Scholastriæ & alia.

8. Procedente tempore inter dominum abbatem S. Laurentii & præpositum de *Ayoncourt* orta est quæstionis materia de dono scholastriæ. Sed cum prædicta causa in generali synodo fuisset proposita, hi qui super hoc judicare habebant, universa jura ecclesiæ de *Ayoncourt*, tam in dono scholastriæ, quam altarium seu præbendarum, eidem præposito abjudicaverunt, hæc omnia ad jurisdictionem abbatis pertinere asserentes: ut patet in littera inde data anno MCII. cujus copia sequitur.

9. *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.*

Quæ adjudicantur abbati S. Laurentii.

Quoniam ea quæ fiunt in tempore simul evanescunt cum tempore, ars sibi humana tale reperit subsidium, ut quod memoriæ vellet reservare, scripto commendaret. Ea propter præsenti scripto notum sit præsentibus & futuris, quod cum olim inter abbatem S. Laurentii in Leodio & Gerardum præpositum de Ayoncurte, controversia aliquandiu ventilata esset, super dono scholastriæ de Ayoncuria, & super quibusdam ad jurisdictionem abbatis pertinentibus, quæ præpositus memoratus nitebatur usurpare: tandem post diutinam verborum ventilationem, ad querimoniam abbatis in generali synodo factam, coram domino H. Leodiensi episcopo, prædictus præpositus ad hoc inductus est, quod coram mul-

tis viris litteratis & honestis juravit stare judicio capituli sui, super his quæ proposuerat adversus eum sepedictus abbas. Cum igitur hi qui super hoc judicare habebant, in præsentia abbatis judicaturi convenissent, tam per privilegia ecclesiæ S. Laurentii, quam per viva seniorum testimonia virorum, de veritate plenius instructi, universa jura ecclesiæ Ayncuriensis quæ supradictus præpositus sibi injuste vindicare attentaverat, tam in dono scholastriæ, quam alterium seu præbendarum, eidem præposito abjudicaverunt, hæc omnia ad jurisdictionem abbatis S. Laurentii pertinere asserentes.

Hoc itaque præpositus acceptans, coram quibusdam de canonicis de Ayoncuria, & nonnullis personis probis & honestis, quæ aderant, universa jura, quæ ecclesia S. Laurentii in ecclesia de Ayoncuria prius possederat, recognovit, & se ipsa conservaturum fide interposita constanter asseruit. Hoc vidit & audivit major Leodiensis ecclesia, cujus sigillo cum sigillis ecclesiarum S. Laurentii de Ayoncourt *præsens pagina, ad confirmandam rei veritatem est munita. Testes de majori ecclesia dominus Walterus decanus major & archidiaconus, Bartholomæus, Rodulphus, Adulphus, & Johannes archidiaconi, Hermannus, Helias, Henricus cantor, Henricus Fossensis præpositus, Lambertus præpositus S. Petri in Leodio, Thomas præpositus S. Crucis, & universa major ecclesia.*

De clericis ecclesiæ S. Laurentii fidelibus, Richerus decanus, magister Rodulphus, Otto cellerarius, Petrus canonicus S. Pauli, Osto scholasticus S. Martini, Nicolaus cellerarius S. Crucis, & alii quamplures. De clericis Brabantiæ magister Reinerus de Hugardis, Engelbertus Tenensis decanus, & alii multi. De ecclesia S. Laurentii Robertus prior, Godescalcus eleemosynarius, Albertus cantor, Ludovvicus cellerarius, Henricus camerarius & omnes alii canonici de Ayoncuria, Gislebertus, Radulphus, Sixtus, Gerardus, Vernerus, & Libertus.

Actum anno ab Incarnatione Domini MCCII. *indictione* V. *sub domino* HUGONE *Leodiensi episcopo, pontificatus ejus anno primo.*

Reinaurantur ecclesia Ayncurtis.

10. Anno Domini MCCXLV. canonici ecclesiæ Aycurienſis volentes occurrere defectibus ædificiorum ecclesiæ suæ, & facta una littera pro impetrandis eleemosynis Christi fidelium, ad ædificandam novam ecclesiam in loco ipso, venerunt ad abbatem sancti Laurentii, tamquam ad proprium prælatum suum, petentes ejus consensum & assensum. Quem in ipsis litteris suis nominant patronum suum. Qui dominus abbas concessit omnibus ad fabricam prædictæ ecclesiæ contribuentibus, participationem omnium bonorum operum monasterii sui.

Ubi notandum est, quod tunc canonici prædicti, mutato nomine præpositi, superiorem suum, quem sub abbate habebant, more aliarum ecclesiarum appellant decanum. Satis probabile videtur quod prædicti canonici illis temporibus, secundum morem aliarum ecclesiarum collegiatarum, quæ sub abbatibus, tamquam suis propriis prælatis sunt, capitula sua in monasterio certis temporibus faciebant, in quibus dominus abbas præsidebat, sicut adhuc fit in Gandavo & in Florinis, usque ad desolationem monasterii S. Laurentii propter defectum regiminis & laxiorem vitam prælatorum & monachorum, quo tempore ab obedientia abbatum se subtraxerunt, & sibi statuta condiderunt, & locum capitularem, quem forte prius in monasterio habuerant, in hospitali supra Mosam sito, quod modo dicitur ad Catenam, sibi statuerunt, vel forte præcedenti tempore eis ab abbatibus prædictis locus fuit assignatus. Unde in antiquiori regiſtro monasterii S. Laurentii habetur copia unius litteræ hujus tenoris.

Wericus abbas jubet subtrahi præbendam canonico excõmunicato.

11. WERICUS *Dei patientia abbas monasterii S. Laurentii juxta Leodium, decano Ayncurienſi salutem.*

Constat nobis per litteras curiarum Parisiensis & capituli Leodiensis, quod magister Thomas de Parma canonicus Ayncurienſis ab anno citra fuit & est excommunicatus denuntiatus auctoritate curiæ Parisiensis ad instantiam magistri Jacobi de Vercellis, occasione XXV. *librarum Parisiensium, quas se debere recognovit magistro Jacobo ex causa mutui coram officiali memorato: verum cum secundum canonicas sanctiones, proventus ecclesiastici merito subtrahantur illi, cui ecclesiæ communio denegatur, mandamus vobis quatenus quoscumque fructus, reditus & proventus ei debitos ratione suæ præbendæ, & penes quoscumque firmarios trecensiarios ecclesiæ Ayncurienſis, seu quoscumque alios existentes, inbanniatis, subtrahatis, & etiam arrestetis auctoritate nostra, intimantes eis, apud quos sunt fructus, reditus & proventus hujusmodi, ut eidem magistro Thomæ nihil refundant de eisdem, quousque absolutionis suæ beneficium meruerit obtinere. Quod si secus factum fuerit, liberationem procurans, exinde minime consequetur, sed etiam compellemus & etiam compelli faciemus per censuram ecclesiasticam, & si opus fuerit per justitiam secularem, ad hoc quod fructus, redditus & proventus hujusmodi restituantur illi seu illis cui vel quibus restituere tenebuntur. Et quid inde feceritis aut factum fuerit, & responsiones eorum nobis liquide describatis.*

Datum anno Domini MCCCV. *feria* IV. *post Dominicam* Oculi mei.

Monachi S. Laurentii dispersi.

12. Iste abbas WERICUS præscriptus fuit ab episcopo Leodiensi captus, & positus in castro Cornelii-montis, & monachi dispersi fuerunt, & episcopus posuit administratores extraneos rerum monasterii, quod valde lamentabile fuit & dolendum, & cessit in maximum scandalum & damnum monasterii, ut patet cuilibet sapienti, & hoc non per unum annum, sed quasi per XL. annos & ul-

tra continue. Nec mirum ſi tunc canonici de *Ayoncourt* ſubſtraxerunt ſe ab obedientia abbatum, cum vix inveniretur aliquis portans nomen abbatis.

Canonici nova edunt ſtatuta.

13. Anno Domini MCCCLV. canonici *Ayncuriæ* ediderunt ſtatuta, quæ hic ante habentur deſcripta, in quibus tum ſtatutum eſt, quod ſex canonici principales habent eligere decanum ipſius eccleſiæ, & electum habent præſentare domino abbati S. Laurentii Leodienſis, qui quidem dominus abbas habet eum confirmare. Et ſic obſervatum fuit uſque ad annum circiter MCCCCXLV. Tunc mortuo decano, canonici Ayncurienſes congregati in hoſpitali ad Catenam, elegerunt magiſtrum Johannem de *Harſay* canonicum S. Martini Leodienſis in ſuum decanum, quem hora veſperarum præſentaverunt domino HENRICO DELLE CHERAUX, abbati S. Laurentii ad confirmandum. Ipſe abbas, neſcio cujus conſilio, petivit immoderate vinum ſuum, unde inter dominum abbatem & ipſum electum, & præcipue inter abbatem & dominum Henricum de Longavilla fuerunt verba rigoroſa de ſimonia. Quapropter dominus abbas, citatis canonicis Ayncurienſibus, & his qui cum eis venerant, remiſit cauſam ad ſummum pontificem; ſed magiſter Johannes *Harſay* ſegniter defendit ſe, & dominus de Longavilla decanatum impetravit. Qui cum veniſſet cum bullis ſuis ad Leodium, quæſivit conſilium a domino decano S. Petri, qui, ſicut ipſe mihi retulit, reſpondit ſibi, quod ex quo ſibi proviſum fuiſſet per ſummum pontificem, ad quem dominus abbas cauſam remiſiſſet, ipſe non teneretur ſe abbati præſentare, quia ejus confirmatione non indigeret. Et ſic ſe non præſentavit domino abbati; magiſter Johannes de *Harſay* nihil habuit, & quamdiu vixit domino abbati derogavit.

Bulla tranſlationis collegii Ayncurienſis ad urbē Lovaniū.

14. NICOLAUS *epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio archidiacono eccleſiæ Cameracenſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

Romani pontificis providentia conſpecta circa eccleſiarum omnium ex alto ſibi commiſſarum ac perſonarum inibi divinis obſequiis deditarum ſtatum in melius proſperandum, prout ſibi ex debito paſtoralis incumbit officii, diligenter intendit, & quæ inibi ad Dei laudem divinique cultus propagationem proſpicit redundare, affectu benivolo promovere ſtudet, ſtatum hujuſmodi eccleſiarum alterando, & immutando, prout locorum, rerum & perſonarum, circumſtantiis provide penſatis, id conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Philippi ducis Burgundiæ nobis nuper exhibita petitio continebat, quod collegiata eccleſia loci de Eyncourt *Leodienſis diœceſis temporali dominio ipſius ducis ſubjecti, in loco campeſtri, & a bonis oppidis multum remoto, in quo armigerorum curſus ſæpe fuit, ac populus ſatis rudis conditionis converſatur, conſiſtit. Propter quod dilecti filii decanus & capitulum ipſius eccleſiæ variis pleremque perplexitatibus afflicti, apud dictam eccleſiam commode & ſecure reſidere, ac Altiſſimo ſub tranquillo ſtatu famulari, nec non res humano uſui neceſſarias propter diſtantiam hujuſmodi habere non poſſunt, in non modicum decani & capituli prædictorum deſolationem ac divini cultus detrimentum. Verum ſi collegium prædictæ eccleſiæ ad parochialem eccleſiam S. Jacobi oppidi Lovanienſis, quod inſigne admodum & notabile exiſtit, transferretur, ipſaque parochialis eccleſia in collegiatam eccleſiam erigeretur, ac omnibus inſigniis collegialibus, quibus ipſa eccleſia de* Eyncourt *decorata exiſtit, pariformiter decoraretur, hoc profecto cederet in augmentum divini cultus, & ad honorem præfati oppidi, ac etiam ad ſalutem plurimorum. Præfatus quoque dux magnam exinde conſolationem ſuſciperet. Quare pro parte dicti ducis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut collegium ipſum de prædicta eccleſia loci de* Eyncourt *ad præfatam eccleſiam oppidi Lovanienſis transferri, ipſamque parochialem eccleſiam in collegiatam eccleſiam erigi, & inſigniis collegialibus hujuſmodi decorari, mandare, aliaque in præmiſſis opportuna providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos itaque de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi, & poſtquam, vocatis dilectis filiis decano & capitulo dictæ collegiatæ eccleſiæ loci de* Eyncourt, *ac aliis qui erant evocandi, tibi de præmiſſis omnibus & ſingulis legitime conſtiterit, ipſorumque decani & capituli, ac aliorum quorum intereſt, ad id expreſſus accedat aſſenſus, collegium ipſum cum dote ſua & omnibus & ſingulis inſigniis collegialibus, privilegiis, præeminentiis, juribus, libertatibus, & emunitatibus ipſi eccleſiæ de* Eyncourt *quomodolibet conceſſis transferri, ipſamque parochialem in eccleſiam collegiatam erigere, & hujuſmodi inſigniis decorare, nec non decanum, capitulum, & collegium hujuſmodi, in dicta parochiali eccleſia S. Jacobi inſtituere, nec non omnia alia quæ ad laudem omnipotentis Dei, animarum ſalutem, & cultus hujuſmodi augmentum neceſſaria noveris, ſeu quomodolibet opportuna ſtatuere & ordinare auctoritate noſtra procures, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, nec non ſtatutis & conſuetudinibus dictæ eccleſiæ de* Eyncourt *jurumento, confirmatione apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab apoſtolica ſede ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem quod ſi tranſlationem & erectionem*

ctionem hujusmodi per te vigore præsentium fieri contingat, ut præfertur, utriusque ecclesiarum prædictarum cura animarum parochianorum cum omnibus juribus suis solitis, ad singulos illarum rectores ac illarum successores divisim, prout hactenus consuetum est, perpetuo pertineat, & per eos exerceatur, & illarum consueta onera supportentur, ac deserviatur inibi laudabiliter in divinis. Quodque evocatio ac executio præsentium litterarum in dicta diœcesi, in qua, ut asseritur, tuam interdum facis residentiam, in loco ad id apto & idoneo fiant; alioquin littera ipsa & processus desuper habendi nullius sint roboris vel momenti.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIV. *septimo Kalendas Julii, pontificatus nostri anno* VIII.

Citatur omnes qui quos molestabat.

15. His ita gestis, primo impetratus est consensus domini de *Heynsberch* episcopi Leodiensis; & dominus NICOLAUS papa obiit anno MCCCCLV. in fine Martii, cui successit CALIXTUS tertius, cujus anno primo XXV. mensis Octobris, magister Antonius *Hanneron* præscriptus, ad instantiam domini Philippi ducis prænominati, citationem legitimam decrevit & concessit adversus venerabiles & discretos viros dominum abbatem S. Laurentii extra muros Leodienses, decanum de *Eyncourt*, decanum S. Petri Lovanienſis & eorum capitula, nec non parochialis ecclesiæ de *Eyncourt* & S. Jacobi rectores, omnesque alios & singulos sua communiter vel divisim interesse putantes. Quibus comparentibus, concepti sunt diversi tractatus tam inter collegiatam ecclesiam sancti Petri Lovanienſis, quam inter dominum abbatem S. Laurentii Leodienſis. Incolæ vero de *Eyncourt* in principio se non opposuerunt, postmodum toto conamine nisi sunt impedire, & sicut principalis eorum retulit, bene exposuerunt D. florenos. Tandem magister Antonius loco sui subrogavit magistrum Johannem de Lesura præpositum ecclesiæ B. Mariæ ad Gradus Moguntinensis, qui obtento consensu domni HENRICI DELLE CHERAUX abbatis S. Laurentii, litteras dedit sequentes, quibus continentur conditiones seu puncta concordatorum hujus translationis.

16. *Universis & singulis præsentes litteras inspecturis, lecturis & audituris, Johannes de Lesura præpositus ecclesiæ beatæ Mariæ ad Gradus Moguntinensis, & sacri palatii apostolici causarum auditor, judex & commissarius executionis negotii infra tacti auctoritate apostolica specialiter deputatus, assumtus pariter & electus, salutem in Domino cum notitia veritatis. Cum ea quæ ad honorem Dei omnipotentis, ejusque Filii unigeniti, & S. Spiritus, ejusque sanctissimæ genitricis Virginis Mariæ, ac ad divini cultus incrementum salubriter fuerint & ordinantur, perpetuis quoque desiderantes observari temporibus deceat, immo potius expediat studiosius scripturæ ministerio commen-*

dari, ne post longævi temporis intervallum ob memoriæ labilitatem in oblivionis atrio sepeliantur. Nuper siquidem felicis recordationis NICOLAUS *papa quartus, prout sibi ex debito pastoralis incumbebat officii, circa ecclesiarum quarumlibet ex alto sibi commissarum, & personarum divinis inibi obsequiis deditarum statum in melius prosperandum diligenter intendens, affectuque benivolo promovere desiderans, quæ inibi ad Dei laudem divinique cultus propagationem prospiceret conducenda, ipsarum statum ecclesiarum alterando & immutando, prout locorum, rerum & personarum provide pensatis circumstantiis id perspexerit in Domino salubriter expedire. Ad illustrissimi siquidem & invictissimi principis domini* PHILIPPI *divina favente clementia Brabantiæ & Burgundiæ ducis supplicationem, collegium ecclesiæ de* Eyncourt *Leodiensis diœcesis, ejusdem domini ducis dominio temporali subjectæ, vocatis tamen prius venerabilibus dominis decano & capitulo ipsius ecclesiæ loci de* Eyncourt, *& aliis qui forent evocandi, ac constito de assertis, & dummodo eorumdem dominorum aliorumque quorum intererat ad id expressus accederet assensus, cum dote sua ac omnibus & singulis insigniis collegialibus, privilegiis, præeminentiis, juribus, libertatibus & immunitatibus, ipsi ecclesiæ de* Eyncourt *quomodolibet concessis, ad ecclesiam parochialem S. Jacobi oppidi Lovanienſis dictæ diœcesis, quod insigne admodum & notabile existit, transferri, ipsamque ecclesiam parochialem S. Jacobi in collegiatam erigi, ac insigniis collegialibus hujusmodi decorari, necnon dictos dominos decanum & capitulum ipsius ecclesiæ loci de* Eyncourt, *& collegium hujusmodi in ipsa ecclesia S. Jacobi institui mandavit. Voluit tamen quod si translationem & erectionem hujusmodi fieri contingeret, ut præfertur, utriusque ecclesiarum prædictarum cura parochianorum cum omnibus suis juribus solitis ad singulos illarum rectores & earum successores, divisim, prout hactenus consuetum est, perpetuo pertineret, & per eos exerceretur, ac illarum onera consueta supportarentur, & deserviretur inibi laudabiliter in divinis, aliasque statuit, voluit & ordinavit, prout in litteris apostolicis desuper confectis & expeditis hæc & alia plenius continentur & habentur. Nos igitur Johannes de Lesura præpositus judex & commissarius antedictus, summo desiderantes affectu, ut translatio & erectio hujusmodi debitum sortiatur effectum, quoniam gratum quidem Deo & acceptum impertiri credimus famulatum, dum Christi fideles ad illa excitamus opera, quæ salutem conspiciunt animarum, exinde profecto ipsis dominis decano & capitulo suffragia provenirent quamplurima, fidelium devotio accresceret, oppidum Lovanienſe decoraretur, & salus utique prodiret animarum, cultus insuper divinus non modicum susciperet incrementum, per quem non tam vivis salus quæritur, quam mortuis cœlestis introitus aperitur, & beatorum*

in patria invaleſcit fruitio beatifica. Hinc eſt quod ad obtinendum benivolum conſenſum venerabilis patris domini HENRICI *abbatis S. Laurentii extra muros Leodienſes, ordinis S. Benedicti cujus tamquam collatoris præbendarum eccleſiæ ejuſdem loci de* Eyncourt, *tam ſuo quam ſucceſſorum ſuorum nominibus non parum intereſt, juxta pretactarum ſeriem litterarum apoſtolicarum procedere volentes, nonnulla rationi & æquitati conſona, amicitiæ quoque & tranquillitatis productiva appunctuamenta ſive capitula, prout in certa cedula papyrea, quam notario publico infraſcripto ad manus tradidimus, præſentibus inſerenda fecimus & concepimus, cujus quidem cedulæ tenor ſequitur ſub his verbis.*

Trãſlationis conditiones & pacta.

Primo quidem fiet hæc tranſlatio abſque aliquo præjudicio dicti domini Henrici moderni ac ſuorum in dicto monaſterio ſancti Laurentii ſucceſſorum abbatum, quibuſcumque dolo & fraude ſemotis.

Item & corpus beatæ Ragenulphæ virginis remanere debeat, prout eſt reconditum, in dicta eccleſia loci de *Eyncourt*, & in eadem eccleſia, quæ tunc ſolum curata & parochialis erit, cultus divinus decenter obſervabitur, juxta mores & conſuetudines aliarum eccleſiarum vicinarum, & exercitium curæ animarum incumbet curato ejuſdem eccleſiæ.

Item, quod eidem domino abbati & ſucceſſoribus ſuis pro tempore quæcumque jura, privilegia, libertates, & juriſdictiones, quæ eiſdem hactenus competierunt, puta eminentia, jus patronatus præbendarum ejuſdem loci de *Eyncourt*, etiam poſt tranſlationem dicti collegii ad dictam eccleſiam ſancti Jacobi Lovanienſis, penes eumdem dominum HENRICUM & ſuos ſucceſſores, pro tempore abbates remanebunt penitus illibata.

Item, & ſive præbendæ eccleſiæ ejuſdem loci tunc tranſlatæ vacaverint per mortem, reſignationem ſimplicem, ſive ex vi permutationum fiendarum, aut alias quocumque modo vacaverint; collationes ſive diſpoſitiones earumdem ſpectabunt ad ipſos dominos abbates pro tempore, prout hucuſque ſpectare & pertinere conſueverunt, atque ſpectant de præſenti.

Item, ſimiliter confirmatio electionis novi decani ejuſdem collegii tranſlati quoties caſus occurrerit, ad eoſdem dominos abbates pro tempore ſpectabit & pertinebit, prout & ſpectavit & pertinet, abſque contradictione dicti collegii aut præfati oppidi, aut alterius cujuſcumque.

Item, quod in eadem eccleſia tunc tranſlata ad ipſam eccleſiam ſancti Jacobi oppidi Lovanienſis, præbenda inibi, quæ dicitur domini abbatis, eidem moderno & ſucceſſoribus ſuis abbatibus dicti monaſterii pro tempore reſervabitur, illiuſque fructibus, redditibus & proventibus poterit uti pacifice & quiete, abſque contradictione dicti collegii, prout hactenus eiſdem uti conſuevit, & utitur de præſenti.

Item, quod gubernatores, burgimagiſtri, ſcabini & conſules ejuſdem loci, ſupradicta appunctuamenta ſive capitula jurabunt perpetuis, futuris temporibus rata, grata, firma atque ſtabilia inviolabiliter obſervare, quantum in eis eſt vel fuerit; nec contra ea ſeu eorum aliqua dicere, facere vel venire, neque privilegia impetrare ſeu impetrari facere, nec impetratis uti quoquomodo, quibuſcumque etiam dolo & fraude ſeclusis.

Item, & in evidens teſtimonium approbationis ſeu confirmationis præmiſſorum, procurabunt dicti gubernatores, burgimagiſtri, ſcabini, & conſules, per ſigillum ad cauſas dicti oppidi facere ſigillari atque corroborari.

Quæ quidem appunctuamenta ſive capitula, necnon omnia & ſingula ſupraſcripta nos Johannes præpoſitus, judex & commiſſarius prælibatus, tamquam rite & laudabiliter facta, rata & grata habentes, auctoritate apoſtolica qua in hac parte fungimur, ratificamus, laudamus, approbamus atque emologamus per præſentes.

A judice confirmantur.

Volumus inſuper quod ſpectabiles viri burgimagiſtri pro tempore pretacti oppidi Lovanienſis, pro pacis & tranquillitatis libertate fovenda, & ut partes hinc inde ab omnium, quæ jurgiorum in præmiſſis, ſeu turbationum poſſent occaſiones afferre, diſpendiis releventur, præſertim etiam ut jura, privilegia, juriſdictiones, præeminentia & libertates domini HENRICI *prædicti & ſucceſſorum ſuorum, pro tempore abbatum dicti monaſterii S. Laurentii, & utriuſque eccleſiarum prædictarum ſucceſſu temporis maneant illibata, promittent fide media loco juramentorum præſtandorum, tam ſuo quam oppidi prædicti, & ejuſdem futurorum rectorum, magiſtratuum, & conſulum ſucceſſorum, omnia & ſingula in litteris hujuſmodi ſupra deſcripta & contenta firmiter & inviolabiliter obſervare, nec contra ea ſeu aliquod præmiſſorum facere, dicere, vel venire directe vel indirecte, quavis occaſione, ratione, ſeu colore, dolo & fraude quibuſcumque in præmiſſis poſtpoſitis penitus & ſeclusis.*

In cujus rei teſtimonium veritatis præmiſſorum, præſentes litteras exinde fieri & per notarium publicum infraſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus, ſigillorumque noſtræ præpoſituræ, quo ad præſens utimur, necnon dicti oppidi ad cauſas per burgimagiſtros ejuſdem oppidi, in eorumdem juramentorum præſtationis ſignum, & ad futuram rei memoriam voluimus & fecimus appenſione muniri.

Datum & actum Lovanii in domo conſulatus ejuſdem oppidi, ſub anno a Nativitate Domini MCCCCLVI. *indictione* IV. *die vero* IX.

menſis Octobris, pontificatus SS. in Chriſto patris & domini noſtri CALIXTI *papæ tertii anno ſecundo. Præſentibus ibidem honorabilibus viris magiſtro Johanne* Lobbe, *in decretis licentiato, Gerardo de* Beauſſele, *dicti oppidi ſecretario, & Henrico* Vaſſout *clericis Leodienſis & Trajectenſis diœceſeon, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.*

Et me Johanne Boels *alias de* Kempenere *clerico Cameracenſis diœceſis publico apoſtolica & imperiali auctoritatibus notario. Quia præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſicut præmittitur per reverendum patrem dominum Johannem de Lyſura præpoſitum, judicem & commiſſarium præfatum, ac coram eo agerentur, ordinarentur, appunctuarentur, laudarentur ac gratificarentur, una cum teſtibus prænominatis interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi. Ideo præſentes litteras manu alterius, me aliunde legitime impedito, fideliter ſcriptas exinde confeci, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine mei ſolitis una cum ejuſdem domini præpoſiti judicis & commiſſarii, ac præfati oppidi ad cauſas ſigillorum appenſione ſignavi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium præmiſſorum.*

Et a burgimagiſtris Lovan. approbantur.

17. *Univerſis & ſingulis præſentes litteras viſuris, lecturis, & audituris; Nos burgimagiſtri, ſcabini & conſules oppidi Lovanienſis, Leodienſis diœceſis ſalutem in Domino ſempiternam. Noveritis quod litteras ſupraſcriptas vidimus & intelleximus, ac ſuper appunctuamentis & contentis in eiſdem nos informavimus diligenter. Et quia per informationem hujuſmodi comperimus omnia & ſingula in eiſdem contenta & deſcripta fore & eſſe rationabilia, rationi & æquitati conſona; ea propter omnia & ſingula, ac quæ circa illa a dicto R. P. domno Johanne de Læſura præpoſito judice & commiſſario concepta, facta & appunctuata ſive ordinata ſunt, prout in præſcriptis litteris ſupra continetur, rata, grata, firma & ſtabilia habentes ratificavimus, approbavimus & confirmavimus, ac in Dei nomine ratificamus, approbamus & confirmamus per præſentes. Promittentes tam noſtris quam ſucceſſorum noſtrorum pro tempore ejuſdem oppidi Lovanienſis burgimagiſtrorum, ſcabinorum & conſulum nominibus, ea omnia & ſingula futuris perpetuis temporibus firmiter & inviolabiliter obſervare, fide noſtra media loco juramenti per nos præſtiti. In cujus rei teſtimonium ſigillum ad cauſas dicti oppidi Lovanienſis præſentibus duximus apponendum. Datum anno Domini* MCCCCLVI. *menſis Octobris die nona.*

Abbas S. Laurentii confirmat electionem decani.

Anno Domini MCCCCLXX..... obiit..... decanus S. Jacobi Lovanienſis. Quapropter canonici in unum congregati, elegerunt dominum Petrum de *Corrys* primùm decanum collegii noviter per dominum Antonium de *Croye* inſtituti in oppido de *Arſchot*, quem ſibi præſentatum dominus ARNOLDUS LOEN abbas S. Laurentii confirmavit. Contra quem ſe oppoſuit magiſter Johannes *Steenvvinckel*, qui decanatum eccleſiæ S. Jacobi, tamquam principalem dignitatem, a ſummo pontifice impetravit. Cœpit igitur lis inter iſtos oriri. Quapropter cum dominus BARTHOLOMÆUS DE LONGO-CAMPO fuiſſet confirmatus & conſecratus in abbatem monaſterii S. Laurentii præſcripti, ipſe decanus electus & capitulum invitaverunt ipſum ad proceſſionem ſuam ſolemnem, quam annuatim faciunt ſecundum morem oppidi ex antiqua inſtitutione menſe Julio. Et contigit illo anno quod hæc proceſſio fieri habebat in vigilia S. Jacobi, quæ erat in Dominica. Placuit igitur domino abbati ire ibi multis ex cauſis. Cum autem intraſſet oppidum, intravit hoſpitium ad prandendum, quia jejunium erat de vigilia. Quod cum decanus & capitulum cognoviſſent, venerunt eum quæſitum ad ducendum ad domum ſuam: ſed dominus abbas ex quo fecerat parari in hoſpitio voluit ibi prandere. Et prandio facto, fuit ductus pro majori commodo ſuo, & quiete ad domum domini & magiſtri Henrici *Meys*, qui erat unus ex canonicis, & erant omnes canonici, tam præſentes reſidentes quam abſentes, ad illam diem vocati & congregati.

Et ſolemniter celebrat in eccleſia Lovanienſi.

Erantque cum domino abbate ibidem frater Adrianus de Veteri-buſco cantor, & frater Nicolaus *Live*, capellanus abbatis. Fecerunt igitur dominus decanus & capitulum domino abbati omnem ſubjectionem & reverentiam, rogantes eum ut placeret ſibi in eccleſia ſua ſancti Jacobi celebrare majorem miſſam, & ire cum eis ad proceſſionem, & annuit dominus abbas. Sed frater Adrianus requiſivit a decano & capitulo, an recognoſcerent dominum abbatem habere eamdem juriſdictionem & præeminentiam in eccleſia S. Jacobi, quam habuerant in eccleſia S. Petri Ayncurienſis. Reſponderunt quod ſic, & quod dominus abbas tamquam in propria eccleſia ſibi ſubjecta daret benedictionem ſolemnem infra officium miſſæ. Et quia ipſi ignorabant cerimonias conſueras fieri in obſequiis prælatorum, rogaverunt fratrem Adrianum prædictum, quod legeret Evangelium, & frater Nicolaus miniſtraret domino abbati, & magiſter Henricus *Meys* legit epiſtolam. Sic cum magna ſolemnitate totius collegii, & curatorum, dominus abbas celebravit miſſam, & portavit reliquias ad proceſſionem in medio duorum confratrum ſuorum. Burgimagiſtri & conſules propinaverunt domino abbati vinum. In craſtino, hoc eſt in die S. Jacobi, dicta per dominum abbatem majori miſſa cum eadem ſolemnitate, factoque prandio, receſſit verſus Eyncuriam. Capitulum autem ſolvit omnes expenſas domini abbatis cum comitiva ſua, factas tam in domo magiſtri Henrici *Meys*, quam in hoſpitio factas per familiares, & expenſas equorum. EXPLICIT.

NOTA

RERUM LEODIENSIUM
SUB JOHANNE HEINSBERGIO
ET LUDOVICO BORBONIO EPISCOPIS
OPUS ADRIANI DE VETERI-BUSCO
MONACHI SANCTI LAURENTII.

Ex MS. codice ſancti Laurentii Leodienſis.

OBSERVATIO PRÆVIA.

SANCTI Laurentii hiſtoriam poſt Rupertum & Reinerum non modo proſecutus eſt Adrianus de Veteri-buſco, ut ſupra oſtenſum eſt; ſed & ſequens eodem tempore opus edidit, quod eodem in monaſterio repertum inſcribere libuit: Rerum Leodienſium ſub Johanne Heinsbergio & Ludovico Borbonio epiſcopis. *Illud autem eo pluris æſtimandum cenſemus, quod nihil prorſus in illo videatur enarrare ſcriptor diligens & accuratus, quod non viderit ipſe, aut a teſtibus oculatis audierit. Certe ſi pauca demſeris, quæ initio profert ex Johannis Stabulai chronico auctoris coævi, anno* MCCCCXLIX. *defuncti, cetera fere omnia ex proprio Diario, in quod eventus rerum inſigniores referre quotidie ſolebat, deſumſit. Si quid autem alicujus momenti ex Diario hic prætermiſſum ſit, illud marginibus inferioribus inſerere duximus operæ pretium. Uſi vero ſumus codice, quem ipſum Adriani autographum eſſe docet margini addita ſequens inſcriptio:* Hucuſque præſens codex tranſcriptus ex autoprapho magno pergameneo venerabilis nonni Johannis Stabulai, quem qui voluerit, cum eodem pergameneo conferre (extat autem in hoc ipſo S. Laurentii monaſterio) reperiet hunc illi per omnia ac verbatim conformem. Porro ab hoc aſteriſco quæ uſque in finem ejuſdem codicis leguntur, ea ſunt per venerabilem nonnum Adrianum de Veteri-buſco, hujus ejuſdem S. Laurentii monaſterii religioſum profeſſum, atque eorum quæ plerumque ſcribit ſpectatorem, continuata & deſcripta manu ejus propria, in hoc eodem monaſterio ſatis nota: quam etiam me Daniele Raymundi in eccleſia cathedrali Leodienſi ad S. Maternum præſente memoriæ venerabilis nonnus Johannes Raymundi, non diu ante inſtantem ſui obitus diem, mente integer recognovit, præſente etiam fratre Abacuc Raymundi ibidem profeſſo ſacerdote ordinando anno Domini MDCXI.

Anno Christi MCCCCXXIX.

ANno MCCCCXXIX. menſis Januarii die undecima, quidam cives Leodienſes, qui limina S. Jacobi Majoris in Compoſtella viſitaverant, & ea ſingulari devotione, ad ejus venerationem ampliorem, de conſenſu domini abbatis S. Laurentii prope muros Leodienſes, ad pontem Auroti hoſpitale ad receptionem peregrinorum erexerant, capellam ibidem & altare conſecrari fecerunt.

De Villa in terra Lucemburgenſi cõbuſta propter ulatores.

Circa hæc tempora in ducatu Lucemburgenſi, villa dicta *Eirlon*, ex vindicta divina tota concremata fuit. Nam in feria quarta ante cœnam Domini, in domo cujuſdam divitis plures ſocii ludentes ad aleas, cum ſicut, proh dolor! talibus moris terribiliter jurare & blaſphemare nomen Domini, & ſubito ignis de ipſa domo erupit, & totam villam combuſſit.

De Waltero *Datin.*

Circa hæc tempora erat quidam civis Leodienſis, dictus Walterus *Datin.* Hic villicatum & ſcabinatum civitatis Leodienſis tenuit, & tantæ fuit auctoritatis, quod ſine ejus conſilio aut conſenſu nihil fieri poterat, quod robur firmitatis obtineret: tantæ audaciæ, quod fecit ferari ſive ceſſare omnia miniſteria civitatis Leodienſis, ſuper capitulum majus, ſicque nullus audebat dominis de majori, id eſt de capitulo S. Lamberti, aliquid vendere vel operari aliquod opus mechanicum, & hoc non ſemel, ſed bis. Domini vero de capitulo, non videntes qualiter poſſent reſiſtere; miſerunt ad curiam Romanam, & fecerunt eum citari. Cumque nullus ipſam citationem exequi auderet, venit totum capitulum Leodienſe uſque ad ſanctum Johannem, ubi audierant eum eſſe, cum notariis & teſtibus, ad eum citandum. Quod ipſe cognoſcens, latenter ſe abſcondit, & non fuit inventus.

Scabini Leodienſes exilio plectuntur.

Interim cœpit diſſentio inter ſcabinos & juratos, propter unam inquiſitionem factam, quam ſcabini noluerunt determinate judicare. Quæ cauſa tantum crevit, quod XXXII. clauſerunt ſua miniſteria ſuper ſcabinos, quod non emant, neque vendant, neque quis operetur aliquod pro eis, Et ſcabini oppoſuerunt ſe, & tandem fuerunt proclamati ſcabini albani, & exierunt civitatem.

De bello Leodienſium contra Namurcenſes.

Interim ſurrexit guerra inter Leodienſes & Namurcenſes, propter turrim, quæ dicebatur Mons-ſuperbiæ, ſive *Montorgueil*, quam Dyonantenſes conſtruxerant ante Boviniam.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCCCXXVII. menſe Septembri, miles quidam dictus dominus Johannes *Blondeaul* capitaneus *del Malmaiſon* in *Chambreſi*, fecit curſum, & accepit ſpolia ſuper patria Leodienſi. Quapropter patria Leodienſis Leodii demandata, ordinavit, quod dominus Leodienſis aliquem capitaneum ordinaret in Tudino, cum aliquibus armigeris, ad defendendum patriam ſuam; quod & factum eſt XXII. Septembris, & ceſſavit impetus prædictus.

MCCCCXXIV. Plaſtiludia Bruxellæ.

Anno vero MCCCCXXIX. in carnis privio, facta ſunt haſtiludia Bruxellæ ſexta Februarii & erant ibi dominus PHILIPPUS dux Burgundiæ, & dominus JOHANNES DE HEINSBERCH epiſcopus Leodienſis, & dominus JOHANNES comes Namurcenſis cum multis aliis principibus, in præſentia domini PHILIPPI ducis Brabantiæ. Quo tempore magiſtri de Dionanto venerunt ad Leodium, & expoſuerunt coram dominis de capitulo majori, & conſulibus civitatis, quomodo quintâ Februarii præteritâ dominus Johannes *Blondeaul*, cum XX. armigeris nocturno tempore exiſtet de Bovinia, & niſus fuiſſet capere turrim dictam *Mont-orgueilh*; & jam quidam ſcalas aſcenderant, ſed expergefactis cuſtodibus, & ad arma vociferantibus, aliqui inde ceciderunt mortui, aliqui fuerunt vulnerati, & interim Boviniam per naviculam omnes reintraverunt.

Miſſum igitur eſt ad dominum Leodienſem, qui rem ad ſe delatam aperuit domino duci Burgundiæ. Qui dominus dux reſpondit, ſe de hoc non mirari, eo quod Dionantenſes jam dictam turrim ædificaverant contra ſententiam, per piæ memoriæ dominos, ſcilicet dominum JOHANNEM patrem ſuum, & dominum W. avunculum ſuum, latam poſt bellum de *Otey*, quod fuit anno MCCCCVIII. & quod ipſe ſæpe miſiſſet ad eos pro cauſa iſta, quod ceſſarent; & reſponderant verba deſpectabilia & incongruentia.

Reverſo igitur domino Leodienſi, & demandata patria, concluſum fuit, quod mitteretur Dionantum, ad inquirendum ſi haberent juſtam cauſam vel non. Similiter ad dominum ducem Burgundiæ, ad ſciendum intentionem ſuam, & ad dominum comitem Namurcenſem ſimiliter. Comes Namurcenſis reſpondit, quod de facto prædicto nihil ſciret, ſed poſtquam vendiderat comitatum Namurcenſem, dominus dux acceptaverat tria loca pro ſe, in quibus poſuerat fideles ſuos, & ſibi juramento conſtrictos, videlicet Boviniam, caſtrum quod *Pilansvacca* dicitur, & caſtrum de *Samſon*, & infirmari cœpit, & obiit eodem anno prima Martii prædictus comes: & ſic comitatus Namurcenſis pervenit ad ducem Burgundiæ, in quantum comes Flandriæ.

Comes Namurc. obiit.

Qui dominus Burgundiæ legatis Leodienſium ad ſe miſſis reſpondit, quod quamvis male contentaretur de his, quæ domicellus Everardus de Marka perpetraverat in *Chiny*, & de Dionantenſibus, qui prædictam turrim ædificaverant in deſpectum ſuum, & quod non ſolverant ſibi penſionem debitam avunculo ſuo domino Johanni de *Beavvir*, & de mille coronis hereditarie, in quibus obligabantur avunculo ſuo comiti Hannoniæ; ta-

men contentus eſſet rem iſtam ponere in dilatione, ſub ſalvo conductu, ad certum terminum, ad inveniendum medium pacis.

Dux Burgundiæ receptus Namurci.

Fuitque diæta tenta in Namurco 13. Martii, quando dominus dux Burgundiæ fuit ibi ſolemniter receptus, & initus ibidem tractatus, quod eligerentur probi viri de patria Flandrenſi & de patria Leodienſi, qui, ſi non poſſent eſſe concordes, poneretur cauſa ad arbitrium domini papæ Martini. Electique fuerunt & nominati aliqui barones & nobiles, ad tractandum de pace modo præſcripto, & fuerunt miſſi honorabiles viri de Gandavo, militares, magiſtratus & conſules, ad tractandum de pace, vel accipiendum vel dandum treugas ad tempus.

Interim Hoyenſes miſerunt exploratores circa caſtrum *de Beaufort*, & comperto quod eis victualia mitterentur, ceperunt navim & quæ intus habebantur, & miſſis occulte aliquibus in inſidiis, tantum fecerunt, quod intraverunt caſtrum, fugatis & dimiſſis his qui intus fuerant. Quod cum Leodii nuntiatum eſſet, concluſum fuit quod bene cuſtodiretur; ſed Hoyenſes hoc comperto, cœperant ſpoliare & deſtruere ipſum, & incendio tradere, aſportatis omnibus quæ repererant.

Caſtrum de Beaufort deſtruitur.

Prædicti igitur ambaſſiatores Gandavenſium ad nullum potuerunt pacis pervenire tractatum, quia Leodienſes aliqui malam ſuſpicionem habebant de domino Leodienſi, propter magnam familiaritatem quam habebat cum domino duce Burgundiæ, & dicebant inter ſe: Si dominus noſter vellet, bene haberet pacem. Et hæc fuit ſemper peſſima paſſio populi communis, malum ſuſpicari de principe, & majorum ſuorum obtrectare decretis.

Incipit bellū atrox Leodienſes inter & Namurcenſes.

Miſſi ſunt igitur armigeri in Namurco per dominum ducem Burgundiæ, quorum capitaneus erat dominus de *Croy*, & cum eo dominus de *Ghyſtel* & dominus de *Mamine* cum aliis multis equeſtribus, qui decima Julii incœperunt comburere patriam Leodienſem, incipientes a prioratu S. Severi in Meſſia ordinis S. Benedicti, qui ſubeſt monaſterio S. Laurentii prope Leodium in temporalibus, & combuſſerunt totam villam, cum tamen ſtatio ballivi de Haſbania & ballivi de Mopha eſſet in cimeterio Meſſienſi, & in eccleſia cum CXL. equitibus. Et illi qui combuſſerunt villam, fuerunt tantum LXXX. ſed arbitrati ſuerunt plures extitiſſe, nec exiverunt clauſuram atrii eccleſiæ, quod fuit magnum ſcandalum pro eis. Eodem die fuit cantata ſpecialis miſſa Leodii pro populo qui exiturus erat ad bellum contra Namurcenſes. Quarto die ſequente, hoc eſt in die S. Margaretæ, quo die exivit exercitus Leodienſis contra comitatum Namurcenſem, incendendo, diripiendo, & deſtruendo omnia quæ invenire poterant. Et primo diſpoſuerunt ſe ad obſidendum villam & caſtrum de *Golzim*: ſed illi de caſtro & de villa reddiderunt ſe domino Leodienſi, ſalva vita & corporibus. Quos dominus Leodienſis ligatos accepit captivos, & miſit in tentorium ſuum.

Caſtrum de Golzim traditur Leodienſ. & cōburitur.

Interim cum clamaretur ad arma, quia Namurcenſes equites nunciabantur advenire, converſus populus Leodienſis occidit in impetu omnes, quos dominus Leodienſis ſalva vita & corporibus ſuſceperat captivos. Unde dominus Leodienſis uſque ad lacrymas doluit, ſed non poterat reſiſtere. Igitur direptis & incendio traditis caſtro & villis circumjacentibus, Leodienſes redierunt ad Hoyum.

Tongrenſes autem, Loſſenſes, & Trudonenſes ſederunt in *Thinez*, & incendio tradiderunt villas circumjacentes, ad comitatum Namurcenſem pertinentes, ſcilicet Waſegiam, *Mirdop* & *Branchon*, *Boneff*, *&c.*

Hoyenſes exierunt verſus Condroſiam, quorum voluntati dominus de *Gevve* tradidit fortalitium ſuum, ſimiliter domina *d'Emptia*, & *de Spontin*: ſimiliter illi qui erant in fortalitio *Des*; ſe dediderunt domino Leodienſi & Hoyenſibus.

Trajectenſes circiter ccc. aut occiduntur aut fugantur.

Trajectenſes vero miſerant in auxilium domino Leodienſi, circiter ccc. armigeros notabiliter bene armatos: qui cum veniſſent ad Hoyum, ubi Leodienſes dormierant, putantes quod Leodienſes eos in inſtanti ſequi deberent, exierunt per Condroſiam nihil metuentes, ſed confidentes in armis & virtute ſua. Cumque veniſſent juxta *Pervvez*, invaſi ſunt a Namurcenſibus ab omni parte, & multi occiſi fuerunt, multi vulnerati, aliqui captivi, reliqui fugerunt. Quibus auditis Dionantenſes & Hoyenſes venerunt in ſuccurſum eorum, ſed nimis tarde, quia Namurcenſes jam ſe retraxerant. Illi de *Chinei*, audita cæde Trajectenſium, veniunt cum bigis & curribus, adducentes victualia vulneratis & infirmis, & auferentes corpora mortuorum. Igitur dominus JOHANNES epiſcopus cum patre ſuo domino de *Hinsberch*, deducebant exercitum Leodienſem in duobus ordinibus. Quibus occurrerunt illi de Hoyo & de Dionanto, & poſuerunt ſedem ante fortalitium de *Poilevache*. Quibus viriliter ſe inprimis defendentibus, contigit quod magna bombarda de Hoyo caſu percuteret antiquum murum de ciſterna fortalitii, qui cadendo in aquam, infecit & turbidam reddidit valde, propter calcem antiquam. Item in alio ictu venit bombarda contra antiquum murum, & pertranſivit lapis per totum fortalitium uſque ad ultimum murum. Tunc illi qui intus erant, reddiderunt fortalitium in manus domini Leodienſis, ſalva vita, corporibus, bonis ipſorum, & permiſſi ſunt abire quinta

De fortalitia de Poilevache.

obſidionis die; & fuit ipſum fortalitium deſtructum, & demolitum ſicut cernitur. Tunc pater domini epiſcopi de *Hinsberch* indignatus quod tam pulchrum caſtrum deſtructum eſſet, receſſit cum armatis Alemannis quos ſecum duxerat, ad terram ſuam.

De obſidione Boviniæ.

Dominus vero epiſcopus Leodienſis obſedit cum exercitu Boviniam, multos faciendo inſultus, ſed Bovinienſibus viriliter ſe defendentibus, parum proſecerunt. Tandem fecerunt cattum de lignis, ad deſtruendum antemurale Boviniæ, quod erat valde forte. Cumque Leodienſes cattum applicare vellent, multi eorum fuerunt occiſi & vulnerati. Interim dominus de *Croy* capitaneus Namurcenſis, venit ad colloquium cum domino Leodienſi, extra & prope exercitum. Unde Leodienſes ſtatim male ſuſpicabantur, dicentes inter ſe, quod animus domini Leodienſis eſſet emollitus.

Famatum etiam fuit, quod dominus PHILIPPUS dux Brabantiæ eſſet defunctus, & dux Burgundiæ in ducem receptus. Tunc Leodienſes cum impetu inſultum facientes contra Boviniam, cum, occiſis & vulneratis multis ex ipſis per totum diem, quia cattus eorum erat nimis brevis, nihil proficerent, poſuerunt ignem in caſtris eorum, & receſſerunt ab obſidione. Quod cum Namurcenſes cognoviſſent, fecerunt inſultum contra illos de comitatu Loſſenſi, & alios qui erant cum eis, & occiderunt ultra ducentos, quorum major pars erat de ſancto Trudone. Occiſus etiam tunc fuit dominus de *Ghyſtel*.

Caſtra Loſſenſium & Tungrenſium.

Villæ de Walcourt, & Foſſæ, incenſæ & ſpoliatæ.

Illi de Tudino & Dionanto cum aliis ſupra Sambram commorantibus, facto impetu, iverunt contra villam de *Walcourt*. At illi qui intra villam erant, putantes totum exercitum Leodienſem adeſſe, relicto oppido, fugerunt, & ſic villa omnino cum caſtro ſpoliata & incendio tradita fuit, excepta eccleſia, quæ repleta fuit omnibus bonis villarum circumjacentium. Et facta eſt guerra crudelior quam prius fuerat. Nam Namurcenſes e converſo incenderunt & ſpoliaverunt villam de *Chaſtelein*, & eccleſiam combuſſerunt, cum omnibus qui intus erant, aſportantes etiam campanas. Similiter fecerunt in *Foſſe*, & in Condroſia, & in comitatu de Moha, diripientes & deſtruentes omnia. Hoyenſes etiam combuſſerunt ex utraque parte Moſæ villas ad patriam Namurcenſem pertinentes; & quadam die mane exeuntes, poſuerunt inſidias ante caſtrum de *Sanſon*, æſtimantes latenter, quando greges ducuntur ad paſcua, ſe intraturos: ſed res innotuit cuſtodibus, & diſſipatum eſt conſilium eorum. Similiter dominus *de Plateal*, tempore obſidionis Boviniæ, aſſumtis ſecum armigeris, venit uſque ad Hoyum; ſed fugatus eſt ab Hoyenſibus, & ballivo de Haibania.

A ducentis annis & citra non fuit viſa tam longa & crudelis guerra inter Leodienſes & Namurcenſes. Nam Leodienſes exiverant in die S. Margaretæ, & redierant circa feſtum S. Ægidii, & deinceps una pars contra aliam ſemper ad malum procedebat.

Villæ ccc. combuſtæ in terra Namurcenſi.

Incenderunt Leodienſes, ſicut dicitur, in terra Namurcenſi trecentas villas campeſtres, & fortalitia ſive turres, & domos defenſales XXXIII. & ſeptemdecim molendina; & e converſo Namurcenſes quaſi tot villas combuſſerunt in patria Leodienſi.

Anno Ch. MCCCCXXX.

Tandem acceptæ & datæ ſunt treugæ duorum annorum inter partes, tali conditione, quod ſi una pars vellet guerram reincipere, deberet ſignificare parti adverſæ per tres menſes antequam reinciperet.

Datum anno MCCCCXXX.

Anno Ch. MCCCCXXXI. Pax inter Leodienſes & Namurcenſes.

Interim mediante comite de *Mors*, fratre domini archiepiſcopi Colonienſis, tentæ ſunt multæ diætæ, tam in Flandria quam in Brabantia. Tandem ventum eſt ad medium pacis.

Primo, quod dominus epiſcopus Leodienſis & dominus de *Hinsberch* pater ejus, & electi de tribus ſtatibus patriæ Leodienſis, ad numerum XX. perſonarum, venirent coram domino duce, & proſternerent ſe uno genu ad terram, & facerent domino duci honorabilem emendam, dicendo per aliquem virum notabilem ex ipſis, quod dolerent de his quæ facta fuerant, & peterent veniam, & deinceps vellent eſſe vicini, & quod ſervirent domino duci contra Pragenſes: dominus Leodienſis in propria perſona, cum CCC. armatis, ſpatio ſex menſium, dummodo moniti eſſent ante per duos menſes.

Item, quod facerent unam capellam prope caſtrum de *Golzin*, reditus aſſignando pro quotidiana miſſa in perpetuum celebranda, pro animabus ibidem interfectorum.

Item, quod ipſi expenſis ſuis, infra menſem a data præſentium, demolirentur & deſtruerent turrim dictam *Mont-orgueilh*, quæ fuit origo & cauſa omnium malorum; ſic, quod infra quatuor menſes eſſet omnino demolita, & quod numquam poſſit fieri aliqua turris vel fortificatio inter Dionantum & Boviniam, quam ſit porta S. Andreæ, nec de conſenſu domini comitis Namurcenſis,

Item, pro reparatione caſtrorum & fortalitiorum, & damnorum recompenſatione, ſolverent domino duci centum millia nobilium Angliæ, infra biennium, ſic tamen, quod XXV. millia nobilium poſſent redimere, mediantibus LX. millibus florenis Rhenenſibus.

De aliis quæſtionibus & captivis hinc inde fieret recompenſatio.

De XVII. villulis, quæ dominus dux repetebat, unaquæque pars produceret jura ſua, & cui competerent de jure, eas poſſideret. Data XX. Decembris anno MCCCCXXXI.

In iſtis temporibus, dum guerra inciperet

inter Leodienſes & Namurcenſes, magiſtri Leodienſes requirebant a ſcabinis Leodienſibus habere unum recordium de certis punctis privilegia civium concernentibus. Sed Walterus *Datin* qui erat villicus & ſcabinus, opponebat ſe, & nolebat illud recordium dari. Unde magiſtri & conſules indignati, bannierunt ſcabinos & exiverunt civitatem. Et Walterus ſimiliter exivit. Cum autem exercitus eſſet in campis, alii ſcabini fecerunt pacem cum conſulibus, ſicque promiſerunt, ſe poſt reditum, recordium illud eſſe daturos, & iverunt cum aliis ad bellum. Walterus autem quia fiduciam habebat in amicis ſuis, cum exercitus rediret de Bovinia, intravit cum eis in civitatem, & manſit in civitate xxxiv. diebus. Et tunc putans ſe eſſe ſecurum, ſedit cum aliis ſcabinis ad judicandum, quod adverſariis ſuis diſplicuit. Et facto concilio apud Minores, venerunt cum impetu contra eum, cum vexillis miniſteriorum aliquorum uſque ad eccleſiam S. Lamberti. Quod ut vidit, latenter, aſſumto equo, receſſit, & numquam deinceps rediit Leodium. Unde in viſitatione B. M. Virginis, amici dicti Valteri aſſociaverunt ſe ſibi in diverſis locis, & currebant per civitatem, ac ſi debuiſſent omnes interficere. Et domnus JOHANNES epiſcopus fuit illa die in magno periculo. Et clamabant contra magiſtros, quod eſſent traditores, quia ſigillaſſent duci Burgundiæ centum & quinquaginta millia nobilium, & non dixiſſent populo niſi de centum millibus. Quapropter in inſtanti miſſum eſt ad S. Jacobum, & portatum ſcrinium ubi privilegia civitatis continebantur incluſa, & ruptum in inſtanti, & inventum eſt quod magiſtri & civitas non ſigillaſſent niſi de centum millibus. Sed dominus & capitulum ad veniendum ad pacem, promiſerunt aliqua ſingularibus perſonis. Tandem boni cives rogaverunt Wilhelmum *Dathin*, quod pacificaret populum, quia magiſtri pro tempore non poterant habere audientiam. Nam volebant eos projicere extra feneſtram. Tunc ille alta voce dixit: videtur mihi quod populus vult rehabere franciſias ſuas, ſicut prius, & creare magiſtros per ſequelam, ſicut ſolebat. Aliis reſpondentibus quod eſſent contenti, ſalvo juramento ipſorum, quia omnes juraſſent novum regimen ſervare, Reſpondit, vos eſtis liberi, poteſtis ſtatuere & deſtituere, ordinare & deordinare. Sic ſedatus fuit populus in illa die.

De Waltero *Datin.*

Seditio Leodii.

In feſto ſancti Jacobi fuerunt creati magiſtri per ſequelam vocum, & non ſecundum novum regimen; erantque multi male contenti, quia juraverant omnes tenere novum regimen, & ſecundum illud creare magiſtros & officiarios civitatis, ſurrexerunt que magna odia in civitate. Nam amici Valteri *Datin* volebant ipſum rehabere in civitate, ſicut prius erat, quia de nullo curabat. Et in profeſto epiphaniæ, orta eſt ſeditio gravis & periculoſa valde in civitate, propter ipſum, quia amici ſui cœperunt currere per civitatem tota nocte, & facere præparamenta in foro ad aliquid attentandum, ſicut fecerant in die viſitationis beatæ Mariæ, intendentes Walterum introducere per vim clamoris & ſeditionis. Sed adverſarii eorum percipientes intentum ipſorum, expoſuerunt ſe periculo, & acceperunt vexilla miniſteriorum, & venerunt armati contra eos, & præoccupaverunt conſilium. Et impetu facto, terruerunt eos, & in fugam verterunt, occiſo uno in medio fori de Datinenſibus. Aliqui etiam fuerunt projecti extra feneſtras, & ſtatim factum proclama contra eos, tamquam traditores, & omnia bona eorum direpta & diſſipata, & domus eorum in villagiis circa Leodium igne crematæ. Aliqui fuerunt capti & crudeliter tormentis expoſiti, aliqui quartelati, aliqui decapitati. Et facta inquiſitione, proſcripti fuerunt circiter quinquaginta, cum uxoribus & prolibus in perpetuum. Et ne aliquis faceret eis aſſiſtentiam ſub pœna talionis, & omnia bona eorum confiſcata per populum, quia domino Leodienſi obtulerunt tertiam partem, ſed noluit recipere.

Hinc gravis ſeditio orta. Anno Ch. MCCCCXXXIII.

Item, circiter quinquaginta fuerunt banniti ad certos annos, & condemnati ad certam ſummam pecuniæ, in quantum ſubſtantia eorum videbatur valere; aliqui ad duo millia Rhenenſes, aliqui ad mille, alii ad centum, aliqui ad quinquaginta, & ſic de aliis, uſque ad numerum circiter trecentorum.

Inſtitutumque fuit quod hæc celebritas victoriæ ſingulis annis in feſto epiphaniæ celebraretur, ubi littera bannitionis & proſcriptionis eorum legeretur publice & renovaretur, & omnes cives præſentes & futuri jurarent ſervare contenta in ipſa littera, nec contravenire occulte vel aperte. Electique ccc. viri, qui curam haberent executionis omnium præſcriptorum. Item, tam ſtricte obſervatum fuit, quod cuidam civi, qui patri ſuo egenti extra patriam ſemel dedit ad comedendum, caput fuit ante gradus eccleſiæ Leodienſis amputatum. Facta fuit hæc ſeditio anno MCCCCXXXIII.

Feſtii victoriæ propter ſeditionem compoſitam inſtituitur.

Severitas inaudita Leodienſium in ſeditioſos.

Novi magiſtri creantur.

Item, magiſter Lambertus filius Walteri *Datin*, canonicus Leodienſis & præpoſitus S. Dionyſii, doctor utriuſque juris, acolythus papæ, canonicus in ſummo Trajecti inferioris, & canonicus SS. Pauli & Martini Leodienſis, habuit diætam in terra de *Dolhem*, quæ eſt patria Brabantiæ, pro bonis patris ſui. Quod Leodienſes percipientes, miſerunt ibi ad inſidias ſibi ponendum, & captus, ductus eſt in *Bernamont*, & examinatus ductus eſt ſuper unam foſſam hullarum, & percuſſus in capite cum malleo, projectus eſt in foſſam capite demerſo cum ocreis & calcaribus,

calcaribus, ſicut erat captus, nec aliquis inde mutire auſus fuit. Anno MCCCCXXXVI. XV. Maii.

De guerra de Bosncve.

Anno Domini MCCCCXXXIII. XXV. Februarii, plures capitanei fortalitiorum de *Boſnove*, de *Montagny*, & de *Mont-Saint-Corneil*, de *Hault-Chaſtely*, de *Vilhin*, & plures alii ad numerum CCC. & XVI. equorum, intraverunt oppidum patriæ Leodienſis de Covino, & in die cinerum ſpoliaverunt ipſum oppidum, & duxerunt ſecum VIII. captivos, incenderuntque duas domos ibidem. Quod cum ballivus de Covino percepiſſet, pulſata campana circum circa, inſecutus eſt eos & plures eorum occidit. Hujus diſturbii hæc fuit origo. Domicellus Jacobus de *Morialmez*, pater domini Jacobi ballivi Leodienſis moderni, cum fuiſſet proclamatus, bannitus ex Leodio, ſuper ſalvo conductu domini Leodienſis venit Leodium, ſine ſalvo conductu civitatis. Unde tentus, & in Violetta cuſtoditus, decollatus fuit, nec potuit eum dominus Leodienſis adjuvare. Hic habuit filium baſtardum Triſtandum nomine, qui ob injuriam patri ſuo factam, multa damna intulit patriæ Leodienſi, & diffidavit eam, & multa mala faciebat in partibus illis juxta Tudinum & Covinum, capiendo & occidendo homines, ceperuntque ballivum de Covino, & tres nobiles cum famulis ſuis, & poſuerunt eos in *Boſnove*.

Expeditio Leodien. cõtra illos de Boſnove.

Dominus Leodienſis miſit ibi armigeros, quorum XX. fuerunt occiſi, & XXXVI. capti & exactionati. Quapropter diæta fuit poſita Bruxellæ, inter dominum comitem *de Ligny*, an factum traheret ad ſe. Tandem prædictus Triſtandus fuit occiſus in itinere, multique Rutheri cœperunt ſibi mutuo aſſociari. Tunc dominus Leodienſis, convocata patria, exivit cum exercitu contra illos de *Boſnove* XIX. Aprilis, & cum magnis laboribus pervenerunt uſque ad locum, quia adverſarii non ſuſpicabantur exercitum ibi poſſe duci, propter difficultatem itinerum, quia ſi fuiſſent aviſati, plurimos occidiſſent Leodienſes, quia per ſilvas erant diſperſi, nec poterant currus tranſire per ſilvam, & patiebatur exercitus magnum defectum in victualibus, quia nec panem ſufficientem habebant majores ad comedendum. Et quinta Maii incœperunt obſidere. Et primo evacuaverunt vinaria; illi qui intus erant, per tres dies fortiter reſiterunt, ſed non erant proviſi, putantes quod eſſent ſecuri ab quocumque exercitu illic ducendo. Tertia die, cum amplius reſiſtere non poſſent, incenderunt baſſam curiam, quod eis multum obfuit. Nam Leodienſes per illam intraverunt uſque ad oſtium turris quod erat ferreum, quod tandem licet cum magno damno & periculo intraverunt, & invenerunt XV. captivos de patria Leodienſi, quos liberos dimiſerunt, & XXXI. latrones vivos, & unum mortuum, quos eduxerunt. Et magiſter Alexander de Seranio, qui erat capitaneus Leodienſis, cum non haberet qui vellet eos ſuſpendere, dixit illis: Quicumque ex vobis velit ſocios ſuos ſuſpendere, promitto ſibi per fidem meam quod ipſe non ſuſpendetur. Aliis trepidantibus, frater Robertus de ordine Minorum, preſbyter ipſorum, manibus ſuis ſuſpendit omnes. Et ipſe ad arborem ligatus, igne fuit concrematus, quod magnum dedecus fuit eccleſiaſtico ordini, quod epiſcopus talia fieri permiſit. Quo facto deſtructum eſt ipſum fortalitium, & ad ſolum everſum, XII. Maii anni MCCCCXXXVI.

Et nota quod dominus Hugo de Petra-ponte, qui vicit bellum contra Brabantinos in ſpecula de *Steppes*, fuit ibi natus* & erat hereditas patris ſui Hugonis de Walnadio, frater Galteri de Petra-ponte. Deſtructo igitur fortalitio de Waſnadio, Leodienſes direxerunt iter ſuum ad caſtrum de *Abigny*. Quod intelligentes qui intus erant, fugerunt omnes. Leodienſes autem illud deſtruentes incendio tradiderunt. Deinde iverunt ad *Haw-Caſtelet*, ubi ſolum invenerunt unum Leodienſem captivum, qui aperuit eis portas, & deſtruxerunt caſtrum & igne combuſſerunt.

Nota.

Quatuor caſtra a Leodiẽſibus deſtructa.

Item, volebant procedere ulterius ad fortalitium *dè Vileir-devant-Moſon*; ſed illi de *Moſon* miſerunt in occurſum eorum, ſpondentes quod perſonaliter demolirentur illud, ſicut fecerunt. Tunc multi de exercitu receſſerunt. Sed illi de Leodio nolebant recedere, niſi deſtruxiſſent caſtrum de *Beaulren*, quod deſtruxerunt uſque ad ſolum, etiam ipſam villam totam comburendo, anno MCCCCXXXVI. menſ. Aprilis & Maii.

Anno MCCCCXXXV. ad rogatum ducis Burgundiæ, dominus Johannes de Heynsberch epiſcopus Leodienſis, aſſumtis ſecum aliquibus de tribus ſtatibus patriæ Leodienſis, ivit ad Attrebatum cum CC. equis, ad tractandum de pace inter regem Franciæ, & regem Angliæ, & ducem Burgundiæ. Et fuit pax ibidem facta inter regem Franciæ & dominum ducem Burgundiæ & Brabantiæ, XXI. Septembris anni ſupraſcripti, & anno ſequenti dux Burgundiæ obſedit villam Caliſiæ, ubi parum profecit.

Pax Attrebatenſis Francos inter & Flandros.

Eodem anno MCCCCXXXVI. quidam Rutheri occupaverunt fortalitium de *Orchimont*, & acceperunt ſpolia de patria Leodienſi. Quibus occurrentes aliqui Leodienſes, eos fugere compulerunt. Quod intelligens dominus Everardus de Marka, aſſumtis hominibus ſuis, obſedit ipſum caſtrum, quia nullus erat intus, niſi dominus caſtri cum ſex ſociis. Tunc dominus caſtri Bernardus nomine, ſalvis corporibus & bonis, reddidit illud in manus domicelli Everardi. Quod dum Leodii nuntiatum fuiſſet, volebant in inſtanti

Caſtrum de *Orchimont* evertitur.

exire, & reacquirere illud ad deſtruendum, & fecerunt arreſtari dominum Johannem filium dicti domicelli Everardi. Quod ille perpendens ſibi durum, reliquit fortalitium in manibus Leodienſium. At illi miſſis illic hullatoribus, everterunt totum fortalitium, & muros, & domos, & villam combuſſerunt, nemine reſiſtente, clapſis a fundatione ipſius mille & quingentis annis ſecundum chronicas.

Anno MCCCCXXXVIII. dominus JOHANNES DE HEINSBERCH acceptavit gubernationem archiepiſcopatus Trevirenſis.

Anno MCCCCXXXIX. obiit dominus Antonius pater domini Johannis de *Heinsberch* epiſcopi Leodienſis, de epidimia, in caſtro ſuo ſupra Conſluentiam.

Capitulum S. Servatii Trajectenſis receſſit ab oppido.

Anno MCCCCXL. in menſe Decembri, totum capitulum S. Servatii Trajectenſis tranſtulit ſe a Trajecto ad Leodium, quia placitabant contra oppidum, pro quibuſdam juribus & pro decima, unde villa & oppidani habuerunt magna damna, ſine quibus capitulum non fuit.

Imperator Aquis coronatur.

Anno Domini MCCCCXLII. dominus JOHANNES epiſcopus Leodienſis, cum pulchra comitiva CCL. equorum, occurrit imperatori in Aquis, ubi imperator fuit coronatus in regem Alemanniæ XVII. Junii. Fuit etiam ibi cardinalis Arelatenſis miſſus a concilio Baſileenſi, ſed dominus JOHANNES interdixit ſibi, ne in ſua diœceſi aliquid attentaret. Eodem tempore factum fuit œcumenicum concilium Græcorum & Latinorum anno 1439. Jacobinorum & Armenorum reductio anno MCCCCXLII. Florentiæ in eccleſia beatæ Mariæ Novellæ in ſeſſione ſynodali.

Decima duci Burgundiæ conceditur.

In diebus illis dominus EUGENIUS papa IV. conceſſit domino duci Burgundiæ unam decimam de omnibus bonis in terris ſuis conſiſtentibus, quæ ad eccleſiaſticas perſonas pertinerent, & commiſit executionem prædictæ decimæ levandæ epiſcopo Tornacenſi. Qui epiſcopus Tornacenſis cœpit etiam levare per ſuos decimam de bonis eccleſiarum Leodienſium, qui habebant bona in Brabantia, & Lymburgia, & comitatu Namurcenſi. Quapropter eccleſiæ Leodienſes appellaverunt ad papam, & volebant reſiſtere. Et ad petitionem eccleſiarum papa declaravit de mente ſua non fuiſſe, quod de bonis eccleſiarum Leodienſium decima levaretur, & miſit unam bullam domino duci, aliam domino Tornacenſi; ſed major eccleſia tandem dimiſſa fuit in pace, aliæ eccleſiæ compoſuerunt. De eccleſia S. Laurentii acceperunt ultra decimam de facto. Nullus voluit reſtituere ablata. Parcat omnipotens Deus illis qui fecerunt. Hoc contigit ex eo quod dominus abbas fuit conſervator eccleſiarum, & fuit requiſitus exequi decretum concilii Conſtantienſis, in eos qui ejuſmodi decimam levaverunt, quapropter maligne proceſſerunt contra eum. Eodem tempore dominus Johannes de *Heinsberch* intendebat & inſtabat ducere exercitum Leodienſem, contra illos de Treviris, quia petebat unam magnam ſummam pecuniæ ab eis, pro tempore quo habuerat adminiſtrationem archiepiſcopatus Trevirenſis, & multum anxie ad hoc inſtabat; ſed domini de capitulo, & magiſtri, ac conſules magis tendebant ad concordandum partes; unde tentæ fuerunt plures dietæ. Tandem in dieta Coloniæ habita, dixerunt Leodienſes Treverenſibus: Acceptetis unum de duobus, aut id quod vobis offerimus, aut guerram. Si acceptaveritis, taliter faciemus cum domino noſtro, quod ipſe tenebit; ſi nolueritis, non relinquemus dominum noſtrum, quin faciemus ei omnem aſſiſtentiam, & veniemus omnes armati contra vos. Qui acquieverunt, & de principali fecerunt ſuper cambium reſponderi, & de aliis omnibus electi ſunt arbitri dominus Colonienſis, & dominus de *Blanckenhein*; & de hoc poſuerunt fidejuſſores, ſic quod implerent arbitramentum ipſorum, & patria conquievit.

Diſſenſio inter D. Leod. & Trevereſ.

Anno MCCCCXLII. VIII. Julii facta eſt pax & pronuntiata Bruxellæ inter oppidanos de Trajecto, & capitulum ſancti Servatii per dominos villæ Trajectenſis, videlicet dominum Leodienſem epiſcopum, & dominum ducem Brabantiæ, & XV. menſis capitulum S. Servatii iterum reintravit in locum ſuum, & illi de oppido venerunt ei obviam, & receperunt eos, ſecundum quod erat ordinatum.

Anno MCCCCXLIII. conceſſit papa EUGENIUS plenariam indulgentiam omnibus contritis & vere confeſſis, qui per XV. dies operarentur vel facerent operari ad fabricam Leodienſis eccleſiæ, ſemel in mortis articulo.

Eodem anno fecit dominus Leodienſis fieri campanam bannalem & patibulum.

Dux Burgundiæ Lucemburgenſem ducatum armis ſubigit.

Eodem anno dominus dux Burgundiæ ſubjugavit ſibi ducatum Lucemburgenſem, & XXII. Novembris obtinuit vi armorum villam de *Lucemburch*, & XII. Decembris redditum caſtrum in manibus ejus.

Eodem anno dominus Leodienſis concepit indignationem contra comitatum Loſſenſem, propter quemdam exceſſum contra homines ſuos in *Diepenbret* perpetratum, unde vocavit conſules de *Haſſelt*, & multos alios ad annulum palatii, & fuerunt rigoroſa verba inter dominum Leodienſem, & quemdam nobilem Ludovicum de *This*, unde permiſerunt ſe omnes abjudicari. Tandem obtinuerunt pacem cum pecuniis, ſed prædictus Ludovicus pacem habere non potuit, ſed dominus perſequebatur eum ubique. Poſtmoduni fuit extra patriam decollatus. Unde cœpit odium aliquorum contra eum, qui machinabantur occulte ſibi malum, ſi potuiſſent intentum ſuum implere.

Episc. Leod. tendit versus terram sanctam.

Anno MCCCCXLIV. dominus Leodienſis ordinatis pro ſe in ſpiritualibus decano Leodienſi, & domicello *de Lyebercк* archidiacono Campiniæ, & in temporalibus nepote ſuo comite *de Blanckenheim*, cum domino Razone *de Warouz*, receſſit a Leodio ultima Januarii, verſus terram ſanctam, ad impiendum votum ſuum de viſitando ſepulchro Domini. Sed cum veniſſet in Venetias, ægrotare cœpit; & ex quo ſcripſerat ſe ducem *de Balbon*, non potuit habere ſalvum conductum, & quia Turci erant in expeditione, ſuper mare, non erat iter tutum. Rediitque iterum, & receptus fuit cum magno gaudio & honore; toto clero cum proceſſione & cunctis civibus ſibi occurrentibus ſolemniter ante miſſam ſpecialem, quæ tunc pro receptione ejus cantata fuit cum magno tripudio, in ultima die menſis Auguſti. Et a die qua receſſit, in quolibet collegio ſive conventu fuit omni hebdomada cantata ſpecialis miſſa pro eo.

Baſſeæ obſidentur & civitas Metenſis.

Eodem anno Dalphinus Franciæ venit in Alemanniam, & obſedit Baſileam. Modicum poſt hæc rex Franciæ, & dux Barrenſis obſidionem poſuerunt ante civitatem Metenſem, fuitque bellum inter Gelrenſes & Juliacenſes eodem anno, & captum fuit vexillum ducis Gelriæ. Poſtmodum fuerunt datæ treugæ, & captivi dimiſſi ex utraque parte.

Cives oppidi de *Rulmont* ſepius ad pacem vocati absque effectu. Leodienſi tandem excommunicantur.

Anno Domini MCCCCXLV. dominus JOHANNES DE HEINSBERCH epiſcopus Leodienſis, jampridem multos de conſulibus oppidi *de Rulmont* vocaverat ad pacem Leodienſem, eo quod quemdam nuntium ſuum, quem ibi cum ceteris mandatis miſerat, primo quidem in cuſtodia poſitum, & ad incutiendum ſibi & aliis timorem, in navi duci fecerant ad ſubmergendum, ſed ipſum rogantem pro prolibus ſuis, quæ orphani remanerent, abire permiſerant; cum ſecundo rediret ſubmerſerant. Cum diverſæ dictæ fuiſſent tentæ inter ipſum & ducem Gelriæ, & non concordes ab invicem receſſerant, penultima Januarii ſedit ad pacem in eccleſia noſtræ dominæ ad fontes, & vocatis eis, prout eſt de more, cum non comparerent, aſſignavit diem ultimum monitionis eorum, intra quam, ſi non ſatisfacerent aut comparerent, ſententiâ anathematis abſcinderentur. Igitur VI. die Martii, cum non comparuiſſent, ſedit epiſcopus ad pacem. Excepit ex numero tres principaliores ex ipſis, quos excommunicatos anathematizavit, & ſtatim ad peronem fuerunt proclamati ex civitate & patria Leodienſi in perpetuum. Sed illi *de Rulmont* parum curabant. Tandem unus ex eis ditior & potentior de villa venit Leodium, & ſtatim fuit captus & poſitus in turri officialis. Cumque famatum eſſet, quod eſſet concors cum domino Leodienſi, & per noctem deberet dimitti, ſurrexerunt multi de Leodio, & armati cuſtodierunt eum per totam noctem ne effugeret, & requiſierunt ab officiali Leodienſi eum condemnari, & ad manus villici tradi. Quod factum eſt, & facto xaphardo in medio Moſæ, ad vicum tinctorum, decollatus eſt, & corpus ejus ibidem concrematum, in uno vaſe linito pice & reſina, & cineres projecti in Moſa. Et quamvis dux Gelriæ & ſui male contentarentur, allegantes quod fuiſſent treugæ uſque ad feſtum S. Johannis Baptiſtæ, id quod factum fuit permanſit ſic, & nullus deinde fuit motus de loco ſuo.

Domicellus de Marka ducem Burgundiæ diffidat.

Anno eodem menſe Maii domicellus Everardus de Marka, & Johannes *de Bealren*, prætendentes ſe inimicitias habere contra dominum ducem Burgundiæ & Brabantiæ, ſub ſpe aſſiſtentiæ, ut dicebatur, regis Franciæ, convocatis armigeris dictis *eſchorſors*, miſit eos in comitatu *d'Ortes*, & vi armorum ceperunt *Mohiermet*, & villulas in circuitu, & poſuit prædictus dominus Everardus prædictos armigeros in fortalitio ſuo *de Rochefort*, quorum capitanei erant *Floquet* & *Nadonet*, & ſimiliter alios in fortalitio *de Agimont*, quorum capitaneus erat *Pierer-nair*. Et miſerunt litteras diffidentiæ domino duci. Quo audito, dominus Leodienſis, convocatis aliquantis armigeris de feodalibus ſuis, ivit ad cuſtodiendum fines patriæ ſuæ.

Prima origo Leodio mittendi ad regem Franciæ.

Nona Junii magiſtri & conſules propoſuerunt in capitulo quomodo comes *de Blanckenheim*, qui receptus fuerat in ſpeciali gratia regis Franciæ, & a rege habuiſſet in mandatis proponendi coram epiſcopo Leodienſi & ejus venerabili capitulo, & ſtatibus patriæ Leodienſis, quomodo ipſe & predeceſſores ſui reges Franciæ patriam Leodienſem ſemper habuiſſent recommendatam, & rex offerret ſe eos recepturos in ſua protectione, & ſalva gardia, ſi requirerent, & facere cum eis allegationes, ſi eis placeret, & ideo petebant ſcire intentionem capituli, an ſecum vellent ſcribere ad regem an non. Domini de capitulo reſponderunt, quod pro præſenti, nec per litteras nec per ambaſſiatam velient mittere aliquid ad regem, quia non eſſet ſequela domini Leodienſis, nec ſtatuum patriæ. Magiſtri & conſules tunc reſponderunt dominis de capitulo, quod ſi malum vel aliqua negligentia intervenirent, proteſtabantur tunc, quod non veniret propter negleſtum ipſorum. Eodem die dominus Antonius *de Croy* exivit de Namurco cum armigeris & inſtrumentis bellicis, ad obſidendum villam & caſtrum *de Longpreit*, quod ceperunt & everterunt.

Obſidio arcium *Rochefort* & *Agymont*.

Item armigeri qui erant in fortalitiis *de Rochefort* & *Agymont* inceperunt capere ſpolia de terris domini ducis, & patria Namurcenſi. Quapropter dominus dux requiſivit a domino Leodienſi, quod ſubditum ſuum domicellum Everardum concederet ad ip-

ſum debellandum. Tunc dominus Leodienſis ivit ad Dionantum cum magiſtris Leodienſibus, ad videndum, ſi poſſet inveniri medium pacis inter ipſum dominum Everardum & ducem Burgundiæ. Sed prædictus Everardus nullo modo volebat acquieſcere.

Eodem tempore CORNELIUS baſtardus domini ducis, venit cum armatis, & cœpit ſpoliare & incendio tradere villulas & campeſtria *de Rochefort*. Quod ut dominus Leodienſis vidit, convocata patria ſua, aſſumtiſque ſecum de civitate Leodienſi de quoque miniſterio XX. viris, exceptis famulantibus, exivit ad obſidenda prædicta fortalitia, & ad obtinendum ſibi, ne patria deſtrueretur, & XII-I. Julii poſuit obſidionem ante prædicta fortalitia. Et dominus dux Burgundiæ miſit ibi armigeros ſuos, & in profeſto ſive vigilia S. Jacobi miſit dominus dux quatuor magnas bombardas cum pertinentiis ſuis. Quod ut dominus Leodienſis vidit, nolens terram ſuam demembrari & deſtrui, collectis pecuniis, fecit cum capitaneis tractatum, ſic quod capitaneus *de Rochefort* habitis ſex millibus florenis Rhenenſibus, reddidit fortalitium in manus ejus, ſalvis etiam omnibus quæ illuc adduxerat, & duxit ſeu duci fecit eos dominus Leodienſis ſalvos extra patriam per duas dietas v. Auguſti. Sed capitaneus *de Agymont* noluit reddere fortalitium, niſi ille qui eum illic poſuerat, ſibi juberet, & fortiter ſe defendit, ubi multi de Dyonantenſibus & aliqui de Leodienſibus fuerunt occiſi. Tandem domicellus Everardus conſultus ab amicis ſuis, ſub ſalvo conductu venit coram domino Leodienſi & tribus ſtatibus patriæ, & confeſſus eſt culpam ſuam, & petiit veniam, & tradidit ipſum fortalitium *de Agymont* ad voluntatem domini Leodienſis. Et capitaneus dictus *Pierer-nair*, acceptis DCC. florenis Rhenenſibus, ſalvis ſibi omnibus quæ adduxerat, receſſit ad loca ſua, & ductus eſt ſalvus per homines epiſcopi uſque ad *Moſon* XXX. Auguſti.

Dominus Leodienſis poſuit caſtellanos in ipſis fortalitiis de conſenſu trium ſtatuum patriæ, & reddidit domicello Everardo ſalvum conductum per patriam ſuam. Qui venit Leodium, & faciebat multas inſtantias per amicos ad rehabendum fortalitia ſua, & minores erant de favore ejus, ſed majores non advertebant, ad memoriam reducentes quod numquam voluiſſet eos advertere. Et quia alti cordis erat, cœpit in ſeipſo tabeſcere, & obiit in Leodio præ triſtitia, ſepultuſque fuit ad Minores, in ſepulchro domini Johannis domini *de Rochefort* & *d'Agymont* avi ſui, qui decollatus fuit ſuper campum *de Graz*, poſt bellum *de Othey* anno MCCCCVIII.

Obitus domicelli Everardi de Marka.

Epiſc. Leod. renovatis antiquis ſtatutis, nova condidit.

Eodem anno MCCCCXLV. dominus Leodienſis renovavit ſtatuta ſynodalia, & etiam condidit nova ſtatuta de conſilio & conſenſu capituli ſui, ad refrænandum exceſſus procuratorum fiſcalium, quæ eccleſiaſticis & preſbyteris ruralibus ſunt valde utilia; & propterea clero forenſi demandato ad ſubveniendum ſibi, pro expenſis habitis in expeditione contra *Rochefort* & *Agymont*, & ut alia vice promtior redderetur ad defendendum eccleſiam & patriam ſuam, clerus ſubvenit ſibi in gratioſo ſubſidio menſe Octobri XXI. die. Eodem tempore dominus dux Burgundiæ gratanter acceptans favorem Leodienſium in expeditione prædicta, contra prædictum dominum Everardum, dedit literas quittationum & abſolutionem totius intereſſe, quod fuerat inter ipſum & patriam Leodienſem, ad inſtantiam guerrarum Namurcenſium, anno MCCCCXLVI.

Anno MCCCCXLVII. obiit papa EUGENIUS, & electus papa NICOLAUS quintus, & conſecratus Dominica *Lætare Jeruſalem*. Eodem anno apud fratres Minores Romæ, inventum eſt corpus unius ſancti, quod ex una parte fuit combuſtum, & ſtatim ipſi diffamaverunt per urbem, quod eſſet corpus S. Laurentii. Quapropter dominus Nicolaus papa V. miſit illuc quinque cardinales, ad inveſtigandum rei veritatem, ſcilicet Andegavenſem, qui erat cardinalis ipſius S. Laurentii, cardinalem de Columna, cardinalem Græcum, (a) cardinalem Firmanum, & cardinalem Terracinenſem; tres defenſores & ſenatores urbis, qui cum magno timore & reverentia acceſſerunt & aperuerunt tumbam S. Laurentii, & invenerunt corpus S. Laurentii integrum, coopertum dalmatica, ſed caput ejus erat decalvatum, quia ignis combuſſerat crines, & corpus S. Stephani integrum, excepto brachio dextro, & in una parte capitis ejus adhuc erant pili. Tunc cardinalis S. Laurentii accepit juniorem monachum, & oſtendit ei ſepulchrum, & dedit ei alapam in memoriam futurorum. Actum ultima Julii.

Quomodo corpus ſancti Laurentii Romæ fuit viſitatum.

[a]

Eodem menſe, cum oſtenderentur reliquiæ in urbe Aquenſi, venerunt aliqui de regno Hungariæ in Aquis, loquentes idioma Leodienſe, aſſerentes ſe audiviſſe a progenitoribus ſuis, quod quondam propter famem magnam, quæ acciderat in patria & civitate Leodienſi; exiverant a Leodio, & intraverant in regnum Hungariæ, & dedit eis rex Hungariæ loca ad habitandum, ſicut quondam dominus REGINARDUS epiſcopus Leodienſis, Hungris ad eum transfugientibus ob inopiam & famem, in civitate Leodienſi vicum dedit & aſſignavit, qui uſque hodie vicus Hungarorum appellatur. Quod Aquenſes audientes, conſuluerunt eis, ut ad civitatem Leodienſem declinarent, & hujus rei veritatem inveſtigarent. Quod & fecerunt, & gratioſe a Leodienſibus recepti ſunt, & dominus JOHANNES epiſcopus, his cognitis,

Nota. Hungri ab urbe Leodio oriundi.

[a] Id eſt Beſſarionem, qui concilio Florentino interfuerat, & a Græcis ad Latinos tranſierat.

juſſit revolvi chronicas & hiſtorias antiquas. Quæſitum eſt, & inventum, anno Domini MLII. tempore Wazonis epiſcopi Leodienſis, illos propter inediam & famem, de Leodio exiviſſe, & a rege Hungariæ gratioſe receptos fuiſſe. Quibus rex præcepit ne linguam ſuam dediſcerent aut mutarent. Ubi in magnam multitudinem excreverunt, & villulas multas ibi impleverunt, quæ vulgariter ibidem *Gallica loca* vocantur. Super quibus dominus Leodienſis dedit eis litteras teſtimoniales ad regem Hungariæ Laurentium, & ad ANTHELMUM epiſcopum Agrienſem, in cujus diœceſi prædicti Leodienſes commorantur. Datum anno MCCCCXLVII. XV. Julii.

Dominus Leod. vult ire in Angliam.

Eodem anno XXII. Novembris dominus JOHANNES DE HEINSBERCH petiit licentiam a ſuo capitulo eundi in Angliam. Domini de capitulo primo petierunt ut reſtitueret omnes litteras quittationum quas habebat apud ſe de duce Burgundiæ, de guerra Namurcenſi. Quod cum multa difficultate tandem obtinuerunt. Cumque arripuiſſet iter, & eſſet in Flandria, intimatum fuit ei de inſidiis ſibi poſitis, per quemdam nobilem dictum Karlum *del Tombe*, & ſic rediit in *Curinghen*, ubi acceſſerunt ad eum domini de capitulo, & magiſtri de Leodio, rogantes eum, quod vellet venire in civitate, & manere in patria, ac ſe temperare de tantis diſcurſibus, quia poſſet incurrere aliquod periculum, unde toti patriæ eveniret ſcandalum & damnum. Et ab illa die & deinceps, ſemper ad majorem miſſam in eccleſia Leodienſi, ultima collecta poſt omnes alias dicebatur pro ipſo, ſcilicet: *Deus omnium fidelium paſtor & rector, famulum tuum Johannem epiſcopum, quem præeſſe eccleſiæ tuæ Leodienſi voluiſti, propitius reſpice, &c.*

Conſpiratio in dominum Leodienſem.

Anno MCCCCXLIX. tempore quadrageſimæ denudata eſt quædam conſpiratio facta contra eum in oppido Trajectenſi, & unus captus poſitus fuit ſuper rotam, qui accuſavit XVIII. alios qui fugerunt. Quorum unus principalior fuit Rogerus de Spa, civis Leodienſis de miniſterio auri-fabrorum, qui captus Leodii in feria V. in cœna Domini, per gubernatores dicti miniſterii fuit liberatus, & fugit. Quapropter dominus Leodienſis feria III. paſchæ, convocato palatio, depoſuit querelam ſuam: unde per civitatem & arbitros fuerunt condemnati in duobus millibus florenorum Rhenenſium, ad faciendum novam portam in palatio, & poſuit dominus Leodienſis primum lapidem novæ portæ, eodem anno XXVIII. Julii circa veſperam. Sed quia illi qui taxati fuerant, non erant habiles ad ſolvendum, aliqui obierunt ex triſtitia, aliqui fugerunt, & opus manſit imperfectum. Reſiduos lapides dominus Leodienſis fecit duci ad *Seten* & *Millen*. Eodem tempore & anno cardinalis S. Angeli venit in Trajecto ſuperiori, & ibi facta eſt & concluſa eſt pax inter ducem Clevenſem, & archiepiſcopum Colonienſem, qui ibi convenerant ad diætam.

Eodem anno, cum Dominus Leodienſis mane exiret de Leodio, inſidiæ quæ latebant juxta *Nivenge*, incœperunt ſe aperire in menſe Septembri. Cumque unus illorum arcum tetendiſſet, ut dominum transfigeret, neſcitur timore quo percuſſus, correptus eſt, & captus ipſe aliis fugientibus, ductus eſt in turre officialis, & confeſſus eſt ſe eſſe de ordine fratrum Minorum & ſubdiaconum, & tempore guerrarum Franciæ apoſtataſſe & junxiſſe ſe Rutheris. Interrogatus ad quid veniſſet, reſpondit ſibi dictum fuiſſe ab hoſpite ſuo in Trajecto, qui ſibi aliquas pecunias & arcum dederat ac ſagittas, & quod iret cum aliis ſociis, quando reverteretur, bene ſolveretur; ſed ſocios ſuos non cognoſceret; & ſic fuit inſtalatus, degradatus, curiæ ſæculari traditus, & tractus per plateas, decollatus, & ſuper rotam poſitus ad S. Ægidium. Et de cauſa eadem aliqui fuerunt rotati in *Curinghen*, aliqui in *Haſſelt*, aliqui in Leodio ad S. Walburgem, & non dicebatur aperte quid egiſſent, ſed res tenebatur ſub ſecreto ſilentio. (a) [a]

Dominus vero Leodienſis fecit querelam de prædicto cive Trajectenſi qui dicebatur Philippus de Pavone, qui ſub ſalvo conductu ductus fuit ad Leodium, & ſuper palatium excuſavit ſe; tandem fuit poſitus ad legem, & manſit infra muros Trajectenſes uſque ad obitum ſuum. Quidam etiam de nobilibus in Trajecto hac de cauſa habebatur domino ſuſpectus, qui ſub ſalvo conductu ad excuſandum ſe venit ad dominum Leodienſem in *Millen*, ſed quid... fuerit neſcitur. Captus & ad torturam poſitus, in initio tormentorum ſcipſum accuſavit, ut dicebatur, & fuit decollatus & demembratus, & in ſacco Leodii aſportatus, cujus unum brachium fuit poſitum juxta alia corpora ad S. Wilhelmum, aliud in Hoyo, &c. Dehinc cœpit odium inter dominum Leodienſem & Trajectenſes, & e converſo, & cœperunt Trajectenſes vigilare, & fortificare muros ſuos in circuitu.

Engelbertus de *Anghien* vocatur ad annulum palatii.

Eodem anno Dominus Leodienſis vocavit ad annulum palatii dominum Engelbertum de *Anghien*, quo non comparente, accepit ſaiſinam omnium bonorum, quæ ipſe poſſederat in patria Leodienſi. Qua de cauſa valde iratus, petiit a domino duce licentiam ſe defendendi; ſed dominus dux ex quo juridice factum fuit, dixit quod juridice ſe defenderet, alias non.

Obitus Johannis Stabulai monachi S. Laurētii, qui multa ſcripſit.

Eodem anno in craſtino Calixti, obiit in monaſterio S. Laurentii Leodienſis nonnus Johannes de Stabulaus, monachus profeſſus, qui multas chronicas ſcripſit, & compilavit,

[a] Suffridus Petri a Chapca-villa editus, narrat conjurationem illam fuiſſe detectam anno 1444. fuiſſeque ab illo Franciſcano deſignatos conjurationis ſocios. At noſtro Adriano major eſt habenda fides.

ex quibus præcedentia excerpta ſunt. Requieſcat in pace.

Eodem anno publicata eſt bulla Nicolai papæ, de anno jubilæo, quod quicumque vere contriti & confeſſi, qui in urbe Roma anno Domini MCCCCL. quem jubilæum inſtituit, eccleſias ſanctorum ſummorum apoſtolorum Petri & Pauli, & Lateranenſem, & S. Mariæ-majoris viſitarent, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam conſequerentur. Unde multi utriuſque ſexus præparaverunt ſe, ut eſſent in Natali Domini, & per totum annum de cunctis mundi partibus multi iverunt illuc. Inter quos una domicella de partibus Dieſtenſibus fecit ordinationem ſuam de omnibus quæ relinquere poterat, & quia nec in curru nec pedes illic ire valebat, fecit conventionem cum octo viris, qui facto geſtatorio, eam uſque ad Romam portare debebant, tantam devotionem ad viſitanda limina habebat; ſed in itinere obiit, mutationem aëris ferre non valens, ſed bajulos ſuos ibi miſit, quibus de laboribus ſuis ſatisfecit ſuperabundanter.

Eodem anno XV. Julii cecidit tempeſtas fulminum, tonitruorum, & grandinum, quæ intulit magna damna in comitatu Namurcenſi, & circa Meſſiam.

Prophetia Johannis de Rupe-ſciſſa.

Circa hæc tempora cœpit oriri quædam ſimultas in civitate Leodienſi, & populus inter ſe diverſa ſentire. Sed & preſbyter quidam de Haſbania publicavit Leodii prophetiam fratris Johannis de Rupe-ſciſſa, quæ facta fuit in Avinione ante centum annos, ſed neſcio a quo data mutata fuerit, & additi centum anni; ſicque multa mala debebant evenire circa annum ſexageſimum, & durare uſque ad annum LXX. Unde factus eſt timor magnus in populo. Sed & quidam laicus valde expertus in aſtronomia jam ſenex, * prænoſticaverat jam diu, quod ab anno LX. uſque ad annum LXX. civitas Leodienſis multis cladibus ſubjaceret, quæ magis vigerent anno LXVI. LXVII. LXVIII. Et de his cœperunt homines fabulari inter ſe. Sed & Mendicantes in ſermonibus ſuis incœperunt prædicare multa mala imminere civitati niſi ſe emendarent.

* Petrus Calopifex.

Anno jubilæo tranſacto, conceſſit idem papa ad ſupplicationem domini ducis Burgundiæ, Brabantiæ, &c. omnibus in patriis & dominiis ipſius ducis exiſtentibus, qui in oppido Mechlinienſi certas eccleſias in bulla expreſſas viſitarent, infra ſpatium quatuor menſium, quibus poſtea etiam alios quatuor menſes ſuperaddidit, eamdem gratiam, quam Romæ in anno jubilæo obtinuiſſent, dummodo quartam partem expenſarum, (a) de qua tamen taxanda diſcretionem confeſſorum electorum oneravit, in capſa ad hoc deputata deponerent. [a]

Nicolaus de Cuſa cardinalis & legatus ad partes Alemanniæ.

Poſtmodum venit dominus NICOLAUS DE CUSA cardinalis S. Petri ad vincula, legatus a latere ad partes Alemanniæ, quia in anno jubilæo detecta fuit Romæ fraus quæ facta fuit in partibus Saxoniæ ad ſanctum Sanguinem in *Willeſnage* & falſa miracula prædicata. Et ibi celebrata miſſa conſecravit Corpus Chriſti, & poſuit ibi a fidelibus adorandum, illud quod ibi invenit igne combuſſit. (b) Hic veniens per Auſtriam, Friſiam & Hollandiam in multis locis conceſſit gratiam anni jubilæi. Similiter in Aquiſgrani, in Trajecto, Tongris, denominative exprimens villas quarum inhabitantes poſſent illas acquirere. Poſuit etiam per certum tempus in Lovanio. Requiſitus a Leodienſibus ut dignaretur eos viſitare; primo reſpondit, ſe dubitare an legatio ſua extenderet ſe ad eos, ex quo eſſent alterius linguæ. Sed ſi vellent eum ſicut legatum recipere, ipſe veniret. Venit, ſicut legatus; receptus fuit, & dominus Leodienſis introduxit eum in palatium ſuum, & ipſe deſcendit de palatio ad domum clauſtralem, ante palatium. In craſtino cantavit ſpecialem miſſam de S. Spiritu [b]

Ut legatum recipiunt Leodii.

[a] *Unde magnus theſaurus fuit congregatus.* Ex diario.

(b) Paulo aliter adventum ejus deſcribit in diario ſuo: *Et inde, ait, deſcendens ad Coloniam, quemdam epiſcopum, qui vices gerebat in pontificalibus capi fecit & incarcerari, & traditum curiæ ſæculari, in RHeno ſubmergi, eo quod prædictus epiſcopus Romæ, tanquam falſarius deprehenſus, publice degradatus, & poteſtati ſæculari traditus, cum occidi debuiſſet multis pro eo rogantibus, juravit ultra mare tranſiret, & fidem infidelibus prædicaret, & uſque ad mortem nunquam Europam intraret: Sed cum mare tranſiſſet, tædio affectus, ad Coloniam venit, & deſuncto ſuffraganeo epiſcopi, ibidem vices ejus geſſit. Eodem tempore* Hylgerius, *ordinis Carmelitarum, vices gerebat in pontificalibus domini Leodienſis; & ipſe Hylgerius ordinatus fuerat Coloniæ ab epiſcopo ſupradicto degradato, propter quod dominus legatus male contentabatur de eo. Cum igitur dominus legatus eſſet circa partes Coloniæ, acceſſerunt ad eum amici ſui de Leodio magiſter Nicolaus* Baeſt, *& alii, & magiſter Petrus de Molendino decanus S. Pauli Leodienſis, qui cum petiſſet ab eo gratiam anni jubilei, reſpondit ſe dubitare, an poteſtas legationis ſuæ ſe extenderet uſque ad Leodium, quia eſſet alterius linguæ. Quibus auditis, eccleſiæ rogaverunt, ut ad Leodium venire dignaretur, quia eſſet confrater eorum, paratæ eſſent eam cum honore ſuſcipere. Ipſe vero deſcendit ad partes inferiores, ſcilicet Ultrajectum & Hollandiam. Et fecit unum novum abbatem in Egmunda, & dedit eis unam reformationem in ſcriptis, quam ſpoponderunt obſervare, ſed nihil fecerunt. Venit etiam in* Herkenrode, *ſed diſſimulabant obedire. Exit in S. Trudone, & fecit omnia peculiaria portari ad manus ſuas, & inde fecit ſolvi in communi debita monachorum. Dedit unam reformationem in ſcriptis, quam præcepit teneri, ſed nihil, aut valde parum de ipſa fuit opere impletum. Poſuit gratiam anni jubilæi in Aquis, cum aliquibus villis circumjacentibus. In Trajecto, ubi peterant eam acquivere illi de* Falcomonte, *de* Lymborch, *de* Dolhem. *Item in Tongris, ubi concurrerunt illi de* Loz *& Haſbania Teutonica, & in* Haſſelt *pro Campinienſibus. Et ſimiliter in Lovanio, in Dordraco, & in aliis locis legationis ſuæ. Cum autem veniſſet in Tongris, invenit dominum Hylgerum ſedentem ad confeſſiones audiendas. Quem cum indignatione repulit coram omnibus, dicens eum indignum ad confeſſiones audiendas, & ſacramenta miniſtrandum, propter cauſam ſuperius tactam. Et male contentabatur de canonicis quibus commiſerat confeſſores idoneos eligere, ſed illi dixerunt ſe cauſam prædictam ignoraſſe. Venit in Trajecto, & convocatis canonicis eccleſiarum ſancti Servatii, & noſtræ Dominæ, fecit ſermonem, & duxit eos ad hoc quod abjuraverunt concubinas ſuas. Igitur Leodienſes eccleſiæ miſerunt ad eum deputatos ſuos, ut cum honore reciperent eum. Qui voluit venire ſicut cardinalis, & non ſicut legatus. Sed multi de eccleſiis neſcientes differentiam, clamaverunt. Quare nos magis vexabimus eum quam alii: veniat ſicut legatus. Igitur in profeſto S. Calixti fuit ſolemniter receptus a clero ſæculari & populo, quia ſic ordinaverat, quod religioſi manerent in clauſtris ſuis, & fuit ductus in palatio; & dominus de* Heinsberch *ſtetit in domo clauſtrali ante palatium, &c.*

in S. Lamberto, quia erat feria quinta in craſtino feſti S. Calixti. Prandio facto fecit denuntiari per eccleſias collegiatas, quod de mane explerent divinum officium, & omnes hora VIII. tam canonici quam capellani eſſent parati in capitulo majori S. Lamberti. Superveniunt tunc duo canonici S. Servatii referentes quomodo eſſent illaqueati ab eo, & abjuraſſent focarias ſuas. Venit etiam abbas S. Trudonis, & abbatiſſa de *Herkenrode*, faciendo querimonias, de his quæ ordinaverat eis ſervanda. His auditis, clerus multum cœpit anguſtiari, & pœnituit de eo quod receperunt eum ut legatum, multum timendo cenſuras quibus innodari poſſent. Et convocato capitulo valde mane in S. Petro & in ſancto Lamberto, ſtatuerunt unanimiter prius accedere ad eum, & petere copiam bullæ legationis ſuæ, qua audita, reſponderunt, quod libenter audirent eum ut cardinalem & eorum confratrem, ſed non ut legatum, quia non eſſent Alemanni, ſicut dicebat bulla ipſius, ſed Gallici, ſive Germani; factaque eſt magna diſceptatio inter eos. Tunc dominus Leodienſis dixit: Ego dabo bonum medium, domine legate, ponatur iſta cauſa ſuſpenſa, donec miſſum fuerit ad dominum papam: ſi declaraverit vos hic eſſe legatum, bene ſumus contenti; ſi non, ſitis vos contentus, & maneamus boni amici. Quod cum legatus renueret, cœpit res exaſperari, & fuerunt legato dicta rigoroſa verba per domicellum de *Lyekerck*, & diſcordes receſſerunt ab invicem: clerus receſſit quilibet in domum ſuam. Dominus legatus multum fuit indignatus domno HYLGERO ſuffraganeo domini Leodienſis dicens, eum non habere executionem ordinis, quia ille qui eum ordinaverat, fuerat Romæ degradatus, & Coloniæ in Rhenum projectus. HYLGERIUS e converſo reſpondit ſe rite Coloniæ ſub teſtimonio trium epiſcoporum ordinatum, nec fidem adhibendam his quæ a legato dicebantur. (*a*)

[*a*]

Sabbatho de mane receſſit dominus legatus a palatio, & ivit ad Carthuſienſes, (*b*) feria ſecunda revocavit omnes gratias quas in Leodio & in Gallica patria conceſſerat, & feria tercia receſſit verſus Malmundarium, & de Malmundario miſit unam litteram comminatoriam clero Leodienſi, contra quam communiter appellaverunt. (*c*) Deinde exivit ad Lovanium, dehinc ad Bruxellam, ubi dominus dux cum magno honore eum recepit, extra oppidum, per dimidiam leucam ei obviando. Clerus Leodienſis fecit cuſtodiri omnes vias per quas verſus Coloniam pergeret, ubi provinciale concilium vocari juſſerat, volens ei reconciliari, & factum eſt ita. Deputatique ſunt omnes majores eccleſiarum cum domino HYLGERO, & occurrerunt ei in Trajecto, & petita venia, & recepta, ſuſcepti ſunt in ampliorem gratiam quam prius fuerant, dimiſeruntque focarias ſuas omnes, tam majores quam minores, ſed non duravit ſtatutum niſi per tempus modicum. Item dominus HYLGERUS reconciliatus cum eo, manſit in ordine ſuo, & legatus per papam fecit ſuppleri omnes defectus; ſicque ordinati ab ipſo non fuerunt amplius moleſtati.

[*b*]

[*c*]

In feſto Cathedræ S. Petri celebratum fuit Coloniæ provinciale concilium, & legatus fecit poni ad valvas eccleſiæ Colonienſis capitulum de reformatione monaſteriorum, quaſi per edictum, præfigens prælatis terminum illa ſtatuta opere implere infra annum, alioquin noverint ſe eſſe monitos. Sed nihil eſt ſecutum. Domini de S. Servatio obtinuerunt etiam relaxationem a juramento. Ipſe tamen legatus intendebat ultra procedere, ſed domini cardinales non permiſerunt. Acta fuerunt hæc anno MCCCCLII.

Provinciale concilium Coloniæ.

Eodem anno facta eſt magna diſſentio in civitate Leodienſi propter Koytam inter miniſteriales ſatis damnoſa. (*d*) Eodem anno MCCCCLII. procuratores nobilis juvenis de *Bourbon* filii ſororis domini ducis Burgundiæ fuerunt fugati de veſpere ad pontem inſulæ, propter præbendam S. Lamberti, ad quam filius domini Euſtachii de *Strailhe* tunc fuerat receptus. Quapropter dominus dux fuit indignatus; ſed ad pacificandum eum dominus Leodienſis dicebatur promiſiſſe domino duci, quod conſanguineo ſuo daret primam dignitatem cum præbenda quæ vacaret in eccleſia Leodienſi.

[*d*] De domino Ludov. Borbonio tunc ſcholari Lovanienſi.

Anno MCCCCLIII. facta eſt dura guerra inter dominum ducem Burgundiæ PHILIPPUM & Gandavenſes, & circa Gandavum omnes villæ campeſtres incendio traditæ; Gandavenſes etiam exeuntes invaſerunt dominum juxta *Rupelmont*, ubi occiſus fuit a Gandavenſibus baſtardus domini ducis Cornelius, gubernator terræ *de Luxemburch*, & fiebant multa mala tam ab una parte quam ab alia, mittebanturque multæ miſſivæ de Gandavo ad Leodium. Tandem commiſſo prælio, ſuperati ſunt Gandavenſes, & plures occiſi, ſubmerſi, & ſuſpenſi XXIII. Julii. Et XXVII. Julii

Guerra inter ducem Burgundiæ & Gandavenſ.

[*a*] Addit Adrianus noſter in citato diario ſuo: *Hæc mihi relata fuerunt ab uno venerabili religioſo licentiato in jure canonico, ordinis Ciſtercienſis, qui præſens fuit, & hæc & plura alia vidit, & audivit.*

[*b*] *Tantumque fuit clerus accenſus contra eum, quod amici ſui non audebant eum viſitare.* Diarum Adriani.

[*c*] Addit in Diario: *Sed quædam forma appellationis facta fuit per quemdam concubinarium contra eum, non tamen de ſcitu totius cleri, valde vigoroſa & peſſima, de qua eccleſia ſe excuſaverunt. Quam cum vidiſſet ab uno familiari ſuo ſibi oſtenſam, ſicut ab ipſo audivi, cœpit lacrymas ſtillare ex oculis, dicens: parcat ſibi omnipotens Deus, qui fecit, & civitati, eo quod tanta malitia inventa eſt in ea. Deinde ivit ad Lovanium, &c.*

[*d*] Diarium addit: *Tribus diebus. Palatio convocato, capitulum Leodienſe traxit cauſam ad ſe, ſed non fuit determinata multis annis poſtea. Circa hæc tempora dominus Leodienſis poſuit multas expenſas circa fortalitium quod vocatur* Steen, *& circa caſtrum de* Millen. *Eodem anno orta eſt diſſenſio inter ducem Burgundiæ* Philippum *& communitatem de Gandavo.* Propter quod multæ diætæ fuerunt tentæ inter partes, ſed diſcordes receſſerunt.

[a] facta est pax. (a) Quod cum Leodii nuntiatum fuisset Gandenses succubuisse, non credebatur. Unus vero asserens se pro certo scire, taliter fuit invasus a Leodiensibus, quod vix evasit, quin projectus fuisset in Mosam. Eodem tempore Odolphus villicus domini Leodiensis habebat duos captivos super portam Trajectensem, quos tenuerat ultra constitutum; & dictum fuerat sibi per magistros, quod de eis faceret quod deberet, & illa nocte evaserunt. Quibus auditis, prædictus Odulphus demandatus super consilium, excusavit se & factum; sed foramen per quod dicebantur exisse tale fuit, quod omnibus videbatur negotium fictum. Igitur prædictus villicus proscriptus fuit & proclamatus ex oppido Trajectensi per x. annos. Propter quod dominus Leodiensis iratus, voluit quod iterum revocarent eum, [b] (b) quod cum renuissent facere, vocavit magistros & consules & totum consilium Trajectense ad pacem Leodiensem. Qui quoniam dux Burgundiæ post pacem Gandavensem iverat ad colloquium imperatoris in Ratisbona, & ideo ad eum accessum non habebant, deposuerunt querelam suam coram consilio Brabantiæ, & præceptum fuit eis, ut nullo modo obedirent. Unde oppidani in unum congregati totam causam istam commiserunt XII. civibus, quos elegerunt ex seipsis, promittentes ratum tenere quicquid per eos fieret.

Igitur dominus Leodiensis, comperto quod dominus dux non esset in patria, citius quo potuit, prosecutus est appellationem suam. Trajectenses autem fortificaverunt villam suam, stantes super vigilias suas, parati ad resistendum, non ad obediendum, quia dicebant se non debere nec posse vocari ad pacem. Cumque dominus Leodiensis vellet [c] eos anathematizare, magistri civium (c) Leodiensium accesserunt ad ipsum, & dixerunt quod propter hanc causam non vellent inire bellum, [d] (d) sed irent ad Trajectum, & facerent concordiam, si possent. Et acceptis secum dominis de capitulo, iverunt illuc, & ordinata fuit una diæta in Trajecto, ad quam dominus Leodiensis præsens fuit cum dominis de capitulo & consiliariis suis. Fuerunt etiam ibi domini de consilio Brabantiæ. Sed propter multiplices querelas, iterum posita fuit alia diæta inter Dionantum & Boviniam, & ut Trajectenses adessent. Et clamatum per patriam, ut quicumque haberet querelam contra aliquem commorantem in patria ducis, quod daret eam in scriptis domino Leodiensi, aut ejus consilio. Similiter clamatum fuit in Thenis-monte, & in Namurco, & in dominio ducis.

Dieta Trajectensis.

Adveniente (e) die tot fuere querelæ quod omnes fuerunt attædiati. Tunc cancellarius Brabantiæ dixit: Vos Leodienses seminatis inter vos quod dominus dux sit defunctus, & incipiunt se aliqui erigere: Non est ita, sed ipse est in bono statu, & in brevi erit hic. Et ergo causa Trajectensis mancat suspensa usque ad reditum ejus. De omnibus istis aliis causis bonum est quod expediantur in locis suis, & ibi sint ad diætas conceptas qui inquisitionem faciant, & dent unicuique quod justum est. De hoc quod dominus de *Haberding* petit unam summam pecuniarum, dicimus, quod id quod petit, ponat in scriptis, & vos desuper, habita deliberatione, respondeatis. Et sic quilibet rediit in sua. Eodem tempore fuit concursus ad nostram Dominam in claustro S. Lamberti, quæ claruerat ibi miraculis anno MCCCCLI. [e]

De sorore dominiepisc.

In diebus illis domina JACOBA abbatissa *de Torne*, soror domini Leodiensis, relicto baculo pastorali, stetit cum domino episcopo fratre suo in *Curinghen*, & in Leodio. (f) Anno MCCCCLIII. obiit in S. Lamberto domicellus *de Lyekerck* archidiaconus Campiniæ in ecclesia Leodiensi, quæ est melior & pinguior præbenda in ecclesia Leodiensi. Quam dominus Leodiensis, juxta quod addixerat domino duci, voluit dare domino duci de *Bourbon*, consanguineo domini ducis. Quod ut dicta soror ejus cognovit, irata valde invasit eum dicens, quod semper postponeret suos, & exaltaret extraneos. At ille noluit eam contristare, fecit quod petiit, & dedit prædictum archidiaconatum cum præbenda filio comitis de *Solmen*. (g) Qua de causa consiliarii domini ducis graviter fuere indignati. Et ferebatur Leodii, quod cum quadam vice obvios habuisset aliquos ex familiaribus domini ducis in campis, & paucos haberet secum, interrogaverunt eum, an cum principe derisionem suam faceret, quod ei jam secundo primam præbendam promisisset, sed semper alteri daret. Tunc nesciens quid diceret, fertur respondisse, quod ei meliorem servaret. Interrogantibus [f] [g]

[a] Diarium addit: *Nam Gandavenses domino duci obtulerunt in ima cedula formam pacis, quam acceptavit, adhuc in campis existens. Qua fama cum pervenisset Leodii, omnino extinguebatur, nec licebat dicere quod Gandavenses succubuissent, &c.*

[b] Diarium ita prosequitur: *At illi responderunt quod secundum francisias eorum non solum debebat bannire, sed & decapitari. Tunc dominus Leodiensis intulit: Ergo injuste proclamastis eum, non servantes francisias vestras; & vocavit magistros civium & omnes consules ad pacem, &c.*

[c] *Henricus de Calcia & consules, &c.*

[d] Diarium addit: *Sed colligeretur una diæta, & videretur si causa posset amicabiliter finiri. Posita igitur fuit diæta ad primam Maii in Trajecto, ubi consilium Brabantia venit &c.*

[e] De his ita Diarium: *Anno Domini* MCCCCLIV. *Habita est diæta infra Dionantum & Boviniam, & fuerunt querelæ ab utrisque partibus tot & tanta, quod vix poterat veniri ad finem: Alexander* Berart *in diebus illis ita egregie pro domino Leodiensi respondebat, quod etiam alii inde mirarentur. Tunc cancellarius, &c.*

[f] Diarium addit: *Et ferebatur quod dominus Leodiensis intendebat eam alicui nuptui tradere, præcipue domicello Everardo de Marcha, quia dominus Leodiensis adhuc tenebat foralitia de* Rochefort *& Agymont. Sed domicellus Everardus in brevi obiit, & sic fama illa evanuit. In anno præcedenti obierat domicellus de* Lieketk, *&c.*

[g] Diarium addit: *Qui cum faceret residentiam in Leodio, fecit fieri novum vitrum in capella, quæ stat ad sinistrum latus chori Leodiensis, ubi pinguntur arma patris & matris ejus.*

qualem;

qualem : reſpondit, baculum paſtoralem. Quod reſponſum libenter acceperunt, & gratum fore principi reſponderunt. Neſcio an fuerit ſic. Hæc & multa alia dicebantur Leodii ante renuntiationem factam & poſt.

[a] In diebus illis magiſter Geneſius (a) prædicabat Leodii & acceptus fuit plebi, ſed non clero, quia fecit fieri ſtatutum contra adulteros & fornicatios, ſed non multum duravit.

Proponit dominus Leod. cum regeFranciæ colloquium.

Anno MCCCCLIV. dominus JOHANNES DE HEYNSBERCH epiſcopus Leodienſis incœpit proponere, & inter ſuos colloqui de eundo ad regem Franciæ, & renovare antiquam amicitiam. Contigit etiam, ut procedente tempore caperetur domicellus Wilhelmus de *Argenteal*, qui habebat filiam domicelli Caroli de Linthris uxorem, ſororem Razonis de Linthris, & duceretur captivus per homines domini de *Haberding*. Quapropter multus rumor ſurrexit in populo, unde dominus Leodienſis, qui aliquid videbatur gerere in corde, quod nolebat exprimere, propoſuit ſuper palatium, quod patria fortificaretur contra tales diſcurſus & excurſus, & quod fierent foſſata *de Brearez* uſque ad Gecoram, & ſimiliter in comitatu Loſſenſi, & phalangæ ponerentur in locis optimis. Et incœperunt fieri foſſata XVI. pedum latitudinis ab una parte, & in medio congeries, ubi terra ex utraque parte projiceretur in altum etiam XVI. pedum latitudinis, & ab alia parte etiam foſſata XVI. pedum latitudinis, hoc eſt ſimul XLVIII. pedum latitudinis. Et fuit ſuper hoc edictum generale, ſed & illi de comitatu Loſſenſi fuerunt demandati ad fodiendum; & oportebat quod quilibet faceret diætas ſuas expenſis propriis, ſecundum quod erant deſcripti. Abbatiſſa Vallis noſtræ Dominæ paſſa eſt ibi in terris ſuis gravia damna, ſed erat poſt Auguſtum. Dominus vero comes *de Mors* petebat ſibi ſatisfieri de damnis habitis in terris ſuis, quando factus fuit novus alveus Moſæ, ne fortalitium de *Stochem* omnino per curſum Moſæ deleretur.

Foſſata in patria Leodienſi facta.

Igitur anno MCCCCLV. dominus Leodienſis obtinuit conſenſum civitatis & patriæ, quod debebant levari per patriam XVI. millia florenorum Rhenenſium ad viſitandum regem Franciæ, & novem millia ad ſatisfaciendum comiti *de Mors*, & abbatiſſæ prædictæ, & aliis qui damna haberent propter foſſata prædicta. Cumque cedulæ mitterentur per patriam & comitatum Loſſenſem, facta eſt una generalis murmuratio omnium, dicentium, quod cedulæ plus continerent quam XL. vel L. millia, & clamabat populus, quod magiſtri taliter corrigerentur & clerici, quod in perpetuum haberetur memoria. Erantque magiſtri Conrardus *de Lers* & Ægidius *de Lens*, & vocatum eſt palatium ſimul in Dominica poſt aſcenſionem Domini.

Calixti papæ creatio.

Eodem die venerunt nuntii domini papæ CALIXTI tertii, nuntiantes obitum papæ NICOLAI fuiſſe XVII. Martii, quo die etiam obierat epiſcopus Trajectenſis, & ſic dominus Leodienſis fecit cantari ſpecialem miſſam in S. Lamberto, ad revocandum populum a palatio. Cumque miſſa cantaretur, venit magiſter Eymericus cancellarius & ſigilliſer domini Leodienſis, & dixit religioſis ſancti Laurentii & S. Jacobi ſtantibus juxta altare, jocando: *Oretis ut iſte papa non ſit Burgundicus, quia alter Calixtus fuit ducis Burgundiæ filius*, parum cogitans quid infra annum accideret.

Eodem die miſſa cantata, nuntiatum eſt domino Leodienſi, quod JACOBA ſoror ejus, receſſiſſet de *Curinghen*, & intraſſet religionem in domo (b) Bethaniæ Mechlinienſis: quo nuntio percepto, conſternatus eſt animo valde, & omnes ſui. [b]

In feſtis Pentecoſtes venit dominus dux Burgundiæ Lovanium, & receptus fuit cum tædis ardentibus & luminaribus multis, ſyrenis ſtillantibus lac & vinum in abundantia. Venit etiam dominus Leodienſis ad diætam ibi poſitam inter ipſum & Trajectenſes, & inter ipſum & principem de multis aliis cauſis. Fueruntque parlamenta inter ipſos in loco refectorii Prædicatorum Lovanienſium, & ibi conveniebant. Fueruntque Trajectenſes abſoluti, & collecta una alia diæta in feſto Omnium-ſanctorum. Trajectenſes igitur ad oppidum ſuum venientes, fecerunt fieri ſedes judicum juxta peronem, cum quatuor leonibus cupreis, ſicut cernitur in memoriam futurorum. Interim miniſteriales de Leodio omnino volebant, quod magiſtri & hi qui feciſſent ſcribi ſchedulas, corrigerentur. Magiſter Gerardus *de Lers* dixit, quod nihil forefeciſſet, dediſſet clavem ſigilli ſocio ſuo, & non ſuſtineret aliquam correctionem. Tandem indultum fuit tam majoribus quam minoribus; verumtamen nullus amplius auſus fuit loqui de eundo ad Franciam, aut de collecta pecuniarum.

In feſto S. Jacobi electi ſunt in magiſtros duo de nobilibus, ſcilicet domicellus Johannes *delle Boverie* dictus *by Ruyt*, & dominus

(a) Diarium. *Eodem anno* MCCCCLIV. *in quadrageſima prædicabat Leodii magiſter Geneſius de ordine Minorum, & multa dicebat contra focarias presbyterorum & canonicorum, contra blaſphemos & adulteros: Propter quod magiſtri & conſules ordinaverunt inter ſe, quod nullus ſedens in adulterio publico, portaret officia civitatis, & adulteræ & focariæ portarent ſignum diſtinctum in ſuperiori veſtimento, per quod poſſent cognoſci. Et ad correctionem blaſphemantium, erigeretur in foro juxta ripam, una forma juſtitiæ, vocata vulgariter* ung Pilloriu, *ubi tales punirentur citra mortem. Quapropter multi de clero indignabantur pradicto magiſtro Geneſio. Tandem poſt multas altercationes inde habitas, prædictum Pillorium fuit erectum ſuper forum, ſed non diu ibi ſtetit, quia fuit depoſitum, & aliis magiſtris ordinatis, nihil amplius inde fuit ſecutum. Fueruntque magiſtri Henricus do Calciata & Ægidius de Aquila, qui dictus eſt de Hoyo. In feſto S. Jacobi fuerunt electi in magiſtros domicellus Conrardus de* Lers *& Ægidius de* Lens.

[b] Regulariſſarum.

Amelius *de Velruz*. Contigit igitur ut homines episcopi persequerentur unum molendinarium ad capiendum eum, qui fugiens juxta molendinum suum subtus Trajectum submersus fuit, & ipse erat de ministerio multorum Leodiensium. Quapropter querela facta Leodii, voluit communitas quod homines episcopi punirentur tamquam homicidæ. Episcopus super palatium excusavit eos. Tandem dixit eis: clametis & faciatis sicut vultis, vos estis altius quam venire poteritis. Quod verbum multi notaverunt, nescientes quid significaret. Igitur opus fossarum mansit imperfectum, & dominus Leodiensis ivit versus Mechliniam visitatum sororem suam, & subito vocatis multis artificibus, fecit sibi fieri infra quatuor menses valde pulchram domum, providendo sibi sufficienter de pensionibus ad vitam satis abundanter. Ipse vero descendit (*a*) cum domino duce ad Hollandiam in Hagis, fuitque ibi demandatus comes *de Blanckenhem*, & post quatuor hebdomadas dominus Leodiensis venit in oppido de Breda, & intravit Hospitium de Cygno, & in crastino, hoc est in die Ceciliæ, constituit procuratores irrevocabiles ad renuntiandum episcopatui Leodiensi in manu summi pontificis, & cum hoc juravit, quod numquam contraveniret, sub obligatione omnium bonorum suorum, & patrimonii sui. (*b*) Altera die recessit ab oppido, & venit in *Diest*, & non potuit se continere a gemitu & lacrymis. Reversus Leodium, cœpit fama divulgari, quod renuntiasset episcopatui. Et subito in Leodio tantus fuit clamor & luctus, quod vix credi possit, veneruntque magistri & nobiles ad eum, dicentes quod diceret eis veritatem, ipsi omnes vellent vivere & mori cum eo. Ipse solum respondit: Ego adhuc sum episcopus vester, nolite turbari, negotia bene venient. Cumque interrogarent, an vi vel metu ad hoc inductus fuisset, respondit quod non. Ista autem fama per civitatem seminata, factus est planctus magnus virorum & mulierum, dicentium nos omnes erimus destructi & ad voluntatem. In crastino, cum viderent quod aliud responsum ab eo non haberent, dixerunt ad invicem: Quid vultis quod faciamus? Episcopus noster non curat de nobis, & dimisit nos, dimittamus eum, & efficiamur omnes Burgundiones. Et cœperunt dominum *Heinsberch* detestari, & imponere sibi, quod exspoliasset patriam, & ad aliud nihil studuisset, nisi extrahere pecuniam. (*c*) Igitur cum domini de capitulo majori habuissent scripta a curia Romana, quod dominus papa acceptasset renuntiationem factam per dominum Johannem *de Heinsberch*, indixerunt capitulum ad feriam VI. post octavas ascensionis, ut omnes præsentes essent, & ibidem concluserunt ad administrationem manus ponere, & non amplius tenere dominum JOHANNEM DE HEINSBERCH pro domino suo. Et ordinaverunt sigilliferum dominum Walterum *de Corswaeren* cum magistro Arnoldo *Wit*, qui erat officialis capituli, officialemque de novo instituerunt, cancellariumque fecerunt dominum Hermannum de Eldris, & præceperunt magistro Eymerico *Groy*, quod de causis amplius se non interponat, & quod tamquam sigillifer recepisset, a feria tertia Paschæ usque ad illam diem, taliter disponeret, quod inde rationem reddere posset.

His auditis, multum consternatus dominus JOHANNES DE HEINSBERCH, venit festinanter Leodium, & in fatibus episcopalibus, præcedentibus feodalibus & villico, intravit capitulum, (*d*) & sedit Alexander *Berart* ad pedes ejus. Tunc cœpit conqueri quod ipsi antequam audissent vel vidissent certa nova, ipsi ultro intruderent se in jurisdictionem, & hi essent principales contra ipsum, quos promovisset & exaltasset, ipsi audirent alia. Scholasticus respondit, quod ipsi haberent certa nova, & esset absolutus. Et si vellet intelligere quod esset continuatus, in verbo continuationis poneretur unum *si*; quod esset conditio, quam non acceptarent. Et præcepit villico, quod deponeret virgam, quia non tenerent eum pro domino suo. Dominus JOHANNES dixit villico, quod non deponeret. Capitulum tunc requisivit a villico sub juramento suo, quod submitteret virgam, quod & fecit. Videns igitur dominus JOHANNES episcopus, quod ita sibi essent contrarii, ivit illo sero ad domum magistri *Waldorey* ad inveniendum modum quo posset placare populum, & cum invenire non possent, aut tentare aliquid contra capitulum non auderent, recessit ipse a Leodio, & ivit versus dominum ducem in Hagis Hollandiæ, ubi tunc dominus dux residebat cum CAROLO filio suo, ad concordandum episcopatum & diœcesim Traje-

[a] Addit Diarium: *Circa finem Octobris.*

[b] Addit Diarium: *Unde postea multum doluit, & sæpissime flevit.*

(*c*) Addit Diarium: *Anno Domini* MCCCCLVI. *in die Circumcisionis Domini, obiit magister Johannes de Monte, decanus Leodiensis, & in feria* IV. *sequente, cantata fuit specialis missa in S. Lamberto pro episcopo qui præsens erat.*

Cum anno Dominicæ incarnationis MCCCCLV. *mensis Novembris die* XXII. *dominus Johannes* de Heinsberch *episcopus Leodiensis, episcopat. sui anno* XXXVI. *in oppido de Breda in hospitio de Cigno constituisset procuratores irrevocabiles ad renuntiationem dictæ dignitati episcopali Leodiensi, in manus SS. domini nostri domini Calixti papæ tertii, prædicti procuratores renuntiationem prædictam fecerunt feria secunda Paschalis hebdomadæ quæ erat penultima dies mensis Martii, anni* MCCCCLVI. *Et dominus papa eam acceptavit, & de prædicto episcopatu provisit domino* LUDOVICO *filio domini ducis de* BOURBON, *ex sorore domini Philippi ducis Burgundiæ, continuando etiam ipsum dominum Johannem in administratione episcopatus prædicti, & dispensando cum ipso domino Ludovico electo per septennium, a susceptione ordinum ecclesiasticorum, etsi hæc continuatio congrue fieri non posset. Tunc dominus Johannes episcopus prædictus, omni anno de bonis ipsius episcopatus percipiebat, quamdiu viveret, octo millia florenorum Rhenensium, sic dicebatur publice Leodii.*

[d] Addit Diarium: *In profesto S. Trinitatis.*

Episcopus Leod. constituit procuratores ad renuntiandū.

Canonici Leod. ecclesiæ sumunt sibi administrationem & creant officiales.

ctenſem, qui cum maxima difficultate voluerunt recipere dominum DAVID epiſcopum Cameracenſem, filium domini ducis naturalem, in ſuum epiſcopum Trajectenſem.

In feſto tranſlationis S. Servatii, quod erat feria ſecunda, venerunt procuratores novi electi, & præſentaverunt dominis de capitulo bullam, & petierunt ex nomine domini ducis, quod non fieret manburnus, quia dominus dux prope eſſet, & non eſſet neceſſe. Illo die patria fuerat demandata, & illi de Hoyo & Dyonanto multum inſtigabant populum ut fieret unus manburnus. Magiſtri & conſules fuerunt in capitulo, ut ſimul cum illis eligerent manburnum. Capitulum reſpondit quod magiſtri nec alii habebant intereſſe, ſed pertineret ad dominos de capitulo, nec volebant domini de capitulo recognoſcere nobiles, nec alios aliquid jus habere ad faciendum manburnum. Magiſtri quæſiverunt conſilium a ſcabinis, ſcabini venerunt in capitulo apportantes ſecum unum librum, rubeo corio coopertum, ubi ſic invenichatur ſcriptum. ELIGERE EPISCOPUM PERTINET AD SOLUM CAPITULUM, SED FACERE MANBURNUM PERTINET AD TRES STATUS PATRIÆ. Super quo ſtatim magiſtri dederunt arrham notario, & petierunt unum inſtrumentum, vel plura. Feria IV. de ſero apparuit cometa ſuper montem & eccleſiam Minorum Leodienſium, dirigens radios ſuos quaſi crinitos directe ſuper forum Leodienſem, & regirans ſe verſus ſanctam Walburgem & Votemiam, & ſic apparuit quinque vel ſex diebus continuis. De mane, id eſt feria V. tantus fuit tumultus & concurſus populi in civitate Leodienſi ad faciendum manburnum, quod magiſtri territi hora prandii convocaverunt palatium, & vix poterant ſedare populum.

Aliquos pertinuit manburnum creare.

In craſtino S. Johannis-Baptiſtæ fuit receptus tamquam procurator nomine electi dominus epiſcopus Attrebatenſis; qui venit per Trajectum, cum aliis procuratoribus, ubi ſtabat dominus JOHANNES DE HEINSBERCH, de quo populus communis multum murmurabat, nolens eum amplius habere rectorem, ac dominum. (a) Et conſtituta eſt dies in qua dominus electus reciperetur, ſcilicet feria tertia in qua evenit feſtum S. Margaretæ. Interim dominus Walterus *de Corſvvaren*, qui fuerat per capitulum poſitus ad ſigillum, & Hermannus de Eldris, & dominus *de Corſvvaren* miles, iverunt verſus electum, & confirmati fuerunt in officiis ſuis, & incœperunt præparare palatium ad recipiendum novum dominum. Miniſteriales etiam in Leodio cœperunt præparare arma ſua, & mundare ad illum diem. Fueruntque portati panni, ad ornandum parietes palatii, de domo domini ducis, & in eccleſia Leodienſi pendebat pannus continens hiſtoriam Apocalypſis. Venitque electus in *Curinghen*, (b) deinde in craſtino venit ad dominum JOHANNEM DE HEINSBERCH in Trajecto, qui ibi congregaverat omnes amicos ſuos ad aſſociandum electo, & dicebatur quod veniſſet etiam perſonaliter, ſed noluerunt Leodienſes quod veniret. Feria tertia venit electus de Trajecto ad Leodium, occurreruntque ei exules & banniti in *Harſtal*, in magno numero, oportuitque quod magiſtri civium Leodienſium haberent quilibet CL. florenos Rhenenſes, alioquin minabantur claudere portas, quod numquam legitur fuiſſe factum. Et intravit dominus civitatem Leodienſem ſedens ſuper equum, indutus veſte rubea, habens unum parvum pileum ſuper caput, quod multis diſplicuit, inter epiſcopum Cameracenſem a dextris, & epiſcopum Atrebatenſem a ſiniſtris. Deinde comes *de Mors* & comes *de Horne*, cum ceteris amicis domini *de Heinsberch*. Deinde dominus de Bergis, & villicus Lovanienſis, cum multis aliis de Brabantia. Sed Leodienſes ingratanter acceperunt, quod non comparuit aliquis de cognatione ejus, neque aliquis alicujus nominis de familia domini ducis, ſed fuiſſet major pars de amicis domini *de Heinsberch*. Fuerant circiter mille quingenti equeſtres, quorum multi prandio facto receſſerunt ad propria. (c) Feria quinta fuit cantata ſpecialis miſſa in S. Lamberto, & fuit electus & omnes canonici in cappis. Feria ſexta ivit ad Hoyum in navi, & cum eo epiſcopus Atrebatenſis; Cameracenſis jam receſſerat, & dehinc ad Dionantum. Feria V. rediit iterum ad Leodium per navim, & deinde ad Trajectum, Tongris, *Loz*, *Haſſelt*: &c. & ſic ad Lovanium. Miſſi fuerunt procuratores ſui ad abbatias, ut mutuarent ſibi pecunias, & omnes excuſaverunt ſe. In ſancto Laurentio monachi collegerunt cc. florenos Rhenenſes, & inde fecerunt domino electo propinam. Ille quia juvenis erat, non animadvertit cauſam, accepit pecuniam, dereliquit judicium & juſtitiam. Hoc primum initium operum ejus.

Epiſcopus Atrebatenſis procurator domini electi.

[a]

[b]

Electi ingreſſus in civitatem Leod.

[c]

In reliqua oppida patriæ.

In feſto S. Jacobi electi ſunt in magiſtros civium magiſter Johannes *de Streel*, & Gerardus *Campſor*. Et nota quod in præcedentibus de magiſtris non feci mentionem, quam deinceps faciam, hac ratione, quia temporibus præteritis dominus Leodienſis erat caput patriæ, & poteſtas apud eum, licet pro tempore oportebat multa diſſimulare. Deinceps vero, quia dominus electus juvenis erat,

[a] *Procuratores autem prædicti excuſaverunt ſe de hoc, & quod dominus de* Heinsberch *libere renuntiaſſet, & putarent quod non vellet eſſe ſervus, ubi fuerat dominus. Petieruntque trium hebdomadarum tempus ad recipiendum novum dominum, & quod non fieret manburnus, &c.* Diarium.

(b) *In feſto tranſlationis S. Benedicti.* Ex Diario.

(c) *In craſtino (feria IV.) fuerunt proceſſiones in S. Laurentio, ubi fuit tantus populus ſicut a longo tempore fuerat viſus Leodii.* Diarium.

& inexpertus, non conſideravit quale onus ſuſceperat, nec dedit cor ſuum ad requirendum Deum, & ideo dereliquit eum Dominus in manu conſilii ſui, & parum proſperatus fuit in omnibus ad quæ manum ponere voluiſſet. Nam ipſe multas pecunias hinc inde mutuaverat, & omnes qui ſecum venerant ditari volebant, & quivis pro ſeipſo ſollicitus erat. Ideo de die in diem juſtitia pereunte, cœpit cupiditas & iniquitas frondeſcere, & calumnia ampliari. E converſo magiſtri & conſules & miniſteriales incœperunt ſe erigere ad obviandum, & franchiſias ſuas ad ampliora extendere. Unde ſtatim in menſe Auguſto, quia magiſtri & conſules intellexerunt quod dominus electus intenderet mutuare pecuniam a Lombardis, & traxerunt pro meliori parte emolumenta ad ſe, quæ ad fiſcum epiſcopi prius ſolebant pertinere. Item fecerunt & aliud ſtatutum, ſcilicet quod blada non ducerentur extra patriam, & quod illi de ſancto Petro juxta Trajectum non poſſent braxinare ſortem cerviſiam ſine licentia magiſtrorum, unde epiſcopus ſolebat recipere annuatim magnam ſummam. Item, magiſter Gerardus prædictus cum aliquibus de conſilio ivit in *Franchimont*, & plantavit ibi peronem, præcipiendo ſub indignatione civitatis, ne quis contraire auderet. Item, idem dominum Johannem *de Ville* poſuit in poſſeſſionem unius feodi in comitatu Loſſenſi, de quo lis pendebat coram feodalibus domini, præcipiendo ſuper indignatione civitatis, ne aliquis eum moleſtaret. De his ſtatim cœpit controverſia inter electum & conſules civitatis. Electus etiam neſcitur quo conſilio uſus, cœpit facere monetam cupream de blulardis, faciens proclamari ſuos blulardos ad VI. denarios, & domini *de Heinsberch* ad IV. denarios, unde communis populus fecit deriſionem, & noluit recipere aliquos niſi ad IV. denarios tantum. Similiter de denariis ejus argenteis & aureis factum eſt, non ſecundum proclamationem, ſed ſecundum arbitrium aurifabrorum.

Terræ motus. In craſtino Bartholomæi apoſtoli fuit terræ motus circa Leodium hora tertia noctis, & cœpit eſſe aër peſtilentialis, & obierunt multi, præcipue ultra Moſam, ſed non diu duravit. In diebus illis cum dominus dux Burgundiæ eſſet in expeditione ad obſidendam Davantriam, (a) confugit ad ejus protectionem dominus LUDOVICUS dalphinus Franciæ, quem conduxit ad dominum ducem mareſchallus Burgundiæ, cui occurrit dominus dux Lovanii in feſto S. Michaëlis, & ſteterit in Geneppia caſtro, uſque ad obitum patris ſui, quod Brabantinis & Leodienſibus male placuit. Accedit in adventu Domini, ut homines domini de Bierlo occiderent unum incolam Meſſienſem, de quo facto dominus Leodienſis fecit unam inquiſitionem. Sed magiſtri Leodienſes miſerunt ibi mandatum ſub indignatione civitatis, quod non procederetur ulterius. (b) [b]

Ludovicus Franciæ delphinus confugit ad Philippum ducē. [a]

In die Circumciſionis Domini fuit clamatum ad peronem, quod dominus JOHANNES DE HEINSBERCH haberet ſalvum conductum per annum cum omnibus ſecum venientibus, & fuit invitatus a magiſtris ad feſtum epiphaniæ, & amici ſui iverunt ei obviam, & introduxerunt eum in civitatem ſolemniter, & feſtivaverunt eum, ſed in craſtino iterum receſſit.

Obitus ducis Borbonniæ patris electi. In diebus illis obiit dux Borboniæ pater electi, de quo factæ fuerunt ſolemnes exequiæ in eccleſia Leodienſi V. feria poſt epiphaniam, ſed electus non fecit convivium, nec agapen pauperibus. In initio quadrageſimæ (c) venit primo dominus *de Blanckenhem*, [c] ut eſſet de conſilio, & præſideret in temporalibus. Et poſt dies octo (d) venit epiſcopus Sueſſionenſis ut præſideret in ſpiritualibus. [d] In craſtino fuerunt in capitulo Leodienſi, & fuit propoſitum de pecuniis quas petebat a civitate dominus *de Haberduige*, de quibus jam pluries facta fuerat mentio: ſed magiſter Gerardus reſpondit, quod de illo nollent amplius audire loqui, quia mallent omnes mori in campis, quam dare illi unum denarium; & ſi ſcirent aliquem de civibus ſuis, qui vellet loqui pro ipſo, taliter corrigerent eum, quod omnibus cederet in exemplum, & ſic nemo fuit auſus inde amplius loqui.

In menſe Maii Trajectenſes tenuerunt executorem mandatorum viginti duorum, propter quod Leodienſes e converſo tenuerunt Trajectenſes. Item, ſimiliter ortum eſt diſturbium inter Leodienſes & Aquenſes, & dominus dux ſcripſit pro Aquenſibus, ſed Leodienſes non videbantur curare. Item, dominus Balduinus de Fontanis noluit obedire mandatis viginti duorum; quapropter Leodienſes propoſuerunt exire & deſtruere fortalitium ſuum, & præparaverunt ſe, & erant vexilla ſuper forum exploſa. Et rumor inde magnus ſurrexit in finibus patriæ, ita ut illi qui illic morabantur, omnia ſua ad tutiora loca transferrent. E converſo dominus dux monuit omnes ſuos, ut ad ſonum campanæ eſſent parati, & ſic poſita fuit una diæta in Trajecto, deinde in *Cuyngben*, &

[a] *Dominus dux obſedit Davantriam in menſe Octobri, ſed tempus ita pluvioſum fuit, quod multi diſſenteria laboraverunt, & levata obſidione, cum illis de Campis & Suvellis venerunt ad pacem. In die Severini venit electus iterum in civitate, & petivit ſubſidium a clero, quod conceſſum ſibi fuit ad duos termines, ſcilicet pro modio ſpeltæ unum blaffardum.* Diarium.

[b] *Quia non liceret facere inquiſitionem ſuper cive Leodienſi.* Diarium.

(c) *Dominica ſeptuageſima venit dominus de* Blanckenhem, *&c.* Diarium.

(d) Et *Dominica ſexageſima venit epiſcopus Sueſſionenſis, &c.*

concordia

concordia facta eſt inter Trajectenſes, Aquenſes, & Leodienſes, ſed non cum Balduino de Fontanis.

In feſto Jacobi facti ſunt magiſtri civium *Bare-Surle* & *Gerart Tollet*. Tunc cœpit electus conqueri de injuriis ſibi anno præcedente illatis. Fuitque diæta una poſita in Trajecto, quæ tranſlata fuit in S. Trudone, in qua diæta fuit factus unus jactus pacis, in quo continebatur : LAUDABILES USUS ET CONSUETUDINES, &c. Eratque ibi tunc præſens Johannes Rigaldi cum ſimilibus ſociis, & facta fuerunt ibi multa verba, propter illud verbum *Laudable*. Nam congregato palatio Leodii ad requeſtam Wilhelmi de Violetta, Johannis Rigaldi & *Giele Ponchi*, propoſuerunt ibi prædicti tres cum ſociis eorum, multa de hoc verbo *Laudable*. Et clamabat prædictus Wilhelmus : O vos optimi cives, benedicite Deum, qui fuit amicus veſter, quia unico verbo vos decipere volunt, quo omnes franciſias veſtras amittatis, proponentes vobis terminos quos non intelligitis. Quid eſt *laudable?* eſt-ne Latinum vel Gallicum, bene ſcio, inquit, quod non eſt Theutonicum ; & multa in hunc modum, ſemper reſumendo *laudable*, *laudable*. Magiſtro *Bare* ibi ſtante cum multis amicis ſuis, & volente rationem reddere, incœperunt taliter ſuccla-mare, quod non potuit habere audientiam. Tandem elevata voce clamavit : Quid clamatur, quid muſſitatur? dicatur unum vel aliud : ſi ſum malus, probate me malum, non intrabo domum meam, niſi ſcivero unum vel aliud. Tertia die dictum eſt ſibi quod haberetur excuſatus. Illi tamen qui fuerunt cum Wilhelmo de Violetta, non fuerunt xx. in numero, & fere totidem qui ſtabant inferius, & rumorem excitabant. In derogationem tamen magiſtrorum dicebant ad alterutrum, *laudable*, *laudable*.

Dicta in S. Trudone.

Recordiem petit electus a ſcabinis.

De iſtis XVIII. punctis, in quibus Leodienſes franciſias ſuas ampliaverant, dominus Leodienſis petiit recordium a ſcabinis, & magiſtri adjournati fecerunt proteſtationem, quod prædictum recordium non poſſet infringere franciſias, libertates, antiquas conſuetudines civitatis, & pacem de *Fexhe* de XVI. & novum regimen. Poſt multas dilationes ſcabini reddiderunt recordium, reſpondentes ad ſingula puncta, per ſingulas clauſulas alicujus pacis. Cumque ad unum punctum (*a*) reſpondiſſet per ſtatuta civitatis, [a] dixit prædictus Wilhelmus, quod ad illa non tenerentur, quia ſolum debebant durare XII. annis, & eſſet jam tempus elapſum LXXX. annorum. Et ſic manſit negotium ſicut prius fuerat, & contra dominum Leodienſem quotidie invaleſcebant. Cum igitur populares inciperent murmurare contra dominum electum, dicentes ad alterutrum : Quid fecimus ita cito iſti juveni, qui jam vix annum tranſiit, & ſic eſt indignatus civitati ſuæ & patriæ. Contigit duos juvenes ſedere in taberna prope Warennam, quorum unus duxerat ſororem alterius, quaſi ebrios. Quorum unus fertur dixiſſe verba contra dominum, ſcilicet quod vellet quod invaderetur, vel ſimilia, & eſſet præſens. Alter dicebatur eum increpaſſe quod male loqueretur. Qui interrogatus tunc ab alio an ſe tunc deſereret, fertur reſpondiſſe quod non, ad eum pacificandum tamquam ebrium. Comprehenſi ſunt igitur ambo, & primus ligatus ſuper menſam, primo cultro carnificis percuſſus fuit in pectore uſque ad cor, deinde adhuc viventi brachia & crura ſibi abſciſſa, poſtea caput amputatum. Alter decapitatus fuit ad terrorem aliorum, per Wilhelmum *de Ordinghen* ballivum Haſbaniæ ; de qua juſtitia multi fuere contriſtati. Et quod factum fuit ad incutiendum timorem, verſum fuit in horrorem, & tulit a vulgaribus omnem amorem & favorem verſus ſuum principem & dominum. Leodienſes in omnibus diætis pacis & concordiæ ſemper hunc caſum allegabant, aſſerentes ſine judicio eos interfectos, &c. neſcio quid fuerit, &c.

Severior in duos juvenes animadverſio.

Indignantur Leodienſes.

Videntes igitur boni viri tam de clero quam de populo, quod res iſta valde eſſet periculoſa, rogaverunt dominos de Majori quod vellent ire ad dominum, & rogare ipſum quod vellet aliquid diſſimulare, quia non expediret ſibi nec patriæ ſic procedere. Tunc domini de capitulo rogaverunt magiſtros, quod vellent dominum ſuum recognoſcere, & ſe modicum humiliare erga eum, ipſi eſſent boni mediatores ad concordandum partes. Magiſtri cum dominis de capitulo iverunt ad Trajectum, & diſſimulatis his quæ geſta fuerant, invitaverunt dominum Leodienſem ad feſtum epiphaniæ. Et venit, & receptus fuit honorifice, & fuit iſta res modicum diſſimulata, factaque fuerunt haſtiludia in ſancto Trudone in carnisprivio.

In feſtis paſchalibus electus ſtetit in Hoyo, abſentando ſe a Leodio, & ibi tentus fuit Jacobus *de Morialmez* cum famulis ſuis, qui poſiti fuerant in carcere. Et cum torquerentur, reſpondebant ad interrogata. Dimiſſi vero negabant omnia, (*b*) & hoc non ſemel neque bis. Jacobus vero permittebatur ire per domos ſuper fide ſua. Magiſter Eymericus *Groy* & Alexander *Berart* laboraverunt ad liberandum ipſum, & ſcripſit civitas Leodienſis Hoyenſibus, quare tenerent civem ſuum captivum, requirentes quod dimitterent eum liberum. Tunc electus licentiavit omnes qui fuerunt de familia aut amicitia [b]

[a] *Cum veniſſent autem ad articulum de officialibus miniſteriorum, quod debebant juvare, quod non dediſſent vel promiſiſſent aliquid uſque ad valorem* IV. *denariorum, reſpondederunt per articulum* LXXIV. *ſtatutorum civitatis. Tunc Wilhelmus de Violetta.* Diarium.

[b] Videlicet de quodam homicidio, quod imputabatur, quod dominus Johannes de *Heinsberch* debuiſſet feciſſe fieri in partibus ſuperioribus circa Hannoniam. *Diarium.*

domini Johannis *de Heinsberch* quocumque titulo notabantur. Et assumsit secum tres de Leodio magis expertes in lege & consuetudinibus patriæ, qui fuerant prolocutores, scilicet Wilhelmum de Bellefro quem fecerat scabinum, magistrum *Waldorey* qui etiam [a] fuit scabinus per eum, (a) & Johannem Faber vulgariter vocatum de Meffia, qui fuit excellens prolocutor. Quadam nocte famuli prædicti Johannis *de Morialmez* fracto carcere fugerunt ad Leodium. Dominus dux electum Leodiensem & dominum Johannem *de Heinsberch* ad se vocavit in Gandavo, (b) ad concordandum eos. Sed dominus Johannes *de Heinsberch* quemdam processum per magistrum Eymericum & Alexandrum *Berart* compositum, posuit in manibus domini ducis, per quem Jacobus & familiares sui fuerunt absoluti sive liberati, & si electus vellet, posset eum coram judice suo trahere in causam, dum sibi vacaret, si vellet.

[b] Dux Burgundiæ mediator inter D. Johannem de *Heinsberch* & dominum electum.

In illis diebus, dum quadam vice magistri essent coram scabinis pro quadam causa tangente franchisias, prædictus *Waldorey*, post plura verba, respondit magistris, quod nimis large interpretarentur franchisias: si sic deberet fieri, quicquid mali oriretur, defenderetur per franchisias. Pro qua causa multum surrexit murmur in populo contra eum, & qui fuerat populo quondam acceptissimus, factus est ei gravis ad videndum, & odiosus. Statutumque est super consilium & confirmatum super palatium, quod magistri & consules eligendi, jurarent quod non essent futuri de consilio domini electi.

Statutum cõtra consiliarios domini electi.

(c) In die S. Jacobi anno MCCCCLVIII. fuerunt creati in magistros Renardus *de Roucreur* & Johannes *Heylman*, qui juraverunt se non esse futuros de consilio domini electi, nisi de consensu civitatis, & similiter juraverunt alii officiati. Electus stabat in Hoyo, & cum eo Johannes Faber & Willelmus de Bellefro cum aliis, qui suaserunt electo, & revocavit officium villici, & non habuit lex cursum suum in Leodio.

[c] Electus revocat officium villici Leod.

Magistri iverunt ad Hoyum, requirentes electum quod veniret in civitatem suam, & faceret exequi legem patriæ. Electus recusavit venire. Scripserunt domino duci, qui misit Almannum de Bruxella ad Leodium, cum litteris suis, ad videndum differentias inter electum & Leodienses. Qui honorifice susceptus a civitate, obtinuit quod una diæta teneretur in S. Trudone, & magistri adessent. Quod sic factum fuit, & dominus dux scripsit electo, quod iret ad Leodium & cum tribus statibus patriæ tractarent de concordia inter ipsum & civitatem suam, & sic venit in crastino Lucæ. In crastino fuit dominus electus super palatium, & voluit publice facere legi inquisitionem factam supra Jacobum *de Morialmez*. Tunc duo milites novi, scilicet dominus Ægidius de Hoyo, qui venerat die præcedenti de transmarinis partibus, & dominus Johannes dictus *le Ruyt*, qui venerat de rege Franciæ, cinctus baltheo per ipsum regem, rogaverunt electum, quod hac vice supersederet, ipsi vellent laborare ad pacem. (d)

Dieta in capite S. Trudonis.

[d] In diebus illis comitatus Lossensis cœpit valde conqueri de procuratoribus fiscalibus, propter nimiam vexationem qua pauperes opprimebant, replentes marsupia sua de substantiis pauperum, sed non poterant habere responsum. Sæpe mittebant ad electum, promittentes ei unam bonam propinam, sed totum pro nihilo. (e) Electus iterum ivit ad Hoyum, & ibi demandavit patriam. Leodienses noluerunt ibi venire. (f) Electus proponi faciebat multas querelas contra Leodienses. Alexander *Berart* & dominus *Bare* tunc se habebant inter se sicut fratres, & erat Alexander de consilio Leodiensium. Et omnes qui fuerunt de consilio domini Johannis *de Heinsberch* adhærebant magistris, quia dominus electus nolebat eos aspicere, propter aliquas rationes. Tres status patriæ per suos deputatos moderaverunt omnia puncta, exceptis quinque, quæ Leodienses noluerunt admittere, quia, ut dicebant, erant franchisiis eorum contraria. Electus iterum vocavit tres status in Hoyo, sed non illos de Leodio. Capitulum tamen rogavit magistros ut venirent secum. Cumque essent *Hoy*, Alexander *Berart* dixit verbum magistrorum coram statibus. Qui rogaverunt magistros, ut hæc proponerent etiam domino electo, & ejus consilio. Dominus electus respondit, quod magistri soli venirent; quod dum magistri renuerent, jussit ut venirent, sed ipse absentavit se, nolens Alexandrum nec audire nec videre. Magistris recedentibus proposita sunt illa quinque puncta. Et primo interrogati sunt domini de capitulo, respondit magister Judocus puncta esse rationabilia,

Excessus procuratorum fiscalium in comitatu Lossens.

[e]

[f]

[a] *Quibus fuerat magister civium, & magna auctoritatis in populo.* Diarium.

(b) *In festis Pentecostes.* Diarium.

[c] *In die S. Jacobi fuerunt electi in magistros Ægidius de Mes, sed non fuit inventus, & Matthias* Haweals, *qui noluit acceptare, nisi haberet unum secum, qui jam fuisset magister civium, & solvit* xx. *Rhenenses. Iterum electi fuerunt Johannes* Heylman *& Renardus* de Roucreur, *qui, &c.* Diarium.

(d) *Et ipsi nuntiaverunt salutes a rege Francia & Cypri, & fuerunt valde accepti.* Diarium.

(e) *Anno Domini* MCCCCLIX. *simultate durante inter dominum electum & communitatem Leodiensem, & inter consilia-*

rios sive amicos domini Johannis de Heinsberch, *dominus electus se transtulit ad Hoyum, &c.* Diarium.

(f) Diarium addit: *Sed scripserunt litteram, quod patria non debebat demandari in aliquo loco, nisi in Leodio. Posita fuit alia dieta, & quamvis Leodienses dixerant se non iturос, tamen ad rogatum capituli miserunt deputatos suos ibi, tanquam ad non dietam, sed ad videndum & audiendum quæ ibi fiebant. Capitulum vero, nobiles; & bona villa instituerunt ut eligerentur de tribus statibus boni viri qui examinarent ipsa puncta, ad inveniendum unum bonum medium unionis & concordiæ. Qui electi deliberaverunt super illis & moderaverunt ea omnia exceptis quinque.*

& quod placerent, & similiter responderunt nobiles, & positum fuit responsum utrorumque in gardia scabinorum Leodiensium, quorum quatuor ibi fuere præsentes, scilicet *Gerar Panthier*, Liebertus Tector, Johannes *Pierſant* & Wilhelmus de Bellefro. Bonæ villæ patriæ volebant adhuc deliberare. Comitatus Loſſensis respondit, quod rogassent Leodienses quod justificarent causam suam, si mala esset: tamen qualitercumque esset non vellent recedere ab eis, sed omnem eis facere assistentiam sibi possibilem. Et sic unusquisque rediit in domum suam. Magister Judocus non fuit ausus redire ad Leodium, (a) similiter multi nobilium fuerunt in magno timore & angustia, timentes per communitatem male tractari. Sed consules & magistri Leodienses in quantum poterant sedabant populum. Voluit tamen populus quod fieret enquesta super his qui nisi fuerunt franciſias eorum auferre & tollere. Sed dominus dux iterum interposuit vices suas & misit judicem *de Beſançon* cum uno alio notabili viro ad inveniendum medium concordiæ & pacis. Qui honorifice fuere recepti, & cantata specialis missa de pace, diligentem fecerunt inquisitionem, & examinatis causis differentiarum, reversi sunt ad dominum ducem, & prædictus impetus modicum conquievit.

Responsum Leodiensium.

[a]

In festo S. Jacobi facti sunt magistri dominus Ægidius de Hoyo & Matthias *Havveal*. Adhuc lex non fiebat in Leodio, quia dominus Leodiensis abstulerat villico virgam ad damnum suum magnum & populi scandalum. Magistri & consules regebant civitatem, & excepta lege placitorum & homicidarum, omnia bene disponebantur, ita bene vel melius quam si dominus fuisset præsens. Etiam magistri & consules caute se habebant, sed & forum Leodiense proclamatum ex parte magistrorum, solemniter fuit celebratum. Cum igitur res modicum fuissent sopitæ in Leodio, rediit magister Judocus de Hoyo. Quo percepto, missus fuit ad eum receptor civitatis, & præcepit sibi in ecclesia Leodiensi, quod solveret M D. florenos Rhenenses civitati Leodiensi, eo quod in diversis diætis bene tantum exposuissent, exceptis expensis ministeriorum, quæ ascenderant in triplo plus. Magister Judocus respondit quod desuper haberet consilium. Et quia non audiebantur nova de domino duce, volebant ministeriales quod inquisitio fieret super his qui nitebantur, quantum in ipsis fuit, tollere franciſias eorum; & nisi fieret, volebant claudere ministeria sua fabri super totam civitatem, & cœpit fieri inquisitio. (b)

Civitatis administratio.

[b]

Sed antequam incœpta esset, Ægidius de Mettis missus fuit ad dominum Leodiensem in Hoyo pro habenda lege. Quod cum impetrare nequivisset, inter cetera dixit: Domine electe, nos multa sustinuimus patienter, & adhuc patientiam habebimus, sed ad tempus. Vos aufertis nobis legem, sed non putetis quod permittemus de civitate nostra fieri unam villam campestrem sine lege, & quod malefactores non puniantur. Quoniam si auferatis nobis & villicum & omnes scabinos, tamen habemus advocatum, cum quo possumus eligere cives, & facere judicium & justitiam.

Et nota mirabile quid, quoniam illo tempore, quando prædictus magister Ægidius prædicta verba dixit, parum cogitavit quid sibi ipsi contingere posset, quia ipse fuit primus, qui per hunc modum quem tunc expressit, fuit in foro Leodiensi decollatus, ex quo in prima pace consenserat contra franciſias homines dare.

Ægidius de Mes.

Circa festum S. Dionysii venerunt ex parte domini ducis, dominus episcopus Suessionensis, domicellus de Breda sive de *Naſſouvve*, judex de *Beſenſon*, magnus ballivus Namurcensis, & alii militares cum eis, & recepti fuerunt solemniter a civitate, steteruntque in palatio domini Leodiensis, & invitati fuerunt a magistris, ab abbatibus, & canonicis, & tractaverunt de concordia & pace inter dominum Leodiensem & civitatem per xv. dies. Tandem post multos tractatus inventum est medium, quod eligeretur unus arbiter, in quem compromitteretur de punctis in quibus differentia remaneret. Et convocato palatio, elegerunt Leodienses regem Franciæ, & tumultus civitatis conquievit, missusque fuit magister Ægidius *de Mes* ad dominum electum, ad requirendum eum utrum consentiret. Et respondit quod sic, & dictatæ sunt litteræ compromissi, & portatæ in capitulo Leodiensi ad sigillandum. Domini de capitulo non curabant sigillare. Tandem facta quadam protestatione sigillaverunt; factaque est quæstio inter populares quod haberent aliquam securitatem etiam a domino Leodiensi e converso sicut haberet ab ipsis. Isto tempore medio, scilicet dum litteræ compromissi scriberentur & sigillarentur, miserunt magistri & consules nuntium cum litteris commendatitiis ad regem Franciæ, quod elegissent eum in arbitrum, & essent eum visitaturi. Fuit etiam missus magister Ægidius *de Mes* ad dominum ducem Burgundiæ, ad sciendum beneplacitum suum. Qui non habuit accessum ad dominum ducem, (c) sed ad consilium, & illi

Legatio ducis missa Leodium.

Franciæ rex eligitur arbiter Leodiensi, iterum & electum.

[c]

(a) *Nec Faber, nec Wilhelmus de Belfro & aliqui de nobilibus. Cumque illi tres ſe ibini rediſſent ad Leodium, requiſierunt ab eis magiſtri quid factum fuiſſet. Qui dederunt eis in ſcriptis. At illi habita littera venerunt in capitulum Leodienſe, & interrogaverunt a dominis de capitulo, an talem commiſſionem dediſſent ſuis deputatis, ſicut ibi traditum eſſet eis in ſcriptis. Decanus reſpondit ſe numquam dixiſſe magiſtro Judoco quod ſic reſponderet, nec umquam ſe interrogatum fuiſſe, an eſſet verbum ſuum. Aliqui etiam de nobilibus multum timuerunt. Fiebant etiam de magiſtro Judoco & aliquibus vicinata in Leodio. Dominus dux miſit judicem de* Beſenſon, *&c.* Diarium. (b) Diarium. *In profeſto S. Mathæi.*

(c) Addit Diarium, *Propter multitudinem ambaſſiatorum ibi exiſtentium.*

de consilio ducis suaserunt quod melius esset, A quod eligerentur probi viri de patria Leodiensi, qui partes concordarent, & renuntiaretur compromisso. Quod post multos tractatus factum est: sed dominus Leodiensis expressit xv. quos nolebat eligi per civitatem, & civitas excepit aliquos quos noluit eligi per dominum. Quibus ordinatis, missit electus villico virgam, & reddita est lex in Leodio in festo S. Antonii anni MCCCCLX.

Obitus domini de *Heinsberch*.

Cum igitur prædicta ambassiata ducis esset Leodii circa festum S. Dionysii, dominus B Johannes de Heinsberch, quondam episcopus Leodiensis, ad vanam ostentationem sui fecerat fieri unam diploidem pretiosam, cujus unam manicam fecit ornari lapidibus pretiosis, in tantum quod apud vulgares dicebatur bene valere quinque vel sex millia florenorum. Qua diploide vestitus, & desuper toga serica opertus, transivit in prædicto festo S. Dionysii per plateas *in Dyest*, & erat frigidum tempus. Tactus ergo & constrictus frigoribus, cœpit dolere in uno latere & circa ilia, & quasi febribus concuti. Consulti medici dixerunt se ex frigoribus torqueri, nec esse causam mortis, nisi se C locaret super latus illud in quo dolor esset. Venitque ad visitandum eum soror ejus de Mechlinia: quæ cum vidisset eum jacentem super lectum, flere cœpit: erat jam quasi hora quarta de sero. At ille ait: Soror, nolite flere, negotia bene venient, ite comestum. Surgensque de lecto petiit sibi dari urinale, & jussit omnes exire cameram. Quibus stantibus ad ostium, erexit se ad emittendum urinam, & apprehendit eum gravis dolor viscerum, & cecidit urinale ex manibus ejus. Ad cujus sonitum intrantes cubicularii, D invenerunt eum jacentem ante lectum, super illud latus in quo dolebat. Levantesque eum in lectum, nullum potuerunt ab eo responsum extorquere, & circam mediam noctem obiit. Unus autem cubicularius statim ut vidit eum amisisse loquelam, ascendit equum, & venit Leodium ad domicellum *de Nassouvve*, indicans ei ad quid accederat. Qui statim misit ad Henricum *Bau* militem, ad occupandum fortalitia de *Steen* & *Millen*. Unde dominus *de Blanckenheim* male contentabatur, sed facta fuit concordia inter eos sine sanguinis effusione. Familiares autem domini *de Heinsberch*, de his quæ circa ip- E sum inventa fuerunt, fecerunt fieri unum inventarium, & fecerunt citari omnes ejus creditores per dominum officialem, ut singulis satisfieret ad decretum judicis. De exequiis ejus nullam audivi fieri mentionem; sed circa pascha famatum fuit, quod dominus *de Heinsberch* apparuisset cuidam post mortem, & dixisset, quod si centum viri cum loricis ferreis ad nudam carnem vestiti, visitarent limina apostolorum Petri & Pauli, multum ei pœnam alleviarent. Clamatum igitur fuit Leodii & in Hoyo, si qui vellent ire pro constituto pretio c. florenorum, quod venirent ad talem domum, & ibi jurarent se fideliter quod petebatur impleturos, sed infra tres menses diceretur eis quid essent facturi. LX. igitur viri bene fuerunt parati & juraverunt, sed statim rumor & fama cessavit, nec amplius inde facta est mentio.

In octavis epiphaniæ per fures ablatus est calix aureus S. Lamberti cum pelvibus argenteis, & cum fur captus fuisset, & se dixisset ea vendidisse uni auri-fabro Leodiensi, designando personam, domum, uxorem & pretium, & omnes circumstantias coram plus quam ccc. viris, ipse quidem fuit suspensus; sed prædictus aurifaber mediantibus franciis & amicis, nihil mali passus fuit, unde magister Judocus de Marka Scholasticus Leodiensis, hos versus composuit.

Vincimur hac fraude, Lambertus erat sine laude.
Prava gerens aude, pene tecto crimine plaude.

Pax de Montibus.

In dominica *Letare Jerusalem*, concordatum fuit super palatium, quod quamvis electi essent viri probi, tam ex parte domini electi, quam ex parte civitatis Leodiensis ad conveniendum in unum apud fratres Minores Leodienses, & examinandum omnia puncta de quibus differentia esset vel oriri posset inter ipsas partes, tamen ex quo missum fuisset ad regem, & significatum quod Leodienses visitarent eum, quod deputarentur aliqui ex parte civitatis, qui regem Franciæ visitarent ante pascha; & electi & missi fuerunt quatuor, scilicet, dominus Ægidius de Hoyo miles cum socio suo Matthia *de Hœvveals*, qui magistrabant illo anno, & dominus Johannes *le Ruyt* & Ægidius *de Mes*. Quos rex benigne recepit, & expensas eorum solvi fecit. Sed filius regis Carolus eos solemniter festivavit. Deditque rex prædicto domino Ægidio XXXVI. marcas argenti, & suscepit eum ad stipendium, & concessit Leodiensibus tria privilegia. Primo quod essent liberi novem annis a tributis, per totum regnum Franciæ. 2. Quod blada & mercimonia possent libere duci ad Leodium, & Leodienses possent testamentum condere infra regnum. 3. Quod rex suscepit eos sub salva-gardia sua, & de his portaverunt secum tres litteras. (a) [a]

Leodienses ad regem Franciæ mittunt.

Benigne excepti a rege.

Anno MCCCCLX. 1. Maii in festo S. Jacobi facti sunt magistri dominus Johannes *le Ruyt* & Ægidius *de Mes*. Eodem anno obierant tres principaliores prælocutores causarum, qui fuerant in patria Leodiensi præ tristitia, quia adhæserant domino Leodiensi, scilicet magister *Waldorey*, quem fecerat scabinum Leodiensem, qui obiit Leodii, Wilhelmus *de Belfroy*, etiam scabinus per eum creatus,

(a) *In crastino S. Gertrudis acceperunt iter versus regem, & redierunt in principio Maii.* Diarium.

qui

qui obiit Trajecti, Johannes Faber, qui obiit in Hoyo; Balduinus etiam de *Hollongne*, qui acceptaverat omnia officia Alexandri *Berart*. Fecit quamdam executionem contra franciſias, unde condemnatus fuit ad viam ultra mare, & S. Jacobi, & Romæ: ſed cum rediſſet de Cypro, factus miles, reconciliatus fuit civitati, & adhæſit eis, relicto domino. In die Magni martyris reintravit dominus Leodienſis civitatem Leodienſem, fueruntque facti ludi ſolemnes in Leodio, unde poſtea ſurrexerunt multæ invidiæ, & querelæ inter cives, & placitationes. Epiſcopus Sueſſionenſis, qui erat cum electo, non gratanter accipiebat quod dominus Walterus *de Corſvvaren* tantam haberet poteſtatem & lucrum, quia ſpiritualem juriſdictionem omnino regebat, & ditesſcebat valde, habebatque omnia in manibus, multæque fiebant querelæ per comitatum Loſſenſem de fiſcalibus, ſed nemo apponebat remedium. Cœpit igitur prædictus epiſcopus occulte per litteras & nuntios affectare amicitiam magiſtri Eymerici *Groy*, quia aperte non audebat ei loqui propter dominum electum, qui non habebat in gratia aliquem de officialibus domini *de Heinsberch*. Cœperunt igitur practicare qualiter poſſent domino Leodienſi apportare aliquod lucrum, unde poſſent acquirere gratiam ejus.

Epiſc. Sueſſionenſis.

Procuratores fiſcales male tractantur.

Anno Domini MCCCCLXI. cum jam illi de comitatu Loſſenſi diu rogaſſent dominum Leodienſem, & in multis diætis patriæ propoſuiſſent, & multum inſtitiſſent apud dominum Walterum *de Corſvvaren* tunc ſigilliferum, & habentem adminiſtrationem ſpiritualium, & etiam apud alios conſiliarios, quatenus procuratores fiſcales a ſuis enormibus exceſſibus compeſcerentur: qui ultra modum pauperes per totum comitatum affligerent, totam eis ſubſtantiam auferendo, & nemo eſſet qui eos audire vellet; (a) inſurrexerunt per totum comitatum prædictum & in Tongris, & in S. Trudone quædam viles perſonæ in magna multitudine, qui ſe vocaverunt *dy Clupſlagher*, & fecerunt fieri pro ſigno unum vagum virum cum fuſte in manu, quem ponebant in vexillo, & in pecia papyri depictum portabant affixum ſuper brachia & pilea ſua, ſicut ſolet fieri in ludis; & pro majori parte juniores valde deformes, admodum Hunnorum, (b) infra ætatem XVIII. & XXVIII. annorum exiſtentes. Et primo in profeſto S. Gregorii, quod erat feria V. de ſero, incipientes in *Haſſelt*, intraverunt domum unius procuratoris fiſcalis, & diripuerunt omnia quæ ibi invenerunt, omnes libros, litteras, proceſſus, & quidquid ſimile erat aſportantes, & ad peronem omnia colligentes, incendio tradiderunt, cetera ſpolia inter ſe dividentes. Similiter fecerunt in craſtino in S. Trudone, in Tungris & in *Loz*, & per totum comitatum Loſſenſem. Et ubicumque invenerunt procuratores fiſcales, male tractaverunt eos percutiendo, dilacerando veſtimenta eorum uſque ad nates, & in lutum & in aquam projiciendo, diripiendo, & rumpendo omnia quæ circa eos ſive in domibus eorum invenire potuerunt.

[a] [b]

Item, quendam ſacerdotem de *Bommerhoven* Hellinum nomine, tamen ſecundum famam non multum religioſum, male tractaverunt, infringendo domum ſuam, & diripiendo omnia quæ ſibi placebant, reliqua igne combuſſerunt: ipſumque auferentes in uno foſſato capite demiſſo projecerunt. Quidam procurator fiſcalis cognomento *Keyart*, cum acquiſiſſet unam domum ad modum fortalitii infra vivarium ſitam, confugit ad eam, ſperans ibi eſſe tutus. Sed ipſi,

[a] Diarium addit. *Magiſter Eymericus bene ſuſpicabatur aliquid, & libenter poſuiſſet remedium, quia multos procuratorum habebat in amicitia familiares, ſed non poterat in aperto aliquid agere vel dicere, quia electus detestabatur omnes, qui erant de familiaritate domini de* Heinſberch, *& ideo quod factum fuit, ſicut propheta dicit*, erupit in regulum, & qui receſſit a malo, prædæ patuit, *ſicut in ſequentibus apparebit.*

In eadem ætate eccleſia Leodienſes male contentabantur de domino electo, propter multas cauſas in quibus dicebant male conſervari privilegia eorum. Sed per majores fere murmur extinctum fuit. Contigit etiam quemdam Nicolaum religioſum monaſterii S. Gertrudis Lovanienſis, rectorem tamen eccleſiæ parochialis, in turre officialis detineri, quem eccleſia volebant dimitti, ſed ſigilliferi non audebat eum dimittere, quamvis officialis judicaſſet eum dimitti ſub cautione. Eccleſia volebant ceſſare a divinis, tunc dominus fecit eum dimitti. Inſuper rixa facta eſt inter canonicos Dieſtenſes, ubi unus interfectus fuit. Aliqui familiares electi ceperunt rectorem ſcholarium S. Sulpitii, & duxerunt eum in Curinghen, *ponentes eum ad torturam, & exigerunt pecunias ab amicis ipſius. Eccleſia requiſierunt eum a domino, ſed noluit eum reſtituere, & ceſſatum eſt in* Dieſt *a divinis. Et cura aliqui eorum, qui perpetraverunt prædictum factum, veniſſent Leodium, ceſſatum eſt per omnia collegia per tres dies. Et cum poſt receſſum eorum, unus qui remanſerat Leodii viſus fuiſſet in platea, iterum ceſſatum eſt in majori eccleſia, & in omnibus collegiis per tres dies. In Novembri tenta eſt una diata Trajecti, inter dominum Leodienſem & conſilium Brabantiæ, & venit ibi dominus Balduines de Fontanis ſuper ſalvo conductu electi, ſed non civitatis. Quapropter miniſterium fabrorum, ut ſcivit quod eſſet ibi, fecit obſervari omnes vias per quas recedere habebat. Et de nocte iverunt in Tongris fabri de Leodio in ſatis magno numero. Et cum dominus Balduinus intraſſet villam, circumdederunt eum ante & retro. Quod videntes, qui circa eum erant, cum impetu fugerunt, non audentes reſpicere retro. Ipſe voluit fugere, ſed non potuit, unde timens expalluit: putans, quod vellent eum occidere. Sed unus gubernatorum obſeiderat primo frenum ejus, & alter aſſecuravit eum de vita ſua, ſed oportebat eum venire ſecum ad Leodium, & promiſit & reddidit ſe captivum. Illo die manſerunt ibi. In craſtino omnia miniſteria iverunt eum quæſitum in Tongris, & duxerunt eum cum magna ſolemnitate in civitatem, ubi ſtetit tractando de pace donec ſolviſſet pecunias promiſſas per tres citeriores menſes, & fabri obtulerunt ſibi miniſterium ſuum, ſed noluit facere juramentum. Eodem tempore domicellus de* Rekem, *qui jam diu habuerat altercationem cum duobus miniſteriis Leodienſibus, propter quoſdam cives Trajectenſes, qui placitaverant contra eum in Aquis, & actionem quam habebant tranſportaverunt ad duo miniſteria in Leodio, ſcilicet aurifabrorum & unius alterius. Propter quam cauſam Leodienſes jam ſemel exſpoliaverant domum ſuam in* Rekem. *Videns ſe excluſum a fortalitio de* Monyoye, *conſenſit facere concordiam cum dictis miniſteriis, & venit Leodium ſuper ſalvum-conductum. Sed circa horam* XI. *de nocte, Wilhelmus de Violetta & Johannes Rigaldi cum aliquibus de miniſterio aurifabrorum, vocaverunt gubernatores ſuos de lecto, & venerunt ad hoſtitium domicelli de* Rekem, *& arreſtaverunt equos ejus, eo quod ut ipſi dicebant, anticipaſſet ſalvum-conductum, qui debebat primo incipere in media nocte. Et ſic oportuit, quod concordaret cum eis, competenter tamen, quia communiter omnes vituperabant, arreſtum factum ſuper ipſum.*

[b] Addit Adrianus in margine, *vidi ego.*

hoc audito, circumdederunt eam per modum obſidionis, & captam deſtruxerunt omnia diripientes, ipſum tamen, accepta pecunia abire permiſerunt. Feceruntque violentiam ad Carthuſienſes (a) prope *Dieſt*. Nam cum ibidem inquirerent poſt procuratores, & non inveniſſent, volebant comedere; & cum bene comediſſent, omnes piſces in vivario exiſtentes occiderunt. Si aliquis in itinere eis occurreret, oportebat ſtatim quod aliquid eis daret. In capella S. Nicolai in Tongris monipolium ſibi ſtatuentes, conſtituerunt unum ex ipſis officialem, & nominaverunt aliquos procuratores ex ipſis inſtituros, nominibus procuratorum fiſcalium, obſervantes deriſorie morem, qui in curia officialis Leodienſis conſuetus eſt obſervari, cognominantes unum *Back*, alium *Sonck*, alium *Juncis*. Et quando unus civis vel alius quiſquis eſſet in plateis, citabatur deriſorie ſuper exceſſibus ſuis, (b) & oportebat quod daret eis aliquid, quo facto, abſolvebatur ab officiali eorum, in deriſum, contemtum & deſpectum totius eccleſiaſticæ juriſdictionis. Et nemo corripiebat eos, quia nemo audebat. Nam populus communis applaudebat & corridebat eis, & tamen oportebat quod quilibet eis aliquid daret.

[a] In Zeelem.

Electus Leodium venit.

His auditis Leodii, capitulum Leodienſe cum omni feſtinatione demandaverunt dominum Leodienſem. Et in feria tertia ſequente in capitulo majori eccleſiæ Leodienſis illi de comitatu Loſſenſi coram domino electo & ejus venerabili capitulo, & magiſtris ac conſulibus civitatis depoſuerunt querelas magnas de procuratoribus fiſcalibus, recitantes diverſos exceſſus. Quapropter timentes futura pericula, ſæpe requiſierunt a domino & ejus conſilio poni remedium, ſed non potuerunt audiri. Unde procuratores audaciores effecti, fecerunt pejus quam ante. Unde pauperes omnino deſperati, fecerunt iſtum exceſſum. Addideruntque quod provideretur de remedio, quia pro toto comitatu deſtruendo populus non poſſet amplius talia ſufferre. Concluſum & deliberatum fuit, quod dominus Leodienſis mitteret, ſi placeret ſibi, aliquos ad faciendum inquiſitionem. Similiter magiſtri civium cum aliquibus deputatis illic pergerent ad inquirendum. Dominus Leodienſis miſit primo in Tongris, ſed Tongrenſes nolebant ſuos admittere, & ſic reverſi ſunt. Magiſtri civium de villa ad villam inquiſitionem facientes, ſteterunt plus quam per quindenam, & redierunt feria v. ante paſcha. Unde illi de comitatu prædicto, licet voluntarie facerent, tamen graves habuerunt expenſas, quia oportebat eos ſolvere expenſas, propinas & dictas. In diebus illis magiſter Eymericus cum Alexandro *Berart* erant iterum in conſilio domini, & laborabant ad hoc quod pax, quæ ordinata fuerat ad Minores, deberet proclamari, & ſic fuit concluſum ſuper palatium. Alexander *Berart* tendebat ad hoc quod eſſet de conſilio capituli S. Lamberti, quod obtinuit, & fecit juramentum, & habuit unum tabardum, ſicut eſt de more, quod domini dant ſemel in anno, quem portavit publice in octavis paſchæ. Qua de cauſa fuit proclamatus tamquam perjurus, quia cum eſſet ſcabinus, juraverat novum regimen, ubi continebatur, quod nullus ſcabinorum poſſet accipere de novo aliquam penſionem, vel libratam ab aliquo, ut eſſet de ejus conſilio, niſi ante adeptionem ſcabinatus Leodienſis eam habuiſſet vel portaſſet. Alexander putavit ſe tueri per pacem Minorum, ſed illa non habuit progreſſum.

Novum regimen Leodienſium.

Poſt octavas paſchæ redierunt magiſtri Leodienſes, Tungrenſes & Trudonenſes, adducentes ſecum dominum Razonem de Linthris, tamquam unum principaliorem adverſarium contra procuratores, & quidem ſatis conſequenter, quia prædictus dominus Razo duobus annis præcedentibus impugnaverat patrem ſuum carnalem, & furtim abſtulerat patri ſuo omnes pecunias ſuas ultra quindecim millia florenorum, & armata manu circumdederat domum patris ſui *in Hers*. Sed dominus Leodienſis partes ſuas interpoſuerat; jam ſe erigebat contra ipſum dominum Leodienſem patrem ſuum ſpiritualem & dominum temporalem. Convocato ergo palatio, petierunt Loſſenſes, ut ea quæ per inquiſitionem reperta eſſent, publicarentur. Publicatum eſt igitur per utroſque magiſtros, ſcilicet dominum Johannem *ly Ruyt* & Ægidium *de Mes*, quod ea quæ procuratores fiſcales extorſerant in prædicto comitatu, ab anno LVI. uſque ad annum LXI. incluſive, etiam illis de S. Trudone & de Tongris, aſcenderent plus quam ad centum millia florenorum Rhenenſium, exceptis tamen parvis ſummis, quia non fecerunt inquiſitionem, niſi de his quæ aſcendebant ultra ſummam VII. florenorum Rhenenſium, quia non habuiſſent finem; ſic dicebatur communiter.

Razo de Linthris dux & princeps Fatigatorum.

Publicatio inquiſitionis factæ adverſus fiſcales.

Igitur ſuper iſta inquiſitione magiſtri cum ſcabinis & juratis fuerunt quotidie occupati ad corrigendum prædictos exceſſus. Quapropter multi ſuaſerunt domino Leodienſi, quod vellet in perſona propria ad eos accedere, & impedire ne ipſi progrederentur ulterius, quia multa mala inde ſequerentur. Dominus igitur Leodienſis in propria perſona acceſſit ad eos, querelando quod omnem ſuam ſibi juriſdictionem auferrent. Magiſtri taliter locuti fuerunt cum eo, quod in craſtinum iterum venit ad eos, non jam proteſtando quod non eſſet factum ſuum, ſed ſedendo cum eis, juvit dictare, ſicut aiebant, ſententias. Et quod majus eſt, tertia die fecit

Fit inquiſitio adverſus fiſcales.

[b] Diatium addit. *Vel excommunicabatur.*

citari omnes officiatos de curia ſua, ſcilicet ſigilliferum, cancellarium, officialem, notarios & omnes alios, & omnes qui gubernabant archidiaconatus in patria Leodienſi & comitatu Loſſenſi, coram magiſtris, ſcabinis & juratis miniſteriorum laicorum. Et omnes ſive canonici ſacerdotes, ſive clerici, omnes examinabantur per laicos ſub juramento ibidem præſtito de veritate dicenda, & ſcribebantur atteſtationes eorum per clericum juſtitiæ ſæcularis, & nullus audebat ſe opponere, quia dominus Leodienſis voluit ſic fieri. Et qui hæc ſcripſit, dominum ſigilliferum & archidiaconum & magiſtrum Richardum examinari vidit, & tunc in ipſa camera præſens fuit, licet alia de cauſa. Cum omnes examinati eſſent, in craſtino Marci proclamatus fuit ad peronem unus procurator fiſcalis de Tongris, tamquam perjurus & extortor, & privatus officio ſuo, & clamatus inhabilis ad quodcumque officium conſequendum in patria Leodienſi, & comitatu Loſſenſi, & condemnatus in ccc. florenis Rhenenſibus infra XL. dies ſolvendis; videlicet c. domino Leodienſi, c. civitati Leodienſi, c. oppido Tongrenſi. Et ſtatutum quod procuratores non poſſent hereditates ſuas alienare. Penultima Aprilis fuerunt proclamati eo modo quo ſupra Nicholaus *Sonck*, & condemnatus in tribus millibus Rhenenſium, & N. *Keyart* in trecentis Rhenenſibus. Jacobus *Gorre* & multi alii uſque ad numerum XXXII. vel circiter, & condemnati in una ſumma pecuniarum, in quantum videbatur quod bona eorum poſſent extendi, & privati omnibus officiis habitis & habendis. Et ſi habitabant in Leodio, dominus Leodienſis habebat duas partes, & civitas tertiam partem pecuniarum in quibus fuerunt condemnati. Si non morabantur Leodii, dominus Leodienſis duas partes habebat, & oppidum ubi trahebant moram tertiam partem. Quo peracto, miſſum eſt ad Dyonantum, & ad partes Gallicanas, & facta eſt ibi etiam inquiſitio, & proclamatus eſt N. *Juncis* cum quibuſdam aliis juxta modum præcedentium.

Nota.

Fiſcales condemnantur.

Poſt hæc requirebat dominus electus quod ſcabini, magiſtri, & jurati ſupradicti etiam publicarent inquiſitionem factam ſuper officiali curiæ ſuæ, & ferrent ſententiam ſuper forefactis eorum, ſicut fecerant prius. Ad hoc ipſi reſponderunt, quod non pertineret ad eos aliqua facta clericorum judicare, niſi eſſent uxorati, & eſſent eis ſubmiſſi per juramenta ſua, quando levaverunt miniſteria ſua, quales fuerunt hi quos condemnaverunt. Sed ex quo dominus Leodienſis fecerat eos examinari per ipſos, ſi dominus deſideraret, libenter darent eos ſibi in ſcriptis, & ſignarent pœnam qua eos mulctarent, ſi ad eos pertinerent. Deinde cum prædicti congregati eſſent, & deſuper inquiſitionem facerent, magiſter Johannes *Heylman* omnes cedulas accipiens, projecit in ignem: quibus combuſtis, Johannes *ly Ruyt* & quidam alii ratificaverunt illud factum. Scabini fecerunt inde querelam, ſed res manſit indeciſa. Et erat fama quod condemnatus fuerat archidiaconus *de Corſvvaren* qui fuerat ſigillifer, in quatuor millibus florenis Rhenenſibus. Dixit tamen unus magiſtrorum, quod de ipſo civitas haberet partem ſuam, faceret dominus Leodienſis quod vellet de ſua. (*a*) [*a*]

Requeſta domini electi.

In hac hebdomada quidam ſocius Leodienſis Johannes Rigaldi nomine, qui incœperat loqui ſuper palatium, & incitare populum contra dominum electum, habuit ſeptem libratas, veſtes annales, & etiam penſionem a comitatu Loſſenſi, ex quo dicebat verbum ipſorum ſuper palatium: ſed quia procuratores proclamati non ſolverunt quotas ſuas infra XL. dies, dominus Leodienſis pro partibus ſuis, & civitas, & oppida pro parte ſua, acceperunt ſaiſinas ſuper hereditatibus & annuis reditibus ipſorum. (*b*) [*b*]

Interim dominus Razo de Linthris ivit verſus Coloniam, & fecit ibi ordinari unam cedulam, in qua continebatur modus quo procuratores debebant exercere officia ſua. Qua data ſibi, dominus Leodienſis nolebat admitti, ſed e converſo, fecit vocari multos de comitatu Loſſenſi ad annulum palatii, unde multi de Leodio male contentabantur, feciſſentque malum ſi habuiſſent caput. * In craſtino, palatio convocato, domino Leodienſi præſente, Johannes Rigaldi dixit verbum comitatus Loſſenſis, multum extollendo dominum Razonem de Linthris, & invehendo contra aliquos de conſilio domini Leodienſis, & ſupplicando XXXII. miniſteriis quatenus caſſarent appellationem factam. Dominus Leodienſis ore proprio reſpondit: Dimittatis mihi meam juriſdictionem, ſicut ego dimitto veſtram, & non interponatis vos de conſiliariis meis, ego non removebo eos propter vos. Ad ſupplicationem tamen civitatis, ſuſpendit ipſam appellationem per ſex hebdomadas. Interim venit fama quod rex Franciæ obiiſſet, & dominus Leodienſis ivit (*c*) ad Bruxellam, & ſic ipſa appellatio manſit ineffıcax. [*c*]

* *Id eſt* ducem.

Obitus regis Franciæ.

Anno Domini MCCCCLXI. electi ſunt in

[*a*] *Fuit tunc principalis in conſilio domini Leodienſis & ſigillifer epiſcopus Sueſſionenſis. Quo procurante recepti ſunt iterum in gratiam domini Leodienſis magiſter Eymericus, Alexander* Berart, *Jacobus* de Morialmes, *& frater ejus magiſter Robertus.* Diarium.

(*b*) Facta ſunt hæc omnia anno 1461. non vero ut vult Sufridus Petri anno ſuperiori.

(*c*) *Ivit verſus Bruxellam ad dalphinum. In diebus illis duo magiſtri civitatis, ſcilicet dominus Johannes* ly Ruyt *& Ægidius* de Mes *non bene concorditer ſe habuerunt, quia dominus Johannes volebat ire ad regem Franciæ, & petivit commiſſionem a civitate. Magiſtro Ægidio non videbatur expediens. Tunc dominus Johannes* Ruyt *dedit clavem magiſterii ſui magiſtro ſuo Johanni* Heylman, *& obtinuit litteras commendatitias, & ivit verſus Franciam, ſed invenit regem defunctum. Magiſter Ægidius dedit clavem magiſterii ſui Vilhelmo de Violetta pralocutori, dicendo quod probaret, ſi ſciret magiſtrare & ſe defendere.* Diarium.

magiſtros civitatis Gerardus *Campſor*, qui primo fecerat exceſſus de quibus dominus Leodienſis conquerebatur, & Wilhelmus de Violetta prælocutor, quem dominus nominaverat ſibi adverſarium eſſe. Quibus principantibus, conſocii eorum etiam elevati ſunt, ſcilicet Johannes Rigaldi & alii XII. cum eis, quos dominus *nominatim* etiam expreſſerat ſibi contrarios. Quod ut dominus Razo vidit, aſſociavit ſe eis, petens amicitiam ipſorum. In octavis Aſſumptionis Virginis glorioſæ, venerunt magiſtri Dionantenſes, & alii de partibus ſuperioribus, nunciantes Leodii, quod copioſa multitudo armigerorum eſſet circa *Moſong*, quæ dicebat ſe ibi miſſam, ad invadendum patriam Leodienſem, eo quod novus rex vellet ſe vindicare de Leodienſibus. Et facta eſt magna turbatio in illis partibus, quia omnes de villis campeſtribus transferebant ſua ad loca turiora. Domini de capitulo & conſules civitatis multum fuere perplexi, & miſerunt diverſos nuntios tam ad dominum electum, quam ad capitaneum prædictorum armigerorum. Prædictus capitaneus reſpondit ſemper quod haberet in mandatis, quod niſi Leodienſes infra certum diem ſe præſentarent regi, ipſe invaderet patriam. Venit quidam cognomento *Gilbot*, nuntius domini electi, & in capitulo Leodienſi, præſentibus magiſtris & conſulibus, retulit ſicut erat publica vox & fama, quod dominus dux proſtraverat ſe novo regi rogando, quod omnibus indulgeret. Sed dominus rex reſpondit, quod omnibus indulgeret, exceptis his qui ſibi auferre voluerant coronam Franciæ & Leodienſibus. Antonius de Bergis miles in capitulo Leodienſi quaſi retulit eadem. Scripſit etiam dominus Leodienſis litteram in effectu, ſicut dicebatur, continentem, quod non potuiſſet habere reſponſum a rege, ſed Pariſius ſibi rex reſpondere deberet, conſulens quod Leodienſes unam legationem verſus Pariſius dirigerent, quia perpenderat indignationem regis contra Leodienſes ex eo eſſe, quod ipſum Delphinum debuiſſent tradere in manus patris ſui regis defuncti.

Nota initia novi regis Franciæ.

His auditis, Ægidius *de Mes* dixit, quod ſe de hoc numquam excuſaret. Ægidius de Hoyo miles, cui rex ſcyphos dederat, dixit, quod non iret ſine ſalvo conductu. Similiter dominus Johannes *ly Ruyt*. Civitas erat perplexa, & convocato palatio, præſentibus dominis de capitulo, electi ſunt dominus decanus & dominus Conrardus *de Horion* canonici Leodienſes ex parte capituli. De nobilibus Conrardus *de Lers* & Johannes de Seranio. De civitate duo magiſtri: ſed unus non ivit, ſed alius loco ejus. Et concluſum fuit: Si illi qui prius fuerant, ſentirent ſe mundos, poſſent ire: ſi non, poſſent remanere, ſecundum proprium arbitrium. Feſtinaverunt igitur iter arripere, quia ſic nuntiabatur eis, miſeruntque pro ſalvo conductu. Sed ille capitaneus reſpondit, quod de hoc non curarent, quia omne periculum acciperet ſupra ſe, ipſemet duceret eos ad perſonam regis.

Decreta una legatio ad regem.

Accepto itinere, receſſerunt omnes ſimul, & receptor civitatis cum eis Hellinus nomine, *v.* Septembris, & redierunt in die S. Franciſci. Convocatoque palatio ad faciendam relationem, magiſter Wilhelmus de Violetta propoſuit coram populo, præſentibus laicis qui ſecum ierant, ea quæ ſibi acciderant, dicens: Quod cum veniſſent juxta Pariſius, in oppoſito patibuli, & dominus Johannes *le Ruyt* modicum præceſſiſſet eos, venit eis obviam nuntius domini Leodienſis, cognomento *Gilbot*, de quo mentio facta eſt ſupra. Et viſo domino Johanne, graviter ingemiſcens ait: « O domine chariſſime, quo tenditis? Ego rogo vos quod revertamini. « Quid vultis facere? Ecce magiſter Johannes « *Boreau* poſuit ſe in vinculis, & vult probare « coram rege id quod vobis imponitur. Rogo « habeatis ſanum conſilium. Iſti Francigenæ « ſunt fallaces, ego conſulo quod revertamini.« Tunc dominus Johannes conſternatus, ſicut dignum erat, ait: Quid eſt hoc? dicitis verum? Immo, reſpondit *Gilbot*, dico ita veraciter, ſicut vobiſcum loquor. Interim alii advenerunt, & dominus Johannes *le Ruyt* reſpondit. A, A, Domine Deus, ego ſcio quod oportet me ſemel mori, pejus quod poteſt evenire, eſt quod hoc ſit ſepulchrum meum, demonſtrando patibulum. Ego ibo ulterius. Alii ſupervenientes interrogabant conſequenter, & *Gilbot* conſtanter confirmabat verba ſua eſſe vera. Conſulendo igitur, pariter concluſerunt inter ſe, quod procederent ulterius, & offerrent ſe regi. Interim Hellinus receptor civitatis, cui prædictus *Gilbot* erat quaſi familiaris, traxit ipſum ad partem, & in vera amicitia requiſivit ab eo an ipſe eſſet unus. At ille reſpondit: Ego dico vobis ſicut amicus, vos eſtis ita profunde intus, ſicut aliquis aliorum. Hæc qui ſcripſit, ex ore ipſius Hellini audivit. Proceſſerunt tamen ulterius, & intrantes civitatem Pariſienſem, in primo introitu obvium habuerunt magiſtrum Johannem *Boreau* quem *Gilbot* dixerat eſſe captivum, ad probandum traditionem factam per eos. Tunc admirantes multum, accepta fiducia, intraverunt hoſpitia. Statim rex, adventu eorum cognito, miſit nuntium pro eis, & antequam poſſent congregari ſimul, miſit rex alterum nuntium. Tunc non audentes amplius tardare, intraverunt ad regem, & proſtraverunt ſe in terram. Rex ſtatim juſſit eos ſurgere. Tunc Alexander *Berart*, qui electus fuerat a nobilibus, & rogatus a magiſtris ut iret cum eis, elegantiſſime dixit verbum eorum. Tunc rex ait; Eſt hic Ægidius de Hoyo? At ille reſpondit, aſſum domine rex. Eſt hic, ait rex, Ægidius

Relatio hujus legationis.

Nota.

Ægidius *de Mes*? respondit, assum domine rex. Est hic, ait rex, ille quem rex pater meus cinxit cingulo militari? Tunc dominus Johannes *ly Kuyt* ait, assum ego domine rex. Tunc rex tria proposuit. Primo de fama quæ volabat, quod fecissent pactum cum patre suo, ut facerent eum ad patrem suum venire; & addidit rex: Ego tamen non dixi, nec feci dici. Secundo, quod tamdiu fuit in Brabantia exul vicinus eorum, & nec semel salutassent eum. Tertio, quod tantam habuissent cum rege patre suo amicitiam, & ipsum non curassent. Cumque ad hæc ipsi respondissent, quod convenientius poterant, commisit rex magistro Johanni *Boreau* de prædictis facere inquisitionem. Alexander illis duobus diebus dixit verbum Leodiensium elegantissime. Ipsi vero Leodienses inquirebant ubique post dominum Leodiensem, & eum invenire non poterant. Tertia vero die cum invenissent ipsum, cœperunt magistri regratiari de diligentia quam fecisset pro patria, & quod vellet eis assistere. Dominus Leodiensis duriter respondit, quod infringerent totam jurisdictionem suam, & vocavit Alexandrum ad se. Reliquit igitur Alexander Leodienses cum quibus venerat, & mansit cum electo. Altera die, cum Leodienses venissent in palatio, dixit eis ostiarius: Placet vobis intrare? illis respondentibus quod expectarent, donec essent omnes congregati. Ille respondit: Homines vestri intus sunt, & ille qui pridie dixit verbum vestrum, intus est, & loquitur contra vos. Cum autem essent de hoc attoniti, exiens unus de consilio regis, repetivit idem, & addidit, nos non permitteremus talem esse nobiscum. Hoc verbum male sonabat repetitum in populo. Rex Leodienses tenuit excusatos, & præcepit ut de hac re nulla amplius mentio fieret. Et dixit rex Ægidio *de Mes*, si vellet, cingeret eum cingulo militari. Qui respondit se non habere terram nec dominium temporale, & esset nimis annosus. Videnſque advocatum *de Lers* cum torque argentea, quæsivit cur ipse non reciperet insignia militaria. Ipse respondit se nimis annosum. Tunc Rex jussit sibi dari gladium, fecitque eum militem, & Johannem de Scranio similiter. Quibus peractis, rogaverunt Leodienses regem, ut acciperet eos sub sua protectione. Domini de capitulo hoc altius considerantes, dicebant se de hoc nihil habere in commissis, & dominus Leodiensis nolebat in hoc consentire. Unde rex suscepit Leodienses sub sua protectione, exceptis domino & capitulo. Et quidam de familia regis invitavit omnes Leodienses ad prandium, exceptis dominis de capitulo. Dominus Leodiensis rediit ad Bruxellam, & cum eo Alexander *Berart*, Henricus Gregorii & quidam alii. Alii redierunt ad Leodium. Domini de capitulo male contentabantur de illa submissione; sed magistri responderunt, quod si non feciſſent adhuc facerent, quia in nullo se obligassent. Et nobiles, & bonæ villæ de patria acceptaverunt quæ per eorum legatos erant facta, sed non capitulum.

Facta igitur hac relatione super palatium, cœpit murmur contra Alexandrum *Berart*. In profesto Simonis & Judæ, magister Eymericus *Groy*, (*a*) qui fuerat cancellarius & sigillifer domini *de Heinsberch*, transtulit se ad Trajectum, & in die Omnium-sanctorum executum est mandatum de interdicto generali servando in civitate Leodiensi, & toto comitatu Lossensi; nisi infra xvm. dies satisfieret domino Leodiensi de excessibus ibidem perpetratis. Leodienses & Lossenses appellaverunt ad metropolitanam sedem. Disceptatum est inter ecclesias utrum interdictum deberet servari an non, quibusdam dicentibus quod sic, quibusdam vero quod non tenerentur. Sed quia magister Eymericus subtilis & practicus erat, ipse hanc quæstionem prius inter præcipuos de majori & secundariis ecclesiis ventilaverat, & ratificationem eorum jam habuerat antequam poneretur. Conclusum est ergo quod servaretur. Magistri tamen quotidie instabant apud dominos de majori, quod interdictum non servaretur, quia populus non posset sustinere. Quidam etiam canonici de majori associabant se magistris, quasi partem faciendo, scilicet cantor *Middelborch*. Miserunt igitur ecclesiæ versus dominum Leodiensem aliquos ex suis, sed cum tarde redirent, incœptum est servari interdictum quatuor diebus, post quos redierunt deputati ecclesiarum, nuntiantes dominum electum interdictum suspendisse xxx. diebus, & sic resumta sunt organa in die Clementis. Officialis etiam Colonienſis ipsum interdictum dicebatur suspendisse vel cassasse, sed procuratores domini Leodiensis ab eo appellaverunt ad sedem apostolicam.

Interdictum in civitate Leod. [a]

In diebus illis ad magnam instantiam dominorum de majori, aliqui de majori, & de nobilibus (*b*) cum magistris, habito salvo conductu, iverunt ad dominum Leodiensem in Bruxella, & pariter tractantes conceperunt quædam quæ scripta fuerunt in quadam cedula, super quibus, si placerent, colligeretur una diæta in Trajecto xx. Januarii. (*c*) Populus congregatus super palatium noluit servare contenta in cedula, sed bene consensit quod servaretur diæta. Voluit tamen populus quod publicaretur inquisitio sive enquesta facta super inimicos suos, sed magistri vix poterant populum sedare, quod expectaretur usque post diætam. An. 1424. [b] [c]

(*a*) Addit Diarium: *Cantor S. Martini Leodiensis.*

(*b*) *De capitulo majori dominus decanus & magister Judæus, & de aliis ecclesiis decanus S. Petri cum magistro Eustachio, decanus S. Pauli & Basilica, magistri civitatis cum aliquibus de nobilibus.* Diarium.

(*c*) Diarium. *In octavis Innocentium*

Motus Leodii occaſione D. Eymerici.

In craſtino epiphaniæ, levi ſpiritu tactus magiſter Eymericus, aſſumtis duobus equis, venit circa horam IV. de Trajecto per forum Leodienſem, ſalutando amicos. Et intravit pacifice in domum ſuam. In craſtino, hoc eſt in ſabbato de mane, ivit ſuper forum de uno ad alium emptum pilces, & erat cum eo dominus Theodericus capellanus & notarius ſuus. Quem videns Johannes Rigaldi dixit ei: O domine Theoderice, numquid melior eſt aër in Trajecto, quam ſit Leodii? Quid facitis vos hic? Eodem die eccleſiæ fuerunt congregatæ in camera clauſtrali expectantes magiſtros. Et veniens magiſter Wilhelmus cum aliis, dixit domino decano Leodienſi: Domine decane, eſt-ne verum quod magiſter Eymericus eſt in Leodio? dominus decanus reſpondit, ſic: ego ſum ſibi hodie locutus. Et ille: Heu quid facit hic? mittite cito nuntium ut recedat, quia ſi vulgatum fuerit, tantus erit in civitate tumultus infra tres horas, quod non poterimus ſedare. Qui ſtatim miſerunt nuntium poſt ipſum, ſed nuntius invenit eum jam receſſiſſe, & omnes de foro tumultuantes propter ipſum clamantes ad alterutrum: O Deus, quare dimiſimus eum hinc abire? Alii dicebant, quare non fecimus albam offam de cerebro ejus. At ille declinaverat in domum unius canonici, & guſtavit parum, dimiſiſque equis receſſit pedes per devia ad Trajectum. Prandio facto, cum fama hæc fuiſſet divulgata in populo, circa primam horam factus eſt clamor & tumultus & concurſus populi per civitatem, & currebant omnes ſuper forum cum vexillis miniſteriorum, vociferantes quod inquiſitio facta ſuper inimicis ſuis publicaretur. Magiſtri indicebant ſilentium, ſed non poterant compeſci. Tandem Johannes Rigaldi dixit ad eos, jam eſt nimis tarde, expectetis uſque cras de mane, omnia parata ſunt, non oportet nunc publicare.

In craſtino quod erat ſabbatum, proclamatus eſt ex parte villici & ſcabinorum ad peronem extra franciſiam & civitatem bannitus c. annis Alexander *Berart*, eo quod cum eſſet ſcabinus, & juraſſet ſervare novum regimen civitatis, feciſſet contra, acceptando & portando libratam, tamquam de conſilio capituli. Item proclamati ſunt etiam *Gilbot*, nuntius domini Leodienſis, Jacobus *Gorre*, Juncis, & uxor Alexandri, eodem modo, eo quod feciſſent contra franciſias quas juraverant. Deinde proclamati ſunt Alexander *Berart*, *Gilbot*, Jacobus *Gorre*, Juncis, & uxor Alexandri extra franciſiam civitatis & bannileucam in perpetuum. Quo facto, gubernator miniſterii fabrorum miſit pro vexillo miniſterii, & ſtatim omnes cum impetu cucurrerunt ad domum Alexandri, quam emerat ultra ripam Moſæ, dictam *Loiunfoſſe*, & eam totaliter ſpoliantes, deſtruxerunt, exceptis muris forinſecus. Abbas S. Vallis S. Lamberti vix obtinere potuit quod baſſa curia maneret. Deinde volebant ire ad alias domos Alexandri, & ad domum magiſtri Eymerici ad Petroſam, ſed magiſtri ſtatim fecerunt vocari palatium in campis, & ſic fuerunt prohibiti.

Alexander *Berart* proclamatur cū aliis.

In craſtino, id eſt in Dominica, palatio convocato, magiſtri propoſuerunt de hoc quod factum fuerat, & quod quando deſtruerent aliquam domum, non poſſent tollere ſpolia ejus. Fabri dixerunt quod ſic. Concluſum fuit, quod ſervaretur unicuique juſtitia & inquiſitio ulterius fieret. Et quicumque abſtuliſſet aliquid de domo Alexandri, quod reportaret in Violetta, alioquin inquiſitio fieret de ipſo, & quod nullus deinceps de quocumque miniſterio exeat ad deſtruendam aliquam domum, niſi prius major pars civitatis conſenſum dederit, nec poſſent deſtruere aliquam domum infra franciſiam conſtitutam. In die S. Felicis proclamatus fuit ad peronem ex parte villici & ſcabinorum Leodienſium bannitus c. annis Henricus Gregorii caſtellanus de *Franchimont*, & iterum clamatus albanus in perpetuum ex parte magiſtrorum. Item, clamatum quod nullus faciat ei aſſiſtentiam ſub pœna talionis.

Ad inſtantiã capituli indicitur dieta Trajecti.

Domini de capitulo hæc videntes, timuerunt mala futura, & ordinaverunt aliquos mittere ad dominum Leodienſem qui erat Bruxellæ, ut teneretur una diæta, rogantes magna inſtantia quatenus magiſtri & conſules in hoc conſentirent. Qui poſt multas inſtantias conſenſerunt in hoc quod teneretur Trajecti. Veniente die ſtatuta, ſurrexit ventus borealis frigidiſſimus, cum turbine nivali, quod vix aliquis audebat exire domum. Quo ceſſante, venit ex parte domini ducis filius ejus baſtardus Antonius cum duobus militibus; & magiſter Antonius *Haneron*, (a) [a] & magiſter Raymundus ex parte domini Leodienſis cancellarius, & dominus *de Sommeren*. Ex parte Leodienſium abbates ſancti Jacobi & S. Laurentii, decanus Leodienſis cum duobus canonicis, & decani omnium eccleſiarum, magiſtri Leodienſes illius anni, cum ſex antiquis, & de quolibet miniſterio duo. Quibus convenientibus in unum, requirebant primo illi qui ex parte domini ducis venerant, quod quidquid attentatum fuerat a die qua diæta fuerat concepta, revocaretur in priſtinum ſtatum, quia omnia debuerant manere ſuſpenſa. Leodienſibus ſua privilegia defendentibus, & nihil revocare volentibus, magiſter Johannes *Soreth* generalis Carmelitarum, interpoſuit fortiter vices ſuas ad concordandum & uniendum, & prælati ſimiliter. Tunc dominus Antonius baſtardus rationibus utriuſque partis auditis, benigne & rationabiliter fuit locutus, & dixit, quod quælibet pars poneret puncta ſua in ſcriptis cum bono moderamine, & col-

Johannes Soreth generalis Carmelitarum.

(a) Diarium addit: *Archidiaconus Cameracenſis.*

ligeretur una diæta ad concludendum, & quælibet pars ſignificaret alteri infra xx. dies, ſi vellet diætam ſervare; & ſi ſervaretur diæta, tunc interdictum maneret ſuſpenſum per quindecim dies poſt finem diætæ; ſi non ſervaretur, poſt VIII. dies renuntiationis factæ. Dominus Razo de Linthris duxerat ibi tres doctores de Colonia, qui propoſuerunt coram clero, quod interdictum eſſet nullum, nec eſſet ſervandum. Magiſter Raymundus tenuit contrarium, & quod dominus Leodienſis bene feciſſet, a ſententia officialium Coloniæ appellando. Venerunt etiam hi tres doctores uſque Leodium, ſed clerus non curavit multum eos audire.

De diæta Trajecti habita.

In die XXIV. Martii venit dominus Leodienſis in Trajecto, & cum eo frater ſuus archiepiſcopus Lugdunenſis, epiſcopus etiam Tornacenſis, & epiſcopus Sueſſionenſis, comes de *Blanckenheim*, & alii militares cum aliis. De Leodienſibus duo magiſtri præſentis anni, cum decem antiquis, cum aliis commiſſis. Magiſter Johannes *Soreth*, cum decanis & deputatis eccleſiarum, qui erant mediatores. Tractaverunt per multos dies, & diſcuſſa fuerunt omnia puncta & moderata pacis ad Minores ordinatæ, fueruntque in omnibus concordes, exceptis tribus vel quatuor punctis. Fecit etiam dominus Leodienſis ibi proponi, quod a principio litis, tam in damnis quam in expenſis, bene ſuſtinuiſſet damna centum millium florenorum, & ergo petiit ut ſibi ſubveniretur in una gratia gratioſa. Et viſo quod omnia debuerant remanere ſuſpenſa, proclamati de novo ponerentur ad legem.

Propoſitio D. Leodienſis.

Super iſtis magiſtri vocaverunt epiſcopum Tornacenſem, quod venire dignaretur ad proceſſionem in die Palmarum, & convocaretur patria ad feriam quartam. Sic factum eſt. Feria IV. dominus Tornacenſis fecit elegantiſſimum ſermonem in Gallico in majori capitulo Leodienſi, coram tribus ſtatibus patriæ, & fuit valde gratus populo. Poſt quem ſermonem dulcibus verbis fecit petitionem ſupradictam, excuſando quæ facta fuerant, & quod ab utraque parte omnia indulgerent, & domino ſuo in neceſſitatibus ſuis ſubvenirent. Sed omnia bene obtinuiſſet, ſi naturam Leodienſium bene noviſſet, faciendo petitionem pro domino Leodienſi. Quaſi rogando eleemoſynam propter Deum, ita rogabat pro eo, tamquam pro valde paupere: Et ergo inimici ſui deſpexerunt, dicentes: quod electus eſſet ita pauper, quod non poſſet ſe defendere, nec ſpiritualiter nec temporaliter. In craſtino, hoc eſt feria V. in cœna Domini, ad petitionem ejus fuit palatium ſimul congregatum. Tunc dominus Tornacenſis cœpit repetere ſermonem heſternum, & petitionem ſupradictam. Sed Johannes Rigaidi, qui parum illa nocte dormierat, ut dicebatur, cum ſociis ſuis diſcurrendo & monendo complices, ut conſtantes manerent, ſæpe ſuccłamando impediebat ne audiretur epiſcopus, etiam ſæpius murmurando interrupit ſermonem. Et cum magiſter reverendus generalis Carmelitarum, quem *populus* Leodienſis uſque ad illum diem in maxima reverentia habuerat, vellet populum ſedare, dicens, quod non juraſſent quod iſti proclamati non poſſent redire, ſed juraſſent franciſias ſuas & paces factas, in quibus non haberetur ſcriptum, quod iſti non poſſent redire. Etſi juraſſetis, inquit, vos deberetis vos ſubmittere judicio ſapientium, & ſalutem veſtram & honorem affectantium. Si timetis de peccato, ſicut dicitis, facite quod dico, & conſulo vobis, ego accipio totum periculum ſuper me. Hæc cum magiſter Johannes diceret, filii peſtilentes ita clamaverunt contra eum, quod facta eſt una confuſio generalis. Tunc magiſtri reſponderunt epiſcopo, quod haberet patientiam, dominus Leodienſis abſtulerat diu legem, populus eſſet indiſciplinatus: ſed in craſtino referrent ſibi reſponſum civitatis & ſequelam.

In bona feria VI. magiſtri, ut dicebatur, reſponderunt domino Tornacenſi, quod ſequela civitatis eſſet: Quod ſi dominus Leodienſis vellet redire in civitatem, ipſi vellent ſibi condeſcendere in una gratia gratioſa: ſed de proclamatis, quod poſſent redire in civitatem, ſicut prius, non poſſent audire. Dominus Tornacenſis locutus cum ſuis reſpondit, quod iſtam reſponſionem reſcriberet domino duci, & quod feria tertia ipſi venirent ad Trajectum, ad reſpondendum domino Leodienſi, & concludendum. Interim boni cives, loquentes ad alterutrum exhortabantur ſe mutuo ad faciendam domino gratiam, & erant bene inclinati ad habendum pacem cum domino. Et feria tertia multi notabiles viri iverunt ad Trajectum, intendentes dominum Leodienſem ad hoc inducere ut veniret cum eis, & haberet jocundum occurſum, & de proclamatis inveniretur unum medium, quod eſſet bonum & expediens. Hic defecit prudentia. Nam ſi dominus Leodienſis iſtud acceptaſſet, omnia ad finem bonum veniſſent. Sed quo conſilio inductus ignoratur, reſpondit, quod patria demandaretur ad faciendum ſibi gratiam, & in quanta ſumma ſibi vellent condeſcendere, & ſimiliter demandaretur clerus, & conſtitueretur diæta Leodii XXI. Maii ad reſpondendum ſibi ſuper iſtis. (a) Tunc boni cives videntes quod nihil proficerent, deinceps non interpoſuerunt ſe tamquam ſingulares perſonæ, nec erat conſultum, ex quo dominus noluit eos audire, ſed omnia fiebant per commune. Dominus Tornacenſis

Reſponſio Leodienſium.

[a]

[a] *Ipſe eſſet uſus conſilio domini ducis avunculi ſui, & adhuc vellet uti; & receſſit verſus Bruxellam. Tunc boni cives, &c.* Diarium.

[a] Petitur subsidium a clero.

(a) fecit clerum demandari ad certum diem, A quo patria fuit demandata. Et primo in capitulo petivit subsidium pro domino Leodiensi a clero. Et responsum fuit sibi, quod pace reformata & proclamata, & domino sedente in sede sua, correctis illis qui jurisdictionem & pacem ecclesiasticam turbaverant, deputarent ceteros ex ipsis, qui ordinarent domino unam gratiam mere gratuitam, solvendam certis terminis per clerum diœcesis.

[b] Quo responso dato, (b) episcopus Tornacensis ostendit unam litteram missam ex nomine domini ducis, quod ecclesiæ ad abbatem remitterent fratrem Golinum, quem B eripuerant ex carcere per privilegia sua, ad standum juri, per decretum officialis Leodiensis, alioquin dominus dux arrestaret omnia bona ipsorum. Decanus S. Petri respondit, quod non pertineret hoc ad eos, ipse staret in judicio ad audiendum sententiam vel pro se vel contra se, ipsi non vellent juri violentiam inferre. Tunc episcopus commotus respondit: Teneatis apostatam vestrum, & dux levabit omnia bona vestra, nec habebitis unum obolum, & iratus recessit. Et decanus ait: Ecce iste petit pecunias nostras, & minatur nobis. Et qui scripsit hæc, præsens fuit. Quibus dictis, episcopus ivit super C palatium, & proposuit ibi de gratia domino promissa, non faciendo mentionem de proclamatis. Media pars civitatis concordabat quod eligerentur viri probi qui ordinarent unam gratiam faciendam; alia media pars noluit domino aliquid promittere, nisi dominus rediret in civitatem. Dominus Tornacensis voluit aliqua alia proponere, sed non potuit habere audientiam. Unde petivit in crastino iterum palatium congregari; & ecce in crastino ita fuere omnes concordes, quod non est inventus unus, qui vellet domino aliquam gratiam facere vel promittere, nisi rediret in civitatem, ne de donis eorum placitaret contra eos. Tunc episcopus Tornacensis dixit: Nos venimus jam ad vos, tempus veniet quod venietis post nos. Sic se habuit dominus Tornacensis in causa Leodiensi, & recessit nihil valens impetrare.

Leodienses mittunt ad ducem.

Post hæc magistri & consules miserunt ad dominum ducem, rogantes eum, quod facere dignaretur ut dominus Leodiensis rediret in civitatem suam. Qui rescripsit quod sæpius miserat ad eos magnis expensis, sed E nihil profecit, & si spes esset adhuc mitteret, sed tantum faceret quod electus veniret in Hoyo, ut facilius possent tractare cum eo. Rogaverunt etiam magistri & consules dominos de capitulo, quod facerent tantum cum electo quod rediret, alioquin omnes tum clericos tum laicos qui cecidissent, in inquisitionem facerent proclamari, quia antequam annus eorum expiraret, haberent guerram vel pacem.

Electus Leodium venit.

Cum igitur electus venisset in Hoyo, domini de majori cum magistris iverunt ad ipsum, & fuerunt concordes cum ipso, quod in Dominica sequenti, quæ erat in translatione S. Martini, dominus Leodiensis venit in civitatem Leodiensem. Et statim patria demandata, convenerunt omnes in hoc, quod pax facta ad Minores proclamaretur, sed de hoc quod proclamati redirent, sicut dominus supplicavit, diffinitum fuit, quod de hoc amplius non fieret mentio. Interim venit fama de novo interdicto per papam confirmato. Veniente igitur die quo pax debebat proclamari, dominus Leodiensis petiit terminum trium dierum. Quo adveniente exspiravit officium & potestas magistrorum, & sic non poterant pervenire ad intentum suum, de quo tamen putaverant se esse securos.

In festo S. Jacobi electi sunt in magistros civium dominus Fastredus *Bare-Surle*, & Hellinus *de Bolzee*, & quia factum est novum consilium, mansit negotium pacis inconclusum. Interim ortum est novum disturbium, quia Dionantenses volebant destruere domum domini Johannis de Valle. Unde dominus dux misit vexillum suum & armigeros ad tuendam domum ipsam, & misit Almanum de Bruxella & judicem de *Bozenson* ad Trajectum ad tractandum cum Leodiensibus. Et sic illa causa remissa fuit ad judicium viginti duorum patriæ Leodiensis illa vice. In prima Dominica Septembris revo- D cavit per litteras suas dominus Leodiensis omnia quæ facta fuerant & ordinata de pace ad Minores, supra qua multi fuerant tractatus per electos trium statuum patriæ, & disputata & moderata singula puncta in præsentia domini episcopi Tornacensis, magistri Raymundi, & multorum doctorum & venerabilium virorum, requisivitque & præcepit quod proclamati iterum restabilirentur. Et in festo S. Theodardi posita est littera interdicti super unum altare in sancto Lamberto, ubi unus presbyter summo mane erat celebraturus. Qui consternatus detulit ipsam litteram ad dominos de Majori. (c) Qui con- [c]

(a) *Circa festum Ascensionis dominus Tornacensis scripsit ecclesiis litteram continentem in se, Quod valde mirabatur quod clerus non fuisset vocatus, & si clerus non vocaretur, dicta non servaretur. Et sic convocatus est clerus ad feriam v. Pentecostes & dicta posita ad illum diem. Die prænominata dominus Tornacensis proposuit primo, &c.* Diarium.

[b] Addit Diarium: *Per dominum Nicolaum* Geystere, *decanum S. Petri Leodiensis.*

(c) *Qui convocatis ecclesiis diu disputaverunt an in instanti interdictum deberet servari, an post* XVIII. *dies. Sed ad scrupulum tollendum miserunt versus dominum, qui fuit contentus, quod servaretur post* XVIII. *dies: sed quinta die misit contrarias litteras, a quibus clerus appellavit in octavis Nativitatis B. Virginis. Fuerunt interim multa dicta tam Trajecti quam Bruxellæ, sed nihil concludebatur quod esset scribendum. Dominus Leodiensis* XIV. *Septembris misit ad villicum Leodiensem, ut deponeret virgam, & scabini suas sedes tenerent in S. Petro juxta Trajectum. Et quod officialis & sigillifer in Leodio non se interponerent de officiis suis, & ad episcopum suffraganeum, quod celebraret ordines in Trajecto. Civitas appellavit a papa minus consulto, ad melius consultum* XIX. *Septembris. Duoque doctores Colonienses fuerunt Leodii per civitatem demandati, & dixerunt publice quod non oporteret clerum servare interdictum, nisi vellet, &c.* Diarium.

vocatis

vocatis eccleſiis tractarunt inter ſe, utrum ſervare deberent in inſtanti an non. Duo doctores de Colonia, qui ſe oppoſuerant primo interdicto, demandati per conſules, dixerunt quod non oporteret clerum ſervare interdictum niſi vellet; & ordinarunt unam appellationem a papa minus conſulto ad melius conſultum. Eccleſiæ miſerunt ad Coloniam pro hac cauſa, ſed doctores noluerunt determinare niſi ad partem, quia quidam eorum erant infecti. Cœptum eſt igitur ſervari interdictum ſatis ſtricte in profeſto S. Michaëlis. Prædicatores vero & Minores cum cœpiſſent ſervare interdictum, cum aliis, accepta cautione a magiſtris & conſulibus, quod tenerent eos indemnes, ad inſtantiam eorum reſumſerunt organa ſua, & male fecerunt etiam celebrando in foro, quod clamatum fuit per ſolos magiſtros & conſules, & ſic ſemper res declinavit in pejus. Carmelitæ & Cruciferi ſervaverunt interdictum.

In die Omnium-ſanctorum miſit dominus litteras ſuas ad capitulum majus, & ad alias collegiatas eccleſias, quod transferrent ſe capitulariter ad Trajectum. Item, ad villicum & ſcabinos, quod tenerent ſedes ſuas & judicia in S. Petro juxta Trajectum, & quod ſigillifer & officialis non ſe interponerent de officiis ſuis, niſi in Trajecto, & quod ibi fierent ordines. Leodienſes miſerunt ad curiam ad proſequendam appellationem ſuam, & ſimiliter ad regem Franciæ. Rex Franciæ miſit unam ambaſſiatam ad dominum ducem, & ad dominum Leodienſem, & ad cives Leodienſes.

Diæta in urbe Trajecto.

Anno Domini MCCCCLXIII. infra octavas Epiphaniæ fuit tenta una diæta in Trajecto, ubi ex parte domini ducis erant Almanus de Bruxella, & judex *de Bezenſon* cum aliis. Dominus Leodienſis cum conſilio ſuo, domini de capitulo & de eccleſiis, & magiſtri & cives Leodienſes in magno numero. Et ambaſſiata regis præſidebat & domini de eccleſiis erant mediatores.

Cumque de multis punctis fuiſſent concordes, ventum eſt ad hoc quod de reſiduo eligerentur arbitri. Civitas Leodienſis acceptavit quod concluſum ibi fuerat; ſed dominus Leodienſis duxit ſecum ambaſſiatam regis ad Bruxellam. Qui poſt XV. dies rediit ad Leodium, portans intentum domini Leodienſis in quadam cedula deſcriptum: Quam cedulam magiſtri & conſules nolebant acceptare, & ſic res ita manſit in eodem ſtatu in quo fuerat. Factaque fuit una propina prædictæ ambaſſiatæ regis in ſcyphis & pottis argenteis, per magiſtros & conſules XLIII. marcarum argenti. Et omnes familiares ejus novis veſtimentis induti, & dati fuerunt eis L. floreni Rhenenſes pro bibalibus, ſolutis omnibus expenſis ubique, & cum multa gratiarum actione aſſociatis ſibi rectoribus in itinere, remiſſi ſunt ad regem in Dominica *Reminiſcere*. Quibus geſtis, capitulum ad requeſtam magiſtrorum, prius tamen requiſito domino Leodienſi & renuente, cum magiſtris & conſulibus demandaverunt totam patriam. Quo percepto, dominus Leodienſis miſit litteras ſuas ad omnes nobiles, & ad omnes villas muratas, quod nemo iret ad diætam. Omnes tamen venerunt, & nullus audebat dimittere aut ſe excuſare. Quibus congregatis, (a) magiſtri propoſuerunt duo. Primum erat, qualiter reſponderant Leodienſes, & petiverunt a tribus ſtatibus, an reſponſio eorum eſſet rationabilis. Secundum erat, ſi aliquis dominus temporalis vel princeps vellet eos invadere, an vellent eis aſſiſtentiam facere vel non. Petito trium dierum termino ad reſpondendum, domini de capitulo & ſimiliter nobiles reſponderunt, quod videretur eis reſponſio civitatis rationabilis & ſufficiens, tamen ipſi iterum deputarent aliquos, ad eundum ad dominum, ut poſſet inveniri aliquod medium pacis. Ad ſecundum reſponderunt, quod ſi aliquis princeps contra jus & rationem de facto invaderet eos, ipſi vellent eis aſſiſtere, & cum eis manere, rogando tamen, quod per viam juſtitiæ cum bono moderamine vellent ſe gerere, ſicut hucuſque feciſſent. Miſſa eſt igitur una legatio ad dominum Leodienſem; qui reſpondit: » Vos me reliquiſtis, & facitis quod vultis, ego facio quod poſſum. Puto tamen quod adhuc ero dominus patriæ. Nec aliud reſponſum potuerunt habere. In diebus illis fulminatus eſt proceſſus quidam ad valvas eccleſiæ S. Servatii Trajectenſis ex parte domini Razonis abbatis S. Adriani, executoris bullæ interdicti, in quo omnes canonici (b) nominatim expreſſi, moniti fuerunt recedere a locis interdictis. A quo proceſſu omnes unanimiter appellaverunt.

Patria demãdata.

[a]

« Monentur canonici ut a « locis interdictis recedant.

[b]

Interim redierunt nuntii civitatis qui miſſi fuerant ad curiam Romanam ad proſequendum appellationem, & portaverunt ſecum unum breve continens, quod papa mitteret unum legatum ſufficienti poteſtate fulcitum, ad examinandum cauſam, & relaxandum interdictum. Hic vocatus dominus PETRUS FERRICI, venit in Aquis, ultima Martii anno MCCCCLXIII. & ſtatim fecit vocari dominum Leodienſem, burgimagiſtros civitatis Leodienſis, & oppidorum comitatus Loſſenſis ad ſabbatum palmarum. (c) Leodienſes requiſiverunt quod tolleret interdictum, quia alias

1463.

[c] Mittitur legatus Aquisgrani.

(a) Diarium addit: *Die cinerum. Dominis exiſtentibus in capitulo, venit nuntius domini Leodienſis, & dedit decano Leodienſi unam litteram papyream, apertam, manu magiſtri Richardi ſignatam, & ſigillatam, admirans quod patria ſine ipſo eſſet demandata, præcipiens tam dominis de capitulo quam nobilibus & omnibus ſubjectis ſuis, quod nullus faceret ſeque-*

lam, alioquin in poſterum haberet memoriam. Magiſtri propoſuerunt duo ſcilicet primo, &c.

[b] *Tam Leodienſes quam Tongrenſes & Loſſenſes.* Diarium.

(c) Diarium addit: *Quibus comparentibus, requiſivit commiſſionem ipſorum. Qui ex parte domini erant, oſtenderunt ſuam. Alii ſtatim miſerunt ad loca ſua ad habendum ſuas*

non vellent aliquem inire tractatum. Procuratores domini e converſo dixerunt, quod nullomodo haberet tollere interdictum, niſi domino Leodienſi eſſet ſatisfactum. Leodienſes dicebant ſe velle dare cautionem de ſtando juri, legatus multas quærebat vias ad concordandum; ſed quidam magiſter Johannes *Herpel* tenuit magiſtros in errore, & ordinavit unam appellationem contra legatum, & aliqui doctores de Colonia illi ſubſcripſerunt. Voluerunt igitur quod clerus illi appellationi adhæreret, & ſub umbra illius organa ſua reſumeret. Tunc clerus multum fuit anguſtiatus, quia populus voluit eos, inſtinctu domini Razonis, ad hoc compellere.

Inſuper qui prius proclamati fuerant, amplius fuerunt aggravati, quia proclamatum eſt in Leodio, & in omnibus villis muratis comitatus Loſſenſis, quod nemo faceret eis aſſiſtentiam, ſub pœna talionis. Inſuper, pa-
*VIII. Maii. latio convocato, * volebant quod de quodam captivo, qui fuerat de majoribus cla-
* Ægidius de Hoyo. matoribus contra dominum, * villicus faceret juſtitiam: ſed ipſe non audebat, & petivit inducias, quouſque iviſſet ad dominum. Interim tradiderunt eum ad manus advocati, ſcilicet domini Johannis *ly Ruyt*, qui fecit eum decollari, & vix tertio ictu fuit caput ejus amputatum, unde dominus Johannes multos habuit ictus fuſtium ab his qui percutiebant tortorem. Hæc fuit prima juſtitia quam fecit advocatus.

Populus nolebat facere mamburnum. Tandem villicus tantum obtinuit apud dominum Leodienſem, quod contentus fuit quod legatus relaxaret interdictum ſub certa cau-
Interdictum ſub cautione relaxatur. tione. De qua cautione antequam ſigillaretur, multi fuerunt tractatus. Nam Tungrenſes & Loſſenſes nolebant ſigillare; ſed inſtante D. Razone, tandem ſigillarunt. Qua ſigillata,
[a] petierunt a legato (a) ut tolleret interdictum. Qui reſpondit quod ſtatim, quando juriſdictio domini eſſet proclamata, ipſe interdictum relaxaret. Et dedit eis unam cedulam abſolutionis, cujus tenorem ..m procurator eorum non intelligeret, quia neſciebat Latinum, irati valde, projecerunt legato cedulam ſuam ad terram, & cum verbis injurioſis repetiverunt litteras ſuas, quaſi vim volentes inferre, cum tumultu & clamore inordinato. Legatus manſuete reſpondit, & dedit eis clavem ſcrinii in quo litteræ clauſæ erant, & aliam cedulam ſicut volebant. Feria ſecunda pentecoſtes proclamatum eſt ex parte ſummi pontificis, quod juriſdictio domini Leodienſis haberet curſum ſuum, & nemo impediret ſub pœnis & cenſuris eccleſiaſticis, & pœnis in cautione contentis. Et hora quinta de veſpere venit relaxatio interdicti, & pulſata eſt major campana in ſancto Lamberto, & deinceps omnes aliæ per totam civitatem in multis eccleſiis uſque ad mediam noctem, & cantatum *Te Deum* cum aliis ſuffragiis in omnibus eccleſiis. In craſtino cœperunt populares iterum murmurare tam de proclamatione quam de litterarum ſigillatione. Feria quarta factum eſt novum diſturbium propter Prædicatores & Minores qui non ſervaverant interdictum, & fuerunt excluſi in ſancto Lamberto. Populares volebant quod admitterentur, ipſi nolebant ſe abſentare. Legatus dicebat ſe non habere poteſtatem; tandem admiſſi ſunt (b) cum proteſtationibus. In ſabbato proclamare fecerunt conſules, quod ſi proclama factum per villicum ex parte papæ, eſſet contra vel in præjudicium franciſiarum aut privilegiorum civitatis, non vellent eſſe obligati. Dominica poſt Sacramenti, intravit dominus Leodienſis civitatem, ſed non iverunt ei obviam, niſi villicus & ſui. In craſtino fuit in capitulo, & ſimiliter magiſtri & conſules quibus perſonaliter reſpondit ad ſingula, & in fine ſubjecit: « Vos facitis quod vultis, & ego facio « quod poſſum, & quia dicitis omnia ad fran- « ciſias pertinere, & ego contradico, ideo eſt « differentia inter nos. Idcirco oportet quod « oſtendam hæc alicui ſuperiorum meorum, « & ſi judicaverit mihi fieri injuriam, poſſum « tunc hoc conqueri amicis meis. Exinde quia « dominus Razo jam pridem pro diverſis cauſis multis contributionibus & exactionibus gravaverat comitatum Loſſenſem, incœperunt Leodienſes anguſtiari, unde acciperent pecunias ad placitandum contra dominum. Et qui primo putaverant quod dominus Leodienſis propter paupertatem ſuam dimitteret placitare contra eos, & in hoc ſe animaverat contra dominum Tornacenſem, qui nimis eum dixerat egentem. Ipſi jam non inveniebant unde pecunias haberent, feceruntque unam deſcriptionem, quod quilibet daret tantum. Sed ortum eſt diſturbium inter eos, quia cedulæ non concordabant. Cumque eſſent diſcordes in palatio, concluſerunt quod fieret inquiſitio de his qui ſcripſiſſent cedulas, & de his qui communicaverant cum proclamatis. Legatus his auditis, miſit unam inhibitionem ſub pœnis in cautione contentis, quod lite pendente nihil acceptaretur, donec ſumma eſſet reddita. Leodienſes volebant appellare, niſi dominus Leodienſis poneret talem cautionem, qualem ipſi de ſtando juri.

Prædicatores & Minores non ſervaverunt interdictum.

[b]

D. electus Leodium venit.

Anno MCCCCLXIII. in feſto S. Jacobi facti ſunt magiſtri civitatis dominus Razo de Linthris & Johannes *Heylman*. Qui ſtatim cum buccinis ducti ſunt ad S. Jacobum, ſicut fuit de more, ſed non ſolebat fieri cum buccinis. Decima die de poſt cecidit una nube-

commiſſiones. Magiſter Johannes Herpel, *qui fuerat proſecutus cauſam Leodienſium in curia Romana, dixit quod ipſe deberet primo oſtendere ſuam; ipſe reſpondit, confiteor, & paratus ſum quando habueritis veſtras.*

(a) *Aquis degenti.*

(b) *In proceſſionibus in die ſancti Sacramenti.*

cula inter *Ans* & *Lantins*, in loco ubi post Leodienſes fuerunt occiſi, & una pars intravit civitatem Leodienſem per portam ſanctæ Margaretæ, & luto quod ſecum duxit, implevit totam eccleſiam S. Severini, uſque ſupra majus altare, & omnes plateas uſque ad ſanctum Bartholomæum, & fecit magna damna. Numquam fuit viſum ſimile Leodii. Similiter alia pars nubeculæ cecidit ſupra ripam Gecoræ, & fecit ibi magna damna ſimiliter. Factus magiſter dominus Razo, multum tribulabat eccleſias, volens eas inducere quod adhærerent appellationi eorum, & contribuerent in expenſis contra dominum *de Bourbon*, quem non tenerent amplius pro domino Leodienſi, quia ſeptennium diſpenſationis ſuæ jam expiraverat. *(a)* Inſuper fecit enqueſtam factam publicari contra prohibitionem legati, & in * feſto S. Franciſci proclamati ſunt ad peronem Jacobus *de Morialmez* cum tribus famulis ſuis, & Gregorius filius Wilhelmi Gregorii, receptor de *Franchimont* extra patriam Leodienſem. Et volebat dominus Razo quod bona epiſcopatus ſequeſtrarentur, & demandata patria, tres ſtatus patriæ iterum miſerunt ad dominum, qui tale habuerunt reſponſum, quod de dicta ſequeſtratione non fuit amplius mentio facta.

[a]

* al. in profeſto.

In diebus illis civitas indigebat pecuniis ad proſequendum placitum contra dominum, & cum non inveniretur modus habendi, facta eſt inquiſitio ſuper his qui levaverant bona illorum de *Datins*, ut redderent computum. Magiſter Hillinus ivit ad Trajectum, & ibi duxit uxorem, unde fuit proclamatus tamquam prædator civitatis. Euſtachius frater ejus fuit condemnatus in DC. Rhenenſes, clericus Hellini in CC. *Piron Borge* & heredes Balduini *Corbeal* in D. Rhenenſes, & ſic de aliis, & oportebat quod ſolverent.

Penitentia Prædicatorũ & Minorum qui non ſervaverunt interdictum.

Item XV. Decembris reverſi ſunt procuratores Prædicatorum & Minorum, qui miſſi fuerant ad curiam Romanam pro abſolutione & rehabilitatione, eo quod non ſervaverant interdictum, & portaverunt bullam ad decanum Leodienſem, & cœperunt ceſſare a divinis uſque ad Dominicam, & in Dominica venerunt coram decano Leodienſi, & aliquibus dominis de majori in eccleſia Leodienſi, petentes veniam, & recognoſcentes ſe male feciſſe. Promiſerunt nomine conventum ſuorum ſe amplius non facturos, & petierunt pœnitentiam ſalutarem. Qui inter cetera injunxit eis, quod rogarent omnes eccleſias venire in eccleſia majori, & cantare ſpecialem miſſam, & facere proceſſionem, & ipſa die jejunarent in pane & aqua, & poſt paſcha duobus diebus in hebdomada. Civitas Leodienſis ſolvit expenſas bullarum & nuntiorum.

Anno Domini MCCCCLXIV. intrante ſigillatæ fuerunt litteræ allegationum cum electo Colonienſi & fratre ejus * & cum duce Montenſi, *(b)* quas Tongrenſes & Loſſenſes noluerunt ſigillare. Sed dominus Razo perrexit illuc, & coëgit ſigillare. Videntes conſules & boni cives Leodienſes quod propter dominum Razonem, nullus poſſet habere audientiam, inſtigante eos domino *Bare*, convenerunt, quod XXXII. qui habent eligere magiſtros & judicant cum eis, acciperent onus faciendi pacem; qui convenerunt in unum, quod irent ad dominum, & offerrent ei, quod eligerentur probi viri, & jurarent quod darent unicuique jus ſuum, & quidquid dicerent, civitas acceptaret. Similiter Hoyenſes, Dionantenſes, Tudinenſes, & omnes de Gallica patria. Leodienſes cum nobilibus tenuerunt unam diætam in Hoyo ad inveniendum pacem, & miſerunt etiam unam legationem ad dominum. Dominus Leodienſis utraſque partes benigne ſuſcepit, ſed ſemper manſit in reſponſione ſua, quod proſequerentur jus ſuum uſque ad ſententiam definitivam, & tunc uteretur bono conſilio, & reverſi ſunt. Quodlibet autem miniſterium ſolvit L. Rhenenſes ad placitandum contra dominum, & facta eſt collecta in Tongris, S. Trudone, & comitatu Loſſenſi, & reſiduum acciperetur de bonis abſentium, ſi aliquid deficeret.

* Comite Palatino.

[b]

Diæta in urbe Hoyo.

Rediens legatus in Aquis, fecit citari abbatem S. Jacobi, quem deputaverat loco ſui ad audiendum teſtes, & extrahendum per vidimus copias aliquarum litterarum quibus ſe dominus Leodienſis juvare volebat in jure ſuo. Qui diſſimulando nihil fecerat, & niſi habuiſſet amicos vix fuiſſet excuſatus, & deinceps fecit cum magna diligentia quod primo diſſimulavit.

In menſe Maii arreſtata fuerunt omnia bona capituli Leodienſis in Brabantia, & ſimiliter domini Razonis, propter unam vio-

[a] Diarium addit. *Et quod ponerent aliquos de ſuis in fortalitiis patriæ, vel ipſi perſonaliter facerent. Eodem die dominus Chriſtianus canonicus Leodienſis, miſſus fuit in* Franchimont *expenſis capituli, ad ſedandum murmur populi. Et miſſi ſunt verſus dominum Leodienſem cantor Bello-rivo cum duobus aliis canonicis ad requirendum an haberet ulteriorem diſpenſationem a ſummo pontifice, & quod rediret in civitatem. Ad primum reſpondit, ſe mirari quod cum eſſent ſapientes viri, ſcire deberent, quod ſi non haberet ulteriorem diſpenſationem, quod haberet integrum annum ad faciendum ſe ordinari. Ad tollendum tamen ſcrupulum, dixit ſe habere diſpenſationem donec impleret* XXX. *annum, ſed noluit oſtendere niſi in judicio. Ad ſecundum dixit, quod non poſſet ſolus redire, quia nejciret quam ſecum poſſet ducere, quia omnes ſui eſſent in periculo propter ea quæ quotidie fiebant Leodii. Et male tamen contentabatur de caſtellano quem miſerant in* Franchimont. *Magiſtri his non contenti, volebant quod capitulum præciperet ſibi quod veniret. Miſſus igitur Bello-rivo cum Johan. de Querca requiſivit dominum ſuper juramentum ſuum quod rediret, & præcepit ex parte capituli, ut paſtor rediret ad gregem, ſic dicebatur. Dominus dixit, ſe non credere hanc fuiſſe ſequelam totius capituli. Magiſter Walterus petiit inſtrumentum de omnibus. Dominus petiit terminum reſpondendi. Et reſpondit per litteras, quod capitulum Leodienſe eſſent trefunſurii patriæ, ſed non haberent mandatum ſuper ipſum: ſed e converſo ipſe haberet ſuper eos, & requirebat eos quod juvarent ipſum defendere juriſdictionem eccleſiæ. Dominus Leodienſis miſit litteras in* Boulhon *& per patriam, ſed omnes portabantur ad magiſtros, & nullus audebat ſibi obedire.*

(b) Diarium. *Quas ſancti Trudonenſis ſigillari noluerunt.*

[a] lentiam (a) factam in una villa Campiniæ, nomine domini Razonis: Domini de capitulo fecerunt processum contra eos per conservatoriam, sed appellaverunt.

Eodem mense Maii captus est unus civis Trajectensis per Rutheros in quodam castro, & duo cives Hasselenses capti fuerunt in domibus propriis, & ducti in *Reyde*, unde cœpit magnus tumultus oriri in patria, & conclusum fuit Leodii, quod irent ibi eos quæsitum ad petitionem illorum de *Hasselt*. Post multos tamen tractatus remissi fuerunt captivi, & litteræ obligationis eorum.

[b] (b) Nihilominus tamen dominus Razo, quia fortalitium de *Reide* pertinebat domino Johanni *de Arendale* avunculo domini *Bare*, semper instetit ad vindicandum se de hoc quod dominus *Bare* practicasset contra eum pro pace habenda. Tandem demandata patria in die Johannis & Pauli, exiverunt Leodienses cum comitatu Lossensi, Tongrensibus & Trudonensibus, & obsederunt *Reide*, & facto impetu cum damno tamen suo, ceperunt antemurale. Et accepto consilio ab Ægidio *de Mes*, seduxerunt eos qui intus erant urbis, quod tandem reddiderunt castrum, salvis corporibus. Leodienses intrantes invenerunt castrum optime provisum in omnibus ad tenendum ultra annum, sed non habuerunt capitaneum stabilem. Per biduum igitur fortalitio spoliato, Leodienses omnia rapuerunt & incenderunt, unde

[c] Lossenses (c) male contentabantur. Hoyenses & Dionantenses tunc primum ibi venerunt. Electus Colonienſis cum fratre suo & quibusdam nobilibus, venit videre exercitum Leodiensem, & propinavit eis vinum, sed non in magna quantitate. Eodem tempore venit quidam nobilis de Francia, dictus Tristandus Heremita cum octo equis, dicens se missum a rege, ad percipiendum an Leodienses qui exiverant ad obsidendum quoddam castrum, in reditu suo vellent invadere terram ducis, sicut rex esset informatus. Qui veritate comperta, quod non, statim misit nuntium ad regem, quod non esset ita. Ipse manſit Leodii usque ad reditum exercitus, & tunc recessit, fuitque bene festivatus.

Igitur cum Leodienses redissent, voluerunt Hoyenses & Dionantenses habere palatium simul, ad excusandum se quod non venerant satis tempestive, & quod fieret inquisitio de illis qui scripserant, miserant & portaverant eis litteras quod pax esset facta. Sed dominus Ægidius de Hoyo taliter laboravit, quod totum fuit extinctum, quia nisi ipse fecisset, dominus *Bare* cum fratribus suis fuissent destructi, quia frater domini *Bare* illas litteras portaverat, ut ferebatur. Sed palatio vocato, dominus Ægidius ita egregie fuit locutus, ac si fuisset rhetor facundissimus; & quod non ascriberent sibi ipsis victoriam, sed soli Deo, quia sola ejus gratia, & non laboribus suis, obtinuissent locum tam munitum, & in omnibus bene provisum, & non facerent de amicis suis inimicos. Dominus *Bare* dissimulavit dolorem suum, quia id quod factum fuit, magis contra ipsum factum fuit, quia dominus Johannes *d'Arendale*, dominus de *Reyde*, erat avunculus suus, frater matris suæ. Et ex quo usque tunc multum laboraverat ad inveniendum medium pacis inter dominum & civitatem contra dominum Razonem, ideo dominus Razo e converso populum incitavit ad prædictum fortalitium destruendum.

In festo S. Jacobi facti sunt magistri dominus Wilhelmus *de Braz* dictus de Bierlo, & Matthias *Hevveals*. In initio Augusti Dionantenses exiverunt, & destruxerunt domum domini Johannis de Valle militis, Leodiensibus non consultis. Eodem tempore dominus Petrus Ferrici fecit citari dominum Leodiensem, magistros & consules civitatis Leodiensis & comitatus Lossensis ad x. diem Septembris, ad videndum & audiendum ferri sententiam super attentatis, & lata est sententia contra Leodienses, & repositum interdictum sicut prius. A qua sententia, quæ lata fuit in Treviri, totus populus cum clero unanimiter appellaverunt, & electi sunt de clero cantor Leodiensis, decanus S. Petri,

Castrum Reide obsidetur.

Tristandus Heremita a rege Franc. missus Leod.

Novi magistri.

Legatus domini fecit interdictum civitatem Leodiensem.

(a) Diarium. *Propter differentiam duarum villarum in Campiniæ, quarum una est in Brabantia, altera comitatus Lossensis, quas dominus Razo acquisierat, & aliqui de comitatu Lossensi nomine domini Razonis aliqua spolia ab alia villa asportaverant. Domini de capitulo miserunt ad ducem, sed responsum est eis quod tamdiu erunt bona arrestata & districtus eorum, quamdiu stabilietur locus. Domini de capitulo fecerunt processum contra, &c.*

[b] Diarium addit: *Leodienses tamen his non fuerunt contenti: sed demandata patria, ordinatum quod exirent contra eos in die Johannis & Pauli, quo die Leodienses exiverunt optime armati circa* XI. *horam: sed calor ita intensus fuit, quod tres subito obierunt, & multi nisi subventum fuisset ex calore defecissent. Fuerunt illo vespere usque ad Vifetum. Multi agrotantes ruptis armis resocillati reversi sunt.* VIII. *post die venerunt primo Dionantenses cum decem navibus armatorum, &* XC. *circiter equestribus. Eodem die illi de Hoyo cum* XIII. *navibus &* CCL. *equestribus bene armatis, & fuerunt circiter* CCCCL. *pedestres. Leodienses primo insultu facto licet cum damno suo ceperunt ante-murale. Duo principaliores de fortalitio quæsierunt salvum-conductum ut possent loqui cum domino Johanne* Darendale, *ad quem pertinebat fortalitium. Magistri miserunt ad magistrum Ægidium* de Mes *pro consilio, qui consuluit, ut daretur eis salvus-conductus, sicque præsentarent se ante solis occasum magistris, sed magistri se non permitterent reperiri, & interim incuteretur timor his qui erant in fortalitio, famando quod fugissent, sic fama publica erat. Cumque illi redissent satis mane, ut se præsentarent magistris, magistri non erant reperiendi. Ipsi clamaverant: nos præsentamus nos, sed nullus volebat audire. Tandem sole occumbente, venit magister Johannes* Heylman, *cui cum se præsentâssent, respondit: jam est nimis tarde, quare non venistis ubi eram? debeo ire post vos? jam socii vestri reddiderunt fortalitium. Sed si valtis dabo vobis equos, & faciam vos duci securos extra exercitum, & libere transire ubi volueritis, qui fecerunt sic. In crastino, his auditis, hi qui in fortalitio erant, reddiderunt se salvis corporibus. Leodienses iterum intrantes invenerunt fortalitium optime provisum in omnibus ad tenendum plus quam per annum, &c.*

(c) Diarium addit: *Quod illi de comitatu Lossensi videntes, valde agre acceperunt, quia putaverunt habere partem spoliorum, & vix potuerunt se continere. Quidam etiam Lossenses vuperunt vasa vini voluntarie, & permiserunt effluere ne Leodienses haberent. Dionantenses & Hoyenses nondum pervenerant illuc. Illo autem biduo fortalitio spoliato, succenderunt omnia habitacula ejus & muros ejus destruxerunt sicut potuerunt. Cum essent ibi venit eos visitatum archiepiscopus Colonensis, &c.*

&

& decanus S. Martini. Item dominus Balduinus *de Hollongne* miles, Renardus *de Roueur*, & magiſter Rigaldus clericus civitatis, ad proſequendum appellationem factam cum familia eorum. Eodem tempore cancellarius Brabantiæ fecit teneri XXII. *de Haſſelt* in foro Antuerpienſi, & duci in cuſtodia, alii Leodienſes fugerant, quia dux fecerat inhiberi ſuis, ne converſarentur cum Leodienſibus. Leodienſes non habuerunt ſalvum-conductum eundi ad forum. Tunc miſſi fuerunt ad regem Franciæ dominus de Bierlo & *Ægidius de Mes*, cum aliquibus de comitatu Loſſenſi. Quos rex benigne ſuſcepit, & dixit quod ſervaret ipſis quod ſigillaverat. Sed petiit quod cum cautela proſequerentur cauſam ſuam, & haberent ad modicum patientiam, ſcilicet uſque ad obitum ducis PHILIPPI, ſic famabatur. Miſſum eſt ad Bruxellam, & collecta una diæta, captivi dimiſſi, patria aperta, & omnia ſuſpenſa uſque ad medium Martii, & tunc fieret inquiſitio de facto. Hoc domino Razoni non placuit.

Leodienſes mittuntur ad regem.

In adventu Domini dominus de Bierlo ordinavit mimos, qui canerent in tibiis ſupra turrim S. Lamberti, & ad hoc aſſignavit L. Rhenenſes, quos debebat habere de magiſterio ſuo, & petivit quod eccleſiæ etiam redditus aſſignarent, ſed noluerunt. Illis temporibus Moſa crevit in tanta altitudine, quod ante ſanctum Paulum equus uſque ad ventrem ivit in aqua. Dominus *ly Ruyt* vocato palatio ſimul propoſuit, quod ex quo lex non fiebat in Leodio, ipſe haberet, tamquam advocatus, ad judicium ſcabinorum poteſtatem faciendi juſtitiam de uno maleſactore, quod majus eſt, etiam ſcabini ad monitionem ejus deberent judicare legem

Johannes *ly Ruyt* advocatus Leod.

A patriæ, & oſtendit litteram factam tempore ADULPHI DE MARCA. Scabini reſpondebant (*a*) quod haberent juramentum non judicare, niſi ad monitionem villici, factumque magnum diſturbium pro hac cauſa, miſſumque eſt ad dominum, quod aperiret legem, ſed ipſe noluit, dicendo quod ſcabini eſſent excommunicati & civitas interdicta. Ipſe paratus eſſet eligere viros probos, qui ad monitionem villici judicarent legem patriæ in ſancto Petro juxta Trajectum, vel in Hoyo, vel alibi. [a]

In die Vincentii miniſterium fabrorum clauſit opera ſua ſuper totam civitatem, ſic, B quod pro nullo operarentur, niſi fieret lex in Leodio. (*b*) Advocatus & ſcabini volebant habere litteram ſigillatam a magiſtris & XXXII. miniſteriis, quod tenerentur indemnes, quod tandem a XXX. miniſteriis obtinuerunt. Igitur advocatus creavit XII. ſatrapas, cum quibus procedebat per civitatem tamquam villicus, (*c*) & faciebat legem. In diebus illis dominus *Bare*, quamvis C dolorem geſtaret in corde de deſtructione caſtri *de Reide*, tamen videns quod non poſſet reſiſtere domino Razoni, qui quotidie inquirebat bona Datinenſium ab illis qui ea ſilenter detinebant, & ſciens ſe habere partem, tam ex parte patris quam ex parte uxoris, ut famabatur, quamvis uſque ad illud tempus ſemper fuiſſet fautor domini Leodienſis, & pro pace laboraſſet, & a nulla parte haberet gratiam, neceſſitatus eſt adhærere domino Razoni tamquam parti fortiori, & cœpit cum ipſo tractare de manburno faciendo. Et ex quo filius ſuus habuit filiam domini de Bierlo in uxorem, quaſi inter utrumque magiſtrabat. Igitur conſules concluſerunt quod bona epiſcopalia ſeque-

[b]

Creat duodecim ſatrapas, & facit legem tamquam villicus.

[c]

(*a*) Diarium. *Scabini reſponderunt, quod ipſi omnes juraſſent in inſtitutionibus ſuis, non judicare legem patriæ, niſi ad monitionem villici, & rogaverunt unanimiter magiſtros & omnes cives, quod non requireretur ab eis aliquid quod eſſet contra honorem ſuum. Dominus Razo etiam petiit, quod bona domini de* Pieterlem *arreſtarentur, donec ipſe haberet bona ſua, quæ detinebantur in Brabantia. Illi qui fuerant Bruxellæ reſponderunt, quod dominus Razo haberet ſalvum conductum eundi Bruxellam, & ſtatim bona ſua dearreſtarentur. Ad hoc reſpondit, quod non eſſent amici ſui, qui hoc ſibi ſuaderent, ipſe ibi non iret, & multa alia dixit. Illis diebus dominus* de Buren *multum laborabat ad nocendum domino* de Horne, *propter abbatiſſam* de Torne *filiam ſuam, contra quam dominus* de Horne *fecerat aliquas executiones. Qui periculum timens, venit ad Leodium & excuſavit ſe rationabiliter, & fuit accepta reſponſio ejus ſuper palatium.*

Anno Domini MCCCCLXV. *in vigilia epiphaniæ, patria Leodienſis fuit demandata in Leodio, & fuit concluſum ibi, quod adhuc ſemel mitterent ad dominum Leodienſem, quod aperiret legem, quia non poſſet tollere legem a Leodio, & ſi deponeret unum villicum, oporteret eum inſtituere alium, & hoc juraſſet. Igitur poſt multas dilationes acceptas per dominos de capitulo, quia civitatenſes amplius non volebant mittere, ſed bonis viris intervenientibus, primo villicus ivit ad dominum, ſed obtinere non potuit, & in die Priſca Mathias* Haweals *magiſter civitatis pro tempore, & Wilhelmus de* Violetta *fuerunt miſſi ad Trajectum. Qui requiſierunt a domino Leodienſi, ut reſtitueret villicum & legem faceret patriæ, quod juraverat. Dominus Leodienſis reſpondit, quod facto prandio reſponderet eis. Illi autem dixerunt, quod habuiſſent in commiſſis ipſum requirere de lege, & hoc feciſſent, & non plus, & de hoc petierunt inſtrumentum. Similiter dominus Leodienſis petiit inſtrumentum, quod reſponderat eis ſufficienter, quia tenebat civitatem interdictam & ſcabinos excommunicatos. Sed bene volebat quod eligerentur viri probi, &c.* D

[*b*] Diarium addit: *Quorum fabrorum principalis erat Razo de Linthris. Quod quia multum damnoſum & grave erat toti communitati, tertia die, convocato palatio, ſimiliter propoſuit cauſam dominus Baretus, & ſcabini aſcenderunt ſupervius & Lybertus textor, ſenior ſcabinorum, dixit aperte, quod ipſi bene poſſent facere & indicare legem patriæ ad monitionem advocati, ſi ſecundum modum conceptum iſta fierent, dummodo* XXXII. *miniſteria litteram conceptam eis ſigillarent.*

(*c*) Diarium addit: *Et tenebantur placitationes, ſicut prius per advocatum, ac in die Aldegundis fuit amputata uni manus dextra, quia vulneraverat unum de civibus Leodienſibus. Fuitque proclamatum ad peronem, quod omnes qui receſſerant a civitate, exceptis proclamatis, ſi redire vellent, infra* VIII. *dies totum eſſet indultum, quod neglectum fuit: ſi non redirent, haberentur tamquam inimici; & quod nullus loqueretur eis ſine licentia magiſtrorum, ſuper viam tranſmarinam. Et ſi aliquis faceret aſſiſtentiam eis, quod eſſent in ſimili ſtatu. Poſtmodum tamen declaraverunt, quod non intenderent infringere juriſdictionem eccleſiæ. In cathedra S. Petri conſules & commiſſarii congregati ſimul, habuerunt conſilium, quid eſſent facturi, quia ipſi petierunt a dominis de capitulo, quod monerent dominum Leodienſem, quod rediret in civitatem, & miſerant ad dominum magiſtrum Henricum* Puthein *& Broigniet, & dominus maneret in rigore ſuo. Et convenerunt in hoc, quod requirerent dominos de Majori quod aſſiſterent eis: domini de capitulo reſponderunt eis, quod ipſi monerent juxta pacem de Feche, & vellent facere eis aſſiſtentiam ſecundum omnem viam convenientem: nec aliud reſpondere voluerunt. Petierunt etiam cives, quod bona epiſcopi arreſtarentur, quia vellent ſibi providere de manburno &c.* E

Creatio Mâburni propoſitio.

ſtrarentur, quia vellent ulterius procedere ad faciendum manburnum. Et convocato palatio, fuit dictum, quod dominus Razo eſſet proviſus de uno manburno, quem nominaret quando tempus eſſet. Et clamavit dominus Razo negotium *de Reide* valet honorem c. mil. nobilium, quia domini magni de Alemannia bene auderent ſe ſociare eis. Concluſum eſt quod patria demandaretur, & *cito* dominus Leodienſis monuit omnes notarios & procuratores in vim juramenti venire ad Trajectum; ſed appellaverunt.

Circa Dominicam *Lætare Jeruſalem*, fuit patria demandata & omnes nobiles. Et primo magiſtri propoſuerunt multa contra dominum *de Bourbon* valde auſtere, & quod vellent facere manburnum. Capitulum reſpondit, quod non eſſet expediens, ſed expectarentur nova de curia Romana. Similiter dixerunt & nobiles. Statim tumultus ortus eſt, quod clauderentur portæ civitatis, & interrogarentur ſinguli an vellent manere cum civitate vel non. Sed magiſtri, ſedato tumultu, dixerunt, quod nemo recederet, ſed in craſtino ſuper palatium quilibet diceret ſequelam ſuam. *(a)* Igitur in Dominica *Lætare*, elegerunt in mamburnum, quem dominus Razo procuraverat, MARCUM DE BADEN, fratrem archiepiſcopi Trevirenſis, & fratrem epiſcopi Metenſis, quorum frater marchio *de Baden* habuit ſororem imperatoris uxorem. Et lecta fuit ibi littera quam debebat mamburnus in receptione ſua jurare. Et electi ſunt qui mitti debebant ad eum requirendum VII. milites, ſed hoc conſilium mutatum eſt. Hoyenſes ſimiliter concluſerunt, quod non eſſet neceſſe facere manburnum, & miſerunt ad dominum Leodienſem, quod ſi vellet venire in Hoyo, libenter reciperent eum, & juvarent eum ad defendendum juriſdictionem ſuam. Igitur dominus Leodienſis intravit Hoyum feria IV. ad Cœnam Domini & manſit ibi uſque ad feſtum diviſionis apoſtolorum & conſecratum fuit ibi chriſma, & fiebant ibi ordines in ſabbato ſancto. *(b)* In Cœna Domini redierunt de curia Romana dominus

[a] Manburnus eligitur.

[b]

A Balduinus *de Hollongne* cum ſociis ſuis, & iverunt magiſtri eis obviam uſque ad Vallem S. Lamberti. Eodem die rediit etiam dominus *Bare* de Metis, ubi quatuor fratres *de Baden* fuerant congregati, & convenerant ſic cum eis, quod manburnus in octavis Paſchæ deberet Leodium venire. In craſtino quod erat Paraſceve, redierunt decani Chriſtianitatis cum ſacro chriſmate de Hoyo, & cum eis magiſtri Hoyenſes, & petierunt habere civitatem congregatam ſuper palatium, & ſimiliter dominus Balduinus cum ſociis ſuis multum inſtabant ad hoc quod poſſent facere B relationem eorum quæ impetraverant coram populo, quia plus obtinuerant quam Leodienſes eis commiſerant. Sed non poterant obtinere, & dicebatur eis quod ſatis eſſet, quod feciſſent relationem ſuper concilium. Magiſtri Hoyenſes etiam dicebant quod dominus Leodienſis paratus eſſet facere ea quæ papa ordinaverat, ſed non habuere reſponſum, nec aliquis volebat eos audire. Populus communis inter ſe murmurabat, ſed nemo audebat palam loqui, propter proclama quod factum erat. Sed magiſtri nolebant palatium congregari, quia populus communis C forte aliud deliberaſſet, ſi bullam papæ legi audiſſet. Nam papa miſit unam bullam electo, unam clero, unam ad nobiles & ad cives, quod eligerentur probi viri de tribus ſtatibus patriæ, qui facerent pacem infra IV. menſes & omnia haberentur ſuſpenſa; ſi non fieret pax, tunc interdictum ſervaretur, ſicut prius. Dominus Leodienſis miſit multas litteras, & ſimiliter villa Hoyenſis, ſed non fuerunt receptæ.

Manburno palatii præparatur ab oſſis & abbatiis omnibus inſigniis domini *de Bourbon*.

Igitur incœpit fieri magna præparatio in palatio ad novum dominum recipiendum, & omnes feræ palatii deponebantur, & fiebant novæ claves, & arma domini *de Bourbon* ubicumque depicta vel ſculpta fuerant abradebantur. Feria IV. venerunt litteræ de rege Franciæ, quod placeret Leodienſibus eligere manburnum comitem Nivernenſem, & non adhærerent inimicis regis. Feria V. cum legeretur bulla in capitulo, ſupervenerunt magiſtri & conſules requirentes a capitulo, quatenus manburnum, quem elege-

[a] Diarium. *Quilibet diceret intentionem ſuam. In craſtino ſupra palatium interrogatus dominus* de Buren *: primo reſpondit, quod ſic. Interrogatus ſecundo dominus Johannes de Marka, reſpondit, quod vellet vivere & mori cum patria, ſed de manburno faciendo numquam voluit aliquid reſpondere, quamvis dominus Razo bis & etiam expreſſe interrogaſſet eum. Ipſe aliud nihil reſpondit, niſi quod vellet vivere & mori cum patria. Tres filii ſui ignavi de quo diceretur, reſponderunt, quod bene vellent, & ſimiliter omnes alii. Dominus Johannes de Marka numquam aliud voluit dicere quam dixerat. In craſtino venit littera de domino Carolo, quod poneretur una dieta patria, ipſe vellet laborare pro pace & concordia, ſed nihil fuit curatum. Dominica* Lætare Jeruſalem, *palatio convocato, dominus Razo propoſuit, quod paratus eſſet jurare, quod ille quem nominaret, videretur ſibi melior, propter profectum patriæ, quia oporteret habere potentem, & quod expenſis propriis procuraſſet, non propter aliquam ſuam utilitatem vel lucrum, hoc acciperet ſupra juramentum ſuum, ſed propter honorem & utilitatem patriæ, & fuit per eum nominatus, & per omnes concorditer electus in manburnum* MARCUS DE BADEN *frater archiepiſcopi Trevirenſis, & frater epiſcopi Metenſis, quorum frater marchio* de Baden *haberet ſororem imperatoris in uxorem; unde bene gaudere deberent, quod Deus eis de tali viro providiſſet. Tunc Johannes de Marka dixit, quomodo hoc potero ſuſtinere, quia ipſe & frater ſuus, habent guerram contra me, & combuſſerunt terram filiorum meorum, & tenent captivos noſtros? Dominus Razo reſpondit, quod civitas Leodienſis de hoc determinaret quem vellet facere manburnum. Et ſtatim fuit lecta littera, quam electus Manburnus jurare deberet. Qua lecta, dictum fuit, quod eligerentur viri probi ad ipſum requirendum, & clamatum ad peronem quod nemo iret contra ſequelam palatii, ſub pœna bannitionis, & ſub pœna capitis, ſi teneretur. Dominus Leodienſis receſſerat a Trajecto ad Bruxellam, & Hoyenſes miſerunt ad eum, &c.*

[b] Diarium addit: *Cum igitur Leodienſes fuiſſent concordes ad habendum mamburnum, & eum nominaſſent & elegiſſent, primo miſſi ſunt ad eum capellanus domini Razonis, cum nuntio civitatis, ad intimandum ſibi ſequelam civitatis & patriæ; & deinde miſſus eſt dominus Faſtredus* Bare Surle, *ad diſponendum negotia ipſius receptionem & ſtatum conſervantia. Igitur in cœna Domini; &c.*

rant recipere vellent, ut deceret, cum honore, quia ſemper dederant eis intelligere, quod vellent eis aſſiſtere quantum poſſent, ſalva ſua profeſſione & honore; & peterent breve reſponſum, quia manburnus in Dominica venturus eſſet. In craſtino domini de capitulo reſponderunt, quod jam dixerant eis finale reſponſum, quod iſtum manburnum non reciperent, nec ad juramentum, nec ad alium quemque actum, niſi haberet proviſionem a ſummo pontifice, quam oſtenderet aperte & manifeſte. Et rogaverunt quod dimitterentur manere in pace ſua & in honore ſuo, & expendere ſua in civitate cum eis. Dominus Leodienſis mandavit omnes feodales ſuos in Hoyo. Leodienſes econtra fecerunt clamari ad peronem, quòd nullus iret, ſub pœna indignationis civitatis. Illis diebus cum fama divulgata eſſet, quod novus manburnus *(a)* reciperetur Leodii, occurrerunt multi de diverſis locis ad videndum eum, ſed ſtatim venit nuntius, quod non veniret in Dominica, ſed feria ſecunda. Exiverunt de Leodio ei obviam ambo magiſtri pro tempore, dominus Johannes *ly Ruyt*, dominus Johannes de Seranio, dominus Euſtachius *de Streel*, cum fratre ſuo, Ludovicus *de Seal* cum L. equis, dominus *de Voſelgang*, & alii de comitatu Loſſenſi cum eo. Dominica in albis ivit dominus Razo ei obviam in Viſeto.

Manburnum nolunt recipere canonici Leod.

[a]

Feria ſecunda in profeſto S. Georgii martyris poſt horam XII. cantabantur veſperæ in eccleſiis Leodienſibus, & clauſæ ſunt portæ civitatis, exceptis parvis januis, & poſiti ſunt cuſtodes ad ſingulas portas, & omnes viri de miniſteriis ſtabant armati ab eccleſia S. Lamberti uſque ad portam S. Leonardi diſpoſiti & ordinati ab utraque parte platearum, & infra primam & ſecundam horam poſt prandium, intravit civitatem Leodienſem dominus MARCUS DE BADEN ſedens in equo totus armatus, inter fratrem ſuum marchionem Carolum *de Baden* & duos comites qui ſecum venerant. Receptuſque eſt cum magno tripudio, & ſolemni gaudio popularium, eo modo quo epiſcopus recipi ſolet. Hoc excepto, quod campanæ non fuerunt pulſatæ, nec clerus fecit ſibi quicquam reverentiæ. Et ſtillabat vinum in quatuor locis, ſcilicet in foro, ante palatium, & retro palatium, & ante Phalam, habuitque mimos & tibicines: intraveruntque cum eo DCC. homicidæ, qui in foro cum deſcenderet de equo proſtraverunt ſe coram eo petendo veniam & gratiam, & indulſit eis. Et intravit cum domino Razone eccleſiam, & unus capellanus aperuit ſibi chorum, & intravit & fecit orationem, & ſic pedes ivit ad palatium. Illo ſero Leodienſes fecerunt oſtenſionem armorum cum tædis & luminaribus, proceſſionaliter tranſeuntes ad palatium coram manburno & fratre ejus & aliis dominis, qui cum eis venerant de Alemannia, & duravit dicta proceſſio quaſi per tres horas per forum & ſabuletum. Feria tertia habuit omnes ſcabinos, qui Leodii erant, in prandio. Feria quarta invitaverat omnes dominos de Majori, ſed non omnes iverunt. Eodem die fuit palatium ſimul, & dominus *Bare* dixit verbum ſuum: Primo regratiando de honore ſibi exhibito, quod paratus eſſet recognoſcere. Secundo lectum juramentum quod fecerat, in quo continebatur primo quod infra annum poſt impetratam confirmationem ſuam, faceret ſe promoveri in epiſcopum. Secundo quod non alienaret bona eccleſiæ. Tertio, quod non impignoraret aliqua officia, & quod daret illa nativis de patria. Quarto, quod ſervaret pacem *de Fexhe* & alias franciſias civium, & antiquas conſuetudines. Quinto, quod non tolleret legem; & ſi ſic tunc conſentiret quod advocatus moneret ſcabinos ad faciendum legem. Sexto, quod non teneret diætas extra patriam, quæ concernunt civitatem. Septimo, quod non amoveret curiam officialem extra civitatem.

Solemnis ingreſſus manburni Leodii quique recepti.

Juramentum manburni.

Ipſe petiit econverſo, quod eſſent ſibi fideles etiam uſque ad mortem, & de hoc petiit habere litteras ab ipſis ſigillatas. Et oſtenſus fuit jactus unius litteræ & lectus, & fuit ſibi conceſſum. Et in littera fuit vocatus MARCUS DE BADEN REGENS ET GUBERNATOR AC ADMINISTRATOR PATRIÆ LEODIENSIS, DUCATUS DE BULHON, ET COMITATUS LOSSENSIS. Frater ſuus obtulit ſe velle litteram ſigillare, & cum tota ſua potentia aſſiſtere. Poſtulavit etiam litteras allegantiarum civitatis & patriæ, pro ſe & amicis ſuis, & fuerunt ſibi conceſſæ. Item fuit concluſum, quod homicidæ, qui intraſſent cum manburno infra XV. dies, docerent ſe ſatisfeciſſe parti læſæ, & quod non eſſent banniti, nec fures, nec latrones, & acciperent litteras ſecuritatis pro quibus ſolverent unum florenum Rhenenſem.

Mutatio nominis manburni.

Die Dominica *(b)* feſtivavit eum domi- [b]

(a) *Marcus de Baden.* Hunc Leodienſes Colonia adduxerunt, armata manu, comitantibus archiepiſcopo & Carolo marchione *de Baden* fratribus. Vide ſup. Annal. Noveſienſ. pag. 608.

[b] Diarium. *Die Dominica, quia erat feſtum tranſlationis S. Lamberti, dominus Razo introduxit manburnum ad miſſam majorem, apud quem eodem die debebat prandere & cœnare. Et cum poſiti fuiſſent cuſſini in ſedilibus juxta altare, & ipſe ſe ibi collocaſſet, Gerardus* de Cop-door *tulit cuſſinos, & poſuit eos uli epiſcopus ſtare ſolet. Cumque miniſteriales S. Lamberti ſibi baldekinum miniſtrare nollent, cucurrit ad S. Dionyſium, & mutuavit ibi unum baldekinum, & poſuit in loco epiſcopi. Tunc dominus Razo juſſit manburnum ibi ire, & ſtatim ivit. Aliqui canonicorum exiverunt chorum, reliquorum vero nemo ivit ad pacem. Deinde cœpit ordinare officiatos in Leodio, ſcilicet villicum & ſubvillicum Leodii, & ad pontem Amaricordis, & in Auroto, ac interrogatum eſt a ſcabinis ſi reciperent eos ad ſolita juramenta, dum vellent facere. Reſpondérunt ſcabini, quod non haberent de conſuetudine recipere aliquem in villicum, nec ad juramentum, niſi prius fuiſſet inſtitutus in capitulo, & de hoc haberet docere per litteras aut teſtes idoneos. Alii ſcabini reſponderunt, quod quando villicus Leodii eſſet conſtitutus, tunc ipſi eſſent parati. Et ſic placita generalia fuerunt continuata uſque ad ſabbatum poſt*

nus Razo in domo ſua, & feria quinta fecerunt in palatio coram eo magiſtri & conſules & gubernatores miniſteriorum juramentum fidelitatis & aſſiſtentiæ uſque ad mortem tradendo ei litteras ſigillatas xxxvi. ſigillis.

Dyonantum tendit. Sabbato, armigeris præcedentibus & ſagittariis, manburnus tendit verſus Dyonantum per Condroſiam, & dominus Razo equitabat ante eum cum albo baculo, & poſt dominum Razonem rubeum vexillum. Inde manburnus cum fratre ſuo, poſt quos magiſtri Leodienſes cum multis armigeris præcedentibus & ſequentibus propter inſidias. Dyonantenſes ſolemniter eum receperunt, cum illis de Tudino & Covino qui ibi convenerant, & fuit ibi gaudium magnum. In Dominica ſequenti, id eſt in profeſto S. Servatii, fuit paratum unum miſſale ſuper palatium & ſuper crucifixum ante canonem depictum, fecit marchio *de Baden* ibi juramentum ſecundum litteram allegationum ſibi datam, & poſtea omnes magiſtri, & poſtea omnes nobiles de patria, qui ibi erant præſentes, de hinc omnes ſcabini, deinde commiſſarii, alii deinde. Et tenebat dominus Razo librum. Et concordatum, quod quicumque infra tres dies non faceret prædictum juramentum, quod haberetur tamquam inimicus patriæ, & quod nullus permitteretur bona ſua exportare extra civitatem vel patriam, & quod in *Montenaken*, & in villis circa Brabantiam, fierent foſſata & repagula cum phalangis, & vigilarent aliqui. (*a*)

12. Maii. [*a*]

In craſtino S. Servatii ivit manburnus verſus Tongris cum c. circiter equis, & fuit receptus cum magno tripudio & favore popularium. Similiter in S. Trudone, in *Haſſelt*, in *Eyck*. Et ubicumque veniebat, fiebat magna ſolemnitas, & ex omnibus villagiis occurrerunt ad eum videndum.

Legatio ducis Burgundiæ ad Leod. In diebus illis dominus CAROLUS juvenis dux Burgundiæ præparabat ſe ad eundum contra regem Franciæ, & bonæ villæ Brabantiæ miſerunt Leodium pro ſalvo conductu pro una legatione quam vellent mittere ad Leodium. Quo impetrato, (*b*) xvi. Maii hora iv. de veſpere intraverunt Leodium legati bonarum villarum Brabantiæ, videlicet duo de Lovanio, duo de Bruxella, duo de Antuerpia, & duo de Buſco-ducis, cum xxix. equis. Qui tribus diebus expectaverunt manburnum qui erat in comitatu Loſſenſi. Quo reverſo, data audientia, propoſuerunt quod ſemper fuerant boni vicini & amici patriæ Leodienſis, & adhuc vellent. Si inter ipſos Leodienſes & paſtorem aut dominum ſuum aliqua controverſia orta eſſet, de illa non vellent ſe interponere. Si aliqua controverſia eſſet *inter* utraſque patrias, juxta morem antiquum ſervaretur una diæta patriæ ſicut eſt conſuetudo; & qui veritate cognita repertus eſſet culpabilis, emendaret. Quibus econverſo propoſitum fuit de detentione civium *de Haſſelt*, & de arreſto facto ſuper capitulum Leodienſe, & ſuper dominum Razonem, & de filio Johannis *Made* captivo. De facto *de Haſſelt* reſponderunt quod ipſi redirent juxta promiſſionem in locum captivitatis, ipſi facerent quod libere redirent, & ad hoc eſſent parati ſe obligare. De aliis facerent relationem bonis villis, & mitterent reſponſum. Nec aliud potuerunt obtinere. Decima die miſerunt reſponſum bonarum villarum, quod teneretur una diæta: ſed dominus Razo noluit advertere & manſit. (*c*) Decima ſeptima Maii clerus fuit congregatus in ſancto Lamberto ad reſpondendum certis punctis per marchionem *de Baden* eis propoſitis, videlicet an vellent cum eis manere & eis adhærere; & quid dicerent de articulis domino *de Bourbon* impoſitis. Eccleſiæ dederunt reſponſum (*d*) in ſcriptis; & miſerunt feſtinanter nuntium ad curiam Romanam, quod papa dignaretur prolongare terminum quatuor menſium. Sed domino Razoni reſponſum eccleſiarum non placuit, ſcilicet quod vellent manere cum ipſis, ſalvo ſuo honore & juramento & animarum ſalute, & obedientiam ſedis apoſtolicæ, cui ſemper obedire vellent. Et iterum convocatis omnibus canonicis in capitulo Leodienſi, venit ibi iterum marchio *de Baden* cum magiſtris, & volebant habere planum reſponſum ab eis, an vellent eis aſſiſtere vel non. Dum autem decanus Leodienſis reſponſum dare deberet, cœpit aliqualiter titubare ex aliquo timore ſibi per marchionem, & dominum Razonem per mala verba & minatoria illato duobus diebus præcedentibus, & dixit inter cetera, quod eſſet in bona ſpe habendi bona nova de curia, videlicet quod papa daret ulteriorem terminum, & quod manere vellent

[*b*]

[*c*]

[*d*]

Miſericordia *multis mirantibus. Feria* v. *fecerunt*, &c.

(*a*) Diarium addit: *Et concluſum ibidem quod peterent aſſiſtentiam ab eccleſiis, & vellent procedere ad depoſitionem domini* de Bourbon, *& quod articuli daventur eccleſiis inſcriptis, ut deſuper deliberarent.*

[*b*] Diarium. *Quo impetrato, venerunt de qualibet quatuor principalium villarum Brabantiæ, quatuor notabiles viri* xv. *Maii, ſed propter abſentiam manburni non habuerunt audientiam, niſi feria* 2. *Rogationum.*

[*c*] Diarium addit. *Iſtis temporibus principes regni Franciæ, ut ferebatur, citari fecerunt regem Franciæ coram parlamento, volentes procedere ulterius ad depoſitionem ejus. unde dux Burgundiæ congregata armata militia copioſa, miſit Carolum filium ſuum cum ea contra regem Franciæ, unde Leodienſes audaciores facti fuerunt, quia armigeri de Brabantia & vicinis locis receſſerunt.*

(*d*) Diarium addit: *Et fuit tenor reſponſionis talis, quod eccleſia magnis laboribus & expenſis miſiſſent ad diverſas diætas, & ad curiam Romanam, ad inveniendum medium pacis, in tantum, quod dominus papa & cardinales dixerant ambaciatoribus eorum, quod non eſſent mediatores, ſed fautores civitatis. Et adhuc parati eſſent eis aſſiſtere, quantum poſſent, ſalvo honore ſuo & juramento & obedientia ſedis apoſtolicæ, cui ſemper obedire vellent, & adhuc libenter vellent ſcribere & mittere. ſi exoediens eſſet, ad curiam Romanam, expenſis ſuis, pro differentia, quæ eſt inter ipſos & dominum. Et iſtud reſponſum dederunt in ſcriptis, propter aliquos malivolos qui omnia interpretabantur ad malum. Scilicet Johannes Rigaldi & alii. Et miſerunt*, &c.

cum

cum eis & quod continuarent divinum officium. Hoc verbum acceperunt laïci ex ore decani, & fecerunt singulos canonicos interrogari, an similiter vellent manere cum eis. Cantor Leodiensis respondit, quod vellet obedire patriæ. Tunc dominus Razo dixit: Oportet unum quod dicatis: vultis manere nobiscum, sicut decanus dixit, vel non? Tandem dixit quod ita. Et consequenter omnes dixerunt quod sic. Super quibus laïci petiverunt instrumentum, & fecerunt scribi nominatim omnes qui fuerunt præsentes.

Mamburnus epiſc. locum occupat.

In die sancto Pentecostes mamburnus ivit ad processionem cum fratre suo loco episcopi. Et in missa dominus *Bare* tulit baldekinum, & posuit in loco ubi episcopus stare solet, & collocaverunt mamburnum suum. Et notandum quod, sicut factum fuit tempore domini JOHANNIS DE BAVARIA de mamburno tunc facto, sic fecerunt de isto. Fuerunt proclamati dominus Johannes de Valle tamquam inimicus patriæ, & dominus Ægidius de Hoyo albanus, absque revocatione, ex quo non volebat jurare litteram assistentiæ. Feria v. infra octavas Pentecostes fuit patria demandata per mamburnum & magistros, sed pauci nobiles venerunt, sed miserunt litteras excusatorias. Hoyenses miserunt unam magnam litteram, sed non fuit accepta, & causa fuit ad faciendam justitiam & legem in Leodio & in patria. Et dixit marchio, quod haberet potestatem faciendi fieri justitiam in bassa Alemannia; alii dicebant, quod habebat commissionem a locum tenente imperatoris, sed nihil ostenderunt in scriptis.

Dominus Bare creatur villicus.

In die S. Barnabæ fuit dominus *Bare* factus villicus, & fecit juramentum in capitulo. Et fuerunt proclamati ex parte regentis omnes qui prius proclamati fuerant, scilicet Alexander *Berart*, Henricus Gregorii & ceteri. Tres naves portantes vestimenta, panDomus domini de Bourbon diripitur. nos, carnes & alia bona pertinentia domino Ludovico *de Bourbon*, tentæ fuerunt & omnia direpta, sed clamatum fuit quod reportarentur omnia ad manus receptionis civitatis, & aliqui fuerunt in palatio præsentes qui vestiti erant vestibus domini quas rapuerant, nec restituerunt. Item fecerunt Leodienses reparari domum episcopi in Seranio, ut frater regentis posset ibi stare, sed non fuit completum opus. *(a)* In die ascensionis Domini hora VII. de vespere intravit civitatem Leodiensem ambassiata regis Franciæ, in cujus occursum Leodienses multos armatos miserant usque ad *Mosoug*, & contigit quasi pro omine, quod cum multi viri & mulieres iviſſent ad videndum eum intrantem, subito & inopinate descendit una pluvia de cælo ita impetuosa, quod vix aliquis fuit quin fuerit madidatus usque ad carnem, & ocreæ equestrium erant repletæ aquis, quod valde fuit mirabile, designans malum sequens. [a]

Iste dicebatur comes *de Chesselhon*, descenditque in hospitium quod dicebatur Molendini ad ventum. Iste fuit missus ad faciendum allegantias cum Leodiensibus. Sed quando recessit a rege, ignorabat quod Leodienses habuissent regentem, & ergo non portasset litteras ad eum. *(b)* Et dicebat dominus Razo, quod rex numquam misisset ita nobilem ambassiatam sicut nunc. Convocatoque palatio *(c)* proposita fuerunt multa de rege Franciæ, & multa mala exposita de duce Borboniæ, & quod ipse suasisset fratri regis quod iret in Britanniam contra regem. Et petitum per ipsum & eos qui secum venerant, quod Leodienses vellent se alligare regi & confœderare se cum ipso, quia econverso rex eis assisteret, & quidquid ordinarent seu concluderent, rex gratum haberet. Et si dux Burgundiæ interponeret se contra regem, quod tunc Leodienses patrias ducis invaderent, ferro & igne mala faciendo. Super quibus propositis fuerunt multi tractatus. Multi nolebant facere prædictas allegantias, & dominus de Bierlo nolebat quod fierent, sed dominus *Bare* & Razo prævaluerunt. Sequelæ non fuerunt portatæ super palatium, sed super consilium, *(d)* & præceptum sub pœna capitis quod nullus aliquid inde revelaret. Sic allegantiæ fuerunt factæ, & rex deberet mittere stipendia pro CCC. lanceis, & Leodienses pecunias pro salpeta & sulphure & similibus. Recessit igitur marchio *de Baden* versus terram suam ad quærendum armigeros. Prædictus vero comes stetit Leodii donec haberet responsum a rege. Et in

Dominus de Chaſtillon legatus regis Franciæ.

Fœdus initum cum rege Franciæ.

[a] Diarium addit: *Circa festa paschalia rex Franciæ misserat unam litteram Leodiensibus, quod vellent eligere comitem Nivernensem in mamburnum: unde econverso Leodienses miserunt nuntium ad regem, recommendantes se ei, & offerentes obsequia. Unde rex eis rescripsit, quod mitterent ei unam ambassiatam ad tractandum cum eis. Cujus nuntius venit Leodium, nuntians ejus adventum. Unde Leodienses miserunt litteras Dyonantensibus, Bullonensibus, & Tudinensibus, quod irent eis obviam usque in* Motoug, *propter armigeros, qui cœperant congregari in partibus Hannoniæ & circum. Et in vigilia ascensionis Domini dominus* Bare *filius de Bierlo & Mathias* Haweals, *& de quolibet ministerio duo iverunt eis obviam versus Condrosium. Et in festo ascensionis Domini, infra* VI. *&* VII. *de vespere venerunt Leodium & contigit res satis mirabilis, nam cum clara dies fuisset, ita ut vix una nubecula videretur in aëre, & isti appropinquarent domui Wilhelmitarum in Auroto, & ad videndum totus populus utriusque sexus occurreret, aër cœpit modicum obnubilari, & cum vexillum intraret ventum Auroti, cecidit ita gran-*

dis pluvia, &c.

[b] *Littera regis data die* XVI. *Maii a* Montluçon.

(c) *Die Dominica.*

(d) Diarium. *Et fuit ambassiata dictum, quod ea quæ verbis proposuerant, darent in scriptis. Feria tertia post ascensionem Domini dicebantur esse concordes cum marchione, qui disposuit se ad remeandum ad partes suas, & ad aptandum pro rege* CCC. *lanceas, & ivit illuc in die Barnabæ apostoli. Illi autem de civitate non de facili consenserunt in alligationibus petitis faciendis. Et magistri festinaverunt ambassiatam, primo super Violettam, secundo in S. Jacobo, tertio in S. Laurentio, quo die fuerunt coram regente pro allegantiis faciendis, & non fuerunt concordes, quia dominus de Bierlo, qui erat magister civitatis, nolebat consentire. Tunc dominus* Bare *volebat habere palatium simul in evastino, ubi proposuit duo, scilicet allegationes fiendas a rege, & de bonis episcopatus, quæ regens petebat, & de habendis registris. Et conclusum quod gubernatores portarent sequelam ante regentem, & sub pœna capitis nihil revelarent, &c.*

[a] Comes regreditur ad regem.

profesto S. Johannis-Baptistæ (a) ductus est usque ad Dyonantum, & sic usque ad *Mosoug*. Et Leodienses qui iverant cum ipso ad Dyonantum, exiverunt super campos de Bovinia, unde custodes de Bovinia exeuntes ceperunt unum, & occiderunt unum, reliqui fugerunt. Dyonantenses econverso traxerunt bombardas suas contra Boviniam & cœperunt guerrare. Missusque fuit dominus *de Hollongne* ad Dyonantum ad custodiendum villam tamquam capitaneus. In die Johannis & Pauli feodales compulsi sunt levare feoda sua a regente, verum ore & manu. Item, ubicumque poterant reperiri bona ad episcopum pertinentia, levabantur per regentem. Similiter incipiebant levari omnia bona absentium, & eorum qui non fecerant juramentum institutum. Et quicumque canonicorum fecisset aliqua exportari de Leodio, si inventum aliquid fuit, statim rapiebatur & distribuebatur. Et volebant laïci quod absentibus canonicis nihil daretur de præbendis ipsorum, alioquin ipsi personaliter levarent pro civitate.

Tunc cœpit clerus angustiari, quia tempus appropinquaret, quod quatuor menses suspensionis interdicti exspirarent, si papa non daret ulteriorem terminum, & si non servarent interdictum, essent in magno periculo & scandalo, quia haberentur ubique ut prophani; si interdictum servare vellent, essent in magno periculo corporum suorum. Deliberaverunt tamen servare interdictum, & aliqui quærentes sibi amicos, meliora bona sua per noctem fecerunt abduci. Alii expectaverunt nuntium versus curiam missum, sperantes quod papa daret ulteriorem terminum. Fueruntque ecclesiæ coram regente, (b) quod vellet inducere populum, quatenus esset contentus quod interdictum servaretur, & ordinaretur una legatio ad papam, ipsi vellent contribuere, dummodo dimitterentur in pace. Regens bene voluit, sed dominus *Bare* cum aliis noluerunt advertere. (c) Multi de canonicis fugerunt feria v. & in feria vi. quæ erat ultima dies suspensionis interdicti facta fuit processio ad sanctum Leonardum, & decanus S. Petri magister Eustachius fugit de mane, & cum venisset ad portam comprehensus est. Qui descendens de equo intravit in domum decani S. Crucis, & deinde per scalam descendit in monasterium bonorum puerorum regularium. Quod cum nuntiatum fuisset domino *Bare*, cucurrit illuc, & invenit eum circumdatum multis malivolis, qui occidissent eum aut discerpsissent, nisi ipse eum liberasset. Deputavit tamen aliquos, qui eum ibi custodirent. Cum vesperæ cantarentur, convenerunt canonici in S. Lamberto quid essent acturi, & deliberaverunt omnes quod servarent interdictum. Tunc unus de majori villa dixit: si sic facimus, omnes sumus in maximo periculo, & nihil erit de nobis. Cumque super hoc deliberarent in capitulo, magistri iverunt ad regulares, & inde auferentes decanum sancti Petri, statuerunt eum in medio magistrorum super palatium, populo ibidem congregato. Cumque interrogaretur de multis, interrogavit eum dominus Razo, quis fecisset istam bullam, quæ solum narrat excessus civitatis, & nihil loqueretur de excessibus domini; utrum papa dictasset bullam personaliter. Respondit decanus quod papa non dictavit bullam, sed qui habet tale officium. Statim Johannes Rigaldi accepit verbum ex ore decani, & clamavit alte: Audite, audite, papa non dictavit: cumque decanus facto silentio dixisset, quod tota vis bullæ stat in quatuor vel quinque rigis, ubi papa suspendit interdictum & iterum ponit. Cœperunt clamare omnes, ergo bulla est falsa, maledicantur qui ibi fuerunt, nec potuit aliquis eos sedare, & esset incredibile quanta diabolus mala per homines furiosos & sine intellectu ad invicem loquebatur. Clamaveruntque omnes quod interdictum esset nullum, & statim iverunt, & spoliaverunt domos omnium canonicorum absentium, auferentes omnia. In domo decani intravit unum ministerium, & per totam noctem illam, quæ erat octava apostolorum Petri & Pauli, pauci dormierunt per totam civitatem. Alii stabant armati ante domos religiosorum, auscultantes an pulsarent ad matutinos an non. Amici eorum rogaverunt eos ut pulsarent, alioquin omnia diriperentur. Deputati sunt armati, qui scrutabantur domos canonicorum, an essent præsentes vel non, & quicumque non fuit inventus in domo sua, quæcumque ibi inveniebantur spoliabantur. Similiter cum matutini inciperentur, quoniam canonici cum protestatione continuaverunt divinum officium, quicumque non fuisset inventus in choro, fuisset habitus tamquam inimicus. Et fuerunt positi custodes ad singulas portas, & in exitibus civitatis. Inventique sunt tres canonici fugisse, qui fuerunt reducti & spoliati omnibus rebus, positi in turri officialis. Hora prima missi sunt exploratores ad omnes ecclesias ad videndum an ibi cantaretur. Tumultu sedato, clamatum est quod qui aliquid abstuliisset in domo alicujus canonici, quod portaret ad

[b]

Comprehenditur fugiens decanus S. Petri.

Et de bulla interdictiſi. per palatium interrogatur.

Spoliantur domus canonicorum ab. sentium.

(a) Diarium. *In vigilia S. Johannis Baptiſta receſſit ambaſſiata versus regem, & cum eis dominus Renardus* de Rouxeux *portans litteras allegationum versus regem, ut reciperet è converſo, quod rex promittebat. Et Leodienſes cum decani ſemitiva duxerunt eos ad Dyonantum, &c.*

(b) Diarium. *Magiſter Hugo Benefacti Theſaurarius Metenſis, miſſus fuit per epiſcopum Metenſem ut eſſet cum mandato fratre ſuo, qui multum condoluit eccleſiis, & conſuluit quod venirent ad regentem, &c.*

(c) Diarium. *Venit nuntius de curia feria* IV. *de ſero portans litteras, quod papa nullo modo voluit dare ulteriorem terminum: illa igitur nocte cantor & decanus S. Johannis* Grymont *canonici S. Johannis & alii de S. Martino & aliis eccleſiis receſſerunt.*

palatium, ubi facta fuit magna congregatio lectorum & aliorum mobilium, licet minima pars reportaretur.

In divisione apostolorum dominus Leodiensis fugit cum suis de Hoyo, quia duo ministeria levaverunt se contra alia, & illi de Amanio obtinuerunt parvam villam de Hoyo, & miserunt versus Leodium pro auxilio. Et ivit illuc dominus Razo & dominus *Bare* cum pc. armatis, qui non intraverunt oppidum, exceptis militibus & magistris. Et sic Leodienses obtento dominio oppidi, deputaverunt aliquos ad custodiendum castrum, & statim exspoliatæ sunt domus omnium illorum qui cum domino Leodiensi recesserant, qui de substantiis suis nihil exportaverant. [a] (a) In diebus illis omnia spolia canonicorum absentium vendebantur Leodii, nemine contradicente, & regens habebat medietatem pecuniarum, civitas aliam. Tunc congregati magistri & consules cum regente, assumserunt utramque jurisdictionem & constituerunt unum officialem & sigilliferum nobilem virum canonicum Leodiensem, filium domini *de Buren*, simplicem valde & puerilem, nescientem Latinum, neque loqui unam orationem in quocumque idiomate; sed magister Johannes *Herpel* deberet supplere vices ejus. Item, mediante prædicto magistro Johanne *Herpel*, & etiam quodam decano de Confluentia, viro latæ conscientiæ, ordinabantur in palatio leges & plebiscita, tam super clerum quam super totam patriam, & quod nemo contradiceret vel contraveniret sub pœna gravi. Item, dictabatur una littera ex parte & sub nomine trium statuum patriæ, quæ mitti debebat ad papam, in qua postulabant dominum N. in [b] pastorem & dominum. (b) Quia dominum Ludovicum *de Bourbon* propter tales causas ibi expressas numquam reciperent, & petebatur ab ecclesiasticis, quod in omnibus ipsis adhærerent xv. Julii.

Prima Augusti venit marchio *de Baden* cum tribus comitibus & armigeris circiter cccc. & duxit secum currus portantes bombardam magnam & serpentinam ac tentoria, & alia instrumenta guerrarum, & habuerunt omnes rubea vestimenta; venerunt etiam cum eo quasi lx. pedites. Tertia Augusti magister Johannes *Herpel*, qui totum malum fabricaverat contra clerum, silenter recessit versus Coloniam; sed in *Harstal* a custodibus viarum captus, ductus est ante mamburnum. Tandem mediante domino Razone, facto juramento fidelitatis, dimissus est abire. (c) [c] Septima Augusti venit de rege Franciæ Renardus *de Roucreir* portans secum deliberationem regis de litteris allegationum, quem rex tunc militem creaverat. Venit etiam cum eo D. Petrus Jodii miles armatæ militiæ, professor utriusque juris, qui semper sagittam portabat in manibus, (d) ad concludendum [d] & firmandum litteras allegationum & videndum eas compleri. Recessit etiam tunc a Leodio magister Hugo Benefacti, cum litteris trium statuum patriæ & regis Franciæ, ad impetrandum a summo pontifice confirmationem domini *de Baden* postulati. Eodem tempore postulatus petebat subsidium ab ecclesiis. Tandem oportebat quod ecclesiæ intrancæ solverent dimidium subsidium. In crastino Assumtionis dominus *Bare* ivit summo mane ad *Falaix*, & posuit ibi custodes ex Alemannis. Dominus Razo petivit a civitate pro damnis habitis, quod darent sibi *Falaix*, & fuit sibi concessum. Hoyenses petierunt sibi franchisias suas & castelriæ suæ sigillari, & fuit concessum, & hoc medio Marcus *de Baden* fuit receptus in Hoyo in die S. Bartholomæi, ubi mansit per duos dies expectando duos milites, qui portabant pecunias de rege Franciæ, ut dicebatur, de quibus pecuniis duo millia fuerunt distributa inter ministeria ad providendum de rebus bellicis sibi necessariis. In profesto S. Bernardi exivit regens cum omnibus armigeris suis & cum Leodiensibus subito ad præcludendum viam qua dux Clevensis debebat venire versus Brabantiam, sed propter pluviam non venerunt satis tempestive, & dux jam transierat (e) antequam venirent. [e]

In die S. Jacobi fuerunt electi in magistros dominus Johannes *ly Ruit* & dominus Jo-

Electus fugit de Hoyo, sui spoliantur.

Officialis novus instituitur.

Dominus de *Baden* ab Hoyensibus recipitur.

Partit dominus de Baden.

[a] Diarium. *Scilicet Danielis* de Hosden, *Ottardi*, *Wilhelmi* de Warous, *& aliorum. Similiter illi de comitatu Losensis expolierunt omnes domos illorum qui fuerunt cum ipso.*

[b] Diarium addit: *Et nominati xx. circiter articuli, qui imponebantur domino* de Bourbon, *de quibus principaliores erant; quod infra septennium non fecerat se ordinari; quod non curavit corrigere exactores, qui destruebant patriam; quod sedit cum laicis ad condemnandum eos, & accepit pecunias ab eis, & iterum reposuit eos; quod abstulit legem patrie, unde multi sunt occisi, & sæpe rogatus non vult legem restituere. Quod requisitus a capitulo, non vult redire, & similia; & quod nullo modo amplius reciperetur a Leodiensibus, & quod adhærerent ipsi postulato in omnibus. Et portata fuerunt littera a rege Francie, qui scribebat pro Leodiensibus. Tunc clerus, qui erat Leodii, fecit unam litteram allegationum, quod ea que oportebat eos facere, Deus sciebat, quæ mente faciebant, quod assisterent sibi mutuo, & juravent se communibus expensis portare onera sua, si haberent in posterum pati, tam ratione beneficiorum suorum, quam alias pro his que fecerunt invitis* xv. *Julii. In vigilia S. Jacobi æstimabantur & vendebantur bona canonicorum absentium, & nemo audebat contradicere. In die S. Jacobi electi sunt in magistros dominus Johannes de Servanio, & dominus Johannes* ly Ruyt *milites. Prima Augusti venit marchio* de Baden *cum armigeris circiter equitibus* cccc. *inter quos erant circiter nobiles quinquaginta, & tres comites, & pedites circiter centum, &c.*

(c) Diarium. *Quarta Augusti venerunt littera de Francia de bello habito inter regem Francie, & ducem Carolum, & quod Carolus esset vulneratus in gutture, & sui quasi omnes occisi, reliqui cum ipso inclusi, gravi inedia laborabant.*

[d] Diarium. *Portans, ut ferebatur, pecunias pro stipendiariis, & pro ministeriis duo millia ad faciendu instrumenta bellica & pulveres pro bombardis. Qui mansit in Leodio ad videndum an Leodienses complerent opere, quod figillaverant. Et fuit cum eis in Hervia, quam combusserunt & alias villas circum, spoliantes etiam ecclesiam. Quod cum vidisset, accepit licentiam a regente & a Leodiensibus, & dixit quod faceret relationem regi de his que viderat, & quod plus faceret quam rex requireret, & recessit ad regem in crastino sicut dicebatur.* vi. *Augusti petivit regens subsidium ab ecclesiis, &c.*

(e) *Cum duobus millibus armatorum equestrium.*

hannes de Seranio, sed parum curabatur de eis. Communis populus.... nisi exeamus antequam alii sint parati. Magistri volebant expectare, sed non dicebant causam quare. Dominus Razo cum consilio volebat ire super Brabantinos, & marchio non prætendebat aliud. Populares vero volebant primo destruere terram Lymburgensem. Majores expectassent libenter donec aliquis ex parte [a] ducis invasisset eos, propter pacem. (a)

In die decollationis S. Johannis ministerium viticolarum cœpit exire versus terram Lymburgensem. Consilium misit post eos ut reverterentur, sed noluerunt. Dominus Razo revocavit eos, nec audierunt. Regens cum fratre suo ivit ad eos, sed non curaverunt. Tunc dominus *Bare* dixit, vultis destruere patriam ducis antequam ipse sciat, oportet quod primo diffidetur. Interim ministerium drapparíorum secutum est viticolas, & in crastina hora vm. exivit nuntius de Leodio portans litteram diffidationis ad dominum ducem Bruxellæ. Illa die exiverunt omnes, & in puncto horæ septimæ incenderunt pulchrum villagium de Hernia, primo villa tota spoliata, & in ecclesia omnia fregerunt & diripuerunt, sacramentum male tractaverunt, unde unus comitum de Alemannia valde fuit commotus, & vocatis domino Razone & domino *Bare*, dixit se esse hominem Christianum, nec posse talia crudelia & impia videre fieri super Christianos, & in sacramentis ecclesiæ, & nisi fieret correctio illorum qui talia fecerunt, non vellent cum eis se dare periclis. Ipsi responderunt quod facerent, sed non audebant. Fuerunt tamen duo ex illis suspensi Leodii in crastino Lamberti.

Leodienses cum regente Falcomontē obsident, sed regens cum suis fugit.

Ultima Augusti combusserunt Leodienses omnia villagia juxta Herniam & in terra de *Dolhen* tendentes versus Falcomontem. Tunc Trajectenses incenderunt villam sancti Petri juxta Trajectum. Quarta Septembris obsederunt villam & castrum de Falcomonte, & tunc marchio cum fratre suo & Alemannis qui secum venerant, omnibus relictis, quæ secum attulerant, latenter recessit, timore sibi incusso nescio unde. Igitur Leodienses hoc audito attoniti & stupidi, relictis bombardis & multis aliis, redierunt ad Visetum, & in crastino reintraverunt civitatem, & statim de quolibet ministerio deputatus est unus, cum Gerardo de *Cop-dore* ad æstimationem omnium bonorum quæ *Baden* reliquerat, quia nihil nisi equos & corpora secum exportaverant, & multa pretiosa jocalia dimiserant.

In profesto Nativitatis Virginis gloriosæ dominus de *Fronoymont* & Johannes de Longo campo associatis sibi Namurcensibus, incœperunt comburere patriam Leodiensem juxta terram Namurcensem, & primo posuerunt ignem in domo religiosa ordinis S. Benedicti, quæ subest monasterio S. Laurentii prope Leodium, & vocatur prioratus sancti Severi in Messia, tradendo eam totam incendio præter ecclesiam & furnum. Item, combusserunt totam villam exceptis aliquibus domibus, & alia circumquaque, & versus Hoyum. In crastino exeuntes aliqui de Hoyo combusserunt e converso villas terræ Namurcensis circa Mosam. In crastino beatæ Virginis homines ducis Clevensis (b) incœperunt comburere villas terræ Montenakensis & fuerunt in *Montenaken*, sed non intraverunt. Quapropter dominus Razo & dominus *Bare* & dominus de Bierlo iverunt in *Montenaken*, & combusserunt villas Brabantiæ de banno de Hannunto, tenentes warnisionem & custodiam in *Montenaken*. Et multiplicata sunt mala in terra, & erat videre magnam miseriam. Omnes vici civitatis Leodiensis pleni erant pauperibus utriusque sexus, pueris & infantibus fugitivis, nescientibus quid acturi essent. Feria v. facta est nebula spissa de mane, & ortus sol visus est esse totus blaveus & parvus nullos emittens radios usque ad meridiem, post meridiem emisit quosdam radios tenues sed blaveos. A memoria hominum non fuit visus talis. Eodem die Leodienses exiverunt supra terram de *Lymborch*, quibus Lymburgenses occurrentes, occiderunt ex illis c. & lx. & ceperunt dominum Quintinum militem cum aliquibus. Illi de Trajecto combusserunt multa villagia circa Jecoram, & usque ad portas Tungrenses, & versus Campiniam multos abducendo captivos & spolia. Hoyenses [b]

(a) *Quia pax Namurcensis continet; quod qui bellum inciperet comitatum amitteret; si dux Burgundiæ, comitatum Namurcensem; si Leodienses, comitatum Lossensem.*

(b) Diatium. *Armigeri ducis Clevensis, qui erant in Thenis, sumto secum uno de patria Leodiensi, ut esset ductor eorum, quia meliora quæ habebat in Thenis apportaverunt, exierunt & incenderunt omnia villagia usque ad* Montenaken. *Et quando interrogatus fuit ductor eorum, quare non duceret eos in* Montenaken, *respondit, quod credidit plenum esse armigeris, & sic recesserunt. Post modicum tempus cum intellexissent, quod illi de* Montenaken *omnes fugissent; & ductor eorum fefellisset eos, acceperunt omnia quæ in Thenis adduxerat, & spoliaverunt eum. Illi de Lewis exierunt etiam, & combusserunt omnes villas circa S. Trudonim usque ad portas, & de Trudonensibus* XXXVI. *quasi prope portam occiderunt, defixiendo antemuralia eorum, combusserunt usque ad* Hubertimgen. *Illi de Trajecto combusserunt usque ad portas Tongrenses, & quasi usque ad portas de* Eyck. *Et atque videre miseriam, quomodo pauperes undecumque fugiebant ad Leodium ex omni parte, & omnes plateæ plenæ erant de ipsis & curribus & mu-*

libilibus & animalibus ac bestiis eorum. Missi fuerunt capitanei versus Montenaken *dominus Razo & dominus de Bierlo cum Habanensibus, qui inde exeuntes, combusserunt villas de* Evecnays, Berneye, *Hannutum*, Vileir, Thenis, Haley, Wamont, Racourt, *& alias.* Landen *S. Gertrudis non combusserunt nec spoliaverunt. Quapropter omni hebdomada cantabatur ibi una specialis missa pro pace & pro Leodiensibus, ex quo non incenderunt villam ob honorem S. Gertrudis. Fuerunt tamen ante* Landen *muratam, in absentia tamen Philippi bastardi de Brabantia, qui ibi fuit deputatus ad custodiam, sed illi qui manserant in villa, de desperatione evadendi sumta audacia, incœperunt se defendere, & viriliter resistere. Quo viso Leodienses, reversi sunt ad loca sua, & sic* Landen *non fuit combustum. illi de Geldonia combusserunt* Tweneges *&* Blehen. *Illi de* Hasselt *combusserunt* Beets, *& illi de* Halen *combusserunt omnia circum manus de* Lierck. *Illi de* Lymborck *convenerunt cum illis de* Franchimont, *quod se mutuo non comburerent, sed solum caperent & diriperent; sed illi de Ponte nolierunt hoc custodire, & sic ubique multiplicata sunt mala. Feria v. facta est magna nebula, &c.*

venerunt Leodium ad inveniendum aliquod medium pacis inter Leodienſes & Brabantinos per treugas vel inducias, & duos de miniſterio viticolarum cum capitaneo eorum, qui dicebatur Robertus, projecerunt in Moſam, propter hoc quod fecerant diſturbium in Hoyo.

Cum legati Hoyenſes veniſſent in Bruxella, miſſi fuerunt ad dominum Leodienſem. Cum veniſſent ad ipſum, petiit habere fortalitium ad voluntatem & turrim contra poſitam, & quod poſſet ibi facere proviſionem. Hoc audientes magiſtri de Hoyo, non fuerunt auſi ulterius attentare quicquam.

In Leodio factum eſt diſturbium, quia populus nolebat amplius exire, niſi eſſet facta juſtitia de his qui male tractaverunt ſacramenta de Hernia, quia dicebant propterea homines ſuos fuiſſe occiſos. Tunc aliqui reportaverunt libros, calices & ornamenta, & imagines ad S. Dionyſium, ad quos pertinet decima, & duo fuere ſuſpenſi, propter ciborium corporis Domini quod fregerant. Ille miles armatæ militiæ, quem rex miſerat cum domino Renaldo ad Leodium, manſit Leodii uſque dum exiſſent Leodienſes in Hernia. Et cum vidiſſet crudelitatem & irreverentiam quæ fiebat, dixit: ſufficit mihi: ego dicam regi, quod litteras allegationum bene impleſtis, etiam ultra quam requiſiti fuiſtis, & ſtatim in mane receſſit. Dominus Razo multum inſtabat ad habendum populum extra civitatem contra Brabantinos, ſed populus non curabat. Hoyenſes iterum fuerunt Leodii ad habendas treugas, ſed non fuerunt auditi.

[a] Ambaſſiata illius de *Baden* (a) venit Leodium, ad excuſandum quare receſſiſſet, & petendum fieri æſtimationem bonorum quæ reliquerat &, ſolutis omnibus creditoribus, haberent reſiduum. Et fuerunt lectæ copiæ omnium litterarum ſibi miſſarum, & quod, cum moniti fuiſſent magiſtri ad faciendum compeſci violentias, & ſacrilegia quæ fiebant, & nullus inde curaret, quare comes de. . . . . qui venerat cum c. & xxx. armigeris, receſſit. Tunc dominus *Bare* & dominus Razo dixerunt ad marchionem: Per Deum vivum faciatis eum reverti in inſtanti, alioquin nihil erit de vobis, & ſi non feceritis, ſitis ſolliciti ſalvandi corpora veſtra, neſciremus aliud conſulere, unde merito timuerunt, quia nihil tenebatur de ipſis. Et dominus Razo in itinere ſemper mala & dura verba reſpondebat eis. Ergo habita opportunitate, ſe in tuto cum ſuis collocaverunt. Dominus Razo vocavit eos traditores, & quod non eſſent digni portare nomen dominorum; & addidit: Si bona ipſorum valerent milleſies tantum, non daremus eis unum obolum. Tunc omnibus liquido patuit, eos non habuiſſe animum recedendi, quando receſſerunt a civitate. Unus autem comitum qui cum *Baden* venerat, erat capitaneus in S. Trudone, qui multum laudabiliter ſe habuit, cum gratia Leodienſium receſſit ad terram ſuam. Civitas reſpondit ambaſſiatæ illius de *Baden*, quod mitterent ſibi reſponſum per litteras. Et licet dominus Razo niteretur educere populum ad Brabantiam, tamen magiſter Gerardus campſor, prævaluit quod iret ad Lymburgiam. Ultima Septembris exiverunt omnes ad Lymburgiam, comburentes villas campeſtres circumquaque. Illis diebus famabatur vulgariter in Leodio & per totum comitatum Loſſenſem, quod dominus Ludovicus de Bourbon eſſet defunctus, & hæc fama vix poterat deleri ex corde vulgarium, poſtquam vidiſſent eum ſemel, ſed dicebant quod eſſet unus alius. Hoyenſes obtentis treugis a Namurcenſibus per xv. dies, tenuerunt forum ſuum quod clamatum fuit ex parte domini *de Bourbon*. Bonæ villæ patriæ Leodienſis venerunt in Leodio, ut fierent treugæ, ne patria ſic deſtrueretur. Miſſum eſt ad exercitum in *Lymborch*, ſed noluerunt redire.

In profeſto undecim millium Virginum Brabantini de Leewis cum Namurcenſibus venerunt contra illos qui ſtabant in *Montenake*, & combuſtis villagiis circumquaque, fecerunt cædem magnam in populo Leodienſi juxta Tumbas, inter *Montenake* & *Frehin* quaſi mdccc. hominum, & in craſtino combuſſerunt villam cum eccleſia, & omnibus pertinentiis ſuis. Eodem die venerant Hoyenſes in auxilium Leodienſium uſque in Bierlo, & videntes villam ardere, reverſi ſunt in propria. His Leodienſes auditis conſternati ſunt, timentes Brabantinos in craſtino ſuper eos venturos. Et miſſum eſt ad *Lymborch*, & levata eſt obſidio. Quapropter Lymburgenſes euntes poſt eos, combuſſerunt villagia patriæ Leodienſis quæ remanſerant. Duravit hæc obſidio xxi. diebus.

In feſto Simonis & Judæ venit magiſter Johannes *Heylman* de Francia, & dixit quod Carolus dux haberet pacem ad voluntatem ſuam. Tertia die venit unus miles de Francia, portans litteram ex parte regis, quod eſſet pax inter ipſum & dominum Carolum, & Leodienſes eſſent incluſi.

In feſto Omnium-ſanctorum vocaverunt eccleſiæ magiſtros & conſules, & expoſuerunt eis in quanto periculo animæ & corporis eſſent conſtituti, & rogaverunt eos, quod vellent Deum & ſuam eccleſiam recognoſcere, & permittere ſervari interdictum. Magiſtri & conſules non audebant accipere onus ſuper ſe; ſed reſponderunt, quod libenter laborarent ad hoc, ut populum poſſent inducere ad conſentiendum. Interim rediit magiſter Johannes *Heylman* cum magiſtris de Dyonanto de rege Franciæ, dicens quod dominus Carolus haberet

Johannes *Heylman* redit de Francia.

(a) Circa feſtum SS. Coſmæ & Damiani.

pacem cum rege ad voluntatem ſuam, & quod Johannem *Collar* reliquiſſet Pariſius ad habendum copiam pacis, & quod non potuiſſet rediſſe, niſi habuiſſet ſalvum-conductum a domino Carolo. Tunc Leodienſes conſternati, clamaverunt quod vellent pacem, & reconciliari eccleſiæ, dummodo haberent pacem generalem, in qua omnes eſſent incluſi. Et miſſi ſunt comites *de Mors* & *de Horne* ad Bruxellam, pro impetrandis treugis. Qui non potuerunt obtinere treugas, niſi Leodienſes primo cognoſcerent eccleſiam & proprium dominum, & ſtabilirent locum. Et comitatus Loſſenſis & Dyonantenſis dixerunt ſe velle facere pacem ſi poſſent. Poſt multos tractatus contenti fuerunt cives, quod ſervaretur interdictum: in profeſto Briccii cœptum fuit ſervari. In craſtino Brabantini obtinuerunt *Bierlo*. Unde campana pulſata, Leodienſes omnes exiverunt contra illos in Waremia. Cum eſſent ibi, datæ ſunt treugæ x. dierum, & ſic redierunt ad propria. In die Cæciliæ miſſi ſunt ad Bruxellam ad faciendum pacem duo comites prædicti, & dominus Johannes de Seranio, Ægidius *de Mes*, Mathias *Hawveals*, & Gerardus *Panthier*, & fuerunt treugæ prolongatæ (*a*) uſque ad feſtum Barbaræ, & electus Leodienſis demandatus in Bruxella. Prælati & canonici qui erant Leodii, miſerunt verſus dominum Leodienſem, ad concordandum cum eo. Qui primo noluit eos audire. Sed poſt in Hoyo convenerunt cum eo, quod haberet ſuper clerum patriæ Leodienſis, exceptis illis de Hoyo, decem millia florenorum Rhenenſium, & conſiliarii mille, ſed quilibet eſſet quittus pro decima parte omnium beneficiorum ſuorum, exceptis monaſteriis, quæ ultra fuerunt gravata. Redierunt comites prædicti cum deputatis Leodienſibus de Bruxella; & cum ſero veniſſent, in Thenis monte fuerunt arreſtati per capitaneum gentium armorum, & fecit omnes jurare antequam intrarent lectum, quod manerent ibi, imponens eis quod forefeciſſent bona & corpora, ex quo non intimaverunt adventum ſuum ante, ſed veniebant quaſi furtive. Et capitaneus cum comite *de Mors* reverſi ſunt Bruxellam, & poſtulavit capitaneus habere ſententiam definitivam contra eos. Sed per conſilium ducis fuit mitigatus. Igitur venientes Leodium, vocato palatio, fecerunt legi unam cedulam continentem voluntatem domini ducis, & quod dux vellet eſſe advocatus patriæ Leodienſis. Multi volebant habere pacem, alii volebant etiam, ſed non volebant aliquid dari ad voluntatem. Hoyenſes fecerunt pacem per ſe, quæ clamata fuit XII. Decembris. Loſſenſes rogaverunt Leodienſes quod facerent pacem, alioquin ipſi facerent pacem per ſe, ſi poſſent. In vigilia S. Thomæ, intravit dominus Carolus cum domino Leodienſi oppidum S. Trudonis cum multis nobilibus & armigeris, & traditæ ſunt eis claves villæ, nec poterat aliquis intrare vel exire ſine eorum voluntate, & circumquaque erat plenum armigeris, quorum aliqui decurſantes per campos, capti occiſi fuerunt. In die S. Thomæ concluſerunt cives quod neminem darent ad voluntatem. In his diebus ſeminaverunt per Leodium illi qui nolebant pacem, quod *Baden* ad preces imperatoris & regis Franciæ eſſet confirmatus, & imperator cum rege poneret eum in poſſeſſione epiſcopatus Leodienſis, & ſimilia.

Anno Domini MCCCCLXVI. in die nativitatis Chriſti de ſero venerunt comites *de Mors* & *de Horne* de S. Trudone, & de mane, vocato palatio, ſimul propoſuerunt puncta pacis, & facta eſt mentio de decem viris, ſed non fuerunt nominati. Dominus Razo & dominus *Bare* multum ſe oppoſuerunt, & dominus *de Hollongne* habuit verba contra eos. Miniſteriales petebant pacem, ſed nolebant aliquos homines dare ad voluntatem, ſed redimerentur pecuniis. Illo tempore fuit miſſus capitaneus in Hoyo dominus Everardus de Marka. In craſtino de mane cecidit murus retro domum domini Razonis. At ipſe feſtinanter clamando cucurrit per palatium in eccleſiam S. Lamberti, & ſuper forum invocando auxilium, quia volebant eum occidere in domo ſua, & ſtatim omnes qui erant de ſecta ſua venerunt armati juxta eum. Illo ſero venit Ægidius *de Mes* & Johannes *Collar* de S. Trudone, & in die Innocentium ſuper palatium interrogatus de pace, dixit pacem eſſe concluſam; & de decem hominibus dixit, non eſſe intelligendum quod occiderentur, ſed quod abſentarent ſe. Ipſe libenter exire vellet cum eis, & non reverti, niſi & ipſi reverterentur. Et rogabat quod tenerent & acceptarent pacem, quia non poſſent reſiſtere. Boni cives abſentarunt ſe a palatio timentes diſturbium, & undecim miniſteria petebant pacem, & rogabant dominum Razonem & *Bare*, quod abſentarent ſe. Haſbanienſes clamabant pacem, ſed non audie-

[a]

(*a*) Diarium. *Prolongata uſque ad feſtum conceptionis beatæ Mariæ. Illis igitur cum comitibus tractantibus de pace, eccleſiæ Leodienſes miſerunt ad dominum Leodienſem pro ſalvo-conductu; quo vix impetrato, elegerunt dominos decanum Leodienſem cum magiſtro Johanne de Quarai, decanum S. Petri & decanum S. Johannis, qui miſit ad dominum in Trajecto; non potuerunt habere acceſſum ad ipſum, quia dominus Leodienſis fecit ipſis dici, quod ipſi feciſſent totum malum, & eſſent cauſa deſtructionis patriæ, eo quod non eximiſſent cum eo, & ſemper petiverunt dilationes, quod ipſe non potuit venire ad ſententiam definitivam. Petierunt igitur ſupradicti, quod poſſent aliquibus de conſilio loqui, quod fuit eis conceſſum. Igitur data ſunt eis certa puncta in ſcriptis, quæ ſi offerrent domino, ipſi ſperarent quod reciperentur in gratiam ejus. Dictum fuit etiam eis, quod oporteret cedulam mitti Bruxellam, quia dominus Ludovicus non haberet poteſtatem recipiendi eos in gratiam ſine voluntate ducis; ſed dominus deberet venire in Hoyo, & ibi concluderetur. Poſt multos igitur tractatus, convenerunt cum domino & ejus conſilio, ut ſolverent ſibi decem millia, &c.*

bantur. Tungrenſes volebant manere cum Leodienſibus, ſed elegerunt dominum Johannem *del Ville* in capitaneum. Mali iterum incœperunt ſe erigere. Tandem comes *de Mors* aſſumſit ſecum dominum Johannem *ly Ruyt*, & impetravit unam moderationem de decem hominibus, quod ſineret eos habere bona ſua. Et de domino *de Bourbon* ipſe audiret allegationes eorum. Cum iſta dicta eſſent Leodii, non eſſet credibile quanta fiebant & dicebantur Leodii ne pax fieret. Dominus *Bare* multum invehebatur contra illos qui pacem fecerant, vocando eos traditores & venditores Chriſtianorum. Tandem pax fuit ſigillata Leodii in octavis Epiphaniæ anno MCCCCLXVI. Tungrenſes ante moderationem voluerunt ſigillare, poſtea noluerunt. Poſt multas turbationes & tribulationes inter Leodienſes & Tungrenſes & alias villas, multum diſputatum eſt quis portaret litteras, & reciperet e converſo litteras ducis. Tandem magiſter Gerardus accepit onus, & de quolibet miniſterio duo ſecum. Et benigne recepti fuerunt a domino CAROLO, & juſſit eos locari in una domo, & cibaria eis miniſtrari in copia, & in craſtino oſtendit eis armaturam ſuam, faciendo multos tranſire armatos ante eos, & dixit: Ante bellum veſtrum ego ſemper cor bonum habui ad Leodienſes, & poſt pacem habebo. Sed quia dixiſtis omnes homines meos occiſos in Francia, oſtendi vobis reliquias. Item, tradidit eis unam litteram, & dixit, accipite litteram veſtram, & facite eam ſigillari per oppida veſtra infra feriam quartam, & tunc dabo vobis quitantiam

Pax concluſa & acceptata.

datam per dominum patrem meum. Quibus reverſis, cum expoſuiſſent coram populo quæ vidiſſent & audiſſent, factum eſt gaudium magnum in civitate. Et armigeri remiſſi ſunt, & Haſbanienſes in ſua regreſſi ſunt.

Iterum facti s eſt tumultus Leodii, quoniam Dyonantenſes habuerunt pacem pro ſe, ſed noluerunt acceptare. Tungrenſes noluerunt ſigillare, niſi Dyonantenſes prius ſigillaſſent. (*a*) Interim dominus *Bare* multum practicavit contra Ægidium *de Mes* & ſocios ſuos, qui iſtam pacem feciſſent, & vendidiſſent franciſias. Et cum recedere vellet, fecit eum arreſtari, & fecit partem contra eum, & renuntiavit magiſterio ſuo, quia dicebat quod non poſſet eſſe pars & judex, & dedit clavem ſuam Johanni *Roßeaul*, majori inimico quem Ægidius *de Mes* habuit. Et tantum practicavit, quia ſcabini fuerant interdicti, & pro majori parte excommunicati, quod electi fuerunt cives cum eis ad judicium faciendum. (*b*) Et magiſter Ægidius ductus ſuper violettam in foro, ubi faciebat tunc palatium, quia eſſet cauſa ſanguinis, quæ in palatio epiſcopi non deberet tractari: ubi dominus *Bare* impoſuit magiſtro Ægidio coram populo, quod meruiſſet mortem, & hoc vellet probare. Magiſter Ægidius voluit ſe excuſare, ſed parum attendebatur ad verba ejus, niſi cum poterat aliquid capi ex verbis ejus quod intorqueretur contra eum. Poſt multa magiſter Ægidius decollatus fuit ad gradus eccleſiæ Leodienſis in foro. Et tunc cum buccina proclamata fuit pax Leodii prima Martii. (*c*) Prandio facto filius domini de Bierlo percuſſit dominum Razo-

Novi tumultus Leodii.

[*a*]

[*b*]

Proclamatur pax Leodii.

[*c*]

(*a*) Diarium addit. *Illi de* Haſſelt *voluerunt corrigere de* Vogelſang. *& alios qui verterant ſe ad partem ducis.*

(*b*) *Electi ſunt quatuor cives ut eſſent cum juratis & ſcabinis in cauſa magiſtri Ægidii, ſcilicet, Gerardus de* Bierſes, *Johannes* Gerreal, Staſſin Pivion, *& Conradus drapparius.*

[*c*] Hæc omnia fuſius deſcribit Adrianus in diario hoc modo: *Cives petebant quod pax proclamaretur, ſed magiſtri nolebant, niſi cauſa magiſtri Ægidii prius fuiſſet expedita. Igitur jurati & ſcabini fuerunt pariter congregati ſuper diſtrictum, non ut ſcabini ſicut dicebant, ſed ut cives. Et fama volante quod fieret juſtitia, totus populus accurrebat ſuper forum. Tunc Wilhelmus de Violetta ſtans ad feneſtras ſuper diſtrictum, dixit: Boni cives vos ſcitis quod ad nos non pertinet aliquem judicare, nec ſumus hic ut judices, ſed ut inquiſitores. Nos invenimus per inqueſtam debite factam, quod Johannes de Seranio, Gerardus* Panthier, *Ægidius de* Mes, *& Mathias* Haweals *fecerunt contra juramentum ſuum, & ſunt falſi & perjuri, & ultra tradiderunt franciſias & libertates & homines chriſtianos ad voluntatem, nos non poſſumus judicare; ſed ſi ſcabini ſederent in ſede ſua ipſi nullum caſum judicarent ad mortem. Magiſtri volebant quod Ægidius de* Mes *& alter qui captus fuerat cum eo traderentur advocato. Advocatus reſpondit quod non reciperet aliquem niſi judicatum, ipſe non eſſet dominus patriæ. Feria* VI. *requiſitus eſt quod faceret juſtitiam aut renuntiaret advocatiæ ſicut in præcedenti anno promiſerat ſupra palatium. Igitur prima Martii & ſabbato quatuor temporum omnes armati fuerunt in camerîs ſuis, & pulſata campana banni, producitus eſt magiſter Ægidius de* Mes *ad gradus, & deliberatus eſt advocato. Tunc allocutus populum, ait: Boni cives, ego per* L. *annos ſervivi civitati, & numquam inventum eſt in me aliquid criminis, excepto illo, quod imponitur mihi, in quo tamen non credo me deliquiſſe. Rogo igitur quatenus meminiſſe velitis ſervitii civitati & patriæ impenſi, & poſſim vobiſcum vivere ad Carthuſienſes, vel alibi. Ego obtuli vobis pro emenda quod vobis non potui dicere, ſed modo dico: Cuilibet miniſterio* C. *Rhenenſes, & quod expenſis meis faciam vos rehabere inſtrumenta & bombardas quæ amiſiſtis ante Falcomontem, & quidquid empliùs decreveritis. Tunc advocatus dixit: Boni cives, vos auditis quid magiſter Ægidius dixit, rogo quod faciatis ei miſericordiam. Dominus....* & Bare *ſtabant ſupra ſolarium ad feneſtram quaſi jocando. Tunc Henricus* Roſſeal, *qui magiſtrabat pro* Bare, *reſpondit: Expediatis vos, nos nolumus vendere franciſias noſtras. Quo audito magiſter Ægidius, dixit: Boni cives ex quo tunc oportet quod fiat; fiat in nomine Domini. Si quid in aliquem veſtrum peccavi, peto ut mihi indulgere dignemini, & ego vobis omnibus indulgeo, & commendo animam meam Deo, & beatæ Virgini, ac* S. *Juliano, ut ducat eam ad bonum hoſpitium. Et exuens ſe poſuit ſe ſuper genua. Sed ſpiculator tremefactus, percuſſit eum in cervice, & deinde dedit ei ictum in gutture, & coopertus fuit linteamine. Alterius vero caput vix quatuor ictibus valuit amputare. Vociferantibus autem contra eum, reſpondit: Quid clamatis contra me, ego amiſi cor, quia occidi virum me meliorem. Quo facto ſtatim ad peronem inſonuit buccina & fuit pax proclamata, cujus pœnæ ſequuntur.*

1. De honorabili emenda facienda domino duci.

2. De honorabili & ſatisfactoria emenda facienda CAROLO ejus filio, quem diffidaverunt, & ceperunt *Falaix*, & combuſſerunt baſſam curiam *de Montaigve*.

3. Quod ſolverent VI. mille Rhenenſes pro conſtruenda capella.

4. Quod curiæ & villæ Brabantiæ, Lymburgiæ, Namurcenſes & aliæ ſub dominio ducis erunt deinceps liberæ, nec tenebuntur venire, nec reſpondere ad annulum palatii, nec ad pacem, nec venire ad ſcabinos, nec ad peronem.

5. Quod numquam aſſument arma contra aliquam ex patriis ducis, nec facient allegantias ſub pœna ducentorum millium Rhenenſium.

6. Quod mitterent duci litteras allegantiarum jam factarum, aut ſaltem per vidimus earum copias authenticas.

7. Recognoſcerent ducem & ſucceſſores ſuos duces Brabantiæ hereditarios, advocatos ſuperiores civitatis & patriæ Leodienſis, ducatus Bullonenſis, & comitatus Loſſenſis.

8. Quod aſſignabunt duci duo millia Rhenenſium pro dicta advocatia ſolvenda Lovanii omni anno in duobus terminis.

nem, cum manu ſua armata in fronte, & vulneravit eum, & ſtatim jactata eſt una quadragena inter eos. Quarta Martii retracta fuerunt vexilla de foro, & clamatum, quod omnes banniti & albani exirent civitatem infra tres dies, alioquin poneretur manus ad eos, ſed iſtud non diu duravit, quia malis non placuit. Væ unum abiit, & ecce aliud væ venit.

Cum dominus KAROLUS receſſiſſet, & armigeri reverſi eſſent in propria, & dominus Leodienſis ſtaret in Hoyo, convocari fecit ibi tres ſtatus patriæ, ad providendum quod boni gaudere poſſent pace, & mali corrigerentur, & de ſtationibus ſuis quas occupaverant in *Wellen* & *in multis aliis locis*, effugarentur, quia multipliciter perturbabant bonos. His perceptis Leodii, convocato palatio concluſerunt, quod non irent ad Hoyum, quia eſſet contra pacem factam. Illi de *Haſſelt* dixerunt quod non auderent ire ad Hoyum propter illos qui eſſent in *Wellen*. Et nuntius qui portaverat ibi litteras domini Leodienſis, ab eis fuit occiſus. Forarius domini Leodienſis venit cum fardellis, & non eſt permiſſus intrare palatium. Dominus *Bare* propoſuit quod eſſent obligati in una magna ſumma pecuniarum, & neſciretur unde haberetur, & quod fierent litteræ allegationum cum bonis villis patriæ Leodienſis, ad corrigendum illos qui poſt receſſum illius *de Baden* receſſiſſent a civitate, vel a patria, & cum electo vel ſuis invaſiſſent patriam. Item, ad corrigendum etiam illos, qui poſt adventum KAROLI receſſiſſent verſus Hoyum. Dyonantenſes dixerunt quod ipſi ſtarent in pace, juxta verbum domini ducis Karoli, ſed intelligerent quod armigeri iterum congregarentur; ſi eſſet contra eos, quod non dimitterentur ſine auxilio. Trudonenſes fuerunt Leodii, facientes querelam contra illos qui ſtabant in *Wellen*, ſed non audiebantur. Dominus Leodienſis miſit armigeros ad diſſipandum eos, ſed fuerunt fugati ſui per totum comitatum Loſſenſem. Colubriſſarii dominabantur, nec permittebantur duo boni cives loqui pariter, quin vellent ſcire de quibus eſſet ſermo. Et ſi aliquis contradixiſſet ipſis, de mane invenit domum combuſtam vel horreum incenſum. Igitur in hebdomada ſacra ante Paſcha, domus abſentium cœperunt ſpoliari, & illi de viridi tentorio diſcurrebant per totum comitatum Loſſenſem, ſpoliando & incendendo domos eorum qui partem faciebant cum electo. Deinde iverunt per Haſbaniam faciendo ſimiliter, poſtmodum intraverunt etiam caſtellaniam Hoyenſem. Sententia excommunicationis & anathematis contra Leodienſes pendebat in Hoyo. Unde Leodienſes magis fuerunt inflammati, & voluerunt facere novum mamburnum. Dominus Razo noluit amplius facere mamburnum, ſed correcta littera allegationum, fecit fieri unam aliam contra omnes illos qui a tempore illius *de Baden* dimiſiſſent eos.

Illis temporibus dominus Leodienſis petebat ab eccleſiis pecunias ſibi promiſſas, ſed e converſo non bene tenuit promiſſum. In illis diebus juvenis dux Gelriæ impugnavit patrem ſuum, & omnes qui erant faventes patri, ab ipſo perſecutionem patiuntur, ſpoliantur & incenduntur. E converſo dux Clevenſis propter ſororem ſuam movet contra nepotem ſuum, & ſic ambæ patriæ mirabiliter deſtruuntur. In fine menſis Aprilis electi ſunt qui facere deberent honorabilem emendam domino duci Burgundiæ, dominus RUTHGERUS abbas S. Jacobi, & de eccleſia Leodienſi magiſter Hubertus *Broignet* vicedecanus, & cum eo archidiaconus Ardennæ de Marka. Item decanus S. Petri, decanus S. Pauli, & magiſter Daniel pro clero Leodienſi, cantor Tungrenſis, & magiſter Johannes de Vorda pro Tungrenſibus & Loſſenſibus, & pro toto clero & preſbyteris Leodienſibus & Loſſenſibus; dominus Johannes *ly Ruyt*, & Henricus *Roſſeaul* magiſtri civi-

Deputati ad faciendum ſatis duci Burgundiæ.

9. Quod ſolvent duci pro damnis ſuis, abſque gravamine ſubditorum, & adhærentium ſuorum cec. & *quadraginta millia* florenorum Rhenenſium.

10. Quod quando dux velit tranſire cum armis vel ſine armis, vel ſucceſſores ſui duces Brabantiæ Moſam, quod paſſagium ſit eis apertum, & miniſtrentur eis victualia, tamen ſine damno inhabitantium.

11. Quod moneta ducis currat in patriis Leodii pro eo valore ſicut in patriis ducis.

12. Quod illi de Tudino & Covino non poſſint facere villas muratas, nec fortalitia de Namurco ultra ſupra Moſam vel Sambram verſus Hannoniam.

13. Quod *domino Ludovico eorum vero domino* promittent & facient obedientiam, & facient honorabilem emendam & proficuam, reſtituendo ſibi damna illata ad dictamen domini ducis, & Caroli filii ejus, abſque præjudicio vitæ cujuſcumque, & obedient ſententiæ ſedis apoſtolicæ.

14. Quod his mediantibus erit pax inter dominum ducem, patriaſque ſuas ex una, & inter civitatem Leodienſem, villas & patrias, comprehenſa villa S. Trudonis cum Hasbania, & tota patria, excepto Dyonanto, non comprehenſis illis de Hoyo, cum caſtellatu ſuo, qui jam ſubmiſerant ſe.

15. Quod omnes offenſæ hinc inde ſint remiſſæ & mercantiæ currant, ſicut prius abſque fraude, & quilibet revertatur ad poſſeſſionem ſuam ſicut invenerit. Quæ levata fuerunt manebunt levata, & redditus ſaiſiti in patriis ducis per juſtitiam, ſimiliter etiam mobilia manebunt ſibi.

16. Quod omnia prædicta puncta rata & approbata erunt per tres ſtatus patriæ, qui convocabuntur in S. Trudone XXI. Decembris, & ſcribentur litteræ in forma debita, & ſecuritates conſuetæ. Sic tamen, quod magiſtri & conſules promittent ſolvere pecunias præſcriptas abſque præjudicio domini Leodienſis, capituli, & eorum qui tenuerunt partem domini ducis, aut domini Leodienſis, quod non ſint conſtricti ad contribuendum cum eis, quamvis ſigillaverint pacem.

17. Quod prædictas pecunias promittent ſolvere in oppido Lovanienſi infra IV. annos proxime futuros, ſcilicet in feſto S. Johannis quadraginta duo millia & quingentos Rhenenſes. *in* nativitate Domini quadraginta duo millia & quingentos Rhenenſes, & ſic deinceps uſque ad plenam ſolutionem ſummæ, abſque ſex mill. pro capella in primo termino ſolvendis. Et in caſu in quo non ſolverent in terminis prædictis, incurrent omni die poſt monitionem factam pœnam decem nobilium aureorum, & dare XX. homines ad comeſtus, & ſubmittent ſe coartioni ſummi pontificis, imperatoris, regum, principum.

Pax Caroli continebat quod Leodienſes & Loſſenſes, exceptis Dyonantenſibus, ſolverent ſibi c. & nonaginta milliæ Rhenenſium in quatuor terminis, ſub pœna decem nobilium, poſt monitionem, & dare XV. *homines ad comeſtus cum duobus equis, poſt monitionem factam. Pace igitur facta filius domini de Bierlo poſt prandium, &c.*

tatis,

tatis, & de quolibet miniſterio Leodienſi ſex cum ipſis. Qui proſtraverunt ſe domino duci in Scalgetta Bruxellæ, domino duce ſtante in feneſtra. Et dixit dominus Johannes prædictus verba quæ in pace continentur; & magiſter Hubertus reſumſit verba: Quod eccleſiæ ſemper fuerunt dolentes de guerra, & rogabant dominum ducem, ut dignaretur indulgere his quæ fecerant, & præſtare juvamen quod pax eſſet in patria Leodienſi, & inter dominum KAROLUM filium ſuum, & Dyonantenſes. Reſponſum eſt quod dominus dux acceptaret humilitatem ipſorum qui præſentes eſſent, & eorum qui eos miſiſſent, de non comparentibus proſequeretur jus ſuum. (a)

[a]

Interim dum iſti eſſent Bruxellæ, factæ fuerunt litteræ allegationum, & cum rediiſſent in Leodio, convocato palatio, (b) antequam poſſent facere relationem, oportuit quod jurarent litteras allegationum. (c) Dominus Johannes *ly Ruyt* dixit quod vellet manere cum civitate. Dominus Razo reſpondit: Oportet quod nude juretis ſicut ego feci, vel dicatis: Ego non faciam, & habebimus conſilium; & ſic oportuit omnes jurare, & clamatum, quod nullus permitteretur exire civitatem, niſi juramentum prædictum feciſſet. Datum in profeſto S. Servatii. Et nota quod anno præcedenti, eadem Dominica fecerunt juramentum fidelitatis illi *de Baden*. Illis diebus inventa ſunt jocalia magiſtri Ægidii *de Mes*, (d) & poſita in manu domini Razonis, & cœperunt æſtimari omnia bona abſentium.

[b] [c] [d]

Diæta Coloniæ.

In feſtis Pentecoſtes fuit poſita una diæta Coloniæ contra illos *de Baden*, & fuerunt miſſi illic dominus Renardus *de Rouereur* & cum eo XXXII. de Leodio, electi per conſilium, & deputati comitatus Loſſenſis. Qui cum reſpondiſſent, in die Sacramenti fecerunt relationem ſuper conſilium, & præceptum eſt eis, ut nemini inde loquerentur.

Seditio puerorum.

Et ecce in ſabbatho pueri fecerunt ſibi unum vexillum, & ſimiliter de quolibet vico pueri X. XL. XII. vel circiter annorum fecerunt ſibi vexilla cum armis *de Baden*, & clamabant per plateas, vivat *Baden* in deſpectum omnium *Bourbon*, & aliquorum feneſtras & imagines & arma domini de *Bourbon* ubicumque reperire poterant, diripiebant & frangebant vitra. Dominica infra octavas Sacramenti, pueri cum buccina currebant per plateas clamantes: vivat *Baden* in deſpectum omnium *Bourbon*, & deponebant arma domini de *Bourbon* de pilariis in eccleſia Leodienſi. Unus civis reprehendit eos, quem traxerunt cum capillis, & dilaceraverunt omnia veſtimenta ejus. Multi pueri currebant cum iſtis vexillis qui non erant ſeptem annorum, & erant vexilla puerorum XXIV. faciebantque multas violentias in domibus quorumdam clericorum & canonicorum, auferentes omnia victualia, & frangendo feras & januas & vitra, & nullus potuit eos compeſcere. Eccleſiæ rogaverunt dominum Razonem & magiſtros quod compeſcerent eos, ſed non poterant. Cum palatium eſſet ſimul & proponeretur quod non placeret, clamaverunt omnes una voce: vivat *Baden*. Clamatum fuit ad peronem, quod amplius non præſumerent, & eo audaciores facti fuerunt; cucurreruntque cum vexillis ſuis uſque ad Viſetum, facientes damna fautoribus electi.

Ultima Maii advocatus *de Graves* ſororius magiſtri Johannis *Heylman*, venit in domum ſuam de Hoyo. Quod cum Leodii nuntiatum fuiſſet, miſerunt illic multos, & comprehenſum duxerunt in civitatem, & dum occidi deberet, dixit ſe nihil ſcire eorum quæ ſibi imponebantur, & appellare ſe XIV. juratos, qui condemnaverant eum, coram Deo, & fuit decollatus ante gradus in foro. In die Sacramenti laïci fecerunt proceſſionem ſuam abſque clero, portando ante quodlibet miniſterium tædas duas ardentes, quas in reverſione poſuerunt ante feretrum S. Lamberti; ſed aliqui poſuerunt eas in eccleſia S. Martini, ex quo ſolemnius ibidem feſtum Sacramenti celebrari conſuevit, quia ibi primo celebrari cœpit.

In profeſto Barnabæ factum eſt diſturbium in Sancto Trudone, & omnes qui erant pro parte domini *de Bourbon* fugerunt ſicut potuerunt extra oppidum. Quod cum Leodii nuntiatum fuiſſet, dominus Razo & dominus *Bare* iverunt illic cum multis, & poſuerunt ibi cuſtodes in domibus illorum qui fugerant, qui volebant habere ſtipendia & diætas ſuas, & multum gravaverunt oppidanos, & fecerunt in Sancto Trudone omnes jurare litteras allegationum.

Hoyenſes e converſo fecerunt proclamari quod omnes qui non vellent manere in defenſione oppidi cum domino *de Bourbon*, infra tres dies exirent, & uxores illorum qui ſe nominabant, *Locum* ſimiliter.

Leodii cum palatium eſſet congregatum, propoſitum fuit, quod cum deputati eorum eſſent Coloniæ, ad diætam contra illum *de Baden*, illi de comitatu Loſſenſi rogaverunt ipſum, quod vellet redire cum eis, ipſi vellent vivere & mori cum ipſo. Ad quod ipſe reſpondit: Si Leodienſes habuiſſent talem commiſſionem, ipſe deſuper haberet conſilium. Unde XXVIII. miniſteria concluſerunt, quod dominus Renardus cum aliis qui ſecum prius fuerant, irent ad eum requirendum, & datæ ſunt eis litteræ credentiæ ſigillatæ ſigillis civitatis & magiſtrorum. Cum-

(a) Diarium addit: *Actum* IV. *Maii. Rediere* VIII. *Maii.*
(b) Diarium. *Die Dominica.*
(c) Diarium addit: *Et ſic dominus Razo juravit.* Bare, *Renardus Bierlo, magiſtrique.*
(d) Diarium addit. *Qua dicebantur valere* MD. *Rhenenſes.*

que veniſſent ad eum, tradiderunt litteras, quas cum recepiſſet, tenuit apud ſe, & reſcripſit e converſo ad Leodienſes qualiter litteras tales accepiſſet ita continentes, quas oſtenderet fratribus ſuis & deſuper deliberaret. Quibus reverſis, relatione facta de reſponſo ſuſpenſo, pueri iterum cœperunt currere per plateas cum vexillis, clamantes: vivat *Baden* in deſpectum omnium *Bourbon*. Inſuper colubriſſarii, & illi qui ſe appellabant [a] *Locum*, (*a*) ſpoliaverunt domos omnium eorum qui erant in Hoyo, per Haſbaniam & alibi. Item, vendita fuerunt bona Ægidii *de Mes* & aliorum in Leodio plus offerenti. Inſuper computator S. Petri & S. Crucis captus fuit & ſpoliatus ab aliquibus qui erant cum domino in Hoyo. Pro quo liberando eum eccleſiæ ſcripſiſſent domino Leodienſi unam litteram, quam miſerant per nuntium civitatis, quia nullus alius audebat ire, dominus e converſo reſcripſit eis, quod daret omnibus ſalvum conductum veniendi ad Hoyum, & ſtandi ibi. Et monuit omnes & præcipue eos qui juramentum fidelitatis præſtiterant, quatenus infra octo dies ſe transferrent ad Hoyum, & XIII. Julii intereſſent conſecrationi ſuæ. Et monuit XXX. preſbyteros, quod aut abſtinerent a communione laïcorum, aut ſe tranferrent ad Hoyum. Ab iſtis temporibus deſiit navis ire ad Hoyum vel ad Trajectum, & nullibi erat tutum. In feſto tranſlationis SS. Patris Benedicti de mane ad ſonitum buccinæ cum vexillis ſuis congregati, clamaverunt, quod irent in occurſum regentis & ambaciatæ ejus. Et poſt prandium venit cum Johanne dicto *Beaſen* & filio villici de *Haſſe* & Jacobo de *Brahir*, quidam dictus magiſter Johannes *In nomine Domini*, cum aliis miſſus per illum *de Baden*. Qui cum intraret juxta Carthuſienſes verſus Leodium, obviam habuit pueros cum vexillis ſuis, clamantes: vivat *Baden*. Et cum tali clamore duxerunt eum pueri uſque ad forum. Prædictus autem Jacobus dedit pueris duos vel tres florenos in bibalibus, ut ferebatur, & dixit ut amplius non vocarent eum regentem, quia haberet confirmationem ſuam. Et ad omnes portas civitatis Leodienſis fuit poſita imago illius *de Baden* in habitu clericali, & angeli tenebant mitram ſuper caput. Non ſolum autem, ſed & in omnibus exitibus viarum, ubicumque fuit tranſitus hominum, imago *Baden* erat affixa in arboribus ſive parietibus, & imagines & arma domini *de Bourbon* ubique lacerata, nec erat aliquis ita audax in civitate Leodienſi, ſi habuiſſet inſignia domini *de Bourbon* in domo ſua, quin depoſuit vel abſcondit ea.

Dominus electus invitat ad conſecrationem ſuam.

[b] In feſto S. Margaretæ, (*b*) quo dominus *de Bourbon* debebat benedici, propoſuit Johannes Rigaldi ſuper palatium, quod dominus Marcus *de Baden* miſiſſet unam ambaſſiatam ad eos, cum litteris credentiæ, in quibus ſcribebat ſic. CIVITATI NOSTRÆ LEODIENSI. Et nominabat ſe regentem patriæ Leodienſis, ducatus Bullonenſis & comitatus Loſſenſis, cum quibus vellet vivere & mori. Quæ littera tranſlata de Teutonico in Gallicum, ut dicebatur, fuit ibi lecta. Et ſtatim fuerunt electi de quolibet miniſterio aliqui, qui cum prædicto magiſtro Johanne & ſuis tractarent, & tenerentur omnia ſecrete, donec eſſent omnia concluſa. Et ſtetit prædictus magiſter Johannes Leodii per XV. dies, & ſolvit civitas expenſas ejus & ſuorum in hoſpitiis, LX. Rhenenſes.

Eodem die fregerunt pueri domum domini Johannis *Decani* canonici S. Petri, diripientes omnia, & domum magiſtri Tilmanni canonici S. Martini, & domum domini Johannis *Scriver* canonici S. Bartholomæi, diſſipantes omnia. Eccleſiæ requiſierunt a magiſtris quod poſſent manere in pace, aut daretur ſalvus conductus eis, quod poſſent ſe transferre alibi, quia nemo permittebatur exire civitatem, quin exſpoliaretur. Tandem cum nullus poſſet eos compeſcere, quia infra ætatem civilem erant, convocato paiatio, determinatum eſt, quod præciperetur parentibus ipſorum, quod ſic tenerent pueros ſuos, quod talia amplius non attentarent, ſub privatione miniſteriorum ſuorum in perpetuum. Et ſic pueri talia facere amplius prohibiti ſunt. Sed colubriſſarii ſive de viridi tentorio cohiberi non potuerunt, Dominus *Bare* & dominus Razo fuerunt locuti contra eos ſuper palatium, dicentes niſi compeſcerentur, quod efficerentur ipſis fortiores, Illi de S. Trudone & Loſſenſes multum conquerebantur de ipſis. Tandem multi ex eis iverunt ad Dyonantum, & aſſociati ſibi ſimilibus fecerunt multa mala in patriis domini ducis.

Dominus Leod. ordinatur epiſc.

Eodem die dominus LUDOVICUS DE BOURBON electus confirmatus Leodienſis, qui anno Domini MCCCCLVI. ipſo die fuerat Leodii in dominum & paſtorem receptus, & anno Domini MCCCCLXVI. ultima Februarii ad minores ordines, & in craſtino, prima Martii cum aliis ordinandis in ſubdiaconum ordinatus, & in die viſitationis beatæ Mariæ in diaconum, & in octavis apoſtolorum Petri & Pauli, quæ erat in Dominica, conſecratus in preſbyterum per dominum JOHANNEM epiſcopum Liberienſem ſuffraganeum ſuum, in eccleſia noſtræ Dominæ Hoyenſis. Fuit in eadem eccleſia conſecratus in epiſcopum per reverendum patrem dominum epiſcopum Luxovienſem de Normannia, qui celebravit miſſam, præſentibus epiſcopis, ſcilicet domino Johanne epiſcopo Liberienſi prædicto, ſuffraganeo Leodienſi de ordine Minorum, dominoque epiſcopo Salebrienſi de

(*a*) Locum de Hoyo.
(*b*) Diarium addit: *Quo die intraverat primo Leodium.*

ordine Carmelitarum, ſuffraganeo Cameracenſi, & epiſcopo Dragonenſi de ordine Prædicatorum, ſuffraganeo Tornacenſi. Fuerunt præſentes abbates mitrati, abbas Stabulenſis, S. Trudonis, S. Huberti, & Floreffienſis. Illi de Leodio non poterant venire propter colubriſſarios qui obſidebant itinera. Non mitrati, abbas de Magno-prato, de Villari, de *Brongne*, de Novo-monaſterio, de Alna, de Helechenis. Decani & canonici qui Hoyi erant, & multi nobiles. Et tenuit convivium apertum in caſtro ubi fuerunt circiter, ſecundum famam, DCC. comedentes. In vigilia S. Jacobi quando magiſtri de more accipiunt licentiam, dominus Razo multa propoſuit de magiſtris creandis & officialibus civitatis, quia anno iſto ambo magiſtri fuerant de uno ſtatu, quod amplius non fieret, nec eligeretur aliquis qui eſſet de favore domini *de Bourbon*, quia non vellet ſedere cum eis. Item, dominus *de Bierlo* dixit: Semper proponimus multa, ſed nihil ducimus ad effectum. Si volumus pacem, diſponamus nos ad pacem; ſi guerram, diſponamus nos ad ordinem, & ponantur pecuniæ ad manus duorum. Et facti ſunt magiſtri dominus Renardus de *Rouereur* & Wilhelmus *Bare* qui pro tunc fuit capitaneus in S. Trudone. Aliqui fuerunt revocati de officiis miniſteriorum, eo quod voluiſſent habere pacem, & maledicit gloriam. Voluerunt etiam conſules, quod eccleſiæ Leodienſes tenerent armigeros per Haſbaniam, ut bona libere poſſent duci in civitatem, quod nullo modo facere voluerunt. Sed Johannes Rigaldi peſſima verba reſpondit. Ordinati fuerunt aliqui equeſtres de Leodio, qui Haſbanienſes fecerunt jurare litteras allegationum, & quod nemo victualia deferret ad Hoyum. Sub quo titulo colubriſſarii multas injurias fecerunt in Haſbania, imponentes hominibus quod fuiſſent in Hoyo, vel portaſſent ibi victualia, exſpoliantes domos aut pecora auferentes, niſi compoſuiſſent cum eis. Amelius de Velru cum fuiſſet capitaneus in Dyonanto per multum temporis, cum intellexiſſet quod dominus Karolus properaret ſe ad veniendum contra Dyonantum, receſſit inde & venit ad Leodium, & dicebatur quod habuiſſet magnum lucrum. Hoc videntes alii de viridi tentorio, etiam cœperunt recedere a villa, relinquentes eos in n . . .

Novi magiſtri.

Circa medium Auguſti dominus Karolus tranſivit Moſam, & venit contra Dyonantum. (*a*) In profeſto S. Bernardi venit nuntius cum littera de Dyonanto petens auxilium a Leodienſibus, quia Dyonantum eſſet obſeſſum, & ſub ſpe auxilii eorum permiſiſſent ſe obſideri. In craſtino fuit palatium ſimul, & propoſitum quod omnes eſſent parati ad ſonum campanæ. Et quamvis dominus Karolus eſſet prope Dyonantum, tamen de hoc non eſſet vis, quia bene facerent *diſſolvi obſidionem*, ſi vellent ordinate procedere. Eodem die Dyonantenſes miſerant unam aliam litteram, ſed non fuit lecta. In feſto S. Bartholomæi fuit palatium ſimul, quia Dyonantenſes inſtanter petebant auxilium, & venerat littera de veſpere, & alia de mane. Concluſum fuit quod feria tertia exirent, dummodo Loſſenſes feria IV. eſſent in campis, & dixit dominus Razo, quod oporteret quod unus maneret juxta alium, & quod quicumque rediret, eſſet reus criminis. Item, quod haberent ſtandardum S. Lamberti, & requireretur domicellus de Marka, quod vellet portare. Et ex quo capitulum ſancti Lamberti eſſet abſens, quod ſecundariæ eccleſiæ vellent illud deliberare. Et in fine dixit dominus *Bare*: Audite, audite; nos expectavimus multa de *Baden*, ſed amplius non expectetis aliquid ab eo, quia numquam faciet vobis bonum. Et ſtatim omnes maledixerunt eum, omnes imagines & picturas detrahentes, & projicientes in lutum. Eodem die fuerat receptus anno præterito in Hoyo. Eccleſiæ requiſitæ de deliberando ſtanderio, reſponderunt quod nihil pertineret ad eos. Domicellus Wilhelmus per litteras reſpondit, quod non eſſet præparatus, & non pertineret ad eum, ſed ad patrem ſuum. Die præcedenti (*b*) dominus Leodienſis miſerat Alexandrum *Berart* ad ducem, ſignificando quod Leodienſes exirent ad ſolvendam obſidionem. Quapropter dominus dux diſponebat aliquos dimittere ad continuandum obſidionem, quanti neceſſarii eſſe videbantur, & cum reliquis occurrere Leodienſes. Interim illi de villa arctati & anguſtiati rogaverunt dominum *de Humbercourt*, qui erat ad unam portam, ut reciperentur ad miſericordiam. Qui ivit ad dominum ducem Philippum in Bovinia, indicens ei petitionem obſeſſorum. Dominus dux noluit acquieſcere. Ad aliam portam fuerunt dominus Antonius baſtardus & mareſcallus Burgundiæ, qui ſimiliter rogati a Dyonantenſibus, iverunt ſimiliter ad dominum ducem, & obtinuerunt quod reciperentur ad miſericordiam ſuam.

Standerium S. Lamberti.

[*b*]

Igitur Dyonantenſibus inſimul congregatis, magiſter Garinus dixit, quod non haberet fiduciam in alicujus miſericordia, & accepit ſtanderium villæ, & dixit, quod paratus eſſet vivere & mori cum eis; ſed ſi vellent ſe reddere, ipſe non permitteret ſe reperiri. Alii clamabant quod dominus dux eſſet pius, ipſe haberet miſericordiam de eis.

Dyonantenſes tradunt ſe ducis miſericordiæ.

[*a*] Obſidetur Dyonantum.

(*a*) Diarium addit: *In diebus illis Dyonantenſes intromiſerant omnes fugitivos de Hoyo & de comitatu Loſſenſi, qui fecerunt multa mala in comitatu Namurcenſi, combuſſerunt-que abbatiam de Molinis, excepta eccleſia & clauſtro, & multa villagia, contra quos venit dux* Philippus *Burgundia & Carolus filius ejus cum exercitu magno. Qui tranſiverunt Moſam in craſtino aſſumtionis.*

(*b*) Diarium. *Feria ſecunda in craſtino S. Bartholomæi.*

De communi igitur conſenſu tradiderunt ſe in miſericordiam domini ducis in craſtino S. Bartholomæi, quod erat feria ſecunda, quando dominus dux celebravit feſtum ſancti Ludovici regis. Igitur apertis portis intravit dominus CAROLUS cum tubicinis & mimis & tympano villam Dyonantenſem, & armigeri multi ſecum. Et clamatum eſt quod nemini aliqua violentia inferretur, (a) neque acciperetur aliquid, præter id quod ad victum pertineret, & ſic feria ſecunda & tertia obſervatum fuit. Feria IV. de mane dominus dux (b) convocato conſilio ſuo, tractatum habuit, quid de oppido fieri deberet. Et fuit ibi concluſum, quod nemo aliquid inde numquam diceret; ſed feria V. & VI. oppidum ſpoliaretur, & inhabitantes ſalvis corporibus abire permitterentur, & in ſabbato villa incenderetur. (c) Et ecce prandio facto ſtatim villa ſpoliata eſt, & feria V. incendio tradita. Dicitur tamen quod neſcitur quis primo ignem poſuit, quia dominus dux illo die poni non fecit, ſed valde ægre accepit id quod factum fuit. Dum hæc in Dyonanto fierent, Leodienſes ipſa feria ſecunda clamari fecerunt, quod omnes de Haſbania a XV. annis & ſupra irent cum Leodienſibus ad bellum. Et deputati ad cuſtodiam civitatis magiſter Johannes *de Strailh* & Wilhelmus de Violetta. Dominus *Bare* interrogavit an miniſteria eſſent parata, aliqui erant parati, aliqui non. Viticolæ fuerunt parati, & volebant exire, ſed poſita eſt dies ad feriam quintam. Feria V. viticolæ volebant exire, ſed magiſtri non erant parati., & poſita eſt diæta ad tertiam feriam ad exeundum. Circa horam XII. quidam venit de Haſbania ſuper forum; interrogatus autem de novis, dixit ſe audiviſſe dici Dyonantum eſſe captum, quem ſtatim duxerunt in Violetta captivum. At ille dixit: O boni cives, quid vultis habere de me? homines interrogant me de novis, & ego dixi quod dici audivi in via de Hoyo. Quid a me quæritis? Et fuit dimiſſus. Poſt primam venit unus alius dicens famam eſſe in Haſbania, quod Dyonantum eſſet captum, & omnes interfecti. Statim in foro ortum eſt diſturbium magnum, & clamatum ad magiſtros, traditores! qui deceperunt nos ne exiremus. Magiſter Renardus ſtabat ſuper Violettam, poſt quem lanceabant, volentes quod præcipitaretur deorſum, ſtantes cum lanceis expectando caſum ejus; ſed juratus fabrorum Amelius fuit ſibi præſidio. Magiſter autem Wilhelmus de Violetta, cum audiſſet campanam pulſari, ivit ad domum domini *Bare*, quem a longe videntes, cucurrerunt ſuper ipſum, & cum habuiſſet ictum in capite, clamavit: confeſſionem, confeſſionem. Sed in furore occiderunt eum crudeliter, & ferebatur quod habuerat ultra centum ictus, & unus ſtatim exſpoliavit eum lorica, & induit eam. Deinde clamando ad magiſtros, traditores! cucurrerunt ad domum domini Johannis *ly Ruyt*, quem non invenerunt, quia per naviculam clam exierat. Dehinc ad domum domini Razonis, quem etiam non invenerunt. Interim cœpit populus congregari, & ceſſavit tumultus. Deliberaveruntque quod in craſtino ſummo mane exirent, quia iſtam famam dicebant eſſe confictam a traditoribus.

Wilhelmus de Violetta occiditur.

Dyonantum ſpoliatur & incenditur.

Circa horam V. de ſero venit magiſter Garinus cum alio magiſtro de Dyonanto, & intraverunt ſuper conſilium. Et in craſtino de mane convocato palatio, expoſuerunt factum ſicut fuit, qualiter Dyonantenſes reddidiſſent oppidum ſalvis corporibus, & quod ipſi fugiſſent ſicut potuiſſent. Addiderunt-que dicentes: Nolite turbari quod non exiſtis, quia non potuiſſetis nos juvare, & omnes fuiſſetis in periculo mortis, quia bellum contra vos erat paratum. Haſſellenſes dixerunt quod quando exiverant oppidum ſuum omnes armati, nuntiatum fuit eis quod Campinia plena eſſet armigeris expectantibus exitum eorum, & ſic oportebat eos reintrare. Concluſum fuit quod comes de *Moirs* & dominus Johannes *le Ruyt* irent ad KAROLUM, quia Leodienſes parati eſſent ad tenendum pacem factam, ſi vellet ipſe. (d) Dominus CAROLUS miſit unum hyraldum ad Leodium cum littera: qua lecta ſuper palatium, dominus Razo multum fuit locutus contra, & quod Dyonantum fuiſſet traditum, & quod cuſtodirent ſe de pulchris verbis, & capti fuerunt ibi tres qui occiderunt magiſtrum Wilhelmum, quorum duo fuere decollati, tertium una juvencula petiit in maritum, & fuit liberatus. Alii fugerant, & confeſſi fuerant, quod ſi magiſtros inveniſſent, occidiſſent eos ſtatim.

[d]

Tertia Septembris venit nuntius de Sancto Trudone, quod dominus Karolus miſiſſet

(a) Diarium addit: *Sub pœna indignationis ducis.*

(b) Diarium. *Dominus dux Philippus erat in Bovinia & convocato ibi conſilio, &c.*

(c) Diarium. *Sed populus dimitteretur libere abire. Vix prandium finitum erat, & quilibet locutus fuit cum hoſpite ſuo, quod indicaret ſibi bona ſua, & duceret eum ſalvum. Et ſic ante veſperam fuit villa ſpoliata. Unde dux Philippus valde fuit commotus, quod non fuiſſet ſervatum mandatum ſuum; in craſtino feria quinta, duobus contendentibus de ſpoliis unius domus, cum non potuiſſent concordare, unus eorum poſuit ignem in domo, & ſtatim viſo fumo, alii fecerunt ſimiliter: & ſic tota villa fuit combuſta, & quod ſupererat Namurcenſes & Bovinienſes ſuppleverunt, ratientes & deſtruentes omnia. Non inveni in toto Dyonanto, niſi altare S. Laurentii integrum, & valde pulchram imaginem B. V. Mariæ in porticu eccleſiæ ſuæ, quæ remanſerat, & propter incendium non fuit multum deturpata, quod fuit ſatis mirum. Dum iſta fierent, &c.*

(d) Diarium addit: *Et miſſum eſt pro ſalvo-conductu, ſed dominus Carolus noluit dare ſalvum-conductum, ſed miſit unum hyraldum cum littera in qua ſcripſit, quod quamvis inter ducem patrem ſuum & ipſum ac Leodienſes fuiſſet pax facta & proclamata; tamen Leodienſes non tenuerant eam, nec impleverant, quia in feſto Johannis non ſolverant pecunias, nec miſerant homines ad hoſtagia, & illi de Viridi tentorio ſemper faciebant multa mala. Tamen ſi Leodienſes adhuc vellent pacem tenere & ſervare, ipſe eſſet contentus, nec oporteret habere ſalvum-conductum, ſed mitterent ad ipſum, aliquos ad iſta puncta moderanda, &c.*

duos hyraldos ad S. Trudonem, qui petierunt ex nomine ejus claves villæ, alioquin ipſe viſitaret eos, & quod comes S. Pauli eſſet in *Ghinghelim*. Definitum eſt quod omnes qui poſſent portare arma, eſſent parati ad eundum in Ruthis & in *Othey*, & ibi expectare comitatum Loſſenſem, ne Burgundiones inciperent locare bombardas ſuas. Exierunt igitur omnes uſque in Ruthis & circumquaque. De ſero venit dominus Renardus *de Rouereur*, portans reſponſum de domino Karolo, quod ſicut ſemper dixerat, ipſe vellet tenere pacem factam, ſed vellet quod quinquaginta obſides intrarent oſtagia, & terminus qui ceſſerat in feſto S. Johannis, eſſet in feſto Remigii, ivitque ad exercitum in campis.

Sabbato dominus Karolus venit in Waremia, & Leodienſes fuerunt prope Waremiam in *Olee*, diſpoſueruntque ſe omnes ad bellum, & dominus *Bare* habens baculum in manu, invenit multos qui dicebant ſe veros Leodienſes, ſe abſcondiſſe in ſepibus & in dumis, quos verberibus coëgit ire ad ſocios. De hac præparatione bellandi & dimiſſione multa poſtmodum fuerunt verba inter populares & capitaneos ipſorum, quia populares ſemper pœnituerunt ſe tunc non iniiſſe conflictum, quia dominus Karolus, ut dicebatur, non erat paratus & exercitus ejus diſpoſitus. Poſt meridiem fuere concordes ad implendum ea quæ dux requiſiſſet, & fuit ſtatim clamatum, quod quicumque eſſet electus, iret ad hoſtagia ſub pœna capitis & omnium bonorum. Eadem nocte combuſtum eſt hoſpitium domini ducis in Waremia. Cujus fumum illi de Hoyo videntes, & concordiam factam ignorantes, combuſſerunt tres curias in Haſbania, ſecum abducentes pecora, propter quam cauſam multa poſtmodum evenerunt diſturbia: quia Leodienſes ſemper in diætis allegabant ipſos fregiſſe pacem, & ideo in pace eos non debere comprehendi.

In die Nativitatis beatæ Mariæ redierunt Leodienſes in Leodio. Dominus Carolus manſit in Waremia & circum, donec littera fuiſſet ſigillata. In die tertia palatio congregato, lecta eſt littera quam dux per comitem *de Moirs* & dominum Johannem *ly Ruyt* miſerat ſigillandam, & propoſitum de pecuniis habendis, & quod dominus dux ad Leodium mitteret aliquos nobiles & doctores, quibus darent ſalvum conductum, quod nemo eis injuriaretur in verbis vel factis, ſub pœna capitis.

In feſto Prothi & Hyacinthi venerunt præſcripti Leodium cum quinquaginta circiter equis, & in craſtinum ſuper palatium unus eorum, ſcilicet magiſter Wilhelmus *de Cligny* protonotarius papæ, propoſuit tria.

Primo, quod pax facta inter dominum ducem & Leodienſes, quam licet dominus dux ſemper tenere voluiſſet, tamen Leodienſes eam infregiſſent, & per ipſos jam revalidata fuiſſet, contineret quod dominus dux deberet eſſe advocatus patriæ Leodienſis & defenſor. Qua de cauſa miſiſſet hic nobilem & ſpectabilem virum dominum *de Humbercourt*, ad acceptandum inveſtituram ipſius advocatiæ, & ad præſtanda nomine domini ducis juramenta ad hoc requiſita, unde haberet plenam commiſſionem, quæ ibi fuit exhibita. Dominus de *Humbercourt* advocatus Leod. nomine ducis Burgundiæ.

2°. Quod haberent poteſtatem a domino duce, tractandi cum eis, & dandi ſalvum conductum eundi & redeundi per patrias domini ducis.

3°. Quod deputarentur aliqui, qui XVIII. menſis eſſent Lovanii ad tractandum de reſiduis punctis pacis, & inveniendum medium reconciliationis cum eccleſia, & organa poſſent reſumi, & lex haberet curſum ſuum. Completis igitur cauſis propter quas venerant, direxerunt iter ſuum verſus Hoyum ad dominum Leodienſem. Quibus regreſſis, Leodienſes convenerunt in unum pro pecuniis habendis, & ordinaverunt quod civitas Leodienſis cum Haſbania ſolveret tertiam partem, adjunctis Tungrenſibus. Comitatus Loſſenſis, Trudonenſes cum illis de *Montenaken* etiam tertiam partem. Caſtelria de *Franchimont* cum illis de partibus ſuperioribus, & eccleſiæ aliam tertiam partem. Eccleſiæ dicebant nihil ad ſe pertinere, quia non feciſſent guerram, & ab omnibus fuerant exſpoliati, & bona combuſta, nec poſſent reſpondere ſine aliis confratribus exiſtentibus in Hoyo. Fuerunt electi aliqui, qui ponerent unumquemque ſuper certam quotam, quam qui nollet ſolvere, eſſet in eodem ſtatu, quo illi fuiſſent, qui nominati, noluiſſent intrare hoſpitia. Ita tamen quod prædicti electi prius jurarent, quod nemini injuriam facerent propter odium vel rancorem; aut propter favorem alicui indebitam gratiam facerent. Fit ordinatio pro ſolvendis pecuniis domino duci.

In octavis S. Lamberti venerunt magiſtri de diæta Lovanienſi, & propoſuerunt tria. Videlicet, quod deberent recognoſcere dominum Leodienſem, & deberet levare bona ſua. Et quod illi qui tenuerant partem cum eo, deberent redire ad hereditates ſuas; & quod inveniretur modus, quod lex haberet curſum, & quod illi qui ultimo exiverant, ponerentur ad legem. Et inſtituerunt litteram talhiarum & gabellarum, quam fecerunt legi ſuper palatium. Diæta Lovanienſis.

Tertia Octobris miſſæ ſunt pecuniæ verſus Lovanium, & dominus Leodienſis ivit ad diætam Bruxellæ poſitam, & cum eo omnes qui ſtabant ſecum in Hoyo de Leodienſibus, & aliqui magiſtri de Hoyo, & magiſter Johannes Carpentarii de Dyonanto, & dominus *Bare* cum aliquibus de Leodio. Et in craſtino S. Huberti, convocato palatio, propoſuit do- Diæta Bruxellis.

minus *Bare*, quod adhuc deficerent pecuniæ pro quota ecclesiarum, & quod ecclesiæ & Hoyenses deberent solvere, si inventum est quod pristinis temporibus solvissent, & feria IV. veniret unus qui moneret legem, & nominarentur octo qui judicarent secundum legem.

Feria IV. venit dominus *de Humbercourt*, qui receptus fuit nomine domini ducis in advocatum, & in crastino super palatium proposita fuit per unum doctorem, qui secum venerat, commissio quam habebat, & lecta una littera continens nomina eorum qui ire debebant ad hostagia, scilicet dominus Razo, dominus de Bierlo, cum aliis quinque militibus, & *Joris delle Vauls*, & *Gerart delle Cop-doer*, cum aliis capitaneis, & alii debebant redire. Tunc deputati ad levandum pecunias dixerunt, quod si dominus Razo deberet ire, tunc non vellent se amplius interponere. Dominus de Bierlo dixit, quod non iret, nisi filius suus rediret. *Joris delle Vauls* dixit quod non iret, nisi dominus Razo iret. Dominus *de Humbercourt* dixit se de hoc commissionem non habere. Sed quod omnes deberent cum domino Leodiensi redire.

Interim venit fama quod dominus Leodiensis in Hoyo jam ordinasset, quis deberet esse villicus, & quis subvillicus, & ceteros officiales, etiam de his qui fuerant Leodiensibus odiosi. Quapropter cœperunt iterum aliqui practicare in Leodio quod littera allegationum de novo ab omnibus juraretur, quia ista cedula esset scripta in Hoyo, & cœperunt nominati in cedula timere. Tunc convocato palatio propositum est, quod cum essent Bruxellæ, dictum fuit eis, quod mitteretur eis unus qui expediret omnia, qui jam cum præsens esset, dixit se nihil posse facere, nisi nominati in cedula prius issent ad hostagia, qui essent capita. Unde dominus Razo dixit: Ego volo bene ire, sed volo prius uxorem & filios ante me mittere, quia nescio quid velint de nobis facere. Mittamus ad dominum quod velit redire, & venire in civitatem, & vocare patriam suam in loco quo debet, ad inveniendum modum quo pacem tenere & complere posset. Missum fuit ad dominum, ad requirendum ipsum ut dignaretur venire ad Leodium. Qui respondit, quod in præsenti venire non auderet propter pestilentiam quæ erat juxta palatium, sed in brevi veniret. Sed ad citius expediendum ipse convocaret status patriæ in Hoyo, quia ibi essent multi de clero & nobilibus. Dominus Renardus respondit, quod bene putaret scire intentionem civitatis, quod non venirent in Hoyo; sed, si domino placeret, in Valle S. Lamberti, vel in Seranio, ubi pestilentia non esset, sicut nec Leodii, bene speraret quod Leodienses ibi venirent. In fine dominus accepit omnes cum manu singillatim, & dixit: Et quid vultis semper tenere litteras allegationum? Et si ego indulgeo, non vultis indulgere? Ad hoc parum responderunt. Sed Leodii cum relationem fecissent, post multas altercationes fuit conclusum quod irent ad Hoyum, non tamquam ad diætam patriæ, sed tamquam ad unam generalem convocationem, ad inveniendum modum quomodo dominus dux posset esse solutus. Tandem post multas altercationes, qua dominus Razo nitebatur impedire ne iretur ad diætam, iverunt versus Hoyum, dominus *Bare*, dominus Renardus, Johannes *de Straith*, ducentes secum abbates S. Jacobi & Vallis S. Lamberti, cum priore Carthusiensium. Dominus Leodiensis primo proposuit verbum suum, deinde commisit magistro Raymundo ut compleret. Magister Judocus pro parte ecclesiæ confirmavit, & dominus Johannes de Seranio ex parte nobilium. Leodienses dixerunt se non habere commissionem aliquid dicendi quamdiu traditores essent præsentes. Magister Johannes *Heylman* voluit aliquid dicere, sed dominus non permisit. Cum ergo illi manerent juxta dominum stare, cœperunt Leodienses recedere. Tunc dominus vocavit eos ad se, & ait: Quid non vultis vos ita bene indulgere sicut ego, & facere pacem generalem? Dominus *Bare* respondit: Nos speramus bene venire ad pacem, domine, vobiscum, si isti essent absentes. Post prandium iterum fuerunt simul; sed dominus mansit in sententia quod omnes secum redirent. Prælati rogaverunt dominum, quod saltem possent sibi Leodienses loqui ad partem, & videbatur eis, quod pro bono pacis dominus diffimularet loqui de reditu aliquorum, nisi pedetentim, quia tota vis staret supra VI. vel VII. vel ad majus VIII. contra quos sic essent inflammati. Etiam dominus *Bare* rogatus fuit a prælatis moderare sententiam, propter periculum animarum & totius patriæ, quia dominus haberet bullam contrariam tempore ENGELBERTI episcopi impetratam, quod non possent facere allegationes sine consensu episcopi. Fuerunt igitur locuti cum domino ad partem, & rogaverunt ipsum, quod non permitteret destrui patriam suam propter tales paucos, qui fecissent totum malum, & essent abjudicati per legem. Dominus respondit quod per ipsum patria non destrueretur, quia offerret eis ultra quam deberet. Quod protestatus fuit coram omnibus, & præcipue nominando hyraldum qui præsens erat. Et addidit: Vos dicitis quod isti fecerunt malum, bene; ipsi pœnitent & sunt conversi; vultis vos semper in malitia perseverare? Convertimini & vos, & faciamus pacem generalem. In Leodio magnus erat clamor, quoniam obsides ducebantur de Lovanio ad loca diversa: unde uxores eorum & amici male fuere contenti. Quidam super palatium,

qui habuit patrem obſidem, dixit: O boni cives, quid eſt iſtud? nos ſolvimus multas pecunias, eo quod noluimus dare x. homines, & modo dedimus L. Dominus de Bierlo quadam vice ſuper palatium reſpondit, vos facitis quæ vultis, ſi ego rehaberem filium meum, etiam non tantum curarem.

Igitur dum magiſtri & prælati rediſſent de Hoyo, facta relatione ſuper palatium, & diſcuſſa cauſa dixerunt: Dominus Leodienſis vult bene indulgere verbis, ſed quando lex eſſet, non vellet renuntiare judicamento ſummi pontificis vel arbitramento dominorum ducum. Poſt hoc quidam prolocutor nomine Wincelinus, dixit, quod oporteret deponi peronem, ſi Alexander *Berart*, Jacobus *Goire*, & Juncis, & alii traditores redirent. Et ſi non poſſent facere allegationes, tunc tenerentur reſtituere omnia bona Walteri *Datin* & ſociorum ejus. Et ſteterunt in palatio uſque ad horam ſecundam. *Collar delle Porte* multum fuit locutus, quem unus civium reprehendit, quod non deberet tantum loqui, quia eſſet decies vel bannitus vel albanus. Qui civis ibi multum male fuit tractatus & verberatus. Determinatum fuit quod mitteretur ad dominum KAROLUM, quod teneret eis franciſias ſuas ſicut promiſit eis, & daret eis tempus dilationis, ipſi ſolverent ſibi. Et concluſum quod ſervarent litteram allegationum, quidquid inde eveniret. Et iterum poſiti cuſtodes ad exitus viarum, ne aliquid exportaretur de Leodio, & cœperunt iterum vigilare de nocte.

In feſto conceptionis beatæ Mariæ unus magiſter de Tudinio venit Leodium, qui cum magno tumultu tentus fuit, & ductus ex eccleſia, eo quod mediator fuiſſet inter dominum ducem & villam de Tudinio, quod deponerent muros ſuos.

In craſtino Luciæ, cum fama deportata eſſet ad dominum Razonem, quod Johannes *Verey* eſſet in ſancto Ægidio, qui fuerat cum domino in Hoyo, iverunt illic de ſero armati, & circumdederunt abbatiam, & intrantes cum non inveniſſent eum, extorſerunt juramentum ab abbate & omnibus monachis, ſi quid de eo ſcirent.

In die S. Thomæ rediit dominus *Bare* cum aliis de domino duce, & retulit quod dictum fuit ſibi, quod oporteret quod facerent tria puncta.

Primo, quod prima ſolutio compleretur. Ad quod dominus Razo reſpondit, quod antequam pro eccleſiis ſolverent unum denarium, ipſe mallet quod omnes projicerentur in Moſam.

Secundo, quod dominus Leodienſis permitteretur uti bonis ſuis & ſua juriſdictione.

Tertio, quod portarent ſecum commiſſionem faciendi finem, quia ſemper eſſet inciA piendum de novo. Dominus Razo arguebat multa econtra. Unde allata fuit littera, quæ ſigillata fuit in *Olee*, quando obſides dati fuerunt, quæ ibi lecta fuit coram populo, quam populus numquam ante legi audierat, in qua pax fuit revalidata. Quando dominus Razo audivit, dixit ſe non habuiſſe memoriam de hoc, & poſita deliberatio in dilatione uſque poſt feſtum. Inſuper retulit dominus *Bare* quod promiſiſſent ſine ſcitu ſuo aliquibus de conſilio domini ducis (*a*) quatuor millia florenorum Rhenenſium, & cœpiſſent pro parte ſolvere, & oporeret ſupplere. [a].

Anno Domini MCCCCLXVII. intrante, in die circumciſionis Domini, Leodienſes fecerant depingi unam picturam continentem imagines domini Johannis de Seranio, Gerardi *li Panthier*, Matthiæ *Havveals*, & Johannis *Heylman* ſuſpenſas in patibulo pedibus ſurſum, quæ eodem die ſupra forum ante Violettam ſuſpenſa fuit. Et ex quo quidam dictus *ly grand Bare* dixit, quod adhuc ita fortes eſſent futuri in Leodio, ſicut fuerunt, fuit decollatus tertia die ſequente. Eodem die receſſerunt verſus Flandriam tres milites; ſcilicet dominus *Bare*, dominus Johannes *ly Ruyt*, & dominus Renardus ad tractandum de pace. In epiphania Domini, cum poſt feſtum lecta fuiſſet littera allegationum contra Datinenſes, lecta fuit etiam littera contra ultime recedentes; & clamatum quod æquali modo ſub eiſdem pœnis obſervarentur. Miſſum fuit ad S. Trudonem ad faciendum inquiſitionem de ſautoribus domini Leodienſis, & ducti ſunt Leodium ſub ſalvo conductu ſex cives de melioribus, & unus Lollardus qui fuit incarceratus, eo quod portaſſet litteras de domino, & amplius nihil auditum fuit de eo.

In illis diebus dominus Razo clamabat per eccleſiam & per plateas, quod ſciret optima nova, & cœpit vocare ad ſe nunc hos nunc illos de ſecta ſua. (*b*) In die Priſcæ inventa eſt una littera in ſede magiſtrorum Leodienſium contra dominum Razonem, *Coyar de Chevalier*, eo quod dixerat ſuper palatium, quod Haſbania comburetur, deinde ſuburbia; & ſi viderentur hoſtes prævalere, ponerent ipſimet ignem in civitate, & fugerent. Quia quando totum malum feciſſet, fugeret in *Montfort*, & boni cives non deberent ſe permittere ſeduci a tali, & ab Hannonienſibus bannitis & albanis. Littera lecta ſuper palatium, dominus Razo excuſavit ſe quod ſerviſſet civitati, & ſi placeret omnibus, ipſe peteret licentiam recedendi. Clamatum eſt quod maneret, & fieret inquiſitio de littera quis ſcripſiſſet. Altera vice habuit filiaſtrum ſuum ſupra palatium juxta ſe, & dixit, quod putaret adhuc tantum vivere, quod vindicaret ſe realiter. Prima Fe- [b] Dominus Razo petit licentiam recedendi.

(*a*) Diarium. *Domino de* Humbercourt *& alteri.*
(*b*) Diarium addit: *Quibus propalaret ea, & fuerunt de Francia, ſed non crediderunt ei. Obſides ſcripſerunt multas litteras, ſed nihil curabatur.*

bruarii rediit Matthias *del Ysleal*, & alii, & exposuerunt quod haberetur residuum pecuniarum, & quod in Flandria sciebantur omnia quæ Leodii fiebant, & de intentione domini Razonis, & de littera inventa, & de missione facta iterum versus Franciam. Unde concluſum fuit, quod publicaretur inquisitio facta de illis qui volebant homines dare in prima pace, & qui in *Olee* clamabant, habeamus pacem, & illi mutuarent pecunias & indulgeretur eis; & sic boni cives cœperunt demandari unus post alium super consilium de ditioribus, ad mutuandum pecunias, & fiebat inquisitio ulterius, & fuerunt taxati quasi omnes *pacifici*, eo quod voluissent pacem: scilicet Johannes *de Berses* ad XI. millia Rhenensium, Wilhelmus *de Lonchin* ad XI. millia Rhen. Johannes *Vilhare* & Renardus ad XI. millia Rhenensium, Petrus *Tonnar* ad XI. millia Rhenensium, Hospes in stella totidem, Goffinus mercator ad MD. Petrus de *Remexhe* ad mille Rhenenses, alii ad CCC. alii ad CC. & sic de aliis secundum substantiam quam putabantur habere. Et levabantur istæ pecuniæ in domo domini Razonis per capellanum suum, quia dominus Razo tunc morabatur in domo domini Godefridi de Hannuto, super clausstrum sancti Petri Leodiensis, quia non audebat amplius stare in domo propria, & ibi congregabantur ad eum omnes capitanei ordinati in vicis sive plateis civitatis Leodiensis, & faciebant conciliabula sua in capitulo S. Petri, & hoc vocabatur, *secretum consilium*, nec poterat aliquis ibi interesse nisi vocatus, & isti erant quasi miseri, & pauci bonæ famæ, & ambiebant dominum Razonem ubique, fueruntque principales post ipsum, Gerardus *delle Cop-doree*, & *Collar delle Porte*, qui ultra decies fuit vel bannitus vel albanus. De magistris & consulibus parum curabatur quantum ad pacem vel non pacem. Et dominus *Bare* & alii magistri sequebantur utrumque consilium tamquam capita, & assumserant secum de quolibet ministerio unum, qui domino Razoni placebat; & de quolibet vico unum, & isti erant secretum consilium. Item dominus Razo vocavit ad se aliquos de ministeriis, & aliquibus fecit dari IV. ulnas, aliquibus VI. sicut sibi placuit, & dedit eis plumbatas fustes ad custodiendas francisias, qui iverunt sic per civitatem & per ecclesias, portantes prædictas fustes in manibus, unde datum fuit eis nomen, *Vrays ligens*. Aliqui tamen portabant libratam, sed verecundabantur portare fustes, & quando habebant, cooperiebant eas. Cum pecuniarum residuum debebat mitti, *Collar delle Porte* nolebat, nisi prius haberet pecunias ad faciendum bombardas & pulveres sulphuris & salpetræ, & habuerunt duo millia florenorum. Item cum ista inquisitio fieret, inventa est [a] una littera (*a*) in æde magistrorum sic scripta: *Bonus amicus civitatis & patriæ Leodiensis*, in qua continebatur in summa, quod Leodii fiebat inquisitio de his qui volebant pacem: sed melius esset quod fieret inquisitio de his qui impedierunt pacem, quando habuerunt bullam papæ; & etiam de his qui diffidaverunt ducem Burgundiæ sine statibus patriæ, & nihil inde.

Pecuniæ mutuatæ.

Prima Martii iterum positi sunt custodes ne exportaretur quid extra Leodium, unde delatum fuit ad secretum consilium, quod illi de S. Laurentio evacuassent domum suam; unde de sero missi sunt duo capitanei de vico, ad requirendum ab eis, quod ostenderentur eis jocalia ecclesiæ, quia vellent ea videre ubi essent. Cumque dominus abbas, considerata conditione personarum, respondisset, quod quando magistri talia ab ipso requirerent, ipse haberet consilium. Unus eorum respondit, quod non moveret pedem suum propter magistros. Et intulit: nos fuimus ad sanctum Ægidium, & non fecerunt difficultatem; si non vultis nobis ostendere, cras totum secretum consilium veniet hic, & oportebit quod ostendatis. Tunc dominus abbas respondit, quod de mane loqueretur domino Razoni; & in crastino assumtis secum aliquibus de confratribus suis, ivit ad domum domini Razonis, & inter cetera invenit rem sic dispositam, quod invitavit dominum Razonem cum principalioribus ad prandium ad diem tertium, & tunc ostenderet eis. Et statim misit ad Hoyum, ad reportandum ea jocalia quæ ibi fuerunt transportata, quod nisi factum fuisset, malum monasterio evenisset. Deus tamen vertit istud in bonum, quia illa quæ manserunt in Hoyo, omnia direpta fuerunt in exspoliatione oppidi Hoyensis.

Inquisitio jocalium S. Laurentii.

In diebus quadragesimæ quidam sacerdos sæcularis prædicabat quotidie in S. Michaële Leodii, qui sæpe demandatus super consilium, cum sibi diceretur, quod non deberet se interponere de factis eorum, & ipse responderet, quod ipsum oporteret prædicare veritatem, & ostendere populo errorem suum. Tandem dictum est sibi, quod prædicaret evangelium, & de causis ipsorum amplius non loqueretur ad populum, alioquin sciret se moriturum, & cessare oportuit. Hic tamen bis vel ter fuit missus ad dominum *de Bourbon* cum uno fratre Minore, & portavit domino Razoni salvum conductum semel aut bis, quod dominus vellet sibi loqui, & si non vellet venire in Hoyo, veniret sibi ad colloquium in aliquo alio tuto. Et si salvus conductus non placeret sibi, faceret scribi sicut vellet, vel dominus daret obsides, quos habere vellet; numquam potuit dominus Razo ad hoc induci quod iviſſet ad colloquium cum domino Leodiensi.

Razo renuit colloquium D. Borbonii.

Quinta Martii decollatus est unus, & se-

(*a*) Diarium addit: *Valde bene dictata.*

cundo

cundo magiſter de Tudino, qui captus fuerat in adventu, decapitatus eſt, & in quatuor partes diviſus, eo quod dictum fuit quod ſcripſiſſet litteras ad Tudinum, quod villa S. Trudonis eſſet deſtructa, ſicut Dyonantum. Cujus caput cum poſitum eſſet ſupra portam Auroti, cœpit in illo vico peſtilentia, ſimiliter in aliis vicis ubi membra poſita fuerant, moriebantur de peſte, & ſic cœpit inde communitas murmurare. Quapropter conſilium præcepit caput deponi, & membra recolligi & ſepeliri, quæ recollecta fuerunt per tortorem qui eum decollaverat.

Epiſc. Trecaſſenſis legatus regis Franciæ.

Octava Martii venit in navi epiſcopus Trecaſſenſis, habens litteras credentiæ, ut dicebatur, a rege Franciæ, & duce Borboniæ. Qui propoſuit tria. Primo, de excellentia regis & regni Francorum, & amicitia regis ad Leodienſes. 2°. De pace & de fructibus pacis, & an Leodienſes gratum haberent ſi tractarent de pace. 3°. Quod oſtenderent ſibi cauſas differentiarum inter ipſos & dominum Leodienſem & juramenta quæ juravit. In die Palmarum fuit prædictus epiſcopus ſuper palatium, & per quemdam doctorem fecit iſta proponi, etiam interſerens, quod rex non haberet majorem armaturam quam ſolitus eſt habere, ſtetitque Leodii XVIII. diebus, & nemo dixit ad quid aliud veniſſet, nec de poſt aliquid auditum eſt de eo.

De Johanne Carpentatoris.

In cœna Domini XII. ſocii qui miſſi fuerant ad capiendum, ſi poſſent, magiſtrum Johannem Carpentatoris de Dyonanto, fecerunt nuntiari Leodii adventum ipſorum, & iverunt eis obviam aliqui ex magiſtris, cum domino Razone & aliis, cum buccinis & mimis, eodem ſchemate, ſicut dominus KAROLUS intraverat Dyonantum, excepto ſolo tympano, introduxerunt eum in civitatem Leodienſem hora tertia poſt prandium. Qui poſitus eſt in carcere, & cuſtodes cuſtodiebant eum. In craſtino petiit habere confeſſorem. Quod cum *Collar delle Porte* intellexiſſet, voluit intrare: illi qui cuſtodiebant eum noluerunt permittere. Tandem vi intravit, & dixit confeſſori, quod recederet donec demandarent eum. Illa nocte probaverunt eum, & nihil poterant habere ab eo, niſi quod fuiſſet in prima pace facienda, quæ fuit honorabilis pro tota patria, & quod Leodienſes fuerunt cauſa deſtructionis Dyonantenſium, quia foverant eos in malo, & ita ſapienter ſe habuit, quod omnes mirabantur. Clamatum fuit Leodii, quod omnes homicidæ & albani ſeu banniti poſſent redire, ſic tamen quod nemini nocerent, & quod omnes parati eſſent ad ſonum campanæ. De iſto captivo dominus Leodienſis ſcripſit litteram, quod taliter facerent Leodienſes, quod pax non impediretur. Et dixit dominus Razo: dux ſcribit litteras de captivo noſtro, quod ſi occidatur, multi pejus valebunt. Hoc eſt, ait, ſignum quod non eſt bonus pro nobis, propterea non eſt dimittendum, quin recipiat ſecundum merita ſua. Tres milites qui fuerunt per tres menſes in Flandria, redierunt & dixerunt quod nihil poterant facere, quia pecuniæ Loſſenſium non fuerant ibi, ſed poſuerunt diætam ad octavas Paſchæ, & dominus Leodienſis tunc demandaretur.

Feria III. Paſchæ iverunt iterum illic. Feria IV. Paſchæ *Collar delle Porte* requirebat quod eccleſiæ cum XXX. preſbyteris eſſent ſimul. Quibus congregatis in capitulo Leodienſi, regratiari cœperunt eis cives, quod manſiſſent cum ipſis, quod tempore ſuo vellent recognoſcere; ſed rogarent quod omnes fratres ſuos vellent remandare, ipſi omnibus darent ſalvum conductum. Etiam dixerunt quod haberent nova de curia Romana, quod propoſitum fuit coram papa quod vellet transferre ſedem epiſcopatus alibi, & quod papa reſpondiſſet, quod nullus ſibi de hoc loqueretur. Et in craſtino clamatum eſt quod omnes canonici & clerici rediret in civitatem infra x. dies, & quod nullus ponat manum ad quemquam ſuper indignationem civitatis. Datus fuit ſalvus conductus præpoſito Nivellenſi cum XII. equis x. diebus, cum magna difficultate. Qui venit ad Leodium feria VI. Paſchæ, ad faciendum inquiſitionem de differentiis habitis inter finitimos patriæ Brabantiæ & Leodii, qui arreſtabant unus ſuper alium. Et demandavit magiſtros de Trajecto, de *Lymborch*, de Lewis, de *Halen*, de *Dieſt* ſub ſalvo conductu in Leodio, & ſimiliter de S. Trudone, de *Haſſelt*. Feria III. iterum fuit clamatum quod homicidæ, albani & banniti exirent civitatem. Feria IV. concluſum fuit ſuper palatium quod illi duodecim qui ceperunt magiſtrum Carpentatoris, haberent quilibet c. coronas de promtioribus. Et ex quo nihil volebat dicere, quod iterum torqueretur, & ſi ſic nihil diceret, audirentur teſtes contra eum. In craſtino ferebatur, quod ita fuiſſet punitus quod caput ejus eſſet ſicut cacabus, & latera ejus exuſta.

Decima tertia Aprilis rediit dominus Leodienſis de diæta, & tentus eſt unus de Leodio in Hoyo. E converſo Hoyenſes tenebantur Leodii, & deinceps navis ceſſare cœpit ire hinc illinc.

In profeſto Georgii redierunt milites, & dixerunt quod cum veniſſent ad diætam, dominus Leodienſis debebat primo audiri. Qui cum petiviſſet commiſſionem eorum videre, & vidiſſet, dixit eam non eſſe ſufficientem, & ſtetit ibi per tres vel quatuor dies & rediit. Iterum ipſi procuraverunt propter expenſas vitandas, quod hic veniret una ambaſſiata, qui haberent commiſſionem de gabella ordinanda. Tunc temporis cœperunt illi de viridi tentorio iterum ſpoliare domos

abſentium, & circa Hoyum currere, & multas illis moleſtias facere; etiam Leodii fecerunt ſcamna deponi de foro.

Dominus Leodienſis miſit litteras canonicis, quod ſemel pro toto moneret eos quod infra ſex dies transferrent ſe, & unirent ſe fratribus ſuis qui ſunt in Hoyo: qui concluſerunt inter ſe quod mitterent ad papam, & fuit electus abbas S. Jacobi, & cum eo decanus S. Martini, ſed civibus non placuit quod illi irent, & ſic miſſus eſt dominus Johannes Fabri, canonicus S. Dionyſii, qui cum litteris ſibi datis receſſit a Leodio XXIV. Maii.

Miracula B. Mariæ. In diebus illis, ſcilicet circa feſta paſchalia cœpit eſſe magnus curſus verſus noſtram Dominam de *Montenaken*, quæ ibi clarebat multis miraculis.

Feria tertia Pentecoſtes noſtra Domina cœpit clarere miraculis in parviſio eccleſiæ S. Pauli Leodienſis, & in craſtino fuit ibi pulſatum, quia non licebat pulſare vel tympanizare niſi licentia haberetur a domino Razone, ut cuſtodes dixerunt. Feria V. fecit iterum duo miracula, feria VI. unum, deinde ſabbato poſt octavas & feria ſecunda etiam. Concurſus ad *Montenaken* quotidie augmentabatur, & ex hoc boni homines in Leodio incœperunt multum timere, dicentes: Væ terræ ubi multa miracula fiunt. Illi de Tentorio-viridi ubique multa mala faciebant, ſpoliantes ſautores domini, & inſidiantes illis de Hoyo, magiſtrum Johannem *Heylman* invaſerunt, & familiam ejus occiderunt juxta Hoyum.

Clericus civitatis rediit de Francia, & ſeminabatur quod portaſſet bona nova, & deinde expectabantur armigeri de Francia, & ambaſſiata de Brabantia ad ordinandum gabellam, & nullus veniebat. Clamatus fuit ſalvus conductus per menſem cum XXX. equis pro Brabantinis. Nullus audebat loqui pro domino *de Bourbon*. Unus de miniſterio viticolarum ſenex vir, quia dixit quod in fine ipſe rediret & abſentes cum eo, projectus fuit in Moſam. Prima Junii fuerunt duo ducti ad decollandum, unus fuit decollatus: pro alio una juvencula rogabat & projecit ſe ad pedes domini Razonis, qui reſpondit quod non fuiſſet ad judicandum ipſum. Magiſter Amelius rogavit ut res differretur in craſtinum ſuper palatium, & ſic dominus Johannes *Ruyt* cœpit ipſum reducere. Sed cum unus malus de hoc murmuraret, reſpondit quod non improperaretur ei, & fecit eum decollari. Iſte juvenis erat de Auroto, & accuſatus fuit ab avunculo ſuo, quod dixiſſet verba pro *Bourbon*, & propter unum ſermonem occiſus fuit, & habens crucifixum in manibus, dixerat quod avunculus ſuus qui accuſaverat eum, non retulit verba ſicut ipſe juvenis dixiſſet. Populus habuit magnam compaſſionem de ipſo, ſed nullus auſus fuit aperire os propter litteram allegationum. Hoyenſes timebant obſideri per Leodienſes, & fecerunt omnes de caſtellatu Hoyenſi quod venirent ad Hoyum. Leodienſes e converſo miſerunt mandatum quod nullus iret, & ſi indigerent auxilio Leodienſium, omnes venirent eis in adjutorium. Boni homines ſtabant in anguſtiis, neſcientes quid facerent; qui iverunt verſus Hoyum, omnes exſpoliati ſunt in domibus ſuis. Venerunt litteræ de domino CAROLO, quod ambaſſiata non poſſet tam cito venire, & quod nihil tentaretur contra Hoyenſes antequam veniſſet. Tunc dominus Razo dixit ſuper palatium, O ô ventus eſt dulcoratus, habeamus nos caute, ne nos faciamus magis ſervos quam ſumus, & teneamus libertates noſtras, ne ſubjiciamus nos duci, pluſquam fecimus, hæc duo commoneo.

Obitus ducis Burgundiæ. In die Viti obiit illuſtris princeps PHILIPPUS dux Burgundiæ & Brabantiæ, & fuerunt factæ exequiæ ejus in omnibus villis & villagiis Brabantiæ & Flandriæ. Illis temporibus, quia quando aliqui decollabantur ad gradus multi concurrebant, & mulieres ita bene ſicut viri, fecerunt fieri unum xaphardum quadrum & altum, ad decapitandum homines, ut omnes poſſent videre. Haſſellenſes erexerunt ſe contra illos de Viriditentorio, & fecerunt duos de principalioribus decapitari, propter quod dominus Razo feſtinanter ivit illic, ſed clauſerunt ſibi portas, dicentes quod nolebant quod ipſe interponeret ſe de franciſiis ipſorum.

Menſe Julii miſit dominus Razo aliquos ad accipiendum poſſeſſionem fortalitii de *Haſſem*, ubi magiſter Johannes Carpentaroris fuerat captus: (a) qui miſerunt pro ſuccurſu, & in inſtanti pulſata campana, Leodienſes omnes exiverunt illic; ſed venerunt nimis tarde, quia homines domini Razonis jam illud tradiderant, quorum aliqui fuerunt ſuſpenſi; & ſic diverterunt ſe ad *Emptinez*, & invaſerunt turrim. Qui autem intus erant defenderunt ſe viriliter, ſed non poterant tantam multitudinem ſuſtinere. Diripientes igitur omnia, villicum cum tribus aliis ſuſpenderunt, alios quatuor duxerunt captivos ſecum. Leodienſes tunc miſerunt magiſtris de Hoyo unam litteram, & cuilibet miniſterio unam, quod vellent recognoſcere matrem ſuam civitatem Leodienſem, & ipſi reciperent eos ad veniam, dummodo illos traditores non vellent ſuſtinere. Hoyenſes econverſo ſcripſerunt XXXIII. litteras, & miſerunt magiſtris & miniſteriis, cuilibet ſcilicet unam reſponſivam ſuper ſingulis punctis, ſcilicet quod eſſent filii ſanctæ matris Eccleſiæ, quam ſemper recognoverunt. Item, murmurabatur Leodii, quod tam improviſe populus exiviſſet, quod potuiſſet fuiſſe maximum periculum. Item, de ſecreto conſilio populus neſciebat quid ibi

[a]

(a) *Quodque ipſi pertinebat.*

agereretur. Ad prædicta dominus Razo ſuper palatium, quandò bonæ villæ erant vocatæ reſpondit, quod illud fortalitium pertinuerat ad avum ſuum, & quod ipſe promiſerat ſociis ſuis ſuccurrere infra tres dies, & egit gratias omnibus qui fuerant ſecum, paratus ad ſimilia. Magiſtri dixerunt quod multi currunt libenter extra, non ut aliquid faciant, ſed ut paupeſes ſpolient, ſicut jam contigit videre: quia hi qui clamaverunt *eamus, eamus*, non poſuerunt manus ad invadendum, ſed quando fortalitium erat lucratum, fuerunt primi ad ſpoliandum. De ſecundo dominus Razo reſpondit: multi quærunt & murmurant, quid facimus ad ſanctum Petrum, ecce hic ſunt omnes præſentes, ſi ſciunt aliquid malis dicant, quia ſumus omnes concordes, nemine diſcrepante. Tunc magiſtri *de Haſſelt* & de Tongris dixerunt, quod nihil mali ſcirent, ſed his quæ ibi propoſita fuerant conſentirent.

In die Cleti fuit dux Carolus receptus Lovanii in ducem Brabantiæ. In illis diebus fuit facta magna bombarda dicta *Ligois*, & & fecit dominus Razo pulſari ad omnes eccleſias de Leodio, incipiendo a S. Lamberto, cum eſſet probata: ſed in craſtino rupit camera, unde fecerunt fieri novam.

Obſides miſerunt multas litteras ad Leodium quod tenerent pacem, & non haberent fiduciam in rege Franciæ, quia iterum eſſent decepti. Dominus Razo ſemper reſpondit, quod non deberet attendi, quid ipſi ſcriberent, quia eſſent ſicut ſervi, nec poſſent quicquam ſcribere ſine licentia. Inſuper uxores obſidum, cum veniſſent ſuper palatium ad rogandum populum, cum contumelia magna recedere fecit. Magiſter Johannes *Scoop* cum quinque equis venit Leodium, ſed dominus Simon *del Lallin*, & magiſter Antonius *Haneron* manſerunt in Hoyo, cum quibus dominus Leodienſis ivit ad Bruxellas.

In craſtino Magdalenæ quatuor viri qui dicebantur veniſſe de Francia feria tertia præcedente, aſſumtis ſecum notariis & teſtibus, ducti ab Amelio *de Velleruz* & Johanne *Beaſen*, iverunt ſuper collem *de Lottring*, & acceperunt poſſeſſionem pro comite Nivernenſi, & rege Franciæ. Similiter in *Bollan* & circum; & ſequenti die in *Herſtal*.

In feſto S. Jacobi fuerunt facti magiſtri dominus *Bare* jam quinta vice, & *Henry Sollo*: In craſtino fuit palatium ſimul, quia illi de Viridi-tentorio aſſociaverant ſe ſuper forum in *Haſſelt*, clamantes quod vellent ſcire, quare ſocii eorum fuiſſent occiſi. Unde cives ſumtis armatis, pulſata campana, invadentes eos prævaluerunt, & aliquibus vulneratis, eos in fugam verterunt, & xv. ex eis extra comitatum Loſſenſem proſcripſerunt. Qui venientes ad matrem ſuam, ut dixerunt, aſſiſtentiam petiverunt, & ſtatim do-

A minus Razo cœpit eos defendere, volens quod corrigerentur illi, qui clauſerunt ſibi portas, & quod magiſtri *de Haſſelt* tamdiu hic tenerentur. Magiſtri *de Haſſelt* reſponderunt, quod ipſos oportebat ſervare privilegia villæ ſuæ, quidquid inde poſſet evenire, id quod factum erat, factum maneret. Tunc dominus *Bare* reſpondit: quod non oporteret jam ponere diſſenſionem inter bonas villas, poſtea bene de his ordinaretur; & fuit extinctum.

Item, conſules die præcedenti electi, voluere quod ſecretum conſilium, quod fieret B ad ſanctum Petrum, diſſiparetur, quia civitas videretur eſſe diviſa. Dominus Razo reſpondit, quod bene vellet jurare, quod ibi non fieret aliquod malum, ſed vellet quod ſigillaretur eis, quod quidquid ordinaretur, ratum haberetur. Et ſi quis aliquid revelaret, quod capite puniretur. Et ſic omnes acceperunt ſuper juramentum ſuum, quod nihil mali ſcirent, & etiam magiſtri *de Haſſelt*. Fuit tamen dictum, ſi conſules vellent invenire, quod poſſent, dum tamen nihil cuique revelarent. Obſides ſcripſerunt litteras, C ſed non reputabantur, nec curabantur. In diebus iſtis incœpit palatium epiſcopi in Leodio præparari, & his qui tenebant hoſpitia, dictum eſt, quod providerent ſibi de victualibus & neceſſariis, tam hominibus quam animalibus.

Item, ſalvus conductus Brabantinorum prolongatus eſt ad xv. dies, & ſic in craſtino rediit iterum magiſter Johannes *Scoop*, qui ultime non multum fuit feſtinatus. Interim venire cœperunt nuntii de Francia, nuntiantes adventum armigerorum. Quod Hoyenſes & Namurcenſes intelligentes, pariter cum illis de Markia adunati, combuſ- D ſerunt portas de Cenaco. Quod cum Leodii nuntiatum fuiſſet, graviter indignari contra ducem, arreſtaverunt magiſtrum Johannem *Scoop*, deputantes ſibi cuſtodes. Et conceſſum eſt, quod ſi qui vellent damnificare illos, qui fecerunt factum iſtud, civitas non prohiberet. Et miſſum eſt ad Carolum ducem, an ratificaret iſtud, actum in die Sixti. In die præcedenti fuit ſupra palatium congregatio valde contentioſa, quia quidam volebant quod dominus Renardus corrigeretur de eo quod fuit in Francia; & quod in *Olee* E dixiſſet, ſe non vidiſſe comitem *de Mors* infra VI. dies. Alii, quod dominus *Bare* fuiſſet in cauſa, quare comitatus Loſſenſis non fuiſſet in *Olee*. Amelius *de Velru* dixit, ſi ipſe fuiſſet creditus, pugnaſſent tunc, & habuiſſent finem. In craſtino S. Laurentii, illi de ultra pontem, illi de inſula & illi de vico S. Johannis-Baptiſtæ, armati venerunt ſupra forum, & volebant quod fieret juſtitia de magiſtro Johanne Carpentatoris. Et dixit *Collar delle Porte* domino Johanni *ly Ruyt*, ſi non vellet facere juſtitiam, quod illi de

Johannis Carpentatoris supplicium.

ultra pontem facerent. Tunc perductus est magister Johannes super xaphardum, & lecta est coram eo littera inquisitionis factæ super ipso. Quod fuisset in prima pace facienda, & quod Dyonantenses non debuissent assistere Leodienses, & consensisset Christianos homines dari ad voluntatem. Qui rogavit quod posset loqui magistris. Illi qui de Dyonanto erant, tunc clamare cœperunt, date nobis traditorem, nos reddemus ei quod meruit, & faciemus justitiam. Hæc videns, commendavit se Deo, & vix quarto ictu amputatum fuit caput ejus, & deinde corpus divisum est in quatuor partes, & in diversis locis asportatum. Tunc primum portatæ sunt litteræ de domino duce, responsivæ ad litteram Leodiensium, & quod teneretur una diæta citius in *Dieſt* & in Lovanio. Obsides miserunt litteram pro magistro Johanne Carpentatoris & magistro Johanne *Scoop*, quia quod fieret eis, econverso fieret ipsis. Dominus Razo respondit, quod de littera obsidum non esset curandum, quia essent sicut servi. Dominus *Bare* rogavit quod magistro Johanni *Scoop* nihil fieret mali, quia quamvis essent guerræ apertæ, tamen oporteret tenere salvum-conductum, & rogavit quod duceretur in terram Brabantiæ liber; & sic in crastino magister Johannes fuit dimissus, & duo nuntii civitatis cum eo, qui vere fuit in periculo.

Dominus dux misit litteras ad Leodium continentes, quod misissent litteras in Mechlinia & Gandavo, & ad villas Brabantiæ, quod facerent allegantias cum ipsis ad tenendum francisias suas. Magistri negaverunt se taliter scripsisse, sed solum quod petiverunt ab ipsis, an ratum haberent quod factum fuit in Cennaco.

In octavis assumtionis posita fuit una tabula ante Violettam, in qua depicti fuerunt XII. quorum XI. pendebant pedes sursum, & nomina eorum scripta erant super eos, scilicet hi: Dominus Johannes de Seranio, dominus Balduinus *de Hollogne*, *Gerar Panthier*, Johannes *Heylman*, (a) Henricus *Petit-bon*, *Thonnet d'Auroit*; & *Gerar ly Cangeur* per guttur sursum tamquam fur.

In die Agapiti illi de Vizeto spoliaverunt villam *de Bernavve*, unde Lymburgenses associaverunt se ad se defendendum; quod cum Leodii nuntiandum clamatum esset ultra Mosam, statim unus eques cursu veloci nuntiavit Leodii, & omnes exiverunt. Quod videntes Lymburgenses, se retraxerunt, & aliqui fugerunt super turrim *de Boubais*, quos insecuti Dyonantenses, posuerunt ignem in turri, in qua erant multi infantes & mulieres. Viri qui intus erant, dimiserunt illos per chordas, & postmodum ipsi saltaverunt inde, quorum qui capti fuerunt, fuerunt trucidati. Unus juvenis invocando beatam Virginem, bis fuit suspensus, sed rupit corda; quod ut vidit quidam Leodiensis, accepto pugione, abscidit ei guttur. Una pulchra domicella cum duobus pueris prostravit se domino Razoni ut servaret eam, at ille aversa manu repulit eam. Unus de Leodio filium ejus VIII. annorum accepit & duxit captivum. Maritus ejus senex & pinguis, dictus domicellus *Toraye* ductus fuit captivus ultra Mosam, aliqui de Leodio propter invidiam amputaverunt guttur ejus, & projecerunt in fossam. Crudelitas magna facta fuit ibi, fueruntque suspensi vel occisi XIII. vel XIV. & villa spoliata.

In die decollationis S. Johannis, inventum est quod aliqui de sancto Bartholomæo exportassent jocalia ecclesiæ suæ, & fuerunt deprehensi: unde statim missum est cum notariis & testibus ad sanctum Laurentium, an jocalia essent ibi, & voluerunt videre. Et dixit Robertus qui missus fuit cum Ægidio de S. Trudone: ego non vellem pro toto quod habeo super me, quod non invenissemus ea, quia vos fuissetis destructi. Domnus abbas erat in Brabantia; conventus scripsit sibi, quod ea quæ essent Hoyi portarentur alibi, sed videbatur sibi quod bene essent, ex quo ibi posuerat unum ex fratribus, qui ea custodiret, quod tamen conventui non placuit, & direpta fuerunt.

Ultima Augusti Hoyenses exiverunt cum DC. circiter equis, & venerunt usque ad *Heneffe*, & fuerunt ibi aliqui occisi ex villanis. Fuit etiam dictum, quod occidissent etiam pueros custodientes oves vel vaccas. Quod cum Leodii nuntiatum esset, pulsatum est ad arma, & inflammati in instanti, exiverunt ad obsidendum Hoyum, & demandaverunt Lossenses ut irent ante Hoyum. Qui statim non venerunt, sed maluissent tenuisse diætam. Magistri bene voluissent rediisse, sed communis populus nolebat. Quinta die factus fuit excursus ante Narbonam, (b) & ceciderunt aliqui hinc & inde. Octavo die venerunt Tungrenses in *Haneffe*. Clamatum fuit in exercitu, quod nullus acciperet aliquid de terra ducis. Magna bombarda de S. Trudone ducta fuit ante Hoyum. Quinto decimo Septembris Lossenses venerunt ante Narbonam, & Leodienses descenderunt versus Mosam, & fecerunt pontem supra Mosam, ubi occurrerunt Hoyenses, & ceciderunt aliqui hinc & inde. Eodem die venerunt in exercitu litteræ de rege Franciæ, & dominus dux scripsit litteras, quod nisi infra quatuor dies se retraherent, ipse non posset dimittere, quin succurreret consanguineo suo. In crastino, hoc est in vigilia S. Lamberti, Leodienses cum Lossensibus ordinaverunt modum obsidionis fiendæ, scilicet quod Leo-

[a] [b]

(a) Diarium. Math. *Hasveals*, Gerardus *Tollet*, Johannes *Trina*, Johannes *Proidhomme*, Henry *Petitbon*, Hubert *delle Vauxs*, *Rosseal d'Auroit*, & magister Gerardus *Campsch*.

(b) *Ante Arbonam*, & ita infra.

dienſes cuſtodirent ab utraque parte Moſæ, & Loſſenſes ante Narbonam, & una pars ſuccurreret alteri. Appropinquante veſpera electi ſunt de miniſteriis juvenes circiter LXXX. qui circa umbilicum montis per manus & pedes reperent occulte infra propugnacula leproſorum, & datum eſt eis ad potandum, ut audaciores eſſent. Quorum aliqui irrumpentes per occultos meatus, circa umbilicum montis tranſiverunt ſepem vinearum, & deinde deſcenderunt in domum ubi prima cuſtodia erat. Alii iverunt per crepidinem montis deſcendendo verſus Moſam cautè, ne a bombardis læderentur. Multi ſequebantur a longe. Primi igitur invenerunt aliquos dormientes ſuper ſcamna, & aliquos ludentes ad ſcotum, qui nihil ſuſpicabantur mali. Audiebant bene rumorem, ſed ex quo veniebant de Hoyo, putabant quod fuiſſent vigiles Hoyenſes; aliqui vero ex eis, ut ferebatur, ſatis boni Leodienſes. Primi igitur, aliquibus occiſis, aliquibus captis aut fugatis, aperuerunt oſtium, & intromiſerunt ſocios. At ubi Leodienſes cognoverunt, inſtigante eos domicello Wilhelmo de Marka, clamaverunt omnes alta voce: *Noſtre-Dame & S. Lambert, ville vvaingny.* Quem clamorem cum audiſſent, qui in caſtro aut in monte erant, clamaverunt ad arma. Dominus Leodienſis deſcendit de caſtro, & fuit ſupra pontem, & ecce tumultus magnus venit ſibi obviam ex eis qui cuſtodiebant montem de *Arbone*, intrantium villam. Cumque veniſſet ſuper forum, vidit ibi aliqua quæ non placebant, & aſcendit in caſtrum, & aſcenſis equis, hora erat undecima, fugit verſus Namurcum, multique ita fuere ſtupefacti, quod nihil ſuorum acceperunt ſecum, etiam nec pecunias. Leodienſes capto primo propugnaculo, ſtatim venerunt ad muros & portam parvæ villæ, quam expugnare cœperunt. Quod ut armigeri, qui cum domino *de Boſſu* venerant, cernerent, fractis portis, omnes effugerunt. Hoyenſes confortante eos domino Everardo de Marka, qui currebat de porta ad portam, ad confortandum eos, iterum portas & ſeras reparaverunt, & incœperunt fodere ſupra pontem, ad faciendum ibi portam, ſive obſtaculum, & dominus Everardus viriliter cum ſuis Leodienſibus reſiſtebat. Tandem Leodienſes dominati ſunt parvæ villæ, & fugientibus omnibus verſus Namurcum circa horam XI. intraverunt oppidum Hoyenſe, & ſpoliaverunt omnia quæ ibi reperta erant. Tantus enim timor & ſtupor Hoyenſes, & qui ibi tam ex clero quam ex populo erant, arripuerat, ut ſola corpora ſalvare cupientes, aliqui quaſi nudi, aliqui ſemiveſtiti effugerent, ſua omnia etiam pecunias relinquentes. Domicellus Everardus videns ſe ſolum, etiam receſſit. Cum autem parva villa expugnaretur, Hoyenſes poſuerunt ignem in domibus juxta portam prope Moſam, quem victores Leodienſes noluerunt extinguere, ubi pulchræ domus plures combuſtæ fuerunt. At ubi iſta nuntiata ſunt, factum magnum gaudium popularibus, & accenſis pluribus luminaribus, poſuerunt ea ſuper forum in circuitu imaginis ſancti Lamberti, quæ ſuper forum poſita erat, quam dixerunt ſudaſſe, eo quod noviter color ejus renovatus fuerat. Et cum eo die celebraretur ſolemnitas ſancti Lamberti, ante feretrum corporis ejus nullus ponebat candelam. Quinimo candelabra de choro tollebantur, & ponebantur ſuper forum ante imaginem ejus lapideam, & imponebantur candelæ ardentes mille & mille pro victoria de Hoyenſibus habita.

Hoyi expugnatio.

Igitur per biduum ſpoliata tota villa, & prædato toto theſauro quod per totum annum, tam clerus quam populus Leodienſis ibi aſportaverat, ſpoliatis omnibus eccleſiis, tam conventualibus quam aliis, exceptis Cruciferis & eccleſia noſtræ Dominæ, quidam ſtatuerunt cum uno eodemque impetu ire ad Namurcum, & facere *finem* de inimicis ſuis; ſed alii magis fuere intenti circa ſpolia, & ſic redierunt die tertia ad propria. Dominus Razo miſit in caſtro cum domino Wilhelmo, qui tamen non diu ibi manſit, & cœpit dominus Razo caſtrum reparare & mundare ciſternam, reparare murum & tectum, & facere foſſata & propugnacula, & fuerunt ſecum de quolibet miniſterio decem & circiter ducenti, qui Leodienſes non erant ſuſpecti, & cœperunt operari ad pontem. Aliqui volebant frangere unum arcum, alii non, ſed fecerunt unam foſſam & portam ſupra pontem. Dominus Razo fecit congregari omnia blada quæ erant in domibus in Hoyo, & portari in caſtro, eratque uxor ſua ſecum. Feria tertia miſerunt illi de Leodio aliquos in Hoyo, & fregerunt theſaurariam, & abſtulerunt omnia laïcalia ibi inventa, & jocalia. Litteræ & cartæ & omnia pretioſa monaſterii S. Laurentii Leodienſis, quæ ibi fuerunt ad tutelam repoſita, portata fuerunt in caſtro ad dominum Razonem. Quapropter multa fuerunt perdita. Litteras tamen pro majori parte, adjuvante domino *de Humbercourt* rehabuerunt.

In die Coſmæ & Damiani fuerunt oſtenſa coram populo vexilla domini Leodienſis & veſtimenta ejus, & tunica hyraldi ejus. Et dictum, ſi quis inde aliquid haberet, quod reportaret, ut in craſtino præſentarentur S. Lamberto, & ponerentur in eccleſia, quod tamen *non fuit factum*. Multis diſplicuit quod in armatura domini epiſcopi, poneretur incus cum flammis & guttis ad fabricandum novos Leodienſes, nec fuit aviſamentum illud eccleſiaſticum & quieti ſpiritus. In die S. Remigii venit in Hoyo ballivus de Lugduno, & in craſtino intravit Leodium, & dominus Razo cum eo. Et in craſtino dixit

ſuper palatium ſe miſſum a rege, & quod caute ſe haberent; quia in brevi audirent alia nova, & ſic ivit verſus S. Trudonem, & ordinatis ibi quæ videbantur, reverſus eſt ad Leodium. Tunc conſilium celebrabatur in domo clauſtrali conjuncta eccleſiæ S. Lamberti ante palatium. Illi de S. Laurentio multum inſtabant apud dominum Razonem, quod poſſent rehabere jocalia ſua, quia eſſet periculum in litteris, ſed nolebat advertere. Quadam vice reſpondit, loquimini quibus volueritis, ſi loquantur omnes domini & dominæ, qui ſunt in patria Leodienſi, ego nihil aliud faciam, quam quod mihi venerit in capite. Et qui audivit, teſtimonium perhibet de his.

Leodienſes parant ſe ad defendendũ fines patriæ.

Leodienſes igitur incœperunt ſe præparare ad defendendum fines patriæ, & accepta fiducia de victoria quam habuerant in Hoyo, fecerunt afferri imaginem beatæ Mariæ, quæ claruerat miraculis in *Montenaken*. Quæ cum apportata fuiſſet in eccleſiam ſancti Severini Leodii, iverunt magiſtri cum omnibus miniſteriis eam quæſitum proceſſionaliter cum tædis ardentibus, pulſatis omnibus campanis quæ erant in Leodio, & detulerunt eam in eccleſiam S. Lamberti ante chorum, & accendebantur nocte ac die multa luminaria, & fiebant multæ oblationes. Rogaverunt etiam conſules illos de majori, quod oſtenderent ſtanderium S. Lamberti, & ponerent ſuper altare. Qui ſtatim illud poſuerunt ſuper altare in ſancto Lamberto, in die triumphi S. Lamberti in ſpecula *de Steps*. Deinde voluerunt quod, quia domini de majori non eſſent præſentes niſi pauci, quod canonici ſecundariarum eccleſiarum, ſupplerent vices abſentium, & requiſiverunt quod duo de qualibet eccleſia cum aliquibus de prælatis aſſociarent ſe cum deputatis majoris eccleſiæ, ad eundum cum ſtanderio, quod eſſet nobile jocale, nec debebat ſolis laïcis committi. Quo cognito, prior monaſterii Belli-reditus cœpit ſe parare cum uno confratre ſuo, & ſic oportuit quod de qualibet eccleſia unus canonicus iret cum uno famulo in veſtibus albis, & unus religioſus de ſancto Ægidio, & de Valle-Scholarium. Illi de S. Laurentio rogaverunt duos laïcos, qui alias debebant ire, & ſolverunt eis veſtimenta ſua, ut irent nomine ipſorum, ne moleſtarentur ut mitterent monachum. Illi de S. Jacobo fecerunt ſimiliter, mittendo unum laïcum de familiaribus ſuis cum alio laïco locato. Ponebanturque multæ candelæ ante ſtanderium, quamdiu ſtetit ſuper altare S. Lamberti, & quicumque præteribat, etiam in exercitu, flectebat genua ad terram ac ſi Deus deſcendiſſet in caſtra: ſperabantque quod noſtra Domina & S. Lambertus darent eis victoriam ſicut in Hoyo. In octavis ſancti Dionyſii miſſi ſunt aliqui ad S. Trudonem cum domino Renardo capitaneo ibi deputato.

Interim cœperunt ſe Burgundiones oſtendere, & Leodienſes cœperunt ſe præparare. In die xx. Octobris combuſta fuerunt villagia de Haſbania, *Hollongne, Ferme, Borlee, Vienne, Rovengniſtre*. In craſtino palatio convocato, ballivus de Lugduno fuit præſens, & diſputata materia eundi, & ſuit ſibi oblatum portare ſtanderium, ſed de hoc ſe excuſavit. Rogatus ut iret cum eo, conſenſit ſicut & fecit. Et fuit electus dominus de Bierlo ad portandum ſtanderium, quod ille dixit non eſſe officii ſui; ſed quia illi ad quos pertinebat, non eſſent præſentes, non vellet eis facere aliquod præjudicium, ipſe faceret, Deo juvante, fideliter quod poſſet. In craſtino debebant exire, & fuit incœptum pulſari, ſed pluebat, & dominus *Bare* equum quem emerat ab abbate S. Laurentii pro corpore ſuo proprio, de mane reperit in proprio ſuo ſtabulo occiſum: unde conſternatus, quia neſciebatur quis fecerat equo illo tale vulnus, amiſit animum. In die Severini de mane pulſatum eſt juxta morem, & præparaverunt ſe. Hora nona depoſitum eſt ſtanderium, & deliberatum domino de Bierlo, & fecit juramenta conſueta. Poſt duodecim incœperunt exire, domino de Bierlo portante ſtanderium, & juxta eum quatuor canonici de majori; ſcilicet præpoſitus Tungrenſis cum Rolando fratre ſuo, & *Middelborch* & Waya, cum xvi. equis; & de qualibet eccleſia unus canonicus cum famulo, unus monachus S. Ægidii, * duo de *Bealrepart*, unus de Scholaribus. De S. Laurentio & S. Jacobo non fuerunt monachi miſſi. In craſtino Hoyenſes qui fugerant, fecerunt unam turmam, & venerunt ante Hoyum, & aliqui ex ipſis intraverunt villam, & cœperunt clamare *Ville vvaingny*, ſed ſocii eorum non deſcenderunt, & ſic fugati fuerunt & occiſi aliqui. Uxor domini Razonis ſedens ſuper equum, incitavit Leodienſes valenter ad reſiſtendum, plus quam vir ejus feciſſet. Cum exercitus veniſſet in *Xendermael*, volebant canonici redire, ſicut a capitulis ſuis injunctum fuerat, ſed dictum eſt eis, quod irent ulterius, quia ſi quid mali eveniret, imponeretur eis. Venerunt omnes ſalvi in *Bruyſtein*, ſed in craſtino neſcitur quare reliquerunt *Bruyſtein*, & iverunt verſus *Alck*, & ſtatim *Bruyſtein* fuit combuſtum, & *Beringhen* etiam.

* ordinis S. Auguſtini.

In die Simonis & Judæ, quando eſt dedicatio eccleſiæ ſancti Lamberti, incœperunt præliari; ſed capitaneis dicentibus, quod expectarent uſque mane, Tungrenſes exiverunt primi contra adverſarios infra tertiam & quartam, & ſtatim terga verterunt, quod Leodienſes poſt eos venientes ut viderunt, etiam fugere cœperunt; & aliis inſequentibus, tanta eſt facta confuſio inter eos, quod omnibus relictis & curribus & bombardis, quilibet fugit ut potuit, neſciens loqui de

ſocio ſuo. Circa horam x. de nocte venit dominus de Bierlo cum ſeptem equis, reportans ſtanderium fractum & dilaceratum in Leodio, unde facta eſt magna turbatio in civitate, quia nemo ſcivit loqui de ſocio ſuo. De mane ſtatio quæ erat in *Eymael*, venit ad cuſtodiendam civitatem, & illi de Trajecto combuſſerunt *Eymal* & *Wouck* & alia villagia prope. Dominus Razo fugiens dormierat in *Orey*, in molendino ſuo, & uxorem ſuam, & proles, & omnia quæ congregaverat in Hoyo miſit in *Monjoye*. Et Leodienſes qui fugerant de bello, incœperunt paulatim redire. Dominus Razo cum fugeret, invenit unam mulierem venientem de Leodio, & interrogavit qualiter ſtaret in civitate, & audito bono nuntio, rediit ad Leodium.

Eccleſiæ incœperant tractare de mittendo ad dominum, ſed cum intellexiſſent quod dominus Razo rediſſet, non audebant quicquam loqui. Convocato palatio in die Omnium-Sanctorum, propoſitum fuit quod populus valde inordinate ſe haberet, unde iſta contigiſſent. Et dixit ballivus de Lugduno, quod per juramentum ſuum, ſi credidiſſent conſilio, optime fuerant diſpoſiti ad victoriam obtinendam. Item, clamatum quod Haſbanienſes triturarent blada, & ducerent in civitatem ante Martini; & omnes qui haberent equos, eſſent parati ad ſonitum buccinæ, & ſi aliquis abſconderet equos, quod tunc licite capi poſſent. Et dominus Razo cœpit excuſare uxorem ſuam, quod propter famam fugiſſet, & *Collar delle Porte* & Johannes *Beazen*, qui fugerant cum ſpoliis Hoyenſibus, quod indulgeretur eis; reſponſum eſt quod portæ eſſent apertæ. Item, quod aliqui eſſent ridentes de hoc quod acciderat, quod tales projicerentur in Moſam.

In craſtino eccleſiæ miſerunt ad conſules, ad ſciendum an vellent habere pacem, vel quod tractaretur de pace. Habita deliberatione reſponderunt, quod eccleſiæ poſſent facere quod videretur expediens, ſed ipſi non vellent adhuc mittere quemquam. Eccleſiæ miſerunt abbatem Vallis S. Lamberti, & priorem de Cathena, cum aliis in *Haſſelt*, & invenerunt quod Loſſenſes ſe jam reddiderant domino duci, & treugæ eſſent de S. Trudone. In die S. Huberti dominus dux intravit cum domino Leodienſi oppidum S. Trudonis. Eodem die combuſtum eſt caſtrum & villa de *Hers* & *Wellen* cum aliquibus domibus hinc inde. Illi qui cuſtodiebant Hoyum, exiverunt & combuſſerunt villam de *Anden*, auferendo ſpolia.

Leonardi venit ſalvus-conductus pro eccleſiaſticis, pro ſex equis. Venit etiam dominus Johannes *Fabri* de curia Romana, quod papa mitteret in brevi unum legatum, qui haberet plenam poteſtatem de omnibus, & fuit bulla lecta.

Miſſi ſunt duo Cruciferi & duo Minores ad dominum Leodienſem pro alio ſalvo-conductu, qui cum multis laboribus & doloribus ad eum pervenerunt, & hora XII. de nocte venerunt ad portam S. Walburgis. Illis diebus dominus Razo cum ballivo de Lugduno ivit circa Leodium, & fecit foſſata & munitiones. Et cum veniſſet in S. Laurentio, famaverunt quod oporteret eos deponi, ſimiliter & Carthuſianos; & deliberaverunt quod domus extra poſitæ incenderentur. Quod ut intellexerunt poſſeſſores, oppoſuerunt ſe fortiter, dicendo quod ſatis tempeſtive perſonaliter incenderent eas, quando eſſet neceſſe. Quod ut dominus Razo audivit, tacuit, & omnia blada quæ habuit in S. Laurentio, duci fecit in domo de *Hemerode* in S. Lamberto, & ultimo curru ducto, fecit fieri propugnaculum ante portam.

Intromiſſis igitur prædictis religioſis cum ſalvo-conductu pro octo de civitate laïcis, & IV. de clero, per totum diem eundo & redeundo, vocati ſunt omnes deputati eccleſiarum de lectis ſuis hora IV. de mane, & deputati in numero ſupradicto, iverunt verſus dominum. Tunc dominus Razo dixit cum litteræ ſcriberentur: Modo ſum pauper homo, quia omnia quæ habeo, ſunt in comitatu Loſſenſi, & illi ſe reddiderunt ad voluntatem. Si permiſiſſetis me ire, quando petivi licentiam, fuiſſem magnus dominus, quia rex Franciæ nullum hominem deſideravit tantum ſicut me. Vos, ait, feciſtis mihi c. mille florenos in damnis, quod tenuiſtis me. Jam rogo quod ducatis me ſalvum extra, quod poſſim ire ubi Deus voluerit. (a) Qui hæc ſcripſit præſens audivit. [a]

Feria tertia qui miſſi fuerant redierunt, & primo facta relatione in capitulo, vocatum fuit palatium ad S. Walburgem, ubi expoſita fuerunt quatuor puncta quæ petebat dominus Leodienſis, quæ populus acceptavit; & elegerunt pacem, & dominus Leodienſis cum deputatis, deberet eos juvare facere pacem inter ipſos & dominum ducem. Tunc dominus dux non volebat eos aliter recipere, niſi quod redderent ſe ad voluntatem ejus, exceptis duobus punctis, videlicet quod civitas non incenderetur neque ſpoliaretur. In die S. Martini quæ erat feria IV. electi ſunt (b) de Leodienſibus qui debebant accipere veniam, & clamatum, quod irent ſub pœna capitis. Cumque dominus expectaret eos in campis, (c) dominus Johannes *ly Ruyt* non venit ſa- [b] [c]

Leodienſes tractant de pace.

[a] Diarium addit: *unus de laïcis reſpondit, quod porta eſſent aperta. Hoc audito, valde conſternatus intulit*, Alaz, *ut audio, parvas gratas habeo de laboribus quibus ſervivi vobis, ideoque peto ut ſaltem me recedentem velitis conducere. Magiſtri reſponderunt, quod illi qui mitterentur, de ipſo & de aliis tractarent, prout melius poſſent. Et qui hæc ſcripſit præſens, &c.*

(b) Diarium. *Electi ſunt ccc. qui debebant accipere veniam in lineis in campis juxta brazinas, quibus præceptum fuit ſub pœna capitis quod irent, &c.*

(c) Diarium addit. *Quaſi per duas horas.*

tis tempeſtive, qui debebat dicere verbum, & ſic dominus dux receſſit. Et dictum eſt, quod irent ad S. Laurentium, quia dominus dux ibi eſſet venturus. Hoc audito, illi de S. Laurentio præparaverunt cibaria pro illis, qui cum principe potuiſſent venire, ſed dominus dux non venit. (a) Sed prædicti Leodienſes venerunt in S. Laurentio ultra ccc. qui eo die panem non comederant pro majori parte, nec permittebantur intrare civitatem, niſi veniam prius accepiſſent. Tunc dominus *de Humbercourt* & dominus Antonius Baſtardus venerunt ad portam S. Margaretæ, & voluerunt intrare. Dominus de Bierlo dixit, quod non aperiret portam, niſi ſalvis corporibus. Alii reſponderunt quod non haberent niſi duo, ſcilicet quod civitas non ſpoliaretur nec incenderetur. Dominus de Bierlo dixit, quod tunc non intrarent. (b) Tunc populus Leodienſis qui ſtabat in porta, cœpit declinare de porta, & exierunt omnes pro majori parte ultra pontem, & multi dormierunt in ſilvis. Dominus *de Humbercourt* venit cum ſuis in S. Laurentio, & invenit bonam proviſionem. Per totam noctem coquebatur panis pro illis Leodienſibus, & aliis qui non comederant. Igitur illi qui cuſtodierant portam S. Margaretæ, fecerunt conſilium, quod antequam fugerent, irent ad S. Laurentium, & occiderent omnes Burgundiones intus exeuntes, & incenderent domos monaſterii. Quod utique perfeciſſent, niſi illi qui veniam capere debebant, intus fuiſſent; & ergo Deus ſic ordinavit.

De mane omnes iverunt ſuper campum, & proſtraverunt ſe domino duci, & domino Leodienſi, ſicut fuerat ordinatum. Feria v. venit coquina domini ducis in S. Laurentio, & dominus Leodienſis erat in S. Ægidio. Et de ſero dominus dux venit uſque ad portam S. Martini, & cum putaretur intrare monaſterium, pertranſivit portam, & tranſivit ſuper campum, & cum magno labore fuerunt cibaria portata de ſancto Laurentio ſuper campum. Hora xii. venerat unus hyraldus & dixit, quod dominus dux vellet quod legatus haberet hoſpitium juxta eum in monaſterio, qui venerat de Francia, & erat archiepiſcopus Mediolanenſis. Cum ergo dominus dux receſſiſſet ſuper campum, dictum fuit quod fuiſſet propter legatum. Feria vi. dominus dux intravit monaſterium S. Laurentii hora prandii, & manſit ibi uſque ad tertiam feriam ſequentem. Dominus *de Humbercourt* miſit ſæpe pro legato, quod iret ad ſanctum Jacobum, ſed noluit. Dominica ivit illuc. Depoſitæ ſunt januæ S. Martini, & feria ii. incœperunt deſtruere muros civitatis Leodienſis infra S. Martinum & S. Margaretam. xvi. Novem.

Feria iii. dominus dux de mane guſtavit parum, & ſe armavit, & conventus congregatus ante eum proſtratus, quia dominus abbas non erat domi, rogavit ut dignaretur ipſis unum cuſtodem deputare, ne ab incurſibus armigerorum gravarentur, ſicut fama volabat, quod poſt diſceſſum domini velleſt in S. Laurentio hoſpitium recipere. Dominus dux gratantiſſime accepit, & reſpondit: Nolite timere, ego cuſtodiam vos; & ivit cum aliis ſuper campum; & ſtatim quando intravit palatium, miſit de armigeris ſuis unum ad S. Laurentium, & fecit omnes recedere de monaſterio, exceptis ſex equis, & deputavit unum nobilem ad cuſtodiendum monaſterium, qui valde gratioſe ſe habuit. Et circa horam nonam incœperunt intrare civitatem per portam S. Margaretæ, & ſtabat clerus ab una parte vici cum tædis & torticiis ardentibus, populus ab alia ordinatim. Et intrante domino duce cum domino Leodienſi, decanus S. Petri dixit verbum cleri; & duravit prædictus introitus armigerorum uſque ad horam quaſi quartam. xvii. Novem. Dominus dux cuſtodes S. Laurentio aſſignat & intrat civitatem.

In craſtino clamatum eſt, quod omnes qui fugiſſent extra civitatem, infra tres dies redirent, alioquin tenerentur pro inimicis. Interim omnia villagia de Haſbania redemerunt ſe, & inde receperunt litteras ſalvæ-gardiæ a Baſtardo Burgundiæ. Civitas & bannileuca fuerunt taxatæ ad ſeptuplum tantum quantum anno præterito ſolverant, & inde ſolverunt unam ſolutionem (c) antequam dominus dux recederet a Leodio. Dominus Leodienſis fecit vocari eccleſias, & fecit exponi quod promiſiſſet nomine eccleſiarum, duo mille florenos Rhenenſes his (d) qui fecerant pacem. (e) Unde quælibet eccleſia poſuit xxx. marchas in S. Petro de jocalibus eccleſiarum, illi de S. Lamberto nihil.

In craſtino Catharinæ fuit clamatum palatium ſimul, & domi[illegible] cum domino Leodienſi fuit ſuper palatium, & ibi fecit legi ſententiam ſuam, quam tradiderat in ſcriptis; & interrogatum fuit a populo, an

(a) Diarium addit. *Sed manſit in campis juxta* Balzee. *Dominus Leodienſis manſit in S. Ægidio.*

(b) Diarium. *Dixit dominus de* Humbercourt *videatis ergo vobis, nos ſumus fortiores. Hoc audito verbo, quaſi major pars Leodienſium ivit ultra Moſam, &c.*

(c) Diarium. *Qua data fuit Anglicis, qui receſſerunt illo die.*

(d) Diarium. *Antonio baſtardo,* Ravesteyn, *mareſchallo Burgundiæ, & domino de* Humbercourt. *cuilibet* d. *florenos.*

(e) Cujus puncta ſequuntur & ſunt hæc.

PUNCTA PACIS.

1. Eſt quod Leodienſes ſe dediderunt ad voluntatem ducis, exceptis igne & direptione civitatis. Ad provi[illegible]dum quod juſtitia habeat curſum, omnes judiciarii qui fuerint, ſcilicet, magiſtri, ſcabini, allodiales de xii. de xxii. de xxxii. de juratis vicorum & omnes alii, annulus palatii, & pax noſtræ dominæ, in quantum cernit domini ducis terras & patrias, ſunt revocati & aboliti in perpetuum. Et ideo omnes litteræ, tituli, privilegia, & regiſtra debent tradi ad manum ducis, ad faciendum voluntatem ſuam.

2. Quod quolibet anno dominus Leodienſis prima Maii ordinabit xiv. ſcabinos, qui iv. Maii facient juramentum fidelitatis domino duci Lovanii, duobus de conſilio Brabantiæ, aut vellico Lovanienſi. Et ſtatus magiſtrorum erit abolitus in perpetuum, nec poterunt ſcabini accipere nomen magiſtrorum, ſub pœna bannitionis.

3. Quod ſcabini non poterunt judicare ſecundum malas conſuetudines aut privilegia & ſtatuta, ſed ſecundum legem ſcriptam, & ſecundum modum per dominum ducem & dominum Leodienſem ordinandum.

vellet

vellet eam tenere, & opere complere; & verbis & ſignis reſponderunt, quod ſic; & inde petitum fuit unum inſtrumentum. Quo facto, incœperunt deponere peronem, qui ſtabat ſuper fontem in foro Leodienſi. (a)

[a] In craſtino fuerunt multi demandati, ut comparerent coram principe, & fuerunt aliqui capti, & die ſequenti erectum fuit xaphardum ſuper forum, ſicut ſteterat prius, & fuerunt ſuper illud novem decollati, poſt

A quos fuerunt tres vivi ibi adducti, ſcilicet *Henry Sollé* & *ly grand Wautier* & *Adrien Bourlet*, quibus conceſſa eſt per dominum ducem vita: ſed fuerunt proclamati extra patrias Leodienſem & domini ducis. Dominus *de Humbercourt* ſtetit in domo ubi dominus Razo ſtare ſolebat, & ad eum portabantur omnia privilegia civitatis, litteræ & cartæ. Quilibet civis Leodienſis per juramentum ſuum reportavit arma quæ habebat, ſuper came-

4. Quod ſcabini non habebunt cognoſcere de cauſis extra patriam exiſtentibus, nec de hereditatibus extra civitatem exiſtentibus, nec appellabitur ad eos, ſed ad conſilium domini Leodienſis.

5. Quod ſcabini non habebunt de cauſis comitatus Loſſenſis. De his qui morantur in dominiis ducis, dux ordinabit.

6. Quod Leodienſes propter graves exceſſus ſe reddiderunt inhabiles ad habendum ſedem epiſcopalem, nec curiam ſpiritualem in Leodio; dux de conſenſu domini Leodienſis, decani, cantoris & aliorum xv. qui præſentes fuerunt, tamquam capituli, ſedem ſpiritualis jurisdictionis transfert in Lovanio, pro illis de Brabantia, comitatu Loſſenſi, & ſancto Trudone. In Trajecto pro illis de ultra Moſam & citra. In Namurco, pro illis de patria Namurcenſi, Hoyenſi & aliis aliarum partium.

7. Quod omnia privilegia, & civilitates erunt abolitæ.

8. XXXII. miniſteria erunt abolita, nec habebunt poteſtatem faciendi ſtatuta aut vexilla, aut *bonum commune*; & poterit quilibet operari de quolibet miniſterio, & habere tot famulos, ſicut voluerit, & omnia privilegia erunt caſſata, nec poterunt eis nova privilegia concedi, ſine conſenſu ducis ac ſucceſſorum ſuorum ducum Brabantiæ.

9. Quod omnes allegationes miniſteriorum ad invicem erunt nullæ, & ſub pœna capitis & bonorum, non poterunt facere novas, & reddere omnes litteras inde factas.

10. De Perone foti, quod deponeretur, & faceret inde dux voluntatem ſuam, nec pro ſigno amplius poneretur in armis, nec portabitur.

11. Quod officium firmitatis erit nullum, ſed deputabuntur aliqui ex parte cleri & populi, quod fideliter reddent compotum.

12. Abolita erit pax *de Fexhe*, & omnia ſimilia, nec fient ultra placitationes in eccleſia Leodienſi, nec choreæ, nec ludi.

13. Quod dominus Leodienſis nec civitas poſſint ponere teloneum ſuper his qui deſcendunt per Moſam, ſine conſenſu ducis.

14. Quod omnes qui fugerunt extra civitatem & patriam, & non habent gratiam dominorum ducis & epiſcopi, manebunt banniti, & bona eorum manebunt confiſcata; in patria Leodienſi, epiſcopo, & in patriis ducis, duci.

15. Quod quicumque erunt banniti extra patrias ducis, erunt banniti extra patrias Leodii & econverſo.

16. Quod qui in patria Leodienſi aut in comitatu Loſſenſi *committunt crimen læſæ majeſtatis, ſacrilegii, raptus ſeminarum*, perdent corpus & bona, non obſtante contraria conſuetudine.

17. Quod hereditates, terræ, dominia extra bannileucam & allodialia illorum qui tenuerunt partem contra dominum Leodienſem, manebunt confiſcata domino Leodienſi, & poterit de his facere tranſportationem.

18. Quod omnia rapta in Hoyo reſtituantur ſub pœna talionis.

19. Quod Leodienſes tenebuntur domino Leodienſi reſtituere damna & expenſas habitas, tam in placito, quam alias, ad arbitrium ducis.

20. Quod omnia contenta in ſententia papæ, quæ concernunt dominum Leodienſem & ſervitores ejus, erunt firma in perpetuum, cum contentis in hoc tractatu.

21. Quod illi de patriis ducis, non tenebuntur deinceps venire ad caput in Leodio coram ſcabinis, nec ad annulum palatii, nec ad peronem, nec ad pacem noſtræ dominæ, nec alibi.

22. Quod ſolvent infra feſtum S. Johannis-Baptiſtæ VI. millia Rhenenſium, pro capella fienda ad ordinationem ducis.

23. Quod Leodienſes non poterunt aſſumere arma, nec facere bombardas ſine conſenſu ducum Barbantiæ, ſub pœna CC. mill. floren.

24. Quod Leodienſes renuntiabunt omnibus allegantiis factis, & tradent duci litteras de his factas.

25. Quod Leodienſes recognoſcent ducem & ſucceſſores ſuos in advocatos ſuperiores civitatis & patriæ Leodienſis, & aſſiſtent ei, ſi fuerint requiſiti.

26. Quod omnes particulares advocatiæ illorum qui fuerunt contra dominum erunt nullæ, & manebunt domino Leodienſi, qui non poterit aliis dare, ſine conſenſu ducis.

B 27. Quod tenebuntur duci ſolvere duo millia Rhenenſium, omni anno, ratione advocatiæ, in duobus terminis in Lovanio.

28. Quod nihilominus illi de ſancto Trudone, Tungris, & *Lez*, tenebuntur ſolvere *ſummam ultime promiſſam*.

29. Quod dux & ſucceſſores ſui duces Brabantiæ, habebunt paſſagium per patriam Leodienſem, ſive in armis, ſive non.

30. Quod moneta ducis habebit curſum, ſicut in patriis ducis.

31. Quod Leodienſes, pro redemtione corporum & bonorum, ſolvent domino duci CXV. millia Leonum, quolibet ad valorem LX. groſſorum Flandriæ æſtimato, exceptis ſummis in prima pace contentis, de quibus ponent duci novam ſecuritatem.

32. Quod in ſignum victoriæ habitæ, omnes & ſingulæ portæ demolientur, & foſſæ replebuntur, nec poterunt reædificari ſine conſenſu *ducum Brabantiæ*.

C 33. Quod in Leodio nec in comitatu Loſſenſi poterunt fieri caſtra, nec fortalitia qualiacumque, exceptis his qui tenuerunt partem cum domino.

34. Quod in Tongris, *Haſſelt* & extra banni-leucam, fiet lex & juſtitia ſecundum legem ipſarum villarum, abſque nomine magiſtrorum, & appellabuntur ad conſilium domini Leodienſis; & non ad ſcabinos.

35. Inhabitantes villagia facient legem ſub pœna LX florenorum, nec appellabuntur ad ſcabinos, ſed ad conſilium domini Leodienſis.

36. Quod comitatus Loſſenſis non contribuet amplius cum Leodienſibus.

37. *Quod in villagiis nullus poterit portare arma in Vaſna*, exceptis famulis juſtitiæ domini ducis, & domini epiſcopi, & officiatorum.

38. Quod ex quo villa S. Petri prope muros Trajectenſes eſt combuſta, ubi multa homicidia committebantur, quia raD ptores & trufatores ibi indifferenter recipiebantur, de conſenſu domini Leodienſis amplius ibi juſtitia non erit, ſed erit ſub juſtitia domini Leodienſis, quam habet in Trajecto, & manebunt domino Leodienſi cenſus & reditus, ſicut ante.

39. Quod cives Trajectenſes amplius non erunt ſubjecti jurisdictioni ſpirituali, niſi ſicut fuerunt alii de Brabantia hactenus.

40. Quod Trajectenſes erunt exemti de ſolutione tallia-rum.

41. Quod omnia mandata facta per Loſſenſes & Leodienſes, erunt nulla, nec poterunt fieri amplius.

42. Quod villagia præpoſiti & capituli S. Servatii, libera ſunt & erunt a contributione civitatis & patriæ Leodienſis & Loſſenſis; & erunt defenſatæ per dominum ducem, qui eſt ibi advocatus.

43. Quod duces Brabantiæ & Lymburgi levabunt teloneum ſuum ad pontem Amari-cordis, & Chaneia ſicut prius.

44. Quod propter mortem Johannis Carpentatoris & aliorum injuſte occiſorum, dabuntur duci XII. homines, quos eliget ad faciendam ſuam voluntatem.

E 45. Quod omnes ſententiæ redditæ per illos de civitate tempore guerrarum, contra illos qui tenuerunt partem cum domino, erunt nullæ, nec poterunt præjudicium generare heredibus ſuis.

46. Quod omnia puncta contenta in pace facta cum duce PHILIPPO manebunt ſalva, dummodo iſtis non ſint contraria. *Iſtis ſic pronunciatis, magiſter Petrus* de Goux *magnus cancellarius, petivit alta voce a populo ibidem congregato, ſi iſtam ſententiam ducit vellet acceptare, complere, & jurare. Non contravenerunt, reſponderunt* oyl, oyl, *& extenderunt manus ſuas. Et converſus ad dominum Leodienſem, interrogavit an eſſet de conſenſu ſuo, reſpondit quod ſic. Similiter ad dominos de capitulo, & reſponderunt ſimiliter, & etiam a decano S. Petri, & reſpondit quod ſic. Tunc dux reſpondit, quod tenerent ſibi quod promiſerunt, ipſe eſſet eis bonus protector & deffenſor, & de omnibus his petiit dominus dux a tribus notariis ibi præſentibus unum inſtrumentum vel plura. Similiter dominus Leodienſis. Et fuerunt notarii Johannes* de Broechuſen *& Johannes de Varenna, &c.* Diarium.

[a] Diarium. *Et adduxerunt ad villam de Brugis.*

ram miniſterii ſui, & dominus dux dedit quibus voluit. Dominus Leodienſis habuit omnia bona miniſteriorum, & dedit domino *de Humbercourt* omnia bona domini Razonis.

Sabbato receſſit dominus dux verſus Hoyum, & illi qui fuerunt nominati obſides, iverunt in navi etiam uſque Hoyum, circiter CCL. qui omnes manſerunt apud Cruciferos, nec poterant alibi ire ſine licentia. (a) Dominus Leodienſis ſecunda Decembris ivit verſus Hoyum ad rogandum pro obſidibus, & redierunt ad Leodium ante Nativitatem Domini.

[a]

Epiſc. Leod. ſolemni ritu recipitur.

In feſto S. Andreæ demandatus fuit totus clerus ad S. Petrum, & iverunt omnes proceſſionaliter uſque ad portam S. Leonardi, & ibi ſtabat capitulum Leodienſe cum habitu clericali, & alii canonici qui non manſerant Leodii, cum cruce in ſuperpelliciis ſuis, & quælibet eccleſia habebat duas tædas ardentes ante, & miniſteria ſimiliter. Quibus regredientibus, ſequebatur capitulum & alii, & dominus Leodienſis ſtabat ad gradus fori in ſuperpellicio ſuo, & ſic poſt omnes ingreſſus eſt eccleſiam, & ivit ſeſſum ſub imagine noſtræ Dominæ ſub turribus. Et magiſter Johannes *de Straith*, & Alexander *Berart* cum eo, qui dixit verbum pro communitate. Quinque millia civium cum multis civibus petiverunt ibi veniam, & ſpoponderunt emendam. Dominus Leodienſis ivit in choro, & ibi demandavit prælatos, qui ſimiliter petiverunt veniam. Et dixit dominus quod reſponderet poſt prandium. Hoyenſes diſcurrebant ubique ad rehabendum ſpolia ſua, de quibus diverſimode, & non provide fuit ordinatum, & præcipue de ornamentis eccleſiaſticis multa perdita manſerunt.

Muri deſtruuntur.

In octavis Andreæ receſſit dominus dux verſus Marchiam, deinde rediit per Hoyum in Tungros, dehinc ad Trajectum, ubi ſtetit per ſeptem dies; deinde per *Haſſelt* ad *Dieſt*, & per Lovanium ad Bruxellas. In vigilia Nativitatis Domini deſtruebantur & ſubvertebantur de die in diem muri civitatis Leodienſis & oppidorum de Tungris, de Sancto Trudone, de Vizeto, & omnium oppidorum comitatus Loſſenſis.

Iſtis diebus fiebant multi tractatus, qualiter domino duci ſatisfieret de pecuniis ſibi debitis, & ordinata fuerat una gabella, ſed non potuerunt eſſe de ea concordes. Unde feria IV. clamatum fuit, quod taxati adhuc ſepties tantum ſolverent, quantum prius ſolverant, ſub pœna direptionis ſubſtantiæ eorum. Et ordinata fuit (ambaciata) tam ex clero, quam ex civibus mittenda ad dominum ducem, quia non invenicbatur modus ita cito habendi pecunias ad ſatisfaciendum domino duci. Qui in ſupplicatione ſua poſuerunt unum punctum, videlicet quod eccleſiæ reſponderent & bona ſua obligarent

Eccleſiæ pro civitate fidejubent.

erga dominum ducem pro reſiduo denariorum, in quibus civitas fuerat eis obligata. Quod punctum dominus dux noluit admittere. Quibus reverſis, miſſi ſunt illic procurator Carthuſienſium cum uno converſo, prior Carmelitarum cum uno fratre, duo Prædicatores, & duo Minores de Leodio, ad rogandum pro populo Leodienſi. Quibus dominus dux fecit reſponderi, quod demandaret dominum *de Humbercourt*, & deliberaret, & ſic dominus *de Humbercourt* ivit ad Bruxellas. Quo regreſſo, dominus Leodienſis, vocatis eccleſiis coram ſe, in palatio fecit proponi per magiſtrum Johannem *Potteal*, quem elegerant in præſidentem, quomodo, mediante nobili & metuendo domino *de Humbercourt*, qui præſens erat, obtinuiſſet apud dominum ducem pro ſalvatione populi & civitatis, quod ſi eccleſiæ vellent reſpondere & fidejubere pro reſiduo ſolutionis ſummæ domino duci debitæ, & obligare bona ſua erga ipſum, ipſe eſſet contentus. Et lecta fuit ibi littera obligationis, qua perlecta, videbatur eccleſiis, quod res eſſet impoſſibilis ad quam petebantur obligari, unde inſtanter petebant ſupportari. Eccleſia major non ſic intelligebat cedulam, ſicut aliæ eccleſiæ, & intendebat condeſcendere. In craſtino iterum fuerunt congregatæ, ſed non poterant convenire in unum: unde dominus Leodienſis demandavit prælatos omnes ſuper juramento ſibi præſtito, ut coram eo in craſtino, id eſt in die Julianæ virginis, in propriis perſonis coram eo comparerent. Et ſimiliter omnes eccleſias ad audiendum quidquid ibi proponeretur. Qui comparuerunt omnes in aula palatii domini Leodienſis, excepto abbate S. Laurentii, qui adhuc erat Lovanii. Et venit ibi dominus Leodienſis & magiſter Johannes quem elegerat in præſidentem: qui magiſter Johannes propoſuit in Latino tenorem cedulæ & explanavit ſingula puncta, quomodo debebant intelligi, quia non loqueretur de obligatione corporum ſuorum, nec mobilium aut patrimonialium, ſed ſolum de bonis menſæ capitularium; & rogavit dominus Leodienſis quod vellent ei aſſiſtere in conſervatione tam inclytæ civitatis, quæ omnino iret ad nihilum, niſi per prædictum modum eccleſiæ ſe obligarent. Et dixit, quod libenter ſe obligaret cum eis. Tunc prælati tracti ſunt ad partem per ſe; & abbas ſancti Jacobi interrogatus reſpondit, quod ſalvo juramento ſuo libenter faceret quidquid poſſet, & ſimiliter alii prælati; ſed de S. Laurentio abbas non erat præſens, & fuerant ibi miſſi prior cum fratre Adriano, qui ſatis arguebat contra, & videbatur ſibi quod res iſta vergeret ad malum finem. Eccleſiæ aliæ ad partem tractaverunt per ſe. Poſt horam venit dominus Leodienſis ad audiendum reſponſum; & reſpondit magiſter Judocus de Marka pro majori eccleſia, quod petitioni domini Leo-

(a) Diarium. *Et mane & veſpere vocabantur nominatim per cedulam.*

dienſis vellet condeſcendere, mediantibus tribus punctis, ſcilicet quod bona dereſtarentur, quod littera in bona forma interpretaretur, & quod rehaberent bonam e converſo ſecuritatem a civibus & populo, ſalvis juramentis ipſorum & ſedis apoſtolicæ auctoritate & obedientia; & quod prælati ſe conformarent eccleſiæ matrici. Illi de S. Laurentio reſponderunt, quod ex quo abbas eorum non eſſet præſens, quod ea quæ viderant & audierant ſcriberent ſibi, & ſperarent, quod in tam arduo negotio bono uteretur conſilio. Tunc dominus Leodienſis gratias egit illis de majori, & prælatis, ſed petebat quod illi de S. Laurentio plenius reſponderent, quia dominus Leodienſis bene confidebat in abbate ipſorum, & dixit dominus Leodienſis iſta verba: *Je ſoy vous deſeutrains abbé vous poveis bien faire.* Magiſter Judocus accepit verbum & dixit, ipſi bene volunt quantum in ipſis eſt; illi reſponderunt, quod loquerentur cum conventu ſuo. Decanus S. Petri dixit ex parte eccleſiarum, quod auditis propoſitis, interpretatio cedulæ daretur eis in ſcriptis, ipſi deliberarent, & de mane reſponderent. Dominus Leodienſis dixit quod ibi deliberarent, quia oporteret ipſum de mane dare reſponſum ſuper iſtis. Igitur omnes conſenſerunt, exceptis illis de S. Paulo & de S. Johanne, quibus dominus Leodienſis valde indignabatur, & fuit dictum, quod ſi vellent aut nollent, ipſi facerent. Qui videntes ſe non poſſe reſiſtere, dederunt conſenſum. Et miſſus eſt decanus S. Petri Godefridus de Hannuto verſus Bruxellam pro dereſtatione bonorum, & pro cauſa præſenti & aliis. Et dominus dux acceptavit oblata per dominum Leodienſem & eccleſias Leodienſes.

Decano reverſo, fecit dominus Leodienſis eccleſias & populum Leodienſem vocari coram ſe in aula palatii, ubi cum præſidens expoſuiſſet ea quæ per dominum Leodienſem & eccleſias Leodienſes acta fuiſſent in ſublevamine ipſorum, & lecta cedula ſecuritatis quam clerus e converſo repetivit habere a laïcis, ſcabini vocati petiverunt copiam & terminum deliberandi.

In ſabbato, hoc eſt quinta menſis Martii, clerus & populus iterum fuerunt vocati coram domino ad faciendum ſtipulationem ſecuritatis, quam clerus poſtulaverat; ſed quia ſabbatum erat, & unus decollabatur in foro, pauci valde comparuerunt. Prandio facto, cum buccina vocati ſunt iterum cives in palatio, & obligaverunt ſe & corpora & bona ſua erga eccleſias, pro reſtitutione omnium damnorum & intereſſe, & tenerent eos indemnes pro cauſa fidejuſſionis pro eis.

Septima Martii eccleſiæ & prælati omnes congregati in capitulo eccleſiæ Leodienſis, obligaverunt ſe mutuo ad ſupportandum uniformiter, ſi quæ damna reſpectu iſtius fidejuſſionis alicui evenirent. Et abbas Vallis S. Lamberti, & abbas Belli-reditus, & prior S. Ægidii, prior Scholarium, & illi de S. Cruce, & aliæ eccleſiæ, quæ non habent bona in Brabantia, obligaverunt ſe erga alias eccleſias, ad ſupportandum omnia onera, unuſquiſque pro quota & parte ſibi contingente. Penultima Martii clerus diœceſis fuit congregatus in S. Petro, & fuit conceſſum domino Leodienſi caritativum ſubſidium, ſicut habuerat in jocundo adventu ſuo. Prælati tamen multi Brabantiæ *miſerunt procuratorem* ad excuſandum ſe, eo quod eſſent congregati Bruxellæ cum ceteris ſtatibus patriæ, ideo non poſſent venire. Interim miſſum eſt verſus Lovanium, ad vendendum penſiones ſuper bona eccleſiarum Leodienſium exiſtentium in Brabantia, unde fuerunt multi diſcurſus & tractatus varii, quia dicebant doctores quod non poſſet fieri, niſi haberetur conſenſus ſummi pontificis. Poſtea tamen cum quibuſdam propinis, aliquibus per decanum S. Petri factis aut promiſſis, publicatum eſt per Brabantiam, ut quicumque vellet emere penſiones vitales ſeu hereditarias ſuper bona eccleſiarum Leodienſium infra limites patriæ Brabantiæ exiſtentium, veniret Lovanium; & ſic venditæ *fuerunt* penſiones aſcendentes ad ſummam XXIV. millium florenorum Rhenenſium. De qua ſumma dominus dux habuit XX. millia, reliqua diſtributa fuerunt pro expenſis & diverſis conſiliariis hinc inde, pro laboribus, & non provide, ſecundum gloſam. Litteræ valde difficulter fuerunt ſigillatæ, & ex modo procedendi, prænoſticaverunt prudentes parum utilitatis de iſta venditione proventurum.

Diæta Bruxellis.

In fine Martii receptæ fuerunt Leodii litteræ domini legati apoſtolici, quod venturus eſſet in die Palmarum in Colonia, & inde veniret ad Leodium, ad relaxandum interdictum, & dominus Leodienſis præparavit ſe ad celebrandam primam ſuam miſſam prima Maii; ſed legatus de calculo cœpit infirmari, & ſic tardius venit quam ſperabatur, miſſaque eſt ei obviam una ambaſſiata, tam ex parte domini Leodienſis, quam ex parte eccleſiæ & eccleſiarum (*a*) uſque ad Coloniam, & cœpit eccleſia Leodienſis ornari & præparari ad novam miſſam domini, & receptionem legati, ſicut eſt de more, ſolemniter. Igitur XXVII. Aprilis venit legatus in navi de Trajecto, & ivit dominus Leodienſis in occurſum ejus cum omnibus equeſtribus, & introduxerunt eum ad domum Carthuſienſium prope Leodium; fueruntque ibi facti tractatus cum eo de danda cautione, & interdicti relaxatione, ſicque convenerunt ultima Aprilis, mediante domino Leodienſi, eo quod in craſtino præparaverat ſe

Legatus papæ ſolemni pompa excipitur.

[4]

[a] Diarium. *Miſit dominus Leodienſis cancellarium Hermannum, capitulum vero magiſtrum Johannem de Arcu, ſecundarie eccleſie decanum S. Martini, magiſtrum Johannem de Straelbe.*

ad celebrandam ſuam primam miſſam, quod hora ſecunda poſt prandium, totus clerus congregatus in S. Lamberto proceſſionaliter ivit obviam legato uſque ad montem Carthuſienſium, vel pontem Amari-cordis. Et ſic fuerat diſpoſitum, quod quando legatus intraret primam portam civitatis, relaxaret interdictum, & unus ſtans ſupra portam, levaret ſignum. Quod cum cernerent cuſtodes S. Lamberti pulſarent majorem campanam, & deinde pulſarentur ſimul omnes campanæ, quæ erant in Leodio. Quod ita factum fuit. Et ductus eſt legatus proceſſionaliter uſque ad gradus eccleſiæ Leodienſis, ubi ſtabat dominus Leodienſis in habitu clericali, & recepit eum, & introduxit in eccleſiam Leodienſem. Et in eccleſia exiſtens legit ex libro quaſdam orationes, & relaxavit interdictum, aſpergendo aquam benedictam hinc inde; & incœptum eſt cantari *Te Deum laudamus* & *Salve Regina miſericordiæ*, & pulſata campana ad *Ave Maria*, ſicut fit in ſabbatis. Deinde dominus legatus ductus eſt ad altare majus, ubi fecit orationem, & ſic ivit ad S. Jacobum. Lector Carmelitarum (*a*) aſcendit analogium, & ad habendum perpetuam memoriam, publicavit omnibus vere pœnitentibus & confeſſis qui ultima Aprilis & prima Maii matutinis, miſſæ & veſperis intereſſent in eccleſia ipſa majori, pro qualibet ipſarum horarum a ſummo pontifice XL. dies pœnitentiæ relaxari. Et dictum eſt omnibus de clero quod in craſtino, hora ſeptima de mane cum cappis intereſſent primæ miſſæ domini Leodienſis.

[*a*]

Dominus Leod. primâ miſſam celebrat.

Igitur prima Maii hora octava de mane, clero congregato in eccleſia S. Lamberti, foribus ipſius eccleſiæ clauſis, & cuſtodibus ad ſingulas januas poſitis, honeſtioribus civibus intromiſſis, ceteris propter tumultum excluſis, religioſis ſtatibus in inferioribus formis chori Leodienſis, nobilibus & ſcutiferis in altioribus, omnibus canonicis & capellanis in navi eccleſiæ ordinate diſpoſitis, cantoribus S. Lamberti in medio eccleſiæ, cantoribus ſecundarum eccleſiarum ad aquilam ordinatis, abbatibus mitratis & non mitratis ſupra preſbyterium ad dexteram, novem militibus cum torquibus deauratis ad ſiniſtram collocatis, dominus LUDOVICUS DE BOURBON, præcedentibus ceroferariis, diaconoque cum ſubdiacono, & domino HONOFRIO epiſcopo Tricaricenſi, apoſtolicæ ſedis legato, in habitu legationis ſuæ, ſine ſuperpellicio ſedente in forma, ubi epiſcopi Leodienſes tempore majoris miſſæ ſtare ſolent, pontificalibus indutus, proceſſit ante altare, & dicto *Confiteor* incœpta eſt miſſa de Sancto-Spiritu. Dominus JOHANNES epiſcopus Liberienſis, erat director ſuus ad demonſtrandum officium; dominus Wilhelmus *de Clygny* protonotarius papæ portabat baculum, deponebat & reponebat mitram tempore congruo magiſter Raimundus. Ipſe autem magiſter legebat quod cantabat officium. Milites cum pelvis argenteis ſerviebant ad lavandum manus poſt & ante conſecrationem; & poſt *Agnus Dei*, dedit dominus Leodienſis trinam benedictionem ſuper populum; ſed poſt miſſam vertit ſe ipſe & omnes prælati verſus legatum, & depoſitis, tam per dominum Leodienſem, quam per prælatos mitris, proſtraverunt ſe omnes ſuper genua ſua, & dicto verſu, *Sit nomen Domini benedictum, &c.* dedit legatus benedictionem ſuper populum ultimam. Et completa miſſa; facta eſt proceſſio in circuitu fori & ſuper zabuletum, excundo & redeundo ante palatium; & portavit dominus Leodienſis Sacramentum per totam proceſſionem, & tunc populares primo crediderunt quod ipſe eſſet epiſcopus eorum LUDOVICUS DE BOURBON, quem æſtimaverant mortuum in bello iſto, ſicut ferebatur. Comederuntque eadem die prælati & domini de majori cum epiſcopo in palatio. Tempore proceſſionis dominus Wilhelmus *de Clygny* protonotarius portavit baculum paſtoralem utriſque manibus ante dominum Leodienſem. In die S. Crucis facta eſt ſpecialis miſſa in S. Lamberto propter legatum, & in proceſſione dominus Leodienſis ivit in cappa cum canonicis.

Octavo Maii legatus fecit congregari totum clerum civitatis Leodienſis, & omnes preſbyteros eccleſiarum parochialium cum matriculariis ſuis, & ſimiliter populum civitatis in eccleſia majori; & veniente legato cum domino Leodienſi in medio eccleſiæ, populus civitatis proſtravit ſe coram legato, & per vivam vocem magiſtri Huberti de ordine Carmelitarum, petiit venlam, & ſubmiſit ſe ſententiæ apoſtolicæ. Deinde vocati fuerunt prælati eccleſiarum & monaſteriorum, poſtmodum priores aliorum ordinum, ultimo parochiales preſbyteri, qui ſimiliter petita venia, ſubmiſerunt ſe ſententiæ apoſtolicæ. Quo facto, legatus fecit legi alte coram omnibus bullam ſuæ legationis, qua perlecta, removit interdictum, & relaxavit omnia, quæ ex interdicto non obſervato fuerunt ſubſecuta, ſupplens omnes defectus tam juris quam irregularitatis, & ſic quilibet ivit ad propria. In feſto Pentecoſtes, convocatis omnibus eccleſiis, etiam clauſtralibus, legatus celebravit majorem miſſam in S. Lamberto, & dedit benedictionem ſolemnem, ſtando ad latus dextrum altaris: poſt offertorium ante canonem, fuitque facta proceſſio ſolemnis ante miſſam, mendicantibus præcedentibus, & religioſis aliis ſecundum ordinem ſubſequentibus; deinde canonici cappis induti, poſtmodum abbates, & dominus epiſcopus Leodienſis cum epiſcopo Liberienſi in pontificalibus, dehinc dominus legatus inter diaconum & ſubdiaconum.

Legatus ſol. vit interdictū & ſupplet omnes defe. ctus.

[*a*] *Frater Hubertus.*

Et facta processione per utrumque claustrum, cantata est missa per clerum & mendicantes, sicut est de more fieri in missis specialibus.

Exequiæ Philippi ducis Burgundiæ.

Feria quinta sequente factæ sunt exequiæ domini Philippi ducis Burgundiæ in ecclesia Leodiensi, cum multis tædis & luminaribus, quantum ad vigilias, & feria VI. cantata est missa; eadem feria VI. cantatæ fuerunt vigiliæ pro fratre domini Leodiensis & sorore ejus pariter, & in crastino missa, & pulsatum fuit his tribus diebus per omnes ecclesias ex mandato domini Leodiensis.

His diebus dominus Leodiensis, quia attraxerat & confiscaverat omnia bona ministeriorum Leodiensium, magnificavit statum suum, & quotidie armigeros habebat dictos, *Frank archiers*, & mimos & tibicines, ad exemplum domini ducis Burgundiæ, licet non in tanta copia, & fecit deponi domunculas barbitonsorum & pellificum ante palatium. Quotidie tamen deponebantur muri, & cives unus post alium describebantur ad solvendum septem pagamenta, vel intrare hostagia. Et quia guerra iterum incœpit inter regem Franciæ & dominum ducem Burgundiæ, incœperunt Leodienses inter se multum murmurare. Dominus *de Humbercourt* manebat in domo *Cloys de Amayn*, super pontem insulæ, & fecerat fieri pontem retro domum illam eundi ad Prædicatores ad missam. In illis diebus dominus Leodiensis revocavit Eustachium *de Hosden* de villicatu Leodiensi, & dedit villicatum Jacobo, *de Moxialwez*, unde multi mirabantur. Eykenses multum laborabant ad hoc quod muri villæ ipsorum possent salvi remanere, & promiserunt multa diversis personis, sed parum profuit ipsis. Illi qui cum domino Leodiensi erant, bene voluissent quod dominus *de Humbercourt* fuisset in patria sua, quia propter ejus præsentiam multi volebant perperam agere, sed non poterant.

Discordia inter regem Franc. & ducem Burgundiæ.

In principio Augusti dominus dux demandavit dominum *de Humbercourt*, qui veniret ad colloquium sibi. Quo recedente, videbatur aliquibus, quod rem haberent ad nutum, & cœperunt boni cives in Leodio satis timere, quia fama incœpit volare quod fugitivi vellent reverti, quia primo ceperunt fortalitium *de Montfort* in Condrosio, & occisis his, qui intus erant, diripuerunt omnia quæ invenerunt. In comitatu Lossensi, XII. fuerunt capti, & in diversis locis rotati. Corpus Wilhelmi de Violetta extractum fuit de cimiterio, & projectum in Mosa.

Nuptiæ ducis Burgundiæ.

Tertia Julii dominus dux Burgundiæ celebravit in Brugis nuptias suas, ducendo sororem novi regis Angliæ, MARGARITAM nomine in uxorem; & post. XV. dies descendit in Hollandiam. Ivit dominus Leodiensis versus Bruxellam, ad visitandum dominam ducissam, fuitque ibi ambassiata regis Franciæ, & moniti sunt omnes feodales ducis & stipendiarii ut octava Augusti essent parati.

Fugitivi invadunt Bullonium.

Circa IV. Augusti fugitivi de Leodio associatis sibi circiter CCCXL. intraverunt villam *de Boulhon*, & nisi fuerunt capere fortalitium, sed non potuerunt. Item, aliqui ex ipsis nisi fuerunt occidere receptorem domini Leodiensis in *Franchimont*, unde missi sunt ibi aliqui ex parte domini, qui combusserunt tres domos in *Pollour*. Quapropter Johannes *Beasen* unus fugitivorum, cum aliis incendit domum magistri Gerardi Campsoris in *Fleron*, & observaverunt ignem, nec movit se aliquis ad resistendum.

In diebus illis fiebat pons ligneus inter domum scabinorum Leodiensium & Violettam, quæ prius erat domus magistrorum & consulum, sed tunc residebat ibi consilium domini Leodiensis ad judicandum, ut de una domo possit transiri ad aliam. Facta etiam una navis cum tabulis ligneis camerata pro domino Leodiensi, ad transeundum supra Mosam, in cujus mali summitate aptatus fuit locus ubi quatuor mimi cum buccinis & musicis instrumentis canere deberent. Hæc navis in crastino Bartholomæi de foris cum viridi colore depingebatur, quia dominus Leodiensis eodem die in ea ad Trajectum ire debebat. Et ecce de mane circa octavam horam, cum dies clara esset, subito de quadam nubecula exiit fulgur, & factum est tonitruum, & tonuit tres magnos ictus, & non plures, unde multum stupefactus mirabatur populus, dicens se numquam simile vidisse, deprecans Deum, ut aliquid boni significaret. Qui hæc scripsit, illa hora erat Leodii in insula, vadens ad S. Jacobum. Cumque interrogasset dominum Arnoldum, seniorem monachum S. Jacobi, quid hoc tonitruum prænosticaret, respondit quod dominus terræ haberet pati in brevi. Igitur dominus Leodiensis cum magna jocunditate eadem die ivit ad Trajectum, in navi prædicta, & deinceps civitatem Leodiensem non vidit, nisi quando de Tungris captivus ductus fuit. In fine Augusti dominus *de Humbercourt* dicebatur scripsisse litteras domino Renardo & domino *de Corswarem*, ut apponerent diligentiam ad custodiendum passagia; unde dominus *de Corswarem* misit ad sanctum Laurentium, ad habendum unum equum, similiter ad S. Jacobum. Sed nuntius dixit quod satis tempestive haberent eum feria secunda aut tertia sequente. Et ecce in crastino Nativitatis nostræ Dominæ, hora VII. de mane, venit nuntius in Leodio, quod fugitivi in magno numero essent in Seranio, & occupassent vada Mosæ. Unde multi ex civibus accesserunt ad villicum, & petierunt, quod possent portare arma, & præpararent se ad resistendum, sed non concessit. Igitur fugitivi, qui ordinaverant quod hora VI. de mane debuissent per tres portas Leodienses intrare, & omnes Burgundiones in lectis suis

Fugitivi omnia vastant,

inventos occidere, videntes quod denudatum esset consilium eorum per prædictum fugitivum, omnes quos invenire poterant ultra Mosam constrinxerunt per juramentum, quod eis adhærerent, disseminantes famam, quod essent bene xxx. millia. Cumque expectassent ibi diu, & vidissent quod nemo eis resisteret, incœperunt transire Mosam, & statim percurrentes villas de Flemalia, & Gemeppia, compulerunt omnes eis jurare fidelitatem. Cœperunt igitur multiplicari; & valde fuit mirabile, quia hi qui Leodii erant, & populum subjectum habebant, ista non ignorabant, tamen remedium non apponebant. Circa x. autem horam cum fama celebris de adventu istorum pervolaret, dominus Renardus *de Roverear*, dominus Jacobus *de Morialmez* villicus, & dominus Quintinus, assumtis secum sociis Montis-publici, ut viderunt multitudinem tumultuantem, retrogressi sunt, & quilibet prout potuit, fugam arripuit, villicus & alii, qui rem præsciverant, tute evaserunt per montem S. Walburgis. Alii qui fugeruut per *Herstal* omnes exspoliati fuerunt usque ad camisias. Similiter illi qui fugerunt ab alia parte Mosæ, exspoliati, aut occisi, aut submersi fuerunt. Unus vero nobilis canonicus Leodiensis, dictus dominus Johannes *Bau* ibidem fuit strangulatus, multique alii male tractati. Eratque videre in civitate Leodiensi miseriam; nam boni cives audientes fugam villici & aliorum, videntes se desolatos & sine armis, fugerunt in ecclesiis & in canonicorum domibus. Hi vero qui de Francia venerant, obvium habuerunt fugam arripientem Amelium *de Vellerez*, quem comprehensum attraxerunt ad partem suam, & factus est eorum prælocutor. Igitur cum tumultu magno, & in furore discurrentes per civitatem, occupaverunt domos fugitivorum, collocantes se in eisdem. Vincentius autem *de Buren* capitaneus eorum, cui fidelitatem promiserant, illa nocte locavit se cum domino Johanne *del Ville* in palatio episcopi. Et quia legatus tunc erat in S. Jacobo Leodii, in crastino principaliores ex ipsis accesserunt ad eum, & prosternentes se coram eo, petiverunt veniam, & petierunt indulgentiam & absolutionem, & cognoverunt se male feciſſe, exponendo se proprio domino suo, quem volebant, ut dicebant, recognoscere, & ei posse tenus satisfacere; & rogaverunt legatum, quod vellet inter ipsos & dominum Leodiensem bonus mediator esse. Legatus respondere fecit eis, quod quando concordes essent cum domino Leodiensi, tunc absolveret eos. Juſſit tamen quod clerus divinum officium continuaret, nec propter ipsos cessaretur.

Convocantes igitur palatium simul, prædictus magister Amelius proposuit . . . .

In crastino Nativitatis nostræ Dominæ, de mane nuntiatum fuit Leodii, quod rivagium circa *Gemeppe* (armigeris) esset plenum. Villicus & dominus Renardus de *Roverear* ascensis equis, iverunt ad videndum, sed cum vidissent tumultum, fugerunt versus Trajectum. Amelius *de Wellem* cum fugeret, venit eis obviam, & tentus ab eis, promisit se eis adhærere, fuitque capitaneus eorum Vincentius *de Buren*, cui omnes promiserunt fidelitatem, & post eum dominus Johannes *de Ville*, & proles de *Straith*, & non fuerunt in numero ccxt. sed multi de Leodio, audito adventu eorum, iverunt ad eos, & junxerunt se eis. Ordinaverantque inter se, quod summo mane intrarent Leodium per tres turmas, scilicet per portam S. Walburgis, S. Martini, & per portam Auroti, & omnes Burgundiones occiderent super lectum, hominibus domini Leodiensis nihil facerent, quia vellent eum recognoscere, & veniam petere. Sed hanc ordinationem impedivit unus qui fugit ab eis, & nuntiavit in Leodio. Quapropter in nova villa, & circum rivagium constrinxerunt omnes ut eis adhærerent, & equos quos invenerunt tulerunt. Intraveruntque civitatem circa horam xi. & clamantes *Vivat rex*. Erantque in pauperrimo habitu, pleni penuria & squalore. Pauperes civitatis & vulgares statim associaverunt se eis, accipientes statim crucem rectam. Illi autem cum impetu currentes, famaverunt quod essent xiv. millia, & fregerunt omnes domos illorum quos noverant favere duci Burgundiæ, auferentes arma & omnia. Et si quos invenerunt, occiderunt; scilicet unum presbyterum ad S. Severinum, de familia domini Leodiensis, unum ante S. Hubertum, duos ante palatium, famulum domini Renardi in foro, unum in Gerardera, item supra pontem, unum ad S. Petrum, fuitque grandis tribulatio, quasi per tres horas. Capitaneus intravit palatium, alii intraverunt domos civium & canonicorum indifferenter, comedentes & bibentes quæ invenerunt. Illi qui fugerunt per portam S. Walburgis, salvi fuerunt; qui vero fugerunt per Herstallium, capti fuerunt & spoliati; aliqui usque ad camisias, aliqui retinuerunt wambosia, aliqui etiam ibi fuerunt occisi. Ab alia parte Mosæ unus capellanus S. Pauli fuit submersus, *Merbais* fuit captus, dominus Johannes *Bau* fuit strangulatus, canonicus Leodiensis juxta *Wande*, aliique male tractati. Boni cives non audebant manere in domibus, sed dormierunt multi in ecclesiis. Si dominus Leodiensis veniſſet statim, habuisset assistentiam: sed quia retardavit, omnes *de Franchimont* & de rivagio accurrerunt, & de comitatu Lossensi, quorum capitaneus fuit Johannes *de Lobors*. In crastino iverunt ad legatum in S. Jacobo, & petebant absolutionem. Legatus respondit benivole, quod impetrarent gratiam domini Leodiensis, ipse tractaret eos gratiose. Et vocato palatio simul, proposuerunt se repor-

taſſe franciſias & libertates, & ergo deberent bene tractari. Et quia multi erant male veſtiti, illi qui vendebant pannos, debebant eis ſubvenire, & deputati aliqui qui irent ad dominum Leodienſem cum legato, ad habendam gratiam ejus.

Dominus Leod. ſtiare quirit.

Item, XIV. Septembris legatus cum deputatis ivit ad Trajectum, ſed dominus *de Argenteal* tenuit eos, ſed legatus reſpondit, & dominus Leodienſis ſcripſit pro eis, & ſic dimiſit eos. Dominus Leodienſis requiſivit tria. Primo, quod illi qui redierunt de Francia, deponerent arma, & irent ad unum locum, quem dominus nominaret. Secundo, quod illi qui in Leodio ſumſerunt arma, quod deponerent. Tertio, quod rumperent vexilla. Johannes *Beaſen* & filii de *Straith* reſponderunt quod non facerent. Ordinaverunt unam reſponſionem domino dandam, ſed dominus non acceptavit.

Cœperunt igitur ſe erigere, & operari ad muros, ponendo lapides ſuper lapides, & conſtruere portas, & facere arma, & quærere ſagittas. In die S. Matthæi venit legatus de Trajecto, & exierunt ei obviam domini qui manſerunt de capitulo, & ſtabat populus ordinate ſuper forum & per plateas, uſque ad portam S. Leonardi. Et legato intrante, factum eſt ſubito tonitruum, ſicut factum fuerat in craſtino Bartholomæi, ſed tres ictus tantummodo, & poſt modicum cecidit grando. Igitur legatus ivit ſæpe ad dominum & rediit. Tandem dominus congregatis armigeris, & Trajectenſibus, venit in *Slins*, & ſtatim venit fama, quod magiſter Garinus veniret in Leodium cum magna multitudine Francigenarum, & ſtatim diſperſi ſunt omnes, & fugerunt.

In die Michaëlis dicebatur quod eſſet pax, & omnia debebant indulgeri ab utraque parte; & in craſtino dominus fuit in campis ſupra *Leers*; & legatus cum Leodienſibus iverunt obviam ei, quia debebat redire. Sed venit ſibi littera de duce, qua lecta, retroceſſit; & dicebatur quod ſi veniſſet, fuiſſet in periculo, quia in foro fuerunt armati, & trahebant colubriſſas. Quos cum vidiſſet legatus, timuit; & Amelius *de Velru* dixit eis. O vos domini, quid facitis iſtud? non fuit ſic ordinatum, quilibet deponat arma, & ſtet gratioſe. Reſpondit Ægidius filius Johannis *Dameoude*: Quid, nonne oportet nos eſſe ſuper cuſtodiam noſtram? non deponemus. Et ipſe cum ſuis habens vexillum in brachiis, ivit ſupra pontem.

In die Remigii hora IV. ordinavit legatus Ægidium *de Lens* & Amelium *de Velleroux* in magiſtros civitatis Leodienſis. In diebus illis non erat rex in Iſraël: ſed Johannes *Beaſen* & Ywanus habebant wamboſia de damaſco, & cum magna cauda ambulabant per plateas. Johannes *de Loboſ* prævaluit cum Teutonicis, quia ſemper erant C. vel CXX. ſequentes eum, quod multis diſplicuit. Longum eſſet ſcribere per ſingula.

In profeſto S. Dionyſii circa horam IV. venerunt litteræ de Tungris ad illos qui erant Leodii, quod dominus Leodienſis eſſet ibi, & dominus *de Humbercourt* eſſet ibi venturus hora quinta; & quod ſi Leodienſes ibi venirent in nocte, antequam eſſent debite ordinati, facerent magnam confuſionem. Circa quintam igitur horam dominus Johannes *de Ville* congregavit ſuos, & exiverunt per unam portam. *Goes de Straith* aſſumſit ſuos, & exivit per aliam portam. Johannes de *Loboz* habuit ſuos in prato ante S. Laurentium, & eduxit eos, & omnes iverunt verſus occidentem, girando per Haſbaniam.

Illo ſero dominus *de Humbercourt* petivit a domino Leodienſi habere cuſtodiam vigiliarum. Dominus Leodienſis reſpondit, quod ſecurus eſſet, ipſe veniret primo, ſed in craſtino haberet. Circa horam X. iterum miſit ad dominum Leodienſem. Dominus Leodienſis reſpondit eodem modo, quia nuntii domini fuerant uſque ad braxinas, & neminem invenerunt in itinere. Leodienſes vero iverunt per *Livvaige*, & intraverunt in Tungris per viam quæ venit de *Haſſelt*; & ſtatim invaſerunt domum in qua locatus fuit dominus *de Humbercourt*. Famuli ſui defenderunt ſe quantum potuerunt, quorum novem fuerunt occiſi circa horam XI. noctis. Ipſe autem ſubito expergefactus, induit ſe & armavit, & deſcendit in hortum, & irrumpens per ſepem, pervenit ad domum in qua dominus Leodienſis erat cum legato. Cumque ibi eſſet occulte operto vultu, non cognoſcebatur. Poſt modicum venit ibi dominus Johannes *de Ville*, & dixit ad dominum Leodienſem, quod oporteret eum ire cum eis, quia vellent eum recognoſcere, & facere quæ deberent. Dominus reſpondit quod non auderet ire, quia neſciret quos ſecum duceret. Reſpondit dominus Johannes, quod omnes haberent ſalvum conductum exceptis traditoribus. Dominus Leodienſis interrogavit quos tenerent pro traditoribus; ipſe reſpondit, qui jam ut tales fuerunt proclamati, ſcilicet dominus Johannes de Seranio, & alii. Et dominus *de Humbercourt* qui ſtabat retro, dixit domino Leodienſi in auricula, ut interrogaret de ipſo. Et dominus: & quid dominum *de Humbercourt* tenetis de traditoribus? Reſpondit dominus Johannes, non certe, ſed teneo eum pro probo & ingenuo milite. Et addidit: Eſt ipſe hic? Et ut cognovit eum, ſtatim intulit deponendo galeam & inclinando ad terram; domine, qui jam ſunt fortiores? Reſpondit dominus *de Humbercourt*: certe vos eſtis modo fortiores. Et dominus Johannes, ſi ſumus fortiores, oportet quod reddatis vos. Ipſe reſpondit, non reddam. Et alius, oportet, inquit, quod faciatis. Tunc reſpondit: ſi oportet, inquit, quod reddam

me, libentius faciam ad vos, quam ad alium, A ſed cum certis conditionibus, videlicet quod non deponam arma, nec me faciatis ſumere ſignum regis, id eſt crucem rectam, nec introducetis me in Leodium, & dabitis mihi inducias XL. dierum, ad diſponendum negotia mea, & tunc me deliberabo ad manus veſtras in loco deſignato, & hæc promittetis mihi ſervare in manu domini Leodienſis & legati. Iſta dominus Johannes in manu domini Leodienſis promiſit & in manu legati; & tunc dominus *de Humbercourt* ſe reddidit B ad manus ejus ſecundum præmiſſa. Et qui hæc ſcripſit ex ore ejus audivit.

Dum hæc agerentur, magna fuit turbatio in oppido. Omnes fugam arripuerunt ſicut potuerunt, alii in camiſiis, alii in tunicis, alii per aquam natantes, pauciſſimi in equis fugientes. Dominus de Scranio fuit occiſus in foro, caſtellanus *de Lymborch* fugit in camiſia, dominus *d'Argenteal* protonotarius, Johannes de Buſco, omnes captivi ducti in Leodio: ſed fecerunt ſibi amicos de mammona iniquitatis, per eos injuſte collecta, & non ſunt in publicum adducti, ſed ſecrete abire permiſi.

Interim magnus occurſus fuit in domo ubi dominus Leodienſis erat, clamatum, nos volumus habere dominum, qui vadat nobiſcum. Dominus Leodienſis fuit in timore, ſed habuit conſilium, quod equi ſui adducerentur & famuli, & factum fuit, & ſic dominus & legatus deſcenderunt, & iverunt cum eis. Dominus *de Humbercourt* manſit ſuper ſolarium. Poſt modicum tamen deſcendit inferius in camera. *Goes* dixit quod veniret ad eum, ipſe vellet ſibi loqui. Dominus *de Humbercourt* reſpondit, quod ſi D vellet ſibi loqui, quod deſcenderet de equo, & veniret ad eum in camera. Tunc *Goes* deſcendit de equo, & venit ad eum; & viſo eo, depoſuit galeam, & fecit reverentiam, & tunc ille reſumſit audaciam, quia putavit ſe eſſe traditum; & interrogavit a *Goes*, quid vellet. Ipſe reſpondit: oporteat quod veniatis nobiſcum. Ipſe reſpondit, quod non iret. *Goes* dixit, quod oporteret eum venire, alioquin totus populus rediret, & eſſet in maximo periculo. Tunc multum timens dixit, quod non iret, niſi haberet album palafridum ſuum. Statim quæſitus fuit & ſibi adductus, & ſic aſcendit. Cumque veniſſet ante E portam, invenit adhuc dominum Leodienſem & legatum ibi prope, & miſit ſtatim unum de ſervitoribus ſuis ad dominum Johannem *de Villes*, ad quem ſic inquit: Domine eſt iſta fides quam promiſiſtis mihi? Dominus Johannes reſpondit: Domine, quod promiſi vobis libenter ſervabo, ſi poſſum, ſed, ut videtis, non ſum ſolus. Et ille: Benefacietis, ſi volueritis; faciatis clamari per ſonitum buccinæ, quod omnes exeant de Tungris, & tranſeamus nos ad partem ſub arboribus illis. Et populo congregato, dominus Leodienſis cum legato, & omnibus ſequentibus, ibit verſus Leodium, ego manebo hic, & facietis clamare alte, quod unuſquiſque ſequatur dominum Leodienſem, & dominum *de Humbercourt* ad Leodium. Sic factum fuit, & ipſe cum maxima ſubtilitate & difficultate, quia oportebat eum iterum tranſire per Tungrim, evaſit, & venit ad S. Trudonem, habuitque ſecum IX. de ſervitoribus ſuis in tunicis tantum, pedes euntes ſecum, & unum de Leodio, qui duxit eum, nec habebat unum denarium. Venitque in ſancto Trudone, & illi de oppido dederunt ſibi CC. Rhenenſes. In craſtino ivit in Lewis. Die quarta miſerunt Trudonenſes ad eum, quod veniret, & eſſet capitaneus ipſorum, alioquin ipſi eſſent deſtructi, & ſic rediit ad S. Trudonem.

Epiſc. Leod. cum legato civitatem ingreditur agitunque de pace.

Ut auditum fuit in Leodio dominum Leodienſem eſſe captum, & venire ad Leodium, cucurrerunt omnes obviam venientibus; & uxor domini Razonis ſtabat in feneſtra, & ſalutavit eum alta voce: bene veniatis, domine; eratque circa horam primam, feceruntque pulſari campanas in eccleſiis, eratque Dominica dies. Feria tertia convocatum fuit palatium ſimul, & venit legatus cum domino Leodienſi, & dominus Johannes *de Ville* ante eum, cum virga tamquam villicus, & domini de capitulo, & magiſter Amelius & Ægidius *de Lens*, tamquam magiſtri civitatis ſuper palatium. Et magiſter Hubertus dixit verbum legati de pace facienda, primo ad Deum, ſecundo cum domino, tertio inter nos, quarto ad vicinos noſtros; & quod legatus intenderet facere pacem quæ in perpetuum duraret. Dominus Leodienſis dixit: » Pueri, nos habuimus guerras ad invicem, « ego contra vos, & vos contra me, & invenio jam quod male fui informatus; deinceps « utamur bono conſilio: ſitis boni filii ſubditi, « & ego volo eſſe vobis dominus, habeatis fi- « duciam in me, quia volo vobiſcum vivere « & mori: ſed oportet quod omnia ex utra- « que parte ſint dimiſſa. Hoc peto ut concedatis; & quod illi qui habent equos meos, « vel familiarium meorum, aut nobilium, reſti- « tuant nobis, ſalvo rationabili vino. Et domi- « cellus *de Buren* fuit capitaneus veſter, dein- « ceps ego volo eſſe perſonaliter; habeatis con- « fidentiam in me, ſicut ego in vobis. Reſpon- derunt omnes, quod ſic. Determinatum fuit quod illi, qui haberent equos domini, vel legati, aut familiarium eorum, quod reſtituerent, ſalvo rationabili vino. Et cum de hoc aliqui murmurarent, magiſter Amelius dixit ad villicum: Ego requiro vos ſuper juramentum quod feciſtis heri domino, quod faciatis juſtitiam. Reſpondit, ego faciam, & fecit capi duos, quorum unus prandio facto fuit ſuſpenſus, alter ad rogatum populi per annum bannitus. Illo die dominus Leodienſis

demandavit

demandavit magiſtrum Robertum *de Morialmez*, qui vulneratus fuerat in Tungris, & erat totus gubernator domini. Qui dum duceretur ſuper currum, occurrerunt contra eum multi, & trucidaverunt eum crudeliter in fruſta ſcindentes. Quo audito, dominus fuit multum conſternatus, quia magiſter Robertus habebat omnia domini negotia & jocalia in curia ſua, & dominus ignorabat ubi poſuiſſet ea. Et in craſtino dominus ſuper palarium fecit querelam. Concluſum fuit, quod punirentur qui fecerunt, etiam quod familiares domini libere redirent, & Alexander *Berart*, Wilhelmus *de Ordinghen*, & juvenis *de Sommeren*. Et nota occultum judicium Dei, quia magiſter Robertus habebat nomen, quod ipſe ſcripſiſſet litteras nomine domini fugitivis de Francia, quod redirent, quia omnes dicebant quod fuiſſent remandati.

Pax Leodii proclamata.

Facto igitur inter dominum & civitatem tractatu, pax in Leodio fuit proclamata, & inſignia regis depoſita; aſcenſiſque equis, cancellarius & magiſter Amelius iverunt verſus Tungris, & S. Trudonem, ad faciendum ibidem pacem proclamari. Sed cum veniſſet circa *Lantins*, nuntiatum eſt eis, quod multi armigeri venirent per Haſbaniam verſus Tungros. Quo nuntio audito, reverſi ſunt, fuitque capitaneus armigerorum mareſcaldus Burgundiæ, qui illo ſero intravit in Tungris cum quatuor vel quinque millibus.

In octavis Dionyſii, quæ erat Dominica, magiſtri & conſules feſtivaverunt dominum Leodienſem & legatum, & propinaverunt eis miniſteria. Conceſſus fuit ſalvus conductus capitaneis qui erant in Tungris ſupra palarium, & proclamatus ad veniendum loqui cum domino Leodienſi, quia audiverant eum captivum. Venerunt igitur tres, ſcilicet filius mariſcaldi Burgundiæ, & Petrus *Hackebach* cum aliis, loqui cum domino, & videre in quo ſtatu eſſet, & receſſerunt verſus Tungris, & crevit ibi numerus armigerorum. Quod videntes Leodienſes, demandaverunt illos de *Franchimont*, & de rivagio, & poſuerunt eos in hoſpitiis civium, & fuit clamatum, quod qui eſſent extra, redirent infra tres dies, alioquin haberentur tamquam inimici, & ſimiliter demandati fuerunt canonici abſentes.

In die xi. millium virginum, venerunt aliqui de campis Haſbaniæ, dicentes, quod occidiſſent quinque de Burgundionibus, & fugaſſent decem, & quod eſſent fugandi ſicut oves, oſtendentes nongentas petias auri quas ab eis tulerant. Et ſtatim aliqui incœperunt ire per plateas & domos, & monere capitaneum ſuum domicellum *de Buren*, & omnes ſocios, & ſeminare quod in craſtino Burgundiones eſſent receſſuri de Tungris, cum multis ſpoliis, & quod præoccuparent eos. Et ſummo mane, circa quintam exeuntes, irrequiſito domino & magiſtris, cum ſeptingentis circiter equis & quatuor millibus peditum,

A uſque in *Othey*, ubi apparuerunt eis a longe circiter lx. equites, quos cum vidiſſent, iverunt poſt eos, ſed illi ſtatim terga dederunt. Poſt modicum Burgundiones cum tribus turmis apparuerunt venire contra eos, & cum appropinquare cœpiſſent, viſa multitudine, Leodienſes omnes fugere cœperunt. Capitaneus eorum deſcendit de equo & revocavit eos, ſed nolebant audire. Alii ordinate ſequebantur per tres turmas, extremos cædentes uſque ad *Lantins*, & ibi invaſerunt eos, & proſtraverunt plurimos uſque ad braxinas, & uſque ad leproſos, & ceciderant plus quam octingenti de Leodienſibus. Alii receſſerunt uſque ad Jecoram.

Leod. a facie Burgundionum fugiunt.

Dominus Leodienſis cum legato fugerunt in eccleſiam S. Lamberti, & fuit populus totus conſternatus. Eccleſiæ fuerant congregatæ ad mittendum ad dominum ducem, ſed præmiſerant Johannem de Mommalia, ad percipiendum ubi dux eſſet. Qui rediens dixit ſibi dictum fuiſſe a mariſcaldo Burgundiæ, quod dux cum rege fuiſſet in Perona in hebdomada præcedenti: contra quem multi indignati, dixerunt fictum fuiſſe. Alii finxerunt econtra, quod rex veniret ad Aquis, ut faceret ducem imperatorem, & eſſent ſimul in *Haſtier*.

In die S. Severini, quæ erat dies Dominica, dominus Leodienſis propoſuit ſuper palatium, quod vellet ire locutum cum amicis ſuis, ut poſſet facere retrahi iſtos armigeros, quia amici ſui credunt eum eſſe captivum, & ideo faciunt iſta; & conceſſit populus, quod iret cum legato, & magiſter cum eis. Ivit igitur dominus cum legato & magiſtro Amelio, ſed Johannes *de Loboſt* cuſtodivit palatium cum ſuis, ne aliquis iret cum domino de his, qui fuerant capti in Tungris. Et ivit dominus uſque ad *Levvaige*, & Leodienſes iverunt pro corporibus occiſorum die præcedenti. Illa dies & ſequens fuerunt quieti.

Adventus regis & ducis Burgundiæ.

Feria tertia ſcripſit dominus litteram, quod bene vigilarent, propter curſores, qui fuerunt uſque ad braxinas. Illa die venit dux cum rege Franciæ poſt meridiem in *Falais*, & occurrit ei dominus *de Humbercourt*; quem videns dux, ait, ſalve captive, & ille reſpondit: bene veniſtis S. Leonarde, qui liberabitis me. Reſpondit dux, faciam totum poſſe meum. Illo ſero comedit rex ad unam menſam, dux ad aliam menſam, dominus Leodienſis cum archiepiſcopo fratre ſuo, & duce Borboniæ, & aliis fratribus & ſororibus ſuis comedit in tertia menſa, & dominus *de Humbercourt* fuit ulterius in eadem menſa, ex cujus relatu iſta ſcripta ſunt.

Feria quarta venit pars exercitus ſupra montem S. Walburgis, & ſtetit ibi quaſi per duas horas, expectando alios neſcientes quo diverterent, quia major pars volebat deſcendere ad ſanctam Margaretam & ad S. Laurentium, timens pertranſire civitatem, ne

Leodienſes præcluderent viam. Dominus vero *de Humbercourt*, volens ſervare S. Laurentium, ſuaſit ire verſus S. Leonardum, ſciens, ducem cum rege in craſtino adventurum. Igitur Teutonici circiter quinque venerant ad S. Laurentium, volentes ibi facere ſtationem contra alios, ſed audito ſonitu buccinæ, & quod armigeri deſcendiſſent ad vicum *de Vivenges* cum grandi impetu, cucurrerunt illuc tamquam rapidi canes ad prædam, nec umquam aliquis illorum rediit ad S. Laurentium. Illo veſpere factus eſt gravis conflictus ad portam S. Leonardi, & infra unam horam obtinuerunt Leodienſes duo vexilla de ipſis, duravitque conflictus quaſi per tres horas. Circa quartam horam de mane exiit Johannes *de Ville* per portam de Vivengis, cum illis de rivagio & *de Franchimont*, & invaſit exercitum, & tanta cæde percuſſit; quod ultra duo millia ſagittariorum acceperunt fugam, fuitque ibi unus miles interfectus, qui ſepultus fuit ad S. Leonardum. Dominus *de Humbercourt* tractus in pede, & multi nobiles vulnerati, quia tenebræ erant, & ignorabant extranei a quibus ſe cuſtodire debebant. Illi de Leodio incenderunt unam domum, & ſic adverſarii ſe defendere viſo lumine cœperunt, & dominum Johannem *de Ville* cum ſuis retrocedere compulerunt. Qui invenit portam clauſam, & aſcendit per ſcalam, & fuit graviter vulneratus, & multi de ſociis ſuis occiſi. Dominus *de Humbercourt*, primo quando venit ſorores ſalvas cuſtodiri fecit, & duci ad locum tutum.

Conflictus ad portam S. Leonardi.

Feria quinta circa primam horam, venit dominus dux cum rege Franciæ & magno exercitu circa ſanctam Walburgem, tunc Leodienſes incenderunt vicum ſanctæ Margaretæ.

Feria ſexta de mane, hora VI. poſuerunt ignem in proximiori domo abbatiæ S. Laurentii, & fama erat, quod incenderent abbatiam, quapropter conſternati fratres, habuerunt conſilium, quod irent aliqui ex eis ad magiſtros, petendo defenſionem ab eis. Et iverunt quatuor de monachis, quorum iſta ſunt nomina, ſcilicet, Henricus *de Jatheal*, prior S. Nicolai; Johannes *Goefvvin*, qui fuerat ſupprior; frater Adrianus cantor; & frater Lambertus *Bybon*, qui fuit cuſtos. Qui cum veniſſent ante Violettam, invenerunt quod magiſtri & conſules incœpiſſent deſcendere de loco conſilii, & magiſter Ægidius *de Lens* ſtabat in limine, & *Goes de Strailh* poſt eum ſupra primum gradum. Cumque prior incœpiſſet facere petitionem ſupradictam, incœpit flere. Tunc magiſter Ægidius iſta verba reſpondit: domini mei habeatis patientiam, nos non facimus iſta fieri, ſed hoc vobis dicimus, quod niſi aliud reſponſum habuerimus, quam huc uſque habuimus, ſicut jam, ut videtis de conſilio deſcendimus, & nobiſmetipſis mutuo juravimus, quod primo omnes captivos occidemus, & pueros & mulieres ponemus ſuper muros, & in deſpectum domini, ponemus ignem in eccleſia majori, & in omnibus aliis eccleſiis, & tunc in domibus noſtris, quia ſumus propinquiores; nec umquam dux Burgundiæ gaudebit de ſpoliis noſtris, nec faciet in Leodio, quod fecit in Dyonanto. Tunc frater Adrianus dixit, magiſtri noſtri, quid? non miſiſtis ad dominum? Reſponderunt, nos miſimus, ſed nullus revertitur, & intulit: domine Adriane, vos deberetis jam laborare, quod eccleſiæ jam mitterent ad dominum pro toto, quia jam eſt tempus, aut numquam. Frater Adrianus reſpondit, detis mihi inducias uſque cras, ego ibo de eccleſia ad eccleſiam, & ſi aliquis vult ire pro ſua, ibo ego pro noſtra; & addidit: vos domini conſules, ego miror, quod veſtri volunt comburere S. Laurentium, quando nullus Burgundionum illic deſcendet, & etiam nullibi ſunt muri ita fortes, ſicut ibi, qui ad preces in parte fuerunt ſervati. Et ſi vultis intelligere, vos deberetis velle, quod dux Burgundiæ cum omnibus ſuis eſſet in abbatia. Ad quod verbum *Goes* reſpondit, quare? At ille: quia tunc poſſetis cum includere, & invadere ab omni latere, ſcilicet, per portam Auroti, per portam S. Laurentii, & per portam S. Margaretæ. Hoc verbum Deus & ſanctus Laurentius immiſerunt in os ejus, quia hoc verbum animos eorum mitigavit. Et reſponderunt; ite, facite ſicut dixiſtis, nos deffendemus vos quantum poſſumus. Pulſantes igitur iſti quatuor ad oſtium eccleſiæ majoris, intromiſſi, invenerunt ibi magiſtrum Judocum, *Libreme*, *Quarcu*, & quoſdam alios perplexos, dictitantes unam litteram domino mittendam. Quia magiſtri jam eadem verba dixerant ad eos, & rogaverunt prædictum fratrem Adrianum, ut inſtaret incœptis perficiendis. Miſit igitur nuntium ad S. Bartholomæum, & ad S. Dionyſium, S. Paulum, & ad S. Johannem; & præcipue ut mitterent eos qui habent claves ſigilli, ad S. Petrum, ſicut & fecerunt; & ivit ipſe ad S. Petrum; & videbantur ipſis prædicta deliramenta eſſe; tamen in fine crediderunt eſſe periculum, & hoc ideo, quia decanus eorum eis ſcripſerat, quod quidquid in eccleſiis eſſet, ſalvaretur. Quibus frater Adrianus e contrario dicebat, quod caverent ſe laïcos aut bona laïcorum recipere in eccleſiis, quia propter bona laïcorum, jocalia eccleſiarum eſſent in periculo direptionis. Deinde ad S. Martinum, & ad S. Crucem retulit eadem.

Conſilium Leod. de civitate incendenda.

Videntes igitur illi de S. Margareta, quod domus eorum eſſent combuſtæ, magis ex invidia quam ex neceſſitate incenderunt etiam vicum S. Laurentii. Redeuntes igitur ad S. Laurentium fratres, quia illo die non co-

S. Laurentii monaſt. ab incendio præſervatur.

mederant panem, cum inciperent comedere, illi de ſancta Margareta poſuerunt ignem in boveria monaſterii, & nullus aliorum fratrum audebat exire, & fuit tota combuſta. Monachi hæc videntes, ad exhortationem prædicti fratris Adriani, quicquid aquam continere poterat, poſuerunt ad canalia, providentes de aqua ſupra turrim, ad defendendum eccleſiam, ut ſi unus incenderet ignem ex una parte, alius extingueret ex alia. Et omnipotens Deus, qui non permittit ſuos tentari ſupra id quod poſſunt, fecit cum tentatione proventum. Et quia omnia blada eorum, excepta farina, fuerunt eis ablata, & ducta infra civitatem, ubi perdita fuerunt, dedit eis patientiam. Narrent alii & ſcribant miracula ſanctorum, mihi inter omnia miracula mirabilius videtur, quod monaſterium S. Laurentii in tanta tempeſtate, & in tanta perverſorum hominum malignitate potuerit permanere: ſed hoc non potuit eſſe, niſi ex ſpeciali dono Dei in ſæcula benedicti.

Ducis incenditur tentorium.

In craſtino, id eſt ſabbato, venit baſtionarius ſancti Petri, quærendo a domino abbate, quod frater Adrianus poſſet portare litteram, invenerunt unum fratrem Minorem, qui iret cum eo: ſed conventus petiit dilationem uſque in craſtinum. Illo ſero exivit *Goes de Strailhe* per valles montium, cum ccc. ſociis, & pervenit a retro uſque ad tentorium ducis, & in oſtio domus interfecerunt ſervitorem ducis, & incenderunt tentorium ducis, ex cujus conflagratione vigiles expergefacti, neſcierunt quid eſſet; & ſi Leodienſes tacuiſſent, maximum ſcandalum regi & duci intuliſſent, quia fuerunt uſque ad gradus cameræ, in qua dux locatus fuit. Sed ex lingua eorum fuerunt deprehenſi. Quapropter, cuſtodibus clamantibus, multi eorum fuerunt occiſi, alii evaſerunt. Mane igitur facto, qui capitanei fuerunt, ſua negotia diſpoſuerunt, & equos, & alia quæ ſecum deferre poterant præparaverunt, & ſub titulo audiendi ſpecialem miſſam, de mane ſurrexerunt, & in tabernis euntes, cibis & potibus ſe non ad pugnandum, ſed ad fugiendum confortaverunt, aliquibus de civibus ad muros derelictis. Et cum inſultus fieret circa horam decimam, nullam quaſi reſiſtentiam fecerunt.

Burgundiones prorumpunt in Leod. & diripiunt civitatem.

Prorumpentes igitur Burgundiones a porta de Vivengis, & aſcendentes per muros, impetu currentes, quos invenerunt proſtraverunt. Capitanei autem Leodienſes, aſcenſis equis jam prius paratis, fugerunt ſimiliter, & cives qui fugere poterant. Comes *de Blankenhem* proſtratus fuit, ſed a ſuis. Cum igitur veniſſent in foro, fuerunt occupati ad dividendum civitatem in quatuor partes propter ſpolia, & ſic cives habuerunt duas horas quietas ad exeundum, & ſic civitate ſpoliata, occiſis etiam quamplurimis, de mulieribus ac virginibus quid factum ſit ignoro. In eccleſia tamen Minorum XXII. occiſi fuerunt, qui jacebant ad genua audiendo miſſam. Et cum preſbyter percepiſſet ſacramentum, raptus eſt calix e manibus ejus. In S. Petro cum preſbyter, dicto *Agnus Dei*, teneret corpus in manibus, unus abſcidit corrigiam ejus, & immiſſa manu ante pectus ſacerdotis, tulit burſam ejus. Ad Prædicatores XL. fuerunt occiſi in eccleſia, & multi vulnerati. In S. Dionyſio ſub turri, & in capella, & ſimiliter in aliis fuerunt aliqui occiſi. Dominus *de Humbercourt* ſuper lecticam, quia graviter vulneratus erat, locum habuit ad Prædicatores, & fecit ſe duci ad S. Jacobum, & fecit tractatum cum Balduino baſtardo, & domino *de Boſſu*, quod eccleſiam S. Jacobi conſervarent indemnem, ſimiliter & *de Bealrepert*. Dominus dux miſit ad eum Carolum hyraldum, quem ipſe miſit ad cuſtodiendum monaſterium S. Laurentii. Qui cum timeret ſolus ire, aſſociavit ei Gavinum familiarem ballivi de Waſegia, qui venientes ad monaſterium cum Petro de Hervia clerico domini abbatis, qui fuerat in armatura, petierunt omnia bona laïcorum quæ fuerunt ibi, equos & vaccas, & alia mobilia.

In craſtino venit ballivus de Geldonia miſſus ad cuſtodiam ad S. Laurentium, qui habuit medietatem ſpoliorum contra hyraldum; qui parum profuiſſet, ſi hyraldus ibi non fuiſſet. Teſtantur qui præſentes fuerunt, quod Carolus Hyraldus ita ſe ſtrenue habuit, ita audacter ſe armigeris oppoſuit, quod etiam multi mirabantur, ſed adſcribendum eſt meritis glorioſi martyris S. Laurentii, non alicujus induſtriæ.

In eadem Dominica, quæ erat prima de prophetis, in matutinis cantatum fuit, *Vidi Dominum*; & *Aſpice Domine quia deſolata eſt civitas plena divitiis*. Et in introïtu majoris miſſæ, *Omnia quæ fecisti nobis Domine*; & in evangelio, *Miſſis exercitibus ſuis perdidit homines illos, & civitatem eorum ſuccendit*. Proh dolor! tantum homicidæ pro majori parte fugerunt, & cives ac ſimplices trucidati ſunt, & capti, & abducti. In eadem Dominica de ſero inventa eſt copia inventarii magiſtri *de Morialmez*, & portata ad Balduinum baſtardum in S. Jacobo, & vocato priore & computatore, petiit ſibi illa oſtendi, & tandem omnia invenerunt ibi repoſita, & etiam jocalia domini Leodienſis, & multorum civium Leodienſium, quæ omnia diripuerunt. Quæ fama dum divulgata eſſet, ſtatim omnia quæ in eccleſiis Leodienſibus fuerunt, rapta ſunt & deprædata. Et ſi invenerunt ciboria ſacramenti Euchariſtiæ, detulerunt ad preſbyterum, ut ſumeret ſacramentum, & tulerunt, vel excuſſerunt hoſtias ſuper altare. Similiter oleum ſacrum effuderunt ſuper altaria. Inſuper ſepulchra altarium fregerunt,

ad videndum an pecuniæ intus fuissent absconsæ.

Ecclesia S. Lamberti diripitur.

Dominus dux personaliter fuit in ecclesia S. Lamberti, & evaginato gladio vix potuit cohibere, ne frangerent sacristiam. Multa etiam altaria in ecclesia Leodiensi fuerunt cassata, & calices, & omnia ornamenta altarium ablata; omnesque canonici & capellani captivi tenebantur infra domos eorum, nec permittebantur exire quoquam, donec adducerentur. Similiter religiosi tenebantur inclusi, nec fuit aliquis ausus exire, nisi duo Carthusienses, & duo religiosi monasterii S. Laurentii, quorum unus scripsit hæc; qui etiam impetravit a domino duce unam salvam-gardiam per omnes patrias ducis generalem, & unam specialem pro conservatione monasterii, manu ducis signatam, quod prædicto monasterio multum profuit.

Consilium a rege datum duci de Leodio.

In crastino Omnium-sanctorum rex Franciæ jussit dari ecclesiæ Leodiensi c. regales, sed is, qui dare jussus est, non dedit, & cum venisset infra terminos Franciæ, gravitet ægrotare cœpit, & reatum suum recognoscens, per clericum suum prædictam pecuniam S. Lamberto transmisit, qui XCVII. Johanni *de Vellen*, computatori S. Lamberti dedit, & tres pro bibalibus suis sibi retinuit. Famatumque fuit publice de rege, quod cum venisset super forum Leodiense, extracto gladio clamaverit, *vive Bourgoigne*. Et cum dux requisivisset ab eo quid faceret de Leodio, rex respondit per parabolam; quod pater suus habuit altam arborem, juxta domum suam, in cujus ramis corvi construxerunt sibi nidum, sed quia molesti erant, fecit nidum semel & secundo deponi. Quo non obstante, anno revoluto, corvi redeuntes reincœperunt iterum nidificare. Pater, ait, meus pertæsus, jussit arborem radicitus evelli, & sic in pace dormivit. Istius parabolæ sensum rex deinceps secutus, omnes villas & castra, de quibus inter ipsum & ducem fuerat controversia, postea fecit incendi & destrui, ut in futurum de ipsis contentio non haberetur, nec manserunt supra Summam fluvium nisi Ambianis, & S. Quintinus.

Feria IV. rex recessit cum MCC. lanceis, quas adduxerat secum. Vide rem mirabilem, Leodienses ob favorem regis, ducem Burgundiæ diffidaverant, & in confidentia ipsius guerram continuaverant, & bis pacem fregerant, & tertio iterum redeuntes, in nomine regis, insignia regis deferendo, arma contra ducem & bellum susceperant, & rex in propria persona contra eos venit, & in exterminium eorum consilium & auxilium duci impendit.

Civitas incenditur ecclesiis reservatis.

In die S. Huberti, qui primo fundavit civitatem Leodiensem, dux declaravit ecclesias reservari, & residuum incendio tradi. Quo divulgato, canonici Leodienses, qui præsentes fuerunt, scilicet, magister Judocus de Marka, de Quarcu, *de Libremme*, de Bello-rivo cum aliis, qui remanserant in habitu clericali, una cum domino Leodiensi, dederunt supplicationem duci pro aliqua parte civitatis, ut possent habere mechanicos pro administratione necessariorum vitæ humanæ, & dominus *de Humbercourt* fuit de favore, quod insula vel saltem pars ejus reservaretur, sed dominus dux habuit in mente, quod si quicquam dimitteret, quod alii iterum redirent. Eodem die incœperunt incendere civitatem, & incœperunt homines ducis recedere, abducentes secum spolia & captivos. Die præcedenti, dux dedit omnia bona, quæ reposita fuerunt in thesauraria S. Lamberti, sive canonicorum, sive laicorum, Antonio Bastardo fratri suo. Omnia etiam jocalia ecclesiæ Leodiensis, fuerunt portata ad Trajectum, & argentum de corona fuit depositum & ad Trajectum ductum. De feretro S. Lamberti sermo fuit, sed tamen remansit.

Feria sexta illi de S. Jacobo, assumtis omnibus recesserunt versus Trajectum, similiter omnes regulares, & sæculares, & mendicantes, & alii omnes recesserunt, & non remanserunt in monasteriis, nisi duo vel tres ad custodiam, exceptis Carthusiensibus, ubi manserunt XII. & monachis S. Laurentii, qui manserunt omnes, excepto abbate & duobus fratribus, nec umquam divinum officium ibi per unam solam horam fuit intermissum. Et licet fratres magnam paterentur penuriam, quia omnia blada fuerant eis ablata, excepta modica farina, & quando abbas, habito salvo conductu cum domino *de Humbercourt* recessit, non dimisit conventui nisi unum postulatum. Tamen Dominus dedit eis patientiam, & meritis glorioſi patroni sui tolerantiam, & non solum eis, sed etiam cum vicinis suis fecit misericordiam, ita ut nulla mulier constuprata, aut violenter abducta fuerit in tota parrochia; & licet res fuissent ablatæ & domus combustæ, animæ tamen fuerunt custoditæ.

Feria sexta abducendo secum omnia recessit conventus S. Jacobi. Civitas ex omni parte incendebatur quotidie.

Feria IV. recessit dux versus Trajectum. In diebus illis qui latebant in sylvis petebant misericordiam, & missus fuit ad eos abbas Vallis S. Lamberti, & fecerunt juramentum fidelitatis duci, & quod præsentarent se quando monerentur, & sic cœperunt redire ad loca sua.

In die Martini fuit decollatus in Trajecto Amelius *de Velru*. In crastino Briccii venit dominus Fredericus *de Vitten*, missus per ducem ad comburendam civitatem circa tertiam horam, & statim fecit clamari, quod omnes qui fuissent contra ducem, recederent: & sic bene sexcenti, qui redierant, iterum fugerunt. Eodem die cœpit combu-

rere in calciata S. Chriſtophori: habuit ſecum fratrem ſuum, & LX. circiter viros, qui auferebant ea quæ invenire poterant, & occidebant Leodienſes, quos inveniebant. Illi majorem violentiam fecerunt in S. Laurentio, quam homines ducis, & niſi habuiſſent ſalvam-gardiam, male ſtetiſſent.

In craſtino Martini dux receſſit de Trajecto verſus *Franchimont*, & dederat Trajectenſibus optionem, quod vel irent ſecum, vel deponerent duos arcus pontis Arcuum, qui elegerunt frangere pontem, unde poſtmodum multum doluerunt.

In octavis Martini venit dux ad Vallem Noſtræ-dominæ per Hoyum, ubi nuntiatum ſibi fuit, quod aliqui in ſylvis latitantes, occupaſſent aliquos currus ex ſuis, & ſtatim miſit poſt eos, & juſſit rivagium ab utraque parte ſuccendi; & audito ab una muliere, quod tertia pars civitatis non eſſet combuſta, miſit unum capitaneum de Sabaudia, ad comburendum totum, exceptis eccleſiis. Qui cum veniſſent, combuſſerunt omnes domus quas dominus *de Humbercourt* fecerat ſervari, & omnes reſiduas quas invenit, exceptis domibus clauſtralium, ad quorum introïtum dominus *de Witten* cum omnibus ſuis fugit ad Vizetum, ſed tertia die rediit.

In die Cæciliæ venerunt Trajectenſes ad frangendum pontem Arcuum, & Hoyenſes ad deponendum portam & pontem Auroti; ſed iterum receſſerunt Hoyenſes, & nihil fecerunt. Dominus *de Witten* requiſivit ab eccleſiis mille ducentas coronas, ſi deberet ſervare domos clauſtrales, ſed dominus Leodienſis debebat eſſe mediator, qui eccleſiæ obtulerunt quingentas. Dominus *de Humbercourt* conceſſit eccleſiis unam ſalvam-gardiam, & noluit in illa monaſteria includi, & vinum ſuum poſuit in diſpoſitione ipſorum, ſed clericus pro littera & ſigillis petiit XXX. Rhenenſes.

Eccleſiæ reconciliantur.

Igitur canonici incœperunt redire & mundare domos ſuas & eccleſias; & in die ſancti Thomæ reconciliata fuit eccleſia S. Lamberti. In craſtino S. Petri, & deinceps S. Martini, S. Crucis, & aliæ; & in vigilja Nativitatis Domini ad veſperas incœperunt cantare in S. Lamberto. Aliæ eccleſiæ faciebant officium ſicut poterant, quia nec libros, nec calices, nec ornamenta habebant. Dominus *de Witten* tamen quotidie comburebat ulterius quod remanſerat, & per VII. ſeptimanas ſemper de mane incœpit comburere in diverſis locis. Dominus Leodienſis ivit ad Bruxellas, & dominus *de Humbercourt* fuit demandatus per ducem, qui venit in navi ad Leodium, & habuit ſecum CLX. armatos de Trajecto, & dominus *de Argenteal* venit circa ripam bene cum C. equis, & ſic ductus fuit ad Hoyum, & Hoyenſes duxerunt eum ad S. Trudonem, & ſic ivit ad Bruxellas. Ipſe dedit commiſſionem domino Johanni de Hamalia, & domino Jacobo baliivo de Geldonia, & procuratori de Namurco; & magiſter Gerardus *Baſtard* erat clericus eorum, ad colligendum bona Leodienſium, & fecerunt ubique triturari, & Johannes *Preidhom* ſimilem habebat commiſſionem circa Jecoram. Et iverunt iſti de domo ad domum, & de horreo ad horreum, & faciebant æſtimationem omnium, & faciebant triturari in omnibus locis, exceptis ſolum illis, qui fuerunt in armatura ducis. Illi vero qui ſe abſentaverant, & non ſe interpoſuerant, nec pro una parte, nec pro alia, etiam reputabantur rei, & bona eorum tenebantur pro confiſcatis. Etiam dux diverſis perſonis contulit diverſas domos & curias, tam in Haſbania, quam circa Leodium. Item, iſti commiſſarii dabant hominibus ſalvum conductum per tres menſes, ut fieret de eis inquiſitio, & ſolvebant tres Rhenenſes. Et ſi fuiſſent reperti pacifici, redimebant ſe pro certo pretio, & dabantur eis litteræ ſecuritatis, in quibus dabatur eis facultas redimendi bona ſua. Cumque eccleſiaſtici de his multas facerent querelas, fuit poſita una diæta in Sancto-Trudone, ubi fuerunt decanus Leodienſis cum ſuis, & de qualibet eccleſia & abbatia unus; & dominus *de Humbercourt*, & præſidens *de Lucemburch*, *Scoop*, & alii. Sed eccleſiæ non potuerunt aliud obtinere, niſi quod de repertis in horreis haberent medietatem, & dux aliam medietatem; & ſic de medietate eccleſiarum oportebat quod colonis provideretur de neceſſariis ad culturam pertinentibus, ſcilicet de equis & de curribus, de victu & veſtitu, & de pretio redemtionis corporum & bonorum; & ſic eccleſiæ parum vel nihil habere potuerunt.

Diæta S. Trudonis.

In fine Januarii anno MCCCCLXIX. Gandavenſes portaverunt privilegia ſua & vexilla ſua Bruxellæ ante ducem, ubi ſedebat in ſolio ſuo pretioſe diſpoſito; & circumſedebant ſibi dominus Leodienſis, comites & barones ſui. Cumque illi proſtrati eſſent coram eo, cœpit concionari ad eos: *Populus hic labiis me honorat, &c.* & accepit litteras, & rupit ſigilla, ſciſſiſque litteris cum ſcapello, vexilla fecit dirumpi & lacerari. In diebus illis dominus Leodienſis habuit unum tractatum cum duce, de tranſportatione inſulæ Leodienſis, & de centum & quatuor domibus ædificandis in Leodio, pro mechanicis artibus exercendis, & centum pro capellanis & ſervitoribus eccleſiæ majoris.

Gandavenſes a duce male habiti.

Perpetuæ & Felicitatis pulſata campana bannali, fuit unus decollatus Leodii, & Johannes Trina erat quaſi villicus; ſed villicus Lovanienſis ſedens in equo præſidebat tamquam major & principalis, factaque fuit una enqueſta, & projecti multi in Moſam, etiam matricularius S. Pauli captus ſuper clauſtrum projectus fuit in Moſam. Clamatum fuit Leodii & certum, quod omnes qui reperti fuerant Leodii, haberent ſalvum-conductum

cundi ad Vizetum, & ibi cognoſcere quid ſe- A
Diæta Tra-jectii. ciſſent, & redimere vitam & bona. Et magiſter Wilhelmus protonotarius venit ibi ad vendendum bona fugitivorum hereditaria, ſed quia pauci ibi veniebant, fuit tenta diæta in Trajecto de lege patriæ, de tallia & gabella, & de pecuniis duci ſolvendis. Circa legem patriæ fuerunt inſtituti in Leodio ballivus & IV. judices ſæculares, & tres de eccleſia, ſcilicet decanus Leodienſis, magiſter Richardus, & magiſter Johannes *Ricoul* de clero; dominus Jacobus *de Morialmez* ballivus, dominus Balduinus de Holonia, Alex. B *Berart*, Johannes *Proidhom*, & Johannes *Heylman* judices, coram quibus tractabantur omnes cauſæ, ſicut ſolebant tractari coram ſcabinis, & in palatio domini Leodienſis fuit aptata una camera, ubi ſedebat præſidens cum aliis de conſilio domini Leodienſis, coram quibus agebantur cauſæ, quæ tractari ſolebant coram magiſtris & aliis judicibus. Cauſæ confiſcationum, & quæ ad guerram ſpectabant, tractabantur coram domino *de Humbercourt* & conſiliariis ejus, quibus præſidebat dominus Renardus *de Rovereur* & magiſter C Georgius *Duret*. Legatus male contentabatur & minabatur eccleſiaſticos; ſic illi de majori fecerunt tractatum cum eo capitatim ſolvendi x. Rhenenſes. Abbates etiam pro ſe, conventibus prætermiſſis, alii canonici pro tribus vel minus, capellani pro uno vel duobus, & recipiebant litteras. Cum igitur legatus eſſet Coloniæ, ſcripſit eccleſiis, quod habuiſſet mandatum a papa, quod non omitteret, quin ſecum duceret quatuor de gravioribus perſonis eccleſiaſticis, qui Romæ veniam peterent pro violatione interdicti. Unde totus clerus fuit demandatus, qui in D interdicto fuerat comprehenſus, & forenſes fuerunt taxati ad tertiam partem unius ſubſidii. Miſſum fuit ad papam, ſed poſt multos tractatus, papa iterum miſit unum breve, quod condoleret eccleſiis, ſed volebat quod ad minus de illis quatuor mitteretur unus. Et magiſter Johannes de Quarcu fuit miſſus, ad inſtantiam domini Leodienſis, quia eccleſiæ volebant mittere unum alium. Bona eccleſiaſtica incœperunt arreſtari in Brabantia propter penſionarios, unde jocalia eccleſiarum fuerunt vendita, ſic quod poſſent redimi ante feſtum S. Johannis, ſed nullus redemit. E

In fine Januarii, congregatis circiter ccc. armigeris cum domino *de Paiage*, iverunt verſus *Eyck*, ad deponendum muros, & poſtea ad Covinum & Tudinum, facientes ſimiliter. Dominus dux bina vice dedit commiſſionem comburendi Tungros, ſed dominus Johannes de Hamalia, mediante domino *de Humbercourt*, & ſumma pecuniæ, impedivit ne fieret executio. Hoc glorioſæ Virgini Mariæ aſcribendum eſt, quod Tungris ab incendio evadere potuit.

In craſtino S. Georgii hora ſecunda factum eſt tonitruum, & cecidit fulmen ſupra turrim eccleſiæ Vallis S. Lamberti, & combuſſit totum tectum eccleſiæ. Vulgares imputabant peccatis abbatis, qui etiam exactionaverat pauperes, ad faciendum pacem ipſorum, & de gabella & talliis ſe interponebat.

Iſtis temporibus dominus *de Paiage* ſtabat in S. Jacobo, & præſidebat in inſula: nihilominus dominus *de Wittem* inquirebat & fodiebat ubique, ad inveniendum ſpolia abſconſa.

In principio Maii obtinuit dominus Leodienſis, quod potuiſſet ponere officialem in S. Trudone: pro quo obtinendo promiſit magno cancellario cccc. Rhen. penſionum.

Circa medium Maii colubriſſarii intraverunt in S. Trudonem, & occiderunt unum civem, & vulneraverunt alios duos, & in craſtino Trinitatis occiderunt patrem decani S. Petri, & combuſta fuit ibi una domus caſualiter, & fuit ibi maximum diſturbium. Tunc conceſſit eis dominus *de Humbercourt* quod mundarent foſſata, & facerent portas ligneas, & domunculas vigilum, & propinaverunt ſibi domum de aquila, quam emerunt pro ipſo, circa quam poſtea poſuit magnas expenſas.

In fine Maii obiit duciſſa Gelriæ ſoror domini Leodienſis. In rogationibus eccleſiæ fecerunt ſicut habent de more, ſimiliter illi de S. Laurentio: ſed illi de S. Jacobo, quia pauci fuerunt, nec vocaverunt ad feſtum ſuum, nec iverunt ad proceſſiones, nec rogati ad S. Laurentium venire voluerunt, nec in feſto nec in dedicatione.

In craſtino Trinitatis ſtultus ducis Burgundiæ, luſit coram eo de ſero, & mane obiit de peſte. Quod cum dux ſcivit, ſtatim cum feſtinatione fugit ad Gandavum, qui receperunt eum cum maxima ſolemnitate, & fama erat quod habuerant ultra quinquaginta duo millia luminaria. Dominus *de Humbercourt* deſideravit habere de reliquiis S. Lamberti, propter quod decanus & canonici bis viſitaverunt feretrum, & invenerunt corpus ejus & caput, & dixit mihi dominus decanus, quod caput vulnus habet a latere, retro auriculam. Et ſic dominus *de Humbercourt* obtinuit de oſſibus ejus, & deinceps quandocumque venit ad Leodium, fecit ſe primo duci ad S. Lambertum, & propoſuit de faciendo capite S. Lamberti, adinſtar capitis ſancti Servatii, & obtulit, ut dixit, ad hoc xxx. marchas argenti, & fuit locutus domino duci & domino Leodienſi, & dominis de capitulo, & etiam prælatis de contribuendo, & fuerunt multa verba, ſed nihil.

Dux Burgundiæ excipitur Candavi.

Eccleſiæ pro penſionibus Lovanienſibus ſolvendis, miſerunt ad ducem dominum Johannem *de Mairbais*, & dominum Johannem *de Bierſes*, qui impetraverunt mandatum ad dominum *de Humbercourt*, & ad omnes officiatos ducis, quod incolæ civitatis & leucæ

bannalis, ſicut anno præcedente promiſerant, teneren ecclesias indemnes, aut infra xv. dies irent ad hoſtagia. Et Baſtardus *de Cligny* fecit executionem ad ballivum, & ad omnes majores, qui valde male fuerunt contenti, & fecerunt querelam coram domino Leodienſi. Igitur dominus Leodienſis miſit litteras ad eccleſias, quod exciperent ſex de conſilio ſuo. Eccleſiæ noluerunt conſentire, & de qualibet eccleſia unus, iverunt cum decano S. Petri ad dominum. Qui cum feciſſent ſupplicationem ſuam coram domino Leodienſi, & intellexiſſet bene, ipſe benigne reſpondit: Certe ſicut petitis ita eſt, res iſta tangit ita bene me ſicut vos, & habeamus dilationem. Dominus *de Humbercourt* noluit dare dilationem, niſi decanus S. Petri & deputati eccleſiarum coram notario & teſtibus nomine eccleſiarum hoc rogarent, & de hoc haberet inſtrumentum. Qui iſta ſcripſit, præſens fuit, & cum impeteretur ab omnibus, hoc conſilium dedit, quod in inſtanti ballivus mitteret duos famulos juſtitiæ ad congregandum omnes de leuca-bannali ad feriam quintam in palatio, & omnes præſentes erant, quos præſens negotium tangeret. Quo die omnibus congregatis, Alexander *Berart* ſuccincte propoſuit verbum, de obligatione anno præterito facta, & quod eccleſiæ vellent teneri indemnes, & quod deputarent aliquos nomine communitatis, qui ſuper iſtis ordinarent, & ſimiliter dominus Leodienſis deputaret aliquos, & etiam eccleſiæ. Dominus Leodienſis nominavit ballivum & Alexandrum *Berart*; populus communis dominum Balduinum de Hollonia & Johannem *Heylman*; capitulum majus dominum Johannem de Seranio decanum Leodienſem; eccleſiæ deputarunt de qualibet unum, ſed decanus S. Petri vocavit ad ſe *Gaifer*, & de aliis non curavit. Iſti miſerunt ad ducem pro longiori termino, & dominus *de Buren* cum tranſiret Trajectum, fuit arreſtatus pro mille & quadringentis Rhenenſibus pro tallia impoſitionis VII. pagamentorum. Tandem practicatum eſt, quod dominus *de Humbercourt* conceſſit eccleſiis litteras, quod pro penſionibus ſolvendis & oneribus ſupportandis haberent annuatim ſuper gabellas tria millia Rhenenſium ſolvendorum in tribus terminis.

Convocatio nobilium Hagis in Hollandia.

Dominus Leodienſis fuit cum duce in Hagis Hollandiæ, ubi fuit convocatio nobilium, & obtinuit caſtrum Hoyenſe. In feſto Auguſtini, dominus *de Paiage* & dominus Renardus cum aliis iverunt in *Egremont*, ubi capti tenebantur tres fratres dicti *delle Chachie* qui inde fuerunt abducti, & undecima Septembris in inſula ante S. Paulum decollati, & corpora eorum poſita ſuper rotas ſupra bivium de *Bokée* & de *Louchins*.

In feſto S. Lamberti fuerunt ad miſſam XXVII. canonici, & eccleſia parata, exceptis luminaribus. De nocte clamatum fuit ad arma, & magnus timor irruit ſupra omnes, maxime Burgundiones, & naviculæ omnes Moſæ ad iſtam partem traductæ. Et domini de S. Lamberto cœperunt claudere domos clauſtrales muris & portis. Similiter magiſter Georgius *Duret* fecit portam ſupra pontem inſulæ.

In die SS. Coſmæ & Damiani fuit pax proclamata in Leodio, & ſimiliter forum ad Dominicam ſequentem, & ſtabat in *Feronſtraye* & circum, & erant multa venalia; & ex tunc homines de *Wittem* non ſunt permiſſi amplius fodere vel quærere. Item VII. Octobris data eſt gabella ad firmam.

Anno Domini MCCCCLXX. intrante, miſerunt eccleſiæ ad dominum Leodienſem in Hoyo, contra dominum Johannem de Hammalia, & alios exactores, qui ita tribulabant pauperes colonos, quod nihil retinerent, & vellent dimittere terras incultas; dominus benigne reſpondit quod ſcriberet duci.

Epiſc. Leod. venit in civitatem.

In octavis S. Johannis tertia Januarii, venit dominus Leodienſis de Hoyo in navi ad Leodium, & iverunt ei obviam multi de clero, ſed ſine habitu ad Carhenam, & cum quatuor tædis fuit ductus in eccleſiam, & facta oratione ivit cœnatum in domo cancellarii, & in craſtino fuit ad miſſam cum ſuperpellicio, & propinavit ei capitulum majus dandi caudam vini, & eccleſiæ VIII. tædas & octo laſas piperis, & octo ſt. vini; & recepit cum magna gratiarum actione. Et poſt prandium ivit pedes ad videndum deſtructionem civitatis, quia equus tranſire non potuiſſet.

Dux & epiſc. Leod. diſcordant.

In diebus illis dux præparavit armaturam ſuam, & dominus Leodienſis monuit omnes feodales ſuos in caſtro Hoyenſi. Dux erat in Gandavo, & venit ibi dominus Leodienſis: & quoniam dominus *de Humbercourt* receſſerat verſus Bruxellam, dominus Leodienſis non habuit aliquem ibi amicum. Dux petiit ſolutionem, dominus Leodienſis petiit habere computationem, & fuere diſcordes. Dominus dux ivit cœnatum hora XII. noctis, & hora IX. de mane ivit verſus Brugis. Dominus *de Humbercourt* redierat de veſpere, & cum domino Leodienſi fuit uſque ad horam tertiam de mane, ad mitigandam iram ducis. Qui hæc ſcripſit, præſens ibi fuit in expenſis domini *de Humbercourt*, ſibi tunc commenſalis. Dominus dux commiſit duobus magiſtris finantiarum, ut intenderent quod dominus Leodienſis haberet computum, & ſic omnes commiſſarii fuerunt citati Bruxellæ, ſed parum profuit, immo multum obfuit. Nam cum in quinque millibus fuiſſet differentia, quæ non fuere poſita ad computum, & reſtabant adhuc XXVIII. millia, dominus Leodienſis voluit, quod de hoc fieret tallia generalis per totam patriam, ad ſolvendum infra XVI. menſes, & de hoc eccleſiæ ſe de novo obligarent tamquam fidejuſſores, quod facere eccleſiæ omnino renuerunt. De veſ-

pere venit una littera de duce nimis rigoroſa, quæ non fuit publicata. Famabatur tamen quod dux ſcripſiſſet, quod dominus Leodienſis non poſſet imponere talliam in patria Leodienſi, ſed pertineret ad ducem tamquam ſuperiorem, & ſic totum fuit dimiſſum.

In feſto Servatii venerunt dominus *de Paiage* & Wilhelmus *Aartineaz*, & oſtenderunt commiſſionem eis datam deſtruendi omnes muros noviter factos, & etiam eos qui remanſerant Leodii & in Vizeto, & levandi omnes haſtas & arma quæ erant Leodii, & facere fieri domino duci juramentum fidelitatis, & deſtruendi omnes domos factas, præter centum & quatuor. Et electi ſunt quotidie LX. viri ad deſtruendum muros noviter factos circa clauſtrum S. Lamberti, qui fuerunt aboliti, & ad S. Walburgem omni die erant LX. operarii. Illi de S. Martino iterum convenerunt cum eo, & petierunt dilationem, & miſerunt baſtonia ad dominum *de Humbercourt*, & fecerunt ſolemnes exequias pro matre domini *de Humbercourt*, & tandem obtinuerunt ſalvationem murorum ſuorum. In craſtino aſſumtionis fuit diæta in S. Trudone de quatuor punctis, ſcilicet de diſtrictu pontis Amari-cordis, de advocatia, de tallia facienda, & de moneta. Et miſit dominus Leodienſis litteram decano S. Petri, quod eccleſiæ ibi mitterent, & ſic eccleſiæ fuerunt deceptæ, quia quælibet integra eccleſia fuit taxata ad CC. Rhenenſes.

Diæta S. Trudonis.

Item XI. Septembris cecidit quaſi draco de cœlo hora X. de ſero cum ſonitu tonitrui, unde multi mirabantur ignorantes quid ſignificaret. Graſſata eſt peſtilentia in Leodio, & fugerunt multi. Eccleſiæ Leodienſes propter peſtilentiam convenerunt in Tungris, & convenerunt quod impoſitionem non ſolverent.

Peſtis Leodii.

In die S. Remigii intravit comes *de Wervvic* cum poteſtate magna in Angliam, & fugit novus rex, & venit in Hagis Hollandiæ, & dux Burgundiæ ſororius ſuus aperuit ei ærarium ſuum, & collecto exercitu, regreſſus eſt in Angliam. In bona feria VI. facta eſt congreſſio, & in die S. Paſchæ interfectus fuit comes *de Wervvic*, & ſix novus rex obtinuit victoriam & regnum anno MCCCCLXXI.

Rex Angliæ fugiens in Hollandiam excipitur a duce Burgundiæ.

In nocte Simonis & Judæ obiit Leodii dominus Godefridus de Hannuto decanus ſancti Petri Leodienſis, qui ſeipſum & eccleſias in magno poſuerat labyrintho, unde in inſtanti ballivus de mandato domini Leodienſis arreſtavit omnia bona ſua, ubicumque locorum exiſtentia, & baſtonnarium & ancillam decani cepit, & duxit ad palatium. Eccleſiæ repetierunt eos, ſed ballivus reſpondit quod non læderentur, ſed ſi eccleſiæ vellent eſſe præſentes, examinarentur, & de omnibus fieret inventarium. Eccleſiæ multas tribulationes patiebantur propter penſionarios, & ſi habuerunt aſſignationem, tamen diu erant antequam poſſent eſſe ſoluti. Item quia reſtabant duo termini, oportebat quod coloni obligati pro illis ſatisfacerent, & eccleſiæ quæ non habent bona in Brabantia, nolebant refundere expoſita per alias eccleſias. Sic monitione præmiſſa, illi de S. Martino fuerunt reſecati a fraternitate. Tandem promiſerunt omnes ſatisfacere pro rata eis competente, ſed tarde & difficulter ad hoc perventum eſt, & fuit deputatus loco decani defuncti, pro cauſa penſionum, dominus Johannes *de Bierſes* per eccleſias.

Anno MCCCCLXXI. fugitivi de Leodio fuere proclamati ex Metis, & cœperunt manicare circa patriam Leodienſem, propter quod cœperunt vigilare in Leodio, & circum valde caute. In octavis Innocentium fecit dominus Leodienſis cantari unam ſpecialem miſſam in S. Lamberto; & poſt offertorium magiſter Hubertus Carmelita aſcendit analogium, & incœpit facere ſermonem de traditione concepta contra ducem Burgundiæ, accipiens pro themate: *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*; & in medio ſermonis fecit legi litteram per dominum ducem domino Leodienſi miſſam, de traditione per Baſtardum Balduinum fratrem ſuum; & concluſit ſermonem nimis glorioſe, & poſita fuit littera domini Leodienſis ad valvas eccleſiæ, exhortatoria ad omnes prælatos & eccleſiaſticos, quod vellent orare pro ſalute domini ducis & domini Leodienſis, & ſubditorum ſuorum, & omni feria VI. cantare unam ſpecialem miſſam cum proceſſione pœnitentiali in qualibet eccleſia, & nullus audebat dimittere.

In die Valentini miſit dux eccleſiæ Leodienſi pulchra jocalia, ſcilicet S. Georgium, caſulam, dalmaticam, tunicam cum albis, & præparamentis, mappis altaris, & tribus cappis pretioſis, in quibus eadem die celebrata fuit ſpecialis miſſa de pace, per abbatem S. Jacobi, præſente domino Leodienſi & hominibus ducis, qui hæc præſentaverant. In diebus illis dux præparavit armaturam ſuam, & obſedit Ambianenſes in quadrageſima. Dominus *Paiage* cum CC. equitibus venit in Leodio, ut eſſet capitaneus in Inſula. Iſte nulli intulit damnum. Dominus Leodienſis, convocatis feodalibus ſuis, faciebat ſtationem in Hoyo. Dominus Wilhelmus de Marka venit *Egimont* cum XC. equis & XL. peditibus in *Fexhe*, & conſumſit decimam S. Laurentii, pro eo quod incolæ fecerant arreſtari decimam, propter campanam factam in exequiis patris ſui, & ipſe miſit villicum ſuum bis ad abbatem, ut res ipſa fieret per concordiam, & abbas reſpondit, quod ex quo incolæ traxerunt eum in cauſam, ipſe vellet ſtare juri, propter quæ & alia quædam verba ſervitorum abbatis ſibi delata, indignatus fecit ibi magna damna. Et cum veniſſet cum domino Leodienſi de S. Trudone,

Obſidio Ambianenſis civitatis.

Trudone, & eſſent ſibi multa hoſpitia aſſignata, nolnit in aliquo intrare, ſed directe ivit ad ſanctum Laurentium, & ſic oportuit quod dominus abbas cederet, & per dominum *de Horion* impetravit pacem in Dominica quadrageſimæ, ſcilicet *Invocavit*, in qua bene fuerunt in prandio ad inſtantiam ſui LXXX. comedentes. Expenſæ factæ in *Fexhe* aſcenderunt ad DXC. minas ſpeltæ, exceptis duobus equis, & expenſis factis in monaſterio & refectione campanæ. Ad cujus inſtantiam fuerunt factæ quinque novæ campanæ in monaſterio S. Laurentii. In illis diebus armigeri de Francia fecerunt curſus in terra de *Morialmez*, in Florinis, in Foſſis, in *Walcourt*, diripiendo ſpolia, & abducendo captivos.

In feſto S. Gertrudis *Benottin* & magiſter Jacobus Clerici protonotarii de *Cligny*, dicentes ſe habere commiſſionem levandi taxam eccleſiis impoſitam, ſi eccleſiæ vellent ſolvere; ſi non, ipſi facerent executionem, & non peterent aliud, niſi quod aliquis eos impediret; eccleſiæ petierunt dilationem, quouſque miſiſſent ad ducem, nullam dare volebant, ſed de veſpere acceperunt a computatore S. Lamberti claves granariorum, quos reſtituerunt cautione facta per triduum. In craſtino acceptis miniſterialibus a ballivo, fregerunt omnia granaria S. Dionyſii, & fecerunt exportari LXV. minas frumenti, & CC. aut CCC. minas ſpeltæ, & deinde ad S. Paulum. Et ad S. Johannem & S. Jacobum non fecerunt executionem, quia ſtant in inſula, ſed ad omnes alias eccleſias fecerunt aperiri granaria. Et oportuit quod infra tres dies quælibet eccleſia ſolveret taxam, vel daret eis receſſum campſorum in Trajecto ſolvendum infra Dominicam *Miſericordia*. Quo facto, pari modo fecerunt ad alias eccleſias de inſula, quæ ſolum habuerunt terminum ulteriorem per XV. dies. Mendicantes, Cruciferi & alii nolebant ſolvere, ſed abſtulerunt pignora donec ſolviſſent. Eccleſiæ volebant mittere ad ducem; ſed electi de majori nolebant ire. Tandem miſerunt litteram cum ſuppriore Prædicatorum ad dominum *de Humbercourt*, qui reſcripſit, quod dux, lecto memoriali fratris Adriani de Veteri-Buſco, juravit per S. Georgium, quod ipſe poneret remedium, quia nihil inde ſciret, ſed nullus ibi fuit qui proſequeretur. Facta etiam fuit una tallia per parrochias & per Haſbaniam, & oppreſſi pauperes.

Treugæ notæ inclinant. Dux relictis Ambianis ivit ad *Bealvaz*. In Auguſto fuerunt proclamatæ treugæ novem menſium. In diviſione apoſtolorum obiit in Trajecto dominus RUTHGERUS abbas S. Jacobi.

Paulus papa II. obiit. Item XXVI. Julii obiit ſubito & improviſus PAULUS papa ſecundus, cum eodem die ſedilſet in conſiſtorio, & pranſus fuiſſet cum aliquibus ex cardinalibus; hora ſecunda noctis inventus eſt mortuus. Treugis datis, dominus *de Humbercourt* venit in S. Trudone, & prædicti commiſſarii tribulabant pauperes ſacerdotes per Haſbaniam, quos fecit ceſſare, dicens ducem nihil inde ſcire, nec ad ipſum pertinere. Tum protonotarius levatis pecuniis in Trajecto, ſummo mane receſſit, & oſtendit cedulam, iſtam exactionem in diæta S. Trudonis fuiſſe conceſſam, & decanum Leodienſem *Rycoul* & alios, ac decanum S. Petri conſenſiſſe. Qui interrogati, reſponderunt ſe conſenſiſſe non ut canonicos eccleſiarum, ſed tamquam de conſilio domini; ſic qui non ſolverant, fuerunt liberati. Illi de majori nihil ſolverunt, ſed quod eis factum fuit, deceptorium fuit. Circa Nativitatem B. Virginis famatum eſt Leodii, quod papa conceſſiſſet imperatori levare unam decimam generalem; ſed audita morte papæ, nihil inde percepimus; ſed dux Burgundiæ clerum in patria ſua ſatis exactionavit.

In menſe Decembri obiit mater ducis Burgundiæ.

Anno Domini MCCCCLXXII. XIII. Januarii apparuit cometa cum cauda longa, unde multi multa dixerunt & ſcripſerunt, & videbatur moveri ſecundum ventum. Quinta Februarii fuit tonitruum & turbo evellens arbores multas a radicibus, & domos, & horrea. Dominus JOHANNES epiſcopus Liberienſis, cum veniſſet de Lovanio ad celebrandum ordines menſe Septembri, cœpit infirmari, & obiit, corpuſque ejus ſuper currum in quo venerat, ductus eſt ad Lovanium, fraterque Lybertus conſecutus eſt officium, & ſtatim emanavit mandatum domini Leodienſis ad omnes parochias incluſas in terminis interdicti, quod nemo ibi ſepeliretur, niſi de novo reconciliaretur; & ſic pauperes iterum fuere multipliciter gravati. Dominus *de Humbercourt* aſſecutus eſt regimen, & habuit gubernationem comitatus Namurcenſis, & cum veniret de Trajecto ad Leodium, Trajectenſes miſerunt cum eo unam navim plenam armigeris uſque ad Leodium. Et de ſero venerunt Namurcenſes ei obviam ad portam S. Leonardi, cum LXXX. ſagittariis, & duxerunt eum ad Namurcum, & cum eſſet in Namurco, venerunt ſimili modo eum quæſitum Bovinienſes, & ivit ad Dyonantum, & conceſſit quod eccleſia noſtræ Dominæ cooperiretur.

Johan. epiſc. Liberienſis obitus.

Illo tempore deſcripta ſunt omnia bona quæ eccleſiæ Leodienſes habuerunt in comitatu Namurcenſi, & ſtatim facta eſt ſuper illis una impoſitio; ad quam tollendam eccleſiæ miſerunt deputatos ſuos ad Namurcenſes: quibus dictum eſt, quod cum feſtinatione mitterent ad dominum *de Humbercourt*, antequam clerus Namurcenſis eos præveniret. Qui cum debuiſſent facere relationem, invenerunt ordinatum in eccleſiis unum ſecretum conſilium, ſcilicet *Bierſes*, Baſtoria & alios. Per quos Baſtoria miſſus diu tardavit, & litteras impetratas non exhibuit. In-

terim coloni compulſi ſunt ſolvere taxam eis impoſitam, & ſic propter defectum illius de Baſtoria, negotia eccleſiarum fuerunt neglecta. Colonienſes miſerunt unam appellationem Leodii, requirentes quod eccleſiæ vellent adhærere, ſed eccleſiæ noluerunt ſe papæ opponere, ſperantes quod parceret eis propter damna quæ habuerant.

Item, magiſter *Haneron* venit Leodium, & inter cetera abſtulit eccleſiis mille florenos de gabellis, & taxati fuerunt omnes potentes in Leodio, & infra banni-leucam ad ſolvendum infra tres menſes IV. millia Rhenenſium.

Dominus *de Humbercourt* ægrotavit uſque ad mortem in Attrebato, & fecit fieri ſepulchrum ejus in capella Noſtræ-Dominæ ibidem, ſed convaluit, & recepta una ſupplicatione ab eccleſiis, ſuſcepit eas cum emunitate clauſtrali, ſub protectione ducis, & fecit ſalvam-gardiam in inſula Leodienſi, & in Namurco, quod eccleſiis multum profuit, quia ballivus & alii de conſilio domini ſatis fuerunt moleſti dominis S. Martino & aliis.

In Septembri electi ſunt per Leodium & Haſbaniam qui debebant ire ad bellum circiter ecc.

Impoſitio facta Bruxellæ pro duce.

Anno MCCCCLXXIII. magiſter Antonius voluit excipere illos de Inſula a gabellis, ſed cum difficultate. Per eccleſias proclamatum eſt unum mandatum, quod ſolverent ſicut ante. Eodem anno feria III. poſt *Eſto mihi*, dux venit in Bruxella cum potentia, & fuit receptus cum magna ſolemnitate, & cum timore & tremore: ſed tamen nihil eis fecit, ſed tantum claves unius portæ petivit, & convocatis omnibus patriis ſuis, poſtulavit quod ſibi ultra conſueta tributa, ſolverent per VI. annos ſexcenta millia florenorum, & oportebat quod faceret. Cœperunt igitur in omnibus patriis ducis fieri impoſitiones graves ſuper venalibus, & ſuper bonis eccleſiaſticis. Unde eccleſiæ Leodienſes multum læſæ fuerunt. Et quia in æſtate præcedenti totam terram Normanniæ vaſtaverat, & bene, ut ferebatur, quingenta & mille villagia incendio tradiderat, & magna pars exercitus ſui diſſenteria ſanguinolenta percuſſa interierat, datis treugis, miſit pro duce Gelriæ, quem proprius filius ſuus tenuerat in priſione, & non bene tractaverat patrem proprium. Filius etiam ejus tentus fuit a duce, & poſitus in cuſtodia. Et dux

Qui tranſit in Gelriam & plura oppida expugnat.

propoſuit ire ad partes Gelriæ, & poſuit conſilium ſuum & cameram computationum in Mechlinia, & venit in Trajecto, in diebus Rogationum, ſtetitque ibi per XVIII. dies, ordinavitque parcum ſuum prope *Merſen* X. Junii, & multi ſecuti ſunt eum, & primo obſedit *Montfort*, & obtinuit caſtrum, ſalvo tractatu. Illi *de Rulmont* dediderunt ſe. Obſedit villam *de Velloe*, qui poſt inſultum tradiderunt ſe & redemerunt ſe pro XXX. millibus, tribus decapitatis. Obtinuit caſtrum *de Brugghen*, & poſuit obſidionem ante Noviomagium, qui valde fortiter reſiſterunt, ſed quia dux Clevenſis ab una parte, & dux Burgundiæ ab alia parte graviter oppugnabant, reddiderunt ſe, ſalvis rebus & corporibus. Cumque mitteret exercitum ad Zutphaniam, habito ſalvo-conductu, venerunt ad eum, & ſe reddiderunt, & ſic totam Gelriam habuit ſubjectam in fine Julii. In fine hujus menſis obiit dux Barrenſis juvenis princeps, qua morte neſcitur. Iſta æſtate fuit ſiccitas maxima, qualis a memoria hominum non fuit.

Dux de partibus Gelriæ venit in Aquis & ſtetit ibi per VII. dies, & poſita erat diæta inter ipſum & imperatorem in Treviri, & quilibet præparavit ſe nobilius quo potuit, ad eundum cum eo. Deditque dux domino Leodienſi XIX. ulnas panni aurei pro una veſte, & honoravit eum. Fueruntque dominus imperator & dux in maximo apparatu & pulcherrimo; habuitque dux imperatorem ad prandium, & ſedit imperator in medio, a dextris cujus ſedit Maguntinus, dehinc Treverenſis, inde dominus Leodienſis. Ab alio dominus dux, juxta eum filius imperatoris, inde dux Albertus, poſt quem dominus Stephanus de Bavaria, deinde Ludovicus de Bavaria. Habueruntque ibi colloquium ſimul, ſed numquam dictum eſt quomodo vel qualiter receſſerunt ab invicem, ſed quod dux levavit ab imperatore ducatum Gelriæ & comitatum Zutphaniæ, famabaturque quod dux deberet coronari in regem, & erat eccleſia præparata, & epiſcopus reveſtitus, ſed nihil factum fuit. Imperator venit ad Coloniam, & ad Aquis, & iterum in vigilia nativitatis Domini, rediit ad Coloniam. Archiepiſcopus Colonienſis adhæſit duci, & ivit cum eo prope Baſileam, ad recuperandas certas terras, quæ ſibi noluerant obedire. Dominus Johannes de Hamalia ſubmerſus fuit redeundo de Treviri in parva aqua.

Diæta Trevirenſis.

Anno Domini MCCCCLXXIV. dux inſtituit parlamentum Mechliniæ, ad inſtar parlamenti Pariſienſis, pro omnibus patriis & dominiis ſuis. Dominus *de Humbercourt* habuit gubernationem patriæ Gelrenſis, Lymburgenſis, Lucemburgenſis, Namurcenſis, & omnium patriarum ducis ultra Moſam, & pro omnibus inſtituit unam curiam conſiliatorum in Trajecto, ubi præſidebat dominus Renardus & magiſter Georgius *Duret*, ubi etiam graves & maximæ cauſæ tractabantur & multæ.

Parlamenti Mechliniæ inſtituitur.

Iterum dux congregavit exercitum, ad eundum in Franciam, ſed una diæta tenta fuit in Bovinia. Factæ ſunt treugæ dominus W. de Marka vendiderat terram *de Peare* domino *de Humbercourt*, & iterum vendidit

Diæta Bovinia. Treugæ.

terram *de Lymay* domino *delle Voore*, & fortificabat *Egrimont*, deditque multas libratas in Leodio & in Haſbania, & ignorabatur quid iſta prætenderent, & dux venit in Trajecto circa feſtum S. Jacobi, & dominus W. fuit ad eum, & promiſit ei ſervire. Dux in adjutorium archiepiſcopi Colonienſis obſedit Nuſſiam, ubi manſit circiter XI. menſes, ſed parum profecit. Dominus W. præparando ſe ad bellum, miſit equos & homines ſuos in bonis S. Laurentii in Mommalia & circum, qui fecerunt magna damna. In feſto S. Laurentii occidit ipſe & Johannes de *Roſu* magiſtrum Ricardum *Troſellon*, vicarium domini Leodienſis in S. Trudone.

Obſidio Nuſſ.

Penultima Auguſti fuit magnum diſturbium in Leodio, quia dicebatur quod dominus W. veniret cum francigenis, & omnes volebant fugere, ſed ballivus fecit clamari, quod nemo fugeret, ſed maneret cum domino Leodienſi.

In craſtino Ægidii dominus Leodienſis accepit ſaiſinam *de Egrimont*, dominus W. miſit litteram quaſi diffidationis contra conſilium ducis & domini Leodienſis. Octavo Octobris incœperunt deſtruere caſtrum *de Egrimont*, & dux dedit illud comiti *de Chimay*.

Dux Burgundiæ cum receſſiſſet a Nuſſia, feſtinantiſſime ivit obviam regi Angliæ, qui cum exercitu magno tranſierat mare ad invadendum regnum Franciæ; ſed antequam dux ibi veniret, ambo reges fuerunt concordes. Dux ergo ſumto corpore patris ſui & matris, cum magna pompa duxit illa ad ſepeliendum in monaſterio Carthuſienſium prope Divionem, juxta corpus avi ſui. Deinde ivit ad acquirendum poſſeſſionem comitatus *de Feret*, quem dicebatur emiſſe, ſed quoniam ſtatim bene obtinere non potuiſſet, fecit treugas novem annorum cum rege Franciæ, quæ publicatæ fuerunt Leodii penultima Octobris anni MCCCCLXXV: & pulſatum fuit ad omnes eccleſias Leodienſes. Poſt hæc intravit ducatum Loraniæ, & obtinuit, quaſi nemine reſiſtente, obtinuitque villam *de Nanſi*, ubi invenit magnum apparatum, bellorum. Relinquenſque cuſtodiam militum cum uno capitaneo probo & valente milite domino *de Bevereez* ibidem, profectus eſt contra Switteníes.

Treugæ IX. annorum inter Franciæ regem & ducem Burgundiæ.

In diebus illis tentus eſt comes S. Pauli dominus Ludovicus *de Lucemborch*, & deliberatus ad manus regis Franciæ, & qui ſub dominiis ducis per ducem capti etiam fuerunt ex filiis ſuis. Poſituſque comes ad legem Pariſius, feria tertia XXX. Decembris anni MCCCCLXXV. ductus fuit ſuper xaphardum Pariſius ante domum civitatis, & condemnatus crimine læſæ majeſtatis, & depoſitus de coneſtabulariatu Franciæ, & privatus omnibus officiis, & publice decollatus. Sed ob honorem ſecundi matrimonii ſui di-

Comes ſancti Pauli traditur regi Franciæ & capite truncatur Pariſiis.

guus judicatus ſepultura, ſi requiſierit. O quam fallax eſt mundus iſte, potuit iſte bene dicere.

Igitur Balduinus Baſtardus fugiens ex Francia, venit Mechliniam, & ibi captus anno MCCCCLXXVI. & duci præſentatus, petiit veniam & obtinuit. Dux vero ut venit in terra Switteníi, ſine miſericordia illos tractavit, & cum obtinuiſſet unam villam muratam, ſtantem ſupra quemdam rivulum, omnes trucidari fecit aut ſubmergi, tradens incendio totam villam. Deinde cum poſuiſſet parcum ſuum in quodam loco ſecuro, audivit quod Switteníes venirent ad pugnam contra eum, & vocato conſilio ſuo, interrogavit nobiliorem, quid eſſent facturi: ille reſpondit, quod eſſent in loco tuto, & quod manerent ibi, donec ſcirent fortitudinem aut multitudinem aliorum, & exitus viarum; & conſilium ejus ſecuti ſunt omnes proceres, exceptis duobus junioribus, qui ſtatim reſponderunt, quod non paterentur hoc ſcandalum, ſed irent contra eos in inſtanti. Ipſe vero relicto conſilio ſeniorum, invexit verba improperii contra eos, & juxta conſilium juvenum, ivit ad prælium, & poſt parvum pratum invenit viam ſtrictiſſimam & paludoſam, quam cum intraſſet, exire non potuit. Switteníes aſcendentes per montes, intraverunt parcum ducis, & occiderunt omnes quos invenerunt, & mercatores victualia deferentes percuſſerunt, & omnia diripuerunt. Ibi dux infinita bona amiſit & inæſtimabilia circa Dominicam *Invocavit*, anno MCCCCLXXVI. Iterum alium conflictum habuit circa feſtu.. Sacramenti, & alium circa feſtum S. Johannis, ad damnum & magnum ſcandalum ſuum. Interim dux Loraniæ cœpit reacquirere terram ſuam, & obſedit iterum *Nanci*, & tandem recuperavit. His ita ſe habentibus, orta eſt diſcordia inter dominum Leodienſem & dominum *de Humbercourt*, propter monetam & propter armigeros, quos dominus *de Humbercourt* fecit eligi in Leodio & in patria, irrequiſito domino Leodienſi. Juſſit etiam deſtrui muros qui remanſerant in *Haſſelt* & in Tungris, & auferri arma a Leodienſibus & circum, in fine Novembris.

Switteníes caſtrū ducis diripiunt.

Reverſus igitur dux a Switteníibus, venit denuo ante villam *de Nanſi* & obſedit eam; & dux Loraniæ congregavit exercitum & venit contra eum. Armata regis Franciæ cœpit congregari contra *Maſirs* & *Moſoa*, & manere ibi, nec poterat quis de facili habere acceſſum ad exercitum ducis, quia cœperat ex omni parte concludi. Eratque fames valida in oppido *de Nanſi*, & in exercitu. Multi etiam confluebant ex Alemannia ad ducem invadendum. Comes *de Campobas* Lombardus dimiſit ducem, & aſſociavit ſe parti adverſæ, & ſtatuerunt hi diem belli in craſtino Epiphaniæ anno MCCCCLXXVII. Dux Loraniæ

Dux Burgundiæ cadit ante Nanceium.

divisit exercitum suum in tres partes circum ducem. Dux vero superbia motus, putans se semper victorem existere, in vigilia Epiphaniæ, quæ erat Dominica, circa horam IX. de mane, rupto ordine, invasit exercitum ducis Loraniæ, & cum sui semel cum extraxissent de bello, iterum reintravit; & cum fugeret, & equus suus non transiret ripam unius molendini, & interceptus, occisus est cum multis, & sui quasi omnes captivi.

Nota quia variæ fuerunt relationes de istis, nolui scribere sed feci copiari hic scripta scholastici Leod. de hac materia.

Nanchi nocte regum Carolus succubuit ense.

Et ita primo feria tertia repertus fuit, & notus per unum sutorem, & lotricem qui illo mane induerant lorica & camisia; sed erat ignoscibilis in facie propter frigus, quia prout dicebatur, facies erat congelata, quia maximum frigus erat, & ita tertia pars maxillæ remanserat, quæ adhærebat terræ, & ita repertus fuit, & per ducem Lotringiæ solemniter ductus in villa Nanchii, & fecit solemnissime celebrare exequias suas, & ante inhumationem fuit ostensus omnibus volentibus videre, & post positus in plumbeo repositorio, & ita Deus parcat animæ ejus. Quæ nova dum venissent ad notitiam ducissæ Burgundiæ, & domicellæ filiæ ducis in Gandavo, facta est, & non immerito, maxima lamentatio, & post modicum intervallum, ipsa ducissa renuntiavit regimini, & contenta de dota sua, accessit certum locum, & ibi tenet se honnestissime & devote. Unde nova venerunt regi Franciæ de morte ducis, & misit ipsa domicella ambassiatam versus regem, & in ambassiata fuerunt cancellarius Burgundiæ, nomine magister Guillelmus *Hughenet*, dominus *delle Vere*, dominus *de Gruythusen*, & dominus *de Humbercourt*. Et petiit rex, ut domicella jungeretur matrimonio filio suo delphino, qui juvenis octo annorum, & provideret filio de regno cum multis aliis promissionibus, alioquin tenderet ad recuperationem patriarum sibi de jure pertinentium. Quia habuit armatam paratam, & continuo fecit facta sua invadendo patriam.

Cancellarius ducis & dom. *de Humbercourt* decollati.

Quibus de ambassiata redeuntibus, capti fuerunt dominus cancellarius & dominus *de Humbercourt*, qui licet fugerat a Gandavo circa Carthusiam, casu repertus fuit, & captivus in Gandavo ductus, & dominus Guillelmus *Cligny* protonotarius, & magister Antonius *Hanneron*, & omnibus hinc inde deductis & examinatis, dati fuerunt tot articuli contra istos, ut tertia Aprilis anni quo supra, videlicet MCCCCLXXVII. decapitati fuerunt de Gandavo, & in publico circa meridiem, dominus Johannes *Mell* prædictus ballivus in Gandavo, hora IX. dominus cancellarius XII. & dominus *de Humbercourt* hora V. Protonotarius *de Cligny* tentus est captivus in Gandavo, unde fugit ad regem, & *Hanneron* de Vilnordia, ubi primo die quo captus fuit, ductus fuit: multis aliis etiam captis, qui omnes de præda vixerunt, sub umbra ducis pauperes opprimentes. Et ita Deus punit eos qui de præda vivunt. Unde plures comites insurgunt, petentes computationes levatorum a decem annis retroactis, & decapitantur plures tam in Gandavo quam aliis locis in Brabantia. Fuit etiam dominus Leodiensis in Gandavo, visitando consanguineam suam in periculo, sed tertia Aprilis rediit in partibus suis in Turringia, & mansit ibi ad aliquos dies, quia debilis.

Qualiter autem fiet de domicella, & cui tradetur matrimonio, ignoratur. Aliqui dicunt de filio regis, alii de filio imperatoris: quicquid tamen est, rex continuo recuperat multas terras ex terris prædictis per ducem possessis.

Applicuerunt autem ambassiatores imperatoris Gandavum x. Aprilis, ad consummandum matrimonium, prout scribitur, quia filius imperatoris in motu est in propria ad accedendum Gandavum cum multis principibus Imperii & Almanniæ; & requisitus est dominus Leodiensis pro parte imperatoris per comitem *de Moers*, ut in notabili comitivâ, prout tantum principem decet, associaret ejus filium.

Decima Aprilis rediit dominus Leodiensis ad civitatem suam, ubi honnestissime fuit receptus cum nobili comitiva, & gavisus fuit multipliciter populus de ejus reditu.

Duodecima die Aprilis dominus Leodiensis habuit nova, qualiter certi deputati essent in Rhemis pro parte regis, ad colloquendum de modo, qualiter dominus Razo *de Heers* intraret civitatem & patriam cum illis qui rebelles fuerunt contra principem, & recepti fuerunt in Francia. Unde missa notabili ambassiata per dominum Leodiensem ad prædictum locum, videlicet domino Antonio *Estornel* canonico Leodiensi, & archidiacono Ardennæ, & magistro Johanne *Ricourt* canonico Leodiensi, Guillelmo de Hamalia, Guillelmo *Damptins*, & Tilmanno *Valdoreal*; qui dum appropinquarent civitatem Rhemensem, habuerunt nova a deputatis regis, quod dominus Razo haberet a rege hujusmodi commissionem. Qui accesserunt dominum Razonem in vicinio civitatis Rhemensis, & habito sermone cum domino Razone & suis, dixit se velle redire ad patriam, sed intellexerat ut de domino Leodiensi sciret modum quo reintraret. Unde post longos tractatus, conclusio ambassiatæ missæ pro parte domini fuit, ut omnes intrarent, dummodo veniam peterent, & gratiose unusquisque ad propria redire vellet, prout ea reperiret, nemini de præteritis aliquid improperando. Quod dominus Razo non annuit, allegans se dominum non offendisse, & unam solam partem tenuisse, quare nullomodo peteret veniam,

etiam dicendo ſe nulla bona a domino in feudo tenere, cum ſimilibus verbis. Quare prædicta ambaſſiata rediit ad civitatem XX. Aprilis circa horam ſextam poſt meridiem, & ſexta pulſata, qua die de mane de conſenſu domini XIX. Aprilis interveniente, & ad preces capituli nobilium & humilem ſupplicationem eorum de civitate, electi fuerunt de mane XXXIII. cives apud fratres Minores, qui intrantes conclavim, elegerunt duos burgimagiſtros, nobiles videlicet Guillelmum *de Waroux* & Guillelmum *Demptinis*, qui una hora intraverunt civitatem. Guillelmus *de Waroux* a loco vicino civitatis, & alter rediens caſu de ambaſſiata, qui primo ſero apud Minores præſtarunt juramentum ſolitum per magiſtros præſtari. Unde altera die, videlicet XXIII. congregatum fuit palatium, & Tilmannus *Waldoreal* in publico retulit ea quæ reperta fuerunt penes dominum Razonem. Unde dominus epiſcopus præſens in palatio cum cunctis de capitulo & nobilibus, in publico, viſa rebellione ipſius domini Razonis, declaravit eum traditorem, inimicum ſuum & totius patriæ, deſiderando ut communitas aſſiſtere ſibi vellet, caſu quo dominus Razo redire vellet ſine ejus conſenſu, & obtenta venia, quare illo die venerunt nova, ut dominus Razo eſſet in confinibus patriæ, & armata manu vellet redire. Quo audito, dominus deſideravit, ut omnia miniſteria pararent ſe, & facerent ſibi vexilla eorum. Quod communiter placuit communitati offerenti domino ſervitia, volendo vivere & mori ſecum, quod & dominus etiam obtulit communitati. Et ita dominus expoſuit vexillum ſuum, & altero mane vexillum burgimagiſtrorum, & ceterorum miniſteriorum expoſita fuerunt in foro. Unde congregato palatio ipſo die bene mane beati Georgii, circa horam VIII. dominus deſideravit, ut ſinguli diſponerent ſe ad campos, ipſe præcederet, & incontinenti ſequi vellent, quod & ita factum eſt. Unde dominus cum copioſa armata illo die applicuit ad locum vocatum *Terneraugе*, ubi manſit ad aliquos dies. Quod audiens dominus Razo, retroceſſit, nec audebat ſpectare armatam domini. Et ita dominus rediit ad civitatem XXVII. die cum ſuis de civitate. Videlicet primo intrarunt miniſteria, poſt dominus cum nobili militia, & factum eſt magnum gaudium illo die. Unde aliquibus diebus intermediis, conſenſu domini, aliqui pro parte civitatis acceſſerunt dominum Razonem, qui audita ſequela miniſteriorum, videlicet ut dominus rogaretur, quod caſu quo dominus Razo ſe daret ad obedientiam, & præſtare vellet domino juramentum fidelitatis cum ſuis conſortibus, ut tunc in illum caſum gratiam haberent domini & miſericordiam, quod & ipſe dominus Razo deſideravit, alioquin amplius non fieret de eo mentio: ſuper quo ipſe dominus Razo miſit certos ſub ſalvo-conductu apud dominum, videlicet Ludovicum *de Seel* cum adhuc tribus vel quatuor, quibus datus fuit in ſcriptis modus, quem dominus Razo tenere deberet cum ſuis, una cum aſſignatione loci, quo dominus Razo cum ſuis, in campis expectaret dominum, cum aliquibus ex capitulo, multis nobilibus, & ceteris tam ex civitate, quam ex tota patria. Super quo miſſi pro parte civitatis apud dominum Razonem una cum Ludovico *de Seel*, cum ſibi adjunctis redierunt VIII. Maii, & reportarunt domino, quod dominus Razo cum ſuis vellent omnia facere, prout Ludovicus *de Seel* reportaverat ipſi domino Razoni. Unde dominus decima Maii acceſſit cum nobili comitiva Hoyum, & altero die in campis, facta obedientia per dominum Razonem & ſuos, recepti ſunt per dominum primo, ſalvo quod unuſquiſque tranſiret ad locum ſuum, non quod omnes pariter intrarent civitatem. Et ita illi de civitate ipſa vigilia beati Servatii intrarunt civitatem, & fuerunt forte trecenti vel circiter. Dominus autem Razo non intravit cum ipſis, ſed manſit apud ſororium ſuum dominum *d'Argenteal* in *Exhen*, & ad duos dies poſt intrat civitatem, & per dominum & per omnes bonos viros ſuſceptus fuit. Unde poſt moram factam in civitate per menſem vel circiter, multi ex eis qui de Francia venerant, XIV. Junii receſſerunt, prout fama tunc volabat, ibant penes ducem Lotringiæ, ad invadendum patriam Lucemburgenſem. Et facta fuit proclamatio prima die in civitate, ut quicumque exirent patriam animo faciendi guerram cuicumque principi cujuſcumque ſtatus vel conditionis, quod non reintraret patriam, niſi illa guerra finita. Et ita, laus Deo, pax eſt in terra noſtra, utinam in vicinio.

Unde rex continuo invaſit patrias domicellæ Burgundiæ, quam levavit de ſacro fonte, ut dicitur. (a) [In die S. Servatii armigeri intraverunt curias dominorum de S. Servatio, conſumendo omnia.] Et in tantum quod XII. Junii facto inſultu in oppido Hannoniæ, in loco qui dicitur *Avenes*, qui inſultus duravit ad XXIV. horas, tandem eumdem locum obtinuit, omnibus interfectis, qui in eodem oppido erant, exceptis forte XVI. vel XVII. Tandem ſpoliato loco per ſuos, quia illum ſpolio dederat, fecit incendi prædictum locum & oppidum; & ita ipſe rex obtentis multis locis, tam in Picardia quam ſupra ripariam Sommæ, quam etiam ex Hannonia, non ceſſat continuo ulterius damna inferre ipſi domicellæ, quod eſt lamentabile referre de tanto principe. Item, filius imperatoris nondum comparet, & domicella continuo perdit patrias ſuas. Quod autem ſequi-

Rex Franciæ expugnat & incendit Avenas. [a]

(a) Anſulis incluſa addita ſunt ab Adriano de Veteri-buſco.

tur poſtea declarabitur. Cauſa autem quare rex invadit patrias domicellæ eſt, quod poſt mortem ducis Burgundiæ rex miſit ambaſſiatam apud ipſam domicellam requirendo eam quia patre careret, & rex vellet eam tradere nuptui delphino filio ſuo, cui traderet omnes patrias, in qua haberet actionem adverſus eam, & vellet reſignare coronam filio ſuo, & creare eum in regem, & eam in reginam: quod ipſa domicella non annuit, quia matrimonium per viam de futuro eſſet tractatum inter filium imperatoris & eam. Et videbatur conſilio domicellæ, ut delphinus non eſſet ætatis, quia infans forte octo annorum [& non habebant fidem in verbis regis, ſed magis deceptionem.] De quo rex indignatus, continuo invadit patrias domicellæ, & timendum eſt quod ulterius progrediatur, ſed ſimilis plaga non eſt facta qualis in *Avenes* [& in Attrebate & Cameraco.] Et hoc quia inſultu durante, rex miſit unum de hyraldis ſuis, ſi vellent ſe reddere regi quod ſuſciperet eos. Qui heraldus per illos qui in oppido erant occiſus fuit, & in multis peciis poſitus, quod rex percipiens, habita victoria, fecit omnes poni in ore gladii, de quo dolendum eſt. Et rex continuo, utens potius voluntate ſua quam ratione, plaga crudeli affligens totam patriam Picardiæ, Sommæ, & Flandriæ, quam immerito procedit contra domicellam, non obſtantibus ejus precibus & oblationibus quas offert regi.

Adventus Maximiliani filii imp. in oppidum Trajectenſe.

Unde ſic peractis, habitus eſt ſermo de adventu domini MAXIMILIANI filii imperatoris, qui licet videbatur extraneus in auribus audientium, poſt longam tamen moram, in fine venit, & intravit oppidum Trajectenſe quinta Auguſti anni præſcripti, & fuit in ejus comitiva archiepiſcopus Trevirenſis, dux Juliacenſis, & multi alii; pauci tamen principes, niſi iſti duo: & fuit honeſtiſſime in eodem loco receptus per ambaſſiatores domini Leodienſis. Fuerunt etiam quatuor canonici Leodienſes de conſilio domini, dominus *de Aremberch* cum IX. militibus, & bene XX. nobiles de domo domini, & exierunt obviam domino Maximiliano bene cum CCC. equis; & ita poſt duos dies ipſe princeps receſſit a Trajecto, & XIV. ipſius menſis duxit domicellam Burgundiæ in Gandavo in uxorem, & fuit celebratus actus nuptialis in certa capella extra oppidum Gandavenſe. Quo celebrato, intrarunt oppidum cum maxima ſolemnitate & magno gaudio, & fuerunt cetera peracta, quæ ad hujuſmodi actum requiruntur.

Maximilianus domicellam Burgundiæ ducit uxorem.

Conſpiratio in principem & patriam Leodienſem.

Unde de poſt & circa finem Auguſti miſſa eſt per regem certa ambaſſiata in Leodio, & fuerunt duo numero, qui licet ſatis leves in factis ſuis & moribus apparuerunt, prout Francorum mores ſunt; res tamen eorum fuit ad divertendum populum, & incitandum eum tam contra principem, eccleſiam, militiam, civitatem, & totam patriam, dando ipſis multa intelligere, & in tantum, quod multi machinati fuerunt in principem, ipſum invadendo & captivando, una cum domino Guilhelmo de Marcha, & captivos ad Franciam ducendo aliquos, quos in civitate odio habebant, occidendo, & divites ſpoliando: quæ res miraculoſe ad lumen deducta fuit per captivum unius, qui vocabatur *Chabottea*; qui captus fuit prope Boviniam, & poſitus ad torturam, qui iſtam machinationem confeſſus fuit. Quæ confeſſio incontinenti domino Leodienſi per triduum ante diem conceptum, quo iſta fieri debebant, tranſmiſſa fuit, aliquibus per dictum *Chabottea* accuſatis, ad quos incontinenti poſita fuit manus per officiarios domini, & decapitati fuerunt tres quarta Octobris, & unus ſexta ejuſdem menſis; qui confeſſi fuerunt, quod Dominica, quæ fuit in profeſto Michaëlis, de nocte debebant intrare palatium, & captivos habere dominum Leodienſem, & dominum Guillelmum de Marka; ſed per confeſſionem *Chabottea*, fuit interruptum eorum propoſitum, & ita continuo ſollicitatur per dominum, ut factores iſtius ſeditionis poſſint apprehendi & juſtitiari; quod eſt miraculum referre. [*Hæc de verbo ad verbum ſcripſit dominus G. de Eldris Scholaſticus Leodienſis, quæ fecit copiari per alium ex cauſa* ADRIANUS *qui deinceps pergit.* Circa tamen hanc ultimam particulam ſciendum eſt, quod tertia Octobris, quæ erat feria VI. captus fuit Ægidius, filius Johannis *d'Ammeonde*, villicus de *Montengis*, & alii quatuor vel quinque, & exierunt aliqui ad perquirendum alios. Et circa horam X. dominus Leodienſis cum vexillo ſuo fuit ſuper forum ad gradus, & fuerunt ſui in armis, & dixit, quod vellet ſcire, qui eſſent amici ſui, & qui non, & magiſtri fecerunt vocari miniſteriales ſuper cameras ſuas, & reſponderunt domino, quod vellent manere cum eo, & erat ſupra forum magna congregatio. Illa nocte villicus poſitus ad torturam, confeſſus eſt omnem traditionem, & duo alii ſecum, & fuerat ipſe villicus cum uno alio, cuſtos de foro. In ſabbato ergo dominus Leodienſis fecit omnes ſuos accipere arma, & habebant colubriſſas paratas juxta ipſum, & in foro illi qui dicuntur de Halla fuerunt armati, & productus villicus ſuper xaphardum, interrogatus eſt, an maneret juxta ea quæ in cedula lecta coram eo continebantur, reſpondit quod ſic, ſed excuſavit ſe, quod numquam fuit de mente ſua, quod dominus Leodienſis occideretur; de captione non negavit, & ſic fuit decollatus & in quatuor partes diviſus; alii duo fuerunt etiam decollati. Ludovicus *de Suel* die præcedenti receperat a domino Wilhelmo de Marka pro advocatia de *Franchimont* quadringentos Rhenenſes, ut ferebatur, & receſſit. Feria ſecunda iterum decollatus eſt unus. Octava Octobris decollatus fuit in

Conſpiratores ſupplicio addicti.

Trajecto Benottinus *de Pardieu*, quia fecerat & locutus fuerat contra privilegia oppidi. Sic mundus amatores ſuos decipit, & ad miſerum finem perducit. Decollatus fuit etiam Leodii *Steen Ponchineal*, qui præter cauſam traditionis etiam latrocinium confeſſus fuit. *Ponchineal* filius *Giele Ponchin*, gubernator miniſterii fabrorum, etiam captus fuerat, ſed poſitus ad torturam nihil dicere volebat. Sed laniſta de Thenis-monte induit eum ſotulares cum ſapone ante ignem, quod excedit omnia tormenta, & ſic confeſſus eſt, & fuit decollatus. Fuit etiam decollatus cum eo unus de Herſtallio, gubernator miniſterii ſui, qui confeſſus eſt, ſicut dicebatur, quod debuiſſet dare primum ictum domino Leodienſi, ad eum occidendum. Vigeſima Octobris degradatus fuit quidam clericus qui portaverat litteras & negotia de iſto facto, ſuper xaphardum erectum ante palatium, per dominum epiſcopum Lybertum in pontificalibus veſtitum, præſentibus omnibus abbatibus civitatis reveſtitis ſupra xaphardum, & decanis ſedentibus inferius ſupra ſcamnum in habitu clericali, & traditus curiæ ſæculari, qui eodem die decollatus fuit cum uno jurato miniſterii viticolarum ſupra forum. Hic dicebatur accuſaſſe alios. Preſbyter de *Chainey* venerat ad dominum Leodienſem cum ſalvo-conductu, qui dicebatur ſcripſiſſe litteras ex parte *Rouxhar*. Quapropter dominus fecit proclamari, quod quicumque poſſent capere ipſum *Rouxhar*, darentur ſibi centum floreni, & ſic multi per ſilvam quærebant poſt eum. Dominus Leodienſis demandavit patriam ad xxii. Octobris, & propoſuit de iſta traditione, & quod omnes proſcriberentur, & fieret de eis ſicut de Waltero *Datin* factum fuerat, & ad exemplum futurorum, feſtum proclamationis eorum in epiphania Domini, ſicut moris fuerat, celebraretur; ſimiliter fieret de iſtis traditoribus Dominica poſt Michaëlis, quia iſtud factum multo turpius & pejus erat. Item, quod miſerat dominus ambaſſiatam ad rehabendum litteras obligatorias civitatis & patriæ, pro impletione pacis factæ inter ipſum & ducem Karolum, pro qua cauſa etiam e contra hic fuerant miſſi aliqui ex parte patriæ Brabantiæ, unde eſſent concordes ſubmittere iſtam cauſam determinationi ſummi pontificis, & ſicut dicebatur interim litteræ deponi deberent in Colonia vel in Aquis.

Obitus Razonis de Linthris.

In die Criſpini & Criſpiniani obiit Leodii dominus Razo de Linthris, dominus *de Heers*, & in craſtino in Dominica fuit corpus ejus ductum ſuper currum abbatis S. Laurentii in *Heers* caſtro, cum multis equeſtribus, & feria ſecunda ſepultus ibidem. Parum gaudii poſt reverſionem ſuam habuit, quia calculo laboravit, & audita fama quod filia ſua cum uno ſtudente Pariſienſi receſſiſſet, triſtitia tabefactus, vix induci potuit quod ordinationes ſuas faceret, aut confiteretur, euchariſtiam non recepit, ſed tamen unctus fuit. Parcat animæ ſuæ Deus, & miſereatur omnibus per eum multipliciter afflictis & tribulatis. Dominus Johannes capellanus ſuus abſens erat, quia iverat ad Franciam ad reducendum dominam ſuam, domini Razonis uxorem. Captus fuit unus ſenex qui dicebatur per ſilvam ſalvum conductum feciſſe *Rouxhar*, ſicque evaſit; iſte fuit decollatus ſuper xaphardum in vigilia Omnium-ſanctorum. Iſte dicebatur & alios accuſaſſe. Et ſtatim proclamati & banniti fuerunt ac proſcripti in perpetuum extra patriam Leodienſem, ducatum Bullonenſem, ac comitatum Loſſenſem, Ludovicus *de Seel*, Johannes *de Fomay*, mater ejus, uxor & ancilla, *Rouxhar* & omnes alii in perpetuum, & omnia bona eorum confiſcata, & quod nullus faciat eis aſſiſtentiam, ſub pœna talionis, præſentibus omnibus ſcabinis. Et villicus proclama factum poſuit in cuſtodia ſcabinorum; & dixit magiſtris civium, qui ibi præſentes erant ex parte domini Leodienſis, quod proclamationem factam facerent regiſtrari in regiſtris civitatis. Et in die S. Martini fecerunt cives juramentum allegationis contra iſtos, ſicut contra Datinenſes, & eodem modo ſervare.

Circa feſtum Omnium-ſanctorum fuit legatio domini ducis in Leodio, & iverunt ad Aquiſgranum, ad deponendum litteras pacis & obligationum in capitulo Aquenſi, quas capitulum Aquenſe, propter ea quæ facta fuerant in Trajecto dominis de S. Servatio, primo nolebat recipere, ſed poſtmodum cum difficultate recepit.

Iſtis temporibus, ſcilicet in fine Septembris & in menſe Octobris, ſurrexit ventus borealis, & commovit mare & aridam, & rupti ſunt aggeres circa Antuerpiam, in Flandria, & in Zelandia, in Hollandia inter *Aemſterdam* & Trajectum inferius, & in Friſia, & fuerunt maxima damna in multis. Ferebaturque quod aqua fuit Antuerpiæ in eccleſia beatæ Virginis in altitudine duorum pedum. In diebus illis venit ad nuptias in Hoyo *Coriolhe* de Namurco, qui ſtatim captus fuit & poſitus in priſione; quapropter dominus Leodienſis cum domino Wilhelmo de Marka & ccc. equis ivit ibi, & voluit eum extrahere, ſed Hoyenſes armati volebant impedire: quapropter dominus ivit ſupra caſtrum, & tandem poſt multas difficultates fuit *Coriolhe* deliberatus domino Leodienſi. Etiam *Chabotteal* fuit ſibi tranſmiſſus in Hoyo per D. dominam Auſtriæ ex Namurco captivus in caſtro Hoyenſi, qui cum ductus fuiſſet ad Leodium, decollatus fuit in vigilia S. Thomæ apoſtoli, & diviſus in quatuor partes. Fuit etiam decollatus eodem die famulus Ludovici *de Sealh*, & unus ſuſpenſus ad S. Ægidium. Habuerat autem dominus Leodienſis multas inſtantias pro prædicto *Chabotteal*, ſed nolebat eum relaxare. Inſuper famabatur

quod dominus Leodienſis ſolviſſet omnes expenſas captivitatis & cuſtodum ipſius, aſcendentes ultra cccc. Rhenenſes. Venit igitur rumor Leodii, quod in ultionem mortis ejus Francigenæ deſcenderent ſupra patriam Leodienſem, & venirent ad feſtum epiphaniæ. Conceſſa fuit domino Leodienſi per Haſbaniam una talhia ad tertiam partem impoſitionum, & in vigilia & feſto epiphaniæ præceptum fuit vigilare per omnia loca, per tres noctes, & canonici de qualibet eccleſia cuſtodiebant vigilias, ad minus ſex de qualibet eccleſia per tres noctes; & celebratum feſtum de Datinenſibus more antiquo, & lectæ utræque litteræ allegationum, ordinatumque fuit quod mitteretur una ambaſſiata mittenda ad regem Franciæ, & quod hac vice fieret una collecta gratioſa, ad ſolvendum Swittenſes, & intenderetur reparationi murorum civitatis Leodienſis, & ſic unus fuit taxatus ad duos ſcuferos, alius ad tres, divites ad decem. Populus ad petitionem domini Leodienſis reſpondit, quod non vellet tenere ſtipendiarios contra regem. Et fuit patria demandata ad feriam tertiam poſt *Reminiſcere*, in qua concluſum fuit, quod mitteretur ad diætam conceptam in *Maſyr*, infra quod ſpatium Francigenæ fecerunt unam turmam, & curſum fecerunt in comitatu Namurcenſi uſque ad *Molins*, & circa *Haſtyr* combuſſerunt. Reverſis ambaſſiatoribus de *Maſyr*, fuit diæta poſita ad ultimam Martii, ubi dominus Leodienſis reſpondit, quod non vellet tenere aliquam partem, nec cum uno, nec cum alio, ſed ſtare in pace. Sed ſi neceſſe eſſet, vellet patriam ſuam defendere. Dominus Wilhelmus in illa diæta, & ſimiliter in alia, quæ fuit tenta Leodii IX. Aprilis, ſupra palatium reſpondit, quod vellet manere cum domino Leodienſi, & cum eo vivere & mori. Comitatus Loſſenſis & bonæ villæ reſponderunt ſimiliter; & ſic concluſum fuit generaliter, manere cum domino ſuo Leodienſi.

Diæta in oppido *Maſyr*.

Diæta Leod.

Dominica infra octavas aſcenſionis dux Maximilianus tenuit Brugis feſtum de *Touſſons*. Quo cognito, Francigenæ congregato exercitu, invaſerunt comitatum Hannonienſem, & combuſſerunt Malbodium & *Condit*, & alia. Maximilianus ſtatim perrexit eis obviam cum Flammingis, qui combuſſerunt XL. villagia juxta *Maſyr* & *Moſong*.

Franci Malbodium & Condetum incenderunt.

In die S. Barnabæ apoſtoli, ad rogatum domini Leodienſis, reductum eſt in civitatem Leodienſem inſigne faſtigium franciliarum civitatis Leodienſis, ſcilicet *le Peron*, quem Karolus dux deponi fecerat de fonte fori Leodienſis, & deportari ad oppidum de Brugis in Flandria, & receptus fuit Leodii cum magna jocunditate illa die, & erectus in foro ſuo unde ablatus fuerat XVIII. Julii ejuſdem anni.

In die Acacii & ſociorum ejus, natus eſt PHILIPPUS filius primogenitus MAXIMILIANI ducis, ex MARIA filia unica KAROLI ducis Burgundiæ, Brabantiæ, &c. de cujus nativitate gaviſi ſunt multi, & dominus Leodienſis fecit conſtrui magnum ignem ante palatium, & duci choreas circa ignem in feſto S. Johannis, & Dominica infra, & ipſe fuit præſens uſque ad XI. horam noctis. In menſe Julii fuerunt treugæ inter regem & ducem per annum.

Philippus Maximiliani primogenitus natſcitur.

Anno eodem, ſcilicet MCCCCLXXVIII. in feſto S. Jacobi fuerunt electi in magiſtros civitatis, dominus Wilhelmus *de Horion*, & Matthias *Hevveaz*. In diebus illis incœperunt fortiter & inſtanter reparari muri civitatis Leodienſis, tam per cives, quam per parrochias. Maximilianus venit in Buſco-ducis, & illi de Noviomago demandaverunt dominum *de Brunſvvic*, & dicebatur quod debebat deſponſare filiam de Gelria, & eſſe cuſtos patriæ uſque ad legitimam ætatem verorum heredum, & ferebantur multa mendacia, cœpitque guerra ibi ſatis dura.

In menſe Septembri fuit patria Leodii demandata, & propoſuit dominus Leodienſis, qui in talibus diætis ſemper perſonaliter dicebat verbum ſuum, de condeſcendendo ſibi in expenſas quas fecerat in diverſis warniſionibus poſitis per patriam, & de multis aliis punctis. Eccleſiæ etiam ſibi conceſſerant cum magna difficultate ſubventionem unam facere, dominus W. etiam inſtitit apud cives habere aliquos ex miniſteriis; ſed cives nolebant intendere. Tunc electi fuerunt quidam ex tribus ſtatibus qui deſuper providerent. Qui congregati ordinaverunt, quod dominus Leodienſis diminueret ſtatum ſuum ad tertiam partem, ita quod qui habuerat tres equos, in expenſis domini, haberet unum. Et dominus Wilhelmus qui habuerat XXXVI. haberet XII. & ſic de aliis. In die S. Nicolai quia Brabantini miſerant unam ambaſſiatam de tribus ſtatibus Brabantiæ, ad regratiandum domino, quod nulli adhærere partium voluiſſet, & requirendum ulterius de confœderationibus faciendis ad invicem; ſuper palatium rogavit omnes habere pacem ad invicem, & quod non attenderent facere aliquas allegationes cum quibuſcumque principibus, quia vellet ſtare in pace, & de nullo ſe interponere.

In illis temporibus famabatur Leodii, quod dominus Wilhelmus vellet dare unam libratam, quam ſexcenti homines & plures portarent, & cœpit ipſe ire per eccleſiam Leodienſem cum multis ſatellitibus, habens poſt ſe multos armigeros cum ſpatis & lanceolis circum ſe ambulantes, ſicut dux Burgundiæ habuerat, unde multi mirabantur. Et licet duciſſa Burgundiæ ſibi requiſiverat terram de *Lumayge*, & fuiſſet reinveſtitus in ea per dominum *delle Veere*, in oppido de Breda, coram feodalibus domini Leodienſis, qui ibi ducti fuerant, tamen videbatur parum curare

de

de ea. Et cum multi murmurarent de prædicto ſtatu per dominum Wilhelmum ſic aſſumto, dominus Leodienſis dixit ſibi, quod illum dimitteret, quia non deceret, nec ipſe ſuſtinere poſſet. Quapropter, ut ferebatur, indignatus receſſit in *Franchimont*, quod impignoraſſe dicebatur, & cœperat fortificare xv. Decembris. Comitatus Loſſenſis redemit a domino Leodienſi obligatione facta ſibi ad vitam ſuam de duobus ſcuferis, ſupra quamlibet domum ſitam in comitatu *Median*, quatuor millia floren. Rhen.

Anno Domini MCCCCLXXIX. attendentes conſules, quod ex parva occaſione inter dominum Leodienſem & dominum Wilhelmum, poſſet aliquid mali oriri, miſerunt ad dominum W. magiſtros civitatis, ad mitigandum animum ejus indignatum: qui invitaverunt eum ad feſtum epiphaniæ, & ſimiliter dominum Leodienſem. Dominus Leodienſis venit & comedit cum magiſtris, ſed Dicta Leod. dominus Wilhelmus non venit. Fuit in Dominica ſequenti ad diætam patriæ, in qua concluſum fuit quod mitteretur ad regem, ſed nemo curabat ire.

Iſtis diebus emerſerunt multi fures & latrones in Flandria, Brabantia & in Leodio, ac in comitatu Loſſenſi, & dicebantur bene eſſe cc. confœderati ſimul, quorum multi in diverſis locis fuerunt comprehenſi. Dominus *de Egmont* obtinuit *Arnen*, & dominus Fredericus *de Wittem*, aſſumtis armigeris de Falcomonte, & terrarum de *Lymburg*, obtinuit Novam-villam, & ivit ante *Vello* in fine Octobris anni præcedentis.

Dux Maximilianus venit in Buſco-ducis, & combuſta eſt terra de *Cuck*, & fuit receptus in *Rulmont*, & in *Vello*, ſicut *Pandheer*, ſed propter diſturbium in Gandavo ortum, receſſit illic ad pacificandum. Poſt cujus diſceſſum habuerunt conflictum Buſco-ducenſes cum Ghelrenſibus, in quo conflictu villicus de Buſco-ducis fuit occiſus, & dux de *Brunſwic* vulneratus: de quo vulnere ægrotavit, & procedente tempore factus eſt inutilis, & reductus fuit in terram ſuam in menſe Septembri ſequente.

Hoyi factum eſt diſturbium propter turrim *Tardaviſey*, quam oppidani volebant rehabere aut deſtruere; ſed dominus Leodienſis ivit illic, & pacificavit eos.

Reverſis his, qui cum ſalvo-conductu fuerant in Francia ex parte capituli, nobilium, & civitatis, ubi juvenis *Pollain* creatus fuit Dicta Leod. miles, dominus Leodienſis convocavit patriam in Leodio x. Julii, & propoſuit ſex puncta. Primo, quod de nulla parte vellet ſe intromittere, & ergo non miſerat ad Franciam. Secundo, quod litteras proclamationum vellet teneri ſub pœna talionis. Tertio, quod nullus faceret diviſiones in patria, & nullus daret libratas, niſi his qui quotidie eſſent in menſa ſua, aut officiatis ſuis, villicis, ſcabinis & ſimilibus, quia famabatur quod dominus W. vellet dare ſeptingentas libratas. Cives multum operabantur ad muros, & rogabant eccleſias & prælatos, quod juvarent eos: unde dominus Leodienſis fecit fieri virgatas.... Eccleſia major, etiam ſecundariæ eccleſiæ cum prælatis virgatas xxx. quælibet ſcilicet tres; Carthuſienſes, Carmelitæ, Cruciferi, quilibet unam.

In die proceſſionum ad Scholares, cum eccleſiæ exirent eccleſiam S. Lamberti, venit dominus Wilhelmus cum LXXX. equis obviam proceſſioni in armis ſuper forum, & gyrum fecit infra gradus & forum piſcium, & ita tranſivit ante palatium, unde multi fuerunt obſtupefacti. Unde dominus Leodienſis receſſit verſus Tungris, & dominus Wilhelmus in craſtino etiam ſecutus eſt eum ibi. Dominus Leodienſis ivit ad S. Trudonem, & dominus W. in craſtino etiam venit ibi; quod valde diſplicuit domino & multis, & ignorabatur quid iſta prætendebant. Aliqui dicebant quod debebat [eſſe] capitaneus in Gelria, ſed non fuit admiſſus.

In diebus illis fuit magna diſſentio in Hollandia inter *Hocchz* & *Cabbeilhau*. Item, rex Franciæ obtinuit totam Burgundiam, & dominus *de Argue* fugit, & venit Leodium uxor ejus, & iverunt obviam equeſtres & pedeſtres de civitate Leodienſi domino ſuo epiſcopo qui duxit eam de Trajecto, quia ſoror ejus eſt, in palatium ſuum, & in craſtino duxit eam ad miſſam, & deinde ad Antuerpiam. Rex Franciæ totam obtinet Burgund.

In feſto S. Jacobi electi ſunt in magiſtros civitatis dominus Wilhelmus *de Bierlo*, & dominus Quintinus milites. Dominus *de Horion* obtulit pecunias de magiſtratu ſuo, ad refectionem portæ S. Margaretæ. In Auguſto, cum MAXIMILIANUS cum Flandrenſibus obſideret civitatem Morinenſem, venerunt Francigenæ cum multitudine, ad levandum obſidionem. Contra quos Maximilianus obtinuit victoriam: ſed qui relicti fuerunt in obſidione, fugerunt, unde exeuntes de civitate ſpoliaverunt caſtra, & occiderunt omnes qui portabant victualia. Maximilianus congregatis armigeris, ivit in Franciam, ſed illi receperant ſe in oppidis muratis diſperſim, & ſic neminem invenit, & retraxit ſe. Poſt cujus regreſſum, Francigenæ erumpentes ex diverſis oppidis & caſtris, fecerunt diverſos & damnoſos diſcurſus in Flandria, rapinis & incendiis vaſtando villagia multa. Dominus vero ivit in *Maſyr*, & non fuit receptus ſicut putaverat, & venit in Leodio, & cœpit infirmari uſque ad mortem in domo triſtis, in S. Martino in Septembri; ſed convaluit in menſe Octobri. Novi magiſtri. Morinorum obſidio.

Infra octavas S. Lamberti fuit cantata ſpecialis miſſa ad petitionem domini Leodienſis, quam cantavit abbas S. Huberti, quia dominus Hubertus nolebat eam dicere, propter diſſenſionem quam habebat cum domino

LYBERTO episcopo Beritensi, & abbas noster * S. Laurētii. * erat infirmus, & abbas S. Jacobi fuit in nundinis Antuerpiensibus.

Item XXIII. Septembris fuit facta una executio ad valvas ecclesiæ Leodiensis, contra prælatos nigri ordinis, eo quod non interfuerant provinciali concilio, de qua causa essent multa scribenda.

In principio Novembris fuerunt publicatæ Leodii indulgentiæ pro Monte S. Bernardi, de quibus postea fuit dubium an valerent. Fuit etiam dissensio de pensionibus in Lovanio, & magnus murmur contra *Piron de Horion*, quia levabat gabellas, & non solvebat pensiones. Magistri moniti fuerunt parati, sed contra dominum Leodiensem nullius audebat dicere verbum, & sic mansit semper cum parvo fructu querela ecclesiarum.

Violetta construitur. Anno MCCCCLXXX. in mense Martii, incœpta fuit domus civitatis in Leodio fundari, quæ dicitur Violetta. Dominica *Oculi* ivit dominus Leodiensis in *Curinghen*, & cum eo dominus Arnoldus de Eldris cantor & sigillifer Leodiensis, qui ibi cœpit infirmari, & venit Leodium feria VI. & obiit improvisus & intestatus, & nihil quasi inventum est de bonis ejus, fuitque parabola magna de ipso in clero & populo. Dux Maximilianus ivit ad sedandum seditionem quæ erat in Hollandia inter *Hoecks* & *Cabelhau* magna valde. Tempus fuit valde frigidum & pluviosum. Renovata est quædam executio ad valvas ecclesiæ Leodiensis, contra prælatos nigri ordinis pro capitulo provinciali; unde fuerunt omnes prælati prædicti vocati per dominum Leodiensem, ad videndum quid deberet fieri in tali casu, infra octavas ascensionis. Et fuit appellatum, de qua appellatione non habuimus nisi expensas extra bursam.

Dissentio inter Wilhelmum de Marka & epis. Dissensio inter dominum Leodiensem & dominum Wilhelmum de Marka renovata est, quia dominus W. quadam vice insecutus fuit dominum Leodiensem de Leodio usque in Tungris, & de Tungris usque ad Sanctum-Trudonem, quod dominus valde ægre accepit, & incœpit eum timere. Insuper dominus Wilhelmus suscepit illos qui proclamati fuerant in Leodio. Quapropter dominus Leodiensis declaravit eum inimicum suum, & voluit eum proclamari, sed civitas noluit.

Dieta in valle S. Lamberti. Et posita fuit diæta in Valle S. Lamberti, ubi venit & accepit inducias x. dierum ad respondendum.

In festo S. Johannis Baptistæ dominus convocata patria in Leodio, exposuit querelam suam, & petiit de quolibet ministerio duos homines ad custodiam sui, & concessum fuit ei, similiter de vigiliis. In octavis S. Johannis ivit ad Hoyum, quia ibi fuerunt aliqui, qui volebant intromittere dominum Wilhelmum; & pacificatis omnibus, petiit ibi homines pro custodia sui & castri, & fuit sibi concessum, quia nemo audebat sibi contradicere.

In festo S. Jacobi fuerunt electi in magistros Wilhelmus *Bare* & Jo. *Courjoye*. D. MAXIMILIANUS fuit receptus in Namurco cum MARIA uxore sua, & armigeri intulerunt pauperibus & civibus magna damna. Dominus Wilhelmus, assumtis armigeris, fecit cursum contra Boviniam, ubi erant homines domini de *Nasson*, qui exeuntes contra cursores improvise, fuerunt quasi inclusi ab eis, & ceciderunt vel capti fuerunt de Bovinienſibus circiter LX. & de aliis quasi CC. Sed cum secundo exissent homines domini Wilhelmi, Namurcenses eis occurrerunt, & fuerunt cæsi & capti in duabus turribus, & *Drubu* fuit captum & spoliatum, & incendio traditum, cum parte castri, & incolæ capti & ducti in Namurco in Augusto. Item, castrum de *Long* fuit redditum, terra Stabulensis spoliata. In mense Septembri fuerunt treugæ, & redierunt pedites ad propria. MAXIMILIANUS de Namurco ivit ad *Lucemborck*. Cœpit fieri inquisitio in Leodio, & feria II. IV. Septembris fuit proclamatus dominus Wilhelmus *de Aremberg*, bannitus extra patriam Leodiensem, præsente domino Leodiensi, & cum sonitu tubæ; & cum eo Tilmannus Scabinus, & VI. alii.

Conspiratio in D. Leod. ex parte Wilhelmi. In Octobri denudata est una conspiratio concepta in Hoyo contra dominum Leodiensem, ex parte domini Wilhelmi. Unde dominus Leodiensis ivit illic in crastino Calixti, & fuit ibi unus quartelatus, & fugerunt de Hoyo, Hugo de Seranio & filius ejus, Hustinus *d'Outremont*, Henricus *de Varnant*, & alii quidam. Dominus Leodiensis requisivit ab illis de Hoyo XXXVI. florenos Rhenenses, & quod litteræ allegationum sigillarentur, & fugitivi proclamarentur. Hoyenses petierunt dilationem usque ad feriam VI. quæ erat dies S. Huberti, quam dominus concessit his verbis: « Bene volo dare dilationem, sed volo quod faciatis, alioquin ego faciam quod faciatis, velitis nolitis. » Rediit Leodium quatuor Coronatorum.

Anno Domini MCCCCLXXXI. incœperat gelare in festo Clementis, & duravit septem diebus, & iterum cœpit gelare in festo S. Stephani, & duravit continue sine aliqua quacumque degelatione usque ad Scholasticæ, & tunc gelare cessavit, absque pluvia tamen aut nive. Iterum cœpit gelare prima Martii, & duravit XX. diebus, & fuerunt omnes vineæ congelatæ usque ad radices, & si aliqua vina creverunt in Hoyo aut supra Rhenum, non potuerunt matureſcere propter frigus.

Dieta inter regem Franc. & ducem. Fuit diæta inter regem & ducem, ubi missi fuerunt duo legati, sed non poterant concordari. Rex Franciæ misit unum hyraldum ad Leodium cum litteris, super quibus fuit patria demandata, & concluſum quod mitteretur unus nuntius cum litteris continentibus omnia facta, concepta & confessa eorum qui capti fuerant ex parte domini Wilhelmi & suorum. Qui nuntius reportavit

unam litteram parvam in ſcripturis, magnam in ſenſibus, cujus copiam oſtendit nobis caſtellanus de *Menehal*, ſic continentem.

TRIBUS STATIBUS PATRIÆ LEODIENSIS.

Epiſtola regis Franciæ ad Leod.

» Recepi litteras veſtras, & obſtupeſco, quod » de die in diem declaramini eſſe contra me, » ſpecialiter propter dominum *de Aremberch*, » amicum & ſervitorem meum. Et niſi aliter » vos habeatis, non poſſem contentari de vo» bis. Sed ſi vultis quod aliquid faciam pro » vobis, teneatis vos in aliis terminis, quam » hucuſque feciſtis. Ad Deum. Scriptum in » *Chaſtelhau* :11. Januarii. LOYS.

Concluſum fuit quod ponerentur homines ad cuſtodiam in finibus patriæ, & quod de quolibet domiſtadio ſolveretur unus ſcuferus, & quod nulli partium adhærerent. In diebus iſtis non inveniebatur panis venalis in Leodio, & fuit cariſtia in omnibus partibus. Modius ſpeltæ vendebatur XXXII. ſcuferis & XXVIII. in Namurco, aliquando XXXVI. & plus.

Circa Valentini miſit dominus Wilhelmus unam litteram domino, unam magiſtris & miniſteriis, tam ex parte ſua quam amicorum, de qua petebat reſponſum: ſcilicet, ſcire cauſas quare eſſet bannitus. In feſto Matthiæ miſit unam aliam litteram ad habendum tranſitum cum quingentis lanceis per patriam Leodienſem. Supra quibus litteris fuit patria demandata, & concluſum, quod tenerent neutralitatem, & quod per legem factum fuit, non poſſet infringi. De qua ſequela dominus Leodienſis fuit multum gaviſus, quia timebat quod vulgares dicerent, quod non pertinebat ad eos, nec eſſent judices, nec feciſſent reſponderi, fueruntque tunc multi nobiles præſentes, & dominus *de Rochefort*, & alii.

Proclamatæ fuerunt treugæ inter regem & ducem.

Treugæ inter regem & ducem.

In Leodio magnus fuit murmur contra piſtores, quia non inveniebatur panis venalis in Leodio, & quod ordinatum fuerat ſuper palatium piſtores nolebant tenere; unde miniſterium hullariorum clauſum fuit ſuper totam communitatem, & acceſſerunt ad magiſtros, & locuti ſunt dure. Dominus Leodienſis fuit in Trajecto, quia commendator de *Juncis* obierat, & ipſe inſtetit pro illo de *Zommeren*. Aliqui de hullariis clamaverunt contra magiſtros, & expoſuerunt vexillum miniſterii, & incœpit res eſſe in periculo. Sed dominus Leodienſis illo ſero rediit, & in craſtino in cœna Domini fuerunt duo ſuper forum decollati, alii abſconderunt ſe, & non comparuerunt, & fuit extinctum.

Animalia multa perierunt propter frigus.

Dominus *de Egmont* cum ſubtilitate & cauteloſe obtinuit Dordracum, quod fuit valde mirabile. Et tunc illi de Novomagio defecerunt corde, & petierunt pacem. Dux cum uxore ſua venit in Buſco-ducis, & deinde in Gravia, deinde in Novomagio, dehinc obſedit *Vello*, & ibi intravit in craſtino Annæ.

Diæta Leod.

In fine Junii curſores ſpoliaverunt quædam villagia juxta Covinium; & in diæta patriæ, in die apoſtolorum, dominus propoſuit quod ponerentur homines in warniſionibus, & quod dominus *de Agimont* non vellet aperire fortalitium ſuum, dicens quod bene cuſtodiret. Fuit concluſum quod dominus provideret ſibi de cec. ſtipendiariis. Inſuper quædam villagia combuſta fuerunt in Florinis, & capti ab abbate XVI. equi. Dominus Leodienſis venit Leodium, & cum eo dominus *de Chantregne*, & fuit poſita una impoſitio per patriam; & treugæ impoſitæ per bullam papæ a prima Junii. Fueruntque treugæ proclamatæ inter regem & ducem circa medium Julii.

Treugæ inter regem & ducem.

In feſto S. Jacobi fuerunt electi in magiſtros Wilhelmus *Demptins* & Johannes *Havvealz*. Dominus Leodienſis ivit ad Hoyum. Leodii erat magna cariſtia, fuitque Auguſtus totus frigidus & pluvioſus, & teſtudines, gallice *Lympſon*, comederunt totam navetam ſeminatam, quod amplius non fuit viſum. In craſtino Nativitatis S. Mariæ cœpit aër clareſcere, & blada ducta in horrea.

Diæta Antuerpiæ.

Fuit tenta una diæta in Antuerpia pro litteris obligatoriis rehabendis & pro aliis cauſis, ſed concluſio non fuit publicata.

Nuntius apoſtolicus colligit decimas adverſus Turcas.

In die S. Severini venit Leodium dominus SYLVESTER epiſcopus Clugienſis, nuntius apoſtolicus ad colligendam decimam contra Turcos, habens etiam commiſſionem viſitandi & reformandi monaſteria cujuſcumque ordinis, exemta & non exemta. Quapropter clerus fuit demandatus, & forenſes appellaverunt; intranei voluerunt magis concordare cum eo, ſed non fuerunt concordes. Ipſe incœpit viſitare ad Cruciferos, ad Carmelitas, ad Prædicatores, & ad S. Laurentium; ſed ſolum pro forma. Tandem acceptata fuit via concordiæ poſt multos tractatus, & debebat colligi una propina ad quartam partem ſubſidii. Item, ad inſtantiam præpoſiti & capituli de majori dedit indulgentias c. dierum his qui interſunt laudibus B. Mariæ *Salve regina miſericordiæ*, quibus dominus Leodienſis XL. dies ſuperaddidit. Item, ad ſupplicationem abbatis S. Laurentii dedit omnibus viſitantibus monaſterium S. Laurentii in feſtis reliquiarum, & infra octavas, & omnibus feriis quintis, c. dies indulgentiæ. Et ad preces fratris Adriani de Veteri-buſco, dedit omnibus viſitantibus capellam S. Laurentii in *Glons*, centum dies indulgentiarum. Fuit tunc mirabilis mutatio de abbate de Rode, & prior Bonorum puerorum volebat eſſe, & fuit Leodii conſecratus, & deinceps non comparuit.

Feria quarta ante *Lætare*, quod tunc evenit in craſtino Gregorii, ſedit præpoſitus Leodienſis magiſter Arnoldus *de Lalaing* in propria perſona ad ſynodum, in eccleſia noſtræ

Dominæ ad fontes, inter epiſcopum Darienſem ſuffraganeum domini Leodienſis, & magiſtrum Conrardum cuſtodem Leodienſem, in oppoſito ejus villici & ſcabini, & unus de ordine Prædicatorum fecit ſermonem in Gallico.

In octavis S. Martini dominus Leodienſis expoſuit vexillum ſuum ſuper forum, & ſi ſtetiſſet ad eum ſolum, fortaſſe iviſſet contra dominum *de Agymont*. Quapropter Dominica infra octavas palatium fuit ſimul congregatum : ſed ſolum concluſum de pecuniis habendis, unde poſita fuit una collecta in civitate. Poſtea in die S. Andreæ vexilla omnium miniſteriorum exploſa fuerunt ſuper forum, & manſerunt ſic uſque ad Octobrem.

Item, decima Martii dominus *de Chantrene* venit Leodium, & habuit in domo fabrorum magiſtros civium, & omnes majores ad prandium, & per totam hebdomadam habuit magnas expenſas.

Epiſc. Tornacenſis cardinalis. Item, XIX. Martii venit per Leodium epiſcopus Tornacenſis effectus cardinalis, & ivit ad curiam.

Obitus duciſſæ Burgundiæ. Circa hæc tempora duciſſa Burgundiæ MARIA, uxor Maximiliani, cum curſim equitaret, cecidit de equo, & infra quatuor dies obiit : de cujus obitu dux præ triſtitia pene mortem incurrit.

Diæta Aquiſgrani. In octavis Paſchæ fuit una diæta tenta in Aquiſgrani, inter amicos domini Wilhelmi; ſed dominus Leodienſis noluit advertere; multus murmur fuit in populo, ſed nullus audebat dicere quod ſentiebat, & aperte fuit dictum quod dominus Wilhelmus dicebat, ſi veniretur in campum, quod bene medietas populi eſſet cum eo.

Tertia Maii venerunt duo hyraldi dicentes ſe miſſos a rege & feciſſe clamari treugas in *Maſyr*, & quod nullus inferret damna patriæ Leodienſi. Quibus intellectis, dominus Leodienſis ivit ad *Curinghen*, inde ad S. Trudonem, inde ad Hoyum, & vitavit eos, ex quo volebant ex parte regis, quod dominus Wilhelmus revocaretur cum ſuis. Magiſtri iverunt ad dominum; quibus dominus reſpondit, quod expectaretur adhuc modicum, quia hyraldi non portaverunt aliquas litteras, ſed nuda verba, ipſe daret optimum reſponſum, quod nullus inde timeret. Qui IV. Junii receſſerunt, & cum eis nuntius civitatis, qui direxerunt iter ſuum ad *Chinitz*, ubi dominus Wilhelmus erat, & cum clamaretur ad arma, ipſi etiam exierunt, & unus occiſus fuit, alter vulneratus. Unde magnus rumor fuit & timor Leodii & per patriam, fueruntque tres Leodii ſuſpenſi ad arbores. Dominus *delle Veer* venit viſitatum dominum Leodienſem, & cum eo ivit ad Lovanium, ubi dux habuit diætam, cum patriis ſuis, an vellet eum recipere pro domino.

Diæta Lovanii.

In feſto S. Jacobi fuerunt electi in magiſtros civitatis dominus Johannes *ly Ruyt* & dominus Johannes *Pollen*, ambo milites facti in Francia : Flammingi poſt obitum duciſſæ, ordinaverunt unam ambaſſiatam mittendam ad regem de tribus ſtatibus patriæ, & obtento ſalvo-conductu, iverunt illuc; & in initio, ſicut mos eſt Francigenis, data ſunt eis pulchra verba, ſed cum tempus tranſiret, & ſemper dicerentur eis, cras habebitis acceſſum ad regem, & bonam audientiam; nuntiaverunt ſuis, quod bene ſperarent de pace, & ſic ſtatim diſſeminatum eſt per populos, quod expectaretur aut pax, aut treuga longa, & Flammingi quaſi erant ſecuri. Rex autem tempore medio congregari fecerat armaturam ſuam. Quo facto, dedit ambaſſiatoribus audientiam, & primo interrogavit, quis miſiſſet eos : reſpondentibus, quod Gandavenſes & ſtatus Flandriæ : reſpondit, quod nihil curaret de talibus, nec vellet tractare, ſed mitteret cum eis bonam tutelam & ſalvum-conductum. Et ſtatim miſit armaturam ſuam ſuam ad villam *d'Art*, quæ tradita fuit in manibus regis, in fine menſis Julii.

In principio Auguſti venerunt domino Leodienſi nova, quod dominus Wilhelmus inſtaret apud regem, ad habendum armigeros, & ſubjugaret ſibi provinciam Leodienſem. Unde dominus Leodienſis cœpit ſcribere amicis ſuis, & ſibi providere, & poſuit certam diem, ut eſſent in Hoyo. Vocatiſque magiſtris, fecit vocari palatium ſimul in die S. Laurentii, & propoſuit quod inimici volebant irrumpere in patriam Leodienſem per violentiam. Quapropter rogavit, ut ſibi eſſent fideles, & facerent ſibi aſſiſtentiam, quia ipſe eſſet eis fidelis, & vellet vivere & mori cum eis. Sequelæ fuerunt portatæ coram eo, quæ quaſi fuerunt eædem, ſcilicet, quod patria demandaretur, & quidquid tunc ordinaretur, ipſi eſſent parati, ſed nollent amplius ſolvere ſtipendia, ſed perſonaliter defendere ſe. Hæc ſequela non placuit domino, & per tres aut quatuor dies inde tractatum, tam ſuper conſilium, quam ad Minores. Dominus etiam fecit proponi, quod civitas bene non eſſet munita, præſertim ultra Moſam, quod apponeretur remedium, & quilibet contribueret; ſed nullus curavit advertere, nec ponebat ſuper cor.

Tunc dominus ivit verſus Hoyum, & cum exiret palatium cum multis equitibus, palafridus ſuus cecidit cum equo in porta, & unus alius ſimiliter. Cum dominus tranſiret ſub porta, quæ dicitur officialis, pes equi ſui etiam lapſus fuit, & ipſe etiam cecidiſſet, niſi a peditibus ſuſtentatus fuiſſet. Multi inde fuere turbati, ſuſpicantes ex hoc quoddam infortunium evenire. Ibi exiens demandavit magiſtros & dominos de Majori. Quibus reverſis, electi fuerunt de quolibet miniſterio x. viri in die S. Ludovici, & can-

tata ſpecialis miſſa de noſtra Domina in feria II. præſentibus omnibus de clero.

Feria tertia clamatum eſt, quod omnes eſſent parati in craſtino, poſt ſpecialem miſſam exponeretur ſtanderium. Qua miſſa incœpta, præpoſitus Leodienſis portavit ſtanderium ex ſacriſtia, & poſitum fuit ſupra altare uſque ad finem miſſæ, qua cantata, tranſportatum fuit juxta feretrum S. Lamberti, & tunc electi ex miniſteriis iverunt ad Hoyum in navi.

Feria quinta dominus Leodienſis recepit litteras Ludovici de Marka, quod eſſent juxta *Agimont*, & deſcenderent verſus Leodienſem civitatem, & eſſent circiter mille & ducenti equites, & tria millia peditum. Miniſteria debebant illo die exire, quia in craſtino, quia eſſet feria ſexta, exire amplius non vellent, & quamvis ſic propoſuiſſent, tamen non exiverunt. Circa veſperam dictum fuit domino in Hoyo, quod inimici eſſent prope Leodium. Tunc graviter conſternatus, flevit uberrime, dicens: *Alas*, dicetur quod ego dimiſerim eos, qui volebam vivere & mori cum eis. Jam omnes ſint parati, & eamus ad Leodium. Et parum illa nocte dormivit, & circa quintam horam de mane, intravit civitatem cum omnibus qui cum eo erant in Hoyo, & de quolibet miniſterio Hoyenſi x. viri electi, pulſatumque fuit in S. Lamberto. Circa horam IX. venit fama Leodii quod inimici appropinquarent, & eſſent juxta *Beaſaye*. Statim in foro Leodienſi & viri & mulieres cœperunt fugere verſus S. Margaretam, & S. Walburgem, & claudebantur portæ. Dominus modicum dormiebat, & veniebant ad eum magiſtri, & ipſe confortavit eos, & dixit ut prandierent, ipſe perſonaliter iret ad videndum quid eſſet. Prandio facto, antequam exirent, dicitur quod dominus Wilhelmus miſit ad dominum unum hyraldum cum nuntio ſuo, rogando quod vellet eum recipere ad veniam, ipſe veniret ſe tertio ſolummodo: ſed dominus noluit advertere, & juſſit eos teneri, ſic famabatur. Accepto igitur omni populo, qui ſecum erat, & ſtanderio quod portabat dominus Johannes *de Horne* canonicus Leodienſis, abſque diſpoſitione & ordine exiverunt verſus *Chaynée*, putantes primo ordinationem ſuam facere in campo. Hoyenſes præceſſerunt verſus pontem *de Chaynée*, quibus ſtatim inimici occurrerunt; & illi viriliter ſe defenderunt. Dominus Leodienſis vertit ſe & dixit: Ecce iſti in proximo ſunt, & non eſt hic locus bellandi, videtur quod melius eſſet, quod rediremus, & cuſtodiremus civitatem. Ad quod nullus reſpondit. Miniſteria ſtabant ad pontem Amaricordis, diſputantes quis iret, dicendo: vade tu, vadat ille. Dominus Leodienſis erat cum equitibus in platea ſuperiori, alii ſubtus vineas in ripa inferiori. Cum igitur Hoyenſes fortiter dimicarent, venit unus & clamavit, domine veniatis, ipſi ſitis noſtri. Sic dominus deſcendit ad ripam abſque ordine, juxta fontem *de Weze*. Alii cum impetu ordinatim irruerunt ſuper eos. Quo viſo, qui cum domino erant, retrocedere cœperunt. Dominus Wilhelmus, ut vidit dominum, toto impetu invaſit eum, & antequam veniret ad eum, unus alius præcedens, percuſſit eum cum gladio in fronte. Et dominus Leodienſis, ut vidit dominum Wilhelmum, junctis manibus petiit veniam & vitam; ſed dominus Wilhelmus percuſſit eum in collo, & juſſit uni, ut occideret eum, qui dedit ei etiam ictum in collo. Et tunc cecidit dominus Leodienſis de equo in aquam mortuus, ante fontem *de Weze*. Miſereatur animæ ejus omnipotens Deus. Fuit occiſus juxta eum Adam de Tribus-Gradibus, & aliqui de fugientibus. Omnes armigeri retrocedentes, fugam inierunt verſus Leodium, aliqui receſſerunt verſus Trajectum, accipientes iter ad pedem montis Carthuſienſium. Dominus Wilhelmus & ſui inſequebantur fugientes. Multi projiciebant ſe in aquam, natantes per Ortam & Moſam, & multi ſubmerſi fuerunt.

Dominus Leod. occiditur.

Tribus-gradibus.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCCCLXXXII. penultima Auguſti occiſus fuit reverendus in Chriſto pater & dominus D. Ludovicus *de Bourbon*, epiſcopus Leodienſis, propter cujus mortem vindicandam, inſurrexerunt guerræ contra civitatem & patriam Leodienſem, & facta ſunt multa mala. Unde in craſtino Purificationis anno MCCCCLXXXIII. cum exercitus Brabantinorum appropinquaret contra civitatem, & eſſet prope Jecoram, & eſſet tempus pluvioſum & ventoſum, Leodienſes cœperunt timere. Et miſit Johannes *de Kan* capitaneus Leodienſis huc Switenſes, ad ponendum ignem, quem poſuerunt in quatuor vel quinque locis, & intentio eorum erat ad comburendum totum.

Alia manu additur in fine codicis.

ANGELI DE CURRIBUS SABINIS
POETÆ LAUREATI
DE EXCIDIO CIVITATIS LEODIENSIS
LIBRI SEX.

Ex ſchedis clariſſimi viri domini baronis de Craſſier.

OBSERVATIO PRÆVIA.

ANGELI de Curribus Sabinis poëtæ laureati libros ſex de excidio urbis Leodienſis invenimus in veteri codice S. Laurentii Leodienſis, cujus apographum pro ſolita in nos humanitate communicavit nobiſcum clariſſimus vir dominus baro de Craſſier. *Codicis initio hæc legebatur inſcriptio:* Pontifici maximo Paulo II. Angelus de curribus Sabinis poëta laureatus de excidio civitatis Leodienſis liber primus incipit. *Hinc colliges ſcripta fuiſſe hæc carmina ab auctore gravi nec inerudito ſtatim poſt factum Leodii excidium, quod anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octavo accidit, ſi quidem Paulus II. cui ſuum auctor opus nuncupavit, vitam cum morte mutavit anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo primo. In fine codicis leguntur ſequentia cujuſlibet libri, quartum tamen ſi excipias, argumenta, a Paſchaſio Berſelio ad S. Laurentium monacho compoſita. De quo hæc narrantur in hiſtoria S. Laurentii.*

Paſchaſius de Bierſes anno 1501. in feſto viſitationis beatæ Mariæ fuit veſtitus, filius commiſſarii Leodienſis, doctus vir & litteratus. In litterarum ſtudiis verſabatur aſſidue, coëmeratque ſibi librorum variam ſuppellectilem, quam in cubiculo ſuo quoad vixit ſervabat. Anno Domini MDXXIII. reparavit capellam S. Dionyſii, in qua ſacra facere ſolet, depinxitque in illa imagines quæ in illa hactenus viſuntur. Similiter illas quæ videntur doctorum antiquorum effigies rotundas atque circulares in latere cryptæ verſus dormitorium depingi fecit, quorum ſingulis diſtichon aſcripſit, effigiem divæ Catharinæ ſupra capellæ ejuſdem cancellos appoſuit. Moritur hydropicus anno 1535.

ARGUMENTUM IN PRIMUM LIBRUM excidii civitatis Leodienſis.

ORtus primus habet Belgarum nobilis urbis,
Et reges fortes, Leodina prælia gentis,
Irarum cauſas narrat, mox principis alti
Burgundi & domini LUDOVICI BORBONIENSIS,
Unde ruit valida gens fortis, & aſpera, bello.
Mœnia vaſta jacent, templa & violata deorum.

In II.

Pontificis cura. . . . . sacrique senatus
Romani tantas cupiens extinguere lites
Honofrion mittit, quo non prudentior alter,
Ad Legeas urbes hominem qui pacta tenere
Suaderet populo, defenderet atque sacrorum
Pontificum leges, fieret ne injuria cuiquam.

In III.

Tertius ecce canit ludos & fortia facta
Heroum, Brugis quando celebrantur hymenei
Principis eximii Burgundi, deinde jubetur
Gallorum in regem studio fera arma parari,
Nec tamen infesta cessant fabricare sorores
Infernæ Legii vastentur ut fulmina muri.

In V.

Carolus infestat, Legios populatur & agros,
Mœnibus egressi sternuntur ad aggera Lanthis.
Quare Borbonius missus pro pace petenda,
Legatusque simul, capiuntur ab hostibus Arges.
Fœderibus pacis obstat ductor Theobaldus,
Urbs convallatur, numeratur machina belli.

In VI.

Urbs accensa perit Belgis clarissima terris,
Ante tamen capere Francum regemque ducemque
Mens fuit, & memorem venturis reddere cladem.
Legatus cernens urbem non posse tueri,
Discedit mœstus Trajecti ad mœnia fortis:
Inde petit Romam, referens papæ ducis iram.

LIBER I.

ARma ducis canimus Legiorum clara ruinis,
Necnon pontificis Pauli ditissima pacis
Consilia, eximio Venetorum sanguine creti:
Qui si Tesiphone, divum si fata tulissent,
Ferrea perpetui clausisset limina Jani.
Diruta non essent modo Belgica mœnia forti
A duce Burgundo, nec Honofrius isset ad urbes
Orator Belgas, tanto in discrimine rerum.
Musa refer tantum quæ sic ad bella coëgit
Ira ducem, nostris princeps sanctissime Paule
Primus ades cœptis, sine te quid magnus Apollo
Proderit, & sine te sicca est Parnasia lympha,
Clausaque Pieridum sacris sunt antra poëtis.
Urbs Leodina fuit Leodis de nomine regis,
Maxima Belgarum, studiisque asperrima belli,
Quam non Francorum reges, nec Sequana dextra
Invictam domuit, sprevit quoque sæpe Britannos,
Teutonicum semper vicinum imitata furorem,
Expertus populi vires Labienus atrocis,
Multaque Cæsareæ sunt passæ damna secures.
Mentibus ardor inest belli, & veneranda furentis
Religio Martis, studiis hærere Minervæ
Contendunt, totis princeps * Cyllenius oris * Mercurius.
Qui facit argento populos effulgere & auro,
Nec medicæ inventor Phœbus contemnitur artis.
Tertius inde lapis solitus prebere coronam
Imperii major quondam his est ortus in arvis
Carolus, & tanto tellus gaudebat alumno. Carolus.
Namque leves domuit longis Saxonas in armis
Et populum Sartæ hinc Alemannos atque Suevos
Et dociles flexis Burgundos currere frenis,
Et Batavos: per quem proles est clara Pipinus, Pipinus.
Pontifici auxilium, Latio dum bella moventem
Astulphum stravit regem, quem deinde secutus Astulphus.
Carolus est Magnus. Proles numerosa, quid ultra Carolus Magnus.
Narretur, fidis quotiens defenderit armis
Ausoniam, Francis volvendo regibus ævo,
Hinc genus & referunt fulgentem vertice mitram,
Clara coronandis est facta Jopilia regnis, Jopilia.
Ulpia progenies etiam hic diadema refulgens
Trajanus tulit. Hinc gravis Agrippina Nerone.
Leucorum stygiis invisa est gloria divis.
Consiliumque vocat, tantam quò verteret urbem Consilium infernum.
Jupiter inferius, cœcis huc ecce tenebris.
Eumenides properant, cymba venisse relicta
Dicitur ipse Charon; sortes Rhadamantus omittit.
Æacus & Minos nati glomerantur in unum
Innumeri, natæque herebo olim ac conjuge nocte
Ultrices veniunt curæ, felicibus hostis
Livor adest, lacerumque ferens velamen iniquus
Luctus, & implevit ferrata sedilia morbus
Et metus; inde venit princeps audacia cœco
Lumine, quam sequitur nutrix discordia belli,
Et malesuada fames, rerum tum prodiga semper
Luxuria, & pallor, tenebræ, miseræque querelæ.
Et labor atque dolus, cui proxima turpis egestas.
Duraque mens nimium, mors & vicina senectus
Stipatur nigro squalens tunc curia tabo
Abdita, & ignavi pleniſſima frigoris, omni
Sole atque igne vacans, cœca & caligine plena:
Sed triplici muro cinctam torrentibus ambit
Tartareus Phlegethon flammis polisque Columnæ

Sunt adamantheæ, valeat quas frangere nullus
Cœlicolum, turris se ferrea tollit ad auras.
Limina Tesiphone pallam consperſa cruore
Custodire solet, regni infelicis in arce
Dux herebi, media consedit lumine torvo,
Concussitque caput, furiis hæc multa locutus.
Verba Plutonis ad Furias. O volucres stygiæ, nocte atque Acheronte creatæ,
O decus infernum, nostræ quoque gloria sedis!
Quæ, si quando parat lethum morbosque Deum rex,
Aut bello egregias ingenti territat urbes,
Estis præsentes, ægros multoque timore
Mortales facitis. Primum tibi diva loquamur
Luctifica Alecto, cui crimina noxia cordi,
Iræque insidiæque graves, & tristia bella,
Quæ sævas inferre faces, quæ verbera tectis,
Quæque odiis versare domos, quæ in prælia fratres
Unanimes armare potes, cui mille colubri
Sunt facie, ac artes & numina mille nocendi.
Proxima Tesiphone es, luctus quam & pallor euntem
Et terror sequitur, timidoque insania currens
Lumine, cornigeræ & circumstant ora Ceraste,
Ferrea lux oculis, sanie cutis arida gliscit,
Igneus ore vapor nigro est, morbosque famemque
Et populis mortem una facis, tu & sæva Megæra,
Cui sunt undantes spumis furialibus iræ,
Cui gemitus cordi atque animi phanaticus error,
Qui nisi cognato non pasceris atra cruore,
Vel patrui vel fratris erit. Fortissimus olim
Alcides tremuit, tremuit Telamonius Ajax,
Teque Athamas timuit, natis inimicus & atrox
Tuque Agamemnonis quondam bacchata sub aula
Junxisti Edipoten matri natæque Thiesten,
Et reliqua inferni audite ô numina luci:
Quæ vos segnities, quæ vos dementia tardat?
Et cur naturæ mutatæ hoc tempore vires?
An sic est superis placitum, contractaque vobis
Fœdera sunt hominum, ne quid moveatis in ipsos?
Scire velim quare longum tranquilla per ævum
Spesque fidesque, simul pietas cum pace vagatur,
Justitia, & populis Saturnia nascitur ætas
Aurea, gens vitium moresque a stirpe rescidit,
Præcipue insultat nostris gens bellica regnis,
Leodini. Et stygias contemnit opes, sperantque triumphum
Tartarea insignem Leuci de plebe referre,
Quod si concedent superi, si torpor habebit
Inferos manes, subito nos improba luce
Prestiterit ætherea, referabit ferrea tecta,

Imperium franget nostrum, propriisque fugabit
Sedibus, & vivo descendet corpore ad undas
Gens hæc lethæas, stygos & secreta reeludet
Omnia, tartareoque cani duplicare catenas
Audebit, madida est quam baptismate Christi.
Nec vero fuimus lætati, Thesea quando
Pyrithoumque simul domitorem & fertilis hydræ
Vidimus Alcidem divino sanguine cretum,
Invito stygiam me tranavere paludem.
Quid nisi curemus faciet Leodina propago,
Quæ veramque fidem, rerum regemque deorum
Suspicit, & genibus flexis fidissima adorat
Quem vates omnes, quem prædixere Sybillæ
Ex utero Mariæ venturum Virginis almo, Mariæ Virgo.
Pontificesque colit constanti mente Latinos?
Quid mihi si nostro se natam sanguine jactet?
Jupiter ipse fuit fratris privare parentem
Regno ausus, Latias Saturnus fugit ad oras.
Cernitis, heu! quanto discrimine nostra potestas
Versetur? tales moneo ne temnite voces;
Et studio curate omni ne mœnia vestra
Imperiumve ruat: potuistis perdere Thebas
Ut nova fraterno fieret discordia fumo.
Perdere vos Argos, vos scindere regna Philippi,
Vos Trojam antiquam, doctas vos perdere Athenas,
Quamvis sanctorum fuerint tot corpora in urbe,
Tot jam pontifices quotiens abolere paratis,
Quid fera Chartago narretur, quidve Sagunthus,
Innumeræque urbes, quas verterit excita vobis
Seditio? sed nunc nimium torpescere cerno.
Aut non Tydeus est, non Hector, nonve Philippus,
Non juvenis Pelleus adest, non Hannibal ipse,
Jam Lybicæ tutela urbis, qui tecta tueri
Nunc Leodina queat, vestrum & frænare furorem?
O quantum nobis damnorum Carolus olim
Magnus Belgarum dederat qui natus in agro.
Namque hominum umbræ, omnes ad limina nostra coactæ
Ibant exsortes Christi fideique Latinæ.
Ille ubi mox Sartæ populos infidaque regna
Contudit, & pepulit sanctæ telluris ad ora,
Innumeras animas cœlestia tecta petentes
Perdidimus, vario quas mersit funere tempus.
Hic, si longævam potuisset ducere vitam,
Non dubium ditis vacuasset regna profundi.
Hic tot templa Deo, tot pontes struxerat altos,
Munera totque dedit pietate insignis & armis,
Hicque crucis partem, clavum & sudaria Christi
Detulit a Græcis, sibi cum contemneret aurum
Oblatum, & partem spinosæ ferre coronæ

Dum

Dum parat, e viridi funduntur palmite flores;
Hic Mariæ tunicam, hic & brachia ſancta Simonis
Attulit. Hic ſemper viſurus mœnia Romæ,
Et pedes inceſſit, & poſtibus oſcula junxit
Templorum, lapide a primo, totoſque reliquit
Theſauros templis moriens, & in æthera tendit.
Sed Mariæ nunc templa tenent quæ ſtruxerat ipſe
Carolus magnus. Magnus Aquiſgrani, eſt clara tumulatus in aula.
Nati & natorum quos bello inſtruxerat, & quas
Adjunxit latus rudibus periere puellæ.
Nil obſtare poteſt veſtris nunc cernite votis.
Si quaſſare feros Gallos, ſi armare paratis
In tecta, inque ſuos populos. Et talia fatus
Percuſſit dextra ſolium, tremuere profundi
Ferrea tecta loci, Maneſque umbræque ſuperum
Æthera credebant, ſummum & cecidiſſe tonantem.
Motus erat dubius ſtygii, & ſententia vulgi
Tartarco vellet quis regi reddere voces:
Tum fera ſurrexit dextra, poſt terga rejectis
Anguibus Allecto, & ſe vertit ad ora ſororum;
Atque ubi conceſſa eſt primum ſibi copia fandi,
Reſponſo ſuæ ad Pictonenſes. Incipit: O ſuperi, frater Jovis, o decus aulæ,
Et rex infernæ qui paſcis crimina vitæ,
Cui variæ mortes, & dira ex ordine bella,
Et fera multiſonis aſſiſtit pœna catenis,
Aſſiſtit lacrymiſque tumens cocytus & atro
Igne tumens Phlegeton, cui ſtyx perjuria divûm
Paruit ulciſcens; ac quamvis temperet æquus
Minos, nullius durus miſereris, & umbris
Omnibus iratus, parce quas pollice damnat
Segnicie noſtras damnaſti, meque ſorores
Quod tam tranquillo mittamus ſæcula luxu
Produci, & læta pacem cervice vagari,
Non nos cauſa ſumus; ſed Barbo ſanguine cretus
Vir Venetus, PAULI qui nomen habere ſecundi
Pontificis meruit, populo gratiſſimus omni,
Et virtute ſua toto cantandus in orbe.
Paulus interpretatur mirabilis. Et quia mira facit, ſonat hoc mirabile nomen,
Hunc omnes Belgæ metuunt, venerantur, adorant,
Non major pietate aliquis, nec juſtior alter:
Non præſtat virtute Cato, non pectore pondus
Majus erat Fabio, juvenem cum vinceret Afrum
Cunctando, & ſolus Romanam reſtituit rem.
Quis poſſit tanto Leodinis bella movere
Principe, conſiliis Gallos qui frenat amicis,
Cui tam longa manus, tanta eſt prudentia rerum.
Nam poſtquam mitra eſt radiantia tempora cinctus,

A Nonnulli patuere fores, aureſque bilingui,
Hic igitur noſtris obſtat, rex inclyte, votis
Cui paret populus Leodinus, Gallia tota
Cui ſervire cupit. Studium non defuit ullum,
Non adeo ſegnes fuimus juvenilibus annis.
Jam LUDOVICUM Leodinæ præficit urbi
Borbonium princeps, ſacro & CALIXTUS honori,
Ludovicus Borbonius epiſc. Leod. precibus ducis Burgund.
Burgundique ducis precibus dat ſceptra tenere
Utraque, privatos homines ſacroſque regebat
Imperio, ut populos nimio ſævire tyrannus.
Tunc ego matronæ faciem mentita ſenilis,
B Per vicos urbis diſcurri, & ſtrata viarum,
Tartareas voces intentans, proh dolor! inquam,
Proh pudor! an puero debent hæc mœnia regi
Quæ ſacri rexere ſenes, quæ ſancta poteſtas
Romanæ fidei miro celebravit honore,
Ecce duci hæc video fore ſubdita tecta PHILIPPO,
Jam mihi Burgundis canibus data præda videtur,
Borbonius regit hæc, peperit quem nata Philippi,
Regna ſuo committet avo, & dominabitur hoſtis,
C Fœdera ſic diſcet, ſuetas ſic frangere leges.
O patria, ô ruitura domus Burgundia, noſtro
Subdita jam regi, nobis nunc imperat, ergo
Mergimur; heu! fatis diris; & talia fata
Conticui, ac multos de noſtris crinibus angues
Civibus, inque ſinus præcordia ad intima jeci.
Extemplo creber Leodina per atria rumor
Ibat, & aſſenſu vario multa ora ſonabant.
Borbonio negat hic ditionem, hic objicit annos
D Maturos, ſacris deberet epiſcopus urbem
Et ſacras rexiſſe ædes, populique potentis
Jam ritum ſervare ſui, ni vellet honore
Privari, & curam Leodinæ poneret urbis.
Expectare alius mores annoſque ſeniles
Admonet, in ſacris is ſerviat integer ævi.
Sed licet ætatem impleverat, ſacriſque gerendis
Aptus erat, tamen hic differt civilia vota.
Tum vero cives alieno vivere dicunt
Illum conſilio, ducis & præcepta tenere,
E Scilicet ut dominis Burgundis ſubderet urbem,
Privatos ſacroſque inſtant avertere cenſus,
Atque magiſtratus agitant crudelibus armis.
Dux Burgundus imperat Sequanis.
Sequanus ac cernens ſublatos eſſe nepoti
Dux cenſus, ægro promit altum corde dolorem,
Et cupit ulciſci, reparet qua quærit & arte.
Interea princeps CALIXTUS ad æthera tendit,
Calixtus papa moritur.
Atque inſigne inter taurus fuit aſtra locatus.
Tum Pius Æneas fulgenti tempora mitra
Æneas Pius pontif. creatur.
Cinctus, & accepit fidei tum ſceptra Latinæ.

Quod poſtquam ducis eximii pervenit ad aures,
Mox oratores ad mœnia Romula mittit,
Pontificique jubet ſua vota ex ordine narrent;
Jam voviſſe hominum centenis millibus ire
In Turcum, impenſiſque ſuis, ſi numina poſcant;
Sed non ante dari Byzantia cernere tecta,
Quam ſua Borbonio reddantur jura nepoti,
Et quam ſit toto collecta pecunia regno.
Hinc igitur repeti princeps permittat ab ipſis
Primitias, cenſuſque rogent permittat eiſdem,
Ni parere velint, Leodinis bella movere.
Jamque oratores auguſtæ mœnia Romæ
Intrant, & ſacri veniunt ad principis aulam.
Exponunt mandata ducis, ſuadentque negandum
Eſſe nihil tanto in voto, cum præmia danda
His majora forent, etiam meliora petitis;
Ac bona pontificis cum mens intenderet armis
Conculcare hoſtes fidei, ducis omne probavit
Committitur cauſa *Tyraſonetæ.* Propoſitum, ac Petro Ferrico examina cauſæ
Borbonii mandat: quod ſi Leodina negaret
Gens domino ſervire ſuo, decernere poſſet
Et damnare illos, atque interdicere ſacris,
Ne qua ducem a tanto retrahat juſtiſſima voto
Cauſa, ſimul gentes ſocias ſeſe addere velle
Innumeras, etiam ſe promittebat iturum.
Jamque oratores referunt reſponſa benigna
principis Æneæ, repetita eſt Sequana tellus,
Et ducis invicti cunctis eſt dextera juncta.
At poſtquam juſſu ducis acta ſilentia tectis,
Nuntius ducis Abantes. Incipit ex numero centeno primus Abantes:
Inclyte dux, patriæ pater es, qui maximus omnis
Quem colit Auſonia princeps Romanus in ora,
Gallia quem timuit, qui formidabere Turco,
Cujus virtutem populus veneratur & omnis,
Nos tua detulimus mandata ad principis aures
Æneæ, ac ſacri diuina palatia clivi,
Palatium pōtificis a Leone pontif. ædificatum. Quæ Petri ſunt juncta domo, quæ ſtruxerat olim
Prima, Leoninam Leo princeps deinde vocavit
Urbem, Nicolaus quam muris cinxerat altis
Nicolaus de Urſinis cinxit muris. Nobilis, Urſino fuerat qui ſanguine cretus,
Nos tam facundam non ullo in principe linguam
Vidimus, oravi, mihi verba ex tempore reddit
Talia, juncta ubi ſunt pedibus noſtra oſcula ſacris:
Verba pontificis Pii. Clari oratores cæleſti & pectore dignum
Eloquium, interpres divûm digniſſime Abantes,
Sedis apoſtolicæ qui limina ſacra petentes
Invicti mandata ducis ſanctiſſima vota
Affertis nobis, & quæ digniſſima bella
A Marte parat, neque enim Turcis ſpernenda probamus.
Digna facit regione ſua, quæ maxima plures
Pontifices genuit. Fulſerunt ſede ſecundi
Nicolaus ſacer & Calixtus pontificali
Atque alius tradi cujus in carmine nomen
Muſa negat, dictus quia forſitan innocet ulli,
Pontifices Burgundi. Nicolaus, Calixtus, Innocentius.
Quid plures, dicam tibi quid Mauricia templa
Quæ Sigiſmundus rex olim condidit, a quo
Dux traxiſſe genus facta ob clariſſima fertur.
Sigiſmundus, rex Francie.
Quod vero cenſus Leodina poſcat ab urbe
Borbonio allatos, Ferricum mittere cauſæ
Auditorem hujus volumus, quo ſolvere vota
In Turcos promiſſa queat: ſacra numina cœli
B Aſſint ut veræ fidei tueatur honorem.
Nos etiam, ſi tanta parat dux inclytus, ipſi
Nos ſocios humiles jungemus, & ibimus una,
Dicatur tranquilla ſacri & juſtiſſima motus
Lex Chriſti auſpicio, armenturque in bella cohortes,
Sed ſi dicta facit, non alter major in orbe
Dux erit, ac Chriſto fuerit non gratior ullus,
Chriſti miles erit ſummi vexilla Tonantis
Portabit, nomen durabit & omne per ævum.
Hæc ait, ergo vides quæ ſit ſententia divi
Pontificis, noſtro tua nunc non indiget ullo
Conſilio virtus, & quæ ſint deinde gerenda
Mentis in arcano volves, celeberrime ductor.
C Hæc ubi dicta, bonus dux in ſecreta recepit
Se tecta, atque ſuos verſabat mente labores,
Pollicitisne ſuis maneat ſub pectore volvit;
An paret ipſe prius Leodinam ſternere gentem,
Quoſque ſui volvere patres confringere muros,
Si parere velint ſolitos ac reddere cenſus:
Interea obſtantes Leodinos mente priore
Confirmo, atque animos facio certare paratos.
Tum vero manifeſta ducis ſententia facta eſt.
Bella movet miſeris Leodinis impia, quæ jam
D Voverat in Turcos geſturum, & talia dixit:
Hic populus mihi Turcus erit, qui numina noſtra Verba ducis Philippi.
Negligit, hic & erunt Byſantia mœnia forti
Nunc redimenda manu, teſtis mihi Gallia tota,
Et teſtis Germanus erit, quod bella movere
Cogor, & invitus ſummo promiſſa movebo
Pontifici. Inde ſuas armis veſtire cohortes
Incipit, & vomer ſævos mutatur in enſes.
Æra domat Brugis, tum ferrea cuſpis in haſtis
E Tegitur, & capitis ſibi tegmina quiſque parabat,
Corporis, & cruris, tum ferro brachia veſtit.
Poſtquam armata manus ſonuerunt claſſica, tandem
Ad lapidem miles quartum tentoria ponit,
Diverſo interea miſcentur tecta tumultu.
Borbonio pars una favet, pars altera muros
Inſtituit ſervare urbis, certare parata
Atque mori potius, totis a finibus hoſtem
Arcere, atque duci numquam ſe ſubdere velle.

Burgundi inde ducis validæ venere cohortes
Sed non pugna fuit, dimotis omnibus armis,
Pax confecta illis, necnon & fœdere facto
Dinantum excipiunt, at cum dux bella movere
Dinanto incœpit, redeunt in priſtina bella
Tunc Legii, atque ſavet Dinanto tota juventus.
Pax. Hinc inſtructæ acies iterum quo fœdera pacis,
Confirmata tamen non eſt, cum incommoda ferret
Mors ducis Philippi. Pontifici Latio, moritur dux ecce PHILIPPUS.
Tum Legius populus confidens agmine regis
Franci, Burgundas cœpit contemnere gentes.
Sic in bella ruit, ſed tandem vincitur armis
Ipſe ducis, ſancti Trudonis mœnia capta.
Sed quamvis victa eſt armis Leodina juventus,
Acrior ad pugnam cupiebat ſæpe redire.
Carolus fit ducatus. Carolus at claro duce natus bella parenti
Incœpta indicit, muris magis atquè propinquat.
Principium pugnæ contorta fecit & haſta,
Cetera ſorte cohors ſummiſque a montibus ibat,
Horriſono clamat fremitu cingentibus urbem,
Se dare deberent campo dicebat aperto,
Burgundiſque viris ſegnes arma obvia ferrent.
Tunc urbem egreditur populus Leodinus, & arma
Diſcordia civium unde Leodienſem capitur. Utraque pars miſcet, nocuit diſcordia civi,
Seditio victos Leodinos reddidit una,
Nomine Borbonii cepit dux inclytus urbem,
Æquavitque ſolo murorum a culmine partem,
Ne qua loci capti mutaret vela procella,
Militiæ impenſas captaque repoſcit ab urbe.
Omnibus excluſis qui poſſint arma movere,
Feminco paucis cum ſexu in ſede relictis,
Privatos ſacroſque viros ſibi reddere cenſus
Cogit, & hæc noſtro venerunt cuncta labore.
Hæc mea ſegnicies, hæc terris ocia duxi,
Sed ſi forte placet, tanta nihil in urbe relinqui,
Et delere omnes, noſtræ non funditus iræ
Interiere, dabo cauſas iis mortis & enſes
Pauli Barbus pontifex. Extremæ, niſi nos Barbi prudentia Pauli,
Qui nunc Chriſticolis pacem prætendit ubique,
Impediat. ſic fata, locum conſiderat aptum
Unde queat populos Leodinos mittere letho
In quo *de Bures* dominus Coſuinus, & ejus
Tunc frater baſtardus erat dexterque vocatus
In ſilvis miſero degentes tempore vitam.
Sanguinis Plutona oculis hinc reſpicit arcem,
Et flectit ſeſe, anguez qui poſt terga fuere
Ante oculos errare dedit; nam vertice flexo
In faciem redeunt, ſic triſti in ſede reſedit
Allecto dictis ſtygiæ aſſenſere profundi
Numina cuncta loci. Surgit tum dira Megæra
Orſaque cærulea eſt connexis veſtibus angue:
Reſponſio Megæræ Plutoni. Non opus eſt ſtygiæ recitem, rex optime, ſedis

A Quæ mea cara ſoror modo dixit, & addere verbum
Deberem nullum; ſed ſi nos dicis inertes,
Et ſomno tardas, animo toleramus iniquo.
Nec tamen eſt regi fas reſpondere proterve,
Nec volumus. Quantum noſtra omnis cura patebit,
Quantaque pax Gallos tenuitque duceſque Britannos
Nec latuit, regina Helene de gente Britanna,
Francorum mater regum, quæ comperit olim
B Prima crucem Domini, Solymis ac miſit ab oris,
Anglicus & Franci tutatus regna PHILIPPI,
Rex fuit, hos nuper ſævo committere bello
Jam mea cura fuit, ſtudium noſtræque ſororis Cauſa belli Britanniæ, & regis Franc. ſimulata.
Teſſiphones, oras ſcio mox petiiſſe Britannas,
Atque famem duxiſſe viros quæ dentibus atris
Pabulaque & fruges ſaxoſo exureret agro,
Ut teneras tellus nullas produceret herbas,
Pomaque nulla daret, non ullis collibus eſſet
Vitis, ſic crines geſtabat quiſque Britannus
Hirſutas, oculoſque cavos, & pallida ſemper
Ora fame, ac ſauces ſcabra rubigine ſiccas,
C Perque cutem duram poterant tunc viſcera cerni,
Et macie articuli creſcebant, oſſaque curvis
Extabant humeris, orbis gemituque rigebat.
Hoc ducis interea cernens prudentia ſummi, Dux Britanniæ.
Curabat frumenta dari iis, opibuſque juvabat,
Utque bonus paſtor diverſis paſcua terris
Quæritat, atque greges alienos ducit in agros.
Sic populos dux ipſe ſuos ducebat, ab almis
Primitias templis repetens, ſacra turba negabat,
Pontifici dicens vel regi ſubdita templa
Francorum, atque duci ſe non debere Britanno.
D Tum movet arma viris ſacris, & cogere tentat
Perſolvant cenſus, aliter delere paratus
Templa, ſacerdoteſque. Illi hæc ad regia mittunt
Limina. Tum regis Francorum venit ad aures
Nuntius, & verbis incendit talibus ipſum:
Regia Francorum proles, qua nulla per orbem Oratio legati Britonum.
Magnum nobilior fertur, nec ſanctior eſſe,
Nos tua templa tibi committimus, accipe
E cenſus
Quos tibi debemus jam longo ex tempore, quo rex
Belgicus immenſum ſubjecit CAROLUS orbem.
Pontifici Latio, ſanctæ & telluris honorem.
Nunc fera bella movet nobis dux ecce Britannus,
Et tibi reddendos poſcit ſibi ſolvere cenſus.
Sanctane majeſtas patieris jura gravari
Ipſa tua, ut regnet noſtris Borbonia templis?
Per Francos reges, ſacrum & diadema precamur,
Heu! ſubigi ducibus templorum jura Britannis
Ne patiare, licet regi defendere ſacro

Templa ſacerdoteſque ſuos, nec parva manebit
Gloria: nunc animis opus eſt, nunc pectore juſto,
Vince ducem juſtis armis; & talia fatus
Reſpicit incenſos oculos, ac regia corda.
Inde thoro Francus ſic rex eſt orſus ab alto:
Verba regis. Templorum orator noſtrorum candide, mentem
Nulla pii ſtabilem moviſſent munera regis,
Sed pietas, ſed ſancta fides ſuccurrere rebus
Nos veſtris juſſit, ſævique petita tyranni.
Aſtulphus rex Angliæ. At non Aſtulphus quondam rex Anglicus egit
Talia, qui Sergi Romani tempore munus
Obtulit egregium, Petri quo juſſit ad ædem
Quamque domum argenti nummum miſiſſe quotannis,
Et voluit tanto ſervire Britannia regi,
Tota quid HENRICI narrem clariſſima vota,
Dum ſancti Thomæ cædes eſt facta tyrannis,
Pontifici ille offert Latio purgamina cædis,
Ut bis centenus miles properaret ad oras
Telluris ſanctæ, gereret quoque bella quotannis,
Quam bene crudelem non ſolvit flumine cædem
Æctoridi & Pelcus Peleique ut ſolvit Acaſtus,
S. Ludocus. Adde quod Idocus regis ſanctiſſima proles,
Anglicus ipſe fuit, mundo & miracula fecit
Innumera, & ſplendet cœleſti in ſede locatus.
At dux iſte novus non ſolum munera templis
Danda negat, verum propriis ſpoliare paravit
Ipſe ſacerdotes rebus: mandabimus ergo
Deſinat a noſtro regno dux poſcere cenſus,
Et ſacros vexare homines, in milite Franco
Expectare velit capiendas Orcadas omnes,
Sufficiant Hebudes, ſibi ſerviat ultima Tyle,
Nos quæ majores noſtri olim regna pararunt
Virtute & juſtis ſemper ſervabimus armis.
Ipſe deos colat antiquos & flamine ſervet
Terdecimo, ac terno ſacrorum principe, tempus
Non longum eſt ex quo fidei datus ipſe Latinæ
Luciüs, atque unda conſperſa eſt Anglia ſancta,
Neſcit præterea majorum facta meorum.
Ludovicus Caroli Magni filius. Nam Ludovicus magno digniſſima proles
Vaſtavit toto diviſos orbe Britannos,
Quos ſævo imperio tenuerunt Saxones olim.
At Ludovici nos regis nomen habemus,
Nec vires forſan deerunt, nec gloria dextræ.
Hæc ubi dicta dedit, Franca de gente Theonem
Advocat, atque duci mandat ſua vota referre.
Exequitur mandata Theon regalia, tandem
Tecta ducis ſubiit facundus, vertice deinde
Nudato incœpit: Venio, dux inclyte, regis
Francorum orator Chriſti tellure marique
Maximi, & in toto quo non eſt juſtior orbe;
Hic petit ut ſævam, quam ſacra in templa movebas,

Iram deponas, quia non tua jura premebas,
Sed regis Franci; tu deſine bella movere,
Et ſacros vexare viros, ni regiminis omne
Imperium ipſe tuum cupias conſternat ut armis
Miles in extremam & decernat pellere Tylen;
Præſidium interea recipit dux ipſe Britannus
A duce Burgundo, nam ſi non ille petitam
Ferret opem, imperium regis timuiſſet, & ipſi
Pareret cunctis amotis undique ſignis.
Tum dux ſubridens: Orator maxime regis
Franci, ait, & quo non eſt alter major in orbe:
Non pavor ipſe pater, non ſum formidine quondam
Matre ſatus: timeam ut regis pergrandia verba
Non illi inferimus bellum, nec regia templa
Proterimus, ſcirpo veſter rex quærere nodos
Incipit, ipſe ſinat cur non me poſcere templis
A noſtris cenſus? equidem diſſolvere nodos
Hos cupio, & dextræ virtutem oſtendere noſtræ.
Quod Ludovicus noſtrum devicerit orbem
Gallicus, in noſtris generatus finibus altus
ARTURUS ipſe fuit probitate inſignis & armis,
Francorum hic regno potitur, Dacoſque ſubegit.
Ipſe HILDERICUS regni de ſede fugatus
Francus erat, Baſinuſque ſua huc tellure recepit.
An memorem quando Grimnaldo bella pararunt
Auſonio Galli? ſummas tranſcenderat Alpes
Franca phalanx, quæ res poſtquam pervenit ad aures
Grimnaldi, infeſtis occurrit denique ſignis,
Nec longe a Francis regibus tentoria ponit,
Ac multo dulcis complevit munere baccha,
Mille dedit tauros media inter caſtra vagantes,
Mille dedit pecudes, magnorum horrentia terga
Mille ſuum, trepidus conſinxit deinde timorem,
Caſtraque dimiſit, toto & cum milite fugit.
Franca manus credens formidine caſtra relinqui,
Se prædæ accingit ſubito, dapibuſque futuris
Viſcera depoſitis taurorum cœperat armis
Pars nudare, alius verubus verſare ſalignis,
Pars lavat, ac ſtipulas flammaſque miniſtrat ahenis,
Et ſeſe complent tandem vinoque ciboque,
Immemoreſque hoſtis facti, curæque ſemotæ
Bellorum, & ſegnes media inter caſtra jacebant.
At Grimnaldus erat ſumtis vigilantior armis,
Et ſuper incumbit repetens tentoria, morte
Interimit Francos ſomno vinoque ſepultos.
Non hodie melior, non eſt moderatior armis,
Ut vinci noſtris nequeat gens iſta ſuperba.
Quod nuper fidei dicat documenta Latinæ,
Nos habuiſſe patris Thuſci, nec longa Johannis

Eſt ætas, primum novit qua Francia Chriſtum.
Heu! quanta improbitas! credit ſibi jura licere
Poſcere templorum, nobis tamen eſſe negan-
da.
Quid ſi ſe jactet præclaro ſanguine cretum,
Hactenus apparet non tantum in rege probandum.
Anglia pontifices etiam, regeſque creavit;
Sed fateor, fuerit fortiſſima Gallia ſemper,
Degeneres etiam plures dedit impia tellus.
Vade igitur, regique feras reſponſa potenti
Talia, ſi noſtris is vult illudere regnis,
Non impune feret, non nos moriemur inulti.
Hæc ait, & ſeſe turba ſubtraxit ab omni,
Ingenteſque fero verſabat pectore curas.
Jamque Theon rediit regi reſponſa reportans,
Quæ poſtquam accepit, quantum conſerbuit ira
Non facile eſt dictu, calido ſed qualis aheno
Fervet aqua, ac multus ſtipes cum ponitur igne,
Exiliunt, unde tendit vapor ater ad aures,
Sic magis exarſit, magis atque excanduit ira.
Rex Franciæ indicit bellũ duci Britann. Advocat ipſe duces omnes, atque arma parari
Mandat, & indicit ductori bella Britanno.
Tunc ego, ne noſtras torpeſcere dixeris artes,
Oritur diſſidium inter regem Franc. & fratrem ſuum. Conceſſi ad fratrem regis, de nomine regum
Carolus is fertur, nigro ſparſique veneno:
Defuncti in ſomnis facies eſt ſumta Picardi.
Carolus ipſe fuit, cui miro junctus amore,
En Ludovici majeſtas imperat arma,
Inque ducem fingit moturum bella Britannum.
Sed neque credendum, pro parvo prælia velle
Templorum cenſu, ſacra non ullus in aula
Æſtimat expertus, quis non intelligat artes
Regnorum, ſocios quæ non admittere poſſunt.
Hactenus ecce tuus frater ſibi nomina regis
Solus habet, ſolus cupiet jam ſceptra tenere,
Communi audebit te forſan pellere regno,
Et vita ſpoliare volet, ni providus enſes
Fraternos fugias, & ſis contrarius ipſi.
Tu dormis, vigilat frater cum milite multo,
Tu legis annales, veterumque & facta virorum,
Thebanos fratres quis neſcit & Ilia virgo
Quos peperit, Belus, ne longe exempla petantur,
Ferro Attilæ occubuit fratris, dum vivere tentat,
Et cum fratre ſimul communia regna tenere,
Ipſe tibi fueram magno conjunctus amore
Dum mihi vita fuit, nec me tibi carior alter.
At poſtquam rapuit mors me immatura, nec umquam
Excideras animo, nec te mea cura reliquit.
Ergo te moneo, cum craſtina fluxerit hora,
Cautus ab hoſpitio diſcedere fratris avari
Feſtines, tellus tibi non eſt, Sequana longe
Burgundique ducis ſedes, atque arva PHILIPPI,
Cum quo Francorum parva eſt concordia regis.

Ille ubi te accipiet propriis lætiſſimus oris,
Fortis ab invidia defendet fratris, & armis.
Aut ſi forte magis gens Anglica fida videtur,
Illic tu propera, ſociumque adjunge volenti.
Nam quamvis fratri ſeſe nunc fecerit hoſtem
Ipſe tuo: poſtquam juſtæ ſibi tota patebit
Cauſa fugæ, pro te ſemper certaverit armis.
Cui Burgundus adeſt toto dux notus in orbe:
Tres critis ſolo bellum cum fratre gerentes.
Vix ea fata fuit, ſomno eſt excuſſus, & alta
Deſilit e ſponda, laterique accommodat enſem
Turbatus, famuloſque vocat, jubet arma parari,
Impediuntur equi frænis, fingebat & ire
Venatum, celereſque canes præcedere mandat.
Tandem illum accepit tutus dux Anglicus oris.
Aſt ubi pervenit diſceſſus regis ad aures
Fratris, ſuſpirans trahit imo a pectore vocem,
Intendens dupliceſque revolvit ad æthera palmas.
Quis dolus aut fratrem ſubduxit quis Deus, inquit, Verba regis ob fugam fratris.
Sic ut nos fugiens iret ſuſpectus ad hoſtes?
Cui curam noſtræ ducebam credere ſummam
Militiæ, ut primum ferret virtutis honorem.
Dedecus ô Franci ſceptri, communia regna
Fugit, & adverſæ eſt auſus committere genti,
Quis mihi fidus erit cum frater limina noſtra
Liquerit? at fraudis propria ſi quis fuit aula
Cauſa hujus, pateat, prima inter munera nobis
Danda Deo, ſtygias illum mittemus ad oras:
Quandoquidem nullis talis fuit exitus olim
Regibus hic Francis, fraudis monumenta nefandæ
Hujus nulla manent, ut vellent prodere fratres,
Aut regno privare ſuos, fortaſſe bilinguis
Eſt aliquis noſtra nimiumque doloſus in aula.
Qualis, dum forti domita olim eſt Anglia rege
A Ludovico, fuerat Guiſcardus Honorus
Ludovicum inter natos quoque ſemina jecit
Diſſidii, & gemini moverunt bella parenti
Sæva & de Franco pepulerunt denique regno,
Carcere nec parvo & tenuerunt tempore clauſum;
Sed poſtquam in lucem venerunt ſemina fraudis,
Et patuere doli, pactum veniamque precantur
Filii, & hoc regnum mox reſtituêre parenti.
Sic ſuperis placitum diis eſt, & talia dicens
Advocat ipſe virum Rahinaldum, ac ore locutus, Rainaldus mittitur ad placandum fratrẽ regis.
Qui fuerat carus fratri, & ſecreta tenebat
Sed tanti fuerat diſceſſus neſcius: ergo
Vade, inquit, fratri, in noſtra cariſſimus aula,
Et cauſam quare tacitus ſua regna reliquit
Scire velis; timuit germani forſitan arma,
Declaret, noſtri dabitur pars maxima regni,
In qua ſecuram poſſit ſibi ducere vitam,

Quamvis tantus amor Siculos non tempore fratres
Antiquo tenuit, quantus mea pectora in ipsum,
Nec tantum Pollux dilexit Castora, nec tam
Theseа Pyrithous, nec tam dilexit Orestem
Phoceus juvenis, petiit cum Taurica regna.
O quantum misero timeo, ne perfidus hospes
Interimat, proles non est Saturnia quæ nunc
Protegat hospitii si dux sibi jura refringet
Anglicus, haud tanto cessabit cardine rerum.
Si fortasse duci dimittam munera poscit
Templorum, dabimus, sacros & poscere census
Ipse sinam, ac belli motus revocabitur omnis;
Si sibi committi poscit Normannia regna
Quæ meliora putat, queis olim Francia victa est
Ferro atque igne simul, sibi sumat sceptra rogamus,
Suspicio ipsius dum sit de pectore pulsa.
Sic ait, atque ducis properat Rahinaldus ad oras,
Et regis fratrem verbis compellat amicis:

Verba Rainaldi Carolo fratri regis.

Regia progenies, frater me mittit ad aures
Ipse tuas, æger primum miratur iniquum
Exilium, & curas patrio quæ cedere regno
Impulerint vanas, quæ te sic cura coëgit
Scis, certe fuerit nullus secretior alter
Me tibi, & ingenuos dicebas semper amores.
Auribus exponas tutis quæ causa, quis error
Impulit, ignotas hostis concedere ad oras?

Responsum Caroli.

Hic tum suspirans lacrymis respondit obortis:
Scis Rainalde tibi quæcumque arcana solebam
Prodere: sed nostri discessus dicere causam
Non me fratris honor patitur, nec tempus acerbum,
Et melius casum rex scit quemcumque parirt.
Sed si forte ducem nullis is læserit armis,
Ipse dabo veniam, pacis quo fœdera sunto.
Quæ mihi promittit denturNormannia regna,
Burgundoque duci spectata Picardia detur.
Sed quamvis forsan fuerit mihi sævus, amicum
Consilium dedero, tum tanto ne agmine certet
Tu suadere potes. Rainaldus talia reddit:

Responsio Rainaldi.

Non ego quæ dicis, gentis spes maxima Francæ,
Denego, sed tantas inter componere lites
Expedit, ipse omnis pacis mecum affero leges.
Quæ petitis pro rege dabo, nos fœdera,tanta
Tantorumve ducum nobis afferte: tulerunt
Et rata fecerunt. Regis Rainaldus ad aures
Velatus rediit ramis & fronde Minervæ.
Ast ego cum pacem læta cervice vagantem
Aspicio, rursus per noctem consulo, credat
Ipse duci summas arces: Normannia dixi
Instabilis gens est, timeo ne rex tibi regnum
A Commissum arripiat media inter fœdera, si dux
Anglicus accipiet, nec quisquis Gallicus illud
Jam poterit mutare ducis formidine tanti.
Ille velut frater rex persequeretur euntem,
Surrexit, veloxque ducis pervenit ad aulam,
Atque arces omnes, rerum & commissi habenas.
Hæc ubi fama boni regis jam perculit aures,
Atque oratores Normannia vota ferentes
Adveniunt, sævo se nunc terrore teneri
Exponunt, flagitantque velit revocare petentem
B Sub juga Normannum populum sua. Talibus ipse
Rex est commotus, nam quas dedit ipse regendas
Fratri arces, custos retinet sine jure Britannus.
Sese iterum accingit, fiunt crudelia bella,
Nulla fere lux est in qua non corpora mille
Hinc atque hinc letho sternantur inertia passim.
Hæc mea pigritia est, princeps inferne, tamen si
Ipse paras gentis Leodinæ funditus uritem
C Perdere, Burgundis Francorum jungere regem
Est opus, atque aliter deleri fata negabunt.

Quomodo possit destrui Leodinum.

Dumque duces inter, regemque tenebimur, illa
Mœnia durabunt, furiis a rege remotis,
Et ducibus fiet concordia maxima, junget
Se ducibus fratrique suo rex Gallicus, omnem
Militiam armabit, Belgis quibus ante favebat
Tunc inimicus erit, vel dux sibi finxerit esse
Junctum ad terrorem. Dixit, nec plura Megæra,
Et se tartarea furibunda in sede locavit,
D Collaque serpentum tumuerunt murmure longo.
Fit fremitus, manes cuncti assensere loquenti,
Dictaque laudarunt, placuit sententia Diti,
Ac mandat, cedant Francis, utque Anglia tellus
Linquatur placida & Normanni in pace regantur.
Utque ipsa Alecto princeps, decusque sonorum
In Belgas redeat, Tungri repetantur, & alta
Mœnia Trajecti, repetatur Sequana terra.
E Dicta facit stygii Plutonis filia noctis,
Atque adamante comas nodavit, deinde sororì
In ripas Phlegetontis abit succendere pinum
Ingentem ambusto fluitantis ab aggere cepit
Littoris accensam dimisso gurgite velox
Belgarum piceo medias conjecit in oras.
Illicet ignis edax per pectora funditur atro
Cum fumo gentis Leodinæ ac excitat ipsos.
Sic animi juvenum incensi diversa loquuntur,

Verba Vincentii *de Bures*.

Præcipue dominus *de Bures* talia fatus:

Magnanimi cives, qui mecum vivere vultis
Atque animos præstare graves voluistis, & omni
Fortunæ, ac ventis variis certare parastis,
Non honor incœpto nobis desistere bello.
Sic moriamur, ait, nostram redeamus ad urbem,
Borbonius sive est, sive est Burgundia tota.
Hæc ait. Arvildus contra sic talia reddit:
Non hoc ista meo tempus nunc prælia poscit
Judicio, melius sed quod instat agemus.
Nobis ex longo sacra interdicta fuerunt
Tempore, quo cœpit non cessat vertere nostros
Sequana gens muros, fuimus gravioraque passi,
Dummodo ne immeritos raperet Burgundia census.
Quos, quia fingebat dux bello invadere Turcos
Papa Pius. Velle, Pius princeps repeti permisit, ac ipsum
Sidera ceperunt, qui si fortasse fuisset
Vivus adhuc, postquam Burgundas cerneret artes
Pontifex Barbus pontifex. Consilia in melius mutaret, & ipse foveret
Nos miseros, tantum princeps nunc PAULUS honorem
Barbus habet mitra fulgenti tempora cinctus,
Non pietate minor, spes est modo major in ipso,
Ut sibi devotos Leodinos vindicet armis,
Et cupidus pacis tranquilla in sede reponat.
Mittamus primos nostris de sedibus illi
Nunc oratores claros, qui talia narrent
Pontifici tanto, sanctissima tempora cerno
Adventare, quibus verus regnator Olympi
Christus supplicii nomen nexusque subivit
Quemque suum scelus & numerum decet ecce fateri
Sumere composita & zepherina viatica mente,
Eripiat stygiis animas ut Christus ab undis.
His quondam sumtis potuque ciboque puella
Abstinuisse dies per tres narratur & annos
Nata decem, nostris generata in finibus ipsa,
In senos menses pane & saturatur & unda.
At nobis bello egressis, & cæde recenti
Est interdictum sacris, & templa negantur.
Quare opus est cunctis Romano principe, Christi
Qui solus sedem in terris, & jura ministrat.
Assensere omnes, tum prima e gente petuntur
Mittuntur oratores Romam. Summi oratores sacrarum & lacte madentes
Pieridum, Legiis sed non discedere ab arvis
Hi potuere: alios claro dux eligit ore
Præstantes, qui jam divinæ mœnia Romæ
Advenere, sacras Paulique ad principis ædes.

Edocet hinc omnes pleno lepidissimus ore
Quid velit, & miseris tandem succurrere rebus
Eburonum, properent orat pro pacis amore.
Protinus Honofrio Leucorum tradit habenas,
Et lateris nomen sacro applaudente senatu.
Ille moræ impatiens, Martis lenire furorem
Apparat, & Legias subito descendit in arces,
Nunc interdictum solvit, nunc lætus honores
Accipit, & Legiis suadet parere verendo
Borbonio; placide tractans sacra fœdera pacis.

POntificis summi interea torpescere nullo
Cura sinit pectus somno, cupit addere pacem
Perpetuam populis, removere incendia belli.
Vix croceum thalamum Tithoni aurora reliquit
Conjugis, & roseo patefecit lumine terras,
Consilium vocat ipse Patrum, qui tegmine fulgent Laus cardinalium.
Puniceo capitis, sed mens fulgentior illis.
Quilibet Europem, vel si des Africa regna,
Sive Asiam regeret, est tanta experientia rerum.
Jamque parantur equi, frena & spumantia mandunt,
Velanturque viæ diversis gentibus omnes,
Ac tandem PAULI subierunt tecta secundi.
Tegmine præterea qui cingunt tempora nigro
Advenere, implent sacrata palatia Petro.
Inde pater patriæ pacis quoque cultor & almæ
Defensor fidei, Barborum sancta propago
Egreditur, PAULUS medium sese arduus infert.
Ipse viris sacris placido tamen omnia cernit
Lumine, tum spatium juxta sacer ordo relinquit,
Exteriore aula solio ipse resedit eburno,
Quod circumtexto ornatum est velamine & ostro,
Consilio lectus nec quisquam protinus ausus,
Donec tranquilla dextra dedit ipse sedendi
His veniam; jussi tum mox subsellia complent.
Consedere sacræ fidei qui a cardine nomen
Nobile habent, stratis tum forte tapetibus Cardinales.
omnes
Se mitrei posuere, alii splendentia cernunt Episcopi.
Tempora pontificis, quæ feliciſſima gemmæ Protonotarii.
Fulgentes lambunt, quæ ferri ex orbe remoto
Se voluere, caput tanti ut tegeretur in urbe
Principis, atque genus semper diademate Barbum
Amphitheatrali longum ornaretur in ævum.
Sed postquam sacris sunt facta silentia jussis,
Incipit: Ausonia qui resplendetis in aula
Gratulor insignes quod vos assistere fratres Verba pontif.
Omnipotens voluit, tantis incumbere rebus. Pauli in concilio.
Quippe potest nobis res nulla occurrere tanta,
In qua consilium vestrum non fata sequamur, Laus cardinalium.
Nec magis a Delphis venere oracula vera,
Quam quæ pectoribus manat sententia vestris.
Nunc opus est etiam Leodinis utile demus
Consilium rebus. nostras pervenit ad aures

LIBER II.

ROmuleus præsul sortem miseratus iniquam,
Ærumnasque graves Leodinæ gentis adesse,
Mox jubet Hesperios patres, & nobile cogit
Consilium, toto quo non est sanctius orbe.

Cum duce Burgundo quanta eſt diſcordia gentis
Illius, atque Pius princeps divinus ad ipſos
Pacandos Petrum Ferricum miſerat, & qui
Cauſarum auditor fuerat juſtiſſimus unus
Sedis apoſtolicæ, nunc hujus pilea cingunt
Nigra caput, domnumque vocat Teraſona verendum.
Hic quamvis omni pacem tractaverit arte,
Obſtitit ipſa tamen tam Jovis invida turba
Inferni, quod res ſic imperfecta remanſit,
Nec potuit monitis gentes refrenare benignis
Cenſurave ſua, noſtras tum mandat ad aures,
Utraque pars ferret ſua jura ad mœnia Romæ.
Hic rediens ſuperum cœli aſcendiſſe cacumen
Pontificem Æneam, ſolum ac me ſorte tenentem
Audit apoſtolicum, genibus ſe denique flexis
Ante pedes duxit noſtros, atque omnia duri
Facta refert populi, cui nos adjunximus aures.
Hinc oratores longis a finibus urbem
Adveniunt, quos dux Romam direxerat omnes
Invictus, poſcens cenſura ut noſtra daretur
In populos ſævos, quos Moſæ interluit unda.
Nos vero pacis cupidi tardavimus ipſum
Judicium noſtrum bis quarti in tempora menſis,
In placidam ut poſſent ſeſe revocare quietem,
Mandatumque fuit noſtrum, gens ne altera gentem
Læderet, & pœna eſt anathematis addita parti,
Quæ non ſervaret, nec non fulgentia flavo
Quinquaginta auro nummorum millia danda
Pro bello in Turcos, eſſet ſi quando gerendum.
Sed ducis interea ſolius jura feruntur
Ante oculos noſtros, Leodini ſpernere viſi
Pontificis mandata ſui, pluresque querelæ
Percuſſere aures noſtras, pepuliſſe ferebant
Borbonium domnum, Phalais nunc mœnia capta,
Curia nunc baſſa eſt incenſa, & plurima damna
Gens Leodina dedit, nunc cives jura ſecutos
Borbonii exilio plecti, graſſator in illa
Plurimus & latro eſt patria, valde eſſe timendum,
Ex interdicto ducti ſævoque furore,
Diverſos populos Romani & principis hoſtes
Ne glomerent ſecum, propter quod ſumma ruina
Totius patriæ ſequeretur, & ultima genti
Gallorum peſtis, veluti cum turba Getarum
Hunnorumque furor ſæviſque Alemannia telis
Invaſit Belgas, olim vaſtare Namurcos,
Nunc agros, valles, patria mortalibus ipſis

Petrus Ferricus epiſc. Tiraſonenſis.

Æneas, Pius pontifex.

Leodii.

Borbonius D Leodin. ejectus.

Querelæ ex poſitæ a duce contra Leod.

Tergora diripere, & ſævæ dimittere morti
Captivos plures, nunc Bruſches maxima bella
Dinanto auxilium eſſe datum, non fœdere pacis
Servato, illius cauſamque fuiſſe ruinæ.
Nunc Huy obſeſſam, qua pulſus epiſcopus ipſe eſt,
Villam & prædatos, quæ jam potuere ferebant,
Non placido iſta ducem vultu malefacta tuliſſe;
Nam quando obſeditTrudonis mœnia ſancti,
Subſidium & populus Leodinus ferre paravit,
Vincuntur Legii, ſternuntur corpora paſſim,
Et Leodis populus ſuperatur milite multo.
Legibus impoſitis gravibus pax ſæpe petita eſt,
Nonnulli pedibus nudis & vertice lecti,
Ante ducem inſignem pacis protendere ramos
Conferrent, cives Bruxellæ ad mœnia miſſi,
Qui ſe deberent nimium peccaſſe fateri.
Plura etiam longum eſt nobis memorare, probari
Dux pacis leges ſibi factas denique poſcit.
Nos quoniam tacitos Leodinos vidimus olim,
Nullaque jura ſibi faventia ferre volentes,
Judicium tulimus, jam quæ poſſedit Adulphus
Jura reverendus Leodina præſul in urbe,
Borbonio & rerum conſervarentur habenæ;
Juſſimus impoſitas commiſſo pendere pœnas,
At ſi quas olim juſta ratione querelas
Afferrent Legii, nos præſervavimus illis,
Quamvis præteritus cauſarum terminus eſſet,
Pontifice Auſonio rogitato jura tueri.
Fas ſua, ne tacitæ veluti mererentur amiclæ.
Inde gravi preſſum populum percepimus ipſum
Interdicti onere, & pacis contemnere leges
A duce compoſitas, qui jam miſeratus iniqui
Duritiam populi, poſcit mittatur ad illos
Orator juſtus, nulli ſuſpectus habendus,
Cui data libertas ſolvendi crimine cunctos,
Atque interdictum, qui pacem imponere, morem
Abnuere, & ſi vult valeat quæcumque negare,
Ipſe magiſtratus delere & ponere poſſit,
Solvere qui valeat pœnis, ſe aſſiſtere promtum
Pollicitus dux eſt, quærendus idoneus ergo
Orator, nobis Leodis mittendus ad oras.
Conſulite in medium, volventi plurima ſemper,
Nemo tamen melior, nec cernitur aptior ullus
In Latia, quam ſit reverendus Honophrius urbe,
Nomine Tricarius, nunc dignus epiſcopus alta
Virtute, & morum cultu majora meretur,
Publicolæ Valeri proles ab origine longa,
Ingenio velox, & relligione timendus,
Conſilio ſapiens, non eſt moderatior alter,

Quique

Quique eſt multorum mores expertus & urbes,
Non illum fallit legum veneranda ſacratum
Majeſtas, non hunc fallunt civilia jura.
Publicolæ domui ſimiles habet ipſe per ævum
Mores, nam plebem ſuſpectam is conſul habebat,
Ne regeret gentem crudelis amore tyranni.
Concio fit populi, atque abjectis faſcibus addit
Ante pedes legem, ne quis pulſare togatum
Auderet: conſul turbam placavit & omnem,
Conſulis omne decus ſe ſubjeciſſe verendo
Romano oſtendens, populum moderamine tanto
Uſus, patricios plebemque rexit amore.
Neve animis odii pars aut ſcintilla maneret,
Ipſe ſuas verti ſummas mandaverat arces,
Æquarique ſolo, non dedignatus inire
Poſt humiles ædes regiſque & conſulis omne
Divinum imperium paſſus, dum jure quieto
Et placido hunc populum regeret, ſed gratia major
Hunc habuit plebis, quanto ſe mitius egit.
Hinc & publicolæ gens eſt hæc nomen adepta.
Nec ſpe nummorum fuerat mens conſulis acta,
Sed proprias conſumſit opes, dum redderet auctam
Auxilio Romam; quæ tandem nempe ſepulchrum
Pro meritis donat, vicus qua publicus urbis,
S. Maria in publico. Nunc Mariæ ſunt templa, domus quoque publica gentis
Patriciæ, nomenque datum Crucis extitit, ex quo
Ipſa Crucem ſanctam ſolita eſt defendere Chriſti.
Pellicanus avis. Olim inſigne fuit volucris, quæ ſanguine paſcit
Ipſa ſuos natos proprio, nunc illa vetuſti
Sanguinis effigies, crucis aurea parſque remanſit.
Ille quater conſul terræ diſceſſit ab oris.
Publicolæ gentis ne ſemina cuncta perirent
Conſuluit ſummus ſuperi regnator Olympi.
Poſt varios caſus, poſt longi temporis horas
Multas, ipſa domus claros genuiſſe videtur.
Nunc ſors evexit, nunc & dejecit ad imum:
Sed nunc inſignem reverendus Honorius ornat,
Quem Pius Æneas Belgarum miſit ad oras,
Atque Moguntiacum ut Dieterum forte rebellem
Pontifici Latio, & Fredericum conciliaret
Ductorem belli. Diſcordia maxima cœpit
Borbonii & populi Legii, ſed Honophrius iram
Lenire, ac vitæ tranquillæ jungere tentat.
Urbibus eſt etiam præfectus quando regendis,
Non ceſſat laudare Tuder, non Umbria tota,
Et cum Campanis oriuntur bella ſub agris,
Deficit ad regem pars altera Parthenopeum,
Altera pars ad nos, quamvis is ſubditus eſſet

A Imperio noſtro, tamen eſt ita cognita regi
Hujus mira fides, ut non dubitaret eidem
Credere, concordes pariter commiſimus arces,
Donec nodoſi patuere ænigmata juris.
Quid tacitum Andræam modo ſermone relinquam
Germanum, exornat qui jus civile ſacrumque?
Primus enim Auſonia modo leges ſanxit in urbe,
Pacis & autor nitidæ placidæque quietis,
Illius eloquio, ſi qua eſt diſcordia, cedit,
Tela cadunt manibus, vultu depellitur ira,
B Nec plus Minoi debebat Enoſia tellus,
Debeat Andreæ quam nunc Romana juventus,
Gloria Threicio non eſt magis ampla Lycurgo.
Judaïcoque ſeni, nec plus Cellenia proles
Laudis habet, nec plus leges meruere Solonis,
Pompiliique Numæ, nec plus meruere Phoronei,
Nec bis quinque viri quondam decora parentum,
Theodoſius nec plus, quid enim mortalibus umquam
C Pace dedit melius tam lati conditor orbis?
Quidquid Pompeius Magnus Cæſarque reliquit
Intactum Andræas declarat voce verenda,
Non tantum propriis illum ſtuduiſſe putemus
Rebus, conſilii traduxit publica geſta,
Sedis apoſtolicæ ſudavit pondere ſemper.
Quid referam Eugenio quarto cum ad bella movetur Eugenius IV. papa.
Sforcia, Picentes fortis vaſtaret & agros,
Ut proprio ſumtu per tot diſcrimina rerum
D Tenderet, ut duros pateretur mille labores,
Dummodo pontificem tueretur pectore toto?
Quid recitem Alfonsus rex eum olim bella parabat?
Vici in Varronis comitem de gente Latina
Et genere Urſino; magna urbs cum incommoda ferret
Mittitur orator ſummus, tantique repreſſus
Impetus eſt regis: regnante antiſtite quinto
Nicolao, Urſinæ dum ſit gentiſque Columnæ Nicolaus papa V.
Seditio, geminos ſolus placavit ad annos,
Diſpulit ipſe ſuo eloquio civilia bella.
E Spiritus interea Calixti ad ſydera tendit, Calixtus.
Ac Pius Æneas placidiſſima tempora nactus Pius.
Accepit capiti radiantia tegmina tutus,
Adde quod ipſe Pius petiit dum mœnia Mantus,
Romulei innumeri juvenes glomerantur in unum,
Atque magiſtratus auſi contemnere ſummi
Principis, Andreæ reditu ſedantur, & armis
Pacis & officiis, princepſque redivit in urbem.
Spartacus alter erat ductor, ſed concidit ipſe
Principis ingenio, poſtquam pax longa ſecuta eſt
Dorica, cumque Ancon peteretur principe ſacro,

Quinque hominum vidua bacchantur millia in urbe
Collecta in Turcos, essent si bella gerenda.
Verum ubi nullus erat victus, captare malignum
Consilium audebant, urbis se accingere prædæ:
Feciſſet etiam Romam sed liberat omni
Terrore Andræas, porta furibunda Capena
Agmina seducit, trepidantem clausit & urbem,
Cum promissa Pium cepissent sydera. Læsi
Nonnulli ulcisci magno discrimine tentant,
At pater Andræas cunctis bonus abstulit arma,
Temperat, & juri suadet parere furentes.
Denique nunc ætas trigesima volvitur, ex qua
Principis Ausonii pro conditione laborat:
Scipio non patriæ tantum, non Brutus & ille
Profuit Ausoniæ dixit quem Roma parentem.
Ergo Publicolæ genitos non sanguine cerno
Degeneres, laudo, mittamus Honophrion oras
Legatum ad Belgas, Lateris quoque nomina demus,
Aut si forte alius nobis præstantior esse
Cernitur his rebus, illum narrate, jubebo
Ocius orator Burgundas applicet oras.
Hæc ubi dicta dedit, cuncti simul ore fremebant,
Honoſtius eligitur legatus. Pontificem laudare omnes, sanctusque senatus
Annuit, ac nullum meliorem uno ore fatetur.
Tum princeps illum ad se jubet ipse vocari,
Cunctarum in Belgis rerum & commendat habenas.
Abnuit orator tantarum pondera rerum:
Verum ubi pontificem cœptis hærere videbat,
Per quascumque, inquit, pro te nos ibimus oras,
Sancte pater, Lybicos non cessem ferre labores,
Non fugiam sævos Scythico sub frigore thauros,
Non fugiam scyllæ sævæque Charybdidos undas:
Si placitum, bruma glaciem tentabimus Istri
Æthiopumque solum visam sub sydere cancri,
Prætentoque pedi conjungens oscula sacro
Paruit, & patriæ dimisit mœnia terræ.
Vix sævæ accipiunt Leodis cum mœnia fama
Ingreditur, pueri cuncti, innuptæque puellæ
Sacra canunt, tantum gaudent juvenesque senesque
Adventare virum, portum finemque laborum:
O mentes hominum miseras! quas versat Erynnis,
Quas fortuna agitat, quas fata inimica sequuntur.
Non oratoris gravitas, non pondera mentis,
Non animus placidus, non totus forte juvaret
Si foret in Belgis miles Romanus, iniquis
Est visum Superis Leodinam evertere gentem,

Jamque Florentinos Arnique fluenta reliquit
Orator; petitur parvique Bononia Rheni,
Deseritur Verona illi, tandemque Tridentum
Applicat & fines Clavenni ruris adivit,
Austrica nobilitas præstanti hic munere donat
Atque Allobrogicum Latio genus utile quondam,
Inde Meran petiit ferratis ipse fenestris
Ornatam, tectis Laudori seque locavit,
Præterit hinc montes niveos, transitque fluenta,
Et vectus curru tandem pervenit ad ipsam
Rembeccam, rauco solita est quæ applaudere cornu
Hospite venturo, petiit Centenque nivosam
Flumine divisam, necnon Mimingia rura
Oppida saxosoque intrat circumdata muro,
Conspicuam & templis Utinam spectavit, & undam
Danubii, ad claræ quoque portam labitur urbis,
Dextra Geselinges montosæ hinc mœnia linquit,
Hinc & Esclinge vivo circumdata saxo,
Marmoreus petitur pons, & Stucarolia vallis,
Hinc inter mensas regales Virtenibrochus
Accipit, atque cædes majorum ostentat avorum,
Jam nitidi spectat Vangeni flumina, & alti
Deseruit vineta loci, Mulbrumque petivit,
Quod traxisse ferunt a Mula nomina, flexis
Quæ genibus numen spectavit fontis in unda.
Est inter geminos montes, quorum alter abundat
Vitibus & Baccho sacer est, atque altera Fauno
Sunt juga amata Deo, Lucingos denique flumen
Applicat, & Brinti per mœnia ducitur urbis.
Ad terram princeps hic sternitur ecce jugalis,
Sed cautus sævo se liberat ipse periclo,
Bellerophonteas imitans pro tempore vires,
Bruxellum & petiit, Rheni portumque reliquit,
Urbem adit Spiræ, atque Urmatia mœnia cernit.
Hinc adit Oppingen fessus, postquam ipse Suevos
Liquerat intrepidos, necnon præclara subivit
Tecta Maguntiaci ripis junctissima Rheni.
Hic etiam mandata sacri non ulla peregit
Principis, & rebus pressum lux septima vidit;
Donec pro palmis oleæ cepere salignos
Hic ramos, solito Quintini munere templi,
Qui passus regnum dum Marcellus habebat.
Non satis incolumis statuit conscendere navim,
Et medias Rheni melius vexisse per undas.
Bingia jamque patent placido sibi mœnia Rheno,
Oppidaque apparent complura e montibus altis,
Multa etiam flumen clarum spectantia Rheni,

Tandem oratorem Confluentia tecta verendum
Accipiunt, navi egresso & flumine noto,
Occurrit Trevi, laudes hymnosque canebat
Cum cruce turba omnis, tandem est ad Castora ductus.
Prætereo populos alios cum Bonna petita est,
Plurimus hic martyr cæsus sparsisse cruorem
Dicitur, atque extant monumenta insignia facti,
Si quando & populis redeunt solemnia sacra,
Iis sacer antistes mediam perducitur urbem,
Pellem insigne gerens rubram, referensque colorem
Sanguinis, atque alios cingens velamine sacros
Virgineo ut cædes pariter referantur ab ipsis,
Hicque sacerdotes agros & maxima circum
Lustravere omnes divinis protinus hymnis,
Et caput & Cassi sibi brachia sancta gerentes,
Occurrere sacro legato, illumque salutant,
Jam petitur facili spectanda Colonia vento,
Ærea templa prius vidit quis plurima ad oras
Æthereas, surgit nulla non arte columna,
Ara Magos habuit tres, ad quam tempora junxit
In qua sanctorum splendent simulacra virorum,
Munera tunc illi concessa sede parantur.
Hæc urbs Alberti Magni caput, ipsa sepulchrum
Ære laboratum, per quem secreta videntur
Quæ natura dedit, res & dinoscitur omnis.
Gereonis sancti petiturque deinde sepulchrum.
Quarta dies aderat reverendi præsulis ecce
Cum domnis petitur concordia mitis agenda.
Quis queat illius sævos memorare labores?
Quis narrare queat quanta in valitudine passus?
Non tardare illum potuerunt frigora & imbres,
Non Boreæ flatus, non fulmen ab æthere sævum,
Quin etiam ægrotus sese conferre volebat
In Legios curru campos, ne tarda putaret
Quis mandata sacrati portari principis illuc.
Juliaci interea spectantur mœnia. narrant
Cæsaris illud opus, necnon monumenta fuisse
Gestorum in Belgis. Hinc sacra palatia divis
Cernit Aquisgrani imperiis, circumstat imago
Plurima marmorea, & qua cinctus imagine fons est,
Agmina sacrorum tunc occurrere virorum
Organa pulsantium, Divûm laudesque canentum.
Egreditur linquens vallem quæ montibus altis
Cincta fuit, tandem hic equitum plura agmina cernit
Obvia, Trajecti mox illum ad mœnia ducunt.
Atque suburbanum quod Mosæ dividit unda

Occurrunt obviam legato.

Intrat, marmoreum sessus pontemque reliquit.
Obvius ecce sacer crucibus bona verba canebat.
Ad templum & ducit chorus, ærea cernitur arca,
In qua Servatii sunt ossa recondita sancti,
Quæ flexis orat genibus, mox fluminis undas
Conscendit, lætusque cava trabe fertur in oras
Optatas, tandem Carthusia cernere templa
Contigit, ac ripæ navis mox ipsa propinquat
Gramineæ, latis dum prora obvertitur undis.
Certatim in littus tum remex emicat ardens.
Viginti interea veniunt ad gramina cives,
Delecti a populo, oratorem & voce salutant:
Borbonius cleruque simul comitantibus offert
Innumeris, læto complexi pectora vultu.
Aft alii dextræ proclives oscula jungunt,
Non multis onerant verbis, quia flumine Cassum
Expositum cernunt, mox ad Carthusia ducunt
Tecta, quibus staret, donec locus alter in urbe
Deligitur, geminas noctes Carthusia cepit.
Mox jubare exorto populus Leodinus ab urbe
Ipse sua prodit, legati & limina adivit.
Ante alios Robertus adest sacro ordine montis
Nomine Corneli, sub quo pia numina quondam
Incoluisse ferunt, illinc vineta leguntur
Carmelum texisse, Deum post pectora sacri
Heliæ oliviferis habitasse in collibus aiunt,
Quem veri ceciniſſe Dei Phenicia tradit
Adventum, tribuit fratrum dehinc nomen honori
Posteritas, vocat & Carmelos nomine fratres.
Hic genibus primus flexis est talia fatus:
Ante oratorem reverendi & pectora sacra
Borbonii, populusque omnis pendebat ab ore:
Salve hujus populi spes ô fidissima, Paulo
Principe qui missus Belgarum orator ad oras:
Sed non tantarum commendarentur habenæ
Rerum, ni virtus sancto tua cognita patri.
Ad nos pervenit virtutum & fama tuarum,
Quare hæc commendat se gens miseranda rogatque
Ponderet errores mentis clementia vestræ.
Hæc volui dixisse prius, post cetera dicent
Facta alli, lingua facunda & moribus omnes.
Finis erat dictis, cum sese ex agmine prodit
Jussus Alexander Berartus, vertice adorans
Legatum flexo, mox illi talia fatus:
Facundus lingua sed non fuit ipse latina,
Nos tamen hoc omnem referemus carmine summam.
Namque ait: Ausoniæ virtus non ultima gentis
Salve, expectatus nostras qui tendis ad oras,
Cujus fama volat Belgarum magna per agros,
Gesta Maguntiaco cujus nos cernimus ampla

Verba Roberti Carmelitæ ad legatum.

Verba Begardi.

In populo, & merito princeps Romanus ad omnes
Spectatum fines mittit, ſedandaque bella,
Nunc etiam errores noſtros miſeratus ad urbem
Hanc miſit, longo celebrat quæ tempore ſacra
Nulla, interdicti cauſa: tam flebile fatum
Gentibus eſt noſtris, nec templis reddere poſſunt
Ulla metalla ſonum, cives quo ad ſacra vocentur:
Defunctis juſtaque viris monumenta negantur.
Quid pueri commiſere, ſimul teneræque puellæ,
Mortua graminicis cur dentur corpora campis?
Si peccare aliquis voluit, juveneſque ſeneſque,
An fortuna omnem debet nunc perdere plebem?
Heu pietas! quod ager mortali corpore pinguis
Factus, & humanis etiam nunc oſſibus albet,
Quas Troja his noſtris poterit conferre ruinas,
Simiſepulta in qua traduntur corpora viſa;
Illa quidem ſacris credo olim ficta poëtis,
Sed noſtros oculis caſus ſpectavimus omnes.
Dux etiam caſus noſtros miſeratus ad almum
Pontificem miſit, vinctos ut ſolveret omni
Interdicti onere, poſſint ut reddere honores
Divinos, quis enim fuerit tam pectore duro,
Aut ſi Sarmaticis vel ſi Marpeſſius ipſum
Mons genuit, vel ſi pavit ſæviſſima tigris?
Qui ſi noſtrorum accepit monumenta laborum,
Temperet a lachrymis: ſubito paulumque moratus
Flevit, & ad lachrymas aſtantes excitat omnes,
Præcipue domnus lacrymarum flumine vultum
Borbonius Borbonius ſpargit, ſic mentem triſtia tentant,
Paucaque deinde addit miſeri ſolamina vulgi.
Mœſtitiæ ſolvas, inquit, Leodina propago
Corda, quies venit, finis portuſque laborum.
Suſpiciens tandem oratoris lumina ſupplex,
Spero, inquit, feſſæ, princeps, miſerebere gentis:
Namque interdictum gens hæc miſeranda reſolvas
Supplice voce rogat, duplicique ad ſydera dextra
Expectatus ades, quantum non ipſe leænam
Expectat catulus, ſiccis cum parvus in antro
Faucibus, ac matri cauda blanditur amica,
Flumina non laſſi tantum optant proſpera nautæ,
Quam veſtrum adventum nos expectavimus omnes.
Verba legati. Sic ait. Orator Romanus talia reddit:
Borbonio poſtquam dederat pius ipſe ſalutem,

Quam ſolitus præbere fuit regnator Olympi
Intrabat quoties mortalia mœnia: Pacem
Ferre velim, vobis gens prudentiſſima primum,
Hanc Paulus mittit princeps, vos ipſe ſaluto
Nomine pontificis tanti, doluiſſe putetis
Caſibus hic veſtris, ſed ſi vos cauſa fuiſſet,
Non potuit miſeris olim ſuccurrere rebus.
Nam ſi veniſſent dum poſcebantur ad Urbem
Jura urbis veſtræ, ſtarent nunc mœnia, nullum
Interdictum umquam Leodinis forte fuiſſet.
Nec enim Borbonio domino diſcordia quondam
Tanta exorta foret, non ullis juribus uſus
In vos Burgundus dux forſitan ipſe fuiſſet,
Borbonio auxilium fratri dum ferre volebat.
Sic fuit invicto tam magna potentia, & alto
Magnanimoque duci: tamen is contemnere nollet
Pontificis mandata ſacri, nec frangere jura
Borboniique etiam, populus niſi jura negaſſet,
Haud credo urbs tantas hodie eſſet paſſa ruinas;
Sed numen ſtygium cauſa eſt, ſeu fata tulerunt
Veſtra, vel errores peccantum adverſa ſequuntur
Non verbo admiſſi ſi jam vos pœnitet, & ſi
Borbonio vultis domno parere verendo,
Me voluit princeps Belgarum accedere ad oras,
Atque interdicti nodos diſſolvere tanti,
Et ducis & veſtras lites incidere juſſit.
Si pacem optatis, ſtudio conabimur omni
Præbere. Ergo agite, ſtygiis obſiſtite divis,
Injuſtas frænate iras, parere jubemus
Borbonio domno, nec vult jura ulla prematis
Auſonius princeps ipſius, & omnia veſtra
Jura etiam mandat ſervari, ſi qua ferentur
Ante oculos noſtros. Igitur vos ſundite juſtas
Chriſto mente preces, detur mihi tanta facultas,
Ut valeam inter vos omnes componere lites.
Nos interdictum, cum mœnia veſtra petemus,
Solvemus certa ſub conditione, deinde
Si meritum eſt veſtrum, penitus deiebimus illud.
Borbonius aderit, qui manſuetiſſimus omni
Indulget veniam populo, num quæritis ipſi
Reſpondere omnes pacem, domnoque parere
Num vultis veſtro? Sonuit mons, vocibus omnis
Dum populus dicebat ita, & miſerere precatur.
Orator mandavit equis mox fræna parari,
Corripiuntque viam ruinoſa ad Pergama, cuncti.
Diruta conſpiciens Leodis quæ montibus altis

Mœnia cincta jacent, lacrymas excuſſerat alto
Pectoreque indoluit, Moſæ ſeptemplicis unda
Ingrediturque muros, Leodina plurima in urbe
Inſula conſpicitur, variique in flumine pontes,
Hanc urbem Legiam multi dixere priores
Quare Leodium dicatur Legia. Cæſaris a magni Legionibus eſſe vocatam,
Aſt alii certant a ſummo forte Leone
Pontifice, a ſævo & nomen Dodone tuliſſe,
Poſteritas melius Leodinam dicere gentem
A Legia rivo, templum qui defluit ante
Lamberti voluit; plures de nomine regis
Qui jecit molem, tenuit qui Sequana regna.
Conſcendit pario orator de marmore pontem.
Huc liber affertur, quo ſacra inſcripta Latinæ
Sunt fidei ante oculos legati & pectora ſacri.
Tum precibus cœlo lectis, & ſupplice dextra
Signa crucis tribuit populo, pater ipſe tuenti
Rore pio ſpargens circum dextra ipſa rotavit,
Igniferam & plenam redolentis thuris aceram
Vinclum interdicti Moſæ jaculatur in undas,
In Rhenum aut pelagus ſecum ſcelus omne daturas.
Quis lacrymas narret cum femineo ululatu,
Quas fudere preces, & quas juveniſque puerque?
Si cui ſunt filices, ſi natum in pectore ferrum,
Fletibus inſpectis feciſſent mollia corda.
Sunt gemini affectus, mentis fletum movet alter
Lætitia, adverſis alter ſævoque dolore,
Utque parens reduci nato, ſi tempore longo
Abfuit in magnis longe duriſque periclis,
Lætatur lacrymans, Legiæ ſic mollia corda
Gentis erant, pariter flebat dum læta fuiſſet:
Vix interdicto ſublato, cuncta metalla
Templorum ſonuere ſimul, Campania nomen.
His dedit ipſa novum Nolæ de nomine ſedis.
Tibia non ſacris olim cantuſque tubarum,
Utilis & ſonitum reddebant timpana templis.
Mox cytharæ atque lyræ variarumque organa vocum,
Flammaque funalis templorum verberat aurum,
Inque tholis ſpargit tremulum jubar ordine ſummis,
Conantur viridi poſtes obducere fronde,
Omnibus exuviis exornant templa parentum,
Quidquid ab innumeris quæſivit CAROLUS olim
Devictis populis Magnus, ſeu Saxone fuſo,
Sive Germanis, vel quo ſol occidit orbe,
Quidquid Lamberti portari in templa PIPINUS
Extrema mortis ſupplex in luce reliquit,
Accipiunt ſertos viridantia limina flores.
Quid quod & aulæis velantur ſtrata viarum?

Hinc atque inde domos tum feſta fronde tegebant,
Quidque habet ornatus juvenis vel culta puella
Altis ſuſpendi tunc eſt gaviſa feneſtris.
Quiſque viam civis flore exornabat, odore
Tellurem foliis collectis ſparſerat omnem,
Veſtibus intactis tegitur juveniſque ſenexque,
Accenſa in manibus funalia quiſque ferebat.
Jamque chorus ſacro venit exornatus amictu
Ad pontem, atque hymnos ſacros læto ore canebat.
Ecce ſenis primum venit longe agminis ordo,
Qui celebres muros ſcandentis reddidit *Aſſis*,
Et pauper fuerat divina ſtigmata paſſus, Ordo S. Fraciſci.
Cujus jam totum fama eſt diſperſa per orbem,
Nec ſolum Auſoniis habitat chorus almus in oris,
Sed ſpectant morec Turci vel Perſia ſanctos.
Inde Auguſtini ſequitur gens plurima velo Auguſtini.
Induta & duplici, qui tot ſcripſiſſe beatus
Traditur Aſrorum fidei quoque fama Latinæ,
Nec procul hinc iiſdem velis gens altera venit, Dominicani.
Diſſimilis tamen eſt ipſius regula & auctor.
Mox & Carmeli cantu agmina tanta ſequuntur. Carmelitæ.
Quid referam ut reliquus ſacer ordo eſt pone ſecutus?
Ultimus ecce chorus numeroſo ex agmine Petri Ordo ſacerdotalis.
Incedunt bini, cuncti & bona verba canentes,
Quos urbis mittunt octo præſtantia templa.
Lamberti prima eſt præcedere juſſa cathedra, S. Lambertus.
Sola quadringentos quæ poſſidet una miniſtros.
Viſendi ſtudio ſequitur poſt cetera pubes,
Et pueri & matres, nuptæ innuptæque puellæ.
Jamque tenent pontem gemini cum ordine equeſtri
Cives quadrupedis phalerati fræna regebant,
Ceu nivei quondam prætoris fræna Quirites:
Quatuor aſt haſtis ſuſpenſum vellere tegmen
Sericeo tulerant legati tempora ſupra,
Talis honor ſummo fertur, ſi quando per orbem
Pontifici datus eſt, populo venerante, Latinum.
Jam velatarum vehitur per ſtrata viarum.
Præcedit manibus qui tollat in æthera aceram,
Seu plenam mirrhæ, ſeu plenam thuris odore. Mos proiiciendi thuris.
Nec tamen inde cadit quidquid tanta utitur arte,
Dum ſpectat dominum tectaque perambulat arte.
Inque viis cives videas ſe flectere cunctos,
Mirantur, laudant, venerantur Honophrion omnes.
Femina ſeu virgo, ſive conjuncta marito,

Dum videt ex altis ſtupuit longe ipſa feneſtris,
Ille gravi vultu nec inani prædita luxu
Lumina, mores ducebat mentemque virorum
Inſpicit, invitus tantos capiebat honores.
* f. capſas. Hinc atque hinc mirrhæ taxtas * & thuris olentes
Ante domos poſitas, quales Cytherea Sabæo
Thure videt, Paphiæ repetit cum limina ſedis,
Ipſa coronatas ſertiſque recentibus ores
Invenit, admirans magno properare jugalis
Agmine vix poterat, tantus concurſus ad ipſum
Devoti eſt populi, qui veſtis tangere limbum
Optabat, tantique patris concernere vultum.
Nec ſatis eſt vidiſſe ſemel, juvat uſque videre,
Et conferre gradum, certant laudare benignos
Ipſius aſpectus, tranquillæ tempora pacis
Adveniſſe aiunt, ſperant finem eſſe malorum.
Ducitur ad templum Lamberti, denique cives
Excipiunt ipſum, ducuntque ad numinis aram,
Ac veluti Delon repetit cum pulcher Apollo,
Lætantur cives, rident ſimulacra deorum,
Omnia templa nitent, ſic ſacri numina templi
Lætari & divi Lamberti altaria viſa.
Tum bonus orator ipſe flectebat ad aram
Frondibus evinctam feſtis myrrha atque Sabæo
Thure vaporatam, ſplendentique igne micantem.
Et duplices tendens, ait hæc, ad numina palmas:

Oratio legati ad S. Lambertum. Pauperis ô populi ſemper liberato labores,
O Lamberte, decus Leodinæ ſplendor & urbis,
Qui martyr Chriſti, Tungrorum & epiſcopus olim,
Quem ſæva injuſti Dodonis dextra peremit.
Hæc populo lugente tuo Romanus habebat
Sceptra Leo, Chriſti & fidei ornamenta latinæ,
Trajecti tumulatus eras, Albero verendus
Corpus S. Lamberti prius fuit Trajecti tumulatum, jam Leodii. Mox urbis præſes Leodinæ tranſtulit ipſum
Huc ſanctum corpus, plumbo quoque clauſit in iſto,
Nec non perpetua voluit redolere cupreſſo,
Gens Leodina tibi ſanctiſſima templa dicavit
Devota, & plena ſemper veneratur acerra.
Hunc populum commendo tibi, miſerere precantis,
Proque ipſo nunc funde preces ad numen Olympi,
Huic veniam genti donet, finemque malorum,
Per te Bullonem, juſtoſque habuere triumphos,
Nunc optant pacem tantum, finemque malorum.
Per lacrymas oro ſupplex, quas ante dederunt,

Per data vota Deo, tantæ ne defere gentis
Ipſe preces, neu ſi qua ipſius malefacta fuerunt
Advertas, ſupplex te nunc ſanctiſſime martyr,
Te precor ipſe velis numen cœleſte rogare,
Hunc placidæ ut populum concedat reddere paci.
His dictis ſurgit, ſeſeque ad limina ducit,
Inſigni & phaleris jam redditus ipſe jugali eſt,
Delectam cunctis vehitur comitatus ad aulam,
Jamque dies alterque dies proceſſit, & aurem
Convellunt variæ voces, primuſque Diocles
Advenit enumerans Leodinæ incommoda gentis:
Gratia magna, inquit, Chriſto ſanctoque parenti Verba Diocliſ.
Romanæ fidei, qui nos miſeratus ad oras
Auctorem has pacis prudentem miſit agendæ
Cum duce Burgundo, nec te ſententia fallit
Quam tulit in Leodis miſeram dux maximus urbem
Borboniuſque ſimul, nec fallunt forte querelæ
Pontifici expoſitæ, quas dux protendere juſſit,
Ne forte immerito videatur frangere jura
Noſtra, ſed accipiet tua mens juſtiſſima quantum
Jura aliena premat: longa eſt injuria, longæ
Ambages, tamen ipſe loquar veriſſima quædam.
O utinam prior ipſe domos & mœnia adiſſes
Noſtra, pater, dæmonque bonus, non talia paſſi
Eſſemus, nec nos regeremur forte tyrannis:
Sit licet ipſa ducis metuenda potentia nobis,
Exponam ipſe tamen pro vero pectora morti:
Conſilium ducibus Burgundis ſæpe fuiſſe
Antiquum delendæ urbis percepimus hujus,
Cum comes & domnus Vincentius atque Dathena
Atque Jacobus erant miſſi pro pace petenda,
Borbonii ſuaſit Bruxellæ ad mœnia toto
Pro populo veniam rogitantes: pœnitet atque
Suppliee dicentes ſe voce erraſſe; quid ultra
Tum genibus miſeri potuiſſent dicere flexis?
Ni dux patriciis & ſtulto parcere vulgo
Deberet, quamvis aliquis non damna dediſſet
Nobilis ulla duci, nec quiſquam polluit olim
Borbonii famam, nec ſprevit juſſa ſuperbus;
Sed bona templorum gens hæc conata tueri eſt,
Pontificique ſimul ſubjici; nec jura tyrannis
Paſſa fuit, junxit vicinos fœdere certo,
Quo melius poſſet defendere jura ſacrorum,
Ipſe Philippus erat dux cum nos curia baſſa
Læderet, ergo ipſam nos commendavimus igni.
A Treviris agmen revocat tum Carolus ipſis,
Et nos invadens has fixit denique leges:
Aurea nummorum hæc ſex millia ſolvere tellus

Deberet, ſacramque ex his componeret aram,
In ſummoque eſſet tanti nota facta laboris,
Fœdera cum populis quæ ſunt contracta refregit
Nobiſcum, ac juſſit tum inſcriptum ferret in ulnis
Quiſque ſuis, noſtrum jam ſeſe ſolvere fœdus.
Præterea voluit, quotiens dux arma moveret
Auxilium ſibi nos ſemper præſtare paratos.
Pro ſtipe conſumta ſibi millia nempe trecenta
Et ſexaginta ex auro perſolvere juſſit.
Ne quis ferret opem nobis pro fœdere noſtro
Dinantum excepit, leges ac prodere jura
Noſtra, magiſtratuſque omnes delere paravit;
Mandavit ne quis Leodinus ſumeret arma,
Non ullas merces per Moſam mittere poſſet.
Jam ſibi mandavit portas muroſque refringi,
Noſtræ urbis pinnas æquari & mœnia terræ,
Et vectigali Trajectum liberat olim
Solvere quod ſolitum eſt nobis, nec villula noſtris
Convenit impenſis, adeo nos preſſit iniquo
Imperio, & ſævis urget Mezantius armis,
Et biſſena hominum cum rebus corpora mittit.
Juſſit non tantum Gnoſius urbem
Sæviit, en plures miſerias, quid denique leges
Enumerem? æquavit Dinanti mœnia, tandem
Oppida jam muris ſpoliavit plura, nec ipſe
Deſperat gentem Leodinam mittere letho.
Nec ſua Borbonius cognovit jura, nec almi
Pontificis, tantoque duci ſua ſubdere regna
Non dubitat: pueris, heu! mœnia noſtra fuerunt
Digna regi, ſed te dimiſſis omnibus unum,
Sancte pater, rogito, noſtri miſerere laboris,
Colliaque noſtra jugo ſolvas, circumſpice jura
Pontificis, cujus ſemper præcepta tenere
Nos volumus, ſi quot cives dux ipſe perire
Exilio cogit ſcires, incommoda gentis
Hujus tu fleres, fidei non utile ſummo
Pontifici veræ miſero has ſi tempore leges
Emendare potes, continget ſydera fama.
Reſponſio legati ad Diocletn. Sic ait: Orator breviter ſic talia reddit,
Hæc eadem nobis plures dixere, Diocles,
Sed placitum lenire ducem ſpes maxima ſurgit,
Si quod olim fecit credo vos cauſa fuiſtis,
Borbonius propriis dum pulſus ſedibus eſſet,
Marchio de Baden. Badenſem & Marcum dum præfeciſtis eiſdem,
Qui vos deſeruit, vocat in certamina quando
Magnanimum ipſe ducem, nec vobis profuit ullis
Principibus fidiſſe viris: parere verendo
Borbonio tempus, nos hoc tractare juvabit
Cum duce: & his dictis ſeſe in ſecreta recepit
Tecta. Graves ejus vexabant pectora curæ;
Ad dextramque ducis ſæpe ivit littera, ſæpe
Nuntius acceſſit captandi temporis, in quo
Colloquium fieri poſſet, ſed manibus ille
Placandis cari detentus forte parentis.
Jamque quater deni patuerunt æthere ſoles
A Colloquii Brugis ſedes cum lecta fuiſſet,
Linquuntur Legii, mandat ne frangere pergant
Tantæ urbis muros, ducis & ſe raptat in oras.

LIBER III.

JAm faciebat iter Brugis bonus ille Latini
Principis orator, Legios dum ſæva profundis
Cladibus Allecto, meditatur perdere cives:
Non ingrata fuit legati acceſſio regi
Burgundo, patrios manes qui forte parabat,
Atque pios cineres magno ſacrare Tonanti.
B It ſacris comes Honofrius, queis rite ſolutis
Juſſa refert Carlo Latii & mandata ſenatus.
Haud mora dux lætos pergit celebrare hymenæos,
Munera certantum ponens, & præmia dextris,
Luſibus exactis, demum pompaque jugali
Bellum Liligeris indicit, & arma parari
Multa jubet, prius Honofrion tunc admonet arva
Ut Leodina petat, ac frænet voce rebelles.

VIx e conſpectu Leodinæ gentis abibat
Publicolæ proles, Allecto invidit euntem,
C Et ſecum: mene incœptis deſiſtere rebus,
Nec poſſe has pacis leges confringere agendo?
Quippe oratorem tellure arcere verendum
Ipſa vetor Brugis, quid Jupiter impedit iras
Ecce meas? diti ſtygio quid profuit olim
Sortiri terras, fratrique relinquere cœlum,
Neptuno & pelagum, regnum ſi poſſidet omne
Rex ſuperum, inferni fratris ſi frangere vires
Nititur, & quos nos volumus vexare tuetur?
Jam longum eſt tempus, ex quo divina propago
Barborum elegit legatum, & mittere ad oras
D Hunc voluit Belgas, ſed nos obſiſtere contra
Conatæ adventum & protraximus annum.
Conſilium tandem nos vicit principis, almi
Legati & virtus, Legias qui venit ad oras.
Non ullæ potuere nives, non flamina ſæva
Ventorum feciſſe moram, quin jungere pace
Cum duce Burgundo populos hos ipſe paravit,
Et faciet, niſi nos mentem pervertimus alti
Magnanimique ducis, quem dulci flectere voce
E Legatus poterit, patris dum manibus omnis
Mens pia placandis, dulces parat atque hymenæos.
Ergo opus eſt ſupplex Junonis numina adorem
Pronuba, quæ noſtris poterit ſuccurrere votis.
Sic ait: atque viam cœli furibunda ſereni
Corripuit, nivei candoris nivem habentem,
Lactea quæ fertur, ſed poſtquam limina divæ
Contigit æthereæ, verbis eſt talibus uſa:

Verba furiæ ad Junonem.

Huc licuit veniſſe mihi divûm regina Joviſque
Conjux atque ſoror, ſtygiis ſed quando negatur
Numinibus ſuperûm ſedes intrare, precamur
Egrediare, tuis me & verbis effice dignam.
Ut ſemper fuerim tibi ſcis ſervire parata:
Non equidem arguerim, nec me nunc pœnitet olim
Si tibi quid feci meritum: nam plura volenti
Nunc agerem, & ſtatui tua juſſa capeſcere ſemper;
Sed noſtrum auxilium mens hoc in tempore poſcit,
Noſtra puto nec te fallit ſententia digna
Oratore ſacro, qui Brugis tecta ſubire
Apparat, atque ducem Burgundum flectere ſuavi
Eloquio, & placidæ fœdus tractare quietis
Cum Legiis: quod ſi faciet, nec regia fratris
Sacra diu ſtabit ſtygii: nam plurima ſancta
Pectora naſcentur Belgarum credite in oris,
Quæ regnum ipſius perdent, nec gratior ulla
Res eſt Plutoni, quam ſi Leodina juventus
Diſpereat, quam ſi bello perdatur & armis.
Nec vires ſuffecere meæ, nam Jupiter ipſe
Ipſe tuus conjux validas me has lædere gentes
Nonnumquam paſſus, fruſtra miſcere furores
Jam conata ſui, placidas ſervare puellas
Ipſe tuus voluit Leodinæ Jupiter urbis.
Alcidæ genitrix peſſex & Læda redibit.
Sed tu ſola potes divûm regina movere
Atque obſtare ſacri legati hoc tempore votis,
Sola potes nobis regem placare deorum,
Ne Pauli ſacris accedat principis actis.
Æthera tu crebris poteris turbare procellis,
Ut cadat orator facile in valitudine preſſus,
Non ſatis incolumis poteris tu pronuba nuptam
Hanc auferre duci, & tantos turbare hymenæos;
Legati eloquio fiat placabilis, omnes
Et pacis leges oblatas approbet hujus.
Ipſa quidem fateor quoſdam induxiſſe bilingues,
Pontificem Paulum qui ferrent ſancta negare
Vota ducis, nullo tanta & matrimonia velle
Conſenſu firmare ſuo, quin protinus ipſum
Legatum veniſſe, omnes qui forte refigat
In Legios, quas dux leges feciſſet iniquas.
His etiam dictis ſcio dux adjunxerat aures,
Sed vereor ne quo placidus numine mutet;
Si tamen ipſa facis ſeſe conſervet in ira,
Immortalis erit meritorum fama tuorum,
Præmia germanus noſtræ dederintque ſorores.
Sic ait Allecto. Conjux ſic talia reddit

Reſponſio Junonis furiæ.

Magna Jovis: Nobis virgo ſata nocte verenda,
Eſt grave quod rogitas, quidquid mandata tenenda
Nam tua ſunt nobis, non ulla oblivio noſtrum
Pectus habent, gratum quoties ſervaſtis honorem.
Quid memorem, quando voluit rex ipſe Latinus
Externo genere & caram conjungere natam,
Quantus honos, quanta eſt per te mihi gloria parta?
Per te bis Phrygios potui reſcindere muros,
Te duce & Alciden vidi ſe tradere flammis,
Diverſo innumeros dederas in tempore honores;
Et dum mortales Lambertus damnat amores
Regis, qui fuerat formoſa Alipaide captus,
Sola facis ſacrum Dodonis dextera mactet
Sæva virum, tantis ne linqueret ipſe Pipinus
Illam conſiliis, & Jupiter addere poſſet
Pellicibus cœli, ſic noſtri conjugis omnis
Spes fruſtrata fuit: tanti non immemor unquam
Officii fiam, non præſtat ut æthera clarum
Eripiat nubes, largus deſcendat ut imber
In terras, pluviis pereat madefactus ut olim
Orator, conjux ſed enim implacabilis ipſe eſt
Forte meus, nequeam Pauli convincere & almi
Ne votis faveant, quando & connubia tanti
Frangere forte ducis ſineret, non ipſe hymenæus,
Non adeo fragili nunc dux eſt faucius arcu
Conjugis optatæ, quamvis ſit ſanguine juncta,
Ut ſpem deponat, nec mens eſt principis ulla
Pauli adverſa duci, quamquam tu femine facto
Suſpectum egiſti, Barborum ſanguine natus
Annuit his rebus, vultu & conſentit amico,
Namque ducis matri ſit Margarita Diorchà
Sponſa licet, neptis tamen eſt, ita gratus in ipſum

Margarita Diorchæ uxor ducis & ſoror conſobrina.

Auſonius princeps non poſſit ut ulla negare,
Ipſa Jovis rogatu cum ſim conjuxque ſororque
Et modo neptis juncta eſt Proſerpina fratri,
Ne longe & fidei Romanæ exempla petantur,
Ipſe Gehenneus comes, & qui gentis Hiberæ
Ne ſua regna forent nuper diviſa, petivit
Principe ab Auſonio caræ connubia neptis
Sponſæ ſuæ, princeps Romanus denique victus
Innumeris precibus jungi conceſſit, & addit
Fœdera pro templis aptandis ſolveret urbis
Nummorum ex auro fulgenti millia dena,
Connubium atque nefas ſic ipſe rependere juſſit,
Juncta ducis thalamis germana eſt Armeniaci.

Armeniacus duxit uxorem germanam.

Quid moror exemplis quorum me copia cingit?
Barborum proles thalamos non impedit iſtos:

Paulus pontifex Barborum proles.

Nos tamen has leges pacis differre valemus,
Complexu in molli dum MARGARITA tenetur
Pulchra viri, fient & dum ſpectacula campo,
Præmia victorique equiti dum dentur honeſta,
Tunc animare ducem, Martique accendere ſævo

In

In Legios poteris populos, atque agmina regis
Jungere, cuncta duci quamvis inimica videntur.
Hæc ait, & subito promissa implere paravit,
Atque ubi Junonem vultu venerata verendo
Alecto, in terras hydris vibrantibus ibat,
Et stupefacta cohors divùm fœtore relicto.
Interea orator Trudonis mœnia sancti
Liquerat, & fines Lovanii ingressus iniquos,
Nubibus inductis variisque coloribus Iris
Venerat, & Juno terras conspersérat imbre.
Legatus tandem est pluviosa in tecta receptus.
Legatus Lovanium ingreditur.
Hunc sacer ipse chorus multo veneratur honore,
Ducit & ad sedes, vivoque palatia saxo.
Hinc Terræmundæ ampla intravit tecta, per omnem
It lacus hanc urbem medius, lymphæque marinæ
Et Gandavũ Collectus pluviis; Gandavi mœnia tandem
Ingreditur: miris ornatus honoribus esset,
Ni fera tempestas cœlumque diemque negasset,
Nec non & sancti Bavonis templa petivit,
Reliquias supplex monumenta argentea adorat,
Marmoreum etiam tumulum, quo condita fertur
Alma ducis genitrix mulier præclara PHILIPPI.
Brugas contendit. Mœnibus hinc Brugis legatus & ipse propinquat.
Carolus parentalia Philippi facit. CAROLUS interea dux præstantissimus, ipsum
Accipere in tectis amplis jam forte parabat,
Jussa sacerdotum contra turba obvia vadit:
At prius ad tumulum, turba comitante, parentis
Apparat ipse sui multis cum millibus ire.
Nunc, ait, est tempus cinerique animæque paternæ
Sacra dare, & propriis struxisse altaria donis,
Dum venit orator Romano a principe missus:
Sic magis acceptum munus fortasse parenti est.
Non equidem sine mente reor, sine numine Christi,
Affore Legatum tanta inter munera danda.
Annua nos etiam, si lux qua dicta reliquit
Umbra patris mundum, nuper rediisset in oris,
Turcorum cæde aut sarre faceremus debita sacra.
Nunc equidem in patria lætos expecto hymenæos,
Legatumque sacrum; nec res est gratior ulla,
Quam si interveniat manes celebrare parentis,
Ausoniis tantus veniens orator ab oris,
Nec cum se nobis felicia fata dedere
Connubiis genitor nostris ut possit adesse.
Hæc ait: ad templum multis cum millibus ivit.
Interea Brugis regalia templa subibat
Publicolæ proles, & sacra occurrit agenti.

Ipse chori sedem, tunc quæ circumdata velo
Sericeo fuerat, cernit, nigrique coloris,
Defunctique ducis tumulum ante altaria sacra.
Nec procul hinc alium cernit de marmore eidem.
At sinistra sacri templi pars ipsa sepulchrum
Chare JACOBE tuum tenuit, qui fratre relicto Jacobi fratris episc. Leod. tumulus Brugis.
Borbonio moreris, licuit nec ducere vitam
Donec certamen magnique hymenæa videres
Ipse ducis, forsan non ultimus ipse fuisses
Inter certantes, & præmia digna tulisses.
Sed postquam sanctis bona verba altaribus ipse
Legatus dederat, manes ducis atque PHILIPPI
Incœpit circumducta benedicere dextra,
Ac dixit: Placide vestris requiescite in urnis,
Fessus surrexit, templum mox atque reliquit,
Delectamque aulam turba comitante petivit.
Dux autem exequias pergit celebrare parentis,
Sed non ut Phrygiis qui quondam venit ab oris,
Fundit lacte novo, non fundit sanguine sacro
Et non rite mero libans Carchesia Baccho,
Purpureis tumulum nec sparsit floribus altum:
Sed sanctis precibus sancto & sermone precatur,
Commendat Christo cineres animamque paternam.
Orator quamquam media jam nocte tenetur,
Pontificis mandata sui, quidque esset agendum
Apparat ad pacem. Vix prima aurora patebat,
Quam Phaëtontis equi non clara luce vehebant,
Surgit, ad egregiique ducis mox limina tendit.
Dux autem egreditur vestigiaque obvia ducit,
Et placidus læto veneratur lumine tantum
Legatum aspectans, nec famam deterit amplam
Virtutum aspectus, placidi & præsentia vultus
Sed quantum pluviis augentur flumina, quantum
Extollit sese pelagus perflantibus austris,
Tantum visa fuit virtus hæc nomine major.
Nec minus aspectum miratur Honophrius omnem
Ipse ducis, qualem proles præclara Philippi
Magnus Alexander, telluris victor, habebat.
Sed postquam placido sese tunc ore salutant,
Et dextras jungunt, mox in secreta recepit
Tecta virum aurata sacrum, & dux sede locavit.
Inde prius hic est sacer ipse & Honophrius orsus: Verba legati ad ducem.
Maxime dux, quo non Europa cernitur ullus,

Nec virtute prior, nec bello major & armis,
Nomine pontificis PAULI primum ipse saluto.
Cetera sunt vobis rerum dux maxime nota;
Quæ causa adventus nostri, quis duxerit error:
Sed natura dedit facilem, dux splendide, mentem,
Et tua delictis major clementia cunctis.
Evolvas animo quantum verba ipsa dedere
Laudis, cum melius civem servare tulisset
Eximium Scipionis dictum. Scipio, quam centum sævæ dimittere morti
Hostes, divino sic ille est ore loquutus.
Nunc si quid Legii quondam fecere nocentes,
Pontificis Pauli ratio & spectanda voluntas,
Qui te Romanæ fidei putat esse fidelem
Natum, nec si quid juris spectabit ad almum
Pontificem, credit. . . . . te velle movere.
Legatum hac igitur causa direxit ad oras
Me vestras, qualem petiit tua florida virtus;
Et falsum esse putes aliud si percutit aures.
Ergo tuum est, princeps omni dignissime honore,
Semper consilii te res captare videndas.
Sic ait orator: contra dux maximus orsus:
Responsio ducis ad legatum. Gratia magna patri sancto, qui mittere tantum
Ad nos legatum voluit, spes altera numquam
Ut vellet nisi quæ sint nobis commoda visa.
Nos quoque pontificis jus non violasse videmur
Nec volumus, dum res nostri defendimus armis
Borbonii, & lætor multum hoc in tempore sacro
Adventu ipse tuo, nostro dum sacra parenti
Fecimus, & dulces cupimus celebrare hymenæos.
Res Legias alia placidi tractabimus hora,
Nunc tu connubiis aderis, pater optime, nostris.
Miramur similes cum sint concessi hymenæi
Pluribus, hos nostros nunc confirmare veretur
Ausonius princeps, fidei spes summa Latinæ.
Sed nec Francorum regi connubia magno
Nostra placent forsan, faciles huic credidit aures
Verba legati. Princeps Romanus. Breviter sic talia reddit
Legatus: Nollem dux te celeberrime sanctum
Pontificem esse tuis adversum credere votis.
Confirmabit enim quæcumque optaveris ipse,
Mox his de rebus sancto vota missa parenti est.
His dictis sedes delectas ipse revisit.
Contigerat cancrum jam sol septem ante diebus,
Festaque lux fuerat sancti ventura Johannis,
Et pueri in vicis sua festa palilia agebant,
Ut quondam pastor nisi transilit ipse manipios,
Et feni aut paleæ cumulos dux urbe parari
Jusserat in media, lignorum & surgere in altum
Congeriem, rapidum misceri mandat & ignem.
Mox it spectatum surgentes in æthera flammas,
Cum variis dominis urbis totoque senatu,
Hoc facit in tanto sibi desit nulla voluptas
Tempore, sic ludis oculos oblectat honestis.
Jamque dies alterque dies processit, & aura
MARGARETA ducis conjux est vecta secunda Margaretæ adventus solemnis.
Clusinum ad portum, pelagi mirantibus undis,
Et stupefacta cohors nympharum Thetys & alma,
Invidit fortuna duci, & ni regna timorem
Magnanimi incuterent, placuisset forte tyranno
Æquoreo tantum, quod numquam delata fuisset,
Qualis Hypermnestræ soror olim quando repulso
Facta gravis Satyro, numen quoque passa marinum.
Bis septem plenis conscendit navibus æquor, Nota apparatum.
Plurimus hic miles, nec defuit armiger illis,
Et famulæ innumeræ, nec desunt arquitenentes,
Qui dominam longa tutam fecere corona.
Fistula nec deerat, nec dulci tibia cantu,
Nec tuba quam Triton queat invidere sonantem.
Omnia quæ dederat nuper rex Anglicus adsunt,
Caræ Edouardus jam tum gestanda sorori.
Nobilis huic etiam dux agmina & obvia mittit,
Quæ dominam accipiant Clusinis denique tectis.
Occurrunt omnes crucibus bona verba canentes,
Gensque faces dominam circum Clusina gerebat.
Sed postquam sponsam tenuere sedilia divam,
Alma ducis genitrix illuc se contulit, atque
CAROLUS ipse etiam media concessit ad illam
Nocte, aulam & choreis totam consumsit agendis.
Denique Dudanam ad villam se duxit uterque, Ducci nuptiæ celebratæ.
Annulus & digitos sponsæ circumdedit aureus.
Ipse redit Brugis, numero majore secuta
MARGARITA fuit lectiis vecta paratis, Cetera vero solemnia & epulum Brugis.
Auro atque argento contexis undique velis
Et vinclantur equi duo, queis lectica feratur.
Sponsa autem auratis atque altis vestibus ibat,
Crinibus atque auro ornatis, nec concava cessant
Tympana qui pulsant, sequitur clangorque tubarum.
Jamque tenent portam, subeunt quoque mœnia Brugis.

Hic illi ſacer occurrit chorus omnis in urbe,
Et quicumque gerit clari velamina honoris,
Ac notus ipſe ducis multo cum milite civis,
Plurimus arquitenens venit, quem ſerica velat
Veſtis, eratque ſago miles circundatus albo,
Aurea pectoribus ſcapuliſque intexitur arbos.
Nobilitas comitum poſt hoc eſt ampla ſecuta
Atque equitum, fueruntque duci qui ſanguine junĉti.
Hinc MARGARITAM ſequitur turba Anglica, frater
Quam dederat ſociam, necnon & quinque vehebant
Egregias currus dominas comiteſque Dioræ.
Quid Florentinos narrem, Venetoſque potentes,
Et Ligurum populos atque exteris finibus omnes
Qui venere, vias implebant agmina totas.
Obſtupuit miris ornatibus alma Diora;
Namque vidit varios annales ordine pĉtos.
Ornatus viarum civitatis. Hinc erat Elyſiis dederat quod rector olympi
Mandatum in campis primis animantibus olim,
Creſcite multiplici populo, terraſque replete.
Secundus ornatus. Hinc & Alexander Magnus Cleopatraque pĉta,
In cujus dextra ſcripta eſt victoria, poſt quam
Succubuit regi tanto Demetrius, ipſe
Ægyptum petiit Cleopatræ uxoris amore.
In læva Ptolomæus erat, præſtante puellam
Qui dat Alexandro forma & virtute nitentem,
Exultemus erat ſcriptum, lætemur & omnem
Cœlicolum regi ſupero nos demus honorem;
Jamque Hymenæus adeſt & ſeſe præparat uxor.
Tertia pictura. Tum Salomonis erat titulus: Præcordia noſtra
Vulnere cepiſti conjux, das gaudia menti,
Dicite jam magno nunc languco totus amore.
Inde videt ſcriptum Cananeis hymenæos
Quarta pictura. Collibus eſſe actos, titulum tum legit: Amica
Ipſa mea & ſuavis nobis, pulchra atque decora;
Quem mea mens adamat, nunc eſt & inventus & ipſum
Conſpiciam, ſemper carum ſemperque tenebo.
Quinta pictura. Hinc nota conſpicua eſt urbs dicta hinc nomine ſolis
Indiæ, & una diei illa eſt altare vocata,
Terminus illius medio telluris habendus:
Sexta pictura. Sabæ Tharbis erat regina inſpecta, ſecutus
Septima pictura. Hinc Moyſes, necnon gremium quod femina plenum
Octava pictura. Pulchra gerit multis variiſque leonibus, in quo
Scriptus pard[illegible] erat, Pœno qui forte leoni
Nona pictura. Complexu adjunctus; poſt Heſter pĉta videtur,
Quæ placuit regi Perſarum lumine pulchro,

A Curia jamque patet: ſcriptum eſt, Benedictio fiat Decima pictura.
Jam ſuper uxoremque tuam caroſque parentes
Et natos, ternumque genus quartumque ſequatur.
Quid referam aulæa in domibus pendentia & auro
Inſignes pannos, ac circumtectoſque tapetes,
Quales Attalica conſpectabantur in aula?
Hinc atque inde faces redolentes thureSabæo
Ante domos ardent, habitat quas forte Sicanus Faces incenſæ.
B Aut Luſitanus mercator plurimus illic;
Præclari ipſa ducis jam regia tecta ſubibat,
Monſtrabatque duos hic janua prima leones,
Qui ducis eximii prætendunt aurea ſigna;
Necnon multorum pulcherrima ſigna locorum,
Quæ ducis imperio Burgundi maxima parent.
Hinc erat arcitenens haſtæ de cuſpide vinum
Ejaculans album, rubrum jaculatur & alter
Parte alia, tota non ceſſant fundere luce,
Hinc ignava bibit paſtoraliſque juventus,
Vulgus iners etiam. Quæ poſtquam viderat,
C amplam
Ingreſſa eſt aulam, volucrem mox reſpicit ore
Fundentem nectar, Canæ quæ nemen habebat Pellicanus.
Pellis, & ancipiti ſe fert per recta volatu.
Plurimus ante fores Venetus mercator in oſtro Venetorum mercatorum ornatus.
Conſpicuus, Tyrio ſive eſſet tectus amictu.
Quem decem famuli rubra poſt veſte ſecuti,
Quinquaginta toga viſi præcedere rubra,
Ardentes manibus tædas cunctique ferebant.
Florentina cohors totidem præcedere juſſit, Florentinorum ornatus.
D Accenſis facibus, glauco velamine tectos,
Quatuor & famuli duplici præcedere panno
Contexto argento tecti, Tyrioque colore;
Hos toga ab Armenio velabat candida rure,
Hos mercatores bis deni pone ſequuntur
Sericeo induti cocco variiſque figuris,
Vellere ſericeo duplici nigrique coloris,
Puniceique ſimul famulorum deinde ſequentum,
Magna cohors fuerat ſimili velamine tecta,
Triginta & famuli tum bla ea vela gerebant,
Hos ſuper Hiſpanus mercator plurimus ibat, Hiſpanorum ornatus.
Armenia viola pulcher, peditesque ſequun-
E tur
Sericeo induti duplici & velamine flavo,
Sed toga purpurea eſt. Magna dehinc rheda caterva
Fertur, quæ violæ viridique eſt tecta colore.
Hinc ſequitur virgo, quæ libera facta dracone
Auxilio Gorgi, tegitur velamine & albo
Armenio & velo, famuli tres deinde ſecuti,
Veſte pari; Lygurum ſubiit mox maxima turba,
Veſtibus & longis nivei nigrique coloris,

Purpura nec deerat, deerat nec ſerica veſtis.
Hos pedites centum nivea cum veſte ſequuntur,
Brachia ſed cunctis croceo ſunt tecta colore.
Mox ſubeunt alii populi tædaſque tulerunt
Contecti violæ ſucco, nec ſerica deerat
Veſtis, & Armenio fulſerunt vellere cuncti.
Omnis equis fertur populus, mercator & omnis,
Omnis miles adeſt, omnis qui munere functus
Eſt aliquo: arcano ſive eſſet nobilis ille
Conſilio adjunctus, ſive & nutritus in aula.
Hos longæ veſtes, nigrum velabat & oſtrum,
Et viola Armenia, & velabant ſerica nigra.
Sicque duci viſum eſt, qui non oblita parentis
Corda gerit, quamvis teneant dulces hymenæi.
Sponſa autem ex alta ſpectabat cuncta feneſtra,
Donec ſacra vocant; quæ cum celebrata fuerunt,
Biſſenæ latâ menſæ ſtatuuntur in aulâ,
Ornatâ aulæis pictiſque tapetibus auro.
Hic & Bacchus erat pateris nitidiſſimus aureis,
Argentum atque ingens poſitum, duo cornua longa
Rhinocerotis erant, gemmis ditiſſima & auro,
Qualia non habuit toto rex ullus in orbe.
Inſtar caſtrorum lychnos pendere videres
Arboreos, ſpeculis vitri & fulgore nitentes.
Mille homines cernens ſpeculum vidiſſe putabat.
Hinc ex argento menſas poſuere, nec ullum
Inſtrumentum aberat; ter denas ordine naves
Ac totidem turres, referentes fortia facta,
Cælata argento atque auro jam Palladis arte,
Et ducis imperium varium tituloſque decoros.
Navibus in mediis dapibus poſuere repletos
Auratos orbes, & vaſa argentea lucent.
Prima autem in magnâ ſurgit menſa altior aulâ,
Mox famuli manibus lymphas centum ore dederunt
Ingenti, & lætos oculis affiagrat honores
Diva Venus, poterant Ganymedis vincere formam.

Prima in cervivio ſedet mater ducis.
Alma ducis mater prima eſt diſcumbere juſſa,
Legatus in medio.
Mox & legatus vultu verecundus honore,
Et medium fecit conjux ſpecioſa Diorcha:
Sponſus juxta ſponſam.
Carolus at juxta ſponſus conſederat, alta
Mox menſa accubuit reliquâ turba Anglica ſede.
Hinc cytharæ atque lyræ, Phrygio quoque tibia cantu
Reliqui apparatus.
Oblectant animos, digitis atque organa pulſa.
Ipſa domus geſtit, paries ridere videtur,
Et convivarum ſaliebant pectora cantu.
Nondum exemta fames epulis, non menſa remota,
Cum ſubiit latam trepidandis naribus aulam,

Rhinoceros ſævum Leopardum corpore portans,
Et Leopardus habens dextra ducis inclyta ſigna,
Ac MARGARETÆ effigiem læva ipſa tenebat,
Quamque duci veniens magno dat bellua honore.
Hinc Leo ventre gerens geminos ingreſſus habebat
Carmina dicentes, bene ſalvete atque ferentes
Dulce ſodalitium, ſalve dulciſque Diorcha.
Servatrix omnium; geminos hinc ipſe camelus
Fert calathos avium plenos, ſuave atque canentum,
Fertque duos homines; volucres hic ſpargit in aula,
Zaccarium menſis ater alter ſpargere viſus.
Non deerant latices, non hic epulæque deorum,
Non menſæ rerum quales dat Perſica tellus.
Et bis dena vident convivæ fercula læti,
Non aberat tanta Ganymedes regius aula,
Qualis erat ſuperum qui miſcet pocula regum.
Jam per quinque horas fuerant convivia facta,
Bis dena auratis conſumta & fercula menſis,
Regia Cyllæis dum femina venit ab oris,
Necnon Pygmæus ſequitur, qui fune gigantem
Evinctum, & centum nodis ducebat ahenis,
Tydeus & Doris veniebat forſitan armis
Conſpicuus; poſt hunc demum aurea fertur & arbor,
Nomina ſed vatem melioris cauſa decoris
Conſuluit Tydei necnon & virginis illa
Mutare & Cyllen, & Tydea dicere verſu.
Quæ poſtquam ingreſſa eſt, omnes ceſſere miniſtri.
Mirantur formam, mirantur regiaque ora.
Ante pedes ſacri ducis & ſe denique flectens,
Lumine demiſſo: Ductor celerrime in omni
Europa, ſalve inquit, Gallia ſorte comata
Non genuit ſimilem, nec quem regeſque duceſque
Solis ad occaſum tantum venerantur ab ortu,
Et cui miles adeſt fortiſſimus, & cui nota
Bellica res longe eſt, igitur me fama venir
Ad veſtras cupidam jam dudum compulit oras:
Me variis merſit quondam fortuna procellis,
Et patrem & matrem, tres invidere ſorores
Omne mihi regnum, ſoli ceſſitque parentis
Aurea cum pomis ex auro hæc ceſſit & arbor,
Quam pater ipſe meus, victor portavit ab hortis
Heſperidum, neque enim fortis tulit omnia ſecum
Alcides; divi ſed ramis pullulat arbor
Ipſa novis, tali Polyphemus me arbore ſenſit
Ditatam, hic nomen Polyphemi traxit ab illo,
Cui fronte e media rapuit jam lumen Ulyxes,
Arma parat cupiens patriis me pellere regnis,
Et ſpoliare auro, melius ſed numina divum

Conſulere mihi, nam miles Darul in oras
Hic veniens noſtras, quem cernis ſanguine cretus
Herculeo, ſævi Cyclopis liberat omni
Sævitia, & nobis illum vinclavit ahenis.
Militis autem ipſam virtutem lumine cernens
Accepi meritum noſtris hoc tempore tectis,
Meque omnem ſalva ſed virginitate dicavi,
Magnanimumque virum donavi hac arbore tanta.
Ipſe autem placido hæc accepit munera vultu,
Incorrupto animo nullaque libidine capto;
Acceptus noſtra eſt vir conſtantiſſimus aula
Et regni tutela mei, nec degener ipſe eſt
Herculis, & magnos imitatur corde labores;
Multaque jam latum domitavit monſtra per orbem.
Sed poſtquam auratis eſt auctus honoribus, ipſum
Hoc ſpoliis munus variis ornare paravit,
Pollicituſque fuit, ſi non crudelia fata,
Ipſe referre mihi meliori pondere ramos.
Sed mihi cum parvæ non curæ militis hujus
Gloria, & exoptem cumulata laude reverti,
Semper non monſtris volui objectare necandis,
Non ſævis tauris, Nemeo non ipſe leoni.
Verum fama fuit veſtras, dux inclyte, ad oras
Egregios veniſſe viros, certamine in omni
Expertos, quos hic miles ſi vincere poſſet,
Non parva ad noſtros muros cum laude rediret.
Non tantum ſuaſi, meque ad tua limina duxi
Ut peterem claris certamina tanta parari
Militibus, Tydeus mihi ſua munera ramos
Aurea victori ponit, cumque arbore poma,
Quæ petii ornatu victor majora referret,
Non antea magno fortis certamine abiret,
Quam centum haſtarum ferret vel mitteret ictus,
Et quam certantes centeno vulneret enſe.
Nunc igitur placeat mandare in prælia, cuncti
Seſe arment, certent & præmia pulchra referre
Quiſque ſuam in patriam, nomen venerabile palmæ,
Ne decus in tantis parvum tibi crede hymenæis
Sumere, ducum Herculeæ capiant ſi præmia vires.
Nos tua facta etiam cunctis cantabimus horis,
Dum vox, dum noſtro regnabit ſpiritus ore,
Sic ait: at placido dux lumine reſpicit illam,
Reſpondet ducis ad virginem. Eloquium admirans, mox orſus: Regia virgo
Laudeque digna omni, nec me decet iſta negare
Quæ petis, atque etiam ſi tu majora petiſſes
Feciſſem, miles ſeſe tuus induat armis,
Ipſe equites noſtros omnes mandabo parari,
Certantique equiti digniſſima præmia ponam.
Mox jubet armari pugnis aptiſſima centum
Pectora, quæ cernens tremuit Titania proles.

A Area tum eligitur tabulis circumdata multis,
In qua nobilibus fieri certamina juſſit,
Muneribus poſitis Helene mox Cyllea virgo
Auratis truncum ramis in vertice ſaxi
Mandavit figi, circumque inſignia cuncta
Certantum poni, feliciaque omina belli,
Qualia Romanus populus cum inſigne trophæum
Rettulit, accepit: tribus & lapis ecce columnis
Alter ſaltus erat, Pygmæo nobilis in quo
Ornatur ſedes, variiſque ditiſſima gemmis;
Cornutum quotiens aditum ad certamina miles
B Quæreret, & circum lapidem nota picta ferebat:
Nemo miretur quoniam certaminis hujus
Cauſa eſt & decoris mulier digniſſima tanti,
Ante manus Polyphemus adeſt poſt terga revinctus,
Nec procul hinc poſita eſt ſedes ornata ſeveris
Judicibus, qui mox numerent certaminis ictus,
Et qui danda ferant victori præmia juſta.
Convenere viri huc qui ſunt certare parati,
Et phaleris & equis & cunctis denique ſignis.
C Sed non ante aditus datus ad certamina campi,
Quam Pygmæus adeſt ducens ſecum ipſe gigantem
Vinctum, & judicibus referet certare volentem,
Tum ſi dignus erit, ſi non certaminis expers,
Illum intrare ſinunt, & campi clauſtra recludunt.
Circus erat populo totus ſpectante repletus,
Tydeus in medio expectabat gramine campi,
Pulcher equo, & nitidis totus ſpectabilis armis,
D Huic ex Armenio ſtabant tentoria velo,
Candida contexta eſt auro pars ſumma, colores
Oſtendens violæ, viridi ſed cingitur oſtro
Ora una, armigerique decem ſervire parati,
Et centum hærebant haſtæ, quas frangere in hoſtem
Juſſus erat, quem virgo Cyllea manebat,
Quæ comitata fuit multa cum gente Diorcham
Femineâ Tydei formam fulgentiaque arma
E Admirans, nunc huc, nunc illuc lumina volvens.
Interea ad caveam primus veniſſe Crotongus
Traditur, aurata percuſſit & oſtia clava.
Mox illuc properat cuſtos, rogat unde quis eſſet,
Judicibuſque refert; ſed poſtquam dignus habetur,
Pygmæus cornu cecinit, ducenſque gigantem
Hinc reſerat portam, magno clangore tubarum
Admiſſus viridis fuit ille in gramina campi,
Cærulea invectus lectica, tectus & oſtro,
Veſtibus auratis pendent argentea poma,
Ipſe ſuper jacuit duo pulvinaria & auro

Conſtituuntur certantibus præmia.

1. Certamen Tydei & Crotongi.

Contexta, auratum torquem colloque gerebat;
Fertur equis geminis, quoſque aurea plurima texit
Lamina & argentum, geminique ſupra atque ſeruntur
Armigeri ſoles, quos & prætexta tegebat
Glauca, atque argento medium contexitur albo:
Cæruleo bellator equus ſua membra colore
Tecta gerit, pendet campana argentea multa.
Aſt illi occurrens Tydeus in gramine primo
Dat dextram, atque equitem magno veneratur honore.
Inter ſe tandem clari certaminis acta
Fœdera, dehinc ſpatium campi metitur uterque.
Aſt Helene cernens equitem ſtupefacta Crotungum,
Spemque metumque inter dubia, eſt hæc talia fata:
Magnanime ô miles, ſi quando es viribus uſus,
Nunc opus eſt, vides hujus certaminis ipſa
Cauſa fui, ut virtus fieret tua nomine major;
Hæc te immortalem faciet, ſi vicetis, hora;
Viribus utendum tanta in ſpectacula ducto,
Arbor ut optatas noſtra hæc referatur ad oras.
Sic animum exauxit; juvenis nec reddere vocem
Eſt auſus, ſed ſe telis armavit uterque,
Quiſque ſuum flectebat equum, quiſque arma gerebat
Obvia, ſed cavum Tydei rapit haſta Crotungi.
At Tydeus ferro duro caput ipſe Crotungi
Perculit, & partem galeæ perfregerat haſta.
Mutantur galeæ, varius per gramina clamor
Exoritur, mediamque dies exegerat horam,
Et jam bis denas Tydeus perfregerat haſtas,
Cum cecinit cornu Pygmæus, ſeque reducunt
Feſſi omnes in tecta ducis; ſed luce ſequenti
In circum redeunt, ubi Tydeus impiger acri
Expectabat equo, qualem Pellæus habebat
Rex olim, aut qualem perterruit ipſa chimæra,
Vel quo Caſtor erat tutiſſimus; ecce Typhæus
Alter adeſt, Batavis miles præclarus ab oris:
Qui poſtquam intravit ſpatium, poſtquam ipſe remenſus,
1. Certamen Tydei cum Typhæo. Obvius & flectens ſe, in Tydea dirigit haſtam
Nequicquam, atque ictus fruſtratur cuſpide fracta.
Tydeus in pectus telum direxerat, ille
Mox ab equo cecidit terram reſupinus in ipſam.
Poſtera lux equites ſolito de more paratos
Ejuſdem Tydei certamen 3. cum Thelepho. Reddebat circo, dum ſe fortiſſimus armis
Gentis Aquitanæ tanta in certamina ducit
Thelephus, armigeros non eſt narrare neceſſe,
Non Tyrias veſtes, lapides non orbe remoto
Advectos, quos ille tulit; ſed profuit illi
Non multum ornatus, Tydei nam dentibus ipſum
Accepit quadrupes, tulit & per gramina circum;
Et ni fræna ſuis obſtarent dentibus, omne
Fœdaſſet corpus, totum penituſque voraſſet,
Tamquam Treicio veniſſet ſanguine natus,
Et Diomedeo depaſtus pabula campo.
Altera ubi Oceano ſurgens Aurora redivit,
Intravit cavcam Siculis qui venit ab oris
Hippotades, variis celeber qui forte triumphis 4. Certamen cum Hippotade.
Quondam, ſed valida dum ſpernit Tydea dextra
Vincitur, & telo percuſſus pectora duro
Decidit, effuſum quadrupes ſuper ipſe ſucutus
Hippotaden, magnus ſublatus ad æthera clamor,
Lætaturque Helene victorem & Tydea laudat.
Jamque dies octavus erat, non alter inire
Auſus certamen fuerat cum milite tanto;
CAROLUS hoc cernens dux præſtantiſſimus armis,
Mox bis quinque equites ſecum jubet ipſe parari 5. Certamen cum Carolo duce.
Et totidem armigeros, galeas qui & tela miniſtrent,
Omnes ornatos auro violæque colore,
Ipſe autem argento totus velatus & auro eſt,
Et nummi ex auro pendebant veſtibus auro
Contextis, Tyrio longe ſpectabilis oſtro,
Necnon cæruleum pariter fert tegmen, & auro
Fila innexa nitent, ſplendet bellator & oſtro eſt
Purpureo textus, pendentque numiſmata velo
Aureo; dumque loco non ſtabant bractea leni
Reddebat ſonitum vento, in ſpectacula magna
Jam turba comitante venit, nam quiſquis honore
Fungitur, & quiſquis fuerat privatus in ipſo
Tempore, ſe comitem ductori junxerat alto,
Hunc & Clevanus dominus comitatur ADULPHUS.
Dux etiam ſequitur modo quem Ferraria miſit,
Inſignem bellis, clara & virtute nitentem.
Sed poſtquam intrandi circum data copia, tellus
Tota fremit, clamorque virûm clangorque tubarum
Magnus erat, Tydei gelidus per pectora currit
Ima tremor, vixque eſt auſus concurrere tanto
Ipſe duci, poſtquam ſplendentia viderat arma,
Et triplici pectus quæ texit lamina maſſa,
Tunc Helene fertur juveni timuiſſe potenti,
Pallida facta ducis ſtrepitu venientis in ipſum
Conſeſſum caveæ, conjux ſpecioſa Diorcha
Admirata virum eſt; tamen eſt exterrita, namque
Egregios equites Tydeus ſuperaverat ante.

Murmur erat populi varium, multa ora ferebant;
Namque ducis multi victorem Tydea censent.
Sed postquam spatium campi dux forte remensus,
Ipse locum speculans in Tydea dirigit hastam.
Inque ducem Tydeus, amborum pectora fractis
Insonuere hastis, clamor sublatus ad astra
Est hominum, atque novis armatis brachia telis.
Quisque decem Lycias ipsorum ruperat hastas,
Nec potuit vicisse hostem, dum fervidus ira
Brachia percussit ducis, & dimovit ab ulnis
Cæterorum victor Tydeus a Carolo tandem prostratur. Tegmina, sed Tydeus caput est percussus iniquo
Vulnere, namque cadens duræ dedit oscula terræ.
Quid referam populi clamorem dum videt ipsum
Victorem esse ducem? nec læto Tydea cernit
Lumine tunc Helene: gaudebat sponsa Diorcha
Conjuge victore, & cornu Pygmæus adunco
Ipse canit, referunt se omnes victoris in aulam.
Hi postquam vino fuerant somnoque refecti,
Redduntur circo clari sub lumine solis;
Non certare hastis pergunt, sed cominus ense.
Quos vicit Tydeus veniunt & Tydea ferro
Vincere nituntur. Primus dux ipse reversus
In campum, atque equites decies jam quinque parati.
Sese accingit equis, sibi quisque accommodat ensem.
Inter se certant omnes, nec parcitur ulli.
Quin & equos mactant, numeret quis cuspidis ictus?
Nam potius multa numerares grandine tecta
Cum percussa sonant, plures tamen intulit ipse
Tydeus, ipse refert meritam cuique arbore palmam,
Atque volente duce imprimis hic præmia cepit.
Mox alii arbitrio munus cepere Diorchæ.
Finitis certaminibus succedunt convivia. Denique pugnando cessêrunt gramine campi,
Et tandem auratis statuunt convivia mensis.
Discubuere omnes, tum facta ingentia laudant,
Varii aulæ apparatus. Herculeasque canunt vires; pars altera & aulæ
Turrim habuit structam, quæ dicta est nomine Gorgon,
Qualis apud Batavos sub cujus vertice custos
Plurima signa dedit pugnæ; mox ecce fenestris
Ostenduntur apri, multa & tibicina capra,
Et quales Pœno pascuntur monte leones,
Atque asini carmen perdulci voce canentes,
Pluraque egressa est ex alta simia turri,

A Tamquam homines longas etiam duxere choreas,
Membraque fecerunt plures tum strenua ludos.
Et saturi tandem dulci dant lumina somno.
Legatus de rebus Leod. tractat cum duce. At nec legatum patitur requiescere cura,
Expediat donec sancti mandata parentis.
Tempus, ait, ludis celebratis atque hymenæis,
Res Legias tractare mihi, jam vertere muros
Desineret Legios, ductori injunximus ipsi
Nos Umbercorto, sed non servasse videtur
Mandatum nostrum; quin tantæ obstare ruinæ
B Borbonius timuit, quamvis rescribere nobis
Hoc tantum voluit, quod gratia maxima certe
Debetur nobis, cum tam sit provida juris
Cura sui semper, numquam & desistere cœpto,
Ipse rogat, patriæque suæ vocitare parentem
Non dubitat, quare captanda est copia fandi
Cum duce; sic dicens, illius pergit ad aulam
Res orsus Legias dulci sermone referre.
Carolus Bruxellam migrat. Carolus autem animum incensum cum ad bella teneret
Regis Francorum, cupieretque favere Britannis,
C Bruxellam ire parat, legatum hortatur & orat
Illuc se ferat, in decimamque expectet euntem
Se lucem, mox se Leodinam velle videre
Causam ait: & si quid sancto non competat illud
Pontifici, mutari, inquit, nos omne sinemus.
Linquitur his dictis Brugis, jam mœnia fidus
Legatus ducē comitatur mox reversurus Leodium. Bruxellæ subiit legatus Honofrius urbis;
Jamque dies aderat decimus dum fœdera servat,
Bruxellam petiit legato & multa locutus,
Sed tandem visa Leodina penitus urbe
D Componi melius Legias res ipse suadet
Legatus, repetat Leodinæ diruta gentis
Mœnia. Magnanimus jussit dux ipse parari
Dux parat bellum in Francos. In Francos populos aptissima pectora bello
Extremos hominum Morinos, nec defuit illi
Nervius, & Batavi fortes, tortisque Sicambri
Crinibus, ac Treveri pictis & Lingones armis,
Et Veliocasses jungunt quos Sequana dura
Seque Allobrogicus miles, durique Capeni
Gens sequitur, curru cuncti bellantur honore.
Quid referam ex populis Alemannis atque Suevis
E Innumeras gentes, aliosque hæc castra secutos,
Dux autem incensus bellorum fertur amore,
Dum bene se Brugis tantum in certamine gessit.
Ergo armata manus jussa est procedere in hostem.
Nec tenuere ducem legati dulcia verba,
Archiepisc. Lugdun. a Franc. rege missus ducē mollire tentat. Quem Lugdunensem rex Francus miserat illuc
Communis populi causa, placidæque quietis;
Nec tenuit sacro Romanus Honofrius ore,

Quamvis pontificis Pauli legatus ad ipſos
Non regis cauſa, Burgundos optimus ivit.
Ne tamen ipſe aliquam ſi poſſet ferre ſalutem
Aut poſſet placidæ ſi ſpargere ſemina pacis,
Gallorum populis ſecum ferat atra procella,
Idem præſtat Honoſrius ſed iruſtra. Utitur eloquio, quali ſunt mœnia Thebæ
Ædificata olim, quali fuit uſus & Orpheus
Carmina dum auritæ ſilvæ ter alta ſecutæ:
Sed poſtquam vidit vexilla inſignia tolli,
Se pelago & ventis ſanctiſſima credere verba,
Ac demum Leod. revertitur. Ipſe ducem ad lapidem primum comitatur euntem,
Bruxellam liquit, Legiamque redivit ad urbem,
Principis ut Pauli faciat ſanctiſſima juſſa,
Et ſanctæ poſſit Leodinos reddere paci.

LIBER IV.

FOrtius hic vires nervoſque intendit Erinnys,
Et majora parat, rixaſque & ſemina volvens
Irarum, redeant Batavi cum milite Franco
Ocius in pacem non vana mente laborat.
Interea Legii variis qui ſaltibus olim
Longas exilii dederant ſine crimine pœnas,
Armis invadunt urbem, ſua quæque petentes,
Hinc nova fax belli ſurgit, ſeges inde malorum
Exoritur, nequit orator ſedare furorem.
Audaces fortuna juvat: Leodina juventus
O facinus pulchrum! Tungrim ſub nocte ſilenti
Burgundaſque acies perpauco milite rumpit.
Hanc tamen orator verbis compeſcit amicis,
Borbonioque comes Leodinam vadit ad urbem.

Erynnis regē eum duce armat adverſus Leodios. POſtquam in Normannis gentes regiſque duciſque
Finibus haud longe diſtabant, arva Picarda
Vaſtabant, necnon armis Conſtantia mœſta eſt
Et Baſiona ducis, lætatur filia noctis,
Et voto favet ipſa ſuo. Jam linquere caſtra
Me ducis & regis decet, inquit, fœdera pacis
Ut tractare queat præclari nomine regis
Lugduni antiſtes, longo qui a tempore miſſus
Jam hil profecit, noſtris obſtantibus illi
Ingeniis; præſtat ſed non componere lites
Amborum: in Legios populos armetur uterque.
Nam niſi dux regis bello ſolvatur iniquo,
Gallica Burgundis aſtutus & agmina jungat,
Vel ſaltem fingat Francorum ducere regem
Terreat ut populum, magis & ſpem detrahat omnem,
Haud ſolus poſſet Leodinam perdere gentem.
Quin & pontificis vereor virtute Latini
Legati, & dulci eloquio ne fœdera victus
Cum Legiis etiam jungat, concordia fiat,
Hinc atque hinc populis læta & cervice vagetur.
Obſtandum eſt igitur, majorum cauſa ſerenda
A Irarum, atque novis opus eſt accendere Martem
Nunc rebus nobis, quo primum ſtetnere cives
Dux Legios valeat, mox & conabimur ipſe
In bellum redeat diſcors exercitus omnis,
In regem atque olim dux fortis præparet arma.
Hæc dicens, Juræ conſcendit culmina montis,
Horrendumque tuba cecinit, vox cuncta per arva
Gallorum audita eſt, præſertim perculit aures
B Exulibus Legiis, Latiis a finibus urbem Exules revocat Leod. ad urbandum.
Adveniſſe virum ſacrum, qui fœdera tractet
Pacis, & exulibus Leodinis reddere ſedem
Poſſit, & Auſonii tueatur jura tonantis,
Sacrarum & leges rerum populumque labentem.
Mox illi ex ſilvis variis atque urbibus omnes Qui urbem intrant anno 1468. 9. Sept. ſub meridiē.
Undique collecti, ruineſa ad mœnia tendunt,
Et certi propria decernunt vivere terra.
Jamque dies nonus, Chriſtique a tempore menſis
September currit, jam quingenteſima, demtis
Ter denis, triateris erat, demtiſque duobus
C Annis, exilio redeunt cum in mœnia feſſi
A longo Legii, mediæ quo tempora lucis
Tunc fuerant, primaſque domos intrare parārunt.
Tum ſi qui obſtabant telis gladiiſque coruſcis
Interimunt, ſi qui Leodina & mœnia linquunt, Quas turbas movent.
Enſe cadunt cives, immenſus terror habebat
Urbem omnem, innumeri ſed ſe redeuntibus illis
Junxerunt comites, Crucis atque inſignia ſumunt
D Candida Francorum bello rex prælia geſſit.
Quin etiam cunctis miſeram ſubeuntibus urbem
Gallicus eſt ſermo: vivat rex Francus, & omnes
Qui Franci, Legii fugientes enſe trucidant,
Aut hoſtes tamquam jactant in flumina Moſæ,
Vix evaſerunt fugientes turpiter urbi Multi urbe cedunt.
Quos dux præpoſuit populi fecitque magiſtros.
Nonnulli fugiunt legati ad limina tuta.
Huc Gilbertus adeſt, vecordes ducit & omnes
Ipſe ſuos ſocios & tutos reddidit illos
E Nomine legati; nam quamvis maximus eſſet
Quæſtor apoſtolicus, cecidiſſet forte ruentum
Enſe tamen, vitam & vento exhalaſſet opimam.
Multi legato diſcrimina ſæva canebant, Suadetur ei legato ut vitæ ſuæ conſulat.
Et ſociis ſuadere fugam per fluminis undas,
Ne populus captus ſævo cœcoque furore,
Opprimeret famulos, ferroque invaderet ipſum
Legatum. Quamquam curarum fluctuat æſtu,
Et miſeris cernit tot ſparſa cadavera terris,
Atque iter eſſe fugæ tutum; tamen ipſe furenti

Cedere

Ejes conſtantia. Cedere ab urbe negat, tanta eſt conſtantia mentis
Ipſius, & tanta eſt ſedandi cura furoris.
At fatum horreſcens crudele Tuitius urbis
Mœſtus ibat, Legia ſtatuit diſcedere, & una
Secum Henricus erat Lonvorchus juris honorum
Culmen habens, comites legati in tempore dulci:
Nunc vero adverſa eſt quoniam fortuna, volebant
Linquere, & a miſera pariter diſcedere terra.
Quos dum præſentit legatus cedere velle,
Talibus alloquitur: Dum ferrent vela ſecundæ
Noſtra auræ, dulces fierent ducis atque hymenæi,
Largaque in auratis eſſent convivia menſis,
Tuitium. alioſque cives abeuntes increpat. Mecum vos ſemper remos agitaſtis & amplos
Bibiſtis calices, duces & certamina mecum,
Nunc quantum adverſi ſpirant mala flamina venti,
Et mala compungi ſpectatis pectora, tum vos
Linquere me vultis ſolum; maledictus iniquo
Confidens homini, nunc vos felicibus ite
Auſpiciis: ſuperi regis ſi extrema voluntas
Ut moriar fuerit, vel cuſpide figar acuta,
In ſacris templis ſatius periiſſe putabo,
Et ſacro hoc habitu potius quam veſte remota
Heu ſacra in ſilvis perimi, & mea corpora in undas
Jactari, aut avidis lacerari viſcera corvis.
Hæc quamvis lapides potuiſſent verba movere,
Propoſitum tamen incœptumque Tuitius acer
Pergit iter; portis urbis tandem ipſe retentus
Cum ſociis fuit, & rebus captus ademtis.
Sed poſtquam Legiæ gentis Vincentius illum
Agnovit ductor de Buris, protinus armis
Reddidit illæſum, ſacro juſſitque reduci
Legato. Occaſum jam ſol ſpectabat equoſque
Urgebat tenebris majora pericula ituris,
Orator veritus ſacer eſt, quoſdamque vocavit
Relligione viros, morum & gravitate verendos,
Atque ait: Ite patres, quos pax delectat, & urbem
Hortatur cives præcipuos exulibus fraudeant a priſtina exiliareverti. Hanc ſervare Deo cupitis; me dicite cunctis
Exulibus, cognovit enim, veniſſe Latini
Pontificis juſſu tractandæ ad fœdera pacis
Cum duce Burgundo, Legiæ & componere gentis
Lites; quid veniant, cœlum turbentque ſerenum,
Dum facilem inveni paciſque venire volentem
Ipſe ducem? vereor ne dux hæc ſentiat acta,
Et pace infecta, majores colligat iras
In populum Legium, toti paret atque ruinam
Huic patriæ. Ergo ſibi tantam invidiſſe quietem
Nolint, & ſatius ducant in priſca reverti

A Exilia, ac donec ſit res ſedata jacere,
Tum fieri poſitis tranquillas æſtibus undas
Tutius in patria poſſe & tellure manere,
Atque volente duce. His dictis, pernobile patres
Mandatum expediunt, magno accipiuntur honore
Johannes poſtquam Arnildus, Vincentius atque
De *Bures*, nec non *Strales* Coſvinus ab ipſis
Exulibus lecti ductores, dicta benigni
Legati accipiunt, reſponſa hæc talia reddunt:
Eximii patres, quos olim novimus ipſi Reſp. Leod. exulum.
B Moribus ornatos ſanctis, quorumque probata
Semper vita fuit, quos nos veneramur & ipſi.
Si nulla eſſetis virtute & relligione,
Legati ob meritum nos præberemus honorem.
Talia legati ſed reſpondere licebit
Conſiliis; Legiæ nos urbis ſanguine cives
Non humili cretos, tam longo tempore paſſos
Exilium, in primas attritis veſtibus oras
Frigora reducunt: ſilvis erravimus altis,
Cum ſæviſque feris, victum lapidoſa dederunt
Corna infelicem, nos omnis ab arbore fructus
C Deſeruit, cunctis exhauſta eſt fontibus unda.
Nos ſitis atque fames nunc feſſos atra reducit
In proprias ſedes, externis poſſumus ultra
Non durare locis, inter natoſque patreſque
Uxoreſque ſimul cupimus jam vivere noſtras,
Pontificis volumus Pauli nos juſſa tueri,
Legato & parere ſuo, & ſervire volumus
Borbonio, pro quo vitam & bona cuncta parati
Expoſuiſſe ſumus, dum ſeſe vindicet hoſte,
Servitium nobis atque intolerabile tollat:
Denique legati pellatur pectore ſacro
Omnis ſuſpicio, nec quiſquis læderet illum
D Aut famulos, ſi quis tantum ſcelus impius eſſet
Auſus, mox nobis ſceleratus pendere pœnas
Cogetur; placeat ſed cras audire precamur.
Talia legato patres reſponſa tulerunt,
Quos & ductores præmiſſa luce ſequuntur,
Et ſe proſternunt, pacem veniamque precantes
Ante pedes ſacri legati, ſi qua fuiſſent
Damnata illi, vel non placitura Latino
Pontifici; placido ſic reddit pectore voces
Orator: Geſtis gens ô clariſſima rebus, Verba legati ad exules.
E Et cujus noſtra eſt mens jam miſerata labores,
Scire licet, non vos Pauli juſtiſſima cura
Deſeruit principis, qui me dimiſit ad oras
Veſtras, ſervarem populum, nec dura gravari,
Si quæ urbis fuerint Leodinæ hoc tempore paſſus,
Scire licet quotiens legatus mittitur, ille
Viribus incumbit cunctis, nec ferre recuſat
Ullum onus, expediat ſacri dum juſſa parentis.
Et vos ſcire licet, non frigora fugimus ulla;

Non pluvias gelidaſque nives, non aſpera tauri
Flamina, dum Legium populum præbere quieti
Nunc poſſem ſanctæ, facere & mandata benigni
Pontificis Petri, ducis & tecta inclyta magni
Qui vobis placido conſenſit pectore pacis
Fœdera, certarem; nos vero in veſtra reducti
Mœnia, molimur pacem; fortuna ſalutem
Heu vereor tantam invidit, quis noſtra redirent
Agmina conſuluit; timeo ne hoc crimine major
Ira ducem capiat. Quod vos parere velitis
Borbonio, & Pauli ſtatuiſtis jura tueri
Pontificis laudo, ſed noſtrum cernite ſanctum
Conſilium, ſatius vos in tecta redire,
Borbonio revocante prius; nunc cernite quantas
Dux habeat vires, expertique agmina magna
Æquatique ſolo declarant omnia muri.
Cernite quid melius. Placuerunt verba benigna
Legati. Ex illis ſic reddit Amelius unus
Oratio Amelii ad legatũ. A ſociis juſſus, quo non facundior alter:
Magne pater, meritas non poſſet ſolvere grates
Gens umquam Leodina tibi, cui ferre ſalutem
Tantum conaris, cujus diſcrimina ſuavi
Nunc ſermone paras, ſævaſque extinguere flammas.
Si pater ipſe urbis Legiæ dominuſque fuiſſes,
Non alias credo potuiſſes addere curas.
Non opus eſt igitur, noſtra nec lingua referre
Ipſa tuas laudes poſſet, qui talia ſuades
Huic populo, & miſeris velles ſuccurrere rebus.
Sed ſic fata volunt, ſupereſt nunc major & hujus
Spes vitæ gentis, domini nam pectora poſſes
Borbonii placare, illum quoque reddere amicum:
Nam miſeri cives, poſſunt non amplius ipſo
Vivere in exilio, veniam pacemque precantur,
Borbonio parere volunt, mandata vereri
Ipſius, atque humeris cupiunt reducere in urbem.
Viginti ergo illi legatos mittere vellent,
Talia qui referant; ſed tu pater optime præſens
Eſſe velis, poterit tantum & ſedare tumultum;
Et facias tuti poſſint concedere ad illum,
Atque redire queant, dominum & ſpectare benignum,
Colloquioque frui, nec gloria parva ſequetur
Te, patet, & tantæ dicetis cauſa quietis.
Si vero numquam tibi præmia ſolvere digna
Poſſumus, haud noſtro labetur pectore factum,
Et Deus humanas res æquo munere penſat.

Sic ait: at ſacro reſpondit Honoſrius ore: Reſp. legati.
Nulla mihi certe res eſſet carior umquam,
Credite, qui tantas ſi poſſem incidere lites.
Ergo Borbonii certos ad limina mittam
Omnia qui narrent, ut tuti ad limina greſſum
Ducere poſſitis, non vobis ipſe recuſo
Ire comes, ſanctæ dum poſſim ſemina pacis
Condere pectoribus noſtris aconita revellam.
Jam dilectus Abas mox ipſe Tuitius ibat
Nuntius, atque alter præclaris omnibus aptus
Conſiliis, & res acturus nomine dignas,
Borbonii hi tandem ſubierunt limina tuti;
Juſſaque legati narrarunt ordine cuncta.
Interea toto ſonuere tonitrua mundo, Varia ſigna futuri excidii Leod. urbis.
Non alias cœlo ceciderunt fulmina plura
Atque imbres multi, viderunt luce volantes
In media per inane faces ſtellaſque cadentes,
Atque ardere polum, multique in flumine Moſæ
Spectarunt varias monſtroſo corpore formas,
Non aliàs viſas; flammæ patuere ſub undis
Innumeræ, & volucres templorum in culmine ſævæ
In Legia totis ululârunt noctibus urbe,
Mordaceſque lupi permenſi ſtrata viarum
Inventi, & Legia poſuiſſe cubilia terra,
Atque infanda boves multi dixere locutos:
Prodigia in terris, plura æthere, pluraque ponto
Viderunt homines; terraſque reliquit Apollo,
Et fugit veluti poſita eſt cum menſa Thyeſtæ,
Indoluit caſus ſæviſſima damna futuri
Et Phœbe, quamvis fratris ſplendore nitebat,
Noctibus admiſſa mox ſeſe condidit umbra,
Et concuſſa fuit diverſis partibus orbis
Tellus, quæ tantæ deflebat ſigna ruinæ.
Tunc mulas etiam monſtrum peperiſſe ferebant,
Dicitur & mulier monſtroſo territa partu
Tum proprio, admirans ſecum numerumque modumque
Membrorum, obſtupuit diverſo vertice mater
Surgere ſemeſtrem puerum atque infanda locutum.
Quid referam undoſum ripas a vertice Moſam
Exceſſiſſe ſuas, ducentem armenta gregeſque
Per campos vario letho, & cuncta arva repleta
Flumine, & *Ægidio exauditas culmine voces *Mons S. Ægidii juxta Leodium.
Serpentum, Legiam qui prædixere ruinam.
Tum Rhenus fertur varias feciſſe querelas,
Et Stygias adiiſſe domos, dixiſſe potenti
Plutoni: Quidnam perdis mea jura fidemque?
Certe ego Teutonicis Belgis quoque terminus olim
Sum datus, ut ſtarent æterna hæc oppida lege,
Ne furor ullius gentis delere pararet.
Tu tamen inſidiis furiarum perdere cuncta
Nunc vicina paras, nobis loca Julius olim
Noluit hæc Cæſar, quamvis certamine juſto
Romano imperio cuperet domitare rebelles
Is populos noſtros, faceretque in flumine pontes.
Lamberti effigies tunc effudiſſe liquorem

Sanguineum fertur; ſed mens quæ læva virorum,
Neglexit ſacri quid vellent ſigna cruoris.
Prodigiale rubens apparuit igne cometes
Sanguinis, & nautas longis perterruit omnes
Crinibus, ac ventos tempeſtateſque ſonoras
Oſtendit, necnon magnas perterruit urbes,
Declarans hoſtem, venturaque bella minaci
Forte coma, & ſævis armis nutantia regna.
Tempore ſi medio licuiſſet forte redire
Vatibus antiquis, potuiſſem dicere certe,
Num Calchas, num Mopſus abeſt, tunc ora Sibilla
Erexit ipſa ſua, & Legiis canit impia fata;
Si qua fuit terris poſt Chriſtum forte relicta.
Undique conveniunt vates: Qui ſydera novit,
Vates etiam urbis ruinam præmentiuntur. Qui volucrum linguas & præpetis omnia pennæ,
Hic venit & Thuſcis qui tractat finibus exta,
Qualis & ipſe Tages, cuncti ducis arma canebant
Ventura exitio Leodinæ gentis iniquo.
Cancer & octava tunc eſt in ſede repertus,
Duodecima atque domus tenuit caput ipſa draconis,
Sexta quoque infirmo mantes dum carmina quærit
In his Merlinus: ejus genus & origo. De populo, tandem fertur veniſſe Britannus
Merlinus vates, regali ſanguine cretus,
Sed veſtalis erat mater nec cognitus ejus
Forte pater fuerat, nam cum ſe diceret illa
Non hominem noviſſe umquam, libaſſe ferebant
Oſcula ſæpe ipſi præſtanti corpore divûm,
Qui poſtquam gratis complexibus oſcula carpſit
Ventus erat; poſt hæc non longo tempore formam
Sumebat priſcam, mox ipſe ad cara redibat
Oſcula carpenda, & gravidam tunc forte reliquit.
Hinc tandem natus fertur Merlinus; adultus
Mortali in cœtu didicit ceciniſſe futura,
Vel Deus ipſe dedit: ſed poſtquam magna Britannus
Rex fecit clarâ & pulcherrima mœnia luce,
Diruta ſemper erant tenebroſa nocte ſequenti.
Tum petiit clari rex ipſe oracula Phœbi,
Scire volens fieret quo pacto; dixit Apollo
Ædificaret opus commixto ſanguine calci
Merlini, qui jam natus ſine patre fuiſſet.
Sed dum Merlinum vatem rex ipſe petebat,
Eſt ingens ſubito telluris facta vorago,
In quam deſcendit veluti cum conjugis ore
Amphyarae tuæ deceptus, mergeris olim.
Nunc autem terris exit Merlinus ab imis
Fatidicus, Legio populos ſic talia narrans:
Merlini vaticinium de excidio urbis. O miſeræ gentes quibus eſt pars ultima vitæ
Jam propè, quos opus eſt Leodinam linquere terram,
Ecce venit populis Burgundis Francia juncta
Vaſtatum Belgas, Leodinaque mœnia flammis.

Jam ducis lætas Allecto ſæva choreas.
Quid vobis prodeſt Dominum inter mœnia veſtris
Borbonium vectare humeris, Tungriſque petiſſe
Mœnia Burgundos terrere audacibus armis?
Jam video cædes, varias jam fluminis undas
Sanguine commixtas, jam fortia corpora volvit
Verticibus rapidis & fluctu Moſa ſonora.
Heu miſeret veſtrum, qui jamjam pendere pœnas
Pro Dodone fero debetis, maxima quamvis
Munera Lamberto, meritum & tribuiſtis honorem:
Cauſa latet ſuperis placeat cur fulmine ſævo
Innocuos punire viros, placeatque minores
Pro patribus dubio perſolvant tempore pœnas.
Non impune, tamen veſtras Burgundia pendet
Sæva domos, olim cum Francis bella gerendo;
Carolus & metuet quondam dux maximus illas;
Munera Lamberti donabit maxima templis,
Bis ſena ex auro nummorum millia mittet,
Conſcia cum veſtræ fuerit mens ipſa ruinæ.
Vos etiam in Tungri poſſetis mittere letho
Innumeros, melior ni tunc prudentia ſacri
Legati reprimat vos, & caſtiget amicis
Conſiliis, ſperans ſic meliora futura.
Hæc Merlinus ait; ſed ventis verba ferenda Merlino nulla fides habetur.
Ipſe dedit, quis enim potuiſſet credere regem
Francorum in Legios moturum bella, verentes
Ipſius nomen, præclara & ſigna gerentes?
Et quis Burgundis potuiſſet credere victum
Hoſtibus? Ipſe tamen Merlinus noverat omen:
Sed populus Legius verbis non credidit ullis
Ipſius, ac ſævi jactabat ſemina belli
Allecto, & ſtimulis mentes agitabat amaris.
Nam cum legatus petiiſſet mœnia Tungris, Legatus Tungros profectus Borbon. reducere tentat.
Borbonium ut dominum Lamberti ad templa valeret
Ducere, qui totiens ſcriptis vel voce venire
Pollicitus fuerat, veritus ſed numina ſummi
Ipſe ducis, reditum ſic longa in tempora differt,
Filia dum noctis gaudens, ſed cognita nulli
Auditur Legiis, dum totam pervolat urbem.
O miſeras clamans gentes, quas paſcere verbis
Borbonius didicit, quas & legatus iniquo
Conſilio ducit, cupiens ſervire potenti At ſundente furia Tungr. pergunt Leodienſes.
Quam nobis magis ipſe duci, expectare cohortes
Forte volunt, plures ut poſſint perdere cives
Noſtros, & muros vertant a ſedibus imis.
Quam melius nobis ad diruta mœnia Tungris
Tendere iter, fraudes ipſorum invadere cunctas

Burgundoſque illic noſtri denſo agmine cives
Interimant, & dominum revocemus ad urbem
Borbonium invitum, qui mavult perdere cives
Ipſe ſuos armis, quam diſſervire tyrannis
Burgundis, & quam placide ſua regna tenere.
Conſiliis obſtant non nobis mœnia Tungris,
Quæ dux evertit, facile eſt intrare, ſimulque
Permultos dare forte neci. Sic filia noctis
Dixit, ſic juvenum mentes incendit, & omnis
Eſt armata cohors, Tungriſque ad mœnia nocte
Tendit iter cœca. Legatus ſedibus illis
Poſt quam tres fuerat luces, diſcedere ad urbem
Curabat Legiam; precibus tamen ipſe retentus
Borbonii fuerat, donec veniſſet ad ipſos
Interea legatum & Borbonium convenit Umbercortus. Guido Umbercortus, multas qui forte cohortes
Ducebat ſecum, Leodina ad mœnia ſævis
Diripienda viris: Sed res incognita ſacris
Ipſa fuit dominis; precibus ſic ergo rogantis
Legatus paret, cupiens & ſcire quid eſſet,
Quid dux juſſiſſet, nullam poſtquam ipſe quietis
Spem placidæ accepit, dominum namque ipſe ferebat
Borbonius timuiſſe ducem, nec fœdera velle
Abſque ducis juſſu, non poſſe & reddere tutos
Tunc oratores, quos urbs Leodina volebat
Mittere, cum ad Legios fines non poſſe venire
Diceret. Ac tandem juſſu ducis inclytus armis
Sicque legatus alloquitur. Umbercortus adeſt, legati & limina primum
Ingreſſus, meritam poſtquam dedit ipſe ſalutem.
Incipit, urbanis ſolitus confidere verbis
Sæpe ſuis: Mirum non ſit pater optime vobis,
Si cum Borbonio volui non reddere tutos
Legatos Legios, cum dux mihi juſſerit altus
Ut manibus noſtris olim quicumque darentur
Supplicio afficiam, non illa & fœdera tractem
Ipſius injuſſu; quum ſe veniſſe ferebat
Luce ſequenti, ut armis Leodinam invaderet urbem.
Hæc inde adjunxit, quoniam nos ecce rebellem
Pontifici populum domitare, precamur
Nobiſcum venias, ſocium & te adjunge volentem:
Sic horror Legios capiet, pater optime, major,
Teque auctore ſacri ſervabimus omnia jura
Pontificis melius. Suſpiria duxit ab imo
Pectore legatus, poſtquam audivit, & inquit:
Reſp. legati Umbercorte armis vir præſtantiſſime.....
Umbercorto. Dux te Burgundus ductorem gentibus eſſe
Mandavit tantis, equidem tibi vera fatebor,
Si vos adverſus populos nunc arma rebelles
Pontifici Paulo gereretis, pectora noſtra
Nec gladiis umquam dubitarem apponere ſævis,
Nec dulcem toto cum ſanguine fundere vitam.
Aut non pro Paulo facietis principe bella
Ulla, nec ipſius vultis nos jura tueri:
Sed potius ſpoliis & prædæ adjungere dextras
Vos cupitis. Quid enim in Legios ratione poteſtis
Dicere, dum leges venerantur principis omnes
Romani, & domino cupiunt parere verendo
Borbonio. Si quod juſſit ſententia Pauli
Pontificis ſervare volunt, & ſi qua petuntur
A duce juſſa bono, mihi credite, nulla recuſant.
Innocuas igitur cur vultis perdere gentes?
Juraque pontificis cupitis dum forte tueri,
Admoneo ſævæ ne vertant omnia dextræ.
Et cur Borbonius bello evertiſſe paravit
Ipſe ſuum populum, facere & quæcumque paratum
Juſſerit? Injuſtis Legios oppreſſerat armis,
Qui pacem veniamque petunt, ſervire volentes.
Quid ducis ipſe notas nobis oſtendis, & ipſas
Tam metuit? Poterat Leodina ad mœnia ſeſe
Ducere, pollicitus non ulla lædere jura,
Tunc ducis & populi Leodini regna tenere.
Ex te ſane velim, ſi ſpes ſublata fuiſſet
Pacis, ſi nullis placaſſem pectora verbis
Ipſorum, haud veſtras vererentur forte cohortes,
Nam plures vobis; ſatius nunc ergo putetis,
Si jam tantarum rerum concordia fiat:
Pax placet ipſa duci, dum non ſua jura terantur:
Aut ſi vos Legias ſtatuiſtis vertere gentes,
Ne varias cædes videam ne triſtia bella,
Ire ad Germanos populos, terras, flumina Rheni
Eſt animus: Supplex ego Chriſti numen adoro,
Dividat ut lites, & jactet ſemina pacis.
Sic ait, atque viæ ſocios ad mœnia iturus
Trajecti poſcit, cum craſtina fulſerit hora.
Aſt Umbercortus legati a limine cedens,
Rettulit ad proceres alios hæc omnia dicta.
Conſiliis habitis mediæ ſub tempora noctis
Johannes patria *Berges*, quem lingua Latina
Atque probi mores, & copia maxima ſandi
Illuſtrant, Batavis ſummus regiator in armis
Advenit, & ſacri legati limina pulſat.
Johan. a Bergis cum legato tractat de procuranda pace inter ducē & Leod.
Tum quod ſpinoſas curas in pectore haberet,
Nec poſſet dulci ſomno ſua tradere membra,
Tecta intra multo venerandum accepit honore.
Ille ubi conſedit, placido ſic pectore cœpit:
Alme pater Brugis, Lovanii & Manibus olim
Ipſe tuam novi virtutem, & ſemper amavi;
Et ſi quid poſſem, ſervato ſemper honore
Burgundi domini, facerem, nocteſque dieſque
Pro te proque tuis, fuerit dum vita ſuperſtes.

Nunc cum conſilium ſociis ductoribus eſſet,
Invadendæ urbis Legiæ jam luce ſequenti,
Tantum veſtra mihi placuit ſententia pacem
Quæ ſuadet, mandat quamvis quæcumque jubebit
Borbonius fieri dux clarus, maximus armis;
Ipſe tamen cupiam cum veſtrum ſemper honorem
Et pacem, tali ſpoliarent pectora mente
Conſului ſociis Legiorum & corda virorum
Declaranda duci; nam quando intelliget ipſos,
Conſilia in melius referet; ſententia noſtra
Jam placuit ſociis: Igitur nunc reddere tutos
Legatos Legios, qui tractent fœdera pacis,
Conſilium nobis; mittendus nuntius ipſis
A vobis, Tungrim veniant pater optime tuti.
Olli ſubridens legatus talia reddit:
Scis, vir me inſignis Trajecti ad mœnia quondam
Perduxiſſe viros Legios, quos ſcripſerat ipſe
Borbonius, tutos, poſtquam Argentalia recta
Ipſis cernuntur redeuntibus, agmine facto
Hos dominus villæ captivos reddidit omnes.
Sic perjura fides, ſic nobis dedecus ingens.
Nolim iterum falli, nolim diſcrimina nobis
Tanta, neque illuſis totiens dare verba videri.
Tu ſi certa putas, ſi tutos credis & illos
Poſſe venire ad nos melius, te ad mœnia duces
Nunc Leodina, potes cives & ducere lætos
Tungrim, qui poterunt fœdus tractare quietis.
Ille autem: Numquam Leodina ad mœnia ſolus
Auſim, nunc quamvis videantur me amare.
Legatus contra mox talia reddidit: Heros,
Si credis tutos illos te reddere poſſe,
Me ſocium adjungam junctо tibi, tecta petemus
Nos Leodina ſimul, jungant ut fœdera pacis.
Annuit his *Berges* latis regnator in arvis
Legato, & comitem forte ſe promiſit ad oras
Jam Legias. Primo cum ſol patuiſſet ab ortu
Vix medium cœli jam mox trajecerat hora
Axem una, & dubio dederat ſua pectora ſomno
Principis orator Pauli, Leodina juventus
Deſperans ſanctæ venturum in fœdera pacis
Borbonium atque ducem, Tungrim magno agmine noctu
Leod. Tungrim irrumpunt. Aggreditur, cæſis cunctis cuſtodibus, altis
Pontibus appoſitis, vallum tranſcendit & omne
Ceperat ipſa forum. Muris ſpoliaverat olim
Oppida Burgundus dux, non obſtare furenti
Huic genti poterant. Legios ſub nocte ſilenti
Non aliquis ſenſit, peditum intravere cohortes.
Ne ſtrepitum audirent venientum forſan equorum
Burgundi. Horrendis ſubito clariſſima bombis
Sunt data ſigna, domus omnes clamore reſultant,

A Tormenta atque graves baliſtæ culmina pulſant.
Mox alii ad ſummas glandes ſparſere feneſtras.
Concutit hic poſtes hic oſtia pulſat & haſta
Tectaque ſunt cœco ruere omnia viſa tumultu.
Sunt ſomno excuſſi Burgundi, & terror habebat
Maximus: ille fugam medios tentare per hoſtes,
Perque hoſtes alius ſeſe rapiebat in ipſas
Tunc Tungris foſſas, & ſe condebat in antris.
Præcipites alii ſe demiſere feneſtris,
B Et mortem fugiunt, hic abſcondiſſe cavernis
Traditur & terræ ſpecubus: Se jecit ab alta
Johannes *Berges* perterritus ipſe feneſtra, Johan. *Berges* projecit ſe a feneſtra.
In foſſaſque cadit nudus, ſolutſque pedeſque
Surrexit, cautus Trajecti ad mœnia venit,
Dimiſit tectis fuerant quæ proxima portæ
Omnia, ſed Legiæ rapuerunt denique gentes.
Nonnulli tentant armis defendere ſeſe, Cruenta ſtrages a Leod. edita.
Enſe tamen Legio noctis ſunduntur in umbra.
Evadunt pauci tum primum ſumſit & arma
Borbonius necnon ſecum cariſſimus altus
Robertus, (*a*) cujus cunctis in rebus amico [*a*]
Conſilio fretum gens & Leodina ferebat
C Borbonium. Inſidias ſimul hi feciſſe volebant.
Progreſſi in vicum vix evaſere ſagittis
Borbonii, afflatæ ſunt veſtes ignibus atris
Glandibus & plumbo tactæ, Robertus ac ipſe
Saucius & vivus vix intra eſt tecta relatus, (*b*) [*b*]
Nam tormenti ictu cruris fracta oſſa gerebat.
Noluit omnipotens humano fulmine lædi
Borbonium; multis a millibus ille reductus Eripitur Borbonius.
Munitam in ſedem, quoniam via forte patebat
Nulla fugæ, miles Burgundus clauditur omnis
Borbonii in tectis. Quis narret funera noctis
Illius, & ſando poſſit recitare labores?
D At ſacer orator ſomno eſt excuſſus, & ipſos
Agnovit Legios tanto clamore furentes;
Quamvis Burgundos lætas agitare choreas
Quidam ait, & vocem gaudentes tollere ad aſtra.
Mox mandat tecti reſeretur janua poſſint
Intrare ut Legii, utque illis ipſe obvius ire,
Et ſermone queat tantos ſedare tumultus.
Et lucem expectans accendi juſſerat ignes,
Suſpirans, inquit; Quantos facietis acervos,
Heu miſeri populi! quam cerno hoc tempore cladem?
E Quonam Borbonius, quonam ſe conferet omnis
Burgundus miles? Trajecti ad mœnia quidam,
Borbonium fugiſſe refert; tum mœſtior eſſe
Legatus cœpit, nullam ſpem pacis habendæ
Jam fere conſpiciens: ecce inter talia quidam

(*a*) Morialmæus archidiaconus.
(*b*) Sed tandem occubuit & canonici aliquot qui erant epiſcopo maxime familiares.

Egregius miles legati venit ad ora,
Parietibus fractis ſupplex hæc omnia fatus;
Nomine Burgundo legatus ut iret ad ipſam
Borbonii ſedem, quoniam non eſſe putabant
Se tutos illic, ſive ipſis ire liceret
Legati ad ſedem: placuit magis ipſe veniret
Qui legatum adit. Ad ſe Borbonius, ſic Tuitius ille reportat.
Mox centum lectis Burgundis ecce petivit
Tectum oratoris, paries ſed frangitur hortos
Ipſe duos inter medius, ſic tecta ſubivit.
Cauta cohors, ne quis Legius ſentiret euntes,
Lædere vel poſſit, tenebroſo tempore primus
Borbonius ſubiit, poſt Umbercortus e *Geldre*
Regnator terræ quique Argentalibus agris
Eſt dominus, ſequitur quem miſit terra Cohata
Et dominus Plages, & Vogelſancus inivit.
Poſtquam Legato pavidi dixere ſalutem,
Umbercortus, ait: Legii, pater optime, Tungrim
Adveniunt, volui quos non ego reddere tutos.
Olli legatus [parcat] tibi ſummus Olympi
Rector ait, melius veniſſet reddita noſtris
Gens hæc, tuta olim notis non fortibus armis
Burgundæ ad cladem rueret furibunda cohortis.
Cõmendant ſe legato Burgundi. Tum ſe commendat legato cetera turba:
In te noſtra ſalus, omnes dixere, locata eſt;
Tu noſtras animas ſerva, ſi corpora Belgæ
Supplicio afficiunt, potes hoc in tempore ad illos
Exire, & dulci mentes lenire furentes
Sermone, interimant ne nos, dominumque faventem
Reſp. legati. Borbonium nobis: orator talia reddit:
Cernitis in quantis verſetur vita periclis
Veſtra, tamen pacem ſi veſtro pectore vultis
Cum duce moliri, neque enim dux ipſe negabit
Conſilium veſtrum, Legios mulcere ruentes
Conabor verbis, & corpora veſtra tueri:
Spero equidem, quoniam venerantur juſſa Latini
Omnia pontificis, domino & parere verendo
Borbonio cupiunt, non noſtris ulla negare
Audebunt precibus, præſertim quando videbunt
Bellorum finem placidam pacemque futuram.
Si vero infenſis vellent vos perdere telis,
Dum pacem cupitis, prius hæc mea pectora ferro
Percutient ſævo, quam lædi corpora ab illis
Veſtra ſinam; ad Legios quid nunc exire probatis
Dum tenebræ ſunt noctis, nec me agnoſcere poſſunt:
Non tutum eſſe reor, ſatius cum candida mundo
Orta dies fuerit. Placuit ſententia ſacri
Legati cunctis; tum ſe flexere precantes

A Ante pedes veniam & ſcelerum purgamina cuncta.
At bonus orator confeſſos crimine ſolvit.
Juſſerat utque piis orarent numina verbis,
Ne ſinerent telis indigna & morte perire.
Jamque erat orta dies, Leodini ad limina tendunt
Borbonii, & portas telis fregere ruentes:
Sed non inveniunt dominum, tunc tecta petebant
Legati, & multos Stygias miſere ſub umbras.
Tunc bonus orator cum poſtes cerneret auctos
B Saxis &, lignis, non inde exire liceret,
Borbonius quoniam pavidus ſic juſſerat illis,
A celſa pergit ſeſe monſtrare feneſtra.
Non ſine & hic lacrymis permulta cadavera vidit
Ante ædes: Legii ſpectantes candida lina
Legatum agnoſcunt, ipſum venerantur & orant.
Ille ubi conſpexit ſpoliari forte peremtos
Nummis & loculis, verbis caſtigat amicis
Raptores, mandat dare corpora vana ſepulchro.
Mox rogat ad ſeſe Legiorum ductor ut iret,
C A cæde & ſpoliis juſſit manus omnis abeſſet.
Tunc & Johannes Arnoldus ductor ad almum Johannes Arnoldus legatum adit.
Legatum venit, magna comitante caterva:
Namque alter Legia Vincentius urbe remanſit;
Quem poſtquam orator vidit, ſermone verendo
Fatur, quid peterent rogat, quid funera tanta
Nunc facerent placidæ ſacra inter fœdera pacis.
Nam ſi juſta ipſi peterent, quæcumque darentur.
Poſtquam albo Arnoldus ſuſpexit pectore lino,
D Vertice nudato necnon & caſſide jacta
In terram, magno oratorem affatur honore.
Ipſum alloquitur. Almę pater, Legii quamvis tua nomina cives
Damnarunt aliqui, quod tu velles paſcere verbis
Nos, & tractando ſanctæ modo fœdera pacis,
Borbonii adventum finxiſſes eſſe futurum:
Nobilis at ſi quis fuerat Leodinus, iniquum
Conſilium illorum damnavit, teque probavit,
Mores atque tuos, facta & digniſſima laude.
Non tu finxiſti, tibi ſed data verba fuiſſe
Novimus, immenſos paſſumque fuiſſe labores.
Ergo oro ſupplex, ne blandis credere verbis
E Ipſe velis, timidi promittunt omnia vobis
Burgundi, lapſum non hoc a pectore ſacro
Ctediderim eſſe tuo, dum annares mœnibus olim
Trajecti ad dominum, paciſque ad fœdera agendæ,
Borbonium & placido veheres in flumine Moſæ.
Cum populus Legius, nec vir nec femina deerat
Fluminis in ripa, ſupplex & brachia tendens,

Ad te clamaret: referas, pater inclyte, pacem,
Et magno sperans misceret gaudia luctu.
At cum jussisses tot sparsa cadavera ripis
Ipse dari tumulis, lacrymarum flumine magno,
Cumque ad CAROLI veniſſes mœnia celsa
Argentalis erant quæ Mosæ juncta fluenti.
Mox dominus naves summa prospexit ab arce
Tres Legias, vectus fueras quibus ipse tuique,
Missilibus telis & flammis bella paravit,
Mersissetque omnes, ni te spectasset, & ipsas
Subductas naves, eausamque audisset eundi.
Sed postquam Legii vota exposuere verendo
Jam sua Borbonio, necnon responsa ferebant,
Te remanente illic, posses extinguere belli
Scintillas sævas, Legiis redeuntibus idem
Postquam Argentalis tetigerunt littora ripæ
Sunt capti, erubuit dominus, nec jura fidemque
Tunc Argentalis Burgundia jussa secutus,
Rumor erat de te, Legio tunc proditor ore
Dictus, cum sine te mandaveris ipse redire
Illos, erroris tua mens & conscia tanti
Visa fuit, postquam Leodinis cernere verum
Contigit, atque tuum cuncti videre laborem,
Se damnare omnes cœperunt, teque probare
In Legias qui te revocasti denique fines;
Ipsorum ostendens si qua & mala verba fuerunt
Falsa, & fecisti captos, pater optime, solvi,
Necnon & populo suasisti jussa verendi
Borbonii faceret, vellet parere petitis.
Scilicet exirent iterum sua mœnia cives
Exilium passi, tum qui se junxerat illis
Ad sua mandato domini jam tecta rediret.
Omnibus hinc positis vexillis, gramine campi
Atque armis stolidus populus quæ sumserat olim,
Borbonii manibus suasisti cuncta darentur.
Ut fuerant responsa ejus gens omnia fecit,
Te suadente pater, Leodis, nec defuit illic
Qui malefacta tuis ornata coloribus esse
Verborum afferret, nec non tibi multa minatus.
Sed perfecta, pater, mens nullis fraudibus esse
Commaculata tua, & studio protendere pacem
Quid referam ut sedes alias tu accesseris alma
Pro pace, & bellum damnasti inferre volentes
Burgundos? Legiis cepere ex civibus unum,
Arboreo & ramo, scelus ô! miser ille pependit.
Nec te Burgundi venerati tempore in illo
Sunt, pater ipse, licet sanctæ data verba quietis
Essent Borbonio, rursus Leodina petisti
Mœnia, suasurus si qua & meliora videres,
Mox ad Borbonium dominum, pater alme, redisti,
Ad sedem lectis dictam Fossam undique cinctam,
Atque nudis Tungris non longe a mœnibus istis,

A Taliaque es fatus: Te, vir venerande, precatur
Gens Legia, admittas quas dant tibi pectore voces
Atque preces, servare velis parere volentem
Hanc potius sævo quam perdis mœnia bello.
Hæc dum Borbonio suades, pater optime, venit
Nuntius, atque refert Burgundas forte cohortes
Ad Legiæ muros urbis tunc bella gerentes,
Sed cives narrat pepulisse a finibus illas:
Tunc & Borbonium damnasti voce serena,
B Optatæ quod dum fierent bona fœdera pacis,
Auderent Legios Burgundi invadere fines.
Borbonius tanti ignarum se dicere belli
Pergebat, tandem Leodinam pergere ad urbem
Velle, ait, & metum justo sermone fatetur
Esse tuo: rursus Lamberti templa petisti,
Rursus Borbonii sedem, quis voce labores
Explicet ecce tuos? quotiens tibi verba dedisse
Borbonium certus narrem, quid ad oppida miles
Dixerit, ipse pater dum respondere negasset
C Posse tibi, atque ducis Burgundi scripta referret,
Qui Legiæ scripsit reparandæ sedis honorem.
Borbonius ergo illi tunc sic est talia fatus:
Jam reverende pater nobis extrema videtur
Urbis adesse dies Leodinæ & signa ruinæ,
Quam Deus avertat; nolim memorare priores
Quas perpessa fuit clades gens utraque nostra;
Scis etiam princeps PAULUS me misit ad oras
Legatum vestras miseras, incommoda tanta
Belgarum intentus paci totius & orbis,
Ut possim infernis animas absolvere vinclis.
Sed postquam tenuere tuæ me denique terræ,
D Audivi vestro innumeras ex ore querelas,
Ex sacris ab usque viris; nam perdere gentes
Burgundus Legias dux atque æquare paravit
Muros, imperiumque meum jam conterit omne.
Dicebas tanto sed non obstare tyranno
Te posse; his dictis incensus mœnia Brugis
Accessi, & miros sum passus deinde labores.
Denique ab exilio redeuntes ipse cohortes
Compressi Legias tibi tunc parere volentes,
Quæ spe sublata pacis, non perdere cunctos
Burgundos, sævæ & potuissent tradere morti.
Vix aliquis Legios fieri tunc forte putavit
E Tam placidos; nostris sed victi dulcibus ipsi
Consiliis, quæcumque vides feciſſe parati,
Tu totiens nobis Lamberti ad templa redire
Pollicitus, quare cupidos deceperis ipsos,
Atque expectantes, miror quod scripserat ipse
Jam dux, ecce notos tales quid vincere telis
Est opus his Legios, aut quid reparare laboras
Amissos numquam populos: si credis & illos
Amisisse, potes sine cæde & sanguine & armis,
Sub juga nituntur dum non aliena venire,

Et tua defendunt, templorum & jura ſacrorum.
Sed ſi forte illos bello reparabis & armis,
Perpetuo amiſiſſe putes: ſpectacula cladis
Tantæ equidem fugiam, neque me ſententia Pauli
Pontificis ſummi ſpectanda ad funera miſit.
Sed placidæ ac ſanctæ tractanda ad fœdera pacis,
Quam firmare tuo præſenti lumine poſſes,
Mecum pollicitis dum velles ipſe manere,
Atque urbem repetiſſe tuam ſacroſque penates.
At ſi conſilio non ſacri militis ullo
Pendes, qui prædæ pecudum jam forte tuarum
Accingunt ſeſe, pacem & cupis ipſe negare
Oblatam, ſtatui Germanos viſere fines,
Atque aliis rebus commiſſis jungere mentem.
Aut ego te cogam templorum jura tuorum
Servare & populi, quantum conceſſa facultas
Ipſa mihi poterit Romano a principe miſſa.
Nam quando Legios primum mihi viſere fines
Contigit, auditis rebus cenſere licebit,
Privandum imperio eſſe tuo tres forte per annos:
Quandoquidem dominis non ſacris jura ſacrorum
Templorum ſubigis: dixiſti ſed tamen olim
Invitum aſſenſiſſe duci fortaſſe timore
Majoris damni, ſed clam contra omnia dicta
Sic evaſiſti, tamen ipſe in retia rurſus
Ecce venis Pauli, ſed ſummi principis iſtud
Judicio quondam meliori nempe reſervo.
Hæc volui dixiſſe tibi, ne neſcius eſſet,
Si quis adeſt ductor, curarum ſorte mearum,
Pontificiſve pios ne neſciat ipſe labores
Impenſaſve graves, Legias dum reddere paci
Conatur gentes, teſtis mihi Gallia tota
Et teſtis Germanus erit mihi totus & orbis,
Fluminaque & fontes & ſplendida ſydera cœli,
Non per pontificem, per legatique laborem,
Sed per Borbonium linguæ & ſecreta malignæ
Defuit, & Legiis pax imperfecta remanſit:
Officio quoniam ſi quid tu cernis agendum
Eſſe meo oſtendas, me promtum ſemper habebis.
Vincere ſi bello cupies, Deus ipſe ſecundet
Juſta incœpta tibi, & faveat ſi juſta fuerunt.
Vos ego præſentes ſcribæ, vos ipſe requiro
Mandetis cartis æterna ut nomina rerum
Tantarum fiant: hæc te dixiſſe recordor,
Alme pater. Lacrymis maduerunt ora verendi
Borbonii, & verbis Leodina ad mœnia victus
Venturum dixit; ſed noſti verba dediſſe:
Fruſtra ornata via eſt, juſſis, pater inclyte, noſtris
Ornaverunt ædes fruſtra, tædaſque pararunt,
Et præ lætitia lacrymas ſparſere per ora.

Quidve Umbercorti enarrem crudelia bella?
Quid narrem inſidias? nam dum pro pace laboras,
Vaſtavit villas noſtras, vaſtavit & agros.
Ergo, ſancte pater, fugiant cum fœdera pacis
Burgundi, & cupiant Legiis divertere ab oris
Borbonium, ac populi ſaturari & ſanguine noſtro:
Ignoſcas nobis hodie, cadet impia noſtra
Gens Burgunda manu, nec poterit numen Olympi
Pontificemque ſimul dominos optamus habere,
Et te ſumme pater volumus dominumque verendum
Borboniumi, præſtate aures, defendite jura
Noſtra, pater, juſtoque ignoſcas cuncta dolori.
Hæc ubi dicta dedit, breviterque legatus ad ipſum: *Reſpondet legatus.*
Vera Arnolde refers Johannes: hoc tamen unum
Sanguine ne veſtras rogito reſpergite dextras.
Quid de Borbonio facietis? ducere vultis
Forſan captivum? Paucis ſic reddidit heros:
A nobis abſit tantum ſcelus, arma gerenda
In nos ſunt potius, domini quam in pectora noſtri
Borbonii, cupimus nobis dominetur & ipſe,
Et cunctis Legios tueatur ab hoſtibus omnes.
Hæc cum Borbonio ſunt verba audita, ſed ipſe eſt
Spemque metumque inter dubius tum ſponte vocatus,
Legato a domino ducibuſque aſcendere juſſus.
Et Legiis poſtquam viſus, tolluntur ad aſtra *Borbonius dat ſe in conſpectum.*
Clamores: vivat vivat, dixere ſonora
Voce omnes, vivat princeps Leodinus; & ipſum
Tunc genibus flexis nudato & vertice adorant.
Hinc & Burgundos tendebant perdere ferro. *Acclamant ipſi factioſi, ipſum venerantur.*
Qui cum Borbonio ſtabant. Orator & ipſos
Comprimit a gladiis, illæſa & corpora reddit.
Sed dedit ut capti ducantur rebus ademtis
Sub fide legati, mox eſt admiſſus ad ipſos
Noſcendos ductor Johannes. Protinus omnes
Depoſuere enſes patriæ de more, fidemque *Captivos legato credunt.*
Colloquio dulci, complexus atque dederunt.
Aſt Umbercortus facta ob crudelia quondam
In Legios, vulgi veritus fuit ipſe furorem:
Legatum & genibus flexis orabat, ut ipſe
Non ſineret captum Leodina ad mœnia duci,
Nobilium & dextra perimi mallebat in ipſis
Sedibus. Ergo illum tali ſub fœdere ſervant
Orator Legiique duces, promiſit ad ipſum *Ad ducem dimittitur Umbercortus ut pacem componat.*
Ire ductem, & fœdus placidæ tractare quietis.
Ne tali audito inſultu mox colligat iras
Majores forſan, quoniam meliora ſequentur
Huic ipſi oratori Trudonis mœnia verſus
Fit comes, ex Legiis ne quiſquam læderet hoſtis.
Tunc Umbercortus meriti non immemor hujus,

Quod

Quod ſibi Burgundiſque ſimul ſit reddita vita,
ante pedes jacuit legati, & ſupplice voce
Borbonius Leodium accedit cum legato & plaudente cive recipitur. Grates mox egit, ducis & ſe duxit ad ora.
Legatus rediit, dominum & comitatur ad urbem
Borbonium Legiam, quo non ſine tendere ad ipſam
Audebat, quamvis magno venerantur honore,
Obvius ecce venit ductor Vincentius alter
De *Bures*, portis populuſque effunditur omnis.
Non mihi Pierides ſi linguas mille dediſſent,
Ferrea mille ora, & ſplendenti ditius auro
Ingenium, poſſem tantos deſcribere honores
Quantos ambobus dominis Leodina juventus
Læta dabat, lætas fudere ad ſidera voces.
Quis ſacros homines ſacris in veſtibus, & quis
Explicet ipſe vias ornatas, atque virorum
Concurſus, quales ſonitus cytharæque lyræque,
Quale dedit lætus ſeu vir ſeu femina carmen.
Innumeræque tubæ cuncta & ſonuere metalla
Hunc humeris ſubiit claro qui ſanguine natus,
Qui virtute fuit clarus, qui ſplendidus armis,
Per vicos urbis plateaſque jocoſque tulerunt,
Qui profugus quondam veniam nunc ipſe petebat
Supplex; Borboniuſque illum eſt amplexus, & ipſi
Parcebat, lacrymæ paſſim funduntur utrinque.
Spirabant mirrhæ, ſpirabant thuris odore
Hinc atque inde viæ, nec teſtas ipſe calentes
Et tædas numeres, ſperabant undique pacem
Eſſe datam populi, atque extincta incendia belli,
Tandem ad Lamberti duxerunt templa canentes
Hymnos & laudes Legii, nox ipſa ſecuta eſt,
Et placidæ cupidi poſuerunt membra quietis.

LIBER V.

IMpia Theſſiphone formam mentita virilem,
Caſtra ducis memorat Leodino milite capta,
Et CARLUM incendit verbis; qui fraude reperta,
Liligero dextram mox pergit jungere regi,
Et comitem facit in Legios. Ferus agmina ducit
Æratoſque viros Theobaldus, & occupat oras
Eburonum, rigido devaſtans omnia Marte.
Gens Leodina ſuis arcens a finibus hoſtes,
Enſe cadit; ſaturatque pio nimis arva cruore.
Arges Honofrion ſpoliat rebuſque fideque,
Dum cum Borbonio pro fœdere pacis adiret.
Ductorem Batavum, Theobaldus cogit ad urbem
Signa ducis Legiam, nec pacis fœdera curat.
Interea orator Trajecti ad mœnia pergit.

AT non Teſſiphonen præbet ſua lumina ſomno,
Burgundi ipſa ducis velox pervenit ad aures
Egregii juvenis formam affimulata Probini,
Intidiaſque refert Leodinæ gentis, & ipſos
Burgundos captos. Lamberti ut templa petivit
Borbonius, judis miroque receptus honore
Legatuſque ſimul, mox dux factum omne putavit
Conſilio ipſorum, non æqua & mente ferebat.
Credebat dux inſultum Tungris factum conſilio legati & epiſc.
Nititur in pacem Franco cum rege redire,
Ac cæſa jungit tumefactus fœdera porca,
Ut queat in Legias cumulato milite gentes
Arma movere, avidis & mœnia tradere flammis.
Ergo Peronam petiit rex Gallicus. Illic
Pax ducis & regis facta Peronæ.
Sunt pacis leges, vocitato numine divûm,
Inter utrumque datæ: Stygiæ potuere ſorores
Hoc tantum, atque duci comitem adjunxere volentem.
Incertum invitus Legiam ne an neſcius urbem
Invaſit, fieri tantum quis crederet hoſtem,
Quem Legii regem coluerunt ejus & arma
Geſtabant, cujus nomen vocitare ſolebant,
Qui ſe pollicitus Leodinis ſæpe tuendis
Venturum auxilio. Dux jam ſua præparat arma.
Cum ſocio tanto Perona egreſſus & urbe eſt.
Jamque Umbercurtus ducis ad tentoria venit,
Umbercurtus a duce duriſſimis verbis excipitur.
Et ſuadet cupiens promiſſæ fœdera pacis.
At dux hæc illi breviter ſic talia reddit:
Dedecus armorum bellique ignavia ſumma
Umbercurte redis, qui ſum deceptus ab illo
Inſignem qui te bellis armiſque ferebat.
Quam temere, heu! noſtræ tibi committuntur habenæ
Militiæ, dictus Tungris non captus in ipſis
Mœnibus, heu luxu vel ſomno victus inerti,
Deſidiæ molles atque otia marcida mentem
Laxavere tuam, non umquam frigora paſſus,
Non nimbos umquam toleraſti ſolis & æſtus,
Non gelidæ torrent nives tua tempora, noctes
In clipeo vigiles numquam producere doctus.
Non igitur miror pacis ſi fœdera ſuades,
Et terret Leodina cohors peditumque phalanges.
Vade igitur; pudeat potiuſque in bella redire
Te decet, atque acies munire inſignibus armis,
Nam quod conſilium quæve dementia mentem
Nunc caperet noſtram, paterer ſi fœdera pacis
Tractari mecum, dum rex jam Gallicus armis
Se comitem adjungit noſtris, & perdere poſſum
Urbem, quæ noſtro nimis eſt incommoda regno?

Quæque trabes oculis, ceſſare a cardine tanto
Rerum voluerim, populos abolere paratus
Exercitui ducis præficitur Theobaldus. Qui nobis hoſtes. Sic dux eſt fatus, & omnes
Bellorum primas Theobaldo credit habenas,
Quem Legio Burgunda virum, quem forte Comata
Gallia, quem ſequitur turba comitante Philippus,
Atque Allobrogicis ingens exercitus oris,
Finitimos Legiis gentes petiere Namurcos
Venturæ in Francos atque arva Picardia bello.
Mox ducis audito juſſu, Theobaldus in agros
Divertit Legios, & vaſtat milite ſævo.
Aſt Umbercurtus fingit bona verba dediſſe
Ipſe ducem, & ſanctæ ſpem vult protendere pacis,
A duce ſe puduit caſtigatum eſſe fateri.
Exules legato hortanti ut urbe cederēt oſtendunt exilii incommoda. Ergo legatus ſuadet Leodina juventus
Pareat: illa refert velle obſervare petita
Cuncta ducis, verum non in deſerta redire
Poſſe iterum, exiliumque duci non utile; tandem
Intuitu rogant Lamberti numine ſancti,
Ut dux qui Chriſti veneratus numen & almæ
Devotus fidei eſt, ſaturari ſanguine nolit
Humano, poſtquam, ſi qua eſt incommoda paſſus,
Ipſe ſatisfieri Leodina a gente videbit.
Hæc & judicio pater optime linquimus æquo
Borbonii & veſtro, nos in nemora alta redire
Quid juvat, atque cibos corvis fierique feriſque?
Tum motus lacrymis miſeratus epiſcopus ipſos
Legatuſque fuit; cuperet cum mittere ad aures
Cuncta ducis, non eſt inventus, forte timore,
Theobaldus vias omnes conciliandæ pacis legato intercludit. Qui portare velit, Theobaldus quando minatus
Legati eſt famulis, Legios ſi forte per agros
Ultra irent, ipſos morti crucibuſque daturus.
Quando in conſilio cunctis ductoribus inquit:
O ſocii vereor ne vanos noſtra labores
Vita ferat, pacem Franco cum rege videtis
Compoſitam, quid erit ſi dulci flectere voce
Ipſe ducem poterit legatus, prælia nulla
Nullaque cernetis jam diruta mœnia, nulla
Militiæ lucra, & terram verſamus aratro
Nos ſterili. Ergo agite, mecum nunc eſſe velitis
Concordes, gladio pacis quicumque miniſtri
Diſpereant noſtro, jubeo & ſuſpendere ſilvis
Si quis captus erit, dum non dux ſentiat illud,
Præterea orator reverendus principis eſſet
Romani, placidas nec jam ducis applicet aures.
Nam ſi perveniet, ſilvas & ſaxa movebit
Eloquio ipſe ſuo. Præſertim quando patebit
Mens Leodina duci. Placuit ſententia cunctis.
Struſtæ ipſi inſidiæ. Ergo inventa fuit mulier veſtalis in Huio
Quæ narret, quotiens vellet legatus ad ipſum
Ire ducem, triginta equites bis ſorte paratos,
Et qui legato ſimulato occurrere honore

A Debent, mox illum & perimant, aut tempore longo,
Ne bellum impediat, tenebroſis claudere in antris.
Hæc ut Carmelis frater qui præſidet audit,
Legato ipſe refert, ſuadet ſcelus atque nefandum
Evitet. Ridens ſubito legatus ad ipſum
Borbonium venit, talique eſt voce loquutus:
Quo audito legatus Borbonio acerbe conqueritur. Hoc Burgunda phalanx meritum, pater alme, paravit
Nunc mihi, qui a tanto quondam diſcrimine tutos
B In Tungri feci, & ſervavi a cæde nefanda.
Hoc eſt officium, mihi talia præmia patta,
Scilicet ut ſævo cupiant me tradere letho,
Audi quid fertur: verum magis ipſe putavi
Hoc equidem, quoniam captos quos miſimus ipſi
Ante oratores Theobaldi ad caſtra, redire,
Jam longum eſt tempus, nequeunt, exſugere cunctos
Non ceſſat Theobaldus agros, Leodinaque rura.
Quin etiam curæ tibi ſunt diſcedere ad ipſos
Burgundos habitu mutato, & linquere ſolum.
C Tu ne ſperaſti, ut poſtquam ſpes ipſa ſalutis
Demta foret, ferro me gens furibunda neca-ret,
Aut ego Burgundo lacerarer milite totus,
Jam diſceſſiſſes? Leodina ſed agmina cingunt
Omne iter, haud portis poſſes incognitus ire.
Non recte egiſti, mirati ac deſine, ſi nos
Ignaro tutas te diſcedemus ad oras,
Et detecta omni populo fraus ipſa patebit.
Si conſanguineis veſtræ eſt ibi cura ſalutis,
Non æquum eſt cauſa noſtram contemnere vitam.
Borbonius verbis auditis palluit illis,
D Triſtior & loquitur; Numquam legate negarem Excuſat ſe Borbonius.
Vera tibi, a multis ſuaſus diſcedere ſæpe,
Conſenſi numquam: verùm decernere ſi quid
Optaſſem, prius ipſe tuo, pater alme, fuiſſem
Conſilio fretus, numquam diſcedere ſolus
Audebo ſine te, ſic juro, teque rogatum
Eſſe velim, populo Legio ne talia pandas.
Nam ſi & reſciret Moſæ mea corpora in undis
Jactaret, carus qui Voghelſanchus ad urbem
Non rediit, non ſcriba meus qui vaſtat & agros
E Nunc Legios Theobaldus; ego admiratus & omne
Duxi ſi quid magnum legatus credit; uterque
Sic & juratus ſe non diſcedere ſolum
Cauſa umquam quæſita aliquo ſeu forte colore,
Conjurant ambo ſimul hi diſcedere, ſi qua
Fata velint, ambo aut cœcas ſimul ire ſub umbras.
Carmelo hinc fratri dicta eſt res ipſa tacenda.
Ocyor interea ſancto ex Trudone redibat Robertus a legato miſſus
Robertus, nuper quem jam dimiſerat ipſe

versus S. Trudonem capitur.

Legatus, peterent Simo quid ſibi dicere vellet,
Qui vir Burgundi ducis ipſa arcana tenebat,
Quidve Umbercurtus bis denæ ad tempora lucis
Pollicitus Legiæ rediturum ad mœnia gentis,
Dum captus ſummis Tungris ſub mœnibus eſſet.

Creſtienacũ a Burgundis incenſum.

Vix Creſtienaci patuerunt culmina villæ,
Agricolas cernit fugientes atque ferentes
Ex flammis prædas, eſſent quicumque receptæ,
Natos atque boves & equos, mulas aſinaſque
Ducentes ſecum Leodina ad mœnia victos.
Cumque propinquaret villam, audiit ipſe ſonantem
Pectoribus pulſis cum femineo ululatu,
Burgundique ruunt, qualis cum ſepta luporum
Turba intrant, fugiunt pecudes balantque timore,
Ac ſaliunt tepidæ ſeſe & per ovilia denſant.
Jamque avidas cernit per ſumma cacumina flammas,
Ac fumum, intravit villam, mox captus ab ipſis
Burgundis, domino jam ductus & ipſe Philippo:
Quem Sabaudinæ miſere ad prælia tertæ.
Mox cum legati famulum noviſſet, ad ipſum
Ire finit, mandatque ferat de morte ſalutem,
Tum juſſit narret Legiis niſi nocte ſuprema
Illa occidantur, Burgundos luce ſequenti
Viſuros bello Leodinas denique gentes.
Jam mandata refert tutumque ſe eſſe putabat,

Capitur Simo famulus legati.

Cum rurſus ſævo Theobaldi a milite captus,
Et poſt terga manus vinctus ſic ductus ad ipſum eſt.
Poſtquam cauſa viæ narrata eſt ordine coram,
Scriptaque ſunt oculis Theobaldi viſa Simonis,
Devovet ecce Deum iratus ſanctumve Jacobum,

Diminuitur.

Et mala verba ferens, illum permiſit abire,
Velle etiam dixit quercus ſuſpendere ramis,
Si veniat rurſus, Legiis & plura minatus.
Interea rumor Legiorum perculit aures,
Creſtenam incenſam, bis quinque & millia ab urbe
Sunt egreſſa hominum, præparant noctiſque per umbram

Leodienſes in Burgundos irruunt.

Ad bellum; dulci non ſunt ſermone retenti
Sacri oratoris, mediæ ſed noctis ad horam
Congreſſi telis, plures ſtravere cohortes
Burgundas, alii Theobaldi ad caſtra redibant:
Aſt alii ſilvis condebant corpora in altis.
Pugnabant alii mediamque peregerat horam
Ipſe dies, vires Legio cum victa reſumſit

Vincuntur.

Burgunda, & miles Leodinus vincitur, olim
Non expertus equis, pugnare & caſſide fulva.
Nam bis mille equites Legios in prælia narrant
Burgundos & equos captos ad mœnia Tungris

A Duxiſſe, & quoniam numquam pugnarat equeſtri
Bello, nec poterat ſeſe exercere juventus
Militè cum aſſueto, Legii vincuntur ab ipſo,
Et dant terga fugæ, tum multa cadavera in agris
Paſſim ſtrata jacent, ad portas uſque ſequuntur
Burgundi Legios fugientes, altera Lantſin
Pars fugit ad Villam, & ſe nititur ipſa tueri.
Cepiſſet Legios fera tunc Burgundia muros,
Ni vertiſſet iter vicinæ ad mœnia Lantis.
Hic vero horrendum bellum Burgundia tota
B Se tulit atque alit quantum non vincere ulla
Arte datum, jungunt illis dextramque fidemque,

Landas in deditionem accipiunt Burgundi, & cõburunt, civibus interemtis.

Ut Lantſi excedant, cunctis præbere ſalutem:
Mox violant fidei juratæque numina divûm.
Fidentes capiunt atque omnes enſe trucidant:
Sic villam incendunt omnem, Leodina relicta
Corpora conſumunt flammis. Ea fama petivit
Tunc Legias aures, ſubitus dolor occupat omnes;
Pœnitet & belli facti, motique furoris:
C Multi neglecto monitu doluere precantis
Legati, ut bello nollent concurrere donec
Scire queant reſponſa ducis: nam pace petita
Forſitan ipſorum voto ſe flecteret omnem.

Leod. hac cæde deſolatos hortatur legatus ad pacẽ quærendam.

At ſi bella gerant, ira majore citatus
Non dubium Legias everteret impius arces:
Quin & Burgundos equites peditesque putarent
Pervigiles, ſtructaque acie pugnare paratos
Non ſomno captos, in Tungris mœnibus olim.
D Præterea hortatur Legiam tuerentur ut urbem,
Pacem æquam offerrent hoſti, nec bella movere
Inciperent, laribus proprlis obnoxia pellant.
Si vero Burgunda phalanx nec fœdera pacis
Oblata admittat, Lamberti numen adorent,
Auxilium & Chriſti, ſatius mala cuncta repellent
Numina, quam ſi nunc bello certur & armis
Extra urbem: poterunt refici non tempore longo
E Villæ, quas ductor vaſtat Theobaldus in agro
Nunc Legio, ſi quis mortalem reddere vitæ
Permittat. Verba hæc legatus præbuit auris,

At ſurdis canit.

Contemtoque illo, portam exiere furentes.
Et quoniam Arnoldus Johannes cœtus adivit,
Hunc cives Legii voluerunt tradere letho.
Ergo ſuos cœpere omnes damnare furores,
Multi præſidium rogitabant, vixque putabant

Tum ſubitus pavor ſuccedit Leodii.

Urbem intra tutos, aliqui fugere per undas
Fluminis, hos cepit ſeptemplicis inſula Moſæ.
Illi humeris bona cuncta ſuis pretioſa tulere,
Hi petiere aras, ſacra & penetralia divûm.
Hi vacuas linquere domos, deſertaque cunctis
Urbs modo viſa fuit; juvenis veniebat ad urbem

Saucius, ille omnes Legios ait esse peremtos,
Burgundosque intrare urbem portasque tenere,
Libera non mulier fuerit juvenesque senesque.

Legatus & Borbonius confugiunt ad templum S. Lamberti.

At legatus apud Lamberti altaria flexus
Borboniusque simul sacris precibusque fatigant
Numina; mox juxta Lamberti corpus ituri,
Turrim ascendebant altam, summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnes cernere gentes
Burgundas Legiasque datis, nox ipsa secuta
Reddidit hic tutos, orta sed luce videbant
Cedere Burgundos, remeare ad castra relicta.
Mox altis Legius quisque & descendere cœpit
Turribus, atque aliqui legati ad limina tendunt

Primates urbis orant legatus ducem adeat & emolliat.

Primates, dulci sed primus Amelius ore
Velrous loquitur; Quænam sententia nobis
Est melior, domini, de nostris cernite rebus.
Venit summa dies, nimium Leodina propago
Visa potens superis: properant incendere flammis
Burgundi, sævum nisi mollia verba tyrannum
Legati flectant. Igitur rogitandus ad ipsum
Ut vadat, tantæ & causam levet ipse ruinæ.
Sic ait atque omnes illius dicta probarunt.

Annuit modo unâ veniat Borbonius.

Tum legatus ait, si me concedere vultis,
Borbonius comitem nobis se adjungat, & ibo,
Quamvis verba ducis moneant vitare superbos
Burgundos, nostro Tungris factum omne putantes
Consilio, ingratis licet illis reddita nostro
Vita fuit monitu, nonnulli talia reddunt
Responsa, atque ferunt Legiæ non utile genti
Borbonium simul ire: quibus sic reddidit heros:
Magnanimi cives dum vos gaudetis, & altis
Vocibus egregium dominum cepisse sacrumque
Legatum fertis, neque creditis ista nocere
Vobis, sed certe magis est irata juventus
Hæc Burgunda: Puto quoniam si solus adirem,
Borbonio remanente, omnes verum esse putarent.
Ergo ut tollatur dubio de pectore talis
Error, consilium melius mihi credite rebus
Borbonium tantis comitem dabitisque ducemque.
Namque ubi dux illum spectabit, & sibi vanum
Quidquid erat dictum, prætentæ fœdera pacis
Ocius admittet, placitum dederitque precanti.
His dictis, anceps Legiorum cura manebit,
In ducis & regis venientis fama per urbem
Discurrit totam, lacrymæ fluxere per ora
Matrum & uxorum, manibus sua pectora tundunt.
Obstupuere senes, juvenes ad bella parantur.

Adventum regis multi causam esse ferebant
Pacis, nonnulli Leodinæ incommoda terræ.

Legatus & Borbonius eunt ad ducē.

Ergo legari placuit sententia tandem,
Et cum Borbonio ducis ipse est ire rogatus
Ad regisque aures animum & lenire furentis.
Jam cum bis quinis egressi civibus urbe,
Ante ipsas portas cernunt miserabile visu,
Ingentem in campo miserorum corpora acervum,

Miserum spectaculum.

Plurima quem ex variis mulier collegerat arvis,
Imbellesque senes, agnoscit quæque maritum
Vel fratrem, patremque suum, natosque jacentes.
Corpora volvebant cupientes ferre sepulchro.
Heu quantos gemitus fundit materque sororque,
Et conjux, cælum resonat plangoribus omne,
Et lacrymæ auxerunt currentis fluminis undas,
Non aliter quam cum pluviæ de montibus altis
Descendunt, aut cum nix est liquefacta calore
Phœbeo, & nitidis tellus madefacta pruinis.
Non tenuit lacrymas legatus imagine tali,
Borboniusque suas, nam cum procedere flentes
Pergunt, spectabant oneratis mortua ferri
Plaustris aut tergo fessorum corpora equorum.
Jam prope cernebant tumulum quo condita Lanthis.
Pene orbem Phœbus jam perlustraverat omnem.
Hic angusta via & depressa atque ordine longo
Plena cadaveribus fuerant, qui luce peremta
Præterita, foderent quamvis calcaribus ipsos
Semper equos, nequeunt tamen hi transire timentes
Corpora ni pedibus calcent, horrentibus ipsi
Naribus ecce fremunt, jam sic quingenta relinquunt
Corpora nec fœtor villa qui spirat in ipsa
Teter abest, hominum consumto corpore flammis.
Nec divertere iter poterant legatus & ipse
Borbonius; tandem est illis iter omne peractum,
Ante ipsam villam plures occurrere cernunt
Femineos cœtus, veniam pacemque rogantes,
Incensis tædis, subita benedicere dextra
Legatus cœpit, cum Lanthis præterit oras
Atque ad Borbonium tali sic voce loquutus:

Legatus a Burgundo metuens Leod. redire proponit.

Jam veniunt tenebræ noctis, custosque cohortis
Burgundæ exibit, miles si senserit ipsos
Nos sic errantes, forsan lædemur acutis
Telis, necnon parvo discrimine mortis
Vadimus, ipsorum sunt signa incognita nobis,

Quidve dies ferit; dimissus nuntius illuc
Plurimus a nobis, neque quisquam est inde reversus.
Quare aliquid monstri tractat THEOBALDUS in ipsis
Tunc castris, neque nos curabit reddere tutos,
Ut petimus, socioſque viæ, nec mittere contra
Ipse volet nobis, tuti possimus ut ire
Ad ducis eximias aures, pro pace petenda.
Et miror cur tanta tibi modo pondera rerum
Sumta, pater, Legia ut fis nos educere ab urbe
Ante ausus, scires quam tu certa agmina contra
Ventura, & tutos ducis ipsa ad castra vocarent.
Non tenebras cernis, non & discrimina nostra
Certe es sollicitus, sese turba obvia ferret
Nobis Burgunda & securos duceret omnes.
Huic ergo Arnoldus Johannes ante remissus,
Milite cum multo, qui nos comitatus ab urbe,
Ne bellum genti, cum gens foret obvia in armis,
Tunc fieret; quare melius repetemus iniqua
Nocte urbem Legiam, melius vel mœnia ad ipsa
Trajecti tendemus iter. Pauca ipse pudore
Borbonius loquitur, ventura atque agmina rursus
Trajectum contendit. Asserit: ipse tamen legatus mœnia adibat
Trajecti, famulusque viam monstravit habendam
Tylmandus Tungris fuerat qui mœnibus ortus.
Sequitur Borbonius. Borbonius dubiis sequitur mox passibus illum.
Victa pudore fuit mens ejus, flamma relucens
Schindelim interea exustæ monstrabat eunti
Ipsa viam, placuit villam concedere ad ipsam,
Et expectare aliquem, si posset noscere, vel si
Notus ab his esset, diverso ex colle patebat
Altera flamma ipsis, homines per castra videbant
Huc ire atque illuc, tunc sunt occurrere visi
In mediis campis, tenebris & noctis opacæ
Bis seni telis equites plenaque pharetra
Armati. Audito legati nomine ab ipsis
Borboniique simul, quoniam responsa dabantur
Fida satis, dominos læta mox voce salutant.
Aquibasdam comitibus deprecatis in villa Elchin perducuntur. Tunc ad vicinam, quæ fertur nomine villam
Elchis, perducunt: erat hic Fredericus & alter
Varnerus germanus adest, quem misit Aquensis
Urbs equidem, quæ nunc mutato nomine cunctis
Fertur Aquisgranum, dominos novere simulque
Mirantur venisse illæsos noctis in umbra,
Decretum quoniam Burgundis gentibus esset
Omnes a Legia venientes protinus urbe
Interimant visos, nullo discrimine facto.

Jamque exemta fames posito Bacchoque ciboque
Mensis, & placidam cuncti cepere quietem
Stramine in herbarum, patriæ de more vetusto.
Jam prope lux aderat, rediit Montarchus ad ipsum
Borbonium, fuerat qui nuntius ad ducis aures.
Et clam ter loquitur, miratur Honofrius illud,
Quin Arges dominus cum jam lux clara diei
Milite cum multo sedem properabat ad illam:
Continuo huc accedunt præfecti exercitus. Inter quos Theobaldus erat, fraterque Philippus
A Sabbaudia qui venit maximus ora.
Mox & Borbonius legato dixit: Eundum est,
Occurramus, ait, tantæ, pater alme, cohorti.
Quisque suum conscendit equum, temerarius Argi
Occurrit dominus primus, cui dextera juncta
Legati, sed non est usus quamlibet olim
Verbis, cum Brugis fuerant in mœnibus ambo.
Jamque aliis ducibus pergunt occurrere, quando
Captivi abducuntur famuli legati. Captivos famulos legati nuntius affert,
Et prædas Argis factas a milite sævo.
Tunc ad Borbonium sese convertit, & inquit
Legatus, numquid tuus hic affinis ut hostis
Est Arges nobis, famulos quia perfidus ipse
Captivos fieri nostros mandavit? at ipsi
Ipsum hortatur Borbon. ut se dedat. Borbonius reddit: parcas, pater alme, necesse est
Huic te commendes, famulis cumque omnibus ipse
Captivus fias, vir nostræ est ipse sororis,
Non melior quisquam, nec talis ceperat, hospes.
Quod si te ductor manibus Theobaldus haberet,
Tamquam fautorem Leodinæ gentis & hostem
Tigribus Armeniis truculentior ipse voraret.
Olli subridens legatus: maxima nobis
Sunt tua verba, pater, si sanæ es mentis, & ista
Pectore funduntur vero, non talia nobis
Hesterno sunt dicta die, cum ducere ab urbe
Spondebas Legia tutum. Si talia sciissem,
Haud mecum exisses Leodina ingratus ab urbe.
Sed volui inde exisse simul, ne perdere posset
Illusam postquam se gens Leodina videret.
Ipse autem nequeo cuiquam me credere, firmam
Nec junxisse fidem, majestas quando Latini
Pontificis misit Pauli, tum sacra potestas
Sedis apostolicæ, si qua est injuria nobis
Illata, haud potero me nunc fortasse tueri:
Sed facile est ducibus summis & fortibus unum
Invasisse virum, lino non casside tectum.
Quid miles nobis ignobilis esse timori
Debeat ad prædam pronus, verum esse fatemur,

Sed neque fautorem Legiorum ducere poſ-
ſunt,
Dum bona templorum ſacri quoque jura
tueri
Pontificis ſtatui: ſed quid juvat iſta referre,
Et toties narrare mihi? ſi forte neceſſe eſt
Deditionem facit domino de Argis. Me (ut dicis) fieri captivum. Et talia fatus
Dextræ Argis dextram adjungit, captumque
fatetur,
Nec ſe ceſſurum niſi dux mandaverit addit.
Hoc Arges ſuaſit, ne ductor major adeſſet,
Et ſibi captivum vellet Theobaldus habere.
Borbonius ducibus Burgundis obvius ibat.
Aſt Arges Jecoræ legatum ad flumina ducit,
Kineccham & villam dictam, tentoria ha-
bebat
Juxta ipſam, & late miles ſua commoda cepit.
Huc etiam famuli capti ducuntur ab Elche,
Poſtquam legatus caſtris eſt ipſe receptus
Et ſpoliatur. Cum famulis, Argis miles ruit omnis in ipſos,
Et prædatur equos, quæcumque & commo-
da habebant.
Principis orator ſacri ſe vertit ad illos
Mox equites dicens: Hæcne eſt cuſtodia rerum
Noſtrarum noſtrumque ſimul, ſic optima
cura
De nobis, inquit? prædo ſe finxit amicum,
Atque lupus teneras pecudes vorat: impro-
bat omen
Tunc ſermo, quidam nobis optime crede,
Mente bona eſto, inquit, quoniam tibi cuncta
ſuperbi
Reſtituent ablata viri. Reſpondit at illi
Legati que- Orator: Legiam cum nos eximus urbem,
telæ. Ire ducis fuerat placidas mens omnis ad au-
res:
Nunc tamen impedior, nobis noſcatis ut
omnes
Spem velim, Auſoniis ſi nos eſſemus in oris
Res hæc vana meas pluſquam percelleret
aures,
Ad Belgas rurſus, regna & Burgunda redirem.
Et mundo has fraudes hominum linguaſque
loquaces
Jam notas facerem, cupiunt qui perdere ho-
norem
Sedis apoſtolicæ; ſed qualis cura fuiſſet
Burgundæ & Legiæ gentis, quam mira Latino
Pontifici, atque ſuo legato, flumina ſcirent
Et maria & ſilvæ, ſi quiſque a Gadibus uſque
Gangem habitat, ſi quem mundi regit axis
uterque,
Conſilium interea caſtris fiebat, & Argi,
Dicebant multi: legatus ſolvere poſſet
Quinquaginta auri nummorum millia ſolus,
Sed bonus ut domino tanto ſis filius olim,
Quinque & viginti ſolvantur millia tantum.
Talia jactabant duo cum venere rogantes,
A Theobal- Legatus dominus Theobaldum nomine adiret
do accerſitur. Ductorem, quoniam non ipſe relinquere
caſtra
Tunc poterat, quando Leodinis luce ſequenti
Bella movere viris juſſus: prius ergo volebat
Scire a legato, necnon a civibus ipſis
Qui cum legato ducti ſunt milite ab Argis,
Quid Leodina duci Burgundo turba referret.
Tunc ne legatus peteret tentoria ſummi
Ductoris ſuadet, prætendens ſpemque fi-
demque
Et juſſa expectare ducis, valde ipſe monebat
Arges, ſed veritus conceptam perdere ſum-
mam
Mente animoque ſuo, ſic & Theobaldus ab
ipſis
Faucibus eriperet, ductorque ut primus ha-
beret.
Addebant alii, tenebræ cum noctis adeſſent,
Non ſine fallaci Theobaldus mente vocavit,
Scilicet ut tradat te dextra incognita letho,
Inviſuſque lupis lacereris noctis in umbra.
Verum ubi legatum vidit concedere velle,
Et blandis mentem nullis ſe poſſe movere
Vocibus, adjunxit tres ſe permittere tantum
Reſtitui famulos comites, nec reddere plures.
Orator, quamvis ſua mens vexata dolore eſt,
Quod linquit famulos, lacrymis tamen ore ſe-
vero
Temperat, & tales effundit pectore voces:
Arges ipſe tibi junxi dextramque fidemque,
Me numquam injuſſu ducis his diſcedere
terris.
Quid juvat ergo meos famulos retinere do-
lentes?
Sed fac quod libitum eſt, famulorum quiſque
rogabat
Duceret ut ſeſe præſertim. Tuccaris altis
Collibus exortus, Tuderis Matthæus, & alter
Manlia quem terris generarunt mœnia Tuſcis.
Flumina quid narrem lacrymarum hinc inde
cadentum?
Quidve animi curas, mœſto tunc reddidit
ore
Orator: Veniant æqua qui ſorte legentur:
Ne vexate animum noſtrum. Tunc ſortibus
ipſis
Quatuor electi, & legatum ad caſtra ſecuti
Ricardus primus teneris nutritus ab annis,
Legato & carus, diſpenſatorque relictus.
Heu dominum numquam ecce meum magis
ipſe videbo
Infelix fueram cunctis qui
Linquor captivus, ſaltem mihi ſcire liceret
Ire illum incolumem Theobaldi ad caſtra
furentis,
Illæſumque fore, aut ipſi comes unus adeſ-
ſem
Dum caderet, vitam & cum ſanguine fundere
poſſem.
Bis ſum Teutonicas illum comitatus ad oras,
Bis Belgæ Trevirque ſimul jam lumine viſus.
Heu! quid agam? noſtræ jam ſpes eſt omnis
ademta
Fortunæ. Tales fundenti pectore voces
Turba omnis miſerata fuit; jam caſtra videbat
Orator magni ductoris lucida flammis.
Tunc Arges multo comitatus milite blandis

Fruſtra erat deterret D. de Argis.

Eumque dimittit cum tribus famulis.

Et comitantur. Alloquitur verbis: Cur ſis, pater alme, vocatus
Suſpicor, inſidias aliquas tibi forte pararunt:
Sed prius ipſe meis totis cum millibus atræ
Occumbam morti, quam te ſic ædere poſſint.
Et fortaſſe fuit verum, multa agmina contra
Obvia venerunt tenebras per noctis opacæ:
Sed veritus comites graſſator & agmina longa,
Jam Theobaldus adeſt, atque Umbercortus, & ipſe
Eum duces exercitus cū Borbonio ad caſtra perducunt. Borbonius, clara legatum voce ſalutant.
Mox in caſtra illum multo ducebat honore
Ductor, & excuſat cur non iviſſet ad ipſum.
Tum ſeſe ad Legios convertit (Amelius unus
Captivos alloquitur Theobaldus. Primus erat,) cives, quæ ſit ſententia poſcit
Ipſorum, quoniam ſeſe accepiſſe ferebat
Inſidias illa Leodinos nocte paraſſe.
Ad tenebras igitur noctis ſeſe ipſe fugandas
Incendiſſe domos villarum & culmina dixit.
Scilicet ut melius ſic noſtra ad caſtra venire
Et flamma monſtrante viam me cernere poſſint.
Te vero caveas poſt hac recitare magiſtrum. (a)
[a] Et Borbonius. Borbonius fruſtra jactat quoque ſemina pacis,
Ortus Francorum generoſo ſanguine, & alto
Ipſe duci junctus, pro quo ſua pectora morti
Expoſuit totiens dux, & conſumſit honores
Fortunaſque omnes, bona cuncta, & ſubdita regna,
Dum Legios armis voluit domitare rebelles.
Nunc iterum cum ſint hoſtes, ſedare furorem
Ipſius fruſtra ſperet, nec principis ipſe
Orator Latii poterit mulcere verendus.
Det veniam nobis, equidem non fœdera pacis
Accipiam a vobis, alias non denique leges
Nota duriſſimam ſententiā Borbonii. Ipſe dabo, niſi vos, urbem, bona, corpora, campos,
Atque animam arbitrio ducis eſtis ſubdere promti.
Judicium gladius cum craſtina fluxerit hora
Ipſe feret, flammis urbs primum exuſta peribit,
Et cives capti perimentur, templaque ſacra
Nec metuent violare, Dei incendetur imago,
Et ſpoliis lætus miles Burgundus abibit,
Et nuptæ innuptæque ſimul teneræque puellæ,
Et viduæ manibus rapientur denique noſtris.
De legati captivitate queritur Theobaldus. Quid facere orator? jam te ſtultiſſimus Arges
Captivum facere eſt auſus, diverſaque finxit,
Te tenuiſſe ad ſe, ne ſcilicet ipſe venires
Subjuga noſtra, pater, captivus rebus ademtis
Inde datus letho, citius me numina perdant,
Crimine quam tanto maculetur dextera noſtra.
Et doleo ulciſci & cupio, quam. Talia poſtquam
Dixerat, audebat ſæva invaſiſſe ſecuri
Argen, ni monitu manus eſſet nuda virorum
Magnorum. Mox eſt illius territa voce

(a) Erat hoc anno Amelius magiſter civium. Hic juſſu ducis Trajecti capite plexus eſt, de quo valde doluit legatus qui ſalvum illi conductum dederat.

A Turba omnis, multa ſuaſere ut Amelius ipſe
Omnibus annueret, dum ſors eſt nubila, dictis.
Arbitrioque ducis jam commendaret habenas
Belgarum & Legiæ gentis, veniaque petita Amelius pacem proponit.
A dominis, primum flexit ſe Amelius illis
Atque ait? Inſignis ductor clariſſime & armis,
Quem dux Burgundus digno exornavit honore,
Ac ſceptrum tantæ legionis præbuit uni,
Nos pacem optamus, ſed non inventa coacti
Inferimus bellum: volumus quæcumque petiſti
B Nos facere, atque ducis nunc noſtra relinquere cuncta
Arbitrio, dominus ſi vobis conſulat iſtud
Borbonius, necnon legatus, maxime ductor,
Quis dominis ſemper paret Leodina juventus?
Quid vero nomen damnaveris ipſe magiſtri
Impoſitum nobis? non contra eſt fœdera legum
Veſtrarum, ſic me teneris vocitavit ab annis
Gens Leodina olim, nec credas nomen honoris.
C Dixerat, & dictis legatus ſubdidit heros:
Inclyte vir, quoniam de me nonnulla locutus, Oratio legati acerba.
Indignum reputo nullas adjungere voces,
Quamvis me videam rapidis dare verba procellis,
Certe equidem fateor domini fortiſſima regna
Magnanimique ducis non parvus epiſcopus ipſum
Legatuſque ſuis poſſent ſubmittere votis.
Sed minus eſt æquum Latii ſubmittere jura
D Pontificis, Legiæ vel gentis ſubdere templa.
Nec puto ſubmittent, niſi cogat forte tyrannus
Sponte ſua; verbis poſſum nunc jura tueri
Pontificis tantum, ſi digna potentia nobis
Nunc eſſet, fateor, loquereris mitia mecum
Verba magis, neque dux Leodinas perdere gentes
Auderet gladiis quas nunc optavit habere,
Cum ſua jam poſſint ſine cæde & ſanguine jura.
Perlongum eſt tempus, cum mœnia diruta vidi
Hæc Legia, & ſtatui jam tunc diſcedere longe.
Sed neque paſſa fuit mea ſors aut numina cœli.
O rem crudelem, miſerandaque mœnia triſti
Evertenda die, quam neſcius ipſe videris
Cur ſim captivus dictis nolo credere veſtris.
Tum ſe convertit ſcelerati ad militis ora
Qui ſcribæ jugulo gladium fuit ante minatus
Scriptaque diripuit legati & ſigna ſuperbus,
Nummorum & loculos ſellæ quos ante gerebat
Suſpenſos, fuerat Latiis qui dictus ab oris
Tranſque Padum natus, nobis haud ſanguine noto;

Sed dum captus erat, ſe finxerat eſſe nepotem
Legati, ergo ipſi tumidus verba aſpera movit
Raptori orator Theobaldus ductor, & iram
Omnia ſedabat promittens reſtituenda.
Jam fando venit ſtellis aurora fugatis,
Et belli ſignum cunctæ videre phalanges,
Atque armata cohors vertenda ad mœnia tendit.

Arges legatũ vult ducere a: Burgundim.

Tunc Arges alta jactabat voce querelas,
Quod facile orator heſterna nocte fuiſſet
Ereptus, quem jam captivum fecerat ipſe.
Ergo illum repetens Burgundas ducere ad oras
Velle inquit, ſi quis contra pugnaſſet habebat
Strictum enſem, & telo vulnus mortemque minatur.

Quod legatus abnuit.

Tum ſacer orator, quid me, inquit, ducere ad urbes
Diverſas tendis? poſtquam tibi dextera juncta
Noſtra fuit, nolle & Burgundis cedere caſtris
Pollicitus tibi ſum, niſi dux permiſerit, olim.
Me tamen ecce prius poſſes in fruſta ſecare,
Quam tecum veniam, niſi nobis littera conſtet
Mandatumque ducis; noli turbare rogamus.

Umbercurtus ſtat pro legato.

Aſt Umbercurtus verbis ſuadere benignis
Tentat, ut evitet tantum ſcelus impius Arges,
Sacrilegi oſtendens hominis collidere tantum
Sedis apoſtolicæ legatum, & principis almi
Miniſtrum, negat hic, demum concurritur armis.
Borbonius tantos medius ſedare furores
Nititur, ex auro ſpondebat millia nummum
Bis dena, atque ipſe orator facer annuit; ergo
Arges diſcedens Leodina ad prælia tendit.
Legatus cernens non tuta ſede relictum

Legatus e caſtris diſcedit.

Seſe diſceſſit caſtrorum; forte timebat
Ne ex more armis flammiſque ſedilia perdat
Quæ fo vocitant parvis circumdata foſſis.
Ergo Burgundas comitatur & ipſe cohortes.
Tunc Umbercurtus juſſus mox inclytus atque
Borbonius petiere ducem, quæcumque fuerunt
Acta prius narrant: ubi ſunt ad caſtra reverſi,

Facta ipſi a duce poteſtas abeundi reſtitutis ablatis.

Exponunt doluiſſe ducem quod ceperat Arges
Legatum, atque ipſi ſi qua olim ablata fuerunt
Reſtitui juſſiſſe aiunt; ſed flumina Moſæ
Conſilio ipſe ſuo melius tranſiſſet ad oras
Teutonicas, ne quis ſceleratus lædere poſſet.
Sic liber factus legatus rettulit illis:

Exponit Umbercorto motus Leodienſ. ut ſolveretur ipſe cum Borbonio.

Jam luce heſterna, cum prima crepuſcula noctis,
Exiviſſe hominum Legiorum millia dena,
Atque Hoyum petiiſſe adverſo flumine Moſæ
Fama fuit, ſubito ductores terruit omnes
Veſtros, & galeas miles ſibi quiſque paravit,
Ceteraque arma humeris mox quiſque accommodat enſem.
Diſponunt vigiles, ſpeculator plurimus exit,
Et jam vix mediæ noctis proceſſerat umbra,
Cum Legii invadunt Burgundia caſtra furentes,

Me primum repetunt cupientes ducere ad urbem
Borboniumque ſimul, tamquam non jure retentos.
Te quoque poſcebant promiſſo tempore qui non
Ecce redis, captus fueras dum ad mœnia Tungris.

Ipſum etiam Umbercurtũ a civibus repetitum.

Ergo ingens clamor caſtris eſt ortus in ipſis.
Quiſque ſuos armat ductor, cœcoque furore
In Legios vadunt auſi contemnere vitam,
Et glomerare manum, bello cœpere furentes.
Et Leodina cohors poſtquam videt eſſe paratos
Hoſtes, ac numero plures, convertit ad urbem
Cauta pedes, portas ſeſe intra inlæſa recepit.
Necnon Burgundi repetunt ſua caſtra timentes.
Ipſe ego dum fugerent, vellent ne perdere flammis
Sum veritus ſedes, ſolumque reducere ad urbem
Tentarent noſtræ ſub tanta pericula vitæ.
Interea legatus fuerat qui plurimus exul
Junctus Burgundis, partes ducis atque ſecutus,
Dum Burgunda phalanx poſcit, Quis vivat? inepte
Bourbon reſpondit; viſus ſic proditor eſſe eſt,
Atque urbi Legiæ & patriæ præbere favorem.
Tunc ego ni monitis ſedaſſem corda benignis,
Hinc atque inde omnes crudeli morte periſſent.
Talibus auditis, ſtupuerunt pectora magni
Tunc Umbercurti, Legiorum jura petita
Perfidus erubuit, paret ſed denique juſſis

Accit ipſe Umbe curtus ad pugnã.

Ipſe ducis, ſomno reficit ſua pectora laſſus,
Inferat ut bellum Legiis jam luce ſequenti.
Jamque dies aderat, collatis undique ſignis,
Se legio agglomerat, Burgundus ductor habebat
Quinquaginta hominum Theobaldus millia:

Numerus militum.

ſecum
Ibat tota phalanx, & cogebatur in arctum.
Haſtatos pedites ordo nam primus habebat,
Balliſtaſque ſimul; tum plurimus additur illi
Arquitenens & equis pernix defertur, & iiſdem
Sedibus ipſe manet; nam qui bellantur ab ipſo
Quadrupede exiliunt. Sequitur mox tertius ordo
Milite cum multo medio conſiſtere cornu
Ductores ipſos belli & vexilla videres.
Bis bis ſena cohors, hominum duo quæque tenebat
Millia, quæ currus numero bis mille ſecuti,

Numerus curruum.

Et pleni victus, tum plurima machina belli,
Major ſive minor portatur curribus illis,
Quos bis ſena trahunt magnorum millia equorum.
Legatus, quamvis potuiſſet tutus abire,

Legatus exercitum ſequi optat.

Se

Se tamen huic genti comitem præbere vole-
bat,
Caſibus ut tantis populos pater ipſe labantes
Eriperet, poſſetque ægris conferre ſalutem.
Sed quoniam ſequitur non agmina paſſibus
æquis,
De pace tractare geſtiebat cũ duce. Ipſe ſibi jungi ſocios ex agmine poſcit,
Qui poſt extremas ducant ad bella cohortes,
Eloquio ſperans animum mollire furentis
Ipſe ducis, placidæ & conjungere fœdera pacis.
Jamque videt Legias victrix Burgundia portas,
Legatuſque ducem cupiebat cernere magnum,
Affarique palam, lætæ & dare ſemina pacis:
Commoda ſed populis Stygiæ invidere ſorores
Tanta, expectatus non dux ad mœnia greſſus
Dirigit ecce ſuos, licuit nec tendere ad ipſum
Verum adire ipſum non potuit. Legato, octavam differt ad mutua lucem
Colloquia. Interea miles Burgundus ad ipſas
Bella gerit portas; hiraldus namque redivit
Ad cives miſſus pacis pro fœdere agendo;
Rettulit intraret Theobaldus in urbem,
Et quadringentos equites inducere poſſet,
Nec ſine Borbonio & legato, ad fœdera pacis.
Præterea pacem nolebat Theobaldus. Hoc quamvis eſſet multum, tamen ipſe negarat
Ductor, & in Legios direxerat agmina muros.
Non ipſi placuit fieret concordia: tradunt
Belli illum cauſam, taliſque fuiſſe ruinæ.
Si pius orator placidi veniſſet ad ora.
Tunc ducis, haud Legiæ gens eſſet perdita terræ.
Ergo Publicolæ proles cum cerneret omnes
Armatos, placidæ & non ullam ſpem eſſe ſalutis,
Quo viſo ab exercitu recedit. Conſtituit tanto mœſto diſcedere bello,
Ne cædes hominum tantas cum ſanguine fuſo
Conſpiciens, cæcis macularet pectora curis.
Neve ſuo bellum multum prætenderet eſſe
Illatum merito, ductores gentis adivit
Burgundæ, & cauſam diſceſſus finxit, inermem.
Se famuloſque ſuos tanto in diſcrimine lethi.
Non tutum eſſe igitur miſeris conſidere terris,
Utque duos jungant heraldos ipſe petebat,
Qui tutum optatam poſſent reducere ad oram.
Denegat hoc primum legato ductor uterque:
Verum ubi cedentem extremo ipſum tempore cernunt,
Parent ductores illi, faciuntque petita.
Mirantur plures nimium quo tempore pergat,
Et Tungrim multi credunt concedere, multi
Multi dicebant eum ultionis cauſa intraſſe Leod. Clam Legias portas ſubiturum nocte putabant,
Scilicet armaret Legionum pectora bello,
Rurſus & ulciſci cupe et quicumque pararunt
Inſidias, ipſum & captum voluere teneri.
Sed Trajectũ ſe recepit. Aſt is Trajectum per multa pericula venit,
Quatuor & famuli, reliquos jam detinet Arges

A Captivos, dominum cum hyraldis forte ſequuntur.
Sed poſtquam veniunt optati ad marmora pontis,
Heraldi introitum poſcunt, luduntur ab ipſis
Civibus, atque aiunt legatum morte peremtum.
Sic & fama fuit, ſic noluit credere vivum;
Sed poſtquam facies detecta eſt, agnitus illis.
Sublatus propriam in ſedem, pons ipſe redivit.
Legatum admittunt, cantant miracula ſancti
Ipſum Lamberti tutum feciſſe probantes.

B

LIBER VI.

DIvidit hic turmas dux belliger atque cohortes,
Borbonio mandans juſta ratione nepoti,
Terreat ut Legiam primis aſſultibus urbem.
Ah! quanto fuerat melius ſervare miſellos,
Et patria tutare manu: pugnatur utrimque
Fortiter, aggreditur noctu regemque ducemque
Nunc Leodina phalanx, reddit quoque plurima letho
Corpora; Burgundi ſed non moriuntur inulti.
Urbs capitur, ſubeunt hoſtes, araſque cruore
C Conſœdant Legio, quis talia volvens
Temperet a lacrymis? tandem quoque fluxit in ignes
Maxima Belgarum & gloria prima, tueri
Quam nequiens Latius orator perpete curſu
Ad Capitolinas ſe confert triſtior arces.

JAm ter quinque dies fuerant, quibus ordine laxis,
Contigerat Phœbus caudatum ſcorpion, ecce
Nuntius ad dominum Burgundum miſſus, ad almum
Nuntiatur legato Leodii excidium.
D Legatum rediit, Legiæ poſt mœnia gentis
Everſa, & caſtris ubi non invenit, oberrat:
Denique Trajectum, ſumtis inſignibus armis
Pontificis Pauli velox allabitur, audit
Vivum eſſe, ac ſedes ipſius tutus adivit.
Hunc ubi legatus perſpexit, talia fatur:
Cur tam ſerus ades, voluiſſem mittere ad urbem
Te Legiam, ut poſſes ipſorum bella referre.
Nam ubi ductoris Theobaldi caſtra reliqui,
Trajecti & famuli rediere ad mœnia noſtri,
Non ultra cupidas quicumque pervenit ad aures,
E Nec potui quemquam fidum dimittere ad ipſos.
Tunc ſic illa refert: Serus, pater alme, redivi,
Et non parva moræ cauſa eſt, ipſe dolebis.
Namque ubi crudelis Theobaldi caſtra petivi,
Te Legios rurſus cives adiiſſe ferebant.
Mox ego te quærens ſubii temerarius urbem,
Inter pugnantes atque inter prælia ſæva.
Noſtræ cauſa viæ narrata eſt ordine cunctis.
Mox te reſpondent in caſtris eſſe putantes;

Quod ſi non eſſes, Burgundis forte peremtum
Credebant telis. Igitur me turba rogabat
Quærere deberem, mox illis ipſe referrem.
Quod ſi tu caſu morte atque oppreſſus acerba
Eſſes, tum meritum munus ſolviſſe volebat,
Conſtruere e pario tumulum tibi marmore dignum,
Ornare atque votis fulvo ſplendentibus auro,
Ut quem pro Legiæ es paſſus, pater alme, ſalute
Gentis, perpetuus teſtis foret ipſe laboris.
Necnon pontificis PAULI, ut prudentia mundo
Nota foret, talem Belgas qui miſit ad oras
Legatum, has miſero fundebant pectore voces.

Leodii expugnatio & excidium.

Magnanimi interea concurrunt fortibus armis
Burgundi, atque urbem capiunt, & mœnia terræ
Tota æquant armis, vidi regemque ducemque
Accinctos; alii confictum nomine regem
A duce dicebant, ut terror major inſſet
Tunc populo, regis ſed mens miſerata ruinam,
Traditur ad patrias remeaſſe inglorius oras.
Ipſe autem veſtræ cupidus, pater inclyte, vitæ,
Teutonicas fueram certe venturus ad urbes,
Si dubio hoc ipſas periiſſes tempore terras;
Sed non ante datum Leodinam linquere ſedem,
Quam tota eſt manibus Burgundis diruta viſa.

Legati luctus.

Dixerat; indoluit legatus talia poſtquam
Audivit, veluti genitrix cum natus ad oras
Diverſas abiit, mox nuntius advenit, ipſum
Extinctum referens; fit ſaxea tempore in illo,
Et fari nec lingua poteſt, tum ſolvere crines
Incipit, & magnas voces ad ſydera tollit.
Se ſpargit lacrymis, & tundit pectora dextra,
Crudeles divos, crudelia ſydera clamans.
Haud aliter verbis legatus palluit illis.
Mox & ſuſpirans trahit imo a pectore verba,
Fortunam incuſans, infernæ ac numina ſedis.
Quæ ſors eſt? inquit, fragilis quam vita putanda
Eſt homini? fuerat Belgarum gloria prima
Urbs Legia, atque ipſam tremuerunt æquora gentem
Et montes flexere caput, nunc perdita tota eſt.
O quantum eſt tenui ſuſpenſa potentia filo!
Nobilitaſque omnis, quam verſo numine Parcæ,
Et fortuna ſuis jaculis evertit ab imo,
Adjunctum paci Legiæ non profuit ullum
Pontificis ſtudium, non illos cura laborque
Ipſe meus juvit: non eſt fallacibus auris
Quicquam credendum; potuiſſem forte juvare
Cum rex auxilium Francus ſeſe ipſe daturum
Pollicitus nobis, necnon ſe velle venire
Accitum, & Legios jam noſtro denique cives
Nunc hoſti faviſſe putant, fortaſſe fuiſſet
Tunc melius Legiis adjungere gentibus ipſum:
Sed princeps Latius juſtis vult vincere, verbis
Non movet arma meis, quin & fortaſſe timendum,
Ne rex ſe dominum faceret. Sic paſtor ovili
Ut lupus inſidias feciſſet dentibus aſper.
O miſeri cives! quæ vos adverſa ſubegit
Fortuna, & damni quantum dedit ipſa Latino
Pontifici, immerito periit Leodina juventus.
Quid referam Auſoniis, ſi princeps lumine noſtro
Umquam cernetur? repetam ſi & mœnia Romæ,
Qualia Burgundæ gentis nos facta feremus?
Nunc equidem fatear verum, ſi morte fuiſſet
Urbs ſervanda mea, voluiſſem fortibus armis
Dextera me letho potius Burgunda dediſſet.
Poſtquam animum explevit juſta pater ipſe querela,
Nec mora longa fuit, mandavit nuntius idem
Narraret totos Legios ex ordine caſus.
Tunc Albertus ait, lingua clariſſimus unus

Narratio Alberti nuntii de ruina civitatis.

Moribus atque probis: Quas me, pater optime, mandas?
Haud fine nunc lacrymis poſſum memorare ruinas:
Sed quoniam poſcis, narrare ex ordine cuncta
Incipiam. Fuerant vix a te caſtra relicta,
Quæ juxta muros urbis portaſque locata,
Illuc applicui, res omnes ordine vidi.
Principio in partes legio dividitur omnis,
Quiſque urbis ſedem vertendam acceperat armis.
Borbonio atque Arges & Bergæ contigit una,
Atque Umbercurto quæ ſpectat flumina Moſæ.
Ad portam ſancti Leonardi nomine dictam,
Multi ex Germanis dominis ſunt illa ſecuti
Agmina. Borbonius primus dare prælia juſſus,
Scilicet auctoris tanti præſentia juſtum
Monſtraret bellum; ſed quando in prælia venit,
Juſſis narratis, lacrymarum flumine vultum
Humectaſſe ſuum, mœrens creſcentibus uvis
Agricola ut vitem teneram reſecare coactus,
Ipſe ſuum populum contra direxerat arma,
Cum nondum totum Phœbus circumdedit orbem.
Prælia durabant, quamvis jam tertia noctis
Hora eſſet; Legiæ ſeſe defendere gentes
Non ceſſant, quamvis murorum magna fuiſſet
Diruta pars, quondam quæ læva eſt tendit ad Auſtrum.
Aſt ubi gelidas quæ pars conſurgit ad Arctos
Dextera diviſo ſe monte attollit in auras,
Et cincta eſt muro qui tendit ſeque reflectit
Uſque Leonardi ad portas & flumina Moſæ,
Hic inter montem & flumen via dicitur extra
Urbem, quæ Aſtallum villam protenditur uſque,
Anguſta, ut currus gemini vix inde vehantur.

Spectari unde potest medio sed plurima villa
Quæ nuper gentis Burgundæ castra tenebat.
Forsitan, alme pater, melius loca cognita vobis.
Jam quisque a bello revocaverat agmina ductor,
Et lassus dubio dederat sua corpora somno.
At Legiæ gentes per amica silentia noctis
Clivum conscendunt, quisque & supereminet, inde
Erumpunt sævos facto mox agmine in hostes,
Tormentique sono terrent, clamoribus atque
Horrendis, VIVANT LEGII, dixere, simulque
VIRDURA; & vox hæc erat illis tessera belli
Scilicet, & nemorum fuerat quibus agmen ab umbra
[a] Dicta, vel a vestis viridi (a) vocitata colore.
Sed non ut quondam dixerunt nomina regis,
Nota de rege Francorum. Qui modo fautor erat, nunc ipsis advenit hostis.
Improvisi adsunt, vastant Burgundia castra.
Tum vero indomitum potuisses cernere Martem
Atque ducis sæva totos a cæde cruentos.
Multi ex Burgundis, & quos Germania misit
Ense cadunt, multique fugæ sua terga dederunt.
Duo millia Burgundion. ceciderunt & mille Leod. Jam duo Burgundæ gentis sunt millia cæsa
Et mille ex Legiis, quid corpora saucia narrem?
Vulnera quid referam? fuerat Burgundia victa
Et patrios mœsto repetisset pectore fines,
Berges ni eloquio fugientes nobilis ipsos
Verba Johan. *Berges* ad exercitū. Frenasset tali: Quo vos fortissima quondam
Quo fugitis Burgunda cohors? infamia tanta
Vos perimet, & quidquid laudis fortuna dedisse
Narratur, parva vobis omne auferet hora:
Quandoquidem melius Legiis occumbere campis,
Atque oculis spectare hostes ac fronte minaci
Nobis, quam patrias victos discedere ad oras
Turpiter, atque humeros monstrare sequentibus ipsis.
Invitum, fateor, me tanta ad prælia duxi,
Et sæpe pacem suasi, sed quando gerendum
Mandavit bellum populo dux inclytus ipsi,
Et jam sunt acies congressæ, dextraque dextræ,
Atque arma armis certant, pudor ecce negabit
Ipse fugam. Ergo agite, & Legiis ostendite pectus.
Namque ubi sunt vires, quibus usi in mœnibus istis
Vastandis, Dinanti olim ne plurima gesta
Enarrem vobis? his dictis movit habenas,
Inque hostes direxit equum, funalia monstrant
Vincentius de *Buren* cædes agit. Bellantem: contra venit Vincentius heros
De Bures nunc hos, nunc hasta interficit illos.
Ast *Berges* rigidum torquens in pectore telum,

(a) Viriditentorienses.

A *Perfregit tegmen, Burgundis, numine verso,*
Additus est animus, redit in præcordia virtus,
Victoresque cadunt Legii, rursusque redivit
De Bures dominus, fronte percussit & hasta
Hinc bellatores, ruit ictu saucius illo
Ad terram sonipes, & pulsat calcibus auras.
Tunc superincumbunt Legii, sed maxima turba
Burgundæ gentis tentat defendere Bergen, Johan. de *Berges* vulneratus graviter.
Qui tunc quadrupedis casu sua membra dolore
Nec levat, extinctus duroque fuisset ab hoste,
Ni sua turba ipsum strictis defenderet armis.
B Stultior huc Arges, huc Umbercortus adibat,
Arnoldus Legios inter celeberrimus omnes Et Johan. Arnoldus.
Ductor adest unus, quem turpi vulnere fœdant
Burgundi, dextra venientem in prælia; forti
Namque Umbercorto primum datus obvius inquit,
Perfide quid Legiis confligere gentibus audes? Verba Arnoldi ad Umbercurtū.
Num Tungri per me quondam tibi reddita vita
Legato suadente mihi? num captus adire
Ipse ducem, & sanctam populis suadere quietem
C
Pollicitus? num tu bis denæ ad tempora lucis
In nostrasque manus, in nostraque jura redire
Umbercurte fidem dederas? sic fœdera discis
Servare in Legios, ut scilicet agmina mūros
Armaque perducas, ac ausus vertere bello.
Perfide num pudor est? tua spes frustrabitur omnis.
Interea validus telum contorsit in hostem.
Ast Umbercurtus jacuit resupinus, & ipsum Umbercurtus vulneratur.
Suscipiunt socii, ne sævo rursus ab hoste
Captus, & ad meritas veheretur denique pœnas.
D Tum crura atque caput grandi ter saucius ictu
Vix fato ereptus, vix est in castra reductus, Et Arges.
Nec minus is simili fuit Arges vulnere læsus,
Cum Berge a bello lectica fertur in una.
Arnoldus cernens tot saucia corpora ferri,
Sæviit ipse magis, medius dilapsus in hostes,
Et multos Stygium Burgundos mittit ad orcum.
Denique trunca manus fuit illi dextera, & armis
Confossus multis, media inter corpora cæsa
Sanguine profuso sese projecit ad urbis
E Ipse suæ portas, extinctum finxit & esse
Isque ubi pugnatum, sua quisque in castra receptus,
Reptabat pedibus, lævaque per arcua tandem est
Ingressus, vigiles postquam novere, tulerunt
Ad proprias ædes illum. Sed vita reliquit. Arnoldus ex vulnere accepto finito prælio moritur.
Postera cum reddit clarum mortalibus orbem,
Mox dignum cives omnes statuere sepulchrum

Manibus, & meritos ſanctis dicavit honores
Turba omnis, caſſum ductorem lumine deflet,
Et patriæ fidum, Delii nec nomina laudum
Tanta tulere olim, nec Codrus tantus Athenis.
Interea extinctas curat Burgundia gentes
Ipſa ſuas; nondum fuerat ſol clarus in orbe,
Mandarat ductor Theobaldus corpora cuncta
Burgunda in gelidi jactari flumine Moſæ,
Ne cum ſpectaret defuncta cadavera paſſim,
Cetera pars gentis Burgundæ forte timeret.
At Legios campis defunctos ordine latis
Mandavit linqui, tererentur curribus, utque
Civibus horrorem Legiis præbere valerent.
Pars aut ex ipſis fuerat quæ vulnera paſſa
Invadit famulos veſtros, pater optime, caſtris
Detentos Argis Legios namque eſſe putabat,
Ni Deſiderius cuſtos defenderet armis,
Horrendo & monitu tegeret vel tegmine veſtis,
Atque habitu Franco letho certe ipſe dediſſet,
Reſtitui quamvis tibi dux injunxerit ipſos,
Et res ablatas omnes: tamen ipſe remitti
Arges noluerat, forſan quia neſcius olim
Hujus erat ſedis, quæ te, pater alme, tenebat:
Jam ſolus fuerat dominus cum fœdera ſacræ
Borbonius abeunte legato tractabat pacem, ſed tarde.
Borbonius pacis rurſus tractare volebat.
Conſulit admittant cives ducis agmina in urbem,
Datque fidem innocuis cunctis removere periclum.
Sed non dicta facit, nam movit filia noctis
Jam ducis & regis Leodina ad mœnia curſum.
Et jam Nobreſſam villam gens magna tenebat,
Diſtantem a Legia quingentis paſſibus urbe.
Noctis erat medium terris, & ſomnus habebat
Burgundos, Legiis ducibus ſed maxima cura
Conſiliumque fuit Burgunda invadere caſtra.
Atque ducem & regem captivos ducere ad urbem,
Perdere vel ferro, ſi dux velit ipſe tueri,
Et nulla optatur Legiæ concordia gentis.
Ergo aliquot peditum diſponunt millia, & armis
Omnia ſe accingunt, aliquos ad caſtra videnda
Dimiſere prius, quique explorare valerent,
Quo foret inſultus peragendus tempore, & illis
Sunt data ſigna quibus reliquos ad caſtra vocarent.
Miſſi ſunt igitur octo viri, queis maxima linguam
Cura fuit, ſtudiumque ſimul prænoſcere mores
Gentis, & adveniunt regis tentoria primum
Leod. venjunt ad tentoria regis & ducis.
Atque ducis: circumlate loca flamma tenebat,
Ne gelidæ frigus noctis, ne læderet umbra,
Feminei cœtus ad Bacchica munera ſedent.
Quales cum ſolito ſunt caſtra ex more ſecuti
Diſſimulant Legii, Burgundos ſeque ferebant
Eſſe, & ab excubiis ſeſe finxere reverti,
Ac duo diſcedunt, ſociis & ſigna dedere.
Tum quædam ex illo digniſſima femina cœtu
Ad ſociæ tales voces direxerat aurem:
Hos certe Legios ſoror ô cariſſima duco
Eſſe viros, ficto qui ſic ſermone loquuntur,
Et regem atque ducem fortaſſe invadere pergunt.
Altera reſpondit verum eſſe, & clamat; at illam
Mox jugulant, illa veriti ne voce paterent
Inſidiæ, tandem ſtricto mucrone peremtæ
Jam fuerant fœve, vicina in ſtagna timentes
Proſiliere aliquæ, quarum clamore jacentes
Excuſſi ſomno cuſtodes regis, & arma
In Legios vertunt, ipſoſque a cædibus arcent,
Poſteriore domo dum rex emiſſus, & alto
Cum duce ſuſceptus tutas ducatus ad oras,
Atque alios ſocios, cuſtodum corpora fida
Bis ſena interimunt Legii, dum forte ducentes
Vulnera dant aliis, ſed poſtquam eſt excita totis
His Burgunda cohors armis, Legia ipſa receptat
Gens ſeſe, miſeram & victrix remeavit in urbem.
Votum ducis.
Tunc dux in ſummo fertur diſcrimine rerum
Voviſſe, ire pedes, facerent ſi numina tutum,
Ad Majæ templum, quod terra Picardia quondam
Condidit, inque urbe eſt quæ dicta Bononia Galiis.
Vulnere jamque ducis ſanato, in caſtra reverſi;
Conſilium de invadenda urbe.
Et fit conſilium melius quo tempore poſſint
Invaſiſſe urbem. Tunc Umbercurtus adivit
Atque ait, audito regis ſermone duciſque,
Magnanimi proceres, nec vos puto præterit omnes
Quanto odio Legiis olim mea vita futura eſt,
Si vincant. Igitur vertendæ maxima cura
Ipſius eſt vobis, mihi ſi vos creditis, ipſam
Haud alia meliore via cepiſſe licebit,
Quam ſi dum templis orto jam ſole dabuntur
Res ſacræ, una omnes intrabimus agmine facto.
Tum ſacris intenti omnes precibuſque fatigant
Numina; luce ſolent molli dare membra quieti,
Sed bello vigiles urbem ſub nocte ſilenti
Curant, non umquam molli ſua lumina ſomno
Nocturna experti ſi nos invadimus hora,
Haud ſine Burgundæ capietis ſanguine gentis.
At ſi intrare placet poſt orti lumina ſolis,
Dum præbent mentes intenta & pectora ſacris,
Nec multus nimis cuſtos, nec prælia credunt
Ulla dari a nobis, facile eſt invadere cunctos,
Atque omnem cepiſſe urbem ſine cæde tuorum,

Maxime dux hominum, nec me Leodina repoſcet
Perfidiæ ad pœnas gens, nec tentoria regum
Atque ducum audebit ſævis invadere telis.
Eligat ipſe ſibi partes reſcindat & urbis
Quiſque tuæ gentis ductor, cum fluxerit hora
Craſtina, & audito certet clangore tubarum.
Sic ait, atque duci placuit ſententia, dicto
Invaditur. Tempore mandavit ſe quiſque accingeret armis.
Ergo dies ſolis dum mundo clara redivit,
Et populus Legius celebrat ſolemnia ſacra,
Gens Burgunda petit Leodinam, fortior ædes
Cum multo ſubiit Leonardi & milite portam.
Cetera forte cohors, ut juſſa eſt, ordine partem
Ipſa ſuo miſere expugnandam acceperat urbis;
Antonius baſtardus primus procedit. Sed ducis egregias acies ANTONIUS armis
Clarus procedit, generatus patre Philippo
Caroli & frater, cuſtoſque ante additus ipſi.
Sequitur Theobaldus. Moxque ducem ſequitur ductor Theobaldus & auctor
Sævitiæ tantæ, necnon & Montis-acuti.
Dux Sabaudiæ. Conſequitur dominus. Poſt hunc ecce Philippus
Regna Allogrogicis fuerant cui clara ſub oris.
Umbercurt. Hunc Umbercurtus ſequitur, genteſque Picardæ
Et vexilla, ſimul ſubit atque exercitus Argis:
Radolphus Raveſtein. Ultimus eſt cuſtos ducis ecce inſignibus armis
Raveſtes dominus, natuſque ſorore Philippi
Olim defuncti ducis & Clivenſis honorus
Germanus. Facto cuncti ſimul agmine cives
Invadunt Legios, rectarum & ſtrata viarum
Multi ante ingreſſi ceciderunt vulnere duro,
Ante domos etenim ſeu limina forte domorum
Additus eſt paries, & multa foramina in ipſo
Reſpiciunt portam venientia ad agmina in urbem.
Vaſtatur civitas ferro & igne. Addita parietibus ſtat ferrica machina, & igne
Admoto, intrantes exit pila ſaxea in hoſtes,
Et perimit multos, reliqui denſo agmine pergunt.
Tot non ſaxa tamen poterant, tot ſpargere glandes,
Quot ſubeunt homines. Igitur Burgundia victrix
Lamberti cepiſſe forum lethoque dediſſe
Innumeros fertur, multi vidiſſe furentem
Francorum regem crucis atque inſigne ferentem
Tranſverſæ Andreæ ſancti, qua maxima pubes
Burgunda induitur. Dicunt, ſi credere dignum,
In medio clamaſſe fori: Burgundia vivat,
Vivant Burgundi ſtricto & ſimul enſe ruentem.
Tunc omnis populus ſeu vir ſeu femina adivit
Templa, quibus ſacras voces audiret, & almi
Spectaret corpus ſuperum rectoris; in urbem

A Dum veniunt hoſtes, Lamberti quiſque ſacerdos — Nec ulla fuit ſacrorum ratio.
Accepit ſacros libros conſultat & ire
Obvius armatis, ſecum ſanctaſque volebant
Relliquias, Chriſti & corpus portare, crucemque:
Sic hoſtes fieri placidos, & pectora credit
Mollia, nonnulli ad ſacra altaria flexis
Incipiunt genibus ſanctiſſima dicere verba.
At Burgunda phalanx ruit implacabilis, ipſas
Fundit humi effigies, argentum ſurripit aurumque
B E loculis, tandem ſacra ante altaria mactat
Sæva virum ſacrum, cives mox vadit in ipſos.
Principio perimit quicumque acceperat arma — Nemini parcitur.
Contra Burgundos in Tungris mœnibus olim,
Sedibus inque aliis quocumque in prælia geſſit
Supplicio afficitur, vivo nec parcitur ulli.
Namque magiſtratus mox pulſavere ſecuri
In Moſam, atque omnes jactatos lumine vidi.
Bis denos quotiens homines ſpectavimus uno
Fune manus Moſæ in flumina poſt terga revinctos
Jactare, & multos vidi pendere feneſtris — Triſte ſpectaculum.
C Arboreaque cruce, & talis data cura miniſtris
Officii fuerat ſummis. Duo millia vidi
Merſa hominum in Moſam, totidem & data corpora letho
Aut haſta aut gladiis, quin & ſuſpenſa relinqui
Corvis, aut ſi qua eſt talis quoque gutturis ales,
Inſatiabilibus, poſtquam aut ſiccata fuiſſent
Eſſe relicta lupis; ſed quid de plebe feremus?
Quem finem tulerit pauper miſerandaque turba?
Nam licet abfuerint bello, pelluntur ab urbe
D Ædibus & propriis, redimi quia corpora ſumma
Non poſſunt parva, miſeris tum rebus ademtis
Pro ſumma ad veteres facta ducuntur amicos:
At ſi non caris ſubito redimantur amicis,
Corpora jactabant miſeranda in flumine Moſæ.
Nonnulli inſignes pietate animoque verendo,
Quam vis Burgundi, fieri dum talia cernunt,
E Hos redimunt propriis nummis, miſerantur & ipſos,
Atque ſua ſceleri cupiunt obſiſtere ſumma.
Multi ubi ſe redimunt rurſus capiuntur, & idem
Se redimant opus eſt; ego terque quaterque redemtos,
Sancte pater, vidi: Plures qui ſolvere nummum
Non poterant unum, Moſæ jactantur in undas.
Nec puero atque ſeni, juveni nec parcitur ulli.
Femina quæ veneri fuerat non apta repulſa eſt

Urbe ſua, & domibus latis errabat in agris,
Et ſilvis, prægnans collapſa puerpera nocte
Frigore & ipſa ſitu eſt, urſiſque lupiſque relicta,
Cumque ſuo eſuriens fœtu laniata remanſit.
Viſceribus laceris, pars corporis ecce reperta eſt.
Vidi equidem fortas percuſſas vulnere ſævo
Innumeras, manibuſque ſuis ſua viſcera ferre
Extra alvum emiſſa, & magno cecidiſſe dolore.
Nonnullæ quoniam villarum tecta ſubire
Non poterant, peperere ſuos ad flumina fœtus;
Et ſi quæ fuerant forma præſtante puellæ,
Aut nuptæ, aut viduæ, quæ connubilia vota
Non umquam expertæ, ſubito rapiuntur ab ipſis.
Quiſque ſuam miles ſorte accipiebat iniqua,
Vis illata virginibus ſacris. Jungebat ſævis invitam amplexibus ipſam.
Sed nec ſacrilegæ parcunt veſtalibus illa
Dextræ hora, rapiunt & virginitate remota
Subducunt ſacros habitus; nec parcere templis
Ji voluere, pater, manibus ſacra vaſa feruntur
Prædonum, & calices, Mariæ violatur imago
Et Chriſti primum, veniunt ad limina ſancti
Denique Jacobi, ductor Balduinus in ipſis
Pugnabat portis, ardens nothus ipſe Philippi
Olim Burgundi ducis & nunc bella ſecutus
Fratris erat, ſedes audiverat ille fuiſſe
Jam pater alme tuas, Legiis dum in manibus eſſes,
Credebatque tuum argentum & bona cuncta relicta
Spoliantur legati ædes. Sedibus eſſe illis. Igitur loca cuncta retexit,
Abdita corripuit, primum dextra impia veſtes
Ipſa tuas, necnon fuerant quæcumque relicta,
Et quæ dimiſerant famuli. Poſtque omnia viſa
Pauca ſibi cepit, Jodocum nomine ſacrum
Cuſtodem templi ſuadet fateatur in ipſis
Cuncta abſconſa locis, ſtricto & fuit enſe minatus:
Ille negat, ſed non Balduinus credidit; ergo
Et templa. Detexit cunctas templi mox ipſe cavernas
Et tumulos: multi cives poſuere ſepulchris
Argentum atque aurum, necnon & ſerica vela,
Et veſtes habituſque ſuos, Tyrioſque paratus.
Omnia Balduinus rapit, & partitur in omnes
Ipſe ſuos ſocios. Vix libris parcitur ipſis
Templi, vix ſtatuas divûm, ſanctaſque reliquit
Relliquias, libros multi, & ſacra vaſa tulerunt,
Exceptis illis templi quos marmora celant.
Ecce ad Martini veniebant templa furentes
Burgundi, ſacer ipſe chorus conſultat adire
Obvius, atque crucem venienti oſtendere turbæ:
Scilicet ut Chriſti divûm ſanctiſque figuris
Perſpectis fierent Burgundæ mollia gentis
Pectora, ut ipſa viris deberent parcere ſactis.
Tum quædam ex ſacro digniſſima femina cœtu
Eſt affata virum, dixit, Pater ipſa verende,
Per Chriſtum rogito tantis defende periclis

A Me ſociaſque meas, & ſerva, namque putabat
Relligione ſacris veniam mox eſſe ferendam
Illa viris, poſſetque alios reverentia cultus
Divini ſervare homines; ſed fallitur: Ipſi
Burgundi invadunt, captivus & ipſe ſacerdos
Factus erat, mulier ducta eſt ob turpia quæque.
Vidi ductorem Theobaldum
Qui ſacros homines, nullo diſcrimine facto,
Non paucis nummis redimi cogebat avarus.
Liber erat ſi quis poterat tunc ſolvere ſummam,
B Solveret aut ſi quis ſorte fuiſſet amicus,
Ut tamen a propria foret exul ſede ſacerdos.
Si quis inops fuerat, diverſas miſſus ad oras
Donec ſe redimat; libros & ſacra jubebat
Ille rapi ex adytis, nulli violare timebant
Divinas facies, Theobaldi inſania tanta eſt
Ductoris, quo ſic audet rapere omnia miles.
Interea mediam diſcurrit turba per urbem
Burgunda & Legii fugiunt ad templa verentes.
Nonnulli audaces ſtrictis mucronibus obſtant
Atque alii ad proprias ædes fugere tueri
Si fortaſſe queant, aliqui media ipſa tenebant
Urbis pugnantes, ſed telis denique victi
C Miſſilibus, fugiunt ad ſacra altaria, flexis
Procumbunt genibus, tamen hos Burgunda ſagittis
Gens Lyciis ſequitur ſacras & mactat ad aras.
Parte alia certant ductor Vincentius alter
Vincentius de Barra. muſtam inſert cladem. Nobilis Urſeno fuerat qui ſanguine cretus,
Et ſplendor gentis Legiæ, nec linquere ſedes
Ipſe ſuas ſtatuit, niſi dura cæde peremtus
In Moſam detur: Pugnabat tectus honoro
Tegmine, & haſtato ſimul hoſtes enſe fugabat.
Hunc contra veniunt centum fulgentibus armis
D Burgundi, & ſævis vexabant ictibus, ille
Sicut aper canibus circumlatrantibus omnes
Diſſipat, atque haſta terret vultuque minaci
Jam dederat letho multos. Goſvinus adhæſit
Ac ſuadet fugiat; Ductor clariſſime, dicens
Quid juvat infeſtis patriam defendere telis?
Jam urbs everſa eſt Belgarum gloria prima,
Et cives fugere omnes, dementia certe eſt
Velle mori, quando ſervari poſſumus ambo
Cum ſociis noſtris, neque non prodeſſe valemus
Ultra urbi Legiæ, quid ſancti limina Pauli
Et plateam tueamur? ait: Dyoniſia templa
Sunt capta, atque Crucis necnon & Bartholomæi.
E Jam Burgunda phalanx Johannis ſuſtulit omnes
Relliquias, ſancti & Martini; conſulo nobis
Linquamus patriam, Lamberti templa feruntur
Capta duci & regi, nec ſpes eſt ulla ſalutis.
Ni ſilvæ Ardennæ loca nos occulta petamus.
His dictis motus Vincentius agmine facto
Linquit certamen, ſilvas utque antea petunt,
Multi ex nobilibus cives comitantur, & urbem

Octingenti equites, peditumque millia lin-
quunt
Forte decem, propriæ sic consuluere saluti.
Nota feritia Theobaldi. Interea rapidus Theobaldus templa petebat
Lamberti, & prædæ sævus dare cuncta parabat.
Carolus jubet ut a sacris ædibus abstineatur. CAROLUS at contra scelcratis ipse repugnat
Ense viris, prohibetque a templo brachia gentis
Ipse suæ, & populum violentis comprimit armis.
Nam quamvis Legios cupit omnes esse peremtos,
Non tamen in sacras ædes & numina divûm
Audebat quidquam, Burgundos voce monebat
Altisona: Templis jubeo vos parcite sanctis,
Ulciscuntur enim lento pede numina sacra
Omne nefas. Nam dum Carthago incensa fuisset,
Nudaretque Deum larium Romana juventus
Dextra cæsa fuit, miracula clarus Apollo
Tanta dedit; quidnam dicam Proserpina quando
Ulta fuit facinus? Voluit nec Scipio solvi
Carcere Postumium; Siculi quid facta tyranni
Commemorem? Sed vos Christi qui tempore forsan
Exempla adveniunt petitis, nec plurima fando
Enumerare velim; sancti damnaverat unus
Vitam Augustini, sed lingua atque ora fuerunt
Obtusa illius, potuit nec dicere verbum.
Et ne nunc vobis sint longe exempla petita,
Ipse Arges noster fuit autus ducere captum
Legatum, felix quantum si posset adesse,
Casibus his urbis, non causa est altera certe
Vulneris ipsius. Monco vos ergo cavete,
Heu vos polluti, manibus contingere sacra
Et sacrilegos aliquot milites manu sua interimit. Lamberti: sando multos sic percutit ense,
No mullos perimit. Sic & præsentia templum
Tanta ducis servat, mandatque Antonius armis
Sit custos, clarus nothus & ducis ipse PHILIPPI.
Dicuntur multi voluisse attingere corpus
Lamberti, & spoliare auro, sed numine viso
Miracul. in S. Lamberti. Mox cecidisse, diuque omnes sine mente fuisse.
Matrona interea Lamberti fugit ad aras,
Atque hæc exemta æque fuit, natæ comitantur & ipsam,
Ac neptes, lacrymisque cadentibus inficit ora.
Non tamen abstinuit miles sceleratus, ab ipsis
Subduxit templis, natas neptesque superbus
Indignum facinus. Corripit, & spolium mox virginitatis ademit.
Illa ubi prospexit non læto lumine talem
Effigiem, pavefacta inquit, Te numina perdant
Et medium scindant a cœlo fulmina missa,
Te lacerent angues, ursi, laniere lupisque
Vir scelerate, meas qui natas polluis isto
Infandum pacto, & coram violare puellas
Matre audes; si quæ tibi sunt natæ atque sorores,
Hoc patiantur, idem videas, & pectore mœsto
Ipse tuo nequeas illis præbere salutem.
Jam cecidere mei fratres, ceciditque maritus,

A Felix qui natas moriens castamque reliquit
Uxorem, nec me possunt nunc ecce tueri
Nec nos defendunt sacra hæc altaria divi
Lamberti, dubio petii quas tempore, & aræ:
Certe ego credideram venientibus ordine fatis,
Sævitiam tanti ducis esse in pectore nunquam,
Ut sineret casta spoliare dote puellas,
Aut si qua effigies sacras amplexa fuisset,
Ad turpes usus inde esset virgo vocata.
Vos rogo, Burgundi, pietas si mentibus istis,
Cædite me ferro, vitamque auferte, neque istas
Aspiciam sordes, miseram cur numina servent
B Matrem, num vestris famulatum ducere vultis
Conjugibus; veniam dedero, sævissime miles,
Si vitæ natas nostras tunc auferet ensis,
Meque prius, turpis ne nobis vita superstes,
Neve urbis Legiæ videam mœsta ipsa ruinam.
Sic ait, ex illis quidam miseratus in ipsam
Ensem direxit, ductor sed talia passus
Non erat, & famulam matrem dimisit ad oras
Burgundas sævus, natas prostrare coëgit.
Mox alii subeunt, ædes intrare relictas
Non dubitant cupidi, nequeant argentea vasa
Si rapere atque aurum, non illic saxa relinquunt,
Disjectasque trabes; sed postquam cuncta furentes
C Diripuere viri, fuerat victoria plena
Burgundis ducibus; tamen inde abscedere nolunt,
Ni ferro & rapidis vastentur mœnia flammis.
Ergo concilium rebus de talibus actum
In Trudone fuit, sapientibus urbe vocatis Diæta Trudonensis.
Bruxella, an gladiis deberent mœnia verti,
An melius servare foret. Sententia magni Dux voluisset servare urbē.
Certa ducis fuerat, Legiam servasset & urbem,
Quippe suo magnam promisit nomine summam
Berges, ne tantam dux ipse everteret urbem:
D Sed Theobaldus adest ductor, qui consulat Contra Theobaldus suadet.
illam
Vertendam, ac monstret rationibus utile multis.
Nam postquam admissus fuit in secreta locutus
Hæc est ante ducem: Generose ac inclyte ductor,
Carole Burgundæ non ultima gloria gentis,
Spes & militibus nostris, nec credere debes
Nos suadere tibi quæ regno incommoda vestro.
E Gens fuit, & quotiens notum est, Leodina rebellis,
Milite cumque tuo gessit crudelia bella,
Vastavitque tuas villas, atque oppida flammis.
Nunc hora ulcisci est, nunc est delere potestas
Ipsam, nec fidos tibi credas esse futuros,
Si quando has ædes repetent & mœnia tuti.
Est opus ut nidos laceret, qui pellere ab agris
Optabit propriis propriaque ex arbore corvos.
Quin urbs pontifici est hæc subdita tota Latino,

Nec retinere licet, juſte ſervire tuoque
Imperio nolet, nec ſub juga noſtra venire.
Audebit potius quam longa hæc vita manebit
Exilium perpeſſa ſuum; ſi tempora dentur
Apta ſibi, titulo ſque ſuos, meritique triumphi
Nomina delebit, Burgunda & mœnia bello
Ipſa petet rurſus, cunctos vaſtabit & agros.
Adveniet miles cunctis e partibus orbis,
Direptum fines noſtrûm & Gallica regna.
Præterea quando ſervari juſſeris ipſam,
Gratia nulla tibi, potius ſortaſſe timore
Te ſervaſſe ferent, nec gens Burgunda probabit,
Scilicet ex illo quo tempore diruta pulchri
Mœnia Dinanti, non umquam præmia cepit
Digna ſuis meritis; at ſi Leodina peribit
Urbs, certe laudes æterna & nomina facti
Accipiet Burgunda phalanx, æternus in orbe
Dux Burgundus erit, cunctæ gentesque timebunt.
Hæc ait, auditis conſenſit CAROLUS illis.
Ædes omnes ſacris exceptis funditus evertuntur. Tota cohors etiam cunctas mandavit ab imo
Verti ædes, templis juſſit vix parcere divûm.
Tunc reliquos urbis muros reſcindere juſſa,
Et totas ædes legio Burgunda parabat.
Rex Francor. revertitur in Franciam. At Franci regis mens eſt miſerata ruinam,
Indignamque oculis regalibus æſtimat, ipſos
Linquere Burgundos, ad Gallica regna redire
Apparat, & mœrens Leodina ceſſit ab urbe:
Atque volente duce, & ſecum fuit iſta locutus:
Sævit atrox nimius Legiorum in mœnia dutor
CAROLUS, exceſſit nimium medicina modumque:
Sat fuerat populum pepuliſſe a mœnibus ipſis.
Quid prodeſt veteres urbis reſcindere muros,
Atque ædes æquaſſe ſolo? ſic fatus ad oras
Divertit patrias. Burgundi ſcandere tecta
Incipiunt, manibus trabes devolvere ab alto
Culmine tectorum, pulchra & laquearia fulvo
Tecta auro rutiloque, & ferrea vincula laxant
Marmora, quæ dederat quondam ſaxoſa Caryſtos,
Atque Paros, jaciunt ex altis cuncta feneſtris,
Æquabant terræ ſumma de ſede columnas,
Africa quas Legiis, ſeu florens miſit Hymettus,
Dixeris infernæ collecta huc mœnia ſedis,
Omnia dum rapiunt Burgundi incenſa ferunt que
Mœnia, tam fuerant oculis & pectore læto.

Proh ſcelus! urebant rapientibus omnia flammis
Culmina, & ex ipſis aufertur ſedibus omne
Quod ſupereſt muris, aptum ſive ædibus eſſet,
Atque ad Burgundas illud dimittitur oras.
Linquitur haud ullus lapis, & mandare liceret
Jam ſegetes terræ, fuerat qua nobilis ædes,
Abſtulerat quoniam ſæviſſimus omnia miles.
Innumeros terra currus, & flumine naves
Spectavi plenas opibus, nec pondera tanta
Quadrupedes portare queunt, vidi ipſe columnas
Marmoreas ferri, & ſtatuas pulchroſque leones
Ære laboratos, auroque animalia fulvo.
Vidi aquilas plures, & quæ ſonuere metalla
In templis, ferri ad naves, & maxima plumbi
Pondera & argenti fuerant quæ ſedibus ipſis
Templorum, ex vitro ſecumque tulere feneſtras,
Corripitur lampas, lychni ſacrique feruntur.
Vix capiunt naves oneratæ pondera tanta,
Et veſtes Tyrias alio ſeu vellere factas.
Quid vaſa argenti numerem fulgentis & auri?
Quid lapides memorem quondam ex Oriente petitos?
Quis gemmas virides, vario & fulgore rubentes,
Purpureaſque ſimul niveique nigriquecoloris, Variæ ſpecies gemmarum.
Seu varii, atque auro lucentes dicere poſſit,
Quas illi curru portant, quas abiete plena,
Myrrhina nec deerant vaſa & criſtallina in illis
Manibus, ad villas vicina atque oppida miles
. . . . . .
Ornatuſque thori varios, quæque ipſe ruinis
A Legiis rapuit, vili dabat omnia ſumma,
Immenſo quamvis pretio eſſent illa parata.
Hæc ego, ſancte pater, ſpectavi haud pectore læto;
Sed poſtquam abſumta eſt flammis urbs tota, receſſi,
Te dominum & quærens, Trajecti ad mœnia veni.
Talibus auditis, tecta in ſecreta reductus
Principis orator Pauli, rapit anxia mentem
Cura viri, & nullo patitur requieſcere ſomno.
Multa gemit, nec ſe potuiſſe obſiſtere fatis.
Cogitat ergo duci jura oſtendiſſe Latini
Læſa patris, nec ego Legiorum mœnia vaſta
Indigne, atque ipſum parvo poſt tempore adivit.

LIBRARIA REGIA FINIS

INDEX
RERUM ET VERBORUM
HUJUS VOLUMINIS

A

Aaron abbas, 518. a.
Abantes legatus ducis Burgundiæ ad papam, 1387. c.
Abbates non mitrati, 1293. a.
Abbates canonicorum, 506. b.
Abbefinus abbas, 518. c.
Abbo epiſcopus, 149. c.
Abſtinentia a carnibus, 1153. d. 1135. a. b.
Acconis deſtructio, 353. d.
Adæ abbati S. Trudonis committitur abbatia S. Laurentii, 1108. c. 1109. c.
Adacharus dux Bohemiæ fit rex, 566. d.
Adalardus vir nobilis, 1168. a.
Adalbardus comes. 518. c.
Adalbero ex primicerio Metenſi archiepiſcopus Trevirenſis, 182. c. 197. c. Ejus geſta, 198. a. Opes & potentia, 198. d. Eccleſias gravat, 198. e. Lotharium in eccleſia comitatur, 199. a. Magingeri corpus Parma transfert, 194. d. Legationis officio decoratur, 199. b. Conradi imperatoris ſit amicus, 199. c. Copias ei miniſtrat adverſus ducem Saxoniæ, 200. b. Conradum imperatorem & Henricum ducem Saxonum reconciliat. 200. c. Abbatiam S. Maximini recipit a Conrado, 200. d. Pro papa Innocentio opponit ſe Lothario imperatori, 201. b. Ab Innocentio ſuſpenditur ab officio, 201. c. Reſtauratur & ſubjicit ſibi adverſarios, ibid. Plures munitiones comitis Namurcenſis ſibi ſubjicit, 202. a. Comitem vincit & fugat, 202. d. e. Pacem ei concedit arbitro S. Bernardo, 202. e. Eugenium III. papam Treviros venientem ſplendide recipit, 203. a. & ſeq. Concilio Remenſi intereſt ac privilegia eccleſiæ ſuæ confirmari procurat, 204. b. Bellum cum Hermanno Palatino agit, 205. a. Teſtamentum condit, 207. b. Moritur, 207. c. Ejus funus, 207. e.
Adalbero Metenſis eccleſiæ epiſcopus, 186. c. 928. d. 1036. a.
Adalbero abbas S. Vincentii Laudunenſis ordinatur, 955. c. Ejus genus illuſtre, ibid. d. 959. d. 960. b. & ſeq. 965. c.
Adalbero præpoſitus S. Paulini Trevirenſis, 159. b.
Adalbertus Bremenſis archiepiſcopus, 188. e.
Adalbertus archiepiſcopus Moguntinus Brunoni Trevirenſi infenſus, 188. a. Ab imperatore in carcerem retruſus, 188. b. Fuit Apoſtolicæ ſedis legatus, 191. e.
Adalbertus ſcholaſticus S. Matthiæ ſcribit de Geſtis Trevirorum, 144.
Adalbertus tyrannus, 160. c. occiditur, 161. c.
Adalbertus comes, 518. b. 1168. b. 1173. c.
Adeboldus epiſcopus Trajectenſis, 865. c.
Adeladis comitiſſa Araleonis filia Theodorici ducis, 934. c. 935. a.
Adeladis comitiſſa Chiniaci, 930. d.
Adelais regina, 507. c.
Adeleida mater Brunonis archiepiſcopi Trevirenſis, 186. b.
Adelardus abbas Andaginenſis, 921. e.
Adelardus abbas Epternacenſis, 460. b. 506. b.
Adelardus junior comes abbas Epternacenſis, 507. a.
Adelardus abbas S. Trudonis, 1067. d. 1068. a. 1072. a.
Adelbertus comes, 177. c.
Adelbertus comes *Dagesburg*, 566. d.
S. Adelinda Auguſta, 461. d.
Adelelt abbas, 518. a.
Adelo advocatus S. Huberti, 956. e. 957. a.
Adelwinus archiepiſcopus Colonienſis, 532. a.
Adilbertus archiepiſcopus, 518. c.
Adilgerus epiſcopus, 517. d.
Adilhelmus abbas, 518. c.
Ado abbas Epternacenſis, 460. b. 505. c.
Adolphus archiepiſcopus Colonienſis Ottonem elegit & conſecrat imperatorem, 225. a. Ab Ottone IV. imperatore recedit & deponitur, 226. a.
Adolfus *de Atenoë* archiepiſcopus Colonienſis, 557. d. 558. a. 566. e. Erga Noveſium beneficus, 523. Deponitur, 566. b. Succedit ei Bruno IV. 567. c. Ei Nuſſia datur, 567. d.
Adolfus de Marcha epiſcopus Monaſterienſis fit archiepiſcopus Colonienſis, 587. d.
Adolfus princeps Leodienſis, 585. d. 1110. c. 1266. a.
Adolfus *de Waldek* epiſcopus Leodienſis, 1108. d. Obit. 1109. c.
Adolfus major præpoſitus Colon. 230. e.
Adolfus *de Paſſau* imperator, 344. a. 351. b. 354. e. Ejus electio, 354. e. 378. c. Deponitur, 579. c. Occiditur, 354. e. & ſequ. 376. e. Spiræ ſepelitur, 391. a.
Adolfus dux Bavariæ, 434. b.
Adolfus dux Clevorum, 599. b.
Adolfus dux Gueldriæ, 611. e.
Adolfus dux Montenſis, 599. d. Patrem ſuum Willelmum ducem Montenſem in vincula conjicit, 596. b. Obit 683. e.
Adolfus *de Althene* comes, 562. a.
Adolfus comes Bergenſis, 56. c.
Adolfus comes Clevorum, 595. d. Factus dux, 597. d.
Adolfus comes de Holſteim, 565. d.
Adolfus comes Merſenſis Calviniſta, 732. d. miſere perit, 745. b. & ſeq.
Adolfus de Monte comes, 404. c. 576. e. 577. a. Captivum ducit Siffridum archiepiſcopum, 577. c.
Adolfus comes de Naſſowe, 353. Ejus præclara facinora 355. a. & ſeq. Ejus interitus. 355. e.
Adolfus Nueranus comes, 640. c. 642. b. Noveſium capit, 603. d.
Adolfus comes de Seyna, 583. c.
Adrianus papa IV. 209. a. c.
Adrianus Florentius cancellarius Lovanienſis datus Carolo V. præceptor. 630. c. 631. c. Fit papa. 631. a.
Adrianus de veteri Buſco cantor S. Laurentii, ſcriptor rerum Leodienſium, 1200. Continuator hiſtoriæ S. Laurentii Leodienſis, 1333. 1339. d. 1340. a. b. 1341. c. 1343. b. 1348. d. 1353. d. 1374. e.
S. Adriani abbas Razo, 1258. d.
Advocatus eccleſiæ imperator. 17. a. 18. a. Advocati leges 1167. c. 1172. b. 1174. b. 1176. b. & ſequ.
S. Ægidii Leodienſis monaſterii initia, 1081. d. 1082. c. Fundatur 1082. d. e. Abbates Aſſo, 1082. c. Marſilius, 1178. a.
Ægidius de Mets decollatur ob factam pacem, 1285. d. 1286. b.
Affligemienſis monaſterii fundatio, 1081. c. *Abbas Fulgentius*, 1081. c.
Agapitus de Columna citatus a Bonifacio VIII. 360.
S. Agerici monaſterium, 950. d. Abbas Boſo, 972. d.
Agnes imperatrix, 461. e.
Agnes domina de Caſtello, 246. c.
Agilfridus epiſcopus Lodienſis, 855. b.
Agimontis obſidio, 1214. e.
Agriæ epiſcopus Anthelmus, 1217. a.
S. Agritius archiepiſcopus Trevirenſis, 152. d. 170. d. 187. a.
Alardus decanus Leodienſis, 1018. d.
Alaricus apoſtolicæ ſedis legatus, 227. b.
Albanenſis epiſcopus Henricus, 222. c.
Albanus dux, 677. d.
Albericus epiſcopus Bambergenſis, 36.
Albericus epiſcopus Oſtienſis, 203. b. 304. c.
Albero archiepiſcopus Treverenſis, 172. 212. d. 352. d.
Albero epiſcopus Baſileenſis, 510. e.
Albero epiſcopus Leodienſis, 1082. d. S. Lamberti corpus Trajecto Leodium transfert, 1411. d.
Albero II. epiſcopus Leodienſis, 1085. a.
Albero epiſcopus Virdunenſis, 208. a.
Albertus cancellarius creatus papa Gregorius VIII. 221. d.
Albertus junior archiepiſcopus Moguntinus, 200. b.
Albertus epiſcopus Leodienſis, 1093. e.
Albertus de Cuck epiſcopus Leodienſis, 1094. b. c.
Albertus-Magnus epiſcopus Ratiſponenſis reſignat, 573. e. Ejus obitus, 576. b. Coloniæ ſepultus, 1405. c.
Albertus abbas Epternacenſis, 460. a. 505. c. d.
Albertus præpoſitus S. Paulini Trevirenſis, 413. a.
Albertus imperator, 344. a. 354. d. 368. a. 386. e. Ex duce Auſtriæ electus, 362. b. & ſeq. Occiſo Adolpho de Naſſawa ſuccedit, 376. c. Interficitur, 392. a. Spiræ ſepultus, 391. a.
Albertus rex Romanorum, 377. a. 378. c. 512. d. Ejus obitus, 603. e.
Albertus dux Auſtriæ, 77. a. 112. c. 355. c. 356. c. Primogenitus Rodulfi imper. 575. a. Adolfo imperatori contrarius, 578. b. c. Fit imperator, 579. e.
Albertus dux pater Johannis electi Leodienſis, 41. c.
Albertus dux Hollandiæ, 45. b. 110. e. 111. a.

Albertus dux Saxoniæ, 625. c. 627. b. c. Imperii vexillifer, 618. c.
Albertus marchio Brandeburgenſis, 614. c. 623. d.
Albertus comes, 1175. c. Albertus ejus filius, 1176. c.
Albertus comes de Monte-Sancto, negotiatio cum ipſo, 40. d.
Albertus comes Namurcenſis, 932. 942. d. 963. d. 964. a. 972. c. 987. c. 1027. a. 1176. c. Idam Friderici ducis reſictam ducit uxorem, 968. c. Contendit pro Bullionenſi caſtro, 955. d. 957. d. *In prælio* perimitur, 1059. c.
Albertus Cancellarius, 1177. b.
Albertus miles de Confluentia, 239. d.
Albienſis eccleſiæ epiſcopus Bernardus de Caſtineto, 313. c. Pro liberatione detenti abbatis S. Mathiæ laborat, 313. c. Acta ab eo approbat Gregorius X. 316.
Aleatores puniti, 1201. b.
Alenconius Antuerpiam ſibi tentat ſubjicere, 645. b.
Alexander papa II. 518. c. 939. b. 945. c.
Alexander papa III. 209. b.
Alexander papa IV. 322. a. 473. d. 476. a. 573. c. Arnoldi a Sleida & Henrici de Bolandia electionem in archiepiſcopum Trevitenſem irritam declarat, 257. c. 334. d. Henricumque decanum Metenſem illi eccleſiæ præficit, 258. a. 335. a. Quatuor metropolitanos eodem anno conſecrat. 258. c. Ejus obitus, 259. b. 336. c.
Alexander papa V. 630. a.
Alexander archidiaconus Leodienſem ambit epiſcopatum, 1024. d. 1081. c. 1082. b. Ab Henrico imperatore excommunicato illum requirit & emit pecunia, 1025. a. c. Cui opponit ſe Fridericus præpoſitus, 1025. a. A Deo reprobatur, 1025. c. Ab archiepiſc. Colonienſi excommunicatur, 1026. c. Poſtea fit epiſcopus, 1083. b. Sed deponitur, 1026. b. 1084. c. Friderico legitimo epiſcopo ſe opponit, 1027. d. e.
Alexander II. epiſcopus Leodienſis, 1089. c.
Alexander canonicus S. Lamberti auctor hiſtoriæ Leodienſium epiſcoporum, 840. 843. c.
Alexander monachus S. Mathiæ e curia revertens incidit in prædones, 320. d.
Alexander Farneſius Parmæ princeps, 697. c. Vide Parmæ dux.
Alexandri Berardi oratio ad Onuſrium legatum *ſedis apoſtolicæ ad Leodios*, 1406. d.
Alexiani religioſi, 662. c.
Alexius adoleſcens imperator C P. coronatur, 228. b. Strangulatur, 228. c.
Alfonſus rex, 1402. d.
Alfonſus rex Caſtellæ electus imperator, 254. c.
Almericus Veſputius *Hiſpanus* auriferas inſulas detegit, 628. a.
Alneenſis *monaſterii* fundatio, 1086. d.
Alpais Pippini pellex, 532. b.
Alpenſe caſtrum deditur Parmenſi principi, 700.
Alſatia a duce Lotharingiæ devaſtatur, 570. c.
Altare papæ Johannis, 943. d.
Altaris Genevenſis lapis ſacratus in locum ſupplicii tranſlatus, 644. c.
Altipennius dux, 687. a. c. Capitaneus regis Catholici Malvedurium invadit, 718. c
Altuenus abbas Andaginenſis, 921. d.
Altwinus epiſcopus, 520. a.
Ambianenſis epiſcopus Gervinus, 975. b.
Ambiani obſidio, 1352. d.
Ambra caſtrum ab Hunuis everticur, 916. b.
Amedeus epiſcopus Lauſanenſis, 204. c.
Amedeus Sabaudiæ *comes*, 392. b. c.
Amelgardi presbyteri Leodienſis excerpta lib. 2. de geſtis Ludovici XI. Francorum regis, 741.
Amelricus hæreticus, 188. c.
Amersfordienſes cæſi, 808. b. c.
Anacletus antipapa Roma fugat Innocentium legitimum Pontificem, 197. c. d.
Anaſtaſia abbatiſſa Horreenſis, 181. c.
Anchiſes Mulenarck comes præpoſitus Noveſienſis, 558. a.
Andaginenſis monaſterii hiſtoria quando conſcripta, 913. Ejus origo, 915. a. An pro clericis conſtructum, 917. c. In eo monachi inſtituti, 918. a. Canonici quidam S. Lamberti ibidem fiunt monachi, 918. b. Illuc transfertur corpus S. Huberti, ibid. c. Viri illuſtres ibi ſub Theodorico degentes, 925. c. & ſequ. Ei quinque marcas argenti morituras mittit S. Anno archiepiſcopus Colonienſis, 951. b. *Ibi quadrageſimam* tranſigit Henricus epiſcopus Leodienſis, 951. c. Qui fratribus allodium *Telins* reſtituit procurat, 952. a. Duo ibi altaria conſecrat Herimannus Metenſis epiſcopus, 953. b. Cryptam Henricus epiſcopus Leodienſis, 956. c. Caſtri Mirwoldenſis cuſtodia monachis S. Huberti committitur, 958. b. Ibidem vixit & ſepulta eſt Cunegundis *recluſa*, 968. c. Venationis primitiæ S. Huberto oblatæ, 968. c. Scandalum *ingens* ibi ab Otberto epiſcopo excitatum, 981. c. Ibi ſub Ingobrando invaſore ſolvitur diſciplina, 985. b. Ejus Eccleſiam ſpoliat Otbertus epiſcopus, 997. c. S. Huberti menſa lautior menſa epiſcopali Leodienſi, 1014. c. *Monaſterium* vexat Bruno archidiaconus, 1016. a. Habet baptiſterium, 1017. c.
Andaginenſes abbates. Adelardus, 921. c. Albertus, 936. b. Altuenus ſeu Alcuus, 921. d. Beregiſus, 915. a. 917. a. 968. a. 1017. b. Elbertus, 1090. d. Gerardus, 1003. c. Qui ceſſit ſponte, ibid. c. Guiredus, 925. c. Renualdus, 921. c. S. Theodericus, 923. 1005. c. Theodericus II. 925. c. 965. b. Renuntiat dignitati in gratiam Beringeri, 1000. a. & ſequ. 1011. d. Abbatiam S. Huberti a Witredo occupatam repetit, 1007. a. Ejus ad Witredum epiſtola, ibid. b. Libellus ſupplex ad Urbanum II. papam, 1010. a. Ab Otberto excommunicatur, 1011. c. Bullas ab Urbano II. papa adverſus eum impetrat, 1013. a. c.
Andegavenſis comes Hunaldus, 533. a.
Andernacenſes cives rebellantes domat Cuno coadjutor Colonienſis, 430. c.
Andernacum exuſtum per Philippi regis exercitum, 567. a.
Andræas cardinalis Auſtriacus, 641. a.
Andræas Forlivienſis epiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus in Germania, 783. c.
Andræas Ultrajecti epiſcopus, 1030. c.
S. Andrææ *crux* ſignum militare Burgundionum, 758. c.
Angeli de Curribus Sabinis poëtæ laureati libri VI. de excidio Leodii, 1379.
Angeriacenſis abbas, 475. d.
Angliæ reſtituta fides Chriſtiana, 1158. c.
Angli ad invadendum regnum Francorum ſuhiant, 821. a.
Angliæ regi miſſa legatio ad tractanda negotia, 123. b. Negotiatio cum rege Angliæ, 107. b.
Angliæ rex fugit in Hollandiam, 1351. d.
Anglorum rex Aſtulfus, 1351. a. Eduardus, 414. d.
Annales Noveſienſes, 521. a.
Annatarum origo, 596. a.
Anno Colonienſis archiepiſcopus, 188. c. 343. d. 505. b. 518. c. 948. a. 950. c. 1069. b. 1184. d. Ejus elogium, 544. c. Diſcretio. 928. a. Fit tutor Henrici filii Henrici imperatoris, 173. b. Sex ſcabinis Colonienſibus inique judicantibus oculos erui facit, 551. a. Obit in Lombardia, 551. b. 951. b. Sigebergum transfertur, 551. b. Monaſteria fundat, 545. c.
Annus Treviris quo die incipiat, 378. e. 446. c.
S. Anſcharius Danis evangelium prædicat, 161. c.
Anſchilus pater Pipini, 505. d.
Anſegiſus dux, 919. d.
S. Anſelmus archiepiſcopus Cantuarienſis, 1080. c.
S. Anſelmus Lucenſis epiſcopus, 944. a.
Anſelmus abbas, 517. d.
Anſelmus decanus Leodienſis, 923. d. 1060. d.
Anſelmus de Ribodimonte, 559. b.
Anſeromiæ comitatus datus S. Huberto, 932. c.
Anſpertus cancellarius Arnulfi regis, 146. d.
Anthelmus epiſcopus Agriæ, 1217. a.
Antiochiæ obſidio & expugnatio a Chriſtianis, 559. c. Duci Bohamundo cõmiſſa, 560 a.
Antonius Hovæus abb. Epternacenſis, 517. a.
Antonius comes Schawenburgicus decanus Colonienſis, 637. d.
Antonius Orth Noveſienſis prior, 525.
Antonius Grimani ſpatricius Venetus, 697. c.
Antonius *de Heinsburg*, pater epiſcopi Leodienſis obit. 1211. b.
Antonius Baſtardus ducis Burgundiæ, 1252. d. 1344. b. 1493. b. 1497. a.
Antuerpiam ſibi ſubjicere tentat Alenconius, 645. b.
Antuerpienſium ſtratagema contra Hiſpanos, 672. c. & ſeqq. Cum eo pacem ineunt, 677. a. & ſeqq.
Aquæ judicium, 957. a.
Aquenſis epiſcopus Burchardus, 515. a.
Aquiſgranenſibus ſcribit Rupertus imperator, ut ſibi in regem Romanorum electo aperiant civitatem imperiali diademate coronando, 28. c. Idem ab eis petit archiepiſcopus Colonienſis, quod illi renuunt, 28. d. Scripta ad eos epiſtola, 29. c. Liberum per imperii terras commeatum eis negat Rupertus imperator, 35. c. Et gratiam ſuam, 70. c. Pro eis tractat dux Lotharingiæ, 119. c.
Aquiſgranum invadere abſente *Imperatore* cogitat Henricus rex Francorum, 397. b. Ab *hoc propoſito* deterretur a Wazone epiſcopo Leodienſi, 897. c.
Aquiſgranum ab Ottone expugnatum, 566. c.
Aquiſgranum exercere tentat Juliacenſis comes, 336. c. Contra eum ſavet Sifridо archiepiſcopo, 575. b. Expugnatur, 1103. b.
Aquiſgranenſe concilium, 918. c.
Aquitania a Carolo-Martello ſubjugata, 533. a.
Aragonum rex ſervitium ſuum offert Ruperto imperatori, 60. c. Qui cum eo negotiatur, 62. b. 61. c.
Araldus rex Danorum fit Chriſtianus, 540. d.
Archicancellarius Zuendeboldi regis Ruthkerus, 147. c.
Archicapellanus Arnulfi imperatoris Theomarus, 146. d.
Archicapellanus Ottonis I. imperatoris, 151. c.
Archidiaconatus datus puerulo, 212. c.
Arelatenſe regnum uſurparunt reges Franciæ poſt Friderici II. depoſitionem, 568. b.
Arelatenſis regni cancellarius archiepiſcopus Trevirenſis, 568. b.
Arembergius comes, 696. c. Sacrilegus, 817. a. A Brabantinis cæditur, ibid. c.
Arenlieder rex, 414. d.
Argentinus epiſcopus Bertholdus, 413. c.
Argentorati tumultuantur Truchſeſiani canonici, 648. c.
Argentinæ obſidio, 335. c. A *Philippo* rege Romanorum, 566. d.
Aribo *Moguntinus* epiſcopus, 851. d. 882. b.
Arminiaci & Burgundiones inimici, 793. c.
Arnoldus archiepiſcopus Colonienſis, 200. a. 203. b. 511. b. Ex filio comitis Geldriæ fit archiepiſcopus Colonienſis & ab officio ſuſpenditur, 562. c.
Arnoldus II. archiepiſcopus Colonienſis, 563. b.
Arnoldus archiepiſcopus Moguntinus in abbatia S. Jacobi occiſus, 564. c.
Arnoldus archiepiſcopus Trevirenſis, 172. c. Ejus geſta, 211. b. Electio, 211. c. Nobiles diœceſi ſuæ infeſtos muneribus deſinit, 211. c. Bella ab eo ſtrenue geſta, 211. e. Providet ne vexetur eccleſia apoſtolicorum nunciorum cupiditate, 212. c. Diœceſis ſuæ eccleſias ab ære alieno liberat, 212. d. Pie moritur, 213. b.
Arnoldi de Yſemburg archiepiſcopi Trevirenſis geſta, 248. c. Ei opponitur Rodulfus præpoſitus S. Paulini in diſcordia electus. 249. a. Cum quo init concordiam, 250. a. Ejus electionem probat Innocentius IV. 250. c. Eique *pallium mittit*, 250. e. Ac beneficia quæ ante electionem poſſidebat retinere permittit, 251. b. Conſecratur epiſcopus, 251. b. Zornonem

tyrannum compeſcit, 251. c. Urbis mœnia reſtaurat & palatium, 252. c. Caſtella varia munit, 252. c. Willelmum electum imperatorem impenſe colit, 253. d. Cum eo accedit Lugdunum ad papam a quo honorifice ſuſcipitur. 253. c. Papæ in paraſceve concionantis ſic ſermonis interpres, 254. a. Nulla pecuniæ profuſione corrumpi potuit ut imperium Richardo Cornubiæ comiti deferret, 254. d. Alfonſum regem Caſtellæ eligit, 354. c. Diœceſim optime regit, 255. b. Obit, 255. c. 332. d.

Arnoldus a Sleyda major archidiaconus in diſcordia electus archiepiſcopus Trevirenſis, 256. d. 334. a. Calumnias movet in abbatem S. Mathiæ, 258. c.

Arnoldus epiſcopus, 518. 2. c.

Arnoldus de Horne ex Trajectenſi factus epiſcopus Leodienſis, 1119. c. 1121. a. Ejus obitus 1122. c.

Arnoldus abbas Epternacenſis, 511. e.

Arnoldus II. abbas Epternacenſis, 512. c. 517. c. 518. b. c.

Arnoldus abbas S. Laurentii, 1113. c.

Arnoldus de Loen abbas S. Laurentii, 1137. d. 1138. a. b. 1197. c. Ejus electio confirmatur, 1145. c. Ordinatur, 1146. a. Ejus confirmatio per papam, 1147. a. Dicitur ambitioſus & ſimoniacus, 1147. d. e. Facta & inſtaurata ab eo ædificia, 1148. a. & ſeq. Fruſtra urgetur ut renuncier, 1149. a. Obit 1150. c.

Arnoldus præpoſitus Trevirenſis, 195. d.

Arnoldus de Berewart præpoſitus Trevirenſis, 425. b.

Arnoldus de Lalaing præpoſitus Leodienſis, 1374. c.

Arnoldus præpoſitus S. Paulini, 321. a.

Arnoldus imperator, 458. d. e. 461. b. 463. c.

Arnoldus Egmundanus dux Geldriæ, 599. a. 602. c. 604. b. In prælio cadit, 622. e.

Arnoldus frater Willelmi ducis Juliæ, 612. a.

Arnoldus comes, 186. b. 519. b.

Arnoldus de Blanckenheim. 587. b.

Arnoldus frater Jacobi Syreck, 451. b.

Arnoldus de Caſtro Rupis vexillarius Epternacenſis monaſterii, 462. c.

Arnſpurg comitatus eccleſiæ Colonienſi datus, 589. b.

Arnulfus archiepiſcopus Remenſis, 1041. c.

Arnulfus abbas Lobienſis, 983. c. 984. a.

Arnulfus imperator 150. a. 151. b. 156. a. 507. a. 1058. a. Ejus diploma de eccleſia S. Servatii pro Ratbbodo archiepiſcopo Trevirenſi, 145. d.

Arnulfus comes. 867. c. 972. d. 1166. a. 1168. b. c. 1169. d. 1170. c. 1173. c. 1174. c. 1177. c.

Arnulfus comes Chiniacenſis, 930. b. 931. a. 965. a. 987. c. 990. b. Fit monachus, 1022. d.

Arnulfus comes Gandavenſis occiſus a Friſonibus, 1001. c.

Arnulfus comes Loenſis, 1028. c. 1187. c.

Arnulfus comes Tudetianus, 983. a & ſeq. 982. a. c.

Arnulfus filius Balduini comitis Flandrenſis occiſus, 942. b.

Arnulfus de Rupe vir nobilis, 249. c.

Arſen caſtri expugnatio, 683. d.

Aſſo abbas S. Ægidii, 1082. c.

Aſtulfus rex Anglicus, 1391. a.

Athela filia Dagoberti regis, 164. a.

Atrebatenſis epiſcopus Lambertus, 1011. c.

Atrebatenſis epiſcopus procurator Ludovici Borbonii electi Leodienſis, 1229. d.

Avenas expegnat & incendit Ludovicus XI. rex Francorum, 1362. d. e.

Augienſe monaſterium, 537. c.

S. Auguſtini Papiam tranſlatio, 532. c.

Aula Palatii canonicarum virginum monaſterium, 164. a.

Aureæ Vallis abbas Lambertus de Wagnez, 1159. c.

Aurelianenſis ducis amicitiam requirit Rupertus imperator, 61. b. Metenſes bello laceſſere tentat, 133. a. Fœdus init adverſus imperium, 133. b. Undique colligit copias adverſus Anglos, 125. a.

Aurelianenſis dux Hugo, 364. a.

Aurei Velleris ordo a Philippo Burgundiæ duce inſtitutus, 671. c.

Auriferæ inſulæ detectæ, 628. a.

Auſtriæ duces Albertus, 77. a. b. 112. c. 355. c. 376. c. 579. c. Fridericus, 583. c. In regem Romanorum electus, 404. e. Johannes, 378. c. Leopoldus, 43. b. 44. a. c. 54. c. 58. d. 62. b. 76. a. 78. c. 100. c. 101. d. 106. a. 1. 4. c. 127. b. 393. c. 595. a. Maximilianus, 832. Pacem facit cum Ludovico XI. 816. a. Ei reconciliari, ſecluſo ſuo pontifice, tentant Trajectenſes, 803. d. Negotiatio eum dominis Auſtriacis, 35. c. 44. a. Filiam ducis Auſtriaci ducendam a filio ſuo petit Rupertus imperator, 34. a.

Ayus pater S. Ragenulfæ, 1183. d.

Ayoncurtem concedit S. Laurentio Henricus Pacificus epiſcopus Leodienſis, 1071. b. 1185. a & ſeq. 1186. a. In ea Berengerus canonicos, inſtituit quos ſoli abbati S. Laurentii ſubjectos declarat Otbertus epiſcopus, 1071. b. c. 1186. b. 1188. a. In ea donum Scholaſticæ ad abbatem S. Laurentii pertinet, 1188. & ſeq. Reſtauratur, 1187. d. Nova conditſtatuta, 1190. a. 1191. e. Transfertur Lovanium, 1191. d. Traſtationis pacta, 1195. a. & ſeqq. Excommunicato canonico præbendam ſubtrahit Werricus abbas S. Laurentii, 1190. b. Hujus eccleſiæ hiſtoria, 1183. d.

B.

Babebergenſes epiſcopi Albericus, 36. c. Eberhardus, 517. c. Henricus, 517. b.

Badenſis (Marci) imago Leodii poſita cum inſigniis epiſcopi, 1291. d. Ejus litteræ ad Leodienſes, 1292. a. De eo falſos rumores ſpargunt Leodienſes, 1484. b. Contra eum dieta Coloniæ, 1289. c. 1290. d.

Baculus S. Petri, 157. d.

Baldac civitas expugnata, 334. a.

Baldricus epiſcopus Leodienſis, 859. d. Ejus geſta, 867. b. 1045. c. Monaſterium S. Jacobi fundat, 1048. c.

Balduinus archiepiſcopus Trevirenſis, 427. d. 512. c. 513. a. c. Ejus geſta, 144. 373. Genealogia, 379. c. Phyſionomia, 381. c. Puerilia & adoleſcentia, 382. b. Pariſiis logicæ & philoſophiæ atque aliis ſcientiis operam dat, 382. c. Ejus poſtulatio, 377. b. Confirmatio, 377. d. De minori ætate diſpenſatur, 378. a. Ordinatur presbyter, 378. b. & epiſcopus, ibid. Treviris recipitur, 378. d. Pia ejus converſatio & virtutes, 383. c. & ſeq. Proviſio ſui prudentiſſima, 384. c. Familiæ, 385. b. Pacis & juſtitiæ fuit obſervator, 382. c. Papæ mandata contra Flagellantes promulgat, 419. b. Eccleſiæ ſuæ privilegia confirmari procurat, 389. d. e. 305. a. 400. c. 404. d. Privilegium contra religiosos mendicantes obtinet, 416. d. Inſtrumenta Eccleſiæ ſuæ in unum volumen deſcribi curavit, 384. d. e. Reditus duplicavit, 390. a. Nundinas ab imperatore impetravit, 390. a. Plura caſtra eccleſiæ ſuæ acquirit, 418. c. Medietatem dominii de Limburch, 416. d. Wermich caſtrum, 417. c. Ei Bacheracum confirmatur, 409. c. S. Wendelini caſtrum comparat, 411. b. Caſtra ædificat, 383. a. In his Sarſteyn caſtrum, 421. e. Triis caſtrum eccleſiæ ſuæ adjicit, 421. a. Pontem Confluentiæ ſumtuoſum conſtruit, 416. e. Dux Lotharingiæ ei hominium præſtat, 413. e. Regis Anglorum coronam in pignus accipit, 415. a. Hoſtes domat, 419. e. 420. a. & ſeq. 421. b. & ſeq. Johanni comiti de Crucenache in bello plurima infert damna, 408. e. Marchionem Miſnenſem & comitem Eppſtein hoſtiliter invadit, 413. d. Eſtordienſes rebellantes domat, 413. d. Popardiam expugnat, 411. a. Furſtemberg obſidione vallat, 410. c. Et Wilmar, 418. b. Hozolmecze ſolo adæquat, 418. a. I. Italia plurima caſtra capit, 400. c. Caſtrum S. Mariæ novellæ expugnat, 401. b. A comitiſſa de Starkenberch proditionaliter capitur, 471. e. Prædones domat & comprimit, 415. c. d. 421. b. Catthuſiam fundat Trevirenſem, 584. a. Ei fundum emit, 412. Illius eccleſiam dedicat, 415. b. Canonicos regulares de Loenche propter frequentes hoſpites depauperatos in Meyen transfert, 407. a. Mediolani ut ſe geſſerit, 303. c. & ſeq. Romæ ad cellam Quatuor coronatorum divertit, 398. c. Coloniæ exiſtens in præpoſitura S. Cuniberti hoſpitatur, 389. a.

Balduinus archiep. Trev. ad eccleſiam Moguntinam poſtulatus, 408. a. Mathiam monachum a capitulo Moguntino admitti procurat, 408. b. Ei in bello copias miniſtrat, 410. d. Iterum poſtulatur ad eccleſiam Moguntinenſem, 411. d. Cujus debita ſolvit, ibid Multa eccleſiæ ſuæ acquirit, 411. c. Cives Moguntinenſes eum recipere nolentes domat, 412. b. c. dominium Scuremberg eccleſiæ Moguntinæ acquirit, 413. e. Moguntinum archiepiſcopatum dimittit, 414. b. Spirenſem epiſcopatum regendum ſuſcipit, 413. a. Ilium ære alieno liberatum Gerardo de Eremberg reſignat, 414. a. Caſtrum Bruel Colonienſibus dedit archiepiſcopo ſuo facta pace reconſignandum, 407. d.

Balduinus archiep. Trev. Henrici VII. imperatoris electionem procurat, 387. a. Cum eo tractat de ratione imperii recte adminiſtrandi, 389. b. Ipſi pecuniam mutuat, 392. b. Ludovici regis electionem procurat, 404. b. Quem Aquiſgranum coronandum adducit, 404. c. Ipſi in Bavaria per Fridericum obſeſſum auxilium præſtat, 405. e Eidem adhuc confert auxilium, 467. c. Pacem procurat, 406. c. In ipſius auxilium Argentinam pergit, 408. a. Johannem Bohemiæ regem adjuvat, 393. e. Alpes tranſcendit, 391. d. Johannem Bohemiæ regem ab hoſtibus obſeſſum liberat, 405. c. Willelmo duci Juliacenſi adverſus Henricum archiepiſcopum auxilium confert, 406. d. Juliacenſem marchionem a captivitate liberat, 418. a. Ejus obitus, 422. b. Epitaphium, 422. c.

Balduinus abbas S. Laurentii, 1092. e. 1138. c.

Baldewinus imperator C.P. 228. d.

Baldewinus frater Godefridi Bullonii, 559. b.

Balduinus comes, 983. a.

Balduinus Flandriæ comes, 885. d. 942. b. Invadit Valentianas. 1044. e.

Baldewinus comes Montenſis, 559. b. 969. a.

Balduinus filius Richildis comitiſſæ Montenſis, 963. c.

Balduinus Baſtardus, 1342. b. 1358. a.

Balduinus de Columna, 399. b.

Balduinus de Fontanis, 1232. d. 1233. a.

Balduinus-Magnus diſpenſatur a voto eundi in Jeruſalem, 1181. a. Fundat cellam S. Nicolai de Glano, 1181. c. 1182. d.

Baptiſmus in Sabbato ſancto, 536. d.

Barbas promiſſas contra conſuetudinem deferunt Trajectenſes, 805. a.

Bardo archiepiſcopus, 517. c.

Bardo abbas, 518. c.

Balthaſar Miſniæ marchio, 9. c. 10. d. 97. d.

Bartholomæus abbas Epternacenſis, 511. d.

Bartholomæus de Longo-Campo abbas S. Laurentii, 1551. a. & ſeq. 1198.

Baſileenſi ab epiſcopo & civitate obedientiam ſibi præſtari petit Rupertus imperator, 65. c.

Baſilea obſidetur, 1213. a.

Bavaricæ domui contrarius dux Aurelianenſis, 45. c.

Bavariæ duces Adolfus, 434. b. Erneſtus, 85. c. Guillelmus, 671. c. Johannes filius Ruperti imperatoris, 106. a. b. Ludovicus, 43. b. 58. d. 106. a. e. 119. c. 788. d. In imperatorem electus, 404. c. Robertus, 607. b. Rudolfus, 408. c. 409. b. Rupertus, 7. b. 9. b. 11. b. 12. c. 14. a. e. 15. d. Stephanus, 9. c. 10. d. 58. d. 121. a.

Beatrix marchiſa, 934. c. 943. e. 952. d.

Beatrix marchiſa Longobardorum, 926. a.

Beatrix marchiſa uxor Godefridi ducis Bullonienſis, 939. b. 940. b.

Beatrix de Bellomonte in Hannonia, mater Balduini archiepiſcopi Trevirenſis, 379. c.

Beaufort caſtrum deſtruitur, 1203. c.
Beelburtum expugnatur, 647. conflagrat, 729. d.
Begga nupta Anſegiſo duci, 919. d.
Begga ſoror S. Gertrudis, 505. d.
Beguinarum vera origo, 1093. a.
Beinegradenſis epiſcopus Franco, 936. b. 956. c.
Belli-reditus abbas ſtrangulatur, 1163. d. Johannes *Manghen*, 1163. d.
Bellum inter regem Francorum & ducem Burgund. 1329 c.
Bellum ruſticanum in Batavia & Hollandia, 674. c.
Bellum inter Johannam duciſſam Brabantiæ & *Wilhelmum ducem*, 594. c.
Bellum inter ducem Burgundiæ & Gandavenſes, 1222. d.
Bellum inter archiepiſcopum & Colonienſes, 598. c. d.
Bellum inter archiepiſcopum Colonienſem & Clivenſes, 604. a.
Bellum Colonienſium cum comite de Monte, 573. b.
Bellum inter ducem Montenſem & comitem Clivorum, 595. d.
Bellum atrox inter Willelmum ducem Juliacenſem & Wenceſlaum ducem Brabantiæ, 589. d.
Belium Fontaniacum, 459. c.
Bellum inter Leodienſes & Namurcenſes, 1120. d. 1201. d. 1203. d.
Bellum Woringienſe, 347. d. 576. d.
S. Benedicti reliquiæ, 958. c.
Benedictus V. papa, 1037. d.
Benedicti papæ VI. diploma pro eccleſia Trevirenſi, 152. b.
Benedictus papa VIII. Poponem Trevirenſem epiſcopum Romam venientem gratanter excipit, 162. d. Ei pallium & jus crucis ante ſe deferendæ concedit, 163. a. & ſeq.
Benedictus papa IX. 1060. b. Ejus bulla de canonizatione S. Simeonis, 167. b.
Benedictus XII. papa, 1114. b.
Benedictus XIII. 597. b.
Benedictus apoſtolicæ ſedis legatus, 163. d.
Benedictus frater Beringeri abbatis, 915. c.
S. Benigni abbates Jarenſo, 978. d. c. 980. b. Johannes, 1116. c. 1117. c.
Beredolfus comes, 520. a.
S. Beregiſus clericorum abbatiam conſtruit, 917. a.
Berengarius epiſcopus Tullenſis, 547. b.
Bergenſis comes *Adolfus*, 56. c.
Berico Leodienſis clericus factus epiſcopus, 817. c.
Beringaudus abbas Epternaci, 460. b.
Beringerus S. Huberti prior, S. Laurentii Leodienſis primum prior deinde abbas conſtituitur, 953. a. c. 965. c. 973. b. 976. c. d. 977. d. 978. b. 980. b. 985. c. 986. b. 989. a. 990. c. 1001. c. e. 1003. c. d. 1006. a. 1007. d. 1018. b. 1020. a. 1027. b. 1070. b. 1174. 1176. c. Varias facit commutationes cum Henrico epiſcopo, 1071. c. d. Collegium XII. canonicorum inſtituit apud *Ayoncurtem*, 1186. b. Ad cellam Ebernei-curtis ſe recipit, 975. d. Otberti epiſcopi Leodienſis pravos actus notos facit, ibid. Ei reſiſtit, 1016. a. & ſeq. Expellitur, 1073. b. & ſeq. A probis omnibus deſideratur, 1074. c. Vi ejectus ad S. Hubertum ſe recipit, 974 b. & ſeq. Deinde ad S. Remigium, 975. b Eccleſiæ ſuæ reſtituitur, 992. c. 1075. d. Venit cum Otberto ad monaſterium Andagmenſe, 994. a. Ejus in gratiam renuntiat dignitati Theodericus, 999. c. 1000. b. c. Sed conventus eum recipere recuſat, 1000. c. Qui & renuntiat oblatis, 1001. b.
Beringeri Diploma de reliquiis ſancti Laurentii *in altari reconditis*, 1070. b. Epiſtola ad Leodienſes 990. c. Ad Theodericum abbatem S. Huberti, 990. d. Obitus, 1078. d. e.
Beritenſis epiſcopus Libertus, 1150. d. 1151. b. 1371. a.
Berckæ obſidio, 700. b. Inde Gueuſios expellit comes Mansfeldenſis, 736. b.
S. Bernardus abbas *Clarevallis*, 561. b. 564. b. c. 1083. d. Fit monachus, 1080. b. Leodii miracula facit, 1086. c. Ejus obitus, 563. a.
Bernardus de Caſtineto, 313. c. 477. d. Ei Trevirenſis Eccleſiæ adminiſtratio committitur, 313. d. 315. d. 316. a.
Bernardus de *Buſord* abbas Epternacenſis, 515. c.
Bernardus abbas S. Eucharii, 505. b.
Bernardus ordinis Prædicatorum de intoxicatione Henrici imperatoris inſimulatus, 581. c.
Bernardus dux, 49. b.
Bernardus dominus de *Orchimont*, 1210. c.
Berneradus epiſcopus Senonenſis, & abbas *Epternacenſis*, 460. b. 505. d.
Berta comitiſſa Clivenſis, 537. b.
Bertholdus epiſcopus Argentinus Spiram tranſlatus, 413. c.
Bertholdus monachus S. Blaſii hiſtoriam *Hermanni contracti* proſequitur, 558. c.
Bertholdus dux Ceringenſis imperium recuſat, 225. a.
Bertoldus comes advocatus Prumienſis, 971. b.
Bertoldus *Creſſberg* eques miſſus ad comitem Sabaudiæ, 38. a.
Bertolfus archiepiſcopus Trevirenſis, 141. a. c.
Bertolfus abbas S. Eucharii, 207. b. 505. a.
Bertramnus epiſcopus Metenſis, 219. d. Sede ſua a Friderico imperatore pulſus Coloniam ſe recipit, 221. a.
Beſſarion cardinalis, 1216. c. e.
Bethania monaſterium *Machliniæ*, 1226. b.
Bicho abbas, 518. a.
Binchium comburitur, 1158. d.
Biormar abbas, 518. c.
Biſuntinus epiſcopus Hugo de Cabilone, 171. d. 1107. d.
Blanca Maria Galeacii ducis Mediolanenſis filia nupta Maximiliano, 628. d.
Blancha uxor *Ludovici* ducis Bavariæ, 123. c.
Blienbechenum caſtrum occupant Hiſpani, 733. d.
Bobbo patriarcha, 517. c.
Bocus epiſcopus Vormatienſis, 200. a.
Bohamundus dux Apuliæ, 559. c. Commiſſa ei Antiochia, 560. a.
Bohemundus archiepiſcopus Trevirenſis, 432. d. 434. c. Ejus geſta, 341. d. Elogium, 343. c. Qualis fuerit apud imperatores ures, 344. a. Ante epiſcopatum fuit eccleſiæ Metenſis primicerius, 344. a. Qualiter fuerit electus, 344. c. A Nicolao papa IV. creatur archiepiſcopus, 345. c. & ſeq. Conſecratur, 346. b. Solemniter recipitur in eccleſia ſua, 348. a. Caſtrum Nigrimontis expugnat & deſtruit, 349. c. Dignitatibus ſuæ diœceſis ſapienter providet, 349. d. Ejus prudentia, 349. c. & ſeq. Quanta fecerit in vita ſua, 350. c. Feoda & homagia multa eccleſiæ Trevirenſi comparavit, 351. d. Plura contulit ornamenta, 352. c. Plures paſſus eſt æmulos, 351. d. Bonifacio papæ VIII. acceptus fuit, 352. d. Inclinat ad electionem domini Adulfi regis, 365. a. De cujus occaſu dolet, 356. a. In electione Alberti ut ſe geſſerit, 362. b. Cunonem ſibi coadjutorem adſciſcit, 428. c. In eum multi rebellant, ibid. c. d. Cunonem archiepiſcopum conſecrat, 430. a. Ejus obitus, 368. d. 369. c. 420. a. Sepultura apud Heimmerodam, 369. d.
Bohemiæ reges, Johannes, 114. a. 390. d. 392. 404. b. 582. 409. d. 410. a. Venceſlaus 390. c.
Bojorii a Carolo Martello victi, 532. c. d.
Bolonica arx, 1158. b.
Bombardarum ſeu tormentorum bellicorum inventio, 593. b.
S. Bonaventura ordinis Minerum generalis miniſter, 262. d.
Bonifacius papa VIII. 352. d. 366. c. 376. d. 580. a. 1107. c. 1108. c. Ejus theſaurum ſpoliant cardinales de Columna, 358. d. Eos cardinalatu privat, 356. d. 359. c.
Bonifacius papa IX. 596. a. Non æquali & pari paſſu ambulat, 75. c. Inſolitos articulos exigit a Ruperto imperatore ut ei coronam imperialem impertiatur, 73. b. & ſeq. 76. c. 80. a. 92. c. Hos inter articulos exigit ut *imperator* non curet nec tentet procurare eccleſiæ pacem, 74. a. Quod ille negat, 74. 76. d. Ejus obitus, 128. e.
Bonifacius epiſcopus Lauſanenſis, 1101. a.
Bonifacio apoſtolicæ ſedis legato *commiſſa* Trevirenſis eccleſia, 192. d.
Bonifacius marchio Langobardiæ interfectus, 926. a. 943. c.
Bonna deditur Bavaro, 647. d. Ab Erneſto obſidetur, 724. c. Et expugnatur, 726. b. Bonnam cremat Philippus rex, 566. c. Bonnam occupat & deprædatur Schenkius, 721. c.
Bonnæ eccleſia collegiata cremata, 736. d.
Bonnichhoven virginum monaſterium ordinis Ciſtercienſis, 569. d.
Bopardiam expugnat Balduinus archiepiſcopus Trevirenſis, 411.
Boppo archiepiſcopus, 507. d.
Borbonius cardinalis rex conſtituitur, 734. d.
Borbonii ducis in Normannia *bene* geſta, 741. b. Reconciliatur Ludovico XI. regi, 747. b. c. Pro eo nullus audet loqui, 1367. d. e. Ejus obitus, 1232. b. Vid. Ludovicum Borbonium.
Boſcoducenſium conflictus cum Gelrenſibus, 1369. c.
Boſmove expugnant Leodienſes, 1209. d. e.
Boſo abbas S. Agerici, 912. c.
Boſo archidiaconus abbas B. Mariæ Hoienſis, 964. c.
Bovinæ obſidio, 1205. a. Expugnatio, 1158. c.
Boyo Caſtellanus Mirwoldi, 1015. a.
Brabantiam imperio revocare ſponder Rupertus imperator, 25. d.
Brabantiæ duces Caroius, 1309. b. 1310. d. 1311. c. 1312. e. Johannes, 25. d. 340. a. 347. d. 576. d. 1202. c. Philippus, 1202. b. Wenceſlaus, 592. d. 596. a. *Duciſſa* Johanna, 594. c.
Brandeburgenſis marchio invitatur ad diætam *Lauſtein*, 15. e.
Brandeburgenſes marchiones Albertus, 614. a. 623. d. Wolkmarus, 404. b.
Bredanam occupant Gueuſii, 737. b.
Bremenſis archiepiſcopus Adalbertus, 188. e.
Britannia a Francis ſubjugata, 535. c.
Brixiæ expugnatio, 397. a. Ejus omnes munitiones deſtructæ, 397. b.
Brixia *ſoloremus* deſtructa, 581. c.
Brixionenſis epiſcopus Poppo qui & Bruno, 902. e.
Bronienſes abbates Garmundus, 975. e. 976. a. Sigebertus, 1090. d. Pſeudoabbas Guirmundus, 974. c.
Brnel caſtrum obſidetur, 407. b.
Brugenſis civitas expugnatur, 627. e.
Brulæ conventus Colonienſis provinciæ, 712. d. & ſeq.
Brun epiſcopus, 517. d.
Brun Scholaſticus, 518. a.
Brunengus abbas Laureshamenſis, 517. d.
Bruningus comes, 518. b.
S. Bruno, 1078. d.
Bruno archiepiſcopus Colonienſis, 226. a. d. 227. a. 540. c. 541. b. 558. a 843. d. 860. a. 1035. a. Conſecratur, 230. d. e. Ei Lotharingia adjudicatur, 541. b. Primus Weſtphaliæ & Angariæ dux fit, 341. b. Obit & ſepelitur in eccleſia S. Pantaleonis, 541. b.
Bruno II. archiepiſcopus Colonienſis, 562. a. Fit monachus Veteris montis, 565. d.
Bruno *de Seyn* archiepiſcopus Colonienſis creatur, 567. c.
Bruno IV. *archiepiſcopus* à Philippo rege in prælio captus, 568. a. Liberatur, ibid. b. Moritur, 568. c.
Bruno archiepiſcopus Trevirenſis, 171. c. 505. a. 510. d. Ejus genus & ingenium, 186. b. Conſecratur Moguntiæ, 186. d. Trevitim accedit, & poſt annum Romam proficiſcitur, 186. d. Increpatur in concilio de inveſtitura laïcali, 187. a. Epiſcopalia deponit inſignia quæ ei reſtituuntur, 187. b. Pœnitentiam impoſitam peragit, 187. b.

187. b. Conciones habet ad populum, 187. c. Eum imperator patrem ſuum vocat, 187. d. Vicedominus regiæ curiæ creatur, 187. e. Ipſi offenſus Adalbertus Moguntinus, 188. a. Eo quo tamen fidejuſſorem ſe præbet apud imperatorem indignatum adverſus eum, 188. b. Hæreſim impugnat, ibid. d. Judæum medicum ad fidem convertit, 190. d. Vitiis quibuſdam maculatur, 191. a. & ſeq. Eccleſiæ ſuæ privilegia a Calixto confirmari curat, 193. b. Prædones anathemate ferit, 194. a. Piis operibus vacat, 194. c. d. Moritur, 195. b.

Bruno canonicus Trevirenſis electus archiepiſcopus poſt Meginherum, electioni renunciat, 197. b. Fit archiepiſcopus Colonienſis, 197. c.

Bruno epiſcopus Tullenſis, 171. d. 1058. b. 1059. d.

Bruno Virzeburgenſis epiſcopus, 887. c.

Bruno chorepiſcopus, 520. b.

Bruno Bunnenſis præpoſitus, 230. c.

Bruno archidiaconus vexat Andaginenſem eccleſiam, 1016. c. 1017. d.

Bruno cancellarius Ottonis I. imperatoris, 151. c.

Bruno comes, 1080. a.

Brunſwicenſis dux bellum infert archiepiſcopo Moguntino, 56 c.

Brunſwicenſis dux Fridericus, 49. c.

Buggo Wormatienſis epiſcopus fundat monaſterium *Franckanthall*, 562.

Buggo comes, 518. c.

Bulgari ad fidem converſi, 537. c. Eorum rex factus monachus, 538. a Filium a fide deficientem lumine privat, 538 b.

Bulla aurea de electione imperatorum, 587. a.

Bullonienſi pro caſtello contendunt inter ſe *Godefridus marchio* & *Albertus* comes Namurcenſis, 955. d. & 957. d.

Bulloniі comitatus venditus epiſcopo Leodienſi, 559. b. 1097. a.

Bullonicus triumphus, 1085, a.

Bullonium invadunt fugitivi Leodienſes, 1330. c & ſeqq.

Buolo abbas, 518. a.

Burchardus epiſcopus, 518. b.

Burchardus epiſcopus Aquenſis, 515. a.

Burchardus epiſcopus Metenſis ab Hugone archiepiſcopo Lugdunenſi ordinatus, 978. c.

Burcilardus *Fuiſiacum*, abbas Epternacenſis, 516. b. Per monachos S. Maximini reformat monaſterium, 516. b. c.

Burchardus comes occiſus, 518. c.

Burchart comes, 517. c.

Burgundiam ſubjugat Carolus Martellus, 532. c.

Burgundiæ dux advocatus S. Maximini, 768. b.

Burgundiæ duci decima bonorum eccleſiæ conceditur ab Eugenio IV. 1211. d. Ducatum Luxemburgenſem acquirit, 1217. d. Ipſi adverſarios concitat Ludovicus XI. rex, 743. a Qui Burgundiam totam obtinet, 1370. c.

Burgundiæ dux Leodienſium protector, 743. d. e. Burgundiæ ducis filii ſimulacrum patibulo ſuſpendunt Dinantenſes, 744. d. e. *Ducis Burgundiæ tentorium incendunt* Leodienſes, 1341. c. Ejus teſtas vaſtant, 743. b. Ab ejus facie fugiunt, 1338. a. Una cum rege Leodium advenit, 1338. d. Qui conſilium ei dat deſtruendæ civitatis, 1343. c. Quam capiunt & diripiunt, 1341. c.

Burgundiæ ducem diffidat Everardus de Marka, 1214. b.

Burgundiæ dux Carolus, 608. d. c. 609. b. 612. c. 613. a. 619. c. 761. a. 797. b. 789. a. 813. c. 1271. d. 1278. d. 1282. d. 1284. a. 1296. c. 1297. a. b. 1329. c. Summo gaudio recipitur Lovanii, 1226. c Ducem Gueldriæ conjicit in carcerem, 764. c. 766. a. Nanceium obſidens perit, 620. d. & ſeqq. Philippus, 693. c. 671. c. 750. c. 751. d. e. 752. e. 763. a. 793. d. 796. d. 798. c. d. 1161. e. 1194. b. 1202. a. & ſeqq. 1294. d. Brabantiam &c. invadit, 600. a. Leodienſes domat, 744. b. Ejus obitus, 1308. b. Exequiæ, 1329. a.

Burgundionum ſignum militare etux S. Andreæ, 758. c.

Burgundicum bellum, 576. b.

Burſten oppidum occupare tentat Schenchius, 732. d.

C.

CAbellionenſis factio, 795. c. *Cabellionenſes & Hæcſenſes inimici*, 793. c.

Cæleſtinus III. papa, 557. d.

Cæleſtini papæ IV. obitus, 248. b.

Cæleſtinus papa V. 356. b.

Cæſaris inſulam capere tentant Clautius & Schenkius, 683. c.

Calendarium Gregorianum, 642. c.

Caletium a Gallis expugnatum, 1161. c.

Caleſii obſidio per ducem Burgundiæ, 1210. d.

Calix aureus S. Lamberti furto ablatus, 1240. a.

Calixtus papa II. 192. c. Auguſtoduni celebrata Nativitate Domini Cluniacum tendit, 193. b. Ejus reſcriptum adverſus Adalbertum Moguntinum præſulem, pro Brunone Archiepiſcopo Trevirenſi, 193. c.

Calixtus papa III. 1193. b. 1402. c. Ejus creatio, 1226. a 1402. c. Ad preces ducis Burgundiæ Ludovicum Borbonium creat epiſcopum Leodienſem., 1386. a.

Calviniſtæ *Franckanthall* civitatem ædificant, 562. d.

Calviniſtarum horrendum ſpectaculum, 714. e.

Cameracenſes epiſcopi David, 1229. a. Gerardus, 867. c. 922. c. Guido, 1100. d. Herluinus, 865. c. Rothardus, 865. c.

Camillus Capozuza, 687. a.

Cancellarius Arnulfi regis Anſpertus, 146. d.

Cancellarius Ottonis I. imperatoris Bruno, 151. c.

Cancellarius Ottonis III. Hildibaldus, 157.

Canon miſſæ ſubmiſſa voce recitatus 190. a. c.

Canonici cujuſdam, facti monachi, vita auſtera, 1087. b.

Canonici regulares quando orti, 321.

Canonici Colonienſes ſub abbate vivebant, 521. Quidam fiunt regulares, 523.

Canonici regulares in eccleſia Trevirenſi quando deſierunt, 155. b. Plures in Germania communem vitam abjiciunt, 541. c.

Canonicorum veſtis alba, 164. d.

Canonicorum decretorum liber, 150. d.

Canonizatio S. Simeonis recluſi, 167. b.

Cantuar. arch. S. Thomas, 1095. e.

Capitula generalia monachorum, 240. c.

Capitulum provinciale monachorum nigrorum, 1371. a. c.

Capitulum provinciale monachorum ordinis S. Benedicti apud S. Pantaleonem. 1131. e.

Cardinales in monaſterio S Remigii qui, 926. c. 960. c.

Caritas ſalis, 625. c.

Carmelitarum generalis Johannes *Sorech*, 1252. c. 1253. b. 1254. a.

Carolomannus fit monachus in Soracte monte, deinde in Caſinenſi, 533. d. Ubi coquinæ officium exercens a coquo percutitur, 534. b. Viennæ mortuus, 535. b.

Carolomannus rex Francorum, 540. a.

Carlomannus filius Lodovici pii, 506. d. Propter apoſtaſiam excœcatus, 506. e.

Carlomanno filio Caroli regis Franciæ datur abbatia Epternacenſis, 459. d.

Carlomannus rex Bajoariorum, 507. a.

Carolomannus patet Arnulfi regis. 156. a.

Carolus magnus rex, 505. d. Imperator, 535. c. Binos pontes ſuper Rhenum conſtruit, 536. d. Ejus obitus, 536. c. 855. d. Tranſlatio, 1039. c.

Carolus Calvus imperator, 461. b.

Carolus Craſſus imperator, 461. b. 539. c.

Carolus imperator, 432. a.

Carolus rex 165. a.

Carolus IV. ex rege Bohemiæ imperator, 26. a. 422. a. b. 427. b. 431. d. 514. c. Ejus electio in regem Romanorum, 414. a. 418. d. 586. a. Bullam facit auream de electione imperatoris 587. a. Feſtum clavorum, lanceæ & coro æ Domini procurat, 587. a Univerſitatem Pragenſem erigit, 5. Juliacenſem comitatum erigit in ducatum, 586. c. Conventum Metenſem habet, 586. d. Nova thelonea inſtituit, 586. a. Friderici archiepiſcopi Colonienſis electionem conatur impedire, 589. c. Ei reconciliatur dominus *de Virtinburg*, 428. a.

Carolus V. imperator, 575. a. Ejus nativitas, 629. c. Anno ætatis XV. Brabantiæ principatum ſuſcipit, 630. c. Creatur imperator, 630. d. Ejus victoria in Lutheranos, 676. c. Romam obſidet, 631. c. Obit 1161. d.

Carolus Martellus, 532. b. Saracenos apud Narbonam vincit, 532. d. 533. b. Saxones tributarios facit, 532. d. 533. c. Eudonem vita & principatu privat, 532. d. 533. b. Bajoarios armis ſubigit, 532. c. Lantfridum ducem Alemannorum vincit, 532. c. Saxones debellat, 532. Suevos & Bajoarios, 532. d. Burgundiam ſubjugat, 532. e. Obit 533. c.

Carolus ſimplex rex, 151. b. 540. a. Ejus diploma de abbatia S. Servatii Trajectenſis eccleſiæ Trevirenſi reſtituta, 148. c. 149. c.

Carolus Valeſius, 387. c.

Carolus VI. rex Franciæ arma movet in ducem Geldriæ, 437 b.

Carolus filius regis Franciæ, 1240. d.

Carolo VII. ſubditur Normannia 741. a. b. Ejus obitus, 1246. c.

Carolus VIII. rex Francorum Britanniæ heredem ſibi matrimonio copulat, rejecta Margarita filia Maximiliani, quæ ei deſponſata erat, 627. e. Neapolitanum regnum ſubjugat & perdit, 628. e.

Carolus rex Siciliæ Manfredum & Corradinum cædit, 336. c. d.

Carolus patet Arnulfi regis. 146. a.

Carolus avunculus Arnulfi regis, 146. a.

Carolus filius Ludovici Balbi, 507. b. 509. c.

Carolus frater Ludovici XI. regis, 1393. c. Tranſit ad Britanniæ ducem, 1394. b. Eum rex *revocare conatur*, 1394. c. Eique offert Normanniam, 1395. b. Quam ipſi aſſignat, 747. d.

Carolus dux Auſtriæ, 674. e.

Carolus dux Brabantiæ, 1310. d. 1311. c. 1312. e.

Carolus Audax dux Burgundiæ, 619. b. 622. c. 665. c. 786. b. 787. b. 789. b. 792. c. 793. d. 813. c. 820. a. 1228. e. 1287. a 1289. a. 1295. a. 1301. c. 1367. e. 1412. e. Succedit Philippo patri, 1389. b. Cujus parentalia facit, 1417. c. Ejus clementia, 761. Ejus nuptiæ, 1329. e. 1420. d. e. *Nuptiarum* convivium, 1423. e. Certamina ad ſpectaculum inſtituta, 1426. a. & ſeqq. Aſpirat ad regiam dignitatem, 767. d. 1366. c. Propterea convenit imperatorem, ibid. c. & ſeqq. 769. c. & ſeqq. a quo illuditur, 770. a. Omnibus terrori eſt, 798. b. c. Expugnat Loſanam, 619 d. Invitat legatum ut ſecu veniat Bruxellam, 1430. b. ubi receptus cum magna ſolemnitate, 1355. c. Tranſit in Geltriam, ubi & plura expugnat oppida, 611. b. 1355. e. Ducem Geldriæ in ſe conſpirantem conjicit in carcerem, 764. c. 766. a. Ejus ducatum conquirit, 766. b. & ſeq. Ducatus Geldriæ inveſtituram ab imperatore, facto ſibi hominio, recipit, 768. c. Pacem cum rege facit pro voto, 1282. d. e. Ei datur Picardia, 608. d. Treugas novem annorum facit cum rege Francorum, 1357. d. Præparat ſe ad eundum contra regem Franciæ, 1271. d. 1430. d. Eum emollire tentat miſſus a rege Franciæ Lugdunenſis archiepiſcopus. 1430. e. Regem Angliæ fugientem in Hollandiam excipit, 1351. d. A Leodienſibus diffidatur, 1279. b. Cum rege Ludovico armat in Leodios, 1431. d. & ſeqq. Leodienſes vaſtat, 605. e. Properat adverſus Dinantum, 1243. d. e. Tungros jubet incendi, 1347. c. Intrat urbem S. Trudonis, 1284. a. Leodium capit, 1389. c. & ingentem cædem facit, 609 b. &c. Pacem facit cum Leodienſibus, 1285. a. Munera miſit eccleſiæ Leodienſi ob excidium civitatis ab eo patratum, 1352. c. 1438. b. *Conſpiratio in eum*, 1352. b.

Carolus dux Burgundiæ receptus Lovanii in ducem Brabantiæ, 1309. b. Gandavenſes male excipit, 1346. c. Viſitat ſuum comitatum Ferretenſem, 770. c. Qui ab eo deficit, 772. Illum recuperare cogitat, 773. c. Ejus auxilium adverſus ſuos deprecatur archiepiſcopus Colonienſis, 771. b. c. Qui ipſum conſtituit eccleſiæ Colonienſis advocatum, 771. d. Ejus deffenſionem adverſus ſuos ſuſcipit, 612. c. & ſeqq. Noveſium obſidet, 613. a. 618. a. 773. c. 774. c. 1357. a. caſtra imperialia invadit, 781. d. e. Obſidionem Noveſienſem ſolvit, 632. b. Pacem facit cum imperatore, 783. c. & ſeqq. Arma convertit in Lotharingiam, 619. c. eam ſubjugat, 1354. d. Suitenſium civitate expugnata, omnes cives trucidari jubet, 1358. a. Ab ipſis ipſe viciſſim cæditur, 619. d. 621. c. 1358. b. c. Ei plures urbes aufert rex Francorum in Picardia, Helvetii in ſuperiori Burgundia, 617. d. Nanceium obſidet, & ibi perit, 620. d. & ſeq. 1358. c. & ſeqq.

Carolus dux Geldriæ, 724. b. 784. a. Ei bellum indicit Maximilianus. 629. d. e.

Carolus dux Lotharingiæ, 130. a.

Carolus marchio *de Baden*, 1269. d. 1272. b. 1274. d. 1277. d.

Carolus frater marchionis Badenſis, 608. c.

Carolus Caroleſienſis comes Leodienſes cædit, ac ſupplicibus pacem concedit, 748. a. *Ipſi filiam ſuam* in matrimoniam dare velle ſimulat Ludovicus XI. rex, 749. a.

Carolus comes Mansfeldius, 687. a. 689. d. expugnat Wachtendunckiam, 716. c.

Carolus & Ferdinandus Auſtriaci a Guilelmo Ceverino *principe* & Adriano Florentio Lovanienſi cancellario inſtituti, 630. c.

Carolus de Linthris domicellus, 1223. b.

Carolus Truchſeſius, 642. b.

Carolus Truchſeſius ab imperatore proſcriptus, 647. d. Capitur, ibid. e.

Carpenam caſtrum expugnat & deſtruit Fridericus archiepiſcopus Colonienſis, 562. a. Siffridus archiepiſcopus Colonienſis, 576. a.

Carthuſienſium origo, 1078. d.

Carthuſia Colonienſis, 584. e.

Carthuſia Moguntina, 581. e.

Carthuſia Trevirenſis, 584. Eam dedicat Balduinus archiepiſcopus Trevirenſis, 415. a.

Caſparus *Blanckenmayer* Noveſium relinquit, 736.

Caſtellanus novas acquirit inſulas, 630. a.

Caſtellonii comes legatus regis Franciæ ad Leodienſes, 1274. b.

Caſtorienſis epiſcopus Gedeon, 1157. b.

Catalaunenſes epiſcopi Gaugericus, 1104. a. Rogerius, 898. a.

Cathari hæretici apud Treviros, 564. b.

Catharina ſoror regis Sueciæ, Daniæ & Norvegiæ, 134. d. 135. b. Petitur uxor Johanni duci, Ruperti imperatoris filio, ibid.

Cathenæ S. Petri virtus, 1035. e.

Caviniacus fiſcus datus Theodorico abbati S. Huberti, 941. e.

S. Ceciliæ abbatiſſa Ida, 839. 843. c. 834. a.

Cellæ canonicorum regularium viles, 555. e.

Cellæ Chimenſis fundatio, 972. d.

Cellæ Eberneicurtis erectio, 929. a.

Cellæ Porcenſis fundatio, 972. b.

Cella Pyrenſis, 919. a. *Ipſius* donatio facta S. Huberto, 930. b.

Cellitarum domus fratribus Noveſianis offertur, 662. a.

S. Celſi Trevirenſis archiepiſcopi inventio, 157. b.

Cherinthus hæreſiarcha, 979. a. b.

Chorepiſcopos propter inſolentiam removit Eccleſia, 879. a.

Chriſtianus comes, 149. c.

S. Chriſtina *de Stommel*, 584. b.

Chriſtophorus Columba Genevenſis auriferas inſulas detegit, 628. a.

Ciſtercienſis ordinis initium, 1079. c.

S. Claræ cœnobium Coloniæ & Noveſii, 581. c.

Clariſſæ Noveſienſes ſuum monaſterium reſtaurant, 735. c.

Clauſtrum *monaſterium*, 229. b. 246. b.

Clauſtri Abbates Giſelbertus, 213. c. Hermannus, 124. c.

Clavus Domini, 158. d. 168. e. 229. d. 271. e.

Clemens II. papa, 517. c. 962. b.

Clemens III. antipapa, 175. a. 177. d. 178. a. 180. d.

Clementis *papæ III. creatio*, 223. a. Schiſmati Trevirenſi finem imponit, 225. e.

Clemens papa IV. vir magnæ auctoritatis & doctus, 306. b. Proceſſum in Henricum electum Trevirenſem inchoatum terminare ſatagit, 306. b. 325. b. Sententiam depoſitionis in eum pronunciat, 307. d. Ejus obitus, 314. b.

Clemens papa V. 377. a. d. 378. b. 581. a.

Clemens VI. papa, 425. e. Henricum archiepiſcopum Moguntinum pontificali honore privat, 416. e. Flagellatorum hæreſim extinguit, 419. b.

Clemens papa VII. 1119. c.

Clemens abbas, 517. e.

Clerici per laïcos examinati, 1245. a. *Ad laïcos non pertinet* judicare clericos niſi uxoratos, 1245, e.

Clevenſes comites *Adolfus de Marcka*, 588. a. 592. d. 599. b. Gerardus, 599. b. c.

Clevenſis comitatus in ducatum erectus, 597. d.

Clevorum dux Johannes, 523. e. 629. a. 674. a. 697. b.

Clevenſis dux expugnat Dusbergenſem civitatem, 608. e.

Clivenſis dux Mariam *ducis Burgundiæ* filiam filio ſuo copulare tentat, 787. a. & ſeqq.

Clodoveus *filius Dagoberti*, 505. c.

Clodoveus filius Clodovei, 505. c.

Clotten caſtrum datum eccleſiæ Trevirenſi, 351. b.

Cloutinus patriæ ſuæ inimicus, 679. e.

Cloutii Capitanei immanitas, 688.

Cloutius & Schenkius Cæſaris inſulam capere tentant, 683.

Clugenſis epiſcopus Silveſter, 1374. c.

Cluniacenſis abbas Hugo, 171. c. 942. e. 979. c. 1096. b.

Cluniacenſium ſocietas cum S. Laurentio Leodienſi, 1096. b.

Cœnæ Domini ritus, 952. a. d.

Colinus *Plieck* abbas Epternacenſis, 515. b.

Collecta per totum imperium ad extirpandos Huſſitas, 600. a.

Colonienſes archiepiſcopi Adelwinus, 532. a. Adolfus 225. a. 226. a. Adolphus *de Attenoë*, 557. d. 566. a b. 567. c. & ſeqq. Anno, 172. b. 188. c. 343. d. 505. b. 544. e. 551. b. 928. a. 945. a. 950. c. 951. b. 1069. b. Arnoldus, 200. a. 203. b. 511. b 562. e. Arnoldus II. 1563. Balduinus 399. b. Bruno, ejus geſta, 226. a. d. 227. a. 230. d. e. 541. a. b. Bruno II. 562. a. Bruno *de Altenoe*, 565. d. Bruno IV. 567. c. d. e. 568. a c. 843. d. 860. a. 1035. a. Conradus 251. b. c. 254. c. 572. b. e. 573. e. 574. a. Cunibertus, 919. c. Coadjutor Cuno, 430. c. Engelbertus I. 241. a. 558. a. 569. b. 570. c. Ejus cædes, 241. c. Engelbertus II. 574. a. c. 1118. a. Erneſtus, 529. c. 737. a. 641. c. 649. c. 651. e. 655. c. d. 671. a. 697. b. 717. e. 637. b. Evergerus, 542. c. Ferdinandus 530. a. Fridericus, 7. a. 9. b. 11. a. 12. e. 13. c. 14. d. 15. c. 186. d. Fridericus II. 562. a. 563. c. 593. d. 594. b. Frideticus Sarwerdenſis comes, 589. b. 592. b. 591. c. 596. b. d. 1019. d. Gero, 542. a. b. Guntherus, 536. e. 537. a. 856. d. Henricus 384. b. 388. c. 404. c. 406. d. Pacem violat, 407. a. c. *Henricus de Molenarck*, 571. c. Henricus IV. 571. a. 580. e. 583. b. c. 584. d. S. Heribertus, 542. d. 543. d 544. b. 867. d. 871. d. 1042. a. 1045. e. 1046. a. 1052. e. 1067. b. Hermannus, 520. a. 544. c. d. 561. a. 618. c. 623. c. 858. a. 860. e. 887. e. Hildeboldus, 536. a. 920. d. 1017. b. Hildinus, 860. e. Hildolphus, 554. e. 555. b. Hugo, 562. e. Johannes *de Wirnenburg*, 587. d. Ludolphus de Marca, 430. c. 431. a. Petrus, 399. b. Philippus ab Hinsberg, 531. b. 551. b. 556. a. 565. b. Piligrinus, 142. d. 544. e. 850. e. 881. d. 1062. c. 1092. e. 1165. e. 1167. c. 1170. b. c. 1171. c. 1172. c. 1173. c. Raynaldus, 556. b. ſive Reinholdus, 563. c. 564. a. Ricolfus, 535. d. Robertus dux Bavariæ, 607. b. 608. b. 609. c. 612. b 618. c. Rupertus, 717. e. Siffridus, 340. d. 341. a. 347. d. 348. b. 574. e. 575. b. d. 576. a. c. 577. a. 578. c. e. 579. b. c. d. 583. a. Sigiwinus, 555. b. c. Theodericus, 227. c. 253. b. 597. a. e. 598. c. 599. e. 603. a. Theodorus, 606. c. 607. a. b. Truchſeſius apoſtata, 525. b. 531. b. Walramus de Juliaco, 416. e. 542. c. 584. d. 686. a. Moritur, 586. b. Warinus, 538. d. Wickebaldus, 568. 579. d. e. Willelmus, 539. c. 586. b. 587 e. Willibertus, 857. d. 858. a. Wolmarus, 541. c. 542. a.

Colonienſis electus, 246. e. Johannes *Schlechter* Tremonienſis ordin. Minorum epiſcopus ſuffraganeus Colonienſis, 603. c.

Colonienſis Decanus Ulricus *de Mandreſcheit*, 448. b.

Colonia poſt Moguntiam caput & princeps civitatum Galliarum, 550. d. Poſt Romam infinito ſanctorum numero inſignita. 912. d. Multis martyrum millibus inſignis, 847. c. Turribus & muris cingitur, 555. b.

Colonienſis baſilica igne icta, 536. e.

Colonienſis archiepiſcopi eſt coronare imperatorem, 28. c.

Colonienſis ſedes vacat ſeptem annis, 857. d.

Colonia paret imperatoribus, & non archiepiſcopo, 540. e.

Coloniæ novum regimen, 595. b.

Colonia interdicta, 592. e.

Colonienſes excommunicati, 569. a. Abſolvuntur, 580. a.

Colonienſibus bellum *indicit Wichodus* archiepiſcopus, 580. a. Juſſu Ludovici imperatoris contra Henricum archiepiſcopum ad *bellum* proceduni, 583. c. e. Eorum cum archiepiſcopo & clero ſimultas, 788. c. Colonienſis archiepiſc. in prælio captus, 381. a.

Coloniæ obſidio, 226. c. 567. c. 593. d. Colonienſes jugum *archiepiſcopi excutiunt*, 577. e. Plures pagos devaſtant 594. a.

Colonienſis eccleſiæ terras depopulatur Walramus *comes* Juliacenſis, 577. c. d.

Colonienſium bellum cum comite de Monte, 573. b. Colonienſem provinciam devaſtant Montenſes, 598. a. Colonienſes inter & Montenſes pacem procurat Sigiſmundus, 598. e.

Coloniæ orta ſeditio, 574. b. c. d. 591. d. adverſus S. Annonem archiepiſcopum, 545. b.

Coloniæ pars conflagrat, 581. d. ingens in ea annonæ caritas, 627. e.

Colonienſis ſenatus legatio ad principem Parmenſem, 696. b.

Colonienſis *provinciæ conventus* Brulæ, 712. d.

Colonienſes canonici rubrum ſuperpellicium a papa impetrant, 627. b. ſub abbate vivebant, 521.

Colonienſis monaſterii. S. Martini fundatio, 542. b.

Communis vita in eccleſia Trevirenſi, 234. d. 235. c.

Conceptionis feſtum, 1080. e.

Concilium pro extinctione ſchiſmatis petitur, 49. e. 50. a.

Concilium Aquileienſe, 849. d. Sub Ludovico Pio, 1097. e.

Concilium Baſileenſe, 602. d. 1131. e. 1211. c.

Concilium Claromontanum, 1078. e.

Concilium Colonienſe, 1222. b.

Concilium Coloniæ inditum celebrari impedit Otbertus epiſcopus Leodienſis, 1021. b.

Concilium Conſtantienſe, 597. a.

Concilium Florentinum 1211. c.

Concilium Lateranenſe, 240. b. 1097. a.

Concilium Lugdunense, 336. d. 574. d. 1107. d.
Concilium Moguntinum, 244. c.
Concilium Mosomense, 220. a 221. a.
Concilium Remense pro depositione Arnulfi archiepiscopi, 1041. c.
Concilium Remense sub Leone IX. 171. d.
Concilium Romanum sub Johanne XII. 1037. a.
Concilium Suessionense, 971. d.
Concilium Trevirense, 150. d.
Concilium Tridentinum, 1157. c.
Concilium Viennense, 581. a.
Condemn a Francis inceditur, 1367. d.
Confessio ante pugnam, 206. a.
Confessio pluribus facta, 908. a
Confessio generalis, 1027.
Conflictus Leodii ad S. Leonardum, 1339. b.
Confluentium igne devastat Otto IV. imperator. 567. a.
Conjuratio Coloniæ, 727. c.
Conjuratio in Maximilianum Cæsarem, 626. d.
Cono episcopus Trevirensis, 593. c. Occiditur, 171. c.
Cono comes, 997. c.
Cono Montis Acutus comes. 966. a. 986. a 987. c
Cononis comitis obitus, 1022. c.
Cono filius Gozilonis comitis Bohaniæ, 934. c.
Conradus archiepiscopus Coloniensis, 246. c. 251. b. c 254. c 550. b. 573. c. 1104. a Ecclesiam cathedralem incipit, 572. c. Multa acquirit, 573.
Conradus de Hesseden archiepiscopus Coloniensis, 572 b. 574. a.
Conradus archiepiscopus Moguntinus, 226. b. 455. c.
Conradus arch. Trevirensis, 171. c.
Conradus episcop s Hildesheimensis, 245. d.
Conradus Portuensis episcopus, cardinalis, 241. c.
Conradus Spirensis episcopus, 227 b. 568. b
Conradus Trajectensis episcopus, 420. a. 475. c.
Conradus episcopus Tullensis, 195. c.
Conradus episcopus Veredensis, 72. c Legatus imperatoris Romam ad papam, 76. b.
Conradus de Marburch apostolicæ sedis legatus, hæreticos in Germania persequitur, 242. d Ejus cædes, ibid Cædes & sepultura in templo S Elisabeth, 245. a. b.
Conradus de Argentina prior Prædicatorum Trevirensium, 241. c
Conradus vicarius S Mariæ de Confluentia in carcere detentus, 478 c.
Conradus cultor Leodiensis, 1375. a.
Conradus rex Romanorum, 206 b.
Conradus imperator 462. a. 517. b. 568. a. 1057. d. 10 8 a. 1066. a. 1168. c. 1171. a. 1176. a. Vasonem capellanum Atiboni archiepiscopo Moguntino subrogare cogitat. 882 b. mittit in Italia, 886. c.
Conradus Sueviæ dux invadit imperium, & ab Honorio II excommunicatur, 196. c. Regnum Italiæ aut invadere cupidus, 197. a Meginguerum archiepiscopum Romam tendentem capit, 197. c. Reconciliatur Lothario imperatori, 199 c Ejus in regnum subimatur, 199 e. Ejus electionem impugnat Henricus dux Saxoniæ, 200. b Imperator inauguratur, 544. b.c.
Conradus imperator II. 171. b. 1084. d. Infausto exitu expeditionem Jerosolymitanam suscipit, 1086. b.
Conradus filius Friderici imperatoris, 246. c. 249. b.
Conradus Friderici II. imperatoris filius in prælio victus a Ratpone Lantgravio Thuringiæ, 253. b. Eumdem repressit Wilhelmus imperator, 233. d.
Conradus imperator Treverim petit, 248. d. 461. c.
Conradus de Wenelinga rex, 461. d.
Conradus dux, 517. b.
Conradus comes 519 b. Occisus, 519. b.
Conradus comes Hirsutus. 230. a.
Conradus comes Kilewe, 232. c.
Conradus comes Luzelenburgensis, 172. c. 193. a filius Giselberti comitis de Lucelemburg, 165. c.
Conradus comes Palatinus, 229. c.
Conradus comes Rhenanus, 20. c.
Conradus de Dicka vir nobilis, 570. c.
Conradus de Friburg, 43 b.
Conradus de Lers vir nobilis, 1240. d.
Conradus Marescallus de Papenheim, 56. c.
Conradus de Tors, 242. d.
Conradus filius Friderici abbatis, 1099. b.
Conradi Worstii zelus pro conservanda domo Novesiensi, 635. b.
Consanguinitatis gradus matrimonium impedientes, 240. b.
Conspiratio in archiepiscopum Coloniensem, 546. c.
Conspiratio in episcopum Leodiensem, 1217. d.
Conspiratio in abbatem Fuldensem, 552. b.
Constantinopolis expugnatio, 606. b.
Constantinus Copronymus, 533. c.
Constantinus imperator Græcorum occiditur, 606. b.
Conventus Coloniensis adversus Truchsesium, 639. c.
Conventus Francofurtensis, 245. c.
Conventus apud Lutram ad sedandum schisma Trevirense, 215. b.
Conventus Metensis sub Carolo IV. 586. d.
Coradinus filius Friderici imperatoris a Carolo rege Siciliæ cæsus, 336. d.
Corbeia capta, 780
Corionanus apostolicæ sedis legatus, 530. a. d.
Cornelius bastardus ducis Burgundiæ, 1215. a.
Cornelius gubernator Luxemburgensis occisus, 1222 d.
Corporis Christi festum in concilio Viennensi confirmatum, 581. a.
Corporis Christi monasterium, 586 d.
Convocatio nobilium Hagis Hollandiæ, 1349. d.
Covinum spoliatum, 1209. a.
Crescentii Patricii supplicium, 1041. c.
Crucigerorum ordo, 560. c.
Crux lignea mediis in flammis servata, 563 b.
Crucis ante se deferendæ privilegium Paschalis Trevirensi archiepiscopo concedit hic edictus VIII. papa, 163. d.
Crux S. Andreæ signum militare Burgundionum, 718. c.
S. Crucis ecclesia Leodii fundatur, 863. b.
Cumeliamus de Coleren, 20 d.
S. Cunegundis imperatrix, 159. b.
Cuniberti us archiepiscop. Coloniensis, 519. c.
Cunigundis comitissa Ottoni Saxonico nupta ab eo separata, apud S. Hubertum reclusa vixit, 960. c.
Cuno archiepiscopus Trevirensis, 173. b. cælitur, 173. d. e.
Cunonis de Falkenstein episcopi Trevirensis gesta, 424. a. Ejus parentes & fratres, 424. b. Militari exercitio se mancipavit, 424. c. Nepotum suorum tutelam ab imperatore obtinet, 424. c. Tutores a suo fratre constitutos cedere cogit, 425. a. Carolo in regem Romanorum electo se opponit, 425. d. Oppidum Oppenheim expugnat, 425. e. Opponit se Gerlaco designato archiepiscopo Moguntino, 426 a. Conspiratio in eum, 426 b. Pingwensium manus evadit, 426. c. Coppense oppidum ab ipsis oppugnatum defendit, 426 c. Cum Gerlaco archiepiscopo Moguntino pacem facit, 427. c Carolo imperatori reconciliat dominum de Wirtemburg, 428 a. Fit coadjutor Bohemundi archiepiscopi Trevirensis, 428. e. Hostes ecclesiæ Trevirensis domat, 429 a. b Fit archiepiscopus Trevirensis, 429 b. Ab Innocentio VI papa confirmatur. ibid. e. Consecratur, 430. a. Cives Trevirenses rebellantes comprimit, 430 b. Fit coadjutor Coloniensis, 430. d. & 588 b. Illius ecclesiæ debita solvit, & hostes domat, 430 e. Castra alienata redimit, 588 e. Electus Coloniensis archiepiscopatum nepoti resignat, 431. a. & b. Moguntinum archiepiscopatum recusat, 431. d. Archiepiscopatum Trevirensem præclare gessit, 431. e. Imperatorem pluries recepit, 431. a. 432. c. Archiepiscopatum Trevirensem Werinhero resignat, 432. c Ejus obitus, 433. c. Ordinatio pro capellano S. Nicolai & S. Georgii, 434. c.
Cuno abbas Sigebergensis, 1078. c.
Cuno comes 1174. c.
Cuono scholasticus, 517. d.
Cuono dux, 518. a.
Cuonradus puer filius imperatoris, 518. a.
Curia Christi Moguntiæ celebrata, 221. c. 222. c
Curtiacense prælium, 382.
Cymmacum à Francis expugnatum, 1158. b.

D

Dado episcopus, 149. c.
Dagobertus rex Francorum, 191. 454. a.
Damasus pap. II. 903. a.
Damieta a Christianis expugnata, 240. c. & perdita, 240. d. a Sarracenis everta, 533. d.
Damnatorum multitudo, 564. b.
Daniel prior fratrum Prædicatorum Trevirensium, 468. c.
Dani facti Christiani, 540. d.
Daniæ rex Ericus, 134. b. d Regina Margarita, 133. d. 134. d. 139 d.
Dava triæ obsidio, 1231. c.
David episcopus Cameracensis & Trajectensis, 1229. a.
David de Burgundia episcopus Trajectensis, 796. d. 823. b.
Decimas extorquet Henricus IV. imperator, 555 a.
Decimas ecclesiasticas a Salisburgensi archiepiscopatu petit Rupertus imperator, 128. d.
Dedi comes, 518. d.
Degano abbas, 518. e.
Deodorus comes de Marcha, 591. d. e.
Deodwinus episcopus Leodiensis, 851. b. 923. b 941. a.
Derrichus de Dyka comes præpositus Novesiensis, 558. b.
Desiderius rex Italiæ missus in exilium Leodium, 855. d.
Diaconus ante presbyterum sedere non debet, 879. a.
Dæta Abusiaci, 59. c.
Dæta Antuerpiæ. 1374 b.
Dæta Aquisgrani, 1375. c.
Dæta Augustana, 127 c.
Dæta Bovinæ. 1356. c.
Dæta Bruxellensis, 1298. c. 1326. b.
Dæta Chivensis, 110. c.
Dæta Coloniæ, 1289. c.
Dæta Francofurti, 31, c.
Dæta in Hoyo, 1262. c.
Dæta *Lanstein*, 13. c. 14. b. d. 15. c.
Dæta Leodiensis, 1367. b. 1369. b. c. 1374. a.
Dæta Lovaniensis 1226. c. 1248. d. 1378. c.
Dæta in oppido Mazir, 1367 b.
Dæta Metensis, 38 e. 42. b 46 b.c. 49. d.
Dæta Moguntiensis, 74. d. 76. d. 93. b 94. d.
Dæta Norimbergæ, 49 b.
Dæta Solodurensis, 121. c.
Dæta Trajectensis, 1223. d. 1252. c. & seq. 1263 b. 1257 c. 1347. a.
Dæta Treviris, 1356. b.
Dæta in S Trudone, 1233. 1236. a. 1346. b. 1351. c.
Dæta in valle S. Lamberti, 1371. c.
Dæta in *Waldeck*, 94. d.
Dæta Wilpergensis, 130. c.
Dæta apud S Vitum, 33. c.
Dedericus episcopus, 517. d.
Diedericus abbas, 518. c.
Diedericus dux, 517 e.
Dietardo *de Passendorf*, neptem suam matrimonialiter copulat Henricus electus Trevirensis, 489.
Dietardus *de Catzenelnboge* comes, 593. c.
Dieterus Archiepiscopus Moguntinus ecclesiæ rebellis, 1401. e.
Diethelmus Scholasticus S. Mathiæ, 145.
Detherus archiepiscopus Trevirensis, 384. b.
Dinantenses in Burgundionum ducem a Ludovico XI. rege concitati, 760. a. b. Dinantensium superbia, 744. d. procacitas,

748. c. Simulacrum filii ducis Burgundiæ patibulo ſuſpendunt, 744. d. e. 748. c.
Diboldi comes, 518. c.
Dionanti obſidio, 1293. c. Expugnatio, 750. b. 1158. d. Obſeſſi tradunt ſe ducis Burgundiæ miſericordiæ, 1294. c. Dinantum in cineres redactum, 751. b. 1413. c. Spoliatur & incenditur, 1295. b.
S. Dionyſii eccleſia collegiata Leodii fundatur, 864. c.
Diſcordia inter archiepiſcopum & Colonienſes, 591. d.
Diſſenſio inter Leodienſes & Trevirenſes, 1212. a.
Diſſenſio inter Guillelmum de Marka & Ludovicum Borbonium, 1371. d. e.
Diſſidium inter populum & Senatum Colonienſem, 624. a. & ſeqq.
Diſſidium inter epiſcopum Leodienſem & cives, 1112. d. & ſeq. Sopitur, 1113. d.
Diſſidium inter monaſterium S. Jacobi & S. Laurentii de præcedentia, 1123. Terminatur, 1124. c.
Ditmarus archiepiſcopus, 517. c.
Dodo diſpenſator epiſcopalis menſæ, 964. c.
Dodo caſtri Cimenſis dominus, 977. c. 987. c. 990. b.
Dodo auctor martyrii S. Lamberti, 532. b. 1411. d. Præpoſitus in domo regia, 848. c. Miſere perit, 849. a.
S. Dominicus, 229. a. 567. b.
Dominicus-Guillelmus presbyter hæreticus, 188. c.
Dordrachum occupat pulſis inde Hæceſibus dominus Egmundæ, 795. d.
Dragonenſis epiſcopus de ordine Prædicatorum, 1293. a.
Drogo abbas S. Jacobi, 1179. d.
Duitvinus epiſcopus, 518. a.
Dunvaldi monaſterii fundatio, 561.
Durandus epiſcopus Leodienſis, 865. d. 871. c. Humili loco natus imperatori a S. Wolbodone commendatur, 1055. a. Obit, 1055. e. Sepultus ad S. Laurentium, 871. c.
Durandus hæreticus, 188. c.
Durdracum divinitus flagellatum, 416. a.
Durlentium expugnatum, 780. d.
Dusbergenſem civitatem expugnat dux Clevenſis, 608. c.
Dusseren monaſterium, 571. c.
Dycherus archiepiſcopus Trevetenſis, 376. c. Obitus, 377. a.

E.

EBalus comes, 978. b.
Ebalus comes Roceii, 930. d.
Eberardus archiepiſcopus Trevirenſis, 172. a. 195. c. 518. c.
Eberardus epiſcopus Babenbergenſis, 517. c.
Eberardus abbas Hambergenſis, 194. c.
Eberardus Scholaſticus S. Mathiæ, 144.
Eberardus comes, 174. a. 518. d. 519. a.
Eberardus comes Wirtenbergenſis, fit dux, 628. c.
Ebertus cantor Trevirenſis in diſcordia electus archiepiſcopus, 344. d.
Eberacenſis epiſcopus Henricus, 204. c.
Ebregiſus Tungrenſis epiſcopus, 843. c.
Ebroinus major domus, 919. d. e. 1183. d.
Eburones populi ripas Moſæ fluminis incolentes, 743. b. Sceleſtiſſimum hominum genus, 729. b. Juliacenſem ducatum incurſionibus infeſtant, ibid. & ſeqq. Sed omnino delentur, 730. b. & ſeqq. Eorum crudelitas, 686. a.
Ecbertus abbas S. Florini Catharos in diœceſi Trevirenſi confutat, 564. c.
Eccleſiæ unitati conciliandæ laborat rex Galliæ, 108. d 109. b.
Eccleſiæ reditus pauperibus erogandi, 191. e.
Ecfridus comes, 149. c.
Eduardus rex Anglorum regem Francorum diffidavit, 414. d. De Francis triumphat, 415. a.
Eduardus dux Gelriæ, 590. a.
Egilbertus archiepiſcop. Trevirenſis ſchiſmaticus, 174. b. 191. c. 508. e. Cum eſſet præpoſitus, epiſcopo decretum in eccleſia contra ſimoniacos recitanti reſiſtit, 175. b. Percuſſus anathemate mittitur ad Wicbertum, 175. d. In ſede Trevirenſi intruditur, 176. a. Ejus electioni obſiſtunt Metenſis & Tullenſis epiſcopi, 176. a. Conſecrationis munus ei negant epiſcopi, 176. d.
Egmundanus frater ducis Geldriæ, 604. c.
Egmundæ dominus Dordrachum occupat, pulſis Hæceſibus, 795. c.
Egrimontis caſtri deſtructio, 1557. b.
Eginardus abbas Fuldenſis, 517. d.
Eimericus cancellarius epiſcopi Leodienſis, 1226. b.
Eitardus epiſcopus Leodienſis. 855. d.
Elbertus abbas S. Huberti, 1090. d.
Electores imperii quando cœperunt, 543. a.
Electores imperii fœdus ineunt ad tractanda eccleſiæ & imperii negocia, 7. a. Fœdus eorum cum aliis imperii principibus, 9. b. 10. d. Invitant ducem Saxoniæ ad diætam Lauffein, 14. d. Judocum marchionem Brandeburgenſem, 15. c. Ultimo Wenceſlaum, 13. c. Depoſitionem Wenceſlai principibus ſignificant, 26. d. Ad Margravium Miſniæ & Lantgravium Haſſiæ ſcribunt, ut hominium præſtent Ruperto imperatori, 30. b. Subſidium promittunt Ruperto imperatori, 22. c.
Eleutherius Virdunenſis vir religioſus, & Henrici epiſcopi Leodienſis præceptor, 953. d.
Eligendi abbatis datur facultas Epternacenſibus monachis, 466. a.
Elinandus epiſcopus Laudunenſis, 929. a. 955. c.
S. Elizabeth obitus, 571. d.
S. Elizabeth tranſlatio. 246. a. 1099. c.
Elizabeth regina Angliæ, 631. c.
Elizabeth regina Bohemiæ, 391. d.
Elizabeth regina Franciæ, 132. c. Ipſi ſcribit Rupertus imperator, 37. c. 96. b. Cum ea negociatio. 45. a. Ejus opera hominum a comite Sabaudiæ & liberum per terras ejus tranſitum petit Rupertus imperator, 38. b. & ſeqq. Mittit legatum Ruperto imperatori, 104. a.
Ekberti archiepiſcopi Trevirenſis geſta, 155. c. De abbatia S. Servatii privilegium obtinet, 155. c. Romam profectus, inde ſanctorum reliquias refert, 157. b.
Ekkebertus abbas, 518. b.
Emehardus Scholaſticus, 518. c.
Emicus de Lapide miles, 411. b.
Emmo abbas Motinenſis, 1010. b.
Engelbertus archiepiſcopus Colonienſis, 227. a. 241. a. 431. a.
Engelbertus I. archiepiſcopus Colonienſis, 558. a. 558. c.
Engelbertus II. archiepiſcopus Colonienſis, 574. a. c. d. e.
Engelbertus III. archiepiſcopus Colonienſis, 558. d. 1118. a. Ejus cædes, 341. c. d. 569. b.
Engelbertus archiepiſcopus Trevirenſis, 171. c. 932. c. Moguntiæ conſecratus, 179. b. Sævit in clerum, 179. c. Maledictis laceſſitus, 179. d. Mordicus adhæret antipapæ, 180. b. Ei ordines ſacros conferre volenti obſiſtit clerus, 180. b. Pallium ab antipapa recipit. 180. d. Neptem ſuam in Horrenſem abbatiam intrudit, 181. a. Ejus in ſchiſmate pertinacia, 182. a. Moritur ſchiſmaticus, 185. c.
Engelbertus epiſcopus, 505. b.
Engelbertus epiſcopus Leodienſis, 115. c. 117. a. 118. a. 1500. d.
Engelbertus de Marcha, 587. c. 593. c. Ex epiſcopo Leodienſi fit archiepiſcopus Colonienſis, 587. c. Coadjutorem ſibi adſciſcit, 588. b. Vaſtat diœceſim Colonienſem, 594. c.
Engelbertus prior S. Mathiæ ab electo Trevirenſi appellat ad papam, 267. c. 284.
Engelbertus Clivenſis, 528. b. c. 825. c. 832. b.
Engelbertum fratrem ducis Clivenſis aſciſcunt Trajectenſes in patriæ advocatum, 804. c. Ei obedientiam jurant Trajectenſes, 809. a. Novam monetam cudi facit, 810. c. Acta ejus apud Trajectum, 810. d. & ſeqq. Ifelſtein oppidum obſidet, 811. b. Excommunicatus cenſuram contemnit, 818. b. & ſeqq.
Engelbertus comes de Naſſaw, 615. b.
Engelhart archiepiſcopus, 518. c.
Engeltramnus epiſcopus Laudunenſis, 6. b.
Enoch de Jupilia abbas S. Laurentii, 1105. c. 1106. a.
Epiſcopis prohibetur ſervile opus imponere, 310. b. Eccleſiaſtica definire non debent ſine cleticorum conſilio, 877. e. Epiſcoporum funus, 207. c.
Epiſtola Rupetti imperatoris ad Margaritam reginam Sueciæ, Daniæ & Novergiæ, 139. e. Ad Erneſtum comitem Palatinum Rheni & Bavariæ ducem, 83. a. Ad Ludovicum comitem Palatinum Rheni & ducem Bavariæ, 84. d. Ad civitates Germaniæ, 92. b.
Eppenhoven monaſterium fundatur, 569. d.
Eppo epiſcopus, 517. d.
Eppo miles, 517. c.
Epternacenſe breve chronicon, 505. c.
Epternacenſis eccleſiæ fundatio, 458. e. 505. a. Epternacenſibus datur facultas novi abbatis eligendi, 466. a. Eorum libertas propugnata, 453. a. & ſeqq. Privilegia imperatori exhibere deliberant, 455. a. & ſeqq.
Epternaci monachis clerici ſubſtituti, 459. d. & clericis monachi, 459. e.
Epternacenſis monaſterii prædiis auctus Brabantinus ducatus, comitatus Geldriæ & Luxemburgenſis, comitatus Flandriæ & Hollandiæ, 458. c. De rebus Epternacenſis monaſterii ampliſicatum regnum Lotharingiæ, 457. c. 458. b. c.
Epternacenſium epiſtola ad Henricum VI. imperatorem, 458. a.
Epternacenſe monaſterium conflagrat, 510. a.
Epternacenſes abbates. Adalardus comes, 460. b. Adelardus I. 506. a. b. Adelardus II. comes, 507. a. Ado, 460. b. 505. e. Albertus, 466. p. 505. d. Anſegiſus filius S. Arnulfi, 460. e. Antonius Horæus, 517. a. Arnoldus, 511. e. Arnoldus II. 512. e. Bartholomæus, 511. d. Begga ſoror S. Gertrudis, mater Pippini junioris, 460. c. Beringaudus, 460. b Bernardus de Beſort, 585. e. Berneradus epiſcopus Senonenſis, 460. b. 505. d. Bonifacius archiepiſcopus Moguntinus, 461. a. Burchardus Poiſſeyan, 51. b. Carolomannus monachus, 460. e. Carlomannus rex, 461. a. 506. c. Carolus magnus imperator, 461. a. Colinus Pliek, 515. b. Franciſcus Pliek, 515. e. Gerardus I. 460. e. Gerardus II. 509. a. b. 510. d. 511. b. Giſelbertus dux, 460. b. 507. c. 509. d. Godefridus, 453. c. 464. b. 465. c. Godefridus I. 460. e. Abbatia exuitur, 456. c. Godefridus II. 511. d. Godefridus d'Apremont, 517. a. Godinus, 460. b. Herimannus dux, 460. b. 507. d. 509. d. Henricus de Sconeck, 512. c. d. Herimannus Wel Waldeck, 514. c. Herimus, 460. b. 506. a. Hildericus rex, 461. a. Herinus, 460. b. Hieronymus, 460. b. 506. a. Humbertus, 460. e. 508. b. 510. b. Jacobus Alten-Eberſtein, 517. a. Johannes Bertelius, 507. a. Johannes Glarius, 517. a. Johannes de Novavilla, 514. b. Johannes de Winnenghen, 514. a. Ludovicus, 460. d. 511. c. Ludovicus II. 512. c. Ludovicus Pius imperator, 461. a. Martinus Maſius, 517. a. Mathias Lutzeradi, 517. a. Nicolaus Gymnich, 514. d. Petrus Fiſch, 517. a. Petrus Gymnich, 514. d. Petrus Huben, 514. e. Petrus Richardet, 517. a. Philippus, 514. c. Pippinus ſenior, 460. c. Pippinus rex, 461. a. Rabodo, 509. c. Rabodus epiſcopus, 460. b. Ravangerus, 450. a. c. 507. d. 509. e. Regimbertus, 460. c. 508. e. 510. b. Reginaldus, 506. e. Reinerius comes, 460. b. 507. b. 509. c. Reinerius II. 511. d. Richardus Paſchaſius de Beuvre, 517. a. Robertus comes, 460. b. 514. c. Robertus de Montreal, 516. a. Ruobertus, 507. b. Sifridus dux, 460. c. 507. d. 509. e. Sigoaldus epiſcopus Spoletinus, 460. b. 505. e. 506. a. Theodericus de Ati, 513. a. Theoſridus, 469. c. 508. d. e. 510. e. Theotgaudus, 460. b. Vroldus, 460. c

460. e. S. Willibrordus, 461. a. 505. d.
Willelmus de Kerpena, 514. b. Winandus *de Gluvel.*, 514. e. 515. b. Wiricus *de Ateinbach*, 514. c. Zacharias papa, 461. a.
Epternacenſes præpoſiti canonicorum, Beringaudus, 507. b. 509. c. Folcricus, 507. a. Goduinus, 507. c. 509. d. Helingaudus, 507. b. Heldinus, 507. b. Hemeradus, 507. a. Herinus, 507. c. 509. d.
Erardus de Marka, epiſcopus Leodienſis, 1151. a. c.
Eraſmus Roterodamus, 610. e.
Ercamboldus abbas, 517. d.
Ericus rex Succiæ, Daniæ & Norvegiæ, 134. b. d.
Erinfridus epiſcopus, 519.
Erkengerus comes, 149. c.
Erlimbadus archiepiſcopus Trevirenſis, 143. b.
Erlinus epiſcopus Wirceburgenſis, 1177. b.
Ermenfridus comes, 149. c.
Ermenfeadis comitiſſa Barrenſis, 225. e.
Ermentrudis comitiſſa Bohaniæ, 934. b.
Erneſtus Bavarus archiepiſcopus Colonienſis, 529. c. 640. d. 651. c. 697. b. 737. a. Eligitur archiepiſcopus Colonienſis, 641. c. 657. b. Ejus comparatio cum Ruperto, 717. c. Publicas pro pace ſupplicationes indicit, 649. e. Ejus victoriæ, 650. a. Truchſeſianos fugat, 680. b. Bonnam obſidet, 724. e. Magnas pecuniæ ſummas exigit a capitulo, quas negat. 705. d. Inſolita veſtigalia creat, 709. d. Hinc querelæ, 706. a. Erneſtianorum immanitas, 685. a. & ſeq. Poſtulatur epiſcopus Monaſterienſis, 671. a. Leodii juramentum ſeptemviratus præſtat, 655. e. Ejus epiſtola ad priorem monaſterii Corporis Chriſti, 703. b. Item ad fratres ejuſdem monaſterii, 704. c.
Erneſtus archidux Auſtriæ, 671. c. 674. b.
Erneſtus dux, 91. d. 97. d. 98. a. 130. c.
Erneſtus dux Bavariæ, 623. b. 674. c.
Erneſtum comitem Palatinum Rheni & ducem Bavariæ cum Ludovico principe reconciliare ſtudet Rupertus imperator, 83. a. 84. d. 85. c. Negociatio cum Erneſto duce Bavariæ, 85. c.
Erneſtus comes, 517. c.
Erohengoldus frater Walcandi epiſcopi Leodienſis, 920. c.
Erpo comes, 517. c.
Eva recluſa Leodii, 1105. a.
Evangelium in miſſa ab imperatore cantatum, 596. a. 597. b.
Euchariſtia ſuſpenſa, 1092. a. In Euchariſtia Chriſtus realiter præſens, 189. b. De Euchariſtia miraculum, 644. c.
Eucharius Trevirenſis archiepiſcopus, 152. d.
S. Eucharii in monaſterio hoſpitatur Eugenius III. 205. a. Eccleſiam dedicat, 201. b. Monaſterii reformatio 194. c. Abbates, Bertolfus, 207. b. Ludovicus, 213. c. Theodericus, 257. a. 267. 268. b.
Eudo Aquitaniæ princeps a Carolo Martello devictus, 533. a.
Everardus archiepiſcopus Trevirenſis, 171. d.
Everardus epiſcopus, 505. b.
Everardus abbas S. Laurentii Leodienſis, 1067. c. 1068. e.
Everardus comes, 209. c.
Everhardus comes Clivenſis, 537. b.
Everhardus comes de Marka, 577. a. 1202. c. 1210. c. 1284. c. 1313. d. Vaſtat Weſtphaliam, 577. d. Recuſat pacem cum duce Burgundiæ, 1215. a. Eum diffidat, 1214. b. Ejus obitus, 1215. c.
Everhardus *Orlenhaupt* miſſus ad tractandum cum epiſcopo Leodienſi & aliis principibus, 56. c.
Everardus de Petra, 230. a. 232. c. 333. a.
Everardus comes *de Seyne*, 230. a. 232. c.
Everhardus *de Wevelhoven* comes præpoſitus Noveſienſis, 558. b.
Everelmus abbas S. Laurentii Leodienſis, 1178. a.
Evergerus archiepiſcopus Colonienſis, 542. c.
Everlinus abbas S. Laurentii, 1086. c. 1088. c. 1089. c. e. 1091. c. 1092. c.
S. Eugendi monaſterium, 515. c.
Eugenius papa III. 1086. c. 1402. c. Ejus Treverim adventus, 203. a. Ibi natalem Domini diem celebrat, 203. c. Eccleſiam S. Euchatii & S. Paulini dedicat, 204. b. Remis concilium celebrat, 204. d.
Eugenius IV. concedit decimam duci Burgundiæ, 1211. d. Indulgentias dat conferentibus ad fabricam eccleſiæ Leodienſis, 1212. c. Ejus obitus, 1216. b.
Euraclus epiſcopus Leodienſis vir doctus, 859. c. Scholas Leodii inſtituit, 1035. b. Duo collegia canonicorum fundat, 861. c. Eccleſiæ S. Laurentii prima ponit fundamenta, 1039. a. Ibi conſecrat altare in honorem S. Xiſti, ibid. d. Moritur opere imperfecto relicto, 1040. a.
Euſtachius frater Godefridi Bullonii, 559. b.
Euſtachius miles frater Everlini abbatis S. Laurentii, 1090. d.
Exactio impoſita in diœceſi Colonienſi, 713. a.
Examinationem non poteſt delegare metropolitanus, 491. d.
Excommunicati hæretici, 244. c.
Excommunicationis efficacia, 183. a.
Expeditio ſacra, 183. c.
Expeditio Joroſolymitana, 558. & ſeqq.
Extrema Unctio ante Viaticum collata, 207. c.
Ezelinus abbas, 518. c.
Ezelinus comes Palatinus Rheni, 544. c.

F.

Falcomontem obſident Leodienſes, & ſolvunt obſidionem, 1279. d.
Falſatores monetarum excommunicati, 244. b.
Fames valida, 169. d. e. 405. a. 406. a. 682. 1066. c. Coloniæ, 627. c. in Gallia & Germania, 889. d. In Germania & Italia, 589. d.
Farabertus epiſcopus Leodienſis, 859. d.
Felix Trevirenſis archiepiſcopus, 195. b.
Felicis & Regulæ reliquiæ, 157. c.
Ferdinandus archiepiſcopus Colonienſis, 530. e.
Ferdinandus rex Hiſpaniarum *Sarracenos* Granata ejicit, 626. d. Ex tota Hiſpania, 628. c.
Ferdinandus junior Neapolitanum regnum recuperat, 628. e.
Ferdinandus archidux Auſtriæ, 677. e.
Ferdinandus frater Erneſti Bavari, 648. b.
Ferdinandus Truchſeſius Boſcoduci occiditur, 680. c.
Ferretenſis comitatus in ducem Burgundiæ rebellat, 772. c. 773. c.
Ferricus comes *de Vaudemont*, 778. d.
Feſtum clavorum, lanceæ & coronæ Domini, 587. a.
Flagellantes, 335. b. Eorum origo, 362. a. extinctio, 419. a.
Flandria tota poteſtati regiæ ſubjugatur, 363. d.
Flandrenſes comites, Balduinus, 1044. c. Guido, 363. b. Robertus 951. c.
Florbertus Scholaſticus S. Matthiæ ſcribit verſu elegiaco de Trevirorum per Normannos excidio, 144.
S. Florebertus epiſcopus Leodienſis, 855. b.
Floreſia monaſterium ordinis Præmonſtratenſis, 1027. a. c.
Florentiæ obſidio, 400. e.
Florentina negociatio, 72. c.
Florentinorum ad papam legatio pro Ruperto imperatore, 73. b.
Florentius comes Hollandiæ occiditur, 356. a.
Florinenſis monaſterii fundatio, 867. c. 1045. d.
Florinenſi abbati ſubjecta eccleſia S. Gengulfi Florinenſis, 1188. b.
Florinenſes abbates Giſlebertus, 974. c. 975. c. Gonzo, 924. a. Lambertus, 978. a. 1006. a. Wenſo, 1066. a.
Florinenſe monaſterium conflagrat, 1158. d. 1160. b.
Focariæ portent ſignum in ſuperiori veſtimento, 1225. c.
Fœdus inter Helvetios catholicos, 713. d.
Foicradus abbas, 519. a.
Folmarus archiepiſcopus Trevirenſis, 172. e. Ex archidiacono eligitur archiepiſcopus, 214. a. & ſeqq. Ejus electionem improbant legati imperatoris, 214. c. Romam adit 215. a. Fautores ejus exagitat Henricus VI. rex Romanorum, 515. d. Ab Urbano III. confirmatur, 217. a. & ab eodem conſecratur, 217. b. Quod gravius tulit imperator, 217. b. In Germaniam mutato habitu revertitur, 217. d. A Metenſi epiſcopo cum gaudio recipitur, 217. e. Cenſuras in ſuos ſine diſcretione vibrat, 217. c. Concilium Moſomum indicit, 219. c. E Francia pulſus ad regem Anglorum ſe recipit, 220. c. Monetur a papa ut a cenſuris temperet, 221. c. A Clemente III. deponitur, 223. c.
Folmariani, 218. d.
Folmarus *de Adoche* comes præpoſitus Noveſienſis, 558.
Folmarus comes de Caſtris, 232. c.
Forolivienſis epiſcopus Andreas, 783. c.
Forolivienſis archiepiſcopus Fridericus, 561. b.
Foroardus dux Spoletinus, 157. c.
Foſſa incenſa, 1205. d.
Franciæ reges, Carolus VII. 1246. c. Henricus II. 1161. b. Ludovicus XI. 1247. b. totam obtinet Burgundiam, 1370. c.
Franciæ rex arbiter pacis inter Leodienſes & electum Ludovicum Borbonium, 1238. c.
Franciæ regis legatio ad Leodienſes, 1274. a. Fœdus cum eis, 1274. d.
Franciæ reginæ, Elizabeth, 132. c. Leonora, 1161. d.
S. Franciſcus, 229. a. 568. c.
S. Franciſcus Xaverius, 567. a.
Franciſcus de Montepolitiano papæ legatus, 79. c.
Franciſcus *Vliek* abbas Epternacenſis, 515. c.
Franckanthall monaſterium duplex, virorum & virginum, 562. b. Unitur congregationi Windeshemienſi, extincto abbatis titulo, 562. c. Tranſit ad Calviniſtas, ibid. d.
Franckantall civitatem ædificant Calviniſtæ, 562. d.
Franco epiſcop. Bellegradenſis, 936. b. 956. c.
Franco epiſcopus Leodienſis, 855. b. patriam liberat a prædonibus, 857. b. Ab officio altaris abſtinet, 857. c. e. Multa eccleſiæ ſuæ acquirit, 857. c.
Fraxinetum monaſterium, 945. c.
Fridericus frater Godefridi ducis factus papa Stephanus VIII. 945. b.
Fridericus archiepiſcopus Coloniæ, 594. b. Conventum celebrat Aquiſgrani adverſus Albertum epiſcopum Leodienſem, 1019. c.
Fridericus Colonienſis archiepiſcopus, 7. a. 9. b. 111. a. 12. c. 13. c. 14. d. 15. c. 21. c. 22. c. 24. c. 26. d. 28. c. d. 30. e. 586. d.
Fridericus archiepiſcopus Colonienſis Wineſlaum imperatorem coronat, 582. d. Carpenam caſtrum expugnat, 582. a.
Fridericus II. archiepiſcop. Colon. 563. c. d.
Fredericus III. archiepiſcopus Colonienſis, 558. d.
Fridericus Sawerdenſis comes electus archiepiſcopus Colonienſis, 589. b. Ejus ordinatio, 591. c. 596. d. Plures arces evertit, 592. b. Obit 597. d.
Fridericus archiepiſcop Forolivienſis, 561. b.
Fridericus archiepiſcop. Moguntinus, 151. a.
Fridericus archepiſcop. Salisburgenſis, 98. b.
S. Friderici epiſcopi Leodienſis vita, 1023. d. genus illuſtre, 1027. a. Fit canonicus & archidiaconus, 1027. b. Generali facta confeſſione tendit Jeroſolymam, 1027. b. Fit epiſcopus, 1082. a. & conſecratur in concilio Remenſi a papa, 1027. e. Nudis pedibus ad fuam accedit eccleſiam, 127. c. Veneno extinguitur, 1029. a. & ſeqq. Miraculis coruſcat, 1030. & ſeqq.
Fridericus epiſcopus, 519. b.
Fridericus abbas, 519. b.
Fridericus abbas Villarienſis in diœceſi Metenſi, 285. a.
Fridericus archicapellanus Ottonis imperatoris, 151. c.
Fredericus de Croſnia præpoſitus Trevirenſis, 448. b.

Fridericus presbyter hæreticus, 188. c. 189. a.
Fridericus dux frater Conradi imperatoris, 200. a.
Fridericus I. imperator, 209. c. 462. a. 551. b. Fundator monaſterii *Rebdorf*. 559. a. Abbatiam S. Maximini confirmat Hellino archiepiſcopo Trevirenſi, 209. a.
Fridericus I. imperator *Mediolanum* expugnat, 563. d. 1089. a. Capta Mediolano, archiepiſcopi conſanguineos captivat & male tractat, 216. d. Terram ſanctam petit, 223. a. obit, 224. c.
Fridericus II. imperator, 249. b. 333. a. 1008. d. 1009. a. 1102. c. d. Ex rege Siciliæ fit imperator, 227. b. Coronatur, 570. b. Ei datur regnum Jeruſalem, 571. d. Laureshamenſe monaſterium donat Siphtido archiepiſcopo Moguntino, 571. b. Fœdus init cum *Philippo* Auguſto, 220. c. Henricum filium ſuum in regem facit inungi, 241. a. Rebellantem in vincula conjicit, 245 c. A Gregorio IX. excommunicatur, 247. a. *Denunciatur* excõmunicatus & armis impetitur, 248. c. Præſules ad concilium proficiſcentes capit, 248. a. Romam obſidet, 357. c. Solvit obſidionem, ibid. d. Deponitur, 253. b. Obit 333. d. Fridericum imperatorẽ mentitur quidam ruſticus, 339. e.
Fridericus III. imperator, 575. a. 603. c. 610. d. 611. a. 625. d. e. 739. 767. c. Romæ coronatur, 686. a. Princeps obſervantiſſimus æqui, 784. b. Copias cogit adverſus Carolum ducem Burgundiæ, 614. d. e. Obſeſſæ Nuſſiæ ſuccurrit, 766. c. Pacem a duce Burgundiæ petit, 782. a. 783. a. & obtinet, 617. b. c. 783. c. & ſeqq. Noveſio plura donat privilegia, 617. d. Statuam ſuam in foro erigi facit. 618. e. Maximilianum filium captivum liberat, 627. a. b. Legationem mittit ad Mariam ducis Burgundiæ filiam, ad contrahendum matrimonium cum ea & Maximiliano, 788. a. Comitem Geltriæ ducem efficit, 589. c. Ejus obitus, 628. b.
Fridericus dux, 55. a. 408. a. 932. d. 966. d.
Fridericus dux Alemannorum Conradum in regno ſublimare tentat, 196. c.
Fridericus dux Auſtriæ, 583. c. 597. b. In regem Romanorum electus, 404. c.
Fridericus dux a Ludovico de Bavaria rege Romanorum victus, 405. c. 406. a. In bello captus traditur Ludovico regi, 409. d.
Fridericus dux frater Leopoldi ducis Auſtriæ, 44. b.
Fridericus dux *Hulchorad* expugnat, 640. c. Linnam recuperat, 641. a.
Fridericus dux Brunſwicenſis, 49. c.
Fridericus dux Lotharingiæ, 348. b. 349. c. Theodericum abbatem S. Mathiæ perſecutionem electi Trevirenſis fugientem benigne excipit, 268. b.
Fridericus dux Lowenburgenſis, 640. b. 642. b.
Fridericus dux Saxoniæ propugnaculum a Noveſianis extructum expugnat, 680. c. Propugnaculum Woringen capit, 682 c. Ejus obitus, teſtamentum, ſepultura, 710. Epitaphium, 711. d.
Fridericus dux Moſellanus, 1057. c.
Fridericus dux Sueviæ, 462. a.
Fridericus Marchio Miſniæ, 9. d. 10. c. 13. a. b.
Fridericus Lantgravius Miſniæ, 97. d.
Fridericus filius Mathæi ducis, 211. c.
Fridericus burgravius Norimbergenſis, 9. d. 10. c. 37. a. 58. c. 91. c. Petit a Johanne archiepiſcopo Moguntino auxilium adverſus regem Hungariæ, 121. c.
Fridericus comes, 232. a.
Fridericus comes *de Iſemberg* Engelbertum archiepiſcopum Colonienſem interficit, 241. c. d. Rotali ſupplicio plectitur, 242. a. 569. b. c.
Fridericus comes *de Linnengen*, 67. d. 69. c. 230. c. 233. b.
Fridericus comes Tullenſis. 172. d.
Fridericus comes Silveſter, 422. a.
Fridericus comes *de Viane*, 202. d. 230. a. 252. d. Johannem archiepiſcopum Trevirenſem cuſtodiæ mancipat, 224. d.
Fridericus frater comitis *de Wirnenburch*, 232. d.
Fridericus *de Hueben* miſſus ad tractandum cum Colonienſibus, 55. d.
Fridericus *de Kerpen*, 230. b.
Fridericus de Novocaſtro, 551. d.
Fridericus de Nemagen, 383. a.
Fridericus *de Saxenhauſen*, 20. d.
Fridericus Saxo, 705. c.
Frigus ingens, 710. c.
Friſengenſis epiſcopus Erneſtus, 649. c.
Friſiæ caput Trajectum, 793. a.
Friſones Theodetico duce imperatori rebellant, 903. d.
Fromymont & Johannes de Longo-campo Leodienſem patriam comburunt, 1280. a.
Fulbertus comes, 149. c.
Fulco Araluenſis comes, 182. b.
Fuldenſe monaſterium a S. Henrico ſpoliatum, 544. b.
Fuldenſis abbas *in conventu* epiſcoporum proxime aſſidet archiepiſcopo Moguntino, 551. c. In eum ſeditio, 551. c.
Fuldenſes abbates Eiginardus, 517. d. Hatto, 541. c. Richardus, 517. b. Widecardus, 551. c.
Fulgaricus epiſcopus Leodienſis, 855. b.
Fulgentius abbas *Affligemienſis* ducentorum monachorum pater, 1081. c.
Fulminis caſus, 1116. a. in eccleſiam S. Laurentii, 1091. d.
Fundatio Florinenſis monaſterii, 867. c. S. Jacobi Leodienſis, 868. a. 1048. c.
Fundatio cellæ S. Nicolai de Glano, 1181. a.
Funus epiſcoporum, 207. c.

G.

Galburgis recluſa ſit abbatiſſa *Juviniacenſis*, 958. c.
Galliæ rex Philippus movet bellum adverſus Guidonem Flandriæ comitem, 363. b.
Galliæ regis filia petitur *in matrimonium cum* Johanne, Ruperti imperatoris filio, 67. d. Negociatio cum Gallia, 104. a. & ſeqq. 106. c.
Galterius de Caſtellione, 342. d.
Gamnolt abbas, 517. c.
Gandavenſis tumultus, 625. c. 738. c. Gandenſes extremo ſupplicio afficiant *cancellarium* ducis Burgundiæ & dominum *de Humbercourt*, 785. b. & ſeqq. A Philippo duce Burgundiæ bello ſuperantur. 1222. c. A Carolo duce Burgundiæ male habentur, 1347. c. Gandavum invadit Henricus imperator, 1045. a.
Garmundus abbas Bronienſis, 575. c. 576. a.
Gaſpardus *Blankenmaier* Erneſti Bavari capitaneus, 724. c.
Gaveredus abbas S. Laurentii, 1111. c. 1113. d. Digoitati ceſſit, 1113. c.
Gaugericus epiſcopus Catalaunenſis, 1104. a.
Gebahardus epiſcopus, 518. b.
Gebennenſis epiſcopus Hartwicus, 204. c.
Gebhardus Truchſeſius, 649. a. 648. a. Ex archiepiſcopo Colonienſi fit hæreticus, & cartis eccleſiam ſpoliat, 640. c. *Monaſteria* & templa, 640. d. Carolus Truchſeſianus frater archiepiſcopi, 640.
Gedeon epiſcopus Caſtorienſis ſuffraganeus Leodienſis. 1157. b.
Gelaſii papæ epiſtola citata, 179. b.
Geldrenſes ditionem Juliacenſem ſibi ſubdere conantur, 602. b.
Geltenſis *comitis* terram devaſtat Otto IV. 659. a.
Geltriæ comes, 341. c.
Geltriæ comes Reinaldus, 576. c. 577. a. 579. b. 585. c. 598. c. Dux efficitur, 583. c. 585. d. Ruperto imperatori contrarius, 110. b. Fœdus adverſus ducem Geltriæ, 111. a. & ſeqq.
Geltriæ dux a filio ſuo incarceratur, 764. d. 1355. d. qui & ipſe a duce Burgundiæ incarceratur, 764. c. 766. a.
Geldrenſes duces Arnaldus, 602. c. Arnoldus Egmundanus, 599. a. 604. b. In prælio adverſus Gallos cadit, 622. c. Caroſus, 624. b. 629. d. Ducum ultimus, 584. a.
Geltriam invadit Carolus dux Burgundiæ, 611. b. & comitatum de Morſa, 611. c. Regni Siciliæ & Jeroſolymitani titulum ſeque imperii vicarium generalem inſtitui ab imperatore petit, ibid. d. Qui concedit ei in feudum perpetuum *ducatum* Geltrenſem, ibid. Eduardus, 540. a. Willelmus, 592. d.
Gemblacenſis monaſterii incendium, 1093. d.
Gemblacenſis abbas contendit cum S. Trudonis abbate de fide in Synodo, 1100. c.
Gemblacenſes abbates Olbertus, 910. a. & ſeq. 1061. c. Petrus, 1090. d.
Geneſius inſignis concionator ordinis Minorum, 1225. a. c.
S. Gengulfi collegiata eccleſia Florinenſis abbati Florinenſi ſubjecta, 1188. b.
Geneveſem civitatem regi Francorum donat Wenceſlaus imperator, 4.
Georgius ab Auſtria epiſcopus Leodienſis, 1158. c. 1159. a. c. obit, 1160. c. 1163. c.
Georgius marchio Miſniæ, 9. d. 13. a. b.
Georgius comes Hirſutus, 416. a.
Georgius *de Leiningen*, 20. c.
Georgius cancellarius *Friderici* III. imperatoris, 788. c. 789. a.
Gerardus præpoſitus Bonnenſis in diſcordia electus archiepiſcopus Colonienſis, 563. c.
Gerardus archiepiſcopus Moguntinus, 254. c. coaſſipitat in Adolphum regem, 355. c.
Gerardus de *Eppentheim* archidiaconus Trevirenſis, in diſcordia electus archiepiſcopus Trevirenſis, poſtea Moguntinus. 345. b.
Gerardus epiſcopus Cameracenſis, 867. 922. c. Florinenſis monaſterii fundator, 1045. d.
Gerardus *Groetberg*, epiſcopus Leodienſis, 1163. c.
Geradus *de Eremberg* epiſcopus Spirenſis, 414. a.
Gerardus epiſcopus Trajectenſis, 1074. c.
Gerardus I. abbas Epternacenſis, 460. c. 504. a.
Gerardus II. abbas Epternacenſis, 460. c. 511. b.
Gerardus abbas S. *Laurentii*, 1094. a. 1105. a. b.
Gerardus *de Zuylre* abbas S. Laurentii, 1155. a. Varia ædificia reparat & conſtruit, ibid. c. & ſeqq. Zuylrenſis eccleſiæ pavimentum ſternit, 1156. b. Ejus obitus, 1161. c.
Gerardus abbas Prumienſis, 229. c.
Gerardus de Herda præpoſitus Noveſienſis, 558. c.
Gerardus Scholaſticus, 517. c.
Gerardus dux Clevenſis & comes de Marcha, 519. a.
Gerardus dux Juliæ & Montenſis, 604. b. Ejus liberalitas in religioſos, 599. c. Fœdus init cum Theodoro archiepiſcopo Colonienſi, 606. c.
Gerardus dux Montenſis, 603. d.
Gerhard comes, 518.
Gerardus comes *de Are*, 230. a. 235. b.
Gerardus comes Flammenſis. 957. b.
Gerardus comes Geldrenſis fundat monaſterium virginum Ruremundenſe, 569. d.
Gerardus comes de Juliaco, 577. a. 583. b. 584. d.
Gerardus comes *de Loen*, 603. d.
Gerardus comes Montenſis, 581. c. Occiſus 587. b.
Gerardus comes *de Veldenze*, 230. a.
Gerardus comes Zuendeboldum regem occidit, 461. c.
Gerardus vir nobilis, 1168. a.
Gerardus *de Kennenberg*, 20. d.
Gerardus *de Liberges*, 489. b.
Gerhart comes, 518. d.
Gerbertus archiepiſcopus Remenſis, deinde Ravennenſis, deinde papa, 1041. d.
Gerbodonis pœnitentia *ſingularis*, 942. b.
Gerlacus de Naſſawia archiepiſcopus Moguntius, 416. c. 417. a. 426. a. 427. c. 428. a. Moguntinum præſulatum recuſat, 432. c.
Gerlacus *de Lympurg* decanus Trevirenſis, 445. a.
Gerlacus vir nobilis, 227. d.
Gerlacus *de Schoneck* Bohemos ad regis Francorum auxilium properantes capit, 421. d.
Gerlacus *de Swarzenberch*, 230. a.
Gerlacus comes *de Veldenze*, 232. a. c.
Gerlacus *de Ysemburg*, 231. a. & ſeqq.
Gero archiepiſcopus Colonienſis, 542. a. b.
Gero *de Abbaym* præpoſitus Noveſienſis, comes, 558. b.
Geroldus abbas, 517. c.

Gertrudis Pippini filia, 919. c.
Gervinus Ambianenſis epiſcopus, 975. b.
Gibellinorum caput Petrus de Columna, 358. c.
Giepa abbatiſſa, 538. d.
Gila filia Lotharii regis, 539. c.
Giſela imperatrix, 517. d.
Giſelbertus *comes de Lucelemburg*, epiſcopatum Trevirenſem vaſtat, 165. c.
Giſelbertus cardinalis, 203. c.
Giſelbertus dux abbas Epternaci, 460. b. 507. c. 509. d.
Giſelbertus abbas de Clauſtro, 213. c.
Giſelbertus comes, 150. b.
Giſla *de Lymburc* regina, 461. c.
Giſla regina Hungariæ, ſoror S. Henrici imperatoris, 544. a. 1046. c.
Gilleberrus Haſterienſis præpoſitus abbatiam Florinenſem emit, 974. c.
Gilleberrus abbas Florinenſis, 975. c. Intruſus, 995. a.
Gilleberrus prior S. Huberti, 980. d.
Gilleberrus comes, 1166. a. 1168. b. c. 1169. b. d. 1171. c. 1173. c.
Gilleberrus comes de Durale, 1187. c.
Gilleberrus *comes* Leodienſis militiæ ſignifer, 1027. c.
Gladebacenſis monaſterii fundatio, 542. b.
Glanderienſis abbas Johannes, 274. c. 283. c. 473. b.
Gobolo de Villario vir nobilis, 249. c.
Godefridus cardinalis S. Mariæ in via lata, 223. d.
Godefridus archiepiſcopus Trevirenſis, 172. d. 198. a. d. Ejus geſta, 195. d. &c. Ab epiſcopatu abſolutus moritur, 196. b.
Godefridus abbas Epternacenſis, & monaſterii Trevirenſis S. Mathiæ, 453. c. 454. b. 460. c. Ejus epiſtola ad ſuos Epternacenſes, 466. c. Abbatiam deſerit, & ad S. Mathiam ſe transfert, 465. c. Quam retinere jubet imperator, 466. d. Abbatia exuitur, 456. c.
Godefridus II. abbas Epternacenſis, 460. a. c. d. 511. d.
Godefridus abbas Epternacenſis, 510. c. & Prumienſis, 511. a.
Godefridus *d'Apremont* abbas Epternacenſis, 517. a.
Godefridus præpoſitus Leodienſis, 1066. d.
Godefridus rex Normannorum, 539. b. c.
Godefridus dux, 518. d. 529. a. 886. c. 922. 986. d. 987. a. 1011. b. 1046. b. 1074.
Godefridus dux Bullonienſis, 1066. d. Monaſterium condit, 936. b. & ſeqq. Capſam reliquiarum Theoderic abbati S. Huberti donat *cum* eccleſia S. Petri, 940. a. b. Virdunum ſe ſepeliri mandat, 940. d. Quam civitatem ſuccenderat, 940. d. Eccleſiam Virdunenſem & Leodienſem deprædatur, 890. c. 937. b. Pius ejus obitus, 938. c.
Godefridus filius Godefridi ducis Bullonienſis, 937. c. 938. c. 939. a.
Godefridus junior dux Bullonienſis patris ſui votum implere recuſat, 941. a. & ſeq. nonnulla tamen cedit monachis, 941. d. Ab uxore Mathilde derelictus, 942. c.
Godefridus Gibboſus Theoderico abbati S. Huberti dat Bellamvallem & alia, 949. d. Electionem epiſcopi Leodienſis in Henricum Virdunenſem archiaconum cadere procurat, 949. c. 951. c. 953. d.
Godefridus dux Bullonius, 963. c. 964. d. 989. d. 994. b. 1075. c. 1076. c. Advocatus S. Huberti, 2. Bullonii comitatum vendit epiſcopo Leodienſi, 559. b. Bullonienſe caſtrum vendit Otberto, 996. c. 1079. a. Fit rex Jeruſalem, 1079. b.
Godefridus dux Danorum ſit chriſtianus, 540. c.
Godefridus dux Lotharingiæ, 544. c 1052. a.
Godefridus dux Lovanienſis, 1023. c. 1024. a. 1027. c. Fundat Affligemienſe monaſterium, 1081. c.
Godefridus dux Normannorum Leodii fines vaſtat, 856. a.
Godefridus Brabantiæ ducis frater, 576. a.
Godefridus filius Gozelonis ducis, 1174. c.
Godefridus marchio nepos Godefridi ducis Bullonienſis, 951. c. & ſeq. 955. d.
Godefridus marchio cum Alberto comite Namurcenſi contendit pro caſtello Bullonienſi, 955. d. 957. d.
Godefridus comes, 520. a.
Godefridus comes Namurcenſis, 972. c. 1176. c. 1187. c. Factus monachus in Floreſia, 1027.
Godefridus comes *de Spanheim*, 232. a.
Godefridus comes *de Wirnemburg*, 232. a.
Godefridus frater Gerardi epiſcopi Cameracenſis, 1045. d. Florinenſe *monaſterium* fundat, 867. c.
Godehardus comes, 517. c.
Godesburgum caſtrum ædificatur, 568. d.
***Godesberg* caſtrum expugnatur**, 645. b.
***Godeſcalcus* Leodienſis eccleſiæ præpoſitus eccleſiam S. Bartholomæi pro XII. fundat canonicis**, 872. b.
Godeſcalcus abbas Haſterienſis, 938. c. 976. a.
Godinus abbas Epternaci, 460. b.
Godinus præpoſitus Monaſterienſis Hillini archiepiſcopi Trevirenſis nepos, 212. c.
Golcherus monachus & magiſter S. Mathiæ ſcribit de geſtis Trevirorum, 144.
***Golzim* caſtrum expugnatur ab epiſcopo Leodienſi**, 1204. a.
Gonzo abbas Florinenſis, 924. a.
S. Gorgonii feſtum, 1080. c.
Goſtarii hæretici occiſi, 901. c.
Gotahelmus abbas, 518. b.
Gozelinus Notarius Caroli Simplicis, 150. d.
Gozelo dux, 519. a. 1168. a. c. 1173. b. 174. c.
Gozelo dux Moſellanus, 1058. a. c. 1059. c.
Gozelo comes, 968. a. 1166. a. 1168. b. c. 1169. d. 1171. a. 1174. c.
Gozilo comes Bohaniæ divinitus punitus, 934. b.
Gozwin comes, 517. c. 518. d. 520. a.
Gozwinus abbas S. Jacobi Leod. 1094. a.
Gozwinus & Gerardus *filii Theoderici comitis* Flammenſis, 957.
Græci Ottonis II. copias cædunt, 1041. a.
Graffchatenſe cœnobium, 545. a.
Granata ejecti Sarraceni, 625. d. 628. c.
Grandepratum monaſterium, 1098. c.
Gravia expugnatur, 682. b.
S. Gregorii martyris Spoletini corpus, 157. c.
Gregorius VII. papa, 174. b. 179. c. 180. b. c. 942. b. 943. c. 973. c. Decretum ejus *contra* presbyteros concubinarios, & contra inveſtituras, 174. b. Roma fugatur, 176. c. In caſtellũ Creſcentii ſe recipit, 177. d. Pro Engelberto Trevirenſi *antiſtite* ei ſcribit Theodericus epiſcopus Virdunenſis, 178. c. Privilegium Theoderico abbati S. Huberti concedit, 947. d.
Gregorius papa VIII. conſecratur, 221. d. *Henricum Albanenſem epiſcopum* ad imperatorem & alios reges & principes mittit, ut terræ ſanctæ ſuccurrant, 222. c. Ejus obitus, 222. e.
Gregorius papa IX. 572. a. Capita SS. Petri & Pauli oſtendit populo, 357. d. Edictum condit ad excommunicandum Fridericum imperatorem, 347. Generale concilium indicit, 248. a. Proponit deponere Johannem de Columna cardinalem, 357. c. Ejus obitus, 248. b.
Gregorii. X. electio, 314. c. 315. c. Concilium Lugduni celebrat, 1105. c. Ejus Bulla ad abbatem *Glandarienſem, qua confirmat acta* a Bernardo de Caſſineto pro libertate Theoderici abbatis S. Mathiæ, 315. c. Gregorius XI. 1119. b.
Gregorius XIII. papa, 652. e. Legatos Japoniæ Romæ excipit, 657. b. Obit, ibid. e.
Gregorius papa hæreticorum Germaniæ, 244. b.
Gregorius cardinalis S. Angeli, 303. e.
Gregorius de Romagnia legatus apoſtolicus a Friderico imperatore, 248. a.
Gregorius Silvius ſuffraganeus Leodienſis, 1154. c. 1158. c. 1160. a. 1162. b.
Gregorius ſolitarius, 519. a.
Gregorius comes Widenſis frater archiepiſcopi Trevirenſis, 240. b.
Grimanus patricius Venetus, 697. c. 698. c.
Grimoaldus Pipini filius, 919. c.
Gualcandus epiſcopus Leodienſis, monachos inſtituit in Andaginenſi cœnobio, 1017. b.
Guelfini imperii inimici ab Henrico VII. imperatore ſuperantur, 398. d. 399. a. & ſeqq.
Guerra *de Boſnovie*, 1209. a.
Gueuſii Bredanam occupant, 737. b. Neomagum, 734. d. Ex Berka expelluntur, 736. b.
S. Guiberti Gemblacenſis monaſterii fundatoris elevatio, 1080. b.
Guibertus antipapa, 473. b.
Guibertus hæreſiarcha, 1010. c.
Guido cardinalis, 227. d.
Guido Piſanus cardinalis, 203. c.
Guido cardinalis miſſus in Alemanniam, poſtea archiepiſcopus Remenſis, 171. d. 225. c.
Guido epiſcopus Cameracenſis, 1100 d.
Guido de Hannonia electus epiſcopus Leodienſis confirmatur ab archiepiſcopo Colonienſi, ſed a papa reprobatur, 1107. c. d. e.
Guido Preneſtinus epiſcopus, 1095. b. Ejus litteræ de fundatione cellæ S. Nicolai de Glano, 1181. a.
Guido Scholaſticus S. Huberti ſcientia & moribus inſignis, 926. d.
Guido Flandriæ comes, 363. b.
Guido de Turri vicecomes Mediolanenſis Henricum regem Romanorum in palatium admittere recuſat, 393. b. c. Ejus filii regem occidere tentant, 394. c. qui mortis ſententiam in eos dictat, 395. a.
Guido Umbercurtus Leodium reducit legatum & Borbonium, 1439. b. Monet legatum de *ruina civitatis*, 1439 d.
Guillelmus *de Cligny* protonotarius decollatur, 1359. e.
Guillelmus & Roricus Fratres Minores in proceſſu Henrici electi Trevirenſis jutis *apices non ſervaverunt*, 325. b.
Guillelmus ex comite Normannorum rex Anglorum, 933. a.
Guillelmus dux Baſoatiæ, 671. c. 674. c.
Guillelmus Ceverinus princeps Carolo V. datur inſtitutor, 630. c.
Guillilmus de Marka indignatus domino Ludovico *de Tourbon*, 1369. a. b. & ſeqq. Diſſenſio inter eos, 1371. d. e. 1375. d. 1376. e. In eum conſpirat, 1372. c.
Guillelmus *Hughenet* cancellarius ducis Burgundiæ decollatur, 1359. d.
Guillelmus *Demptines* Leodii Burgimagiſter, 5361. b.
Guillelmus *delWaroux* burgimagiſter Leodii, 1361. b.
Guirmundus abbatiam Bronienſem emit, 974. e.
Guirardus, forte Conradus filius Friderici II. imperatoris, 511. e.
Guiredus ex priore Ebernenſis cellæ abbas S. Huberti, 925. c.
Guiſiani Hugonotorum exercitum cædunt, 734. b. Borbonium cardinalem regem Francorum conſtituunt, ibid.
Guiſii ducis & cardinalis cædes, 731. a. & ſeqq.
***Gumbrat* Scholaſticus**, 517. c.
***Gundekar* epiſcopus**, 518. c.
Gunthardus abbas, 518. b.
Guntherus archiepiſcopus Colonienſis, Lotharii *regis divortium approbat*, 536. c. Waldrada utitur concubina, 537. a. 855. d. Papæ cenſuras contemnit, 857. a. Ab angelo percuſſus, 537. a.
Guntherus Salisburgenſis archiepiſcopus, 865. c.
Guntherus epiſcopus, 518. c.
Guntherus comes, 518. c.
Guntherus comes *de Swarzemburc*, contra Carolum electus rex Romanorum, obit reſignatis imperii inſigniis, 418. d. 425. d. Intoxicatus reſignavit imperium Carolo, 427. b.
Guntramnus eremita, 1084. c.

H.

HAdmarus vir nobilis, 133. c. 134. c. 135. a.
Hæcſenſes & Cabellionenſes inimici, 793. c.
Hæcſenſes occupant Leydis oppidum, 794. c. Quod priſtinam recuperat poteſtatem, 794. c.
Hæcſenſium factio quam valida, 795. b. Dordracho peliuntur, 795. d.
Hæretici ex pallore minime diſjudicandi, 901. d. Non interficiendi, 901. a. d. e. Coloniæ tumultuantur, 646. b. & ſeqq. In Auſtria igne damnati, 581. e. Eorum errores, 582. & ſeqq.
Hæreticorum in Allemannia perſecutio, 242. d. Eorum varii errores, 243. d. Epiſcopum & papam ſibi faciebant, 244. a. In hæreſim recidentes igni addicti, 243. c.
Hageno abbas, 517. d.
Haſinardus epiſcopus Lugdunenſis, 171. d.
Hamarus epiſcopus Podienſis, 559. c.
Hannoniæ comes Johannes, 585. b.
Harcarius epiſcopus Leodienſis, 855. d.
Harcardus *de Schoneck*, 420. a.
Hartmannus abbas, 520. a.
Hartwinus *epiſcopus Gebennenſis*, 204. c.
Hartwicus archiepiſcopus Magdeburgenſis, 560. c.
Haſſeit oppidum expugnatum, 814. d.
Haſſiæ comes gravat cleruṁ Moguntinum, 57. e.
Haſſiæ Landgravio miſſa legatio, 81. a. Illum hortatur Rupertus imperator ad pacem cum archiepiſcopo Moguntino, 93. d. Eos reconciliare laborat Rupertus imperator, 81. b. 99. b. Reconciliantur, 48. b. Haſſiæ comes vaſſallus archiepiſcopi Moguntini, 58. a.
Haſſiæ Lantgravius Henricus, 614. c.
Haſterienſis, abbas Godiſcalcus, 976. a.
Haſtiludium, 687. b.
Haſtiludia Bruxellæ, 1201. a.
Hatto abbas Fuldenſis fit archiepiſcopus Moguntinus, 541. c.
Haulebius, 689. c.
Hauvidis filia Arnulfi comitis, 972. d.
Hazecho epiſcopus Wormacienſis, 517. d.
Hecelo epiſcopus Hildeſcimenſis, 551. c.
Hedenricus *de Etpernath* præpoſitus Noveſienſis, 558. b.
Hedina arx. 1158. b.
Heimo epiſcopus Virdunenſis, 865. c.
S. Helena, 168. c.
Helias abbas, 517. c.
Helinandus epiſcopus Laudunenſis, 978. a.
Helpoldus abbas, 518. b.
Helveti Lupoldum Auſtriæ ducem vexant, 593. c. Ab eis obedientiam petit Rupertus imperator, 39. c. & liberum per terras ſuas tranſitum tendenti in Lombardiam, 40. a. Negociatio cum *Helvetiis*, 39. b. 65. c. Helvetorum Catholicorum fœdus, 713. d.
Hemmetoda monaſterium ordinis Ciſtercienſis, 369. d.
Henricus cardinalis de regio Angliæ ſanguine, 447. b.
Henricus archiepiſcopus Colonienſis, 384. b. 388. c. 404. c. 406. d. 558. b.
Henricus *de Molenarck* archiepiſcopus Colonienſis, 571. c. 580. a. 583. c. e. Pacem violat, 507. c. & fœdus pactum cum Ludovico rege, 353. b.
Henricus archiepiſcopus Eboracenſis, 204. c.
Henricus archiepiſcopus Moguntinus ordinis Minorum, 345. b.
Henricus de Wirnenburg electus Moguntinus, 411. c. 414. c. Temporalia a Ludovico imperatore accipit, 414. c. Honore pontificali privatur, 416. c. 418. d 425. c. Ejus obitus, 427. a.
Henricus de Bolandia archiepiſcop. Trevirenſis, eligitur in diſcordia, 256. d. 334. d. Ejus electio ad Alexandrum papam delata, 256. c. Nulla & irrita declaratur, 257. c.
Henricus de Fiſtinga archiepiſcopus Trevirenſis, 141. 151. d. Ex decano Metenſi fit archiepiſcopus Trevirenſis, 250. Treviris honorifice ſuſceptus, 258. b. Epiſcopo Argentinenſi in obſidione Argentinenſis civitatis adfuit, 258. d. Villas & prædia S. Mathiæ deprædatur, 258. c. Pontificalia exercet non accepto pallio, 259. c. In eum inquiri jubet Urbanus IV. 259. d. 261. b. Ab inquiſitoribus citatur, 264. c. Inquiſitionis cauſam attribuit abbati S. Mathiæ, furoremque ſuum in eum convertit, 265. c. Monachos ab ejus obedientia avertere fruſtra conatur, 266. b. Abbatem S. Mathiæ ad martyres deponere tentat, 266. c. Uterque abbas ab eo appellat ad papam, 266. d. Immo & Engelbertus prior & conventus S. Mathiæ, 267. a. b. c. qui ideo male multantur, 268. c. d. Monachis præcipit novem ut ſibi eligant abbatem, 269. c. Per ſuos milites captum Theodericum S. Mathiæ abbatem in carcere detinet, 307. a. Eum ſuſpendit Clemens IV. ab adminiſtratione, 307. c. Sententia depoſitionis in eum pronunciatur, 307. d. Variis de criminibus accuſatur, 308. a. 325. c. 335. d. Quod theloniun impoſuerit, 308. c. & ſeq. Quod pallium petere negexerit, 310. d. 418. b. Quod Philippum Metenſem epiſcopum confirmaverit, licet indignum, 310. c. Quod per annos ſex non celebrav. rit, 311. b. Quod conſecrationis officium non accepto pallio celebraverit, 311. c. Quod ſit reus perjurii, 311. d. Quod ſimoniacus, 279. c. 312. b. Quod S. Mathiæ abbatem in caſtro ſuo detineri ſciverit, nec liberaverit, 312. d. Ejus proceſſus & ſententiæ in abbates S. Mathiæ & S. Mariæ ad martyres irritæ declarantur ab Urbano IV. 273. a. & ſeqq. A judicibus delegatis a ſede apoſtolica jubetur abſtinere a vexatione abbatum prædictorum, 274. d. Pontificiæ ſententiæ contradicit, 275. c. Variis artibus & dolis inquiſitionem in eum inceptam eludere tentat, 277. c. In monachos S. Mathiæ acrius furit, 279. c. 286. c. Eos cum lapidibus ejicit, 281. c. Excommunicationis vinculo ligatus, non potuit alios ligare, 281. a. In cordis duritia perſeverat, 285. b. Excommunicationis ſententia in eum promulganda per ſuffraganeos, 285. d. & ſeq. Promulgatur, 288. a. Intruſum e S. Mathiæ cœnobio exire compellit, 288. b. & ſeqq. Exules monachos reſtituit, 290. b. & ſeqq. Romam citatus proficiſcitur, 291. b. Reverti ad epiſcopatum cupientem Clemens papa invitum retinet, 307. a. b. Epiſcopum Argentinenſem adjuvat in obſidione Argentinæ, 335. c. Deprædatur villam S. Mathiæ, 335. c. Fuit excommunicatus per plures annos, 335. e. Contra eum procedit papa, 336. a. A quo citatur, 336. a. Abbati reconciliatur, 336. b. Caſtrum *Swarzenberck* expugnat, 336. c. Roma profugit & in terram ſuam revertitur, 314. c. Theodericum abbatem S. Mathiæ e carcere liberari procurat, 314. e. Ejus amicitiam ambit, 314. c. Romanam accedit ad curiam, 317. a. Compromittit de pace cum abbate Theodorico, inter duos cardinales, 317. b. Eorum ſententia, 317. d. & ſeq. Pallio accepto revertitur in patriam, 320. c. Revocatio ſententiæ latæ in eum, 324. c. Excuſatur ab impoſitione thelonei, 326. c. 327. b. & ſeqq. De negligentia petendi palli, 329. b. De confirmatione electi Metenſis impedimentum patientis, 329. b. c. De eo quod non celebraverat per annos ſex, 329. d. Quod Urbano IV. altare conſecranti cum aliis epiſcopis aſtiterit, 329. d. Purgatur de reatu perjurii, 330. a. De illatâ injuria abbati S. Mathiæ, 330. d.
Geſta ejuſdem per alium authorem conſcripta, 331. c. Ex decano Metenſi eligitur, 332. d. Rodolfi imperatoris electioni interfuit, 333. c. A papa creatus epiſcopus, 335. a. Trevirim accedit, 335. a. Origo diſſidiorum inter ipſum & Theodericum abbatem S. Mathiæ, 335. c. Excuſat ſe, & proteſtatur non ſervatum in ſe judiciarium ordinem, 477. b. Excuſat ſe de facto abbatis S. Mathiæ, 478. b. De detentione Conradi *vicarii B. Mariæ de Confluentia*, ibid. c. De ordinatione Philippi Metenſis, 479. *De theloneo*, 479. d. De reatu perjurii, 482. a. Quod dedicationi interfuerit, 484. d. De Pallio non obtento, 485. a. Excuſationes ejus refutantur, 488. a & ſeqq. Abbatem S. Mathiæ infra duos menſes papæ repræſentare jubetur, 486. c. Abſolvitur ad cautelam a vinculo excommunicationis & irregularitate, a *priore fratrum Prædicatorum*, 471. c. & ſeqq. Item a Martino pœnitentiario *domini papæ*, modo ſatisfaciat cameræ apoſtolicæ, 472. a. Colludit cum primis inquiſitoribus adverſus eum a papa deſignatis, 472. c. A Vormatienſi & Spirenſi epiſcopis apud Urbanum papam excuſatur, 469. c. Ipſi factæ interrogationes ultimæ a Clemente IV. 476. a. Excuſationes & proteſtationes ab eo factæ, 476. c. Ejus violentia in abbatem & monachos S. Mathiæ, 486. a. & ſeq. Neptem ſuam matrimonialiter copulat Dietardo de *Paſſendorf*, 489. a. Perjurum ſe fatetur, 491. c. 495. a. Inquiſitio facienda adverſus eum a plebano B. Mariæ de Confluentia ſuper impoſito theloneo & aliis, 475. a. Suſpenditur ab officio, 313. b. Ad cautelam abſolvitur ai. excommunicatione & irregularitate, 469. a. b. Succeſſorem habere cupit Boemundum, 344. c. *Breitenfeld* caſtrum ædificat, item caſtrum *Meyne*, 337. a. Emit & renovat caſtrum *Mailbarch*, 337. a. Confluentiam & monaſterium *Meynefeldt* firmat, 337. b. Confluentinos rebellantes ad obſequium redigit 337. b. Plura caſtra condit, 337. c. Plura comparat feoda & homagia, 337. c. Plures etiam reditus, 337. d. Ejus laudes, 338. b. Ad S. Judocum peregrinatur, 338. c. Obit, 338. c. & ſeq. Ejus exequiæ, 339. a. Ejus prudentia, 337. c.
Henricus *de Virneburch* electus Trevirenſis, 376. c.
Henricus epiſcopus, 518. c.
Henricus Albanenſis epiſcopus, 1093. d. Ad imperatorem & alios reges miſſus, 222. c.
Henricus pacificus ſit epiſcopus Leodienſis, 1069. De eo, 172. d. 925. a. 932. c. 936. b. 963. a. 1000. c. 1012. c. 1069 a. 1084. d. Ex archidiacono Virdunenſi eligitur epiſcopus *Leodienſis*, 950. b. Wolbodonem S. Laurentii abbatem deponit, 950. c. Godefridi *ducis* exequias proſequitur, 951. d. Quadrageſimam apud S. Hubertum tranſigit, 951. c. & ſeqq. Reſtitutionem allodii *Telins* ei fieri procurat, 952. a. Beringero S. Huberti *priori monaſterium S.* Laurentii recte inſtituendum committit, 954. a. Mirwoldi caſtrum ædificat, 957. d. Cujus cuſtodiam committit monachis S. Huberti, 958. b. Illud abbati Theoderico donat, 962. c. Erga S. Hubertum quam munificus, 964. a. b. c. S. Theoderici abbatis exequias curat, 965. c. Theodericum II. abbatem creat, 966. b. Caſtrum *Mirwolt* deſtruit, 1020. b. Varias facit commutationes cum Beringero abbate S. Laurentii, 1071. c. d. Ejus diploma pro S. Laurentio, 1174. d. Ayorcurtem dat S. Laurentio, 1071. b. Ejus obitus, 973. c. 1072. c.
Henricus de Lucemburgo fit epiſcopus Leodienſis, 1085. d. Dat S. Laurentio eccleſiam S. Severi de Meſſia, 1086. a. Alnenſe monaſterium dat ordini Ciſtercienſi, 1086. d. De eo 1088. b. c. Papiæ obit, 1089. b.
Henricus frater comitis Gelriæ ſit epiſcopus Leodienſis, 1102. c. 1105. a. Deponitur in concilio Lugdunenſi, 1105. d.
Henricus Oſilienſis epiſcopus, 248. c.
Henricus epiſcopus Tullenſis, 208. a.
Henricus Virdunenſis epiſcopus, 195. c. 229. a. Deponitur, 220. b.
Henricus epiſcopus Wormatienſis, 571. c.
Henricus Babenbergenſis abbas, 517. b.
Henricus II. *de Schoneck* abbas Eptenacenſis, 512. c. d.
Henricus de Jopilia abbas S. Jacobi, 1095. c.

Henricus *Adæ* abbas S. Laurentii, 1122. d. 1124. b. 1130. c. & 48. b. Ejus virtutes, 1126. b. Monaſterium reformare tentat, 1126. c. d. Ædificia ab eo conſtructa, 1128. a. libri comparati, ibid. b. Ejus obitus, 1128. c. 1129. d.

Henricus *Delle Cheraux* abbas S. Laurentii Leodienſis, 1130. a. 1191. b. 1195. d. Ejus *mores & munia varia*, 1130. b. c. Fratrum in ſe concitat odium, 1131. b. Eis ſubtrahit peculium, 1131. c. Ejus præclara adminiſtratio, 1132. d. & ſeqq. Cedit dignitati, 1137. d. Obit 1138. b. 1146. c.

Henricus *de Beccurt* abbas S. Laurentii Leodienſis, 1099. d. Reformat hoſpitale S. Chriſtophori, 1101. b. Ejus obitus, 1104. c.

Henricus Natalis abbas S. Laurentii, 1161. 1163. a.

Henricus abbas S. Maximini Trevirenſis, 150. d.

Henricus de Duna abbas S. *Maximini*, 275. c.

Henricus abbas S. Remigii, 925. c. 960. b. 978. c. Ejus epiſtola ad Theodericum abbatem S. Huberti, 561. c.

Henricus decanus Metenſis annis XII. 491. b.

Henricus *de Sybaysheim* præpoſitus Aquenſis, 411. b.

Henricus de *Helfenſtein* præpoſitus Noveſienſis comes, 558. b.

Henricus *de Zeyna* comes præpoſitus Noveſienſis, 557. c.

Henricus præpoſitus Noveſienſis, 558. a.

Henricus S. Mathiæ clericus & procurator, ſcribit acta Henrici de Fiſtinga archiepiſcopi, 144.

Henricus de Palude continuator hiſtoriæ S. Laurentii Leodienſis, 1033.

S. Henricus dux Bavariæ fit imperator, 543. c. Dictus Claudus, 159. b. 868. c. 968. a. Trevirim obſidet, 159. c. Epiſcopatum Trevirenſem Popponi tribuit, 160. b. Wolbodonem creat epiſcopum Leodienſem, 105. c. b. Munus ſibi præparatum pauperibus diſtribuenti gratiam ſuam confert, 870. a. b. 1051. c. Amiciriam contrahit cum Roberto rege Francorum, 865. c. A rege Burgundiæ lanceam Conſtantini imperatoris acquirit, 540. c.

Henricus imperator filius Conradi, 968. a.

Henricus II. rex Romanorum, 162. a 171. d.

Henricus III. imperator, 544. c. d. Romam profectus ad imperii coronam recipiendam, 897. b. Romam intrat die S. Benedicti, 177. b. A Romanis ut acceptus, 177. b. Ejus coronatio, 177. d.

Henricus IV. imperator, 461. c. 508. e. 518. a. 551. c. 552. e. 922. a. c. 940. d. 949. c. 951. a. 957. b. 1072. d. Moguntiæ natalem Domini celebrat, 186. c. Eccleſiam perſequitur, 973. c. Eſt papæ contrarius, 1010. c. 1021. c. A Gregorio VII. excommunicatur, 174. c. Jubet dirui caſtrum *Mirvelt*, 1020. b. Ruperti comitis Flandrenſis terram *invadit*, 520. a. Obſidet Valentianos, 1044. e. Gandavum invadit, 1045. a. A filio proprio deturbatur a throno, 1022. a. 1070. c. & ſeqq. Leodii obit, 1080. a. & ſæpe extumulatur, 1080. b.

Henricus V. imperator, 196. d. 461. c. Ejus diploma pro S. Laurentio, 1176. a.

Henricus rex filius Friderici I. 223. c.

Henricus VI. Romanorum imperator, 557. d. Ejus elogium, 462. a. b. Folmaro Trevirenſi archiepiſcopo infeſtus eſt, 215. d. 216. b. Ejus epiſtola ad Trevirenſem archiepiſcopum, 456. b. Pro caſtro *Naſſauve* concedit abbatiam Epternacenſem Johanni archiepiſcopo Trevirenſi, 454. a. & ſeqq. Ejus epiſtola ad Epternacenſes, 454. b. Campaniam vaſtat, 217. c. Ejus *obitus*, 225. a. Ei ſcripta epiſtola ab Epternacenſi conventu, 458. a. Ejus epiſtola ad conventum Epternacenſem, 467. b. Ad Capellanum Epternacenſem, 465. c.

Henricus VII. imperator, 386. a. 588. b. Ejus electio, 387. a. Inauguratio, 388. c. Virtutes, 387. b. & ſeqq. Horas canonicas recitabat, 387. e. Cum Balduino Trevirenſi archiepiſcopo tractat de ratione imperii adminiſtrandi, 389. b. Florentiam obſidet, 400. c. Ei Brixienſes ſe ſubiciunt, 395. a. Rebellant, 396. b. Papiam ingreditur, 395. b. Januam divertit, 397. b. Piſas, 397. e. Romam intrat, 398. a. & ibi Rodulphum ducem Bavariæ cingulo militari inſignivit, 398. b. Romæ coronatur, 398. b. 399. c. Gelfinos imperii *inimicos* Romæ *vincit*, 598. d. Intoxicatus a Bernardo ordinis Prædicatorum dicitur, 581. c. Coloniam ſecundo venit, 389. b. A Colonienſibus muneribus honoratur, 389. d. Privilegia Trevirenſis eccleſiæ confirmat, 989. d. Trevirim ſibi adverſam amicabiliter viſitat, 389. e. Johannem natum in regem Bohemiæ coronari curat, 390. c. Adulfum & Albertum reges Romanorum Spiram in regum conditorio transferri curavit, 391. a. Domini *de Wirtemberg* caſtra XL. expugnat, 391. c. d. Alpes tranſcendit, 392. a. & ſeq. Mediolani ferrea corona redimitur, 393. c. De Guidone vicecomite Mediolanen. ſi qui eum occidere tentabat, triumphat, 394. e. & ſeq. In eum mortis ſententiam dictat, 395. a.

Henricus Raſpo Lantgravius Thuringiæ, rex Romanorum eligitur, 253. b. Moritur, ibid.

Henricus frater Ottonis imperatoris, 151. a. 1041. b.

Henricus rex, 244. c.

Henricus filius Friderici II. imperatoris in regem inungitur, 241. a. A patre in vincula conjicitur, 245. c.

Henricus II. rex Angliæ, 1391. b.

Henricus VIII. rex Anglorum factus hæreticus, 631. d.

Henrici regis Francorum & Henrici imperatoris *colloquium* apud *Ivodium*, 922. c.

Henricum Francorum regem Aquiſgranum abſente imperatore invadere meditantem deterret Wazo epiſcopus Leodienſis, 897. c. & ſeqq.

Henricus II. rex Franciæ, 1161. b. 1163. a. expugnat Metenſem civitatem, 1158. a.

Henricum III. ad ſuas partes pellicere tentant Calviniſtæ, 731. b. Ejus cædes, 733. c.

Henricus *de Quidelinburg* rex, 461. c.

Henricus dux, 51. c. 91. c. 97. d. 98. a. 517. d. 1022. c.

Henricus *de Limbore* dux Ardennæ, 1079. e.

Henricus dux Bavariæ, 1041. c. Fit imperator, 1042. b.

Henricus Brunſwicenſis, 647. a. Vulneratus capitur, 648. b.

Henricus dux Hoienſis, 987. e.

Henricus dux Limpurgenſis, 182. c. 230. a. 379. c. e. Folmarum in Trevirenſem archiepiſcopum eligi laborat, 214. b.

Henricus dux Namurcenſis, 200. e.

Henricus dux Saxoniæ electionem Conradi imperatoris impugnat, 200 b.

Henricus dux Saxoniæ cognomento Leo, 565. c.

Henricus dux pater Waleranni, 226. d.

Henricus *Blodel*. filius Walrami ducis Limburgenſis, 379. c.

Henricus comes, 518. a. 1177. b.

Henricus comes advocatus Epternacenſis eccleſiæ, ejus defenſionem ſuſcipit, 455. d.

Henricus *comes de Iſemburg*, 232. a.

Henricus comes Luxemburgenſis, 301. 341. b. 347. d. 577. a. Urbani IV. ad eum Bulla, 302. a. Curat injuſte ablata monaſterio S. Mathiæ reſtitui, 302. c. & ſeqq. Agrum Treviricum deprædatur, 370. c.

Henricus comes Namurcenſis, 206. a. Trevirenſem agrum deprædatur, 201. d. & ſeqq. Eum pro caſtro *Mandercheit* Trevirenſe territorium invadentem infregit Hillinus archiepiſcopus, 209. a. Qui pacem *cum eo facit*, 208. e.

Henricus comes Palatinus, 224. c. 225. a. 545. a. Johanni archiepiſcopo reſignat advocatiam Trevirenſem, 229. c.

Henricus comes Rupis, 1023. c.

Henricus comes *de Seyne*, 230. c. 232. c. Ab inquiſitore citatur, 244. d. Abſolvitur, 245. a. c. & calumniatoribus indulget, 245. d.

Henricus comes *Sphanheim*, 230. e. 232. d. 393. c.

Henricus comes *de Weſterburg*, 577. a.

Henricus comes *de Windeck*, 1577. a.

Henricus Lantgravius ultimus Alſatiæ obit, 572. e.

Henricus Lantgravius Haſſiæ, 614. c.

Henricus frater Baldewini archiepiſcopi Trevirenſis, 378. a.

Henricus filius Gozilonis comitis Bohaniæ, 934. c.

Henricus frater Hermanni Lantgravii Haſſiæ, 610. c.

Henricus Brunſwicenſis nothus, 642.

Henricus de Flandria Mareſchalus imperatoris, 403. b.

Henricus *Kulmans*, 20. d.

Henricus *de Meulde* irruit in civitatem Trajectenſem, & in ea capit epiſcopum 828. a. & ſeqq. Occiditur, 829. c.

Henricus *de Orey*, 1152. a.

Henricus de Ulmena, 228.

Henricus *de Zweinbruchen*, 230. a.

Heribertus cardinalis, 203. c.

S. Heribertus archiepiſc. Colonienſis, 542. d. 543. a. 867. d. 871. d. 1042. a. 1045. c. 1067. b. Henrico imperatori reconciliatur, 1052. c. Obit, 544. b.

Heribertus epiſcopus, 517. b.

Heribrandus abbas S. Laurentii, 1082. c. Obit, 1083. a.

Heribrandus monachus Sancti Laurentii, 1077. c.

Herimannus archiepiſcopus, 518. a. 840.

Herimannus epiſcopus Metenſis, 176. d. 943. d. 944. a. 948. c. 988. d. Epiſcopatu pulſus, 178. c. 179. c. In ſede reſtitutus, 178. c. Duo conſecrat altaria apud S. Hubertum, 953. b.

Herimannus Montis caſtrorum comes pactum jurat cum Balduino Flandriæ comite, 885. d. Eum imperatori tradere fraudulenter tentat ejus uxor, 885. d. e.

Herimannus dux abbas Epternacenſis, 507. d. 509. d.

Herimannus comes, 518. d. 519. a. 1177. d.

Herinus abbas Epternaci, 460. b.

Herluinus epiſcopus Cameracenſis, 865. c.

Hermannus electus Colonienſis, 618. a.

Hermannus archiepiſcopus Colonienſis, 520. 554. c. d. 858. a. 860. c. 887. c.

Hermannus dives archiepiſcopus Colonienſis, 561. a.

Hermannus comes de Weda archiepiſcopus Colonienſis, 571. a.

Hermannus lantgravius Haſſiæ, eligitur archiepiſcopus Colonienſis, 623. c. Maximilianum imperatorem coronat, 623. d.

Hermannus epiſcopus Monaſterienſis, 216. e.

Hermannus dux abbas Epternaci, 460. b.

Hermannus abbas Clauſtri, 224. c.

Hermannus *Droecker* præpoſitus Noveſienſis, 558. d.

Hermannus Contractus monachus S. Galli, 544. c.

Hermannus comes, 151. a. 1168. c. 1173. b. 1174. c.

Hermannus comes Dasburgenſis, 1046. e.

Hermannus *comes* Palatinus, 207. c. 209. d. Advocatus eccleſiæ Trevirenſis, ei fidelitatem jurat, 205. c. Bellum gerit cum Adalberone archiepiſcopo Trevirenſi, 205. a. & ſeqq.

Hermannus landgravius Haſſiæ, 9. d. 10. e. 94. b. 610. b. c. 614. a. 617. d. 622. e.

Hermere Graviæ Gubernator, 682. c.

Hertruinus *de Waldeck*, 514. b.

Hettinus epiſcopus abbas Epternacenſis, 460. b. 506. a.

Hezechint epiſcopus, 518. a.

Hezelinus comes Alemanniæ, 172. a.

Hezelo epiſcopus Tullenſis, 865. c.

Hezelo comes, 1057. e. 1061. b.

Hezelo frater Godefridi ducis ſe ſuaque tradit S. Laurentio Leodienſi, 1046. d.

Hezil epiſcopus, 519. a.

Hezil abbas, 519. b.

Hiberniæ archiepiſcopus in concilio Tridentino, 1157. e.

Hiems aſpera, 596. d. 954. e. 1372. d.

S. Hieronymus in ſuis prætationibus ſolet æmulis reſpondere, 341. d.
Hieronymus abbas Epternacenſis, 460 b. 506 a.
Hieronymus perverſus canonicus regularis, & domus ſuæ deſtructor, 635. c. 638. c. 639. d. 672. c. 701. d.
Hieronymus de Praga igne damnatus, 597. b.
Hildebalda mater Ekberti archiepiſcopi Trevirenſis, 155. c.
Hildeboldus epiſcopus cancellarius, 157. a.
Hildebordus archiepiſcopus Colonienſis, 536 a 920 d. 1017. b.
S. Hildegardis prophetia, 219. a. De dejectione eccleſiæ Trevirenſis, 224. c.
Hildericus rex, 846. b.
Hildericus rex Francorum, 919. d. 1392. c.
Hildesheimenſes epiſcopi Conradus, 245. d. Ernestus, 649. c. Hezelo, 551. c.
Hildolfus archiepiſcopus Colonienſis, 554. c. 555. b.
Hildolfus epiſcopus, 517. c.
Hilduinus archiepiſcopus Colonienſis depoſitus, 860. c.
Hilgerus epiſcopus ſuffraganeus epiſcopi Leodienſis, ordinis Carmelitarum, 1219. c. 1220. c. 1221. d. 1222. a.
Hilgodus quondam Sueſſionenſis epiſcopus, 999. a.
Hillinus archiepiſcopus Trevirenſis, 172. c. Ejus geſta, 208. b. & ſeqq. Genus illuſtre, 208 c. Juvenis ſcientiis acquirendis operam dat in Francia, 208. c. Ex decano eligitur archiepiſcopus, 208. c. Pacem cum comite Namurcenſi componit, 208. d. Ipſi confirmatur abbatia S. Maximini, 209. a. Ejus prudentia tempore ſchiſmatis, 209. b. Caſtella quædam eccleſiæ ſuæ adjungit, 209. c. Ædes epiſcopales reparat, 209. c. Tria ei objecta, 210. &c. Sub vitæ finem a falſis conſiliariis deceptus, 210. c. Ejus obitus & epitaphium, 211. a. Recolendæ memoriæ archiepiſcopus, 212. c.
Hillinus abbas S. Mariæ, 1081. b.
Hillinus præpoſitus Epternacenſis. 465. c.
Hilſinus abbas, 1080. c.
Himarus epiſcopus Tuſculanus cardinalis, 203. b. 304. c.
Himemari epiſtola ad Nicolaum papam, 192. d.
Hiſpani occupant Blienbechanum caſtrum, 733. d.
Hiſpaniarum reges Ferdinandus, 625. d. 628. c. Philippus, 676. a. 1163.
Hymmelroit monaſterium ordinis Ciſtercienſis, 339. b.
Hoienſis dux Henricus, 987. c.
Hoienſes, 1203. b. 1204. b. 1205. d. Stant pro Borbonio, 1190. d. Pacem faciunt cum Carolo duce Burgundiæ, 1281. a. 1284. a. Vaſtant patriam Namurcenſem, 1280. b.
Hoyi expugnatio, 1313. c. Reſtauratur, 1314. c.
Hollandi in Trajectenſes inſurgunt, 813. a.
Hollandiæ dux Albertus, 45. b.
Hollandiæ comites, Florentius occiditur, 0556. Willelmus, 583. b.
Homicidarum pœnitentia, 925. c.
Honoſtius epiſcopus Tricarienſis, apoſtolicæ ſedis legatus, 1327. c. 1328. b. c. V. Onuſtius.
Honorius II. papa, 196. c. c. 197. c.
Honorius papa III. 240. c. 1097. c.
Horreum abbatia data eccleſiæ Trevirenſi, 151. a.
Horreenſis monaſterii abbatiſſæ, Anaſtaſia, 181. c. Imiza, 181. b. Irmina, 181. c. Luidgarda intruſa, 181. b. Modeſta, 181. c.
Hortus B. Virginis origo, 579. c.
Hoſpitale S. Chriſtophori, 1094. c.
Hoſpitale peregrinorum ad pontem Auroti, 1201. a.
Hroda incluſa de Prumia, 520. b.
Hubaldus Scholaſticus, S. Genovefæ canonicus, 865. d.
S. Hubertus epiſcopus Leodienſis, 843. b. 854 c. Idololatriam ex Ardenna evacuat, 920. a. Tungrenſem ſedem Trajecto transfert Leodium, 917. c. Corpus S. Lamberti Leodium transfert, 849. b. In S. Petri eccleſia ſepelitur, 859. c. Ejus corpus transfertur Andagineſe in monaſterium, 918. c. Otberto epiſcopo Leodienſi monachos vexanti objicitur, 1002. c. 1012. b.
S. Huberti abbas Theodericus, 1069. a. 1070. Vid. Andagineſes abbates.
S. Huberti hiſtoria, 913. c.
Hubertus Brusnet vicedecanus Leodienſis, 1288. c.
Hugbaldus decanus Leodienſis, 1168. a. 1174. c.
Hugo cardinalis 203. c. 492. a.
Hugo S. Sabinæ presbyter cardinalis, 309. a. Ejus epiſtola ſecunda ad priorem fratrum Prædicatorum, ut abſolvat ad cautelam Henricum electum Trevirenſem ab excommunicatione & irregularitate, 471. c.
Hugo Biſuntinus archiepiſcopus, 171. d.
Hugonis archiepiſcopi Colonienſis obitus, 562. c.
Hugo Lugdunenſis archiepiſcopus, 933. c. 1011. a. Burchardum conſecrat epiſcopum Metenſem, 978. c. Ejus epiſtola ad Urbanum papam II 998. a.
Hugo epiſcopus Leodienſis, 859. c. 1187. d.
Hugo de Cabilone epiſcopus Leodienſis, 1107. c. Transfertur Biſuntium, 1108. b.
Hugo de Perraponte epiſcopus Leodienſis, 1095. b. 1210. b. Interfuit concilio Lateranenſi, 1087. a. Obiit, 1098. b.
Hugo Lingonenſis epiſcopus, 933. b.
Hugo epiſcopus Oſtienſis, 1094. c.
Hugo abbas, 518. a.
Hugo Cluniacenſis abbas, 171. c. 942. c. 1096. a. b. Ejus epiſtola ad Urbanum II. 999. c.
Hugo abbas Leodienſis 925. b.
Hugo abbas Sancti Maximini Trevirenſis, 860. c.
Hugo papæ pœnitentiarius, 479. c. Ejus epiſtola ad priorem fratrum Prædicatorum Trevirenſium, 468. c. 469. a.
Hugo magnus frater Philippi regis Francorum, 559. c.
Hugo dux Aurelianenſis, 364. a.
Hugo marchio Italiæ, 1041. c.
Hugo comes occiſus, 518. d.
Hugo de Hazane, 230. a
Hugo de Hamolſteya, 230. a.
Hulaonus rex Tartarorum, 354. b.
Hulcheradum caſtrum, 639. b. expugnat dux Fridericus, 648. c.
Humbercutius, 1322. a. 1323. a. 1324. a. 1348. b. 1349. b. d. 1351. b. 1358. d. Nomine ducis Burgundiæ mittitur ad recipiendam inveſtituram advocatiæ patriæ Leodienſis, 1298. a. Admittitur, 1299. a. Donatur gubernatione patriæ Gelriæ, Limburgenſis, Luxemburgenſis, Namurcenſis, &c. 1356. d. Fit gubernator comitatus Namurci, 1354. d. Ægrotat uſque ad mortem, 1355. b. Fit captivus, 1334. c. 1335. a. d. Decollatur, 1359. d.
Humbertus ex monacho S. Maximini abbas Epternacenſis, 508. a. Diſciplinam reſtituit, 508. b. 510. b.
Humbertus abbas Epternacenſis, 460. c.
Humboldus cardinalis, 203. b.
Hunaldus comes Andegavenſis, 533. a.
Huneco frater Reginaldi epiſcopi Leodienſis, 1061. c. 1062. b.
Hunfridus archiepiſcopus, 517. c.
Hungariæ regnum ad Chriſti fidem convertitur, 1046. c.
Hungari Germaniam vaſtant, 540. b.
Hungariæ rex Stephanus, 544. a. Reginæ, Giſila, 544. a. Maria, 1161. d.
Hungerus comes, 149. c.
Hungri ab urbe Leodio oriundi, 1216. d.
Hunni evertunt caſtrum Ambram, 916. b.
Hunnorum rex Attila, 158. a.
Hunolt epiſcopus 517. c.
Huſenſe virginum monaſterium datur Limpurgenſibus monachis, 570. d.

I.

Jacinthus S. Mariæ in Coſmedin cardinalis, 203. c.
Jacoba abbatiſſa de Torne, ſoror epiſcopi Leodienſis, 1224. b. 1226. b. 1227. b.
Jacoba Badenſis marchionis filia, nupta duci Clevix, 674.
Jacoba ducilla Juliæ imperandi cupida, 757. a.
Jacobus de Columna cardinalis, eccleſiæ perſecutor, 358. b. Vacationem ſedis apoſtolicæ diutinam procurat, 360. c. Caſtra Romanæ eccleſiæ plura occupavit, 360. c. cardinalatu privatur, 359. c.
Jacobus Sirch archiepiſcopus Trevirenſis, 141. electus in diſcordia, 448. b. Fit archiepiſcopus Trevirenſis ex reſignatione 450. b. Ejus geſta, 450. c. & ſeqq. Obitus, 452. a.
Jacobus epiſcopus Metenſis, 1004. a.
Jacobus Præneſtinus epiſcopus. 247. a. Ad concilium proficiſcens capitur, 248. b.
Jacobus ab Alten Eyberſtein abbas Epternacenſis, 517. a.
Jacobus Fay abbas Epternacenſis, B. Mariæ Luxemburgenſis, & S. Vincentii Metenſis abbas, 135. d. e.
Jacobus Thomæ abbas Sancti Laurentii, 1164. a.
S. Jacobi Leodienſis monaſterii fundatio, 868. a. Abbates, Drogo, 1179. d. Henricus de Jopilla, 1095. e. Johannes, 1104. c. Michael, 1104. c. Oibertus, 929. a. 930. a. 1029. c. 1061. a. Reynerus, 1131. e. Robertus, 1071. c. Rutgherus, 1131. c. 1288. c. 1353. c. Stephanus. 1006. a. 1018. b. 1020. a. 1025. c. Willelmus de Julemont, 1106. b.
S. Jacobi abbas a Legato citatus, 1262. d.
S. Jacobi Moguntinum monaſterium deſtruitur, 564. d.
Jacobus a Landenberg canonicus Wormatienſis, miſſus a Rupetto imperatore ad Aquiſgranenſes, 29. a.
Jacobus de Hoſtaden præpoſitus Novefienſis, comes. 558. b.
Jacobus rex Arragonum eccleſiæ rebellis, 358. c.
Jacobus dux Luxemburgenſis, 613. b.
Jacobus de Monckeler a Balduino archiepiſcopo Trevirenſi domatur & humiliatur, 419. d. e.
Jacobus frater comitis S. Pauli, 780. a. Ab hoſtibus captus, 780. b.
Jacobi fratris Ludovici Borbonii tumulus Brugis, 1418. a.
Jacobus de Pratz admiralis claſſis regis Aragonum, 60. c.
Jacobus de Cube miſſus ad tractandum cum Colonienſibus, 55. d.
Januarius epiſcopus Caralitanus, 965. c.
Japoniæ legati Romam veniunt papæ obedientiam promiſſuri, 657. a.
Jarento abbas S. Benigni intereſt ordinationi Burchardi epiſcopi Metenſis, 980. b. Ejus epiſtola ad S. Huberti monachos, 978. d. e.
Ida abbatiſſa S. Ceciliæ Colonienſis, 840. 843. 844. a.
Ida uxor Pippini majoris domus, 919. c.
Ida uxor Friderici ducis nubit Alberto comiti Namurcenſi, 968. d.
Ida ducilla Bullionenſis curat reſtitui monachos in eccleſia S. Petri, 597. b. c.
Ida uxor Balduini magni fundatoris cellæ S. Nicolai de Glano, 1181. c. 1182. d.
Ida comitiſſa 174. a.
Ida comitiſſa Montis-acuti in Stabulenſi monaſterio ſepulta, 986. b.
Ida comitiſſa Namurcenſis, 932. d.
Ida nobilis matrona, 690. b.
Jejunium pro neceſſitatibus, 561. c.
S. Jemgardis comitis Zutphaniæ filia, 579. b.
Jeroſolymitana peregrinatio pro pœnitentia injuncta, 172. d.
Jeroſolymitana expeditio, 996. b.
Jeruſalem expugnatio, 560. c. 1078. a. A Saladino capta, 222. b. A Coradino de-

structa, 560. b. A Soldano datur Fredrico imperatori, 571. d.
Jesuitæ legati regis Franciæ missi Constantinopolim, 715. c. In Benedictinorum monasterium collocantur, ibid. Pluviam cœlitus impetrant, 716. b.
Jesuitæ probrosè appellati Jebusitæ, 560. a. b. Novesianos canonicos accusant, 683. a.
Imiza abbatissa Horrensis, 181. b.
Immit episcopus, 518. c.
Impositio facta Bruxellæ pro duce Brabantino, 1355. c.
Incendium Coloniæ, 593. d.
Inducie inter Carolum V. imper. & Henricum II. regem Francorum, 1158. d.
Indulgentiæ jubilæi, 1219. a. 1220.
Indulgentia plenaria concessa conferentibus ad fabricam ecclesiæ Leodiensis, 1212. c.
Indulgentiæ a Sixto V. Coloniæ concessæ, 676. d.
Ingelramnus episcopus Laudunensis, 1008. d. 1012. c.
Ingobrandus in S. Hubertum intruditur, 983. c. 984. b. Laxat in eo disciplinam, 685. d. Ejicitur. 992. c.
Innocentius papa II. 1085. d. 1084. a. Natione Burgundus, 1288. a. Concilia celebrat in Gallia, 197. c. Ejus partes tuetur Adalbero Trevirensis archiepiscopus adversus Lotharium imperatorem, 201. b.
Innocentius papa III. 1097. e. Ottoni imperatori favet, 225. b Ejus obitus, 569. c.
Innocentius papa IV. 253. b. 1102. c. 1104. c. Pallium mittit Arnoldo Trevirensi, 250. c. Fridericum imperatorem in Concilio Lugdunensi deponit, 333. d. Willelmum electum imperatorem Lugdunum accersit & Romam revertitur, 253. c. In parasceve Lugduni publice concionatur, 254. a. Obit, 254. b.
Innocentius VI. papa, 425. c.
Innocentius VII. papa, 128. c.
Insula monialium monasterium, 228. d.
Insula Rolandi monasterium ord. S. Bened. fundatur, 561. b.
Insulæ artificiæ detectæ, 628. a.
Insulas novas acquirit rex Castellanus & Lusitanus, 630. a.
Interdictum 8. annorum Coloniæ, 593. c.
Interdictum generale in diœcesi Trevirensi, 448. c.
Interdictum in ecclesia Leodiensi, 1104. a. b. 1241. c. 1250. b. 1256. c. 1275. c. 1347. c. Relaxatur sub cautione, 1259 c. 1328. c. 1407. a. 1409. c. Reponitur, 1264. d.
Inundatio aquarum, 362. a. 416. a 592. c. 1366. c d.
Inundatio maris, 604. d.
Inundatio Rheni, 573. c.
Inundatio in Frisia, 570. a.
Jeb Vener missus ad comitem Sabaudiæ, 58. b.
Jodocus marchio Moraviæ, 51. a. 302. e.
Jodocus marchio Brandeburgensis invitatur ad diætam *Lanstein*, 15. c.
Jofridus episcopus Parisiensis, 929. c.
Jofridus præpositus major Trevirensis, 285. d.
Johanna ducissa Brabantiæ, uxor Wenceslai Brabantiam gubernat, 594 c.
Johanna *de Sarwerden*, 424. c d.
Johannes papa, 164. e. 166. b.
Johannes papa XII. 1015. d. Exauctoratur, 152. a e. A factiosis depositus restauratur, 1037. a. b.
Johannes papa XXII. c.
Johannes XXIII. papa 597. a. b. c.
Johannes cardinalis titulo S. Mariæ novæ, 203. c.
Johannes Ægidii cardinalis Leodiensis, 1126. a.
Johannes de Columna cardinalis ecclesiam Romanam persequitur, 357 e.
Johannis *de Virnenburg* electio in archiepiscopum Colonienſem irrita declaratur, 587. d.
Johannes Moguntinus archiepiscopus, 7 a. 9. b. 11. a. 12. c. 13. e. 14. d. 15. e. 16. b. 21. c. 22. c. 24. c. 26. d. 27. e. Sententiam pronunciat in Wenceslaum imperatorem, 18. Ipsum cum Hassiæ Lantgravio, Brunswicensi & Luneburgensi ducibus reconciliare laborat Rupertus imperator, 99. c. & seqq.
Johannes filius comitis S. Pauli, electus archiepiscopus Moguntinus, 431. d.
Johannes archiepiscopus Trevirensis, 172. e.
Johannes imperialis curiæ cancellarius fit archiepiscopus Trevirensis, 224. b Ejus gesta, 224. c. In episcopatu quam prudenter agat, 224. d. 227. c. A Friderico Viennensi comite conjicitur in vincula, 224. d. Ad coronationem uxoris Philippi imperatoris Aquisgranum venire simulat, 226. c. Romam pergit & Pontificem a meditata impositione avertit, 228. a. Castrum in *Berincastel* destruit, 228. a. Constantinopoli egregiam tabellam affert, 228. d. Ejus obitus, 229. a. Quanta acquisiverit ecclesiæ suæ, 224. c. & seq Castrum *Grimberg* construit, 234. c. Brunonem in Colonia consecravit, 250. d. Facta cum imperatore commutatione obtinet abbatiam Epternacensem, 453. d. Quam imperatori restituit, 466. e. Imperatoris & aulicorum offensam incurrit, 457. c. Transfertur e claustri capitulo in Basilicam, 246. b.
Johannes de Sirkis archidiaconus Treviren. in discordia electus archiepiscopus suo juri renunciat, 344. d.
Johannes Fischerus episcopus, martyr, 631. d.
Johannes de Appia episcopus Leodiensis, 1098. b. Ejus obitus, 1099. a.
Johannes electus Leodiensis, 41. e. Negotiatio cum ipso, 41. e.
Johannes Bavarus episcopus Leodiensis, 596. b. 1122. c. 1124. b. 1130. b. 1273. b.
Johannes *de Anghien* episcopus Leodiensis, 1105. d. Filius comitis Flandriæ, 1106. a.
Johannes *de Heinsberg* episcop. Leod. 1135. a. 1137. a. 1202. a. 1204. d. 1207. c. 1216. e. 1217. b. Obsidet Boviniam, 1205. a. Interest paci Attebatensi, 1210. d. Interest Aquis inaugurationi imperatoris, cavetque ne cardinalis Arelatensis quidquam in sua diœcesi faciat, 1211. a. Suscipit administrationem Trevir. archiepiscopatus, 1211. a. Nova condit statuta synodalia 1212. c. Tendit versus terram sanctam, 1213. a. Proponit colloquium cum rege Galliæ, 1225. a. Renuntiat episcopatui Leodiensi in manu summi pontificis, 1137. b. 1227. b. c. Ut se habuerit post resignatum episcopatum, 1228. b. & seqq. 1232. a. Inter eum & Ludovicum Borbonium fit pacis mediator dux Burgundiæ, 1235. a. Ejus obitus, 1239. b.
Johannis *de Horne* episcopi Leodiensis obitus, 1152. a.
Johannes episcopus Liberiensis, 515. b. 1327. e. Suffraganeus Leodiensis, 1292. c. Ejus obitus, 1314. c.
Johannes Longobardus episcopus, 1047. c.
Johannes episcopus Metensis, 244. c.
Johannes episcopus Portuensis, 1062. c. 1092. b. 1165. c. 1166. a. 1167. c. 1170. b. c. 1171. c. 1172. c. 1173. c.
Johannes episcopus Schlesvicensis, 134. b.
Johannes Spirensis episcopus, 186. d.
Johannes de *Arkel*, episcopus Trajectensis, deinde Leodiensis, 1118. a.
Johannes Franciscus episcopus Vercellensis, 641. a. c. 1164. b.
Johannes *Manghen* abbas Belli-reditus, 1163. d.
Johannes Bertelius abbas Epternacensis, 517. a.
Johannes Glattius abbas Epternacens. 517. a.
Johannes de Nova-villa abbas Epternacensis, 514. b.
Johannes *de Willenghen* abbas Epternacensis, 514. a.
Johannes abbas Glandarienſis, 264. c. 283. c. 473. b.
Johannes abbas Sancti Jacobi Leodiensis, 1104. c.
Johannes abbas S. Laurentii, 1098. b. 1099. a. 116. c. Obit 1099. c.
Johannes *Loz* abbas S. Laurentii, 1152. d.
Johannes de Nivella abbas S. Laurentii 1106. b. 1154. c. 1155. b. Cessit, 1107.
Johannes *Peecke* abbas S. Laurentii, 1154. b.
Johannes de Itide abbas, obit Placentiæ, 1136. a.
Johannes Bertelius abbas B. Mariæ Luxemburgensis, 516. a.
Johannes *Soreth* generalis Carmelitarum, 1252. c. 1253. b. 1254.
Johannes Rode Carthusianus, factus abbas S. Mathiæ reformat suum monasterium, 447. c.
Johannes de Puteo præpositus Novesiensis, 558. d.
Johannes *Redberch* præpositus Novesiensis, 558. a.
Johannes *Bam* nobilis canonicus Leodiensis, 1331. c.
Johannes Stabulaus continuator historiæ S. Laurentii Leodiensis, 1033. Plura scripsit, 1218. c.
Johannes Scotus ordinis Minorum, 581. a.
Johannes præpositus Leodiensis, 870. d. 882. c. Watonis ad eum epistola.
Johannes a *Lirnhusen* decanus Ultrajectanus, 709. a.
Johannes cantor ecclesiæ Trevirensis, 348. d. e.
Johannes *de Linse* Officialis Trevirensis, 432. c.
Johannes præpositus Novesiensis, 596. a.
Johannes scholasticus S. Mathiæ scribit de gestis Trevirorum, 144.
S. Johannis ecclesia collegialis fundatur Leodii, 864. c.
Johannes imperator C. P. 1036. d.
Johannes rex Bohemiæ, 114. a. 129. d. 391. c. 392. a. 404. a. 416. b. 417. a. 513. d. 583. b. A domino de Lippa obtellus liberatur, 405. e. Fridericum Austriæ captum in prælio Ludovico regi tradit, 409. d Ejus obitus, 407. b.
Johannes frater regis Bohemiæ, 50. c.
Johannes dux Bavariæ filius Ruperti imperatoris, 50. c. 106. a. b. 107. a. Pro eo petitur in matrimonium filia regis Galliæ, 67. d. Item filia comitis Sabaudiæ, 119. b. 125. c. Ejus matrimonium cum sorore regis Aragoniæ tractatur, 61. c.
Johannes filius regis Bohemiæ ducatu Carinthiæ ejicitur, 586. a.
Johannes princeps, 20. c.
Johannes dux 87. c. 114 b.
Johannes dux Austriæ Albertum regem interimit, 378. c. Propter Alberti imperatoris cædem capite damnatur, 362 a.
Johannis ducis Bavariæ littera de matrimonio Catharinæ regis Sueciæ, Daniæ & Norvegiæ sororis, 1340. c.
Johannes dux Brabantiæ, 25. d. 340. e. 347. d. 576. d. 1292. c. Ei bellum indicit comes Juliacensis, 585. c. Victoriam obtinet adversus comitem Gelrienſem, 577. b.
Johannes Burgundiæ dux Lovanienſem universitatem erigit, 598. c.
Johannes de Bello-visu avunculus ducis Burgundiæ, 1202. c.
Johannes dux Clevorum, 629. a. Ejus nuptiæ cum Jacoba filia marchionis Badendensis, 674. a. Obitus, 623. c.
Johannes *de Gorlitz* dux, 52. d.
Johannes junior princeps Juliæ, 716. c.
Johannes dux Juliæ in mariam incidit, 737. a.
Johannes Galeatius vicecomes Mediolanensis, dux creatur, 408. b.
Johannes comes de Crucenache, 408. c. Pacem violat, 487 a.
Johannes comes Hannoniæ, 583. b.
Johannes comes Montensis, 356. a.
Johannes comes Namurci, 1202. a.
Johannis *de Saswerden* comitis obitus, 392. c.
Johannes comes *Stanheim*, 410. c.
Johannes *de Ventieburg* frater Ottonis de Reneca comitis, 199. c.
Johannes Burgravius, 90. a. b.
Johannes *Boschan* burgravius in *Bucholengein*, 20. d.

Johannes burgravius Norimbergæ, 37. a. 97. d. 98. b

Johannes lantgravius Luchtenbergiæ, 114. b.

Johannes *Isroichhausſen* belli Juliacenſis auctor, 604 c.

Johannes *Golnitz* eques, 167. d.

Johannes *de Dalburg*, 20. c.

Johannes *de Falkenſtein*, 424 b. 425. b.

Johannes *Gaſcon* Spinola, 687. a.

Johannes *de Horne*, 1152. a.

Johannes *Hummel* dominus *de Odenkirken*. 608. b.

Johannes *de Iſemburg*, 20. c.

Johannes dominus *de Limburg*, 20. c.

Johannes *de Leen* dominus *de Heinsberg*, 603. d.

Johannes de Longo-campo Leodienſem patriam comburit, 1280. a.

Johannes Lupus cœcus, 321. a.

Johannes de Marka, 1267. c. 1268. c.

Johannes Maricus, 687 a.

Johannes *de Mildendonck* Noveſium occupat & gravat, 736. b.

Johannes de Scranio vir nobilis, 1247. c. 1249. d.

Johannes *de Wittemberg*, 20. d.

Johannes *de Zigenſtein*, 20. c.

Johannes Andreas inſignis Juriſconſultus, ejus elogium, 1402.

Johannes Arnoldus ductor Leodienſium, 1444. c. Vulneratur, 1450. b. Multos occidit Burgundos, 1450. d. Ex vulnere moritur, ibid. c.

Johannes *Berges* Leodius vulneratur. 1490. a. Tentat cum legato procurare pacem inter ducem Burgundiæ & Leodienſes, 1440. d. & ſeqq.

Johannes Carpentorator captus, &c. 1305. c. Torquetur, 1306. d. Extremo ſupplicio afficitur. 1311 a.

Johannes *Ly Ruyt*, 1288. d. 1296. b. c. advocatus Leodienſium, 1265. c. A Carolo VII. cingulo militari cinctus, 1249. a. Creat duodecim ſatrapas, & facit legem zanquam villicus, 1266. b.

Johannes Truchſeſius eques, 133. e. 134. e. 135. a.

Johannes Valentinus imperio infeſtus, 64. e.

Johannes *Huſſ* Pragæ prædicat hæreſim, 594. a. Damnatur igni, 597. b.

Johannes Aldenarius dux prædonum, 607. d.

Joſephus hiſtoriographorum maximus, 332. a.

Jordanus Cardinalis, 208. a. 223. b.

Jordanus camerarius papæ, 483. e.

Jortlandus Biſuntinus vir doctus, 206. c.

Joſue Judæus ad fidem converſus, 190. d.

Irmina abbatiſſa Horreenſis, 181. c. filia Dagoberti, 191. c. Fundatrix monaſterii Epternacenſis, 459. a.

Iſabella regis Hiſpaniæ filia, 657. a.

Iſelſtein oppidum expugnare tentat Engelbertus de Clivis, 811. c.

Iſembertus comes, 749. e.

Iſidorus vir clariſſimus, 995. e.

Jubilæus annus, 372. e.

Judæi imperatori recens coronato legem Moſaicam in rotulo offerunt, 599 c. Meſſiam expectantes in Chriſtianos adverſa moliuntur, 247. c. Wernerum puerum crudeliter cædunt. 346. c. 576. c.

Judæorum ſynagoga Coloniæ extincta, 599 c.

Judæi recepti & ejecti Colonia, 592. b. 598. c.

Judæi Hiſpania ejecti, 628. c.

Judæi e provincia Trevirenſi expulſi, 447. c.

Judæorum perſecutio, 183. c. Temere baptizantur, 184. c. Interficiuntur, 362. c. 414. d. 419. c.

S. Judocus 1391. c.

Judocus *de Lalaing* Hollandiæ gubernator, 803. a. Trajectenſes fugat, 805. c. & ſeqq.

Juliacenſes comites inſtituunt præpoſitum Aquiſgranenſem, 575. c.

Juliacenſi duci oblationes B. Mariæ Aquiſgrani obveniunt, 575. c.

Juliacenſis comes Aquiſgranum evertere tentat, 336. c. Bellum indicit duci Brabantiæ, 585. c. Colonienſibus ſe opponit, 573. a. Victus a Colonienſi archiepiſcopo, 574. a.

Juliacenſem ditionem ſibi ſubdere conantur Geldrenſes, 606. b.

Juliacenſem comitatum invadit Sifridus archiepiſcopus Colonienſis, 575. d. Ablata reſtituit, 576. a.

Juliacenſem provinciam vaſtat Skenkius capitaneus Geuſiorum, 711. d. 718. c.

Juliæ & Montis ducatus adunatio, 599. d.

Juliacenſis comes ſit marchio, 585. c. A filiis ſuis captus liberatur, 418. a.

Juliaci comes Gerardus, 577. a. 583. b. 584. d. 604. b.

Juliæ & Montis duces, Gerardus, 606. c. Johannes, 697. b. c. Reinaldus, 598. c. 599. d. Walramus, 577. a. Terras eccleſiæ Colonienſis depopulatur, 577. c. Wilhelmus, 404. c. 406. d. 584. b. 586. c. 588. d. 590. a. 592. d. 622. d. 623. a. c. d. 625. d. e. 629. a. c. 717. a. 733. a. Ejus infelix exitus, 575. b. 592. b.

Juliæ ducilla Jacoba, filia ducis Badenſis, 737. a.

Julius II. papa, 516. c.

Julius papa III. 1158.

Julius cardinalis, 203. c.

Julii Cæſaris palatiolum prope Treviros, 198. c.

Ivodium oppidum, 205. a. c. A Francis expugnatum, 1158. b.

Juramentum monachis prohibitum, 976. c.

Juramentum per S. Georgium, 1353. d.

Jurare per barbam ſuam, 159.

Juramentum electorum quando volebant novum imperatorem eligere, 201. c.

Juviniacenſis abbatiſſa Galburgis, 958. c.

K.

Kemplun caſtrum eccleſiæ Trevirenſis, 351. b.

Kirchel arx fortiſſima, 122.

Kiſgarten monaſterium ordinis Ciſtercienſis fundatur, deinde datur canonicis regularibus, 571. c.

Knechtſteden monaſterium fundatur, 560. c.

L.

Lacryma Chriſti, 1097. b.

S. Lambertus epiſcopus Leodienſis, 845. 2. 846. a. Ejus martyrium, 532. a. miracula, 840. c. 850. c. 851. a. & ſeqq. Feſtum 1102. d. Tranſlatio 917. c. 1421. d. Reliquiæ conceſſæ Humbercurtio, 1348. d. Oratio ad eum, 853. c. Ipſius vita a Stephano Leodienſi epiſcopo expolita, 858. a.

Lambertus epiſcopus Atrebatenſis, 1011. c.

Lambertus *de Wagnei* abbas Aureæ-vallis, 1159. c.

Lambertus abbas Florinenſis, 978. a. 1006. a. Sponte cedit, 1006. c.

Lambertus abbas S. Laurentii, 1067. b.

Lambertus de Claro-monte abbas Villæ Dei, 1160. c.

Lambertus præpoſitus Leodienſis, 882. d.

Lambertus *Datin* canonicus Leodienſis, 1208. c.

Lambertus Schafnaburgenſis monachus Sigebergenſis, 550. c.

Lambertus de Stipite, doctor, 1123. d. 1126. d.

Lambertus S. Huberti monachus ſit ſcholaſticus apud S. Remigium, 925. c. 960. b. & ſeqq.

Lamberti ſuperbi monachi mira converſio, 914. d.

Lambertus comes, 1027. d. e. 1028. a.

Lambertus comes Lovanienſis, 1046. a. 1064. c. 1167. a. 1171. c.

Lambertus comes de Monte-acuto, 1187. c.

Lampades ſeptem ardentes ante altare in eccleſia Trevirenſi, 236. b.

Lancea domini, 560. a.

Lancea Conſtantini magni, 540. c.

Lanewaden monaſterium monialium Præmonſtratenſium fundatur, 563. a.

Landas in deditionem accipiunt Burgundi, & comburunt, 1454. b.

Landolfus epiſcopus Wormatienſis, 572. b.

Lanſtidus dux Alemannorum, 532. c.

Lanſtein locus ubi depoſitus eſt Wenceſlaus, 18. d.

Lanzo abbas S. Trudonis, 1072. a.

Lanzo abbas S. Vincentii Metenſis, 988. c.

Laodicea a Chriſtianis capta, 559. c.

Laudunenſes epiſcopi Elinandus, 929. a. 955. c. 978. a. 989. b. Ingelramnus, 1008. d. 1012. c.

S. Laurentii corporis inventio, 1216. b. c.

S. Laurentii Leodienſis monaſterium, 1319. a. d. Ejus initia, 1038. a. 1039. c. Illud tecto cooperit Notgerus epiſcopus, 1045. a. Hezelo frater Godefridi ducis ſe ſuaque tradit S. Laurentio, 1046. d. Monaſterium Poponi abbati Stabulenſi commendat S. Wolbodo, 1054. a. Illi conceſſa a Wolbodone tollit Durandus epiſcopus, 1054. c. Reginardus monaſterium integrum conſtruit, 1062. b. Eccleſiæ dedicatio, 1062. c. Quæ ipſi tradita ſunt ipſo die dedicationis a Reginardo, 1064. a. & ſeqq. Officinas conſummat Stephanus abbas 1065. c. S. Laurentii monachi ab Otberto epiſcopo diſperſi, 1075. b. Monachorum ſæculo XII. numerus, 1090. b. Fulminis ictu multum læditur, 1091. d. & ſeqq. Ad paucos redigitur monachos, 1108. d. Debitis ſupra modum gravatur, 1109. a. Efficitur deſertum, 1110. c. Ad illud revocantur monachi, 1111. b. Monachi ab epiſcopo Leodienſi diſperſi per annos XL. 1150. c. Jocalia monaſterii Hoyum delata & abſcondita, 1314. d. 1315. a. Eorum ſit inquiſitio, 1304. a.

S. Laurentii Leodienſis abbates, Adam abbas S. Trudonis, 1108. c. Arnoldus I. 1113. c. Arnoldus *Leen* 1117. 1137. d. 1138. a. 1145. Balduinus 1092. e. 1188. c. Bartholomæus de Longo-campo, 1151. a. 1158. a. Beringerus S. Huberti prior, 954. c. 973. b. 974. b. 985. e. 1027. b. 1070. b. 1074. c. 1075. d. 1076. b. 1186. b. Enoch, 1105. c. Everardus, 1067. c. Everelmus, 1065. b. 1178. a. Everlinus, 1086. c. 1088. c. 1889. e. 1090. c. Gerardus, 1094. a. 1105. a. b. Gaveredus, 1111. c. 1112. d. 1126. d. 1113. d. Henricus Adæ, 1122. d. 1123. c. 1124. b. 1129. d. 1130. Henricus *Delle Cheraux*, 1130. a. & ſeqq. 1132. d. 1137. d. 1138. b. 1146. c. Henricus *de Haccourt*, 1099. d. 1103. a. 1104. c. Henricus Natalis, 1162. a. 1163. a. Heribrandus, 1069. c. 1080. c. 1082. d. 1083. a. Jacobus Thomæ, 1164. a. Johannes, 1098. b. 1099. c. 1116. c. Johannes *Lox*, 1152. d. Johannes de Novilia, 1106. b. 1154. e. Johannes *Pecchs*, 1154. b. Lambertus 1067. b. Ogerius *Louchin*, 1164. a. 1166. c. Otto, 1094. c. 1096. a. c. 1179. c. 1182. c. Robertus, 1117. d. 1120. d. Stephanus, 924. a. 1056. a. 1061. c, d. 1064. b. 1065. c. Stephanus *de Marilles*, 1121. a. c. 1122. d. e. Walterius, 1084. c. 1088. d. Walterius II. 1097. c. dictus Macharius 1114. c. 1115. c. 1163. a. Wazelinus I. 1083. c. 1086. a. 1087. c. Wazelinus II. 1087. d. 1177. c. Werricus 1108. b. 1109. c. 1121. c. 1190. b. Wolbodo, 950. 951. a. 975. c. 1068. d. 1081. b. 1184. c. Depoſitus reſtituitur. 974. a.

Hiſtoria Leodienſis monaſterii S. Laurentii, 1033.

Laurentius abbas S. Vitonis, 1019. a.

Laureshamenſe monaſterium tranſit ad Præmonſtratenſes, 571. c. 572. a.

Laureshamenſis abbas Brunengus, 517. d.

Lauſannenſes epiſcopi, Amedeus, 204. Bonifacius, 1181. a.

Leshnich caſtrum, 584. c.

Leo papa III. 920. d. 1017. b. A Romanis excæcatus Spoletum fugit, 534. c. Carolum magnum imperatorem diademate redimit, 535. c.

Leo VIII. antipapa deponitur, 1037. b.

Leo papa IX. 171. d. 172. b. 518. a. 1058. b. Puer litteras diſcit in pſalterio litteris aureis ſcripto, 936. d. Ejus caſula, 943. b. 952. d.

Leonis X. obitus, 631. a.

Leo cardinalis, 1094. e.
Leo epiſcopus Græcus, 1045. b.
Leonem interficit Walterus *Gryn* civis Colonienſis, 584. b.
Leodienſes quam felices populi, 743. c. Leodium transferre Tungrenſem ſedem S. Hubertus, 917. b. Leodienſem ſedem epiſcopalem alio transferre renuit ſummus pontifex, 1306. b. Leodienſes indigne ferunt epiſcopi ſui renunciationem, 1227. d. Conſpiratio in dominum & patriam Leodienſem, 1363. c. Conſpiratores ſupplicio addicti, 1364. d.
Leodienſium protector dux Burgundiæ, 743. d. e. Eos in Burgundionum ducem concitat Ludovicus XI. rex, 743. a. 750. a. Ipſis miſſus a rege Francorum Triſtandus Heremita, 1263. Eorum legatio ad regem Franciæ, 1214. c. 1247. d. e. Qui legatos benigne ſuſcipit, 1240. c. Scilicet dominum de Bierlo & Ægidium *de Metz*, 1265. a. Eorum fœdus cum rege Franciæ, 1274. d. Terras ducis Burgundiæ depræ dantur, 743. b. Eorum probra in Burgundiæ ducem, 744. c.
Leodienſes vaſtat Carolus audax dux Burgundiæ, 608. e. qui eorum cædem ingentem facit, 609. b. Novos conatus in ducem Burgundiæ tentant, pacemque & veniam petunt, 751. d. e. 1283. c. & ſeqq. 1285. a. 1296. 1316. d.
Leodienſibus pacem promittit dux Carolus, ſed perit ab illis L. obſides 1297. a. Conditionem admittunt Leodienſes, 752. b. 1297. c. 1319. b. Articuli pacis 1319. c. & ſeqq. Civitatem ingreditur dux Burgundiæ, 1320. c.
Leodienſium deputati ad faciendum ſatis duci Burgundiæ, 1288. c.
Leodienſes iterum rebellant in ſui perniciem, 753. b. & ſeqq.
Leodienſes juriſdictionem & dominium epiſcopi ſui uſurpare tentant, 754. d. Citantur ab apoſtolicæ ſedis legato, 754. c. Multa objiciunt Ludovico Borbonio, 1386. e. Eorum querela adverſus Ludovicum Borbonium & ducem Burgundiæ, 1412. c. Ab apoſtolicæ ſedis legato damnantur, 755. a. Ad papam appellant, 755. b. A quo & damnantur, ibid. c. Ejus cenſuras contemnunt, & novum eligunt epiſcopum, 755. d. e. Iterum tumultuantur, 756. b. & ſeqq.
Leodienſes epiſcopum ſuum capiunt, 609. b. 756. e. & dimittunt, 757. a. In eos una cum rege Franciæ pergit dux Burgundiæ, 757. b. & ſeq. Noctu in regem & ducem irruunt & cæduntur, 758. b. Urbs expugnatur, direptaque incenditur, 759. d. & ſeqq.
Leodienſes diffidant ducem Burgundiæ, 1279. b. parant ſe ad defendendum fines patriæ, 1315. b. 1388. e. Terga vertunt hoſtibus, 1316. e. Leodienſes eccleſiæ fidejubent apud ducem Burgundiæ pro civitate, 1323. d. e. Civitatis muri deſtruuntur, 1323. d. 1351. a. Leodienſes a facie Burgundionum fugiunt, 1338. a. Ab eis vincuntur, 1387. b. Eorum conſilium de ſua civitate incendenda, 1340. a. Incendunt tentorium ducis Burgundiæ, 1341. c. Civitatem capiunt & diripiunt Burgundiones, 1341. e. Spoliata traditur incendio, 1148. d. 1467. b. 1468. c. 1493. d. exceptis eccleſiis, 1343. c. Canonicorum domus ſpoliantur, 1276. c.
Leodienſis civitatis deſtruendæ conſilium duci Burgundiæ dat Ludovicus XI. 1343. c. Cui civitati mala meditabatur inferre, 1247. b. Signa varia Leodii futuri excidii, 1436. b. Quod etiam vates prænunciant, 1437. b.
Leodienſes eccleſiæ reconcilia[illegible], 1345. d. Civitas reſtauratur, 609. e. Muri reparantur, 1367. b. 1368. b. 1370. a. Leodienſi epiſcopo ſua juriſdictio reſtituta, 1259. c. Leodienſi eccleſiæ plura jocalia mittit Carolus dux Burgundiæ, 1352. c. Leodienſi in patria facta foſſata, 1228. c.
Leodii novi tumultus, 1251. a. & ſeq. 1286. a. Seditio puerorum, 1289. d. 1291. a. d. 1292. b.
Leodienſis patria convocata, 1265. c. 1267. b. 1269. c. 1287. a.
Leodienſium diffidium cum ſuo epiſcopo, 608. c. Nolunt agnoſcere electum poſt ſeptem ab electione annos, 1261. b. Creatio mamburni proponitur, 1267. a. Trecenſis epiſcopus legatus regis Franciæ ad Leodienſes, 1305. b. Negociatio cum electo Leodienſi, 56. b. c.
Leodienſes inter & Colonienſes diſſenſio, 1212. a.
Leodienſes inter & Namurcenſes bellum, 1201. d. 1203. d.
Leodienſes in Burgundos irruentes vincuntur, 1453. c.
Leodienſes trecentas villas, triginta tria fortalitia Namurcenſium incendunt, 1206. a.
Leodium ſpoliatur a Brabantinis, 1096. c.
Leodienſes obſident Falco-montem, 1279. d. Solvitur obſidio, 1280. a. Caſtrum *Reidt* expugnant & evertunt, 607. e. Rerum Leodienſium libellus Adriani de Veteribuſco, 1200.
Leodienſes Boſſiove expugnant, 1209. d. & alia caſtra, 1210. b.
Leodienſes Tungrim irrumpunt, 1441. c. & cruentam agunt ſtragem, 1442. a. & ſeq.
Leodienſes epiſcopi, Adolphus, 585. d. Adolphus de Marka, 1110. c. Adolphus *de Waldeck*, 1108. d. 1109. e. Adalbero, 1286. a. Albero 1082. d. Albero II. 1085. a. b. Albertus martyr, 1093. e. Alexander, 1026. b. 1083. b. 1089. c. Arnoldus *de Horne*, 1119. c. 1121. a. Ejus obitus, 1122. c. Baldricus, 859. d. 866. a. 867. b. 1045. c. Deoduinus, 943. a 949. d. 951. c. 1066. e. 1069. a. Durandus, 865. d. 871. c. 1054. c. Engelbertus, 1115. c. 1117. a. 1118. a. Etardus de Marka, 1152. a. c. e. Erneſtus, 641. c. 649. c. Everaclus, 859. e. 1035. a. Farabertus, 859. d. Faramundus, 920. a. S. Florebertus, 855. b. Franco 855. c. Fridericus, 1023. c. 1082. a. Fulgaricus, 855. c. Georgius ab Auſtria, 1158. c. 1159. a. 1160. c. 1163. b. Gerardus *Grootberg*, 1163. c. Guido de Hannonia electus, 1107. c. Harchatius, 855. d. Henricus, 172. d. 925. c. 932. c. 936. b. 950. b. 973. c. 997. c. 1000. c. 1001. a. 1020. b. 1069. a. 1070. d. 1071. c. 1072. c Henricus Dictus Pacificus, 1184. a. Henricus III. 1102. e S. Hubertus, 843. b. 854. e. 917. b. 928. c. Hugo, 859. c. 1189. d. Johannes electus, 41. e. Johan. *de Arkel*, 1118. a. c. 1119. c. Johannes de Appia, 1098. b. 1099. g. Johannes Bavarus, 596. c. 1122. c. 1130. b. Johannes *de Enguihen*, 1105. c. Johannes *de Heinsberg*, 1135. b. 1137. b. 1202. a. 1204. d. *Poilevache* caſtrum expugnat, 1204. c. 1225. a. 1229. b. Ludovicus Borbonius, 608. 754. a. 786. c. 813. b. 1151 b. S. Lambertus, 845. c. 846. a. 847. d. Texandriam ab idololatria convertit, 848. a. Martyrio coronatur, 848. c. 920. c. Marcus filius Badenſis comitis, 753. c. Nithardus, 872. c. 886. b. 1065. d. 1184. b. Nocherus, ſeu Notgerus. 861. c. 867. d. 1040. b. Otbertus, 915. a. 973. c. 1071. b. 1072. b. 1073. a. 1075. d. 1186. b. c. Ratherius, 859. d. Reginardus 811. d. 882. c. 921. e 1057. c. 1184. a. 1216. c. S. Remaclus, 845. b. Richarius, 840. 841. 857. c. 859. c. Robertus, 1000. d. 1001. 1102. c. Robertus de Bergis 1160. 1161. a. b. 1163. b. c. Rodulfus 1086. b. 1089. c. 1091. a. 1179. d. Stephanus, 840. 857. c. 859. b. Theobaldus, 593. c. 599. b. Theobaldus de Barro, 1109. e. 1110. a. S. Theodardus, 845. b. Thietvinus, ſeu Deodinus, aut Theoduinus, 851. a. 1181. c. Walcandus, 855. d. 920. c. 922. b. 936. c. 938. a. 964. d. 1016. c. 1017. b. Wazo, 844. a. 860, d. 866. c. 872. d. 1066. a. 1184. b. S. Wolbodo, 868. b. 1050. a. 1056. b. c.
Leodienſis epiſcopus, 114. b. Ducem Bulloniſ ſe nominat, 559. b.
Leodienſis epiſcopus occiditur, 625. b.
Leodienſium epiſcoporum geſta a quibus conſcripta ſunt, 837. a.
Leodienſis eccleſia cathedralis quadringentos poſſidet miniſtros, 1470. c.
Leodium unde Legia dicitur, 1409. a.
Leodienſis decanus Anſelmus, 923. d.
Leonora imperatrix Romæ coronatur, 606. a.
Leonora regina Franciæ, 1161. d.
Leopoldus dux, 54. d.
Leopoldus dux Auſtriæ, 43. b. 44. a. c. 58. d. 76. a. 78. c. 98. b. 100. 101. d. 106. a. 114. c. 130. c. Memoriale ad tractandum cum Leopoldo duce Auſtriæ, 54. c. Cum eo negociatio nomine Rupertı imperatoris, 62. b. Cujus erat gener, 127. b.
Leupo abbas S. Trudonis, 975. c.
Leupo intruſus, 995. a.
Liberienſis epiſcopus Johannes, 1192. c. 1327. c. Ejus obitus, 1354. c.
Libertus epiſcopus Beritenſis, 1150. d. 1151. b. 1365. b. 1371. a.
Liga ſancta in Hugonotos, 734. b.
Limburgenſis ducatus, 379. d.
Limburgenſis dux *Wenceſlaus*, 592. d.
Lingonenſes epiſcopi, Hugo, 933. b. Robertus, 1100. d.
Linnam recuperat Fridericus dux Lowenburgicus, 641. a.
Liubpolt archiepiſcopus, 518. b. Lobienſes abbates, Arnulfus, 983. c. 984. a. Hugo 923. b.
Lolardi hæretici, 583. d. e.
Longobardia ad ſacrum imperium olim ſpectabat, 17. a. Longobardis Winceſlai imperatoris depoſitio & Ruperti electio ſignificatur, 31. a. & ſeqq. Negociatio cum ipſis, ibid.
Longipratum caſtrum evertſum, 1414. c.
Loſſenſes indignationem epiſcopi Leodienſis commovent, 1212. c. A Namurcenſibus cæſi, 1205. c.
Loſſenſis comes Arnulfus, 1038. c. 1187. e.
Lotharingia invictiſſima, 856. b.
Lotharingiæ regno additur eccleſia Trevirenſis, 150. c. De rebus Epternacenſis monaſterii amplificatur, 456. b. c. 457. c. Ottoni regi adverſus Philippum favet, 566. e.
Lotharingis bellum infert Carolus dux Burgundiæ, 619. qui plura oppida occupat, 778. a. 779. e.
Lotharingiæ duci arcem *Kirchel* pro ſolutione debitorum dare recuſat Rupertus, 121. e.
Lotharingiæ duces, Carolus, 130. a. Fridericus, 348. b. 349. c. Matthæus, 206. c. Renatus, 620. c. Simon, 198. c.
Lotharius imperator, 196. d. 506. a. Factus monachus Prumiæ, 461. b.
Lotharius II. imperator, 197. c. 198. b. 561. b. 562. a. Ei reconciliatur Contadus, 199. e.
Lothario III. imperatori adverſatur Adalbero Trevirenſis in gratiam Innocentii II. 201. b. In valle Tridentina moritur, 199. a.
Lotharius rex excommunicatus, 461. b. Pro Waldrada, 506. b. Tieburgam reginam repudiat, 856. b. Romam a Nicolao papa I. accerſitur, 856. c.
Lotharius dux Saxoniæ, imperator, 461. e.
Lovanienſis eccleſia S. Jacobi *erigitur in collegiatam*, 1191. d. & ſeqq. Erectionis pacta, 1195. a. & ſeqq. In eam jura abbatis S. Laurentii Leodienſis, 1195. c. & ſeqq. 1196. c. & ſeqq. In ea ſolemniter celebrat, 1198. c. d. Decani electionem confirmat, 1197. e.
Lovanienſis dux, Godefridus, 1027. e. Comes Lambertus, 1046 a.
Lucas abbas Montis-Cornelii, 1179. d.
Lucenſis epiſcopus poſt Alexandrum papam S. Anſelmus, 944. b.
Lucenſium obedientiam petit Rupertus imperator, 72. e.
Luchardis hæretica, 243. c.
S. Luciæ virginis corpus partim Metas, partim Trevirim allatum, 157. c.
Lucius papa III. 215. a. 216. b.
Ludolphus de Marca archiepiſcopus Colonienſis, 430. c. 431. a.
Ludolphus archiepiſc. Trevir. 159. a. 191. c.
Ludolphus de Sabaudia ſenatoria dignitate

Romæ decoratus, 399. a. Multas in Italia ſibi urbes ſubjicit, 400. a.
Ludovicus Borbonius epiſcop. Leod. 515. b. 608. c. 754. a. & ſeq. 786. c. 1151. b. 1224. c. Olim ſcholaris Lovanienſis, 1222. c. Ad preces ducis Burgundiæ fit epiſcopus, 1386. a. Adhuc puer, ibid. b. cum diſpenſatione a ſuſceptione ordinum ſeptem annis, 1228. c. Electus venit Leodium, 1243. c. 1255. a. Ingreditur civitatem, 1230 b. & ſeqq. & in reliqua patriæ oppida, ibid. d. Facit monetam cupream, 1231. c. Petit a ſcabinis Leodienſibus recordium, 1233. d. Inter eum & Heinsbergium fit moderator pacis dux Burgundiæ, 1235. a. Revocat officium villici Leodienſis, 1255. c. Multas proponit querelas contra Loſſenſes, 1256. b. Petit ſubſidium a clero Leodienſi, 1255. a. & ſeqq. Conqueritur de Leodienſibus quod ejus infringerent juriſdictionem. 1249 b. Ejus dominium uſurpare tentant Leodienſes, 754. d. Petunt villicum reſtituat, & legem patriæ faciat, 1265. c. Ejus bona ſequeſtrata, 1266. c. Convocatio patriæ contra ipſum, 1267. b. Hoyenſes ejus cauſam ſuſcipiunt, 1267. c. Ejus litteras *ſuſcipere nolunt* Leodienſes, 1268. c. Ejus inſignia tollunt de palatio, 1266. d. Marco *de Baden* præparatur palatium, 1268. d. Eum recipere nolunt canonici Leodienſes, 1269. a. Bona ejus diripiuntur, 1273. d. 1277. b. d. Fugit de Hoyo, 1277. a. Ejus expulſionem Leodienſes petunt a papa, 1277. c. Crimina ipſi impoſita, 1277. c. 1386. c. d. Hoyi conſecratur, 1291. b. 1292. d. e. Ejus imagines & inſignia lacerata, 1291. e. Inter ipſum & Leodienſes fit pacis arbiter rex Franciæ, 1238. c. Proficiſcitur ad ducem Burgundiæ ad intercedendum pro obſidibus, 1323. d Solemni ritu Leodium veniens recipitur, 1323. b. 1350. c. Ei conceditur caritativum ſubſidium, 1326. a. Præparat ſe ad dicendam primam miſſam, 1326. b. Obviam pergit legato venienti Leodium, 1326. c. Primam miſſam celebrat, 1327. d. Diſcordia inter ipſum & ducem Burgundiæ, 1350. c. Eum agnoſcere nolunt Leodienſes poſt ſeptem annos, 1261. b. Ejus colloquium renuit Razo, 1304. c. Capitur & relaxatur, 757. a. Intereſt diætæ Bruxellenſi, 1290. c. Hagis Hollandiæ comitiis nobilium, 1349. d. Ægrotat & convaleſcit, 1370. c. Ipſi indiguatur Guillelmus de de Marka, 1369. a. b. & ſeqq. 1370. a. & ſeqq. Diſſenſio inter eos, 1371. d. 1375. d. 1376. c. Occiditur a *Willelmo de Aramberg*, 813. b. ſeu *Willelmo* de Marka, 1373. b.
Ludovicus abbas Epternacenſis, 460. c.
Ludovicus II. abbas Epternacenſis, 512. c. & S. Bucharii, ſeu S. Mathiæ Trevirenſis, 213. c. 511. c.
Ludovicus ſcholaſticus S. Salvatoris Metenſis, 484. c.
Ludovicus imperator, 145. a. 461. b. 583. b. c. 585. c.
Ludovicus Pius factus rex Romanorum, 536. b. Fit imperator, 536. c. 917. b. 918. c. 920. d. 1017. b. 1391. d.
Ludovicus dux Bavariæ electus imperator, 404. c. 424. c. de Frederico triumphat, 405. c. 406. a. Romam ingreditur, & coronatur, 410, c. Schiſma excitat in eccleſia, 412. a. Excommunicatur, 513. Ob varia flagitia deponitur, 416. c. 586. a. Filii Johannis regis Bohemiæ e Carinthia ejecti uxorem rapit, & filio ſuo tradit, 416. b. Ejus obitus, 417. d.
Ludovicus rex Germaniæ, 461. b. 507. a.
S. Ludovici canonizatio, 362. d
Ludovicus rex, 156. a.
Ludovicus Balbus rex, 507. c. 509. c.
Ludovicus III. rex Francorum, 535. a.
Ludovicus XI. rex, 751. c. Perpinianum expugnat, 778. a. b. Pergit in Normaniam adverſus Anglos, 782. d. Vaſtat terras ducis Burgundiæ, 778. d. 779. c. 780. a. Picardiam occupat, 622. d. Filiam ſuam Caroleſienſi comiti dare in matrimonium ſimulat, 749. a. Erubeſcit de pacis cum Burgundione conditionibus, 762. b. Quas dux Burgundiæ in Parlamento confirmari curavit. 762. d.
Ludovicus X I. concitat Leodienſes in Burgundionum ducem, 743. a. Nuncios eis mittit, 1372. c. Ejus epiſtola ad Leodienſes, 1373. a. Quos ſub ſua ſuſcipit protectione, 1249. c. Ejus parum tuta fides in Leodienſes, 760. c. Ejus litteræ Burgundionum duci oſtenduntur, 760. c. Probra a Leodienſibus recipit, ibid. d. Meditatur vindictam de eis, 1247. b. Conſilium dat duci Burgundiæ de deſtruenda civitate Leodienſi, 1343. c. Nuptias Maximiliani cum Maria ducis Burgundiæ filia impedire tentat, 621. c. & ſeqq. Delphinum octennem cum filia ducis Burgundiæ matrimonio conjungi petit, 1363. a. Plaga crudeli affligit patriam Picardiæ, Sommæ & Flandriæ, 1363. c. Avenas expugnat & incendit, 1362. d. e. Totam obtinet Burgundiam, 1370. c. Pax inter eum & Maximilianum, 819. e. Cum duce Auſtriæ, 816. a. Ei mittitur ambaſſiata ex parte Flammingorum poſt mortem Mariæ ducißæ Burgundiæ, 1366. a. Ejus obitus, 836. c.
Ludovicus dux filius Ruperti imperatoris 91. e. Italiæ vicarius, 81 e.
Ludovicus rex avunculus Arnulfi regis, 146. a.
Ludovicus filius Arnoldi imperatoris, 461. c.
Ludovicus Delphinus ad ducem Burgundiæ confugit, 1231. c.
Ludovicus dux Bavariæ, 9. d. 45. b. 55. a 59. a. 68. c. 70. a. 83. c. 104. b. c. 106. a. 728. d. 1356. c. Frater reginæ Franciæ, 97. a. 106. c. Ad regem Galliæ deputatus, 107. a. In Italia exiſtens, Ruperto imperatori dat auxilium, 86. c. Ejus cum Blancha nuptiæ Coloniæ, 123. c. Regni tutor inteſticitur, 242. a.
Ludovicus filius Ludovici Bavari, 416. d.
Ludovicus dux, 104. c. 105. a.
Ludovicus comes Palatinus, 597. c.
Ludovicus comes Palatinus Rheni, dux Bavariæ, & imperii per Germaniam vicarius 84. d. 86. a. Legatus miſſus in Galliam, 119. c.
Ludovicus *de Luxemburg* comes S. Pauli Pariſiis capite plectitur, 1357. c.
Ludovicus de Marka, 1377. b.
Lugdunenſes archiepiſcopi, 1253. b. Halinardus, 171. c. 933. c. 978. c. 998. a. Hugo, 1011. a.
Luneburgenſis dux vaſtat terras archiepiſcopi Moguntini, 56. c.
Lutgardis abbatiſſa Horreenſis intruſa, 181. b. 182. c.
Lutgardis comitiſſa, 807. c.
Luitprandus rex Longobardorum, 532. c.
Luopoldus pater Popponis archiepiſcopi Trevirenſis, 162. b.
Lupo pſeudo-abbas S. Trudonis, 1072. a. 1073. c. Depoſitus reſtituitur, 974. a.
Lupo præpoſitus Noveſienſis, 558. a.
Lupoldus epiſcopus Wormatienſis, 226. b.
Lupoldus dux Auſtriæ, 393. c. Ab Helvetis victus, 593. a.
Luthardus comes, 537. b.
Lutherus Wormatiæ a principibus damnatur, 630. c.
Lutrenſis conventus ad ſedandum Trevirenſe ſchiſma, 219. b.
Luxemburgum ſibi ſubjicit Philippus dux Burgundiæ, 603. c. 1212. d.
Luxelburgenſis comes Henricus, 209. a. 347. d. 379. c. e. Dux Wenceſlaus, 592. d.
Luxemburgenſis dux Jacobus, 613. b.

M.

Machabæorũ corpora Coloniam tranſlata, 564. a.
S. Magnericus archiepiſcopus Trevirenſis, 154. a.
Magorum corpora Coloniæ, 388. c. 564. a.
Mahometi ſepulcrũ igne conſumtum, 334. a.
Mahometes Amurata filius Conſtantinopolim expugnat, 606. b.
Malbedurium invadit Altipennius capitaneus regis Hiſpaniæ, 718. c.
Malbodium a Francis incenditur, 1367. d.
Mamburnum apud *Leodios* facere ad quos ſpectet, 1224. c.
Mamburni nominis mutatio, 1270. d.
Manaſſes archiepiſcopus Remenſis, 914. c. 930. b. c. 955. a. 978. c. 989. b. 997. c. 999. d. 1008. d. 1009. c. 1012. c. 1018. a. 1019. b.
Manegoldus *de Luttenbach* monaſterium *de Marpach* inſtituit, 558. c.
Manfridus filius Frederici imperatoris occiditur, 536. c.
Manichæorum hæreſis renovata, 899. a.
Manſfeltius comes, 683. d. E Berka Gueſiſos expellit, 736. b.
Maphæus vicecomes Mediolanenſis, 393. b.
Marbacenſe monaſterium, 558. c.
Marcellus Lentius generalis congregationis Wendesheimenſis, everſa monaſteria reſtaurare laborat, 679. b. Noveſienſe monaſterium Colonienſi Corporis Chriſti unire tentat, 517. d. e. 523. Unio illa varias ob cauſas eſt irrita, 528. b. De negligentia infimulatur, 527. c. Noveſii bona Jeſuitis offert, 523. 528. c. Ejus epiſtola ad ſuos Colonienſes canonicos regulares, 652. b. De eo, 650. c. 652. a. 719. e.
Marcellus cognatus imperatoris C. P. 228. c.
Imperium invadit, 227.
Marcus archiepiſcopus Trevirenſis, 145. b.
Marcus marchio Badenſis, 608. c. Eligitur mamburnus Leodienſis, 1267. c. e.
Marcus filius comitis Badenſis electus epiſcopus Leodienſis, 755. c. 1413. d. Qui recuſat epiſcopatum, 755. c. Ejus ſolemnis ingreſſus Leodium, 1269. c. Juramentum, 1270. b. 1271. b. Dionantum tendit, 1271. a. Tungros, 1281. c. Epiſcopi locum occupat, 1273. b. Ejus confirmationem a papa poſtulant Leodienſes. 1278. b. Recipitur in Hoyo. 1278. c. Obſidens Falcomontem latenter recedit, 1279. d. Inde ſe excuſat, 1281. c. A Leodienſibus maledictus, ejus imago lacerata, 1292. b.
Margarita regina Sueviæ, Daniæ & Norvegiæ, 139. d. Ei legationem mittit Rupertus imperator, 133. d.
Margarita ducis Brabantiæ ſoror, Henrici VII. imperatoris conjux, 387. d.
Margarita ducißa Burgundiæ, 1329. c. 1420. a.
Margarita filia Maximiliani ducis Auſtriæ, 792. c. Deſponſata Delphino, 819. e. Carolo regi deſponſata ad patrem remittitur, 627. c.
B. Mariæ officium, 1078. c. tunica, 1385. a.
S. Mariæ Luxemburgenſis abbas Jacobus *de Fey*, 515, d. e.
S. Mariæ ad Martyres Trevirenſes abbas Robertus, 266. c. 274. c. 284. b. 473. b. Pſeudo-abbas Ægidius *de Manderscheit*, 274. c. 282. a. d. Amovetur, 284. b.
S. Mariæ Magdalenæ feſtum, 1082. c.
Maria regina Hungariæ 1161. d.
Maria ducis Burgundiæ filia, 791. b. 813. c. Maximiliano imperatoris filio nupta, 620. d. 1368. a. 1372. a. Ejus obitus, 742. c. 1375. a.
Mariënburg oppidum a Francis expugnatum, 1158. c.
Maris monaſterium fundatur apud Noveſium, 563. a.
Marquardus dapifer, 456. a.
S. Martini templum incendunt Normanni 536. d.
Martinus papa IV. 576. a.
Martinus papa V. 446. b. 548. c. 597. b. 598. Ejus bulla pro unione Noveſienſis monaſterii ad congregationem Wendesheimenſem, 600. c.
Martinus Maſius abbas Epternacenſis, 517. a.
Martinus abbas Villarii, 1121. c.
Martinus papæ pœnitentiarius, 480. c. 481. a. Ejus litteræ quibus Henricum electum Trevirenſem abſolvit ab excommunicatione & irregularitate, modo ſatisfaciat cameræ apoſtolicæ, 472. a.
Mattinus Schenkius a rege deficit, 672. d.

Maternus Trevirenſis archiepiſcopus, 152. d.
S. Maternus epiſcopus Tungrenſis, 843. b. 844. b.
Matfridus comes, 149. c.
Matfridus comes Zuendeboldum regem occidit, 461. c.
Matthæus dux Lotharingiæ, 206. 209. b. 211. c.
S. Mathiæ inventio, 195. a. c.
S. Mathiæ monaſterium in tota Germania religionis ſpeculum, 282. b. Gravatur, 198. c. Hujus monachos ab obedientia ſui abbatis avertere fruſtra conatur Henricus electus Trevirenſis, 466. b. Ab Henrico Trevirenſi electo perſecutionem paſſi, confugiunt ad canonicos Trevirenſes, 259. a. Monaſterii ſui reliquias & eccleſiæ ornamenta loco in tuto a præda Henrici electi reponunt, 271. b. &c. A ſuo monaſterio fugati, a canonicis Trevirenſibus honorifice ſuſcipiuntur, 276. d. 281. c. 282 b. Eorum monaſterium diripitur, 276. c. Incendio vaſtatur, 277. b. 282. b. S. Mathiæ corpus in eccleſiam cathedralem transferunt, 277. d. In ipſos ſurit Henricus electus, 279. c. Opem ſummi pontificis implorant, 280. a. Qui ipſos reſtitui jubet, ibid c. *Willelmus Meyſembarg* monaſterium S. Mathiæ diripit, 276. c. Ab eo amovendus, 281. c. Illud deſerit ſpoliato templo, 288. Adverſus eum & ejus fautores cives armati convolant, 289. c. & ſeqq. Monachi exules ſuo monaſterio reſtituuntur ab electo Trevirenſi, & quidem p[illegible]cita venia, 290. b. & ſeqq.
S. Mathiæ abbates, Bernardus, 505. b. **Bertolfus**, 505. a. **Godefridus**, 453. c. **Johannes *Rode*** reformator, 447. c. **Ludovicus**, 510. c. **Ricardus**, 505. a. **Reginaldus**, 505. b. **Roupertus**, 505. b. **Theodericus**, 284. b. 314. c. 332. c. 473. b. 478. b.
Mathias electus Moguntinus, 408. b. 410. d. Moritur, 411. c.
Mathias a Lutzeradi abbas Epternacenſis, 517. a.
Mathias archidux Auſtriæ, 674. c.
Mathildis abbatiſſa, 518. b.
Mathildis marchioniſſa, 216. c. 227. a. 943. c. 952. d. 958. c.
Mathildis uxor Godefridi junioris ducis Bullonienſis, 940. b. Godefrido viro ſuo derelicto, in Longobardiam ſecedit, 943. c.
Mathildis ſoror Eduardi ducis Gelriæ, 591. b.
Mathildis domina *de Holt* fundat parthenonem *de Sterckrode*, 573. b.
Matrimonii contrahendi ritus ſingularis, 674. d.
Matrimonium impedientes conſanguinitatis gradus, 240. e.
Maximilianus imperator, 575. a.
Maximilianus filius Friderici imperatoris, 610. b.
Maximilianus Auſtriacus dux, 625. c. 674. c. 792. d. 1367. d. 1369. c. 1371. c. 1372. a. 3373. c. Hæredē Britanniæ ſponſam ducere tentat, 627. d. c. Ejus nuptiæ cum Maria ducis Burgundiæ filia, 621. d. & ſeqq. 789. a. Ejus adventus in Flandriam, 790. b. & ſeqq. Trajectum obſidet, 832. a. & capit, 834. d. Venit Trajectum, 1363. c. A Flandris captivus, 629. d. c. Liberatur, 627. b. 1370. c. Et de Francis obtinet victoriam, ibid. Vaſtat Torracenſem agrum, 791. b. c. Ipſum inter & Ludovicum XI. pax, 519. c. Imperator eligitur & coronatur, 626. d. e. Carolo duci Geldriæ bellum indicit, 629. d. e. Ejus ſecundæ nuptiæ, 628. d. Obitus, 630. d.
S. Maximinus, 157 c. Trevirenſis archiepiſcopus, 152.
S. Maximini abbatia. 172. b. 200. d. 516. e. 768. b. Adalberoni archiepiſcopo tradita, 200. d. Hillino archiepiſcopo conſervata, 209. a.
S. Maximini abbates, Henricus, 250. d. 275. c. **Hugo**, 860. c.
Meccha civitas igne conſumpta, 333. a.
Mechlinienſes Hiſpano regi ſe dedunt, 675. e.
Mechlinia igne conflagrat, 585. c.
Mediolacenſes abbates Rathbodo, 145. a. **Robertus**, 285. a.
Mediolanenſis archiepiſcopus Urbanus papa III. 216. c.
Mediolanenſis vicecomes dux creatur, 48. b.
Mediolanenſis ducatus erectio, 17. a. 595. c. 596. c. Eam ſe revocaturum ſpondet Rupertus imperator, 25. c.
Mediolanenſis dux Ruperto imperatori infeſtus, 60. d. 100. b. Bona imperii in Longobardia impetit, 65. d. Mediolanenſibus bellum parat Rupertus imperator, 71. b. & ſeqq. 72. c. Mediolanenſi duci ducatum ſuum auferre nititur, 105. d. e. 106. d.
Mediolanenſis dux varios in Gallia tractatus agitat, 96. d.
Mediolanum expugnat Fridericus imperator, 563. d. 1089. a.
Meſſienſe monaſterium comburitur, 1280. b.
Megingaudus præpoſitus Moguntinus fit archiepiſcopus Trevirenſis, 159. c. 162. a. c, 505. c.
Megingerus, ſeu Mehingerus, archiepiſcopus Trevirenſis eligitur, 196. b. Ab Honorio papa conſecratur, 195. c. Clerum reformare volens, multorum in ſe concitat invidiam, 199. d. Conradum Sueviæ ducem excommunicat, 196. e. 199. d. Romam reverſus a Conrado capitur, & Parmæ extremum obit diem, 197. a. b. 199. d. Corpus ejus Trevirim transfertur, 199. d.
Meginhardus martyr, 537. d.
Meinhardus epiſcopus, 518. c.
Meinherus abbas, 518. b.
Meinwardus abbas, 518. b.
Mendicantium ordinibus adverſatur Balduinus archiepiſcopus Trevirenſis, 416. d.
Merchton monaſterium virginum incorporatum monaſterio *S. Aphræ*, 619. b.
Merlinus vates, 1437. c. Ejus vaticinium de excidio Leodii, 1437. e. Ipſi nulla fides adhibetur, 1438. c.
Metenſis negociatio, 69. a.
Metenſes bello laceſſere tentat dux Aurelianenſis, 133. a.
Metenſis civitas obſidetur, 1213. b. Eam expugnat Henricus II. rex Francorum, 1158. a. Metenſium motus adverſus antiſtitem ſuum, 254. Metenſes a Normannis victi, 539. d.
Metenſes epiſcopi, Adalbero, 186. d. 928. d. 1036. a. **Bertramnus**, 219. d. **Burchardus**, 978. c. **Herimannus**, 943. d. 944. a. 948. e. 953. a. & ſeqq. 998. d. **Herimannus archiepiſcopus**, 176. c. 178. c. **Jacobus**, 1104. a. **Johannes**, 244. c. **Philippus**, 259. c. 310. e. 325. c. 335. d. 476. c. 485. e. 490. b. **Robertus**, 145. c. 859. b. c. **Stephanus**, 192. d. 198. c. 208. a. **Theodericus**, 157. 162. d. 1056. a. 1041. a. **Walo**, 145. c. 539. d.
Metenſis primicerius Bohemundus, poſtea Trevirenſis archiepiſcopus, 344. a.
Metenſis decanus Henricus de Fiſtinga fit archiepiſcopus Trevirenſis, 258. a. 332. d.
Metenſis S. Vincentii abbas Jacobus *Fay*, 515. d. e.
Michæas Judæus ad fidem converſus baptizatur, 185. c.
Michael abbas Sancti Jacobi Leodienſis, 1104. e.
Michaelis Hieronymi crudelitas, 797. b. Summus Romæ commiſſarius capite plectitur, 719. a. & ſeqq.
Minorum ordo, 568. e. Adventus in Germaniam, 241. b. Vormatiam, 570. c.
Minores Fratres inquirunt de Henrico electo Trevirenſi ſuper vitio ſimoniæ, 323. a. Leodii nolunt ſervare interdictum, 1257. a. 1260. a. Indicta eis pœnitentia, 1261. d.
Minores Noveſienſes non ferunt auferri ſibi domum ſuam, 636. d. & ſeqq. Summi pontificis protectionem implorant, 638. a.
Miracula apud S. Mariam *de Montenachen*, 1307. b. 1315. b.
Miraculum in deſtructione templi Noveſiani, 643. e. & ſeqq.
Miracula falſa, 1220. b.
Miſniæ marchiones, Stephanus, 121. a. **Willelmus**, 94. c. 103. d.
Miſſam ter aut quater ſolū in anno celebrans epiſcopus redarguitur, 311. b.
Mitræ uſum in abbatibus damnat S. Bernardus, 1100. a.
Mitram oblatam recuſat Johannes abbas S. Jacobi Leodienſis, 1104. e.
Modeſta abbatiſſa Horrenſis, 181. c.
Moguntinenſes archiep. Adalbertus, 188. a. b. 192. e. **Albertus**, 200. b. **Arnoldus**, 564. e. **Conradus**, 226. b. 455. e. **Cuno**, 425. c. **Dieterus**, 1401. c. **Fridericus**, 151. a. **Gerardus**, 254. e. **Gerardus *de Eppenheim***, 345. b. 355. c. **Gerlacus de Naſſavia**, 416. e. 417. a. 426. a. 427. c. 428. 431. e. **Hatto**, 541. e. **Henricus ord. Minor.** 345. b. **Henricus *de Wirnenburg***, 411. c. 425. c. 427. a. e. Depoſitus, 416. d. 418. d. **Johannes**, 7. a. 9. b. 11. a. 12. c. 13. e. 14. d. 15. c. 16. b. 19. c. & ſeq. 21. c. 22. e. 24. e. 26. d. 27. c. 99. c. 121. a. **Johannes a S. Paulo**, 431. d. Electus Mathias, 408. b. 410. d. Moritur, 411. c. **Petrus**, 378. c. 350. d. 392. b. 404. b. 405. c. d. 581. a. Obit, 408. a. **Ruthardus**, 186. d. **Sigefridus**, 173. e. ſive *Sifridus*, 226. b. 227. a. 230. e. 249. a. 251. e. 569. a. 571. c. 1004. a. **Sonderoldus**, 539. d. **Willigiſus**, 543. b. c. 1042. b.
Moguntini archiepiſcopi vaſſallus comes Haſſiæ, 58. a.
Moguntinum archiepiſcopum & lantgravium Haſſiæ reconciliare laborat Rupertus imperator, 81. b. & ſeqq.
Compoſitio inter archiepiſcopum Moguntinum & Haſſiæ lantgravium, 48. b.
Moguntini archiepiſcopi terras vaſtant Bruſwicenſis & Luneburgenſis duces, 56. e. Eorum diſcordias componere tentat Rupertus imperator, 57. b.
Moguntia igne conſummata, 556. b. 562. e.
Dominus *de Mors* frater epiſcopi Leodienſis, 1206. b.
De Moirs comes, 1283. 1284. b. 1285, a. 1296. c. 1297. d.
Molinenſis abbatia combuſta, 1293. e.
Monachorum veterum cellæ humiles, 555. e.
Monacho malo nil pejus, 526. e.
Monaſterienſis epiſcopus Adolfus, 557. d.
Monaſterienſis epiſcopus eligitur Erneſtus Bavariæ dux, archiepiſcopus Colonienſis, 671. a.
Monaſterienſis epiſcopus Hermannus, 216. e.
Monaſteria exemta a nuncio apoſtolico viſitata, 1374. d.
Monaſteria S. Ægidii Leodienſis, 1089. d. 1090. b. **Affligemium**, 1081. c. **S. Agerici Virduunenſis**, 950. d. 1069. c. **S. Aſræ virginum Coloniæ**, 619. b. **Augienſe**, 537. e. **S. Benigni Divionenſis**, 989. a. **Bethaniæ**, 1226. b. ***Bonninckoven*** ordinis Ciſtercienſis, 569. d. ***Brauvillers***, 597. d. **Caſſinenſe**, 533. d. **S. Ceciliæ Coloniæ**, 619. **Clauſtrum**, 172. e. ſeu **Himeroda**, 202. e. 229. b. 246. b. 369. d. **Corporis Chriſti**, 599. d. 650. e. 651. a. & ſeqq. ***Dufferen***, 371. e. **Efflæ**, 598. b. ***Eppenchoven***, 569. d. **S. Euchatii**, 194. e. 195. a. **Florefienſe**, 1017. a. e. ***Florinenſe***, 867. d. 924. a. 1158. d. 1160. a. **S. Florini in Schonaugia**, 239. **S. Georgii extra muros Colonienſes**, 545. a. **Ad S. Gertrudem**, 573. b. **Gladbacenſe**, 542. b. ***Gnadenthal***, ordinis Ciſtercienſis, 671. d. **Grande-pratum**, 1098. c. **Hambergenſe**, 194. e. **Haſterienſe**, 938. b. c. **Hemmeroda**, *ordinis* Ciſtercienſis, 369. d. ***Herkenrode***, 1161. c. **Horreum**, 152. a. 156. e. 164. e 239. b. **Hortus B. Mariæ**, ordinis Ciſtercienſis, 579. c. **S. Jacobi Leodienſis**, 868. s. 1342. b. 1344. b. d. 1348. a. c. **Conflagrat**, 118. b. **Inſula Rolandi**, 561. b. **Juviniacenſe**, 619. a. 958. c. ***Kgnechtſteden***, 561. c. **Lacus**, 238. c. **S. Lamberti in Bavaria**, 850. e. ***Lanesvaden***, ordinis Præmonſtratenſis, 563. a. **S. Laurentii Leodienſis**, 924. a. Dedicatur, 1166. d. 1170. e. 1171. c. 1173. e. 1339. a. d. 1374. e. **Lobienſe**, 922. e. 923. b.
Monaſterium ad Machabæos igne exuſtum, 606. e. **Majus**, 997. e. 998. a. **Colonienſe B. Mariæ ad gradus**, 544. e. **S. Mariæ de Luxemburgo**, 239. e. 515. d. **S. Mariæ ad**

ad Martyres, 257. c. S. Mariæ de Palatio, 160. c. 161. d. S. Maris apud Noveſium fundatur, 563. a. S. Martini Colonienſe, 542. b. 603. c. S. Martini Lovanienſis, 679. b. S. Martini Trevirenſis, 152. a. 154. a. 159. b 181. a. S. Mathiæ, 237. a. c. S. Maximini, 237. Mediolacenſe, 145. c. Mechtorn, 619. b. Peregrinatio puerorum ad S. Michaelem in monte Tumba, 606. c. Moſinenſe, 1293. c. *Monſterdreiſe*, ordinis Præmonſtratenſis, 376. c. Montis-Mariæ, 607. a. 664. b. Prope Noveſium, 687. d. 691. c. Moſomum, 923. a. 925. b. *Nonneſmunſter*, 572. b. Noveſianum ditipitur, 561. c. 656. Novum Hoyenſe, 1083. b. Odenheymenſe, 194. d. *de Oetbroeck*, 824. b. S. Pantaleonis, 538. d. Fundatur, 541. b. Quatuor Coronatorum Romæ, 153. a.

Monaſterium S. Remigii Remenſis locus ampliſſimæ dignitatis, 997. c. Roberti-montis, 1098. Ruremondenſe virginum, 564. Scafhutenſe, 174. a. S. Sepulchri Spirenſe, 567. b. S. Servatii Trajectenſis, 145. c. 148. d. 149. c. Sigeberg enſe, 551. b. 1069. b. S. Silveſtri in Soracte monte, 533. d. Stabulei ſe, 846. c. 923. a. 986. b. 1105. c. *Sterkrode*, 575. b. Sugnilis, 921. c. S. Symphoriani Trevirenſis, 159. b. Theologium 171. c. S. Thomæ, Ciſtercienſis ordinis, 258. b. Thronianum prope *Herentalſ*, 679. b. S. Trudonis, 922. a Tuitienſe, 542. d. 641. c. S. Walburgis Suſatenſe, 605. b. Vallis Angelorum, 602. d. 723. a. Vallis benedictæ, 1098. c. Vallis S. Lamberti, 199 b. c. 1348. c. 1358. a. 1371. c. Veteris-campi, 560. b. Veteris-montis, 563. d. 565. d. 568. c. Vinca dominæ noſtræ, 1097. c. S. Vincentii Metenſis, 515. d. 1030. d. Virginum *Wier*, 619. S. Vitoni, 923. a. Walciodorenſe, 938. c. 1158. d. Xantenſe, 569. d.

Monaſterium oppidum in *Menvolt* circumvallat Arnoldus Trevirenſis archiepiſcopus, 252. d.

Moneta cuprea, 1231. c.

Monſtrum in Hollandia, 715. d.

Montenſis comitatus epiſcopo Leodienſi venditus, 943. b.

Montenſes comites Balduinus, 969. a. Johannes, 356. a. Comitiſſa Richildis, 957. d. 963. c.

Montenſes a Friderico Colonienſi devaſtantur, 596. b.

Montenſis dux Gerardus, 604 b.

Montis-capratum caſtellum & collegium, 862. b.

Montis-Cornelii abbas Lucas 1179. c.

Mons Deſiderii captus, 780. d.

Montis-fortis dominus acceſſitus a Trajectenſibus contra ſuum epiſcopum, 762. c. Qui eos ſervituti redigit, 797. c. Juſſus exire civitatem renuit, 799. b.

Montis-fortis dominus Trajectum prædonibus implet, 800. c.

Montis-fortis obſidio ſoluta, 831. b.

Mons-ſuperbiæ, 1201. d. 1206. d.

Montenaakhen vaſtatur, 1280. b. 1282. c.

Monulfus epiſcopus ſedem Tungrenſem transfert Trajectum, 843. b.

Moraviæ marchiones, Jodocus, 102. c. Procopius, 100. c.

Morinorum obſidio a Maximiliano, 1370. d.

Moſomenſis abbas Radulfus, 923. a. 925. b. 971. c. e.

Murſenſis comitis Adolfi infelix caſus, 735. b.

Murſenſem comitatum invadit Philippus rex Hiſpaniarum, 736. a.

Murſia deditur Parmenſi comiti, 700. a.

N.

Namurcenſes comites, Albertus, 932. d. 941. d. 955. d. 957. d. 972. d. 987. e 1027. a. 1059. c. Godefridus, 972. c. 1027. 1187. e. Henricus, 208. c. 209. a. Johannes, 1202. a. c. d. Obit, ibid. d. Comitiſſa Ida, 1027. a.

Namurcenſes inter & Leodienſes bellum, 1201. d. 1203. d.

Namurcenſes cædunt Loſſenſes & Trudonianos &c. 1205. c. d. Trajectenſes milites, 1204. c. Villas Leodienſium trecentas incendunt, 1205. a. Eorum patria vaſtatur ab Hoyenſibus, 1280. b.

Namurcenſis comitatus tranſit ad ducem Burgundiæ, 1201. d. Qui Namurci ſolemniter recipitur, 1203. a.

Nanceium obſidens dux Burgundiæ Carolus, miſere perit, 621. d. & ſeqq.

Nannetum invadunt Normanni, 536. d.

Naſſovii comes Brabantiæ Seneſcallus Leodienſes debellat, 744. b.

Naſſoviæ comes Philippus, 130. a.

Navarræ regem regno ejici mandat Romanus pontifex, 731. b.

Neapolitanum regnum ſubjugat Carolus rex Galliæ, & perdit, 628. c.

Nieerden oppidum ditipitur, 822. d.

Negociatio cum Helvetiis, 127. a.

Negociatio cum Leodienſibus, 55. d.

Neomagum occupant Gueuſii, 734. d.

Nicæa a Chriſtianis capta, 150. c.

Nicephorus imperator C. P. a proprio filio occiſus, 1036. d.

Nico abbas Florienſis, 1006. c.

S. Nicolai tranſlatio, 1078. c.

Nicolaus primus papa, 505. b. Excommunicat Guntherum & Thietgaudum epiſcopos, 536. c.

Nicolaus II. natione Burgundus, 1358. a.

Nicolaus papa IV. 345. c. Ex domo Urſinorum, 358. b. 1387. d. Obitus, 1198 b.

Nicolaus papa V. 451. a. 606. b. 1402. d. Papa creatur, 1216. b. Ejus bulla de tranſlatione eccleſiæ collegiatæ *de Aya-zaam* Lovanium, 101. & ſeqq. Ejus obitus 1226, a.

Nicolaus antipapa, 411. a.

Nicolaus Cuſanus cardinalis, 602. d. 1220. b. Legatus in Alemanniam ſolemniter recipitur Leodii, ibid. d. Clerum reformare volens, non admittitur ut legatus, 1221. a. b. Epiſcopum degradatum dat ſeculari curiæ occidendum, 1219. d.

Nicolaus epiſcopus Strengueſienſis, 134. b.

Nicolaus *Gymnich* abbas Epternacenſis, 514. c.

Nicolaus de Pictinga Trevirenſis decanus, 436. c.

Nicolaus vir ſanctus ordinis Minorum, 579. c.

Nicolaus de Lyra, 587. c.

Nicolaus *Burgman* juris canonici doctor, 20. d.

Nicolaus profeſſor ſacræ ſcripturæ, 20. d.

Nicolaus a Græcis in imperatorem eligitur, 228. c.

Nicolaus dux puerorum Jeruſalem proficiſcentium, 239. c.

Nigri montis deſtructio, 349. c.

Nitardus epiſcopus, 517. c. 872. c. 1065. d. 1184 b. Epiſcopus procurante Vazone præpoſito eligitur, 886. b.

Nivernenſis comes, 1309. d.

Nivernenſem comitem in Mamburnum Leodienſem eligi petit rex Francorum, 1268. d.

Nivernenſis comes Robertus, 563. c.

Nonnenmoyſter monaſterium, 572. b.

Norbertus canonicus, 569. d.

Norimbergæ burgravius Fridericus, 121. a.

Normanni in Galliam irrumpunt, 336. d. 338. c. 863. a. Item in Bataviam, 539. a. Metenſes cives vincunt, 530. d. Vormatiam ſubvertunt, 539. d. Treviros capiunt & deprædantur, 156. a. Aquiſgrani in palatio equos ſuos ſtabulant, 539. c.

Normanniæ deditio facta Carolo VII. 751. a. b.

Norvegiæ rex Ericus, 134. b. d. Regina Margarita, 133. d. 134. d. 139. c.

Notarius Caroli ſimplicis Rathbodus, 149. d. 150. d.

Notarius Zuendeboldi regis Walkerus, 147. c. 148.

Notcherus epiſcopus Leodienſis, 861. c. Ejus geſta, 1040. b. Collegiatas S. Johannis & S. Crucis fundat, 1040. b. Caſtrum Caput-mundi dictum deſtruit, 1040. c. Henrico imperatori Balduino comiti Flandriæ bellum inferenti ſuppetias fert, 1045. a. S. Laurentii locum neglectum tecto operit, 1045. c. Obit ibid. c. Ad conciliandam amicitiam inter Robertum regem & Henricum imperatorem Pariſios proficiſcitur, 885. c.

Noveſium obſidet Carolus dux Burgundiæ, 613. a. 618. a. 773. c. 774. c. Quæ ei viriliter reſiſtit, 632. b. 773. b.

Noveſienſes ab archiepiſcopo Colonienſi deficiunt, 174. c. Eis ſuccurrit imperator Fridericus, 776. c. Qui tamen ducem Burgundiæ aggredi non audet, 778. c. & ſeqq.

Noveſienſes adverſus Truchſeſianos ſe muniunt, & Clero exactionem imponunt, 643. a. b. Noveſium capiunt Truchſeſiani, 661. c. 663. b. 667. d. Noveſienſis civitas ex lapidibus monaſterii novi munitur, 659. b. Noveſii obſidio per principem Parmenſem, 681. a. 686. b. & ſeqq. Solvitur, ibid. e. Noveſium occupat & gravat Johannes *de Mildendonck*, 734. b. 737. c. Prædiatii milites urbe expelluntur, 738. a. & ſeqq. Noveſium rædificatur, 540. b.

Noveſio plura dat privilegia Fridericus III. imperator, 617. d. & ſeqq. Eaque a ſummo pontifice confirmari petit, 618. a. & ſeqq.

Noveſienſis monaſterii antiquitas & fundatores, 521. 523. & dotatores, 529. a. 565. c. Fundationis carta, 556. c. Templum extruitur, 537. d. Eccleſia ampliatur, 555. c. Ei fit donatio, 570. d. 574. c.

Noveſienſe monaſterium caput aliorum circumpoſitorum monaſteriorum, 523. Noveſienſis præpoſitus jus habet ſedendi in choro eccleſiæ Colonienſis, 523.

Noveſienſe monaſterium unitum congregationi Windesheimenſi, 596. c. 600. b. Secundum locum obtinet poſt *Windesheim*, ibid. Martini papæ V. bulla de illa unione, 600. c. Deprædator, 634. d. Diruitur, 631. e. Monaſterii in deſtructionem conſentiunt prior & procurator, & quidam alii, 633. b. Idque coram ſenatu, ibid. d. & ſeqq. Inconſulto tamen conventu, 634. a. qui deſtructioni ſe opponit, 634. c. A Philippo rege & Carolo duce Burgundiæ conſervatur, 634. e. Noveſiani monaſterii deſtructionem improbat Truchſeſius, 636. c. Eccleſiæ reconciliatur, 717. c. Qualis ejus facies poſt expugnationem, 698. Monaſterii prædia exuſta, 672. a. Eccleſiæ theſaurus diſperſus, 672. c. Depauperatur, 585. a. Religioſi tranſlati in conventum Fratrum Minorum, 636. e.

Noveſienſis monaſterii cum Colonienſi Corporis Chriſti unionem meditatur Marcellus Lentius, 657. d. & ſeqq. Huic unioni varias opponunt rationes Noveſienſes canonici, 658. d. Eam improbant conſiliarii archiepiſcopi Colonienſis, 671. a. b. Eam firmare ſtudet Marcellus Lentius, 716. a. & ſeqq. Reſcindit archiepiſcopus Colonienſis, 720. d. e. Noveſiani canonici Colonia redeunt Noveſium, 720. c.

Noveſienſis monaſterii unio cum Colonienſi monaſterio Corporis Chriſti, 651. a. 679 b. 704. a. 723. b. Unionis faciendæ articuli, 666. b. 708. a.

De Noveſianis conqueruntur apud decanum Traject. fratres Corporis Chriſti, 707. c.

Noveſienſes præpoſiti, 557. c. & ſeqq.

Noveſienſis prior Quirinus Tylanus, 525. d.

Noveſienſis abbatia S. Quirini, 701. c.

Noveſienſes annales, 521. a.

Noveſium conflagrat, 694. a.

Noviomagum occupare tentat Schenkius. 734. c.

Novicii ante annum XV. non recipiendi, 1140. c. ante annum vigeſimum, 1146. a.

Nuenantius comes Adolfus, 640. c. 807. a. Berkam expugnat, 640. c. Noveſium capit, 663. c. Fœdus init cum Schenkio, 671. d.

O.

Cardinalis in Via lata, 473. d.

Obſidio Ambiani, 1352. d.

Obſidio Boviniæ, 1205. a.

Obſidio Dionanti, 1293. c.

Obſidio Florentiæ, 490. c.

Obſidio Morinorum, 1370. d.
Obſidio Nuſſiæ, 1357. a.
Octavianus antipapa, Victor dictus, 209. b.
Octavianus cardinalis, 203. c.
Octavius ſedis apoſtolicæ legatus, 529. c.
Octavius Manſfeldius, 686. c.
Oda nobilis matrona, 1090. c.
Odalricus epiſcopus, 518. a.
Odalrich abbas, 518. c.
Odenheimenſe monaſterium, 194. d.
S. Odilo precibus ſuis ſublevat Stephanum papam defunctum, 1062. d. Commemorationem defunctorum inſtituit ſecunda die Novembris, 1044. d.
Odo Bonæ caſæ cardinalis, 203. c.
Odo abbas de Werda, 520. b.
Odo Campaniæ comes regnum *Burgundiæ occupare* tentat, 1058. b. In prælio petimitur, 1059. d.
Ogerius *Lambii* abbas S. Laurentii, 1164. c.
Olbertus abbas Gemblacenſis & S. Jacobi, 1029. c. 1049. c. 1061. c. Sacram unctionem Wazoni epiſcopo impertit, 910. a. Septimo poſt epiſcopum die moti a Deo impetrat, 910. c.
Olferius comes *de Malech*, 787. d.
Onofrius epiſc. Tricarienſis miſſus Leodium a papa, 1326. d. 1327 a. 1400. c. Et in Germaniam & Belgium, 1398. a. 1403. b. Ejus itineris deſcriptio, 1404. a. & ſeqq. Leodium accedens ad Carthuſianos primum divertit, 1406. b. Quo ordine in Leodienſem civitatem excipitur, 1409. c. & ſeqq.
Onofrius legatus ingreditur Lovanium, Gandavum, & Brugas, 1417. b. Ejus verba ad Carolum ducem Burgundiæ, 1418. c. Ex-cuſat Leodienſes apud Umbercurtum 1440. a. & ſeqq. Tungros Borbonium reducere tentat, 1438. d. Poſt cædem Tungrenſem deſperat de pace, 1442. c. Eam tamen procurare tentat, 1443. d. c. Ejus famulos capit Arges conſanguineus Ludovici Borbonii. 1458. c. Ipſum etiam Onuſtium, 1459. a. Eum cum tribus *famulis* liberum dimittit Theobaldus ductor Burgundi exercitus, 1460. b. Juſſu ducis Burgundiæ liber dimittitur, reſtituris ablatis, 1463. d. Ad ædem S. Lamberti fugit cum Burgundi occupant Leodium, 155. a. Ipſi Trajecti exiſtenti nunciatur excidium Leodii, 1466. d. Ejus conſtantia in excidio Leodii, 1453. a. & ſeqq.
Orchimont caſtrum evertitur, 1210. c.
Ordingam recuperat Ernestus Colonienſis archiepiſcopus, 655. d.
Ordo Cruciferorum, 568. c.
Ordo Minorum, 568. c.
Ordo Prædicatorum, 567. b.
Ordo Redemtionis captivorum, 566. a.
Ordo Teutonicorum, 565. d.
Organa in monaſteriis rara, 924. c.
Oſtavia oppidum concrematum, 716. d.
Oſtienſis epiſcopus Albericus, 203. b. 204 c.
Othertus Aquenſis eccleſiæ reformator, 865. d.
Otbertus epiſcopus Leodienſis peſſimus, 915. 1071. b. Fit epiſcopus, 1072. d. Exiſtens præpoſitus S. Crucis, ob crimina ab Henrico epiſcopo fugit ad Henricum imperatorem ſchiſmaticum, 973. b. Epiſcopatum Leodienſem emit ab imperatore, 974. a. Wolbodonem S. Laurentii, & Luppone-mS. Trudonis abbates depoſitos reſtituit, 674. a. Ejus pravos actus notos facit Beringerus abbas S. Laurentii, 975. d. Theodericum abbatem Sancti Huberti vexat, 575. c. Cerinthо comparatur, 979. b. Ad S. Hubertum furens venit. 980. c. Mira ejus impudentia, 981. a. & ſeqq. Fra-trum conſtantiam emollire tentat, 981. c. Bovinum caſtrum emit, 983. a. Ingobrandum Lobienſem monachum in S. Huberti monaſterium intrudit, 983. c. Ipſum inter & comitem Lovapienſem diſſidium, 987. b. Adverſus eum Theoderici abbatis Andaginenſis partes tuentur principes, 987. d. Montem-clarum obſidere meditatur, 991. c. Auxilium ei negant principes, niſi depoſitos abbates reſtituat. 991. d. Berin-gerum reſtituit, non Theodericum, 992. c. & ſeqq. Caſtrum Bullonienſe emit, 996. c. 1078. a.
Otbertus epiſcopus Leodienſis ſpoliat eccleſiam. S. Huberti, 997. c. Caſtrum *Mirvolt* reædificat, 1002. a. 1012. b. S. Huberti corpus ad eum placandum ei objici citur, 1002. c. Monachos fuſtibus cæſos diſpergit, 1002. d. 1012. b. Capitur a comite Henrico, & Durboium deducitur, 1002. e. Wiredo S. Huberti abbatiam donat, 1003. d. Ejus epiſtola ad eundem Wiredum, 1004. e. Qui in ipſum invehitur, 1005. d. Ipſum tamen benedicit abbatem, 1006. b. Colloquium cum Manaſſe Remenſi archiepiſcopo requirit, 1018. a. Varia ei crimina objiciuntur a clero Leodienſi coram archiepiſcopo Colonienſi 1020. d. Concilium Coloniæ celebrari impedit, 1021. b. Henrico imperatori ex throno deturbato adeſt, 1022. b.
Otbertus in expeditione contra papam exiſtens cum Henrico rege epiſcopatum Leodienſem *invadit*, 1010. c. Imperatorem Henricum a filio oppreſſum recipit Leodium, & pro eo pugnat, 1079. c. Ejus carta de confirmatione collegiatæ eccleſiæ *Ayoncurtis*, 1186. c. Obitus, 1081. a.
Otberi ſcholaſticus, 518. c.
Otto cardinalis, 1098. c.
Otto cardinalis S. Georgii ad velum aureum, 203. c.
Otto cardinalis in vincula conjicitur a Friderici imperatoris ſatellitibus, 248. a.
Ottonis archiepiſcopi Trevirenſis geſta, 446. b. Ejus electio & pii mores, ibid. & ſeqq. Jeroſolymam proficiſcitur, 446. c. Adverſus Huſſitas in Bohemiam ducit exercitum, 447. a. Canonicos ſuos fruſtra reformare tentat, 447. b. Opera Johannis *Rode* Carthuſiani S. Matthiæ monaſterium reformat, 447. c. Judæos e ſua provincia expellit, 447. e. Ejus in pauperes caritas, 447. d. Hoſtes domat, 447. e, 448. a.
Otto epiſcopus. 520. a
Otto præpoſitus Trajectenſis, electus epiſcopus Leodienſis in diſcordia, 1009. c. 1099. d.
Otto abbas S. Laurentii, 1094. c. 1097. a. Ejus carta de numero monachorum, 1179. c. De acceptatione fundationis Cellæ S. Nicolai de Glano, 1182. c.
Otto fundator Scholarium & Vallis benedictæ, 1094.
Otto I. imperator, 459. c. 461. d. 507. d. 509. c. 1035. a. 1036. c. Danos vicit, 540. c. Ejus diploma de abbatia S. Servatii Trajectenſis, 150. c. Quam ab Eccleſia Trevirenſi tollit, 152. a. Moritur, 542. a.
Otto II. imperator, 460. a. 461. d. 540. c. Romam profectus, 157. b. Calabriam & Apuliam imperio ſuo addere tentat, 1040. c. 1045. b. A Græcis delectis ejus copiis, vix ipſe evadit, 1041. a. Romæ moritur, 1041. b.
Otto III. imperator, 460. a. 542. d. 862. c. Ægre pervenit ad imperium. 1041. c. Ejus privilegium de abbatia S. Servatii eccleſiæ Trevirenſi reſtituta, 155. c. In eum rebellant Romani, 1041. c. Veneno extinguitur, 1042. a.
Otto Brunſwicenſis imperator IV. 566. a. Ex comite Pictavienſi eligitur imperator, 225. a. Ei favet Innocentius III. 225. c. Romæ conſecratur, 227. b. Excommunicatur, & ei ſufficitur Fridericus rex Siciliæ, 227. b. A ſuis deſeritur, 226. c. A Philippo debellatur, 567. c. Terram comitis Geltrenſis vaſtat, 569. a. Ab omnibus eligitur imperator, 563. b. Ejus felix obitus, 250. d. 569. c.
Otto dux, 87. c. 517. c. 519. a.
Otto dux Bajoariorum, 554. c.
Otto dux Saxoniæ, 461.
Otto comes Palatinus *de Wittelſpach* occidit Philippum Regem Romanorum, 568. b.
Otto comes, 149. c.
Otto de Rineca comes, 199. b. 205. b.
Otto filius Arnulfi comitis, 951. c. 1022. d.
Ottobonus cardinalis S. Adriani, 317. b. c.

P.

Paderbornenſis adminiſtrator Theodoricus de Morſſa, 598. a.
Paderbornenſis epiſcopus Willelmus Montenſis, 597. c.
Paduano domino miſſa legatio a Ruperto imperatore, 71. b.
Paduani ad papam legatio pro Ruperto imperatore, 73. b.
Pœnitentium reconciliatio in cœna Domini, 952. c.
Pœnitentia Gerbodonis, 942. b.
Palatiolum Julii Cæſaris caſtrum prope Treviros, 198. c.
Palilia feſta, 1419. c.
Pallium quibus diebus deferendum, 163. c.
Pallio ſine non debet archiepiſcopus ordines conferre, 180. c.
Pallio uſus Metenſis epiſcopus, 192. d. 193. a.
S. Pantaleonis monachis ejectis, alii religioſiores ſuffecti, 548. d.
Papiæ comitatus, 17. a. Ejus erectionem revocaturum ſe ſpondet Rupertus imperator, 25. c.
Papirii Prætextati hiſtoria, 969. d.
Pares Franciæ ad quorum ſententiam omnia judicia & conſilia Franciæ dependent, 563. d.
Pariſienſes epiſcopi Joffridus, 929. c. Petrus Lombardus, 563. c.
Parlamentum Mechliniæ inſtitutum, 1356. d.
Parmenſis princeps *ſublicium* pontem ex navibus conſtrui curavit Antuerpiæ, 655. b. Vellere aureo donatur, 676. c. Pacem init cum Antuerpienſibus, 677. a. Antuerpiam ingreditur, 677. c. Civitatem Venlonenſem obſidet, 683. c. Expugnat caſtrum *Arſen*, 683. d. Ad obſidionem Noveſii copias mittit, 681. a. Noveſium obſidet, 686. b. & ſeqq. Ejus moderatio, 690. d. Muros Noveſii verberari jubet, 691. a. Urbem capit, 693. b. Ejus legatio ad Senatum Colonienſem, 687. b. Qui ei gratulatur, 696. b. Perduelles Coloniæ ejicit, 696. c. Gladium & galeritum Benedictum honoris in ſignum accipit a Sixto V. pontifice, 696. e. Ei deditur Alpenſe caſtrum, 700. & Murſſia, 700. Myoparones ſex capit, 701. a. De eo, 734. c. Ejus obitus, 737. b.
Paſchalis papa II. Romæ concilium celebrat, 186. c.
Paulinus Trevirenſis archiepiſcopus, 152.
S. Paulini dedicatio, 204. b.
S. Paulini Trevirenſis archiepiſcopi eccleſia a Normannis vaſtata, 145. b.
Paulus papa II. 755. c. 1385. d. 1397. b. 1399. c. 1419. a. Ejus obitus, 1353. c.
Pax eccleſiæ tractanda inter imperatorem & regem Galliæ, 75. c. e.
Pax Atrebatenſis inter regem Franciæ & ducem Burgundiæ, 1210. d.
Pax inter Ludovicum XI. regem & Carolum ducem Burgundiæ facta Peronæ, 1460. b.
Pax inter Henricum III. Franciæ & Philippum Hiſpaniæ reges, 1163. a.
Pax inter Leodienſes & Namurcenſes, 1206. b.
Pax Leodienſium cum Carolo duce Burgundiæ, 1285. a. Ejus *articuli*, 1286. c. Proclamatur, 1337. b.
Pax inter ducem Clevenſem & archiepiſcopum Colonienſem, 1218. a.
Pax inter Trajectenſes & capitulum S. Servatii, 1212. b.
Peregrinatio Jeroſolymitana, 340. a. Pro pœnitentia injuncta, 172. d.
Perpinianum expugnat Ludovicus XI. rex, 778. a. b.
Peſtis univerſalis, 405. a. 419. b.
Peſtis Coloniæ, 606. e.
Peſtis Leodii, 1151. e.
Peſtis Noveſii, 650. e. & ſeqq.
Peſtis Romæ, 631. a.
S. Petri baculus, 157. d.
S. Petrus martyr ord. Prædicatorum, 333. c.
Petrus cardinalis, 223. b.
Petrus Caputii cardinalis, 1102. e.
Petrus de Columna, 399. b. Caput Gibellinorum, 358. c.

Petrus de Columna cardinalis deponitur, 356. d. 359. c.
Petrus Damiani ſcribit in ſimoniacos, 992. b.
Petrus archiepiſcopus Moguntinus, 378. c. 390. d. 392. b. 404. b. c. 405. c. d Obit, 408. a. 581. a.
Petrus Rothomagenſis archiep. 1003. c.
Petrus epiſcopus *in Koſthilt*, 134. b.
Petrus Lombardus epiſcopus Pariſienſis, 563. c.
Petrus Tullenſis epiſcopus, 172. d. 217. d. 220. a. Excommunicatur, 220. b. Ad ſedem apoſtolicam appellat, 221. c. Conſecrationi Gregorii. VIII. intereſt, 221. d. Revertitur cum mandatis apoſtolicis ad Folmarum archiepiſcopum, 221. c.
Petrus Ferricus epiſcopus Tiraſonenſis, 1387. b. Miſſus Leodium ad componendam pacem, 1258. d. 1264. c. 1399. a.
Petrus *Gymnich* abbas Epternace. ſis, 514. c.
Petrus *de Huben* abbas Epternacenſis, 514. c.
Petrus *Richardot* abbas Epternacenſis, 517. a.
Petrus abbas Gemblacenſis, 1090. d.
Petrus phyſicus Rodulfi regis Alemannorum, ſit præpoſitus Trevirenſis, 348. d.
Petrus Prior S. Ægidii Leodienſis, 1081. d.
Petrus prior S Remigii Remenſis, 960. b.
Petrus de domo Teutonica præpoſitus & reformator Noveſienſis, 558. d.
Petrus Caniſius theologus S. J. 714. c.
Petrus de Sabaudia, 399. b.
Petrus comes filius comitis Tullenſis, 172. d.
Petrus *Loer* Noveſienſem civitatem a præſidiario milite liberat, 738. a. & ſeqq.
Petrus Mirowaldenſis vir nobilis, 957. a.
Petrus *Stael* conſul Noveſienſis, 631. c.
Pentherícus Truchſeſius, 641. c.
Philippus ab Hinsberg archiepiſcopus Colonienſis, reſtaurator eccleſiæ Noveſienſis, 531. b. Ejus obitus, 565. b.
Philippus epiſcopus Metenſis, 259. c. 310. c. 321. c. 335. d. 476. c. 479. a. 485. d. 500. d. Fuit Subdiaconus Metenſis & indoctus, 491. b. Ex theſaurario Metenſi electus epiſcopus in diſcordia, 473. c. Confirmatur ab electo Trevirenſi, 473. d. & conſecratur, 474. a. Cujus confirmatio ab Urbano IV. irritatur, & conſecratus ab omni pontificali officio interdicitur, 474. d. De ſimonia inſimulatur, 490. c. A viris ſuſpectis examinatur, 490. c. & ſeqq.
Philippus filius Arn. comitis *de Homburg* abbas Epternacenſis, 514. c.
Philippus filius Barberouſſæ imperatoris, 566. a.
Philippus dux Sueviæ creatur imperator, 225. b. c. Argentoratum obſidet, & plura præſidia ſolo adæquat, 566. d. Gdachardum ducem Bohemiæ regem creat, 566. d. Victoriam reportat de Ottone, 568. a. Coloniam obſidet, 226. c. Coloniam & archiepiſcopum atque Aquiſgranum capit, 567. b. Obſidionem Noveſienſem ſolvit, 632. b. Venit tertio Aquiſgranum uxorem coronaturus, 226. c. Ei reconciliatur papa, 226. c. Interficitur, 226. c. 568. b.
Philippus I. rex Franciæ, 387. c. 930. a. 942. d. A Roberto Friſone fugatur, 943. a.
Philippus Auguſtus rex Francorum, fœdus init cum Friderico imperatore, 220. c.
Philippus IV. rex Francorum, 368. 581. b. Movet bellum in Guidonem comitem Flandriæ, 363. b.
Philippus rex Hiſpaniarum, 575. a. 645. a. 1163. a. Ad eum miſſa Turcarum legatio, 675. e. Velleris aurei ordinem renovat, 671. c. Invadit comitatum Murſenſem, 736. a.
Philippus dux Brabantiæ obit, 1205. b.
Philippus dux Burgundiæ, 608. c. 793. d. 1194. d. 1191. c. 1202. a. & ſeqq. 1222. d. 1228. d. e. 1294 d. 1386. b. 1393. c. 1412. c. Brabantiam &c. invadit, 600. a. Luxemburgum ſibi ſubjicit, 603. c. Solemniter recipitur Namurci, 1203. a. Arma parat in Leodienſes, 1388. d. Comitem *de Charolois* filium ſuum ad bellum Leodienſibus inferendum evocat, 745. a. & ſeqq. Leodienſes fœdifragos domat, 744. b. Ut ſe gefſerit in expugnatione Dinanti, 750. c. 751. d. Ejus clementia, 761. a. Ad eum confugit Ludovicus Delphinus, 1231. c. Fit pacis mediator inter Johannem *de Beinsberg* & electum Leodienſem, 1255. a. Legatos mittit Romæ in gratiam Ludovici Borbonii, 1387. a. Ordinem Velleris aurei inſtituit, 671. c. Ejus obitus, 753. a. 1308. b. 1386. b. Exequiæ, 1329. a. 1417. c. Sepultus Divioni apud Carthuſienſes, 1357. c. Ejus mater Gandavi condita, 147. c.
Philippus dux Flandriæ, 1161. a.
Philippus Maximiliani Cæſaris filius, 626. c. 792. c. 820. c. 1367. a. Hiſpaniæ regis filiam ducit. 628. c.
Philippus dux Sabaudiæ, 1458. b. 1493. b.
Philippus comes *de Falckenſtein*, 107. d. 424. b. 436. d. Miſſus ad papam a Ruperto imperatore, 72. c.
Philippus *de Naſſau & Saarbruch*, 20. c. 130. a. 139. a. b.
Philippus Palatinus comes, 625. c.
Philippus de Bolandia, 226. b.
Philippus medicus peritiſſimus, 207. d.
Pibo Tullenſis epiſcopus, 176. c.
Picardia datur Carolo duci Burgundiæ, 608. d.
Picardiam occupat Ludovicus XI. rex Francorum, 622. d.
Pillegrinus archiepiſcopus Colonienſis, 544. c. 542. d. 850. c. 881. d. 1062. c. 1052. b. 1165. c. 1166. a. 1167. c. 1168. a. 1170. b. c. 1171. c. 1172. c. 1173. c. 1174. c.
Pippinus filius Anſchiſi, 505. d.
Pippinus ſenior, 459. a.
Pippinus major palatii, 532. a.
Pippinus major domus ſub Theodorico rege, 915. a.
Pippinus major domus ſub regibus Dagoberto & Sigeberto, 919. c.
Pippinus Caroli Martelli filius, 532. c.
Pippinus II. major domus, 919. d. Factus dux Auſtraſiorum, 919. c.
Pippinus rex, 849 c.
Pilas de manu Mediolanenſis ducis eripere cogitat Rupertus imperator, 60. c.
Piſtoris Antverpiani facinus, 645. c.
Pius II. papa, 1386. c. 1387. c. 1402. c.
Plectrudis Pippini conjux, 532. b. c.
Pluvia ingens, 1261. a.
Podienſis epiſcopus Hamarus, 559. c.
Poilevache fortalitium ab epiſcopo Leodienſi expugnatum, 1205. c.
Poloni ad fidem converſi, 544. c.
S. Pontianus martyr, 157. c.
Poncius monachus Majoris-monaſterii & Urbano II. notus, 999.
Pons ex navibus ſublicius ſuper Scaldim Antverpiæ conſtruitur, 655. b.
Pons ſuper Rhenum Coloniæ conſtructus, 535. d. Moguntiæ, 556. b.
Porpeldorff arx expugnatur, 645. a.
Poppo archiepiſcopus Trevirenſis, 508. b. 510. b. Ejus parentes, 162. b. Ei archiepiſcopatum Trevirenſem tribuit Henricus imperator, 160. Ejus geſta, ibid. & ſeqq. 162. Romam profectus, gratanter a Benedicto papa VIII. excipitur, qui pallium ei & jus crucis ante ſe deferendæ concedit, 163. a. Ejus pudicitia tentata; 163. c. Loca ſacra inviſit, & S. Simeonem Trevirim adducit, 164. c. 166. b. Ejus epiſtola ad ſummum pontificem pro *canonizatione* S. Simeonis, 166. b. In Babilonia tenetur captivus, 168. d. Famis tempore quid fecerit, 169. c. Eccleſias reparat, 170. d. Ejus obitus, 171. c.
Poppo epiſcopus Brixienſis, 902. c.
Poppo Sleſwicenſis epiſcopus, Danorum apoſtolus, 261. c.
Poppo abbas, 885. d.
Poppo abbas Stabulenſis, 922. c. 2055. a.
Poppo abdicat curam S. Laurentii. 1057. d.
Portuenſis epiſcopus Johannes, 1062. c. 1092. b. 1165. c. 1166. a. 1167. c. 1170. b. c. 1171. c. 1172. c. 1173.
Pothamius dux, 700. c.
Præbendæ expoſitæ in foro rerum venalium, 1093 a.
Prædicatorum ordo, 567. b.
Prædicatores dicti Fratres Majores, 229. a.
Prædicatorum adventus in Germaniam, 241. b. Prædicatorem mentitus monachum juvenis Henricum occidit, 733. c. Prædicatores fratres a ſuſpicione veneni Henrico VIII. miniſtrati liberantur, 402. c.
Prædicatores & Minores nolunt ſervare Leodii interdictum, 1257. a. 1260. a. Indicta eis pœnitentia, 1261. d.
Prædones diœceſim Trevir. infeſtant, 193. d.
Prædones Coloniam pergentibus infeſti, 678. b. & ſeqq.
Præmonſtratenſis ordinis initium, 562. a.
Præmonſtratenſibus datur cœnobium Laureshamenſe, 572. a.
Preneſtini epiſcopi, Guido, 1095. b. Jacobus, 247. a. 248. a.
Proceſſiones nudis pedibus, 1101. c.
Proceſſio laicorum abſque clero in feſto S. Sacramenti, 1290. b.
Procopius *margravius* Moraviæ, 50. c. 52. c. 94. d. 95. b. 97. c. 100. c.
Procuratores fiſcales male tractantur, 1241. c. & ſeqq. Fit inquiſitio adverſus eos, 1243. d. Damnantur, 1245. b. Exceſſus Procuratorum fiſcalium in comitatu Loſſenſi, 1236. b.
Proprietas inducitur in monaſterio S. Laurentii, 1115. b.
Prumienſes abbates, Albero, 510. c. Farabertus, deinde epiſcopus, 859. d. Gerardus, 229. c. Godefridus, 511. a. Wolfranus, 969. c. 994. b.
Pſalterium aureis literis ſcriptum apud S. Hubertum, venditum matri Leonis papæ IX. & monaſterio reſtitutum, 936. d.
Puerorum peregrinatio Jeroſolymitana, 239. d.
Pugna Curtracenſis, 382. b.
Pugna Florinenſis, 1046. b.
Pugna Juliacenſium in die S. Huberti, 604. b.
Pugna Lanſiſiæ, 400. b.
Pugna apud S. Quintinum, 1161. a.
Pugna Woringienſis, 347. d.

Q.

Quadrageſimale jejunium cum ovis & caſeo, 923. c.
Quatuor Coronatorum cella Romana Trevirenſibus archiepiſcopis conceſſa, 154. a.
Quintinus miles, 1370. c.
S. Quirini corpus, 537. b. Caput, 538. d.
S. Quirini tumba, 628. c.
Quirinus Tylanus, prior Noveſienſis, 525. d. 631. c. Excuſatur de everſione Noveſii, 527. b. Ejus obitus, 650. d.

R.

Rabani archiepiſcopi Trevirenſis geſta, 448. b. Ex epiſcopo Spirenſi fit archiepiſcopus Trevirenſis, 448. c. 450. b. Adverſarios patitur Ulricum *de Manderſcheit* & comitem *de Wirnemburg*, 449. a. 450. d. Reſignat Jacobo *Syrek*, 450. b.
Rabies apud S. Hubertum ſanata, 934. d. e.
Rabodus epiſcopus, abbas Epternaci, 460. b.
Radebodo comes, 518. a.
Radolfus abbas, 517. b.
Radulfus Viridis archiepiſcopus Remenſis, 914. 990. c.
Radolfus Remenſis præpoſitus, 999. a.
Radulfus præpoſitus S. Paulini, in diſcordia electus archiepiſcopus Trevirenſis, 249. a.
Radulfus epiſcopus Leodienſis, 1086. b. 1089. c. 1091. a. b. 1098. c.
Radulfus monachus expeditionis Jeroſolymitanæ promulgator. 1086. d.
Radulfus Romanorum imperator, 540 c.
Ragenarius comes, 149. b. 150. a.
S. Ragenulfa, 1183. c. Ejus reliquiæ, 1188. c. 1195. b.
Rambaldus comes Mutienſis, 957. a.
Rambertus epiſcopus, 527. b.
Rathbodus archiepiſcopus Trevirenſis, 150. a. Robertum Metenſem epiſcopum conſecrat, 145. c. Fuit abbas Epternaci, 509. c.
Ei reſtituitur abbatia Trajectenſis S. Servatii, 145. d. 147. a.

Rathbodus notarius Caroli ſimplicis, 149. d.
Ratherius epiſcopus Leodienſis, 858. b. & Veronenſis, 859. d.
Ratiſponenſis epiſcopus Albertus magnus, 575. c.
Raymundus abbas, 517. c.
Raubertus epiſcopus, 149. c.
Ravangerus abbas Epternacenſis, 460. a. c. 507. d. 509. c.
Ravennenſes archiepiſcopi Gerbertus, 1041. c. Wigbertus antipapa, 175. a. Wigerus, 884. d.
Raymundus comes S. Ægidii, 559. c.
Raynaldus archiepiſcopus Colonienſis, 388. c. 556. b. 557. c. 597. d.
Rainardus epiſcopus Wormatienſis, 562. c.
Raynaldus dux, 199. a.
Rainaldus Pinguis dux Geltriæ, 591. b.
Rainaldus dux Juliæ & Cliviæ, 598. c. 599. d.
Rayskinus prior de Bertreia, electus abbas S. Laurentii, 1220. c.
Razo abbas S. Adriani, 1258. d. 1259. b.
Razo de Linthris domicellus, 1225. b. 1246. c. d. 1253. a. 1265. d. 1266. b. d. 1267. a. c. 1271. a. 1272. b. c. 1277. a. 1279. a. & ſeqq. 1281. d. 1288. c. 1296. b. 1299. b. 1300. a. 1302. a. 1303. c. 1304. c. 1308. a. b. 1309. c. 1311. b. 1312. a. 1314. c. 1317. a. 1323. a. Dictus *de Heers*, 1360. c. & ſeqq. Declaratur traditor & inimicus patriæ, 1361. b. Vexat eccleſias, 1261. a. b. Adverſus proprium patrem quam iniquus, 1244. c. Obit, 1365. c.
Rebellibus quæ injuncta pœna, 549. d. 550. c. 554. d.
Recordium a Leodienſibus petit Ludovicus Borbonius electus, 1233. d.
Redemtionis captivorum ordo, 566. a.
Reformatio monaſteriorum in concilio Lateranenſi, 240. c.
Reformatio monaſterii S. Mathiæ, 447. c.
Regalia per ſceptrum conceſſa, 198. c.
Reges tres, ſeu Magi Coloniæ, 281. c.
Regimbertus abbas Epternacenſis, 508. c. 510. b.
Reginaldus archiepiſcopus Remenſis, 925. c. 971. c. d. 972. c. 975. b. 976. c. 978. a. 1007. a. c. 1011. a.
Reginardus epiſcopus Leodienſis, 881. b. 921. c. 1092. c. 1184. a. 1216. c. Ejus diploma pro S. Laurentio, 1164. d. 1166. b. 1168. c. 1169. a. c. 1171. b. 1193. d. Ejus geſta, 871. d. Per ſimoniam ſit epiſcopus Leodienſis, 1057. c. Gozeloni duci adverſus Odonem Campanienſem fert auxilium, 1058. b. Eum ſimoniæ pœnitet, 1059. c. Romam tendit, ad pedes papæ renunciat epiſcopatui, 1060. b. c. Quem reſumere jubetur, 1060. c. Monaſterium S. Laurentii conſtruit, 1060. b. & ſeqq. Obit, 1063. c. Ejus ſepulchrum & epitaphium, 1065. a. & ſeqq.
Reginaldus abbas Epternacenſis, 596. d.
Reginardus abbas S. Eucharii, 50. b.
Reginbertus abbas, 519. a.
Reginbertus abbas Epternacenſis, 460. c.
Reginboldus epiſcopus, 517. b.
Regino Prumienſis abbas, 849. d.
Regularis vita in eccleſia Trevirenſi, 151. d. e.
Reide caſtrum obſidetur & expugnatur, 1263. b.
Reimboldus comes, 232. a.
Reinardus comes Geldriæ, 576. c. 577. a. Dux efficitur, 585. c. Ei duos pagos donat Sifridus archiepiſcopus Colonienſis, 579. b. Bellum indicit Leodienſibus & Brabantinis, 585. c.
Reinardus comes *de Weſterburg*, 20. c.
Reinardus de Hanzyo, 20. d.
Reinbertus abbas, 519. b.
Reinerius comes abbas Epternaci, 460. b. 507. b. 509. c.
Reinerius II. abbas Epternacenſis, 511. d.
Reinerius abbas Sancti Jacobi Leodienſis, 1131. c.
Reinerus S. Laurentii Leodienſis continuator hiſtoriæ monaſterii ſui, 1033. Ejus opera, 1085. a.
Reinerius comes de Monte-acuto, 1027. c.
Reinerus *de Weſterburg* Balduinum archiepiſcopum Trevirenſem diffidat, 416. c.
Reinholdus archiepiſcopus Colonienſis eligitur, 563. c. 564. a.
Reinmagium incendit Philippus rex, 566. c.
Reliquiæ S. Laurentii, 1095. a.
Reliquiæ ſanctorum quantum poſſunt, 1046. b. c.
S. Remaclus epiſcopus Leodienſis, 845. b.
Remaclus abbas S. Huberti, 1159. d.
Rembertus epiſcopus Virdunenſis, 949. e.
Rembodo præpoſitus Noveſienſis, 558. b.
Remenſes archiepiſcopi, Guido, 171. d. Manaſſes, 914. 955. a. 971. c. d. 978. c. 989. b. 997. c. 999. d. Radulfus Viridis, 914. 990. c. Reginaldus, 125. c. 972. c. 975. b. 976. a. 978. a. 1007. a. 1011. a.
S. Remigii eccleſia a Leone papa IX. dedicata, 960. c.
S. Remigii abbates, Henricus, 925. c. 960. b. 961. c. 978. c. Robertus, 957. c.
Renardus comes filius comitis Tulienſis, 172. d.
Renatus dux Lotharingiæ, 623. c.
Renualdus abbas Andaginenſis, 921. c.
Rhodii inſula a chriſtianis capta, & iterum a Turcis, 580. d. 631. b.
Richardus cardinalis excommunicat Wiredum pſeudo-abbatem S. Huberti, 1018. c. celebrat concilia in Gallia, 1019. a.
Richardus epiſcopus Leodienſis, 840. 860. c. Ejus teſtamentum, 841. 858. b.
Richardus abbas, 519. a.
Richardus abbas S. Euchatii, 505. a.
Richardus abbas Fuldenſis, 517. b.
Richardus abbas *Sprinkelbae*, 207. b.
Richardus abbas Virdunenſis, 923. e.
Richardus ſcholaſticus S. Mathiæ, 144.
Richardus rex, 312. a. Richardus rex Romanorum, 350. b. 497. c.
Richardus dux Cornubiæ eligitur imperator, 333. a. Et quidem magna vi pecuniæ, 254. c.
Richardus comes Normannorum, 1044. e.
S. Richarius expugnatus, 780. d.
Richerus epiſcopus Virdunenſis, 186. d.
Richiidis comitiſſa Montenſis, 942. a. 957. d. 964. c. 969. a. Comitatum ſuum vendit, 943. a. Divertit ad S. Huberti monaſterium, eique Caviniacum vendit, 963. c.
Richiza mater Popponis Trevirenſis archiepiſcopi, 162. b.
Ricmundus comes occiſus, 518. d.
Ricolfus de Monte, comes, præpoſitus Noveſienſis, 558. c.
Ricolfus archiepiſcopus Colonienſis, 535. d.
Rindorff in honorem S. Clementis conſtruitur, 563. b.
Riza, ſeu Richiza, imperatrix, 561. b.
Robertus Bavariæ dux fit archiepiſcopus Colonienſis, 607. b. 608. b. 618. c. Expugnat oppidum *Bruell*, 609. c. Habet diſcordiam cum capitulo ſuo, 610. a. & ſeqq. 611. a. Ob debita non ſoluta excommunicatur, 612. b. Ejus defenſionem ſuſcipit Carolus dux Burgundiæ, 612. c. & ſeqq. Facit pacem cum ſuo capitulo, 623. a. In captivitate moritur, 623. b.
Robertus archiepiſcopus Trevirenſis obtinet privilegium ab Ottone imperatore, 150. c.
Robertus de Bergis epiſcopus Leodienſis, 1160. c. 1161. a. b. 1163. b. c.
Robertus epiſcopus Lingonenſis fit epiſcopus Leodienſis, 1100. d. 1101. d. Obit, 1102. d.
Robertus Metenſis epiſcopus, 859. b. c. A Rathbodo archiepiſcopo conſecratus, 145. c.
Robertus comes abbas Epternacenſis, 460. b.
Robertus *de Montreal*, abbas Epternacenſis, 516. c.
Robertus abbas S. Jacobi Leodienſis, 1081. a.
Robertus abbas S. Laurentii, 1117. d. Reſignat, 1120. d.
Robertus abbas S. Mariæ ad Martyres, 473. b. frater Theoderici abbatis S. Mathiæ, 266. c. Suæ ſedi reſtituitur, 274. c. 284. b.
Robertus abbas Mediolacenſis, 285. a.
Robertus abbas S. Remigii, 997. c.
Robertus abbas Tuitienſis, 1082. b.
Robertus præpoſitus Leodienſis, 863. b. 1043. b.
Robertus Morialmæus archidiaconus Leodienſis, 1442. b. c.
Robertus monachus Virdunenſis, 1019. b.
Roberti Carmelitæ oratio ad Honufrium legatum ſedis apoſtolicæ ad Leodios, 1046. b. A Burgundis capitur, 1452. e.
Robertus rex Francorum, 1044. e.
Roberti regis Franciæ amicitia cum Henrico imperatore, 865. e.
Robertus rex Siciliæ, 402.
Roberti regis Siciliæ proterviam domare meditatur Henricus imperator, 402. c.
Robertus comes Atrebatenſis occiditur, 333. c.
Robertus comes Flandrenſis, 559. b. Godefridum Bullonienſem ducem occidi curat, 951. c. Ejus terram invadit imperator, 520. b. Philippum regem fugat, 942. a.
Robertus comes Nivernenſis, 563. c. Donatur comitatu Flandriæ, ibid. d. e.
Robertus comes Romanorum, 559. c.
Robertus filius ducis Montenſis, 604. c.
Rocæ-fortis obſidio, 1214. c.
Rodulfus præpoſitus majoris domus, archiepiſcopus Trevirenſis eligitur, 213. Inveſtitur, 214. c.
Rodulfus intruſus Trevirenſis, 172. c.
Rodulfus epiſcopus, 517. c.
Rodulfus epiſcopus Leodienſis, 1179. d.
Rodulfus abbas Moſomenſis, 923. a. 925. b. 971. c. e.
Rodulfus abbas S. Trudonis, 1082. c.
Rodulfus abbas S. Victoris, 980. b. 1011. c.
Rodulfus imperator, 364. a. rex Romanorum eligitur, 374. c. Regem Bohemiæ vincit, 575. a. Biſuntium expugnat, 576. b. & alias civitates rebelles, ibid. Ejus obitus, 578. b.
Rodulfus II. imperator, 671. c. 737. a.
Rodulfus rex Burgundiæ regnum ſuum tradit Conrado imperatori, 1058. a.
Rodulfus dux Bavariæ, 398. b. 399. c. 404. c.
Rodulfus comes, 59, c.
Rodulfus comes Porcenſis cellam Porcenſem fundat, 972. b.
Rodulfus filius Gozilonis comitis Bohaniæ, 934. b.
Rodulfus *de Marbureh*, 246. c. Moniales S. Thomæ perſequitur, 246. c.
Rodulfus de Ponte, vir nobilis, 249. e.
Rodulfus *de Sintzinheim*, 20. c.
Rogerius epiſcopus Catalaunenſis Wazonem epiſcopum Leodienſem conſulit de hæreticis, 898. c. Wazonis ad eum reſponſio, 899. c.
Rogerius rex Siciliæ, 199. a. 461. c.
Rogerius Macerienſis apud S. Hubertum ſepultus, 971. b.
Romam obſidet & expugnat Carolus V. 631. c.
Romanæ eccleſiæ proprium eſt de omnibus judicare, nullis vero licet de ejus judiciis retractare, 947. b.
Romani a militibus Ottonis I. cæſi, 1037. c.
Ropertus abbas Epternacenſis, 514. c.
Ropertus abbas S. Eucharii, 505. b.
Rorico Minorita juſſus inquirere in Henricum electum Trevirenſem, 261. b. A ſuis ſuperioribus prohibetur, 262. b. Novum a papa reſcriptum recipit, 264. a. Ejus conſtantiam in agendo laudat Urbanus papa, 265. b.
Roſam auream benedictam Juliæ principi mittit Sixtus V. 716. c.
Rota inſignis archiepiſcopi Moguntini, 543. c.
Rothardus epiſcopus Cameracenſis, 865. e.
Rotgerus epiſcopus Tullenſis, 351. b. c.
Rothomagi epiſcopus Petrus, 1003. e.
Roya capta, 780.
Rudolfi electi Trevirenſis cauſam ſuam facit imperator, 215. b.
Rudolfus comes *de Haſpruch* electus imperator, 333. b. Ejus victoriæ, 333. b.
Rudolfus imperator, 674. c.
Rudolfus rex, 362. b. Ejus obitus, 354. d.
Rudolfus dux Bavariæ, 408. c. 418. d.
Rudolfus Saxoniæ dux, 7. b. 9. c. 11. b. 12. a.

invitatur ab electoribus imperii ad diætam *Lanstein*, 14 d.
Rudolfus comes Hohenbergensis, 58. d.
Rudolfus *de Maslberch*, 230. a.
Rudpertus Leodii imperatoris Henrici gratiam impetrat, 250. b.
Ruhingus abbas, 517. e.
Rulmundenses excommunicati, 1213. d.
Ruperti Bavari archiepiscopi Colonienſis comparatio cum Ernesto, 717. c.
Rupertus fit monachus in monasterio S. Laurentii Leodiensis, 1070. b. 1077. b. 1078. a. & seq. 1079. c. Fit abbas Tuitiensis, 561. a. 1078. c. Scriptor historiæ *S. Laurentii* Leodiensis, 1035. a. Ejus obitus, 1083. a.
Rupertus imperator, 589. c. Ejus electionem pronunciant electores, 21. e. 27. c. Imperator electus quosdam articulos servaturum se spopondit, 24. e. Francofurti obedienter recipitur, 32. c. Ei tota pene Germania subdita, 58. b. 64. d. Electionem suam Aquisgranensibus significat, mandatque ut suam sibi civitatem aperiant *imperii coronam* acceppturo, 28. c. Coronatur Coloniæ in die Epiphaniæ, 30. c. 47. a. 596. a. Parat se ad recipiendam Romæ Cæsaream coronam, 85. d. Eam a papa expoſcit, 79. d. 107. c. d. Qui insolitum ab eo juramentum exigit, 107. c. 921. Ad iter versus Longobardiam se præparat, 59. b. & seqq. 60. d. 66. a. Proponit iuerare *Lombardiam*, deinde Romam proficiſci ad coronã recipiendam, 53. c. Diu agit in Italia, 79. b. Revertitur in Germaniam, 92. c. 108. b. Ære alieno impignoratus, 80. c. 88. c. 109. c. A rege *Bohemiæ* exigit ut imperium resigner. 112. c. Bohemiam armata manu invadere meditatur, 96. a. Fœdus init adverſus regem Bohemiæ, 129. a. Ab eo reliquias sacras & alia ad imperium spectantia repetit, 129. b. Ei subsidium promittunt electores, 22. c. Legationem in Galliam mittit, 108. c. 109. b. Fœdus cum rege Galliæ inire studet, 104. d. 106. d. 107. a. Suum ei offert servitium Aragonum rex, 60. c. Venetorum petit auxilium, 65. a. Aurelianenſem ducem sibi reconciliare tentat, 61. b. Ejus negociatio cum duce Lotharingiæ, 138. d. Ei ut hominium præstent margravius Misniæ & lantgravius Hassiæ scribunt electores, 30. b. Concordiam proponit cum Wenceslao rege Bohemiæ, 51. c. Negat gratiam suam Aquisgranenſibus, 70. c. Inclinat ad dandam ecclesiæ pacem, 108. b. 109. c. Ejus sententia prolata inter Albericum epiſcopum Bambergenſem & Conradum mareſcallum *de Pappenheim* & Arnoldum a *Seehendorff*, 36. c. Concordes facit archiepiſcopum Moguntinum & lantgravium Hassiæ, 48. b. Hassiæ lantgravium, ducem Brunſvicenſem, & ducem Luneburgenſem cum archiepiſcopo Moguntino reconciliare laborat, 99. b. & seqq. Proli suæ petit uxorem de sanguine regio Francorum, 39. a. Fundat univerſitatem Heidelbergenſem, 596. d. Moritur, ibid. Ejus epiſtola ad electores & alios principes adverſus Aquenſes, 35. c. Ad principes Germaniæ, 92. c. Ad principes & civitates imperii, 97. d. Ad Eliſabetham Galliæ reginam, 37. c. 96. b. ut ducem Aurelianenſem impediat ne fœdus ineat adverſus imperium, 132. c. Ad reginam Sueciæ & Daciæ, 133. d. Ejus & Johannis ducis Bavariæ *litteræ de matrimonio* cum Catharina sorore regis Sueciæ, Daniæ & Norvegiæ, 134. c. Epiſtola illuſtri duci Bavariæ scripta, 43. b. Ad ducem Lotharingiæ, 121. c. Ad lantgravium Hassiæ, 93. c. Ad Albertum parochum, ad S. Sebaldum Norembergæ, 38. a. Ad aliquod canonicorum collegium, 120. d.
Rupertus dux Bavariæ, 20. c.
Rupertus filius Adolfi ducis Montenſis, 599. d.
Rupertus comes Palatinus Rheni, dux Bavariæ, 7. b. 9. b. 11. b. 12. c. 14. a. c. 15. c.
Rurgerus abbas *S. Jacobi Leodiensis*, 1131, c. 1288. c. 1353. c.
Rurgerus archicancellarius Zuendeboldi regis, 147. c.
Ruthardus archiepiſcopus Moguntinus, 186. d.
Ruthardus abbas, 520. a.
Rutkerus archiepiſcopus ſummuſque cancellarius. 150. d.
Rutkerus archiepiſcopus Trevirenſis privilegium a *Carolo* rege obtinet de abbatia S. Servatii Trajectenſis, 148. c. 154. c.

S.

Sabaudiæ comes monetur de Ruperti imperatoris itinere versus Longobardiam, 62. b. Ab eo hominium & liberum per ditiones ejus transitum petit Rupertus *imperator*, 38. b. 125. c. Negociatio cum eo, 52. c.
Sabaudiæ dux inſtitutus coadjutor Borbonii cardinalis in regem Galliæ promoti, 734. c.
Sabaudiæ ducis nuptiæ cum filia regis Hiſpaniæ, 656. a. & seqq.
Sacerdotum connubia,, 1085. b. d.
SS. Sacramenti feſtum Leodii inſtituitur, 1105. a.
Sagæ combuſtæ, 717. b.
Sagimen ter in hebdomada, 1098. a.
Saladinus rex Saracenorum Jeroſolymam capit, 222. b
Salebrienſis epiſcopus Carmelita, 1292. c.
Salentinus archiepiſcopus Colonienſis, 533. a. 710. c. 713. b. Præfecturam Coloniæ occupat, 756. a.
Saleveltense monaſterium, 545. b.
Salisburgenſi archiepiſcopo miſſa legatio, 78. c. 100. d. Flotenorum millia ab eo mutuo petit Rupertus imperator, 80. d. Qui Salisburgenſi populo fuit propenſus, 127. d.
Salisburgenſes archiepiſcopi, Fridericus, 98. b. Guntherus, 865. c.
Salvandorum paucitas, 554. b.
Saraceni a Carolo Martello devicti, 533. b. Granata ejecti, 625. d. 628. c. Apud Aſcalonem a chriſtianis paucis infiniti devicti, 560. d. Tripolim deſtruunt, 353. c.
Sancho abbas, 518. d.
Sancho presbyter & abbas, 518. c.
Saxones a Carolo devicti, 532. c. 536. b. Facti Chriſtiani, 535. b. Ab his obedientiam petit Rupertus imperator, 103. d.
Saxoniæ duces Albertus, 618. c. 626. c. 627. b. Fridericus, 680. c. 682. c. Rudolfus, 7. b. 9. c. 11. b. Ad diætam *Lanſtein* invitatur ab imperii electoribus, 14. d.
Scafhuſense monaſterium, 174. a.
Schenkius Berkæ gubernator, 700. c. Capitaneus Gueliorum Juliacenſem provinciam vaſtat, 711. d. & seqq. 718. c. Bonam occupat & deprædatur. 721. c. Oppidum *Durſtein* occupare tentat, 732. d. Et Noviomagum, 734. c. Miſere perit, ibid. e. Fuit V. J. doctor, 679. c.
Scipionis eximium dictum, 1419. a.
Schiſma in ecclesia Trevirenſi, 218. a. & seq.
Schiſmatis extinctioni laborat rex Francorum, 104. b. c.
Schleſvicenſis epiſcopus Johannes, 134. b.
Scholæ interiores & exteriores apud S. Huberrum, 924. b.
S. Scholaſticæ reliquiæ, 958. c.
Schonaugienſis monaſterii abbas Echertus, 564. c.
Scluſa fortiſſimum caſtrum, 528. b.
Scotiæ reginæ mors, 714. d.
Sedechias Judæus medicus magicis artibus addictus, 538. c.
Sedes archiepiſcopi Trevirenſis retro altare S. Petri, 257. a.
Seditio Colonienſi in civitate, 573. b. 591. d. In Fuldenſem abbatem, 552. c.
Seditio Leodii, 1251. a. & seqq.
Seditio puerorum Leodii, 1289. d. 1291. a. 1292. b. Severitas Leodienſium in puniendis ſeditioſis, 1208. d.
Senonenſis archiepiſcopus Berneratdus, 460. b. 505. c.
Sententia depoſitionis in Wenceſlaum imperatorem, 16. b.
Sepultura extra eccleſiam, 1132. c.
Sergius papa, 1591. b.
S. Servatius epiſcopus Romam adiit, 157. d.
S. Servatii abbatia, 155. c. 172. b.
S. Servatii Trajectenſis abbatia Rathbodo Trevirenſi archiepiſcopo reſtituta, 145. d. 147. a. Eam ab eccleſia Trevirenſi tollit Otto I. imperator, 152. a.
S. Servatii capitulum Trajectenſe, 1211. b.
S. Severi Tarentini corpus, 157. c.
Severus Trevirenſis archiepiſcopus, 152. c.
Seynæ comes *Adolfus*, 585. c.
Sibertus præpoſitus Noveſienſis, 558. d.
Sibilla comitiſſa, 978. b.
Sibilla comitiſſa Namurcenſis, 972. c.
Sibilla filia Alberti marchionis Brandeburgenſis, *nupta Willelmo duci Juliæ & Montium*, 623. d.
Siccitas magna, 594. d.
Siciliæ reges, Robertus, 402. b. Rogerus, 461. c.
Sifridus archiepiſcopus Colonienſis, 340. d. 341. a. 347. d. 348. b. 558. c. 574. c. Ei favet Aquenſis civitas contra Willelmum comitem Juliacenſem, 575. b. Invadit comitatum Juliacenſem, 575. d. Omnia oppida quæ bello ceperat comiti Juliacenſi reſtituit, 576. a. Invadit comitatum Bergenſem, 576. c. Bello captus ab Adolfo comite *Montenſi*, 577. c. De carcere *comitis* Montenſis liberatur, 578. c. Comitem Montenſem captivum tenet uſque ad mortem, 578. c. Comiti Geldrenſi Reinardo duos pagos donat, 579. Obit, 579. d.
Sifridus archiepiſcopus Moguntinus, 226. b. 227. a. 230. c. 567. c. 569. a. 1104. c. Sedi apoſtolicæ addictus adverſus Fridericum II. imperatorem, 249. a. Ottonem imperatorem deponit, 227. b. Ei uraditur Laureshamenſe monaſterium, 571. c.
Sifridus dux, abbas Epternaci, 460. b. c.
Sifridus dux & comes, 459. c.
Sifridus comes *Vienne*, 210. b.
Sigardus comes, 149. c.
Sigebergenſe monaſterium fundatur, 545. a.
Sigebergenſis abbas Cuno, 1078. c.
Sigebertus abbas, 519. b.
Sigebertus abbas Bronienſis, 1090. d.
Sigebertus abbas Sancti Martini Trevirenſis, 181. a.
Sigebodo epiſcopus, 518. a.
Sigebodo comes. 518. c.
Sigefridus comes. 518. c.
Sigefridus archiepiſcopus, 519. c.
Sigefridus archiepiſcopus Moguntinus, 173. c.
Sigefridus abbas, 518. d.
Sigefridus dux abbas Epternacenſis, expulſis canonicis, monachos Epternaci reſtituit, 507. d. 509. e.
Sigefridus rex Normannorum, 539. b. 540. a.
Sigefridus pater marchiſiæ Beatricis, 935. c.
Sigefridus comes, 518. d.
Sigefridus vir nobilis, 967. c.
Sigillo protonotarius, 455. c.
Sigemundus abbas, 519. b.
Sigiſmundus imperator, 589. c. 601. d. 626. a. Fit imperator, 597. a. b. Intereſt concilio Conſtantienſi, ibid. b. Clivenſem comitatum in ducatum erigit, 597. d. Pacem procurat inter Colonienſes & Montenſes, 598. c.
Sigiſmundus Auſtriæ dux, 771. a. 772. b.
Sigiſmundus comes Sphanhemii, 125. a.
Sigiſmundus mareſcallus, 43. b.
Sigiwinus decanus Colonienſis fit archiepiſcopus, 555. b. 556. b.
Sigiwinus præpoſitus Noveſienſis, 556. b. c.
Sigoaldus abbas Epternacenſis, epiſcopus Spoletinus, 460. b. 505. c. 506. a.
Siko vir potens & dives, 160. d.
S. Silveſter primarum dat archiepiſcopis Trevirenſibus, 187. a.
Silveſter papa II. 1041. c.
Silveſter epiſcopus Clugienſis, nuncius apoſtolicus, *colligit decimam contra* Turcas, 1374. c.
Silveſter de Duna comes, 415. b. 416. a.
Silveſter capitaneus, 432. b.

S. Simeon *reclusus Trevirensis*, 182. b. Treviris venit, 165. b. dignos futuræ vitæ actus agere persuadet archiepiſcopo Popponi, 169. c. Popponis archiepiſcopi epiſtola ad ſummum Pontificem pro ejus canonizatione, 166. b. Canonizationis bulla, 167. a.
S. Simeonis eccleſia collegiata Trevirenſis, 171. c.
S. Simonis brachia, 1385. a.
Simon major præpoſitus eccleſiæ Trevirenſis, 266. c. 268. c. 285. a. 337. b.
Simon dux Lotharingiæ, *frater* regis Lotharii, excommunicatus, 198. c.
Simon comes de Saraponte, 230. a.
Simon comes *de Spanheim*, 409. c.
Simon frater comitis *de Crucenache*, 408. c.
Sixti papæ V. creatio, 157. c. Roſam auream Juliæ principi mittit, 717. c. Galerum & gladium mittit Parmenſi duci, 696. c. Ejus ad eum litteræ. 697. c.
Soifridus *de Livelcas* vicedominus de Rhingovia, 20. d.
Sonderaldus archiepiſcopus Moguntinus a Normannis occiſus, 539. d.
Sophiæ ducitiæ Juliacenſis obitus. 612. a.
Sophronius Patriarcha, 519. a.
Spira conditorium regum Allemanniæ, 390. c.
Spira igne conſumta, 562. c.
Spirenſem epiſcopatum regendum ſuſcipit Balduinus archiepiſc. Trevir. 413. a.
Spirenſes epiſcopi, Bertholdus, 413. c. Conradus, 227. b. 567. b. Gerardus *de Eremberg*, 514. c. Johannes, 186. d. Walramus, 413. a. Obit, 414. a.
Spoletines epiſcopus *Sigoaldus*, 460. b. 505. c.
Sponſa more Hiſpanico velatur, 656. c.
Stabulenſe monaſterium, 846. c. 986. b.
Stabulenſis abbas Poppo, 923. a.
Stalii perfidia in Noveſienſes canonicos regulares, 636. b.
Stalius *conſul* Noveſienſis a Truchſeſianis occiditur, 644. c. 665. a.
Standerium S. Lamberti, 1294. b. Poſitum *ſuper altare*, 1377. a.
Stephanus papa, 518. b.
Stephanus VIII. papa, 1062. c.
Stephani VIII. papæ ſubdiaconalis, 943. b.
Stephanus papa IX. 1066. d.
Stephanus epiſcopus, 149. c.
Stephanus epiſcopus Leodienſis, 840. 841. Varia eccleſiæ officia componit, 858. a. d. 859. b. c. Vitam S. Lamberti expolivit, 858. a. Ejus genus illuſtre, 858. c.
Stephanus epiſcopus Metenſis, 198. d. 208. a. Calixti papæ ex ſorore nepos, 192. d.
Stephanus abbas S. Jacobi Leodienſis, 1006. a. 1018. b. 1020. a. 1075. b. 1079. b.
Stephanus abbas S. Laurentii Leodienſis, 924. a. 1056. a. 1057. c. 1061. d. 1065. c. 1076. c. Ejus obitus, 1067. a. c.
Stephanus *de Marilles* abbas S. Laurentii Leodienſis, 1121. a. 1123. c. d. Ejus epitaphium, 1124. a.
Stephanus de Columna citatus a Bonifacio VIII. 360. b.
Stephanus notarius Benedicti papæ, 141. a. 153. c. 155. c.
Stephanus rex Hungariæ, 544. a. 1646. d.
Stephanus dux, 98. b.
Stephanus Bavariæ dux, 9. c. 43. c. 44. a. 47. b. 58. c. 1556. c. A Johanne archiepiſcopo Moguntinenſi petit auxilium adverſus regem Hungariæ, 121. a.
Stephanus marchio Miſniæ a Johanne archiepiſcopo Moguntino petit auxilium adverſus regem Hungariæ, 121. a.
Stephanus comes, 518. d.
Stephanus comes Bleſenſis, 559. b.
Stephanus caſtellanus Montis-acuti, 967. d.
Sterckrode monaſterium fundatur, 573. b.
Stragis nobilium, 242. c.
Strengneſienſis epiſcopus Nicolaus, 134. b.
Studia litterarum commendantur, 865. a.
Succiæ rex Ericus, 134. d. Regina Margarita, 133. d. 134. d. 139. d.
Sueſſionenſis epiſcopus, 1258. b. 1241. a. 1253. b. Spiritualibus præſidet in diœceſi Leodienſi, 1233. c.
Sueſſionenſis epiſcopus Hilgodus, 999. a.
Sugnilis monaſterium virginum, 921. c.
Suitbertus, 532. c.
Sunzo abbas, 517. c.
Sufatum declinat ab archiepiſcopo Colonienſi ad Clivenſes, 604. a.
Sufati obſidio, 604. c. Solvitur, 605. c.

T.

Tancredus nepos *Bohamundi* ducis Apuliæ 559. c.
Tartari chriſtianos invadunt, 247. b. Eorum rex Soldanum Babyloni vincit, 365. d. & ſeqq. Regnum Jeroſolymitanum ſibi ſubjicit, 366. c. Ad quod Chriſtianos vocat, 366. c.
Tartarorum rex Hulaonus, 334. b.
Taſſilo dux Bavariæ tonſus recluditur in monaſterium, 535. d.
Taxis, 689. c. Capitaneus occiditur, 725. c.
Tempeſtas ingens, 602. c.
Templariorum ordo, 1079. c.
Templariorum deſtructio, 580. c. 585. a. 1109. c.
Terræ motus, 407. b. 561. c.
Teſtandi jus clericis ſuis concedit Wernherus archiepiſcopus Trevirenſis, 438. c. & ſeqq. Item Bonifacius VIII. 437. c.
Teutonicorum ordo, 565. d. e.
Teutricus Lobienſis monachus factus epiſcopus, Leodienſem eccleſiam adminiſtrat, 857. c.
Thebæorum martyres, 195. b.
Theobaldus epiſcopus Leodienſis, 393. c. 399. b.
Theobaldus de Barro epiſcopus Leodienſis, 1109. c. interficitur, 1110. a.
Theobaldus cantor electus Metenſis epiſcopus in diſcordia, 473. c.
Theobaldus comes Barrenſis 217. c. 225. c.
Theobaldus *Briſach* capitaneus Henrici VII. 395, a. Ob proditionem morti traditur, 396. c.
Theobaldus dux militiæ ducis Burgundiæ in Legios, 1451. a. 1464. d. 1491. a. Omnes vias conciliandæ pacis excludit, 1465. c. 1493. b. Ipſi parantur inſidiæ, 1451. e. Legatum captivum cum tribus famulis dimittit, 1460. b.
S. Theodardus epiſcopus Leodienſis, 845. b.
Theodericus archiepiſcopus Colonienſis, Deponitur, 227. c.
Theodericus de Morſſa factus archiepiſcopus Colonienſis, 597. c. 599. a. Fit adminiſtrator Paderbornenſis, 598. a. Ejus exactiones, 605. a. Fœdas cum Gerardo duce Juliæ & Montenſi, 606. c. Excommunicatur, 568. c. Ejus obitus, 607. b.
Theodericus archiepiſcopus Trevirenſis, 255. c. 511. c. 542. b. Ejus geſta, 239. d. Ex præpoſito S. Paulini & archidiacono eligitur, 239. d. A comite Naſſoenſi captus, ibid. Intereſt concilio Lateranenſi, 240. b. Engelberto Colonienſi præſuli amicus, 241. a. Caſtrum *Montabor* ædificat, 241. b. Cremonam ad imperatorem accedit, 242. a. Apud quem magnus habetur, 242. b. Hæreticos Germaniæ excommunicat, 244. d. Johannem archiepiſcopum in Clauſtri capitulo ſepultum in templum transfert, 246. b. Caſtrum de *Kilburch* ædificat, 246. d. Secedit in arcem Taborinam, 247. a. Eius obitus, 248. b.
Theodericus archiepiſcopus Trevirenſis ſedem apoſtolicam ſæpius viſitat, 154. c. Privilegium a Benedicto VI. papa obtinet, 152. a. A Johanne XIII. papa, 154. c. Ei cellam Quatuor Coronatorum concedit Benedictus papa VII. 150. a.
Theodericus de Wecla archiepiſcopus Trevirenſis, 172. c.
Theodericus epiſcopus, 518. b.
Theodericus Metenſis epiſcopus, 162. d. 1036. a. 1041. a. Roma ſacras affert reliquias, 157. b.
Theodericus epiſcopus Vitdunenſis, 171. c. 958. c. 973. a. Cognomento magnus, favet electioni Engelberti Trevirenſis epiſcopi ſchiſmatici, 176. c. Henrici imperatoris ad eum epiſtola, 177. a. Ejus ad Gregorium papam pro Engelberto epiſtola, 178. c. Reſtitutioni Herimanni epiſcopi Metenſis laborat, 178. c.
Theodericus epiſcopus hæreticorum, 1244.
Theodericus ex monacho Lobienſi factus abbas Andaginenſis, 922. c. *Scholas in variis* monaſteriis reparat, 923. a. Poſtulatus ad regendas ſcholas Fuldenſes præficitur monaſterio Andaginenſi, 623. c. Ad monaſterium ſuum nudis pedibus, licet in hieme, accedit, 924. a. Viri illuſtres ab eo inſtituti, 925. c. & ſeqq. Vita ejus auſtera, 926. c. Diabolum ſigno crucis fugat, 926. c. Orationi quam aſſiduus, 927. c. Annoni Colonienſi archiepiſcopo quam familiaris, 927. d. Loqui non ſolebat, niſi recitato pſalterio, 928. c. Adalberonem Metenſem epiſcopū viſitat, 928. d. Elinando epiſcopo Laudunenſi familiaris, 929. a. Auſeromiæ comitatus illi datur, 932. c. Ad eccleſiæ decorem quid contulerit, 925. c. & ſeq. Godefrido Bullonienſi duci ægrotanti adeſt, 938. c. & ſeqq. Familiaris fuit Richildi comitiſſæ Mōtenſi, & Balduino comiti Flandrenſi, 942. d. Romam pergit, 943. d. Bene exceptus Piſis, 944. a. Et Romæ a papa, 944. d. A quo accipit litteras ad Annonem Colonienſem & Deoduinum epiſcopum Leodienſem, 945. a. A Mathilde Marchiſa donis pretioſis honoratur, 943. b. Privilegium ei concedit Gregorius VII. 947. d. Godefridus Gibboſus bellam vallem & alia, 449. d. Electio epiſcopi Leodienſis ad eum refertur, 959. b. Exequias Godefridi ducis curat, 951. d. Eum donis honorat Herimannus Metenſis epiſc. 953. c. Pluviam Remis *divinitus* impetrat. 955. a. Ipſi & ejus fratribus committitur cuſtodia caſtri Mirwoldenſis, 958. b. Cujus everſionem ab epiſcopo Leodienſi obtinet, 959. d. & ſeqq. 962. d. & ſeqq. Caviniacum emit a Richilde comitiſſa Montenſi, 963. c. Ejus obitus, 965. b. & ſeq.
Theodericus abbas S. Huberti, electus epiſcopus Leodienſis, 1079. a.
Theodericus II. abbas S. *Huberti creatur*, 966. b. Plura acquirit ſuo monaſterio, 967. d. & ſeqq. Noſocomium ædificat, 967. e. Commutationem facit cum monaſterio Prumienſi, 971. a. Adeſt concilio Sueſſionenſi, 971. e. Altari *Bedoli* donatur ab archiepiſcopo Remenſi, 972. a. Fundationem cellæ Porcenſis recipit, 972. c. Et Chimenſis, 972. d. Secedit Remos ad S. Remigium, 975. b. Eum vexat Otbertus epiſcopus, 975. c. & ſeqq. Reſpondet ad ejus objecta, 976. d. Exenia ab Alberto petita negat, 977. a. Ad cellam Chimenſem cum ornamentis eccleſiæ ſe recipit, 977. b. Epiſtola ad eum parentonis abbatis Divionenſis, 978. e. Eum ſub ſua protectione ſuſcipit legatus papæ, 980. b. Ad ſuum redit monaſterium, 982. c. In ſuos Ingobrando obſequentes inimicitias exercet, 986. b. Theoderici cauſam adverſus Otbertum tuentur principes, 987. Ad ſuum redit monaſterium, 993. c. Ejus epiſtola ad Leodienſes, 995. a. Ad S. Remigium ſe recipit, 997. e. Renunciat ſuæ dignitati, 999. e.
Theodericus *de Ars* abbas Epternacenſis, 513. a. Invitis fratribus reſignat, 513. c.
Theodericus abbas S. Mathiæ, 268. b. 332. c. 473. b. 478. b. Romam proficiſcitur, 257, a. 267. a. Exauctoratur, 258. c. Ad vitandam perſecutionem electi Trevirenſis in Lotharingiam ſe recipit, 268. e. A duce benigne acceptus, 269. a. b. Alium abbatem ejus in locum eligi jubet electus, quod monachi *recuſant*, 269. c. & ſeqq. Appellant ad ſedem apoſtolicam, 270. a. Ad ſuum monaſterium revertitur, 291. b. Ablata repetere curat, 291. d. Falſarum bullarum virtute citatus a decano Confluentiæ, per procuratorem comparet, 292. d. e. Exemplum falſarum bullarum Romam mittit, 293. a. Et a judice appellat ad ſedem apoſtolicam, 293. a. Decanus

Confluentiæ adversus eum procedit, 294. c. & seqq. Sacram supellectilem quomodo recuperat, 301. c. & seqq. Ab electi militibus traditur in carcerem, 305. c. Censetur suæ sedi restituendus, 275. a. c. Restituitur, 284. b. 304. e. Postquam incarceratus fuit per tres annos & sex menses, 336. Carcere solvitur, 314. c. Ejus amicitiam ambit Henricus electus Trevirensis, 314. e. Post Gregorii papæ electionem Romam pergit, 315. c. A quo confirmationem latæ excommunicationis a Bernardo de Castineto obtinet, 315. d. e. Pacis promotor efficitur, 317. a. b. Compromittit de suo jure in duos cardinales, 317. b e. Eorum sententia, 318. d. & seqq. Trevirim revertens incidit in prædones, 320. c. *Omnes ejus persecutores* mala morte perierunt, 321. a. e. Eum infra duos menses papæ repræsentare jubetur electus Trevirensis, 488. c. Vis illata ei & ejus monachis ab electo, 489. a. & seq.

Theodericus monachus ob editos in Gregorium VII. famosos libellos abbatia S. Martini donatur, 181. a.

Theodericus præpositus Colonienſis SS. Apostolorum, 230. c.

Theodericus præpositus S. Gereonis, 230. e.

Theodericus *de Hagen* archidiaconus Trevirensis factus captivus, 249. c.

Theodericus *Blankenheim* præpositus Prumiensis, 249. d.

Theodericus monachus Epternacensis eruditus, monasterii caulam suscipit, 457. d.

Theodericus magister apud S. Mathiam scribit de gestis Trevirorum, 144.

Theodericus Carnotensis, vir doctus, 206. c.

Theodericus rex Francorum, 919. d.

Theodericus frater Clotharii regis, 505. d.

Theodericus dux, 934. c. 986. d.

Theoderico duce Frisones imperatori rebellant, 903. d.

Theodericus pater Ekberti archiepiscopi Trevirensis, 155. c.

Theodericus comes Flammensis a Godefrido Bullonienſi captus, sepelitur apud S. Hubertum, 957. b.

Theodericus comes *de Hoynſtaden*, 233. a.

Theodericus comes Trevirensis, 171. c. 173. c.

Theodericus filius Arnulfi comitis Gandavensis, 1152. a.

Theodericus *de Geirsheit*, 233. c.

Theodericus de Lincerio vir nobilis, 249. e.

Theodericus *de Bruche*, 230. b.

Theodo Tassilonis filius in monasterio re cluius, 525. d.

Theodonis villa a Gallis expugnata, 1161. d.

Theoduinus episcopus Leodienſis, 1066. c. 1184. c. Ejus obitus, 1069. a.

Theofridus abbas Epternacensis, 460. c.

Theologium monasterium, 171. e.

Theomarus archicapellanus Arnulfi regis, 146. d.

Theophania imperatrix, 156. d. 157. b. 1040. c. 1041.

Theotgaudus abbas Epternacensis, 460. b.

Thiewinus, seu Deoduinus, Leodienſis episcopus, 851. b.

Thiedericus camerarius Epternac. 465. c.

Thiedgaudus Trevirensis archiepisc. 536. e.

S. Thomas archiepiscopus Cantuarienſis, 139. 1090. c. Ejus festum solemne, 1095. c.

Thomas Morus Angliæ cancellarius, martyr, 631. d.

Thomas Maurocenus patriarcha C. P. 227. e.

Thomas episcopus, 518. c.

Thomas *de Loraille* civis Cadomensis, vir probus, 765. c.

S. Thomæ moniales persecutionem patiuntur a Rodulfo *de Mavburch*, 246. c.

Thronianum monasterium prope *Herentals* unitur monasterio S. Martini Lovanienſis, 679. b.

Tietberga regina, 506. 536. e. Uxor Lotharii, 856. b.

Tietgaudus archiepiscopus Trevirensis deponitur, 856. d.

Tilpiacum castrum comiti Juliacensi impignoratum, 580. c.

Tiofridus abbas Epternac. 508. d. e. 510. c.

Tiraſonensis episcopus Petrus Ferricus, 1399. a.

Tonsura in pœnitentiam, 243. b.

Tornacensis episcopus, 1253. b. d. 1260. e. Factus cardinalis, 1375. b.

Tornacensem agrum vastat Maximilianus, 781. b. Et Tornacenſes vastant circumvicinas villas, 791. c.

Tornensis abbatissa Jacoba, 1224. b. 1226. b. Filia domini *de Herne*, 1265. d.

Trajectum caput Frisiæ, 793. a.

Trajecti episcopus urbis princeps, 793. b.

Trajectenses episcopi, Adelboldus, 865. c. Arnoldus *de Horne*. 1119. e. Cuonradus, 520. a. 1075. e. Dawid de Burgundia, 796. d. 823. b. 1229. a. Girardus, 1074. c. Johannes *de Abtl*, 1118. a. Willelmus, 1069. b.

Trajectenſium seditio, 793. d. & seqq.

Trajectenses de suo episcopo cauſantur, 798. b. Cujus tamen prudentiam alii prædicant, 798. e.

Adversus Trajectenses ducis Austriæ edicta, 796. b. Rebellant in suum episcopum, 796. e. Accessunt in eum dominum Montis-fortis, 797. c.

Trajectenſis episcopus præsidia militum in *Rhenen* & *Tſeltein* ponit, 801. c.

Trajectenses Hollandos fugant, 803. b. Reconciliari duci Austriæ, seclusо suo episcopo, tentant, 803. d. Eorum odium in suum pontificem, 804. a. 898. a. Engelbertum de Clivis in patriæ defensorem asciſcunt, 804. e. Ei obedientiam jurant, 809. c. d. Simulatorios pacis tractatus habent. 809. a. & seq. Frustra spem ponunt in Wilhelmum *de Avemberge*, 816. a. Excommunicantur & interdicto supponuntur, 818. c. & seqq. Quod contemnunt, 819. a.

Trajectenses in suos tyrannos rebellant, 822. d. Qui recusant tamen suo parere episcopo, 823. a. b. Adhærentes intruso, 823. d. Tyrannorum jugum excutiunt, 825. a. e.

Trajectenſi in ecclesia cathedrali & collegiata S. Johannis servatum interdictum, 824. b.

Trajectenſis episcopus suæ sedi restituitur, 826. d. Capitur, 830. b.

Trajectum ab Austriæ duce obsessum, 832. a. Deditur, 834. d.

Trajectenses a Namurcensibus cæsi. 1204. c. In Hollandiam fugiunt, 505. c.

Trajectum ad Mosam transfertur sedes Tungrensis, 843. b.

Trajectenſis civitas conflagrat, 563. b.

Treccarienſis episcopus *Honuſtius*, 1324. e.

Treccaſſensis episcopus regis Franciæ legatus ad Leodienses, 1305. b.

Treugæ inter Ludovicum XI. regem & Maximilianum regem, 1374. b.

Trevirensium archiepiscoporum gesta, 141. A quibus conscripta, 144.

Trevirenses archiepiscopi, S. Agritius, 178. d. 187. a. Albero, 172. d. 212. d. 352. d. Arnoldus, 172. c. 211. b 248. & seqq. 332. d. 453. d. Electus Arnoldus de Sleyda, 334. d. Arnolfus, 511. c. Balduinus Luxemburgensis, 144. 377. b. 427. d. 512. e. 513. a. c. 584. a. Bohemundus, 341. 432. d. 434. c. Bruno, 171. e. 186. b. 509. a. 510. b. Cono, 171. e. 424. a. 593. c. Dyetherus, 376. c. d. 377. a. 384. b. Eberardus, 171. b. 172. a. 195. e. 518. c. Egilbertus schismaticus, 171. e. 174. b. 195. c. e. 508. e. 512. d. Ekbertus, 155. e. 972. d. Erlimbadus, 543. b. Felix, 195. b. Folmarus, 172. e. Electus Gerardus *de Eppinſteyn*, 345. b. *Confirmatur* & consecratur, 346. b. Godefridus, 172. d. 194. d. 198. a. d. Henricus de Bollandia, 334. d. Henricus de Fistinga, 141. 151. d. 345. e. 468. a. & seqq. Henricus *de Virneburg* electus, 336. Hetinus, 505. a. Hillinus, 172. e. Ejus gesta, 208. b. 212. e. Jacobus *Syrch*, 161. Electus in discordia, 448. 450. b. e. & seqq. Johannes, 172. e. 224. e. 241. b. 453. d. 457. c. Luidolfus, 159. a. 191. c. Marus, 195. b. Megingerus, 196. b. 198. a. d. Meingaudus, 2. c. Otto *de Tzegenhayn*, 446. b. 449. b. c. Poppo, 162. a. 508. 510. b. Rabanus, 448. b. Rathbodo, 145. c. 150. a. 509. e. Rodulfus intrusus, 172. e. Electus Rodulfus, 213. c. 214. c. Ruotcrus, 148. 149. e. 150. e. Theodericus, 239. e. 255. e. 511. e. 542. b. Theodericus de Wecla, 172. e. Thietgaudus, 536. e. Deponitur, 856. d. Udo, 173. e. Ulricus *de Manderscheit*, 448. b. Wernerus, 7. a. 9. b. 11. b. 12. e. 13. e. 14. e. 15. d. 21. e. 22. e. 24. e. 26. e.

Trevirensis ecclesia Bonifacio apostolicæ sedis legato commissa, 192. d. Bernardo de Castineto, 315. d. Ejus administrationem suscipit Johannes *de Brinsberg* episcopus Leodienſis, 1211. a. 1232. a.

Trevirensis S. Martini abbas Willelmus, 513. a.

Trevirenſis præpositus Arnoldus *de Esrewart* 445. b.

Trevirensis præpositus Fridericus de Crenia, 448. b.

Trevirensis decanus Gerlacus *de Limpurg*, 445. b.

Trevirensis ecclesia a S. Petro fundata, 345. e.

Trevirensis archiepiscopus primum inter alios Galliæ & Germaniæ episcopos tenet locum, 153. a. Quare primas dictus, 346. d. Est papæ vicarius in Gallia & Germania, 154. d.

Trevirenſi in ecclesia schisma, 218. a. & seqq. In ea dissensio septennis, 234. d. Est interdicto suppoſita, 348. d. Regno Lotharingiæ adjudicta, 151. e.

Trevirenſis ecclesiæ canonici debent esse nobiles, 349. a. Fuerunt regulares, 151. d. e. Quando desierint in ea canonici regulares, 155. b.

Trevirenſis archiepiscopus proximum imperii membrum, 115. d. e. 117. d.

Trevirenſi cum capitulo negociatur Rupertus imperator. 114. d. & seqq. Novum a prædicto capitulo episcopum eligi tentat, 115. b. & seqq. 117. e.

Trevericæ civitatis obsidio, 449. b. Ab Henrico imperatore, 159. c.

Trevirenses inter & Leodienses dissensio, 1212. a.

Tricarienſis archiepisc. Honufrius, 1400. e.

Tripolis quomodo destructa, 352. c.

Tristandus Heremita missus a rege Franciæ ad Leodienses, 1263. d.

Truchſesius archiepiscopus Colonienſis apostata, 525. b. 531. b. Factus hæreticus, 636. c. Excommunicatur, 641. a. Ejus matrimonium, 640. a. nuptiæ. 640 e. Spoliat monaſteria, 640. d. Pax inter eum & Ernestum archiepiscopum, 641. d. e.

Truchſesiani canonici tumultuantur Argentorati, 648. e. & seqq. Tuitium monasterium incendunt, 641. d. Intolerabile vectigal a Colonienſibus exigunt, 679. c. & seqq. Multos pagos exurunt, 672. b. 679. c. Berka potiuntur, 640. e. Novesium capiunt, 661. e. 663. b. Propugnaculum in Parthenone Vallis-gratiæ collocant, 671. d. Apud Segium fluvium in montanis cæduntur, 647. a.

S. Trudonis sepulcrum miraculis coruscat, 1067. d.

S. Trudonis abbates, Adam, 1108. e. Adelardus, 1067, d. 1068. a. 1072. a. Lanzo, 1072. a. Lupo, 95. e. 1072. a. 1073. e. Rodulfus, 1082. e.

Trudonienſes a Namurcenſibus cæsi, 1205. e.

S. Trudonis oppidum expugnatum, 814. c. A duce Burgundiæ, 1389. b. Villam tentat Carolus dux Burgundiæ, 1284. a. Ejus destructio, 1072. a. & seqq.

Tuitienſe monasterium fundatur, 542. d. Incenditur, 598. a. Spoliatur & incenditur, 604. d. 641. d. Destruitur, 595. e. Restauratur, 594. e. 1078. e. 1082. b. 1083. a.

Tuitienſis abbas Rupertus, 561. a. 1078. c. 1082. b. 1085. a.

Tuitienſis abbatis molitiones adversus monasterium Colonienſe Corporis Christi, 701. e. Monasterio seo destructo Coloniam se recipit, petitque sibi dari monasterium Corporis Christi, 651. a. & seqq.

Huic unioni opponunt ſe canonici regulares, 652. a. & ſeqq.
Tuitii arx munitiſſima, 573. a.
Tuitium evertitur a Colonienſibus, 593. b. illæſo monaſterio, ibid.
Tullenſes epiſcopi, Berengarius, 537. b. Bruno, 171. d. Conradus, 195. c. Henricus, 208. a. Herzelo, 865. c. Petrus, 172. d. 217. d. 220. a. b. 221. c. Pibo, 176. c. 179. c.
Tullenſis comes Fridericus, 172. d.
Tungrenſes epiſcopi, Ebregiſus, 843. c. Maternus, 843. b. Monulfus, 843. b.
Tungrenſis ſedes transfertur Trajectum, 843. b.
Tungrenſem ſedem Leodium transfert S. Hubertus, 917. b.
Tungros incendi jubet Carolus dux Burgundiæ, 1347. c.
Tunica Domini Treviris, 235. b.
Turcarum legatio ad Philippum Hiſpaniarum regem, 675. c.
Turres caſtrum Alemanniæ fortiſſimum, 490. a.
Tuſculanus epiſc. Himarus, 203. b. 304. c.
Typographiæ inventio, 606. a.

V.

VAlciodorenſes monachi fugati, 1158. d. 1159. c.
Valerius Trevirenſis archiepiſcopus, 152. d.
Vallis-Angelorum monaſterium monialium S. Auguſtini, Bonnæ fundatur, 543. d. 671. c. d.
Vallis S. Lamberti monaſterium, 1099. b. c. 1160. d. 1371. c. Fundatur, 1095. b.
Vallis Noſtræ-Dominæ monaſterium, 1225. c.
Vaudemontis comes Fetricus, 775. d.
Vazo epiſc. Leodienſis, 844. a. 860. d. 1066. a. 1184. b. Ejus geſta, 872. d. & ſeqq. Primum fuit ſcholaſticus, 872. c. Deinde decanus, 873. c. Poſtea præpoſitus. 882. c. 1168. a. 1174. c. Ejus epiſtola ad Johannem præpoſitum, 873. c. Sub quatuor epiſcopis gratioſus nihil precii ſumit, 879. b. Quanta a ruſticis ſit paſſus, 880. b. Fit capellanus Conradi imperatoris, 881. b. Judæum ſcientia veteris teſtamenti vincit, 881. c. Fit præpoſitus Leodienſis, 882. c. & ſeqq. Præbendas canonicorum auget, 883. d. Duodecim pauperes quotidie alit, 884. b. Et etiam peregrinos, ibid. Qualis erga ſubditos fuerit, 884. c. & ſeqq. Monachorum vincit abſtinentiam, 885. d. Verberibus ſe affligit, 885. c.
Vazo Nitardum pro ſe curat eligi epiſcopum, 886. b. 887. b. Ipſe eligitur, 889. c. Electioni ægre præbet aſſenſum, 888. b. Conſecratur, 888. d. Divinis officiis quam fuerit aſſiduus, 889. a. Quanta vitæ ejus auſteritas, 889. b. Quam largus fame tempore, 889. d. & ſeqq. Virdunenſi eccleſiæ afflictæ ſuccurrit, 890. c. Belli tempeſtatem magna ex parte ſedat, 891. b. & ſeqq. Caſtella prædonum evertit, 892. c. Falſi criminis apud imperatorem accuſatur, 894 b. Sententiam profert in gratiam archiepiſcopi Ravennatis, 895. a. Juſtitiæ illius inſigne exemplum, 895. c. Ejus in imperatorem fidelitas, 886. d. Francorum regem ne Aquiſgranum invaderet abſterret, 896. Ab epiſcopo Catalaunenſi conſulitur de ſuæ diœceſis hæreticis, 898. c. Ejus ad eum reſponſio, 899. c. De ſummi pontificis electione quid ſibi videatur imperatori declarat, 902. c. & ſeqq. Inſimulatus ab imperatore quid reſponderit, 903. d. & ſeqq. Quos conſtituerit præbendarios, 905. b. Quam perfecta fuerit ejus vita, 906. b. & ſeqq. Extremus ejus morbus, 907. b. & ſeq. Confeſſionem abbatibus & presbyteris facit, 908. a. Sacram unctionem accipit ab Olberto abbate, 910. a. & ſeqq. Ejus obitus, 911. b.
Udalardus comes, 145. c.
Udo archiepiſcopus, 505. b. 519. a.
Udo archiepiſcopus Trevirenſis, 173. c. Ejus parentes, 174. a. Obitus, 176. a.
Udo Magdeburgenſis epiſcopus, 560. c.
Udo comes, 519. a.
Velleris aurei ordo, 765. c.
Venationis primitiæ S. Huberto oblatæ, 968. c.
Venetos de ſuo ad imperium adventu monet Rupertus imperator, 64. c. Eorum auxilium petit, 65. a. Eorum ad papam legatio pro Ruperto imperatore, 73. b.
Venlonenſem civitatem obſidet dux Parmenſis, 683, c. Et expugnat, ibid. e.
Vercellenſis epiſcopus Johannes Franciſcus, 641. a. c. 1164. b.
Verdenſis epiſcopus Conradus, 72. e. 76. b. Tota hieme Romæ remanet, 79. c.
Verdæ abbas Odo, 520. b.
Veſtis canonicarum alba, monialium nigra, 164. d.
Victor papa, 518. a.
Victor IV. antipapa, 209. b.
Vienna oppidulum diripitur, 807. d.
Viennenſes comites, Fridericus, 224. a. Siſridus, 210. b.
Vigiliæ monachorum ad primum gallicinium 944. a.
Villæ-Dei abbas Lambertus de Claro-monte, 1160. c.
Villarienſis abbas Martinus, 1111. c.
Villarienſis in diœceſi Metenſi abbas Fridericus, 285. c.
Vinandus *de Gruel*, abbas Epternacenſis, 514. c.
Vinandus decanus S. Servatii Trajectenſis, 1084. c.
S. Vincentii Laudunenſis abbas Adalbero, 955. c. 965. c. 959. d. 960. b. & ſeqq.
S. Vincentii Metenſis abbas Lanzo, 998. c. 1072.
Vincentius de Buren nobilis Leodius in civitatis ſuæ excidio præclare ſe geſſit, 1496. c.
Vincitur utiliter cui licentia iniquitatis eripitur, 753. c.
Vinea Dominæ-noſtræ monaſterii, 1098. c.
Vineæ congelatæ, 361. c.
Vini magna abundantia, 594. c. 655. d. Apud Germanos plus confert ad victoriam quam multitudo famelicorum, 200. c.
Violetta conſtruitur Leodii, 1371. b.
Virdunum ſuccendit Godefridus Bullonienſis, in contumeliam Henrici imperatoris, 940. d.
Virdunenſi eccleſiæ bello a Godefrido afflictæ ſuccurrit Wazo Leodienſis epiſcopus, 890. c.
Virdunenſes epiſcopi, Albero, 208. a. Haimo, 865. c. Henricus, 195. c. Richerus, 186. d. Theodericus, 171. e. 176. c. 177. a. 178. c. 958. c. 973. a.
Viticolarum apud Leodios inſolentia, 1279. a.
S. Vitoni abbates Gualerannus, 923. a. Laurentius, 1019. a. Radulfus, 980. b. Rodulfus, 1011. c.
Ulricus *de Chronenberg* vicedominus & coadjutor Gerlaci Moguntini archiepiſcopi, 426. b.
Ulricus *de Manderſcheit* Colonienſis, electus in diſcordia archiepiſcopus Trevirenſis, 449. b. d.
Ulricus *comes de Nurbereh*, 230. a.
Ultrajecti epiſcopus Andræas, 1030. c.
Umbercurtius, 1439. b. 1443. a. 1448. d. A duce Burgundiæ duris verbis excipitur, 1450. d. Vulneratur, 1490. c. Ejus conſilium de invadenda urbe Leodio, 1492. d. 1493. c.
Unitas in eccleſia commendatur, 185.
Uniones monaſteriorum quando licitæ, 660. b. Solent rixas generare, ibid. c.
Univerſitas Colonienſis, 594. d.
Univerſitas Heidelbergenſis, 596. d.
Univerſitas Lovanienſis erigitur, 598. c.
Univerſitatem Pragenſem erigit Carolus IV. imperator, 5.
Vormatienſes epiſcopi, Bacus, 200. a. Buggo, 469. c. 562. b. Fridericus, 571. c. Hazecho, 517. d. Henricus, 571. c. Landolfus, 572. b. Lupoldus, 226. b. 562. c.
Vormatienſis præpoſitus Everardus, 172. a.
Vormatienſes epiſcopum ſuum urbe ejiciunt, 546. b.
Vormatia a clero deſerta, 598. c.
Vormatia igne ſuccenſa, 570. c. 572. a. c. 573. c. 578. c.
Urbanus papa II. 973. d. 976. c. 996. b. 1010. c. Excommunicat Wiredum pſeudo-abbatem S. Huberti, 1011. c. Ejus bulla ad Andaginenſes monachos, 1013. a. Item ad Leodienſes, 1013. c. Epiſtola ad Beringerum, 1152. b. Ad eum epiſtola Hugonis archiepiſcopi Lugdunenſis, 998. a. Item S. Hugonis abbatis Cluniacenſis, 999. c.
Urbanus papa III. 216. c. 221. b. Imperatorem humiliare laborat, 216. d. Ejus parentes & cognatos capta Mediolano civitate conjicit in vincula Fridericus imperator, 216. b. Moritur, 221. c.
Urbanus papa IV. 311. c. 476. a. 480. c. 481. a. 484. a. *1105. a. Ejus electio, 259.* b. 356. c. Negotium abbatis S. Mathiæ tractat, 321. e. In electum Trevirenſem inquiri jubet, 259. d. e. 260. b. 261. 263. b. 308. b. Ejus bullæ, 259. e. 261. b. 263. b. 264. a. Ad abbatem de Glandariis & cantorem Trevirenſem, 273. a. 280, c. Willelmo & Rorico ordinis Minorum, 278. b. Suffraganeis eccleſiæ Trevirenſis, 285. c. Ad abbatem Glandarienſem, 286. c. 324. a. Ad ſcabinos & cives Trevirenſes, 287. b. Falſa ad decanum S. Caſtoris de Confluentia, 292. a. Ejus falſitas juridice declarata, 299. e. & ſeqq. Ad Henricum de Bollandia archidiaconum de Bollandia, 322. a. Ad priores Fratrum Prædicatorum provinciæ Trevirenſis, 322. e. Arnoldo archidiacono Trevirenſi, 323. c. Ad abbates de Villario & de Gerzia, 295. b. & ſeqq. 303. c. Ad Henricum comitem Lucemburgenſem, 302. e. Theoderico archidiacono, 323. e. Duci Lotharingiæ, 324. c. Scabinis & univerſitati Trevirenſi, 324. c. Scabino & juratis Metenſibus, 324. d. Reſcriptum ad Wormatienſem & Spirenſem epiſcopos, & abbatem *de Rodenkirken*, ut inquirant adverſus Henricum archiepiſcopum Trevirenſem, 470. b. Bulla de electione epiſcopi Metenſis, & temeraria ejus confirmatione ab electo Trevirenſi, 473. c. *Ad plebanum B. Matiæ de* Confluentia adverſus Henricum electum Trevirenſem, 474. c. Obitus, 306. a.
Urbanus papa V. 587. d. e. 588. c.
Urbanus papa VI. 432. c. 596. a. 1119. b.
Uroldus abbas Epternacenſis, 460. c. Depoſitus, 507. e. 508. a. 510. a.
Urſini qui & Guelfini, 399. a.
Wachtendunckii expugnatio, 726. c.
Wachtendunch dux interimitur, 815. b.
Walcandus epiſcopus Leodienſis, 855. d.
Walcourt villa ſpoliata. 1205. c.
Waldaſiæ abbas, 114. b.
Waldecenſis comes, 57. c.
Waldrada pellex Lotharii, 506. b. 536. c. 856. c. A Lothario reprobata, 537. a.
Walerannus comes archiepiſcopo Colonienſi infeſtus, 246. d.
Walerannus abbas S. Vitoni, 923. a.
Walerannus filius Henrici ducis Limburgenſis, 225. d. 226. c. d.
Walerannus filius Waleranni ducis, 242. c.
Waleranni comitis obitus, 248. d.
Walkerus notarius Zuendeboldi regis, 147. c. 148. a.
Walmarus comes de Caſtris, 230. a.
Walo Metenſis epiſcopus, 536. d. A Normannis victus, 145. c.
Waltramus de Juliaco archiepiſcopus Colonienſis, 416. c. 542. c. 558. c. 584. d. Carolum IV. imperatorem inungit, 586. a. Moritur, ibid b.
Waltramus epiſcopus Spirenſis, 413. a.
Waltramus dux, 241. d. 242. a. 393. a. c. Ejus obitus, 596. b.
Waltramus dux Limburgenſis, 379. d. 380. b. 384. b.
Waltramus frater Henrici comitis Luxemburgenſis, 341. b. 347. d. 577. a.
Waltramus comes *de Crucenache*, 415. b.
Walramus comes de Juliaco, 577. a. Terras eccleſiæ Colonien. depopulatur, 577. c. d.
Walramus comes *de Naſſoven*, 232. c.

Walterius episcopus Argentinensis, 257. b. 258. d.
Walterius abbas S. Laurentii, 1084. c.
Walterius II. abbas S. Laurentii, 1097. e. dictus Macharius, 1114. c. 1163. c. Proprietatem inducit, 1115. b. Obit, 1115. c.
Walterus decanus Leodiensis, 1181. d.
Walterus comes, 149. c.
Waltherius de Meisenburg, vir nobilis, 276. a. Frater Willelmi intrusi S. Mathiæ Trevirensis, 284. c.
Walterius *Datin*, vir magnæ auctoritatis apud Leodios, 1201. b.
Walterius *Grin* civis Colonienſis, leonem interficit, 584. b.
Walterius hæreticus igni addictus, 583. d.
Warinus episcopus Colonienſis, 158. d.
Warlamus comes Aralunensis, 182. b.
Warmundus intrusus, 995. a.
Warnerius de Bollandia, 221. a. 226. b.
Warnerus *de Brole*, 233. c.
Warnne prælium, 340. c.
Wazelinus abbas S. Laurentii Leodiensis, 1083. c. 1086. a. Ejus obitus, 1087. c.
Wazelinus *II.* abbas *S. Laurentii*, 1087. d. 1177. c.
Warwicensis comes regem Angliæ fugat, 1351. d. Occiditur, ibid.
Welf dux, 518. a.
Welteri episcopus, 518. a.
Wenceslaus rex Bohemiæ, 390. c. 411. c. 432. a. 514. c. d. 594. Eligitur imperator, 503. d. Pravi ejus mores, 3. Remis tractat cum rege Francorum de viis extinguendi schismatis, 4. Tractat cum Ruperto imperatore, 52 b. Comitatum Mediolanensem erigit in ducatum, 595. c.
Wenceslaus imperator ab electoribus monitus, 15. c. Ut corrigat errata, 18. a. Ad apostolicam sedem delatus, 19. b. Eum ad diætam *Lanstein* invitant electores, 13. c. Deponitur ab imperio, 16. b. 22. a 125. c. 595. c. Ejus depositionis causæ, 4. Ob erectum Mediolanensem ducatum, 106. a Ejus depositionem principibus significant electores, 26. d. Illi fidem servant Aquisgranenses, 29. c.
Wenceslaus dux Brabantiæ, 589. d. 592. d. In bello capitur, 590. b. Custodiæ mancipatur, 591. a.
S. Wendelini castrum comparat Balduinus archiepiscopus Trevirensis, 411. b.
Wenzo abbas Florinensis, 1066. a.
Werinhart comes, 518. d.
Wernerus archiepiscopus Trevirensis, 7. a. 9. b. 11. b. 12. c. 13. c. 14. c. 15. d. Eligitur, 432. c. Ab Urbano VI. confirmatur, 433. b. Cunonis exequias celebrat, 434. a. Initio pontificatus multa patitur adversa, 436. d. Jus testandi clero suo concedit, 438. c. Idem a Bonifacio papa IX. impetrat, 437. c. Ejus obitus, 446. b.
Wernerus præpositus Novesiensis, 558. c. 585. b.
Wernerus Tilianus auctor annalium Novesiensium, 523. *Prior in Marpach*, 669. b. Eligitur prior Colonienſis monasterii Corporis Christi, 670. d.
Wernerus puer à Judæis crudeliter occisus, 346. c. 576. a.
Wernerus comes ab *Reiffersheeid* Bidburium invadit, 736. a.
Wernerus *de Lyfskirchen*, vir nobilis, 624. c. Capite plectitur, 625. a.
Wernerus frater Ottonis de Rineca comitis 199. b. c.
Wernerus Ringravius, 351.
Wernerus de Bollandia, 213. d. 214. a. c. Tutor Henrici pueri regis Romanorũ, 241. a.
Wernherus abbas, 519. a.
Werricus abbas S. Laurentii, 1108. b. 1109. c. Canonico excommunicato subtrahit præbendam, 1190. b. Ab episcopo Leodiensi capitur, 1110. d. e. Dignitati renuntiat, 1111. c.
Wibertus comes, 1177. b.
Wicbertus Ravennensis episcopus fit antipapa, 175. a.
Wickeboldus archiepiscopus Colonienſis, 368. c. 558. c. 579. d. Albertum imperatorem inungit, 579. c. 580. a. Colonienſibus bellum indicit, 580. b.
Wicburg abbatissa, 517.
Widecardus abbas Fuldensis, 551. c.
Widerodus comes occisus, 518. d.
Wido de Summa cardinalis, 203. b.
Wido diaconus cardinalis SS. Cosmæ & Damiani, 203. c.
Wido Cremensis cardinalis, 203. a.
Wido cardinalis tit. S. Potentianæ, 203. c.
Wido episcopus & apostolicæ sedis bibliothecarius, 153. c.
Wido filius Gozilonis comitis Bohaniæ, 934. c.
Wifridus episcopus, 149 c.
Wigericus canonicus Colonienſis archiepiscatu Ravennensi ab Henrico imperatore donatur, 884. d. Ultro reddit imperatori baculum cum annulo, 885. b.
Wigerus advocatus Hasbanienſis, 1023. e. 1024. a.
Wigerus advocatus S. Laurentii Leodiensis, 1166. a. 1168. b. d. 1169. d. 1170 a. 1173. c. 1174. a.
Willelmus cardinalis S. Marci, 317. b. c.
Willelmus S. Sabinæ episcopus, 1103. c.
Willelmus archiepiscopus Colonienſis, 539. d. c. 558. c. 586. b. Obit, 587. c.
Willelmus frater comitis Flandriæ, electus episcopus Leodiensis in discordia, 1095. c. 1100. d.
Willelmus de Mechlinia electus episcopus Leodiensis in discordia, 1107. c.
Willelmus Montensis episcopus Paderbornensis, 557. c. Eligitur in discordia Colonienſis archiepiscopus, 597. c.
Willelmus episcopus Trajectensis, 1069. b.
Willelmus de Kerpena abbas Epternacensis, 514. b.
Willelmus *de Jalemont* abbas S. Jacobi reformat monasterium S Laurentii, 1106. c.
Willelmus abbas S. Martini Trevirensis, 515. a.
Willelmus *de Meysenburg* monachus S. Maximini, pseudo-abbas S. Mathiæ, 271. a. 271. d. 281. c. 282. d. 304. c. Vi & armis intruditur, 275. c. Quem respuunt fratres, 276. b. Citatur a delegatis judicibus, 283. d. Contumax reputatur, 284. a. Et amovetur ab abbatia, 274. c. 284. b. Et ad S. Maximinum remittitur, 284. c. Ad carcerem & alias pœnas condamnatur, 284. d. Monasterium S. Mathiæ multo ære alieno obruit, 286. b. & seqq. Contractus illius nulli & irriti declarantur, 286. d. & seqq. Sententia excommunicationis in eum promulgata, 288. a. 301. a. Ad S. Maximinum cogitur reverti, 288. c. Spoliato S. Mathiæ templo, 288. d. e. 305. a. Ad sui defensionem profert confictas ab Henrico electo bullas, 292. a. Citatur ab abbatibus Villariensi & Gorziensi super bulla falsa ab eo producta responsurus, 295. c. & seqq. Ejus *litteræ* falsæ a judicibus a sede apostolica delegatis declarantur, 299. 305. b. c. Ad monasterium S. Maximini cum ignominia revertitur, 299. d. e. Ubi vix monachalem præbendam obtinet, 301. a. Misere perit, 321. d. e.
Willelmus consanguineus Reginardi episcopi Leodiensis, 1169. b. c.
Willelmus *de Cligny* protonotarius papæ, 1297. c. 1327. c. 1328. a.
Willelmus major decanus Trevirensis, 229. c.
Willelmus canonicus S. Gereonis Colonienſis, judex delegatus a decano Confluentiæ in causa Theoderici abbatis S. Mathiæ, Willelmi de Meisenburgio, citatur ab abbate de Villario & de Gorzia, 297. a. Mandatum sibi negotium intermittit, 297. e. & seqq. 299. d.
Willelmus archidiaconus Trevirensis fit monachus Cistercienſis, 339. b.
Willelmus Bedburius prior monasterii Corporis Christi, 721. c.
Willelmus gardianus ordinis Minorum, jussus inquirere in Henricum electum Trevirensem, 261. 126.
Willelmus rex Romanorum, 2104. a.
Willelmus comes Hollandiæ imperator electus, 253. 333. a. 572. d. 573. c. Vocatus a papa accedit Lugdunum, 253. c. Interficitur, 254. b. 353. a. 573. c.
Willelmus dux, 77. 2. b. 130. c.
Willelmus dux *Dulichorpii*, 674. c.
Willelmus dux frater Ernesti decis, 84. c.
Willelmus dux Juliacensis, 584. b. 589. d. 591. c. 592. d. 594. c. 717. a. 733. a. Ejus ense oppidum expugnat, 629. c. Juliæ & Montensium, 622. d. 623. a. c. 625. d. e. Ejus connubium cum Sibilla Alberti marchionis Brandeburgensis filia, 623. c. Expugnat castrum *Tomberch*, 611. c.
Willelmus comes *Katzenelnboge*, 408. c.
Willelmus dux de Monte, 595. a. c. 596. a. In vincula ab Adolfo filio conjectus, 596. b.
Willelmus marchio Juliacensis, a Carolo IV. imperatore dux creatur, 586. c. Moritur, 587. b.
Willelmus marchio Missniæ, 9. d. 10. d. 12. d. 13. a. b. 94. c. 97. d. 103. d.
Willelmus comes, 196. c.
Willelmus comes Hollandiæ, 583. b.
Willelmus Juliacensis comes, 404. c. 406. d. Fit marchio, 586. c. Ejus infelix exitus, 575. b.
Willelmus Nassovius comes Auraicus occiditur, 653. c. & seqq.
Willelmus *de Aremberg* totam patriam Leodiensem occupat, 814. d. & seqq. Quam recuperant Brabantini, 814. d. & seq. Leodii proclamatus & bannitus, 1311. b. Eum protegit Ludovicus rex XI. 1373. a. Scire cupit cur sit bannitus, & liberum petit introitum per patriam Leodiensem, 1373. c. Episcopum Leodiensem occidit, 812. b. & seqq. Filium suum eligi episcopum procurat, 814. a.
Willelmus comes *de Aremburg*, 625. a. Capite truncatur, ibid. b.
Willelmus comes *de Glizbach*, 207. b.
Willelmus filius Conradi comitis *Luxelemburg*, prædonum dux, 1370. d.
Willelmus *de Argenteal* domicellus, 1225. b.
Willelmus de Bierlo *miles*, 1768. c.
Willelmus *de Dongelbert* vir nobilis, 1087. a.
Willelmus de Marka domicellus, 1294. c. 1313. b. Petit recipi a Ludovico Borbonio ad veniam, 1377. d. Episcopum petentem veniam occidit, 1378. b.
Willelmus vir nobilis, 1168. a.
Willelmus de Violetta occiditur, 1296. a.
Willerannus abbas, 516. b.
Willibertus archiepiscopus, 840.
Willibertus archiepiscopus Colonienſis, 857. d.
S. Willibrordus, 455. a. 465. c. d. Clemens dictus, fundator monasterii Epternacensis, 459. a. & seqq. Ibidem jacet, 459. c. Ejus obitus, 505. c. Commemorationis ejus festum instituitur, 466. d. Ejus translatio, 510. d.
Willigisus archiepiscopus, 157. a.
Willigisus archiepiscopus Moguntinus, primus elector imperii, 543. b. 1042. b.
Winitharius episcopus, 518. b.
Wiredus ab Otberto episcopo Leodiensi abbatiam S. Huberti accipit, 1003. d. Sed a fratribus rejicitur, ibid. Otberti ad eum epistola, 1004. c. Illius erga Henricum regem studium ipsi exprobrat, 1005. d. Ab eo tamen abbas ordinatus, fratrum indignationem incurrit, 1006. c. Theoderici ad eum epistola, 1007. a. Ad sedem apostolicam provocatur, 1009. a. Cujus judicium detrectat, 1009. b. Adversus eum *libellus suplex Theoderici ad Urbanum* II. 1010. d. Qui ipsum excommunicat, 1012. d. e. Fratres suos deliuire conatur, 1014. b. Otberti invidiam incurrit, 1014. e. Qui adversus eum procedit, 1015. b. & seqq. A Richardo cardinali excommunicatur, 1018. c.
Wiricus *do Atinbach* abbas Epternacensis, 514. c.
Wiricus de Numage, 250. d.
Wirzeburgenses episcopi, Bruno, 887. c. Erlinus, 1177. b.
Wisilbo abbas, 510. b.

Wiſſemburgenſis abbas, 399. b.
Wittembergenſis dux Eberardus, 628. c.
Wizelinus comes, 518. c.
S. Wolbodo epiſcopus Leodienſis, 1055. b. c. 1057. d. Ejus geſta, 867. b. 1050. a. & ſeqq. Creatur epiſcopus, 1050. b. Vitæ ejus mira auſteritas, 1050. d. Munus placando imperatori præparatum pauperibus diſtribuit, 1051. b. Godefridum ducem captivum liberat, 1052. b. Conciliis intereſt, 1052. b. c. Heribertum Colonienſem archiepiſcopum regi reconciliat, 1052. d. Pie obit, 1054. b. Coruſcat miraculis, 1068. c. Ejus tumulus, 1074. c.
Wolbodo pſeudo-abbas S. Laurentii, 975. c. 995. a. 1098. d. 1184. c. Deponitur, 850. 954. c. 1070. a. Ejectus ex S. Laurentii abbatia, 992. b. Exilio damnatus ſedem apoſtolicam adit, 1069. c. & ſeqq. Leodium redit ex Apulia & Anglia, ſiſtitque ſe coram imperatore, 951. a. b. 1070. d. Recedente imperatore recedit, & apud eum manet, 1071. a. Reſtituitur, 974. a. Expulſo Beringero, 1072. c. 1073. b. Monaſterium deprædatur, 1073. c. Omnes in eum inſurgunt monachi, 1074. d. Iterum ejicitur, 1075. d.
Wolkmarus Brandeburgenſis elector, 404. b.
Wolmarus archiepiſcopus Colonienſis, 541. c. 542. a.
Woringen caſtrum fortiſſimum deſtructum, 577. c.
Wotiggenſe bellum, 347. d.
Wormingen, caſtrum ſolo adæquant Colonienſes, 583. d.
Wulfrannus abbas Prumienſis, 969. c. 971. b. 994. b.
Wyer monaſterium virginum Colonienſe, incorporatum Parthenoni S. Cæciliæ, 619. b.

Z.

Zeizolf comes occiſus, 518. c.
Zorno Mareſcallus ducis Bavariæ adverſus Arnoldum archiepiſcopum Trevirenſem rebellat, 251. c.
Zuendeboldus rex, 150. b. 151. b. 156. b. 461. c. Ejus diploma de abbatia S. Servatii Trajectenſis eccleſiæ Trevirenſi reſtituta, 146. d. 147. d.

BIBLIOTECA ROYAL

ERRATA.

Pagina 10. *linea ultima*, diſcoeviæ, *lege* diſcordiæ. *pagina* 58. *linea* 2. injuſtias, *lege* injuſtitias. *pagina* 102. reliquia, *lege* reliquias. *pagina* 127. *linea* 47. peterem, *lege* peterent. *pagina* 143. *linea* 36. cævis *lege* coævis. *pag.* 151. *l.* 38. Lotharingiam, *l.* Lotharingia. *pag.* 154. *l.* 55. in curiam, *l.* incuriam. *pag.* 169. *l. ult.* feſtinatio, *l.* feſtinato. *pag.* 176. *l.* 15. eligerint, *l.* eligerem. *p.* 181. *in margine*, ſororem, *l.* neptem. *pag.* 182 *l.* 6. qui in ei, *l.* qui ei in. *pag.* 200. *in nota*, Henricum, *l.* Henrico. *pag.* 204. *l.* 28. Hartwicus, *l.* Hattwicus. *pag.* 235. *l.* 13. inde, *l.* in die. *Ibid. l.* 40. demuerit, *l.* demeruit. *pag.* 266. *in margine*, Roberti, *l.* Robertum. *pag.* 275. *l.* 32. cantur, *l.* cantatur. *pag.* 276. *l.* 4. & quatuor, *l.* cum quatuor. *pag.* 280. *l.* 55. ideſt, *l.* idem. *pag.* 283. *l.* 7. retradere, *l.* retrudere. *pag.* 297. *l.* 50. editam, *l.* editæ. *pag.* 310. *l.* 51. exterat, *l.* extiterat. *pag.* 357. *l.* 3. domina, *l.* domino. *pag.* 392. *l.* 9. trecenteſime, *l.* trecenteſimo. *pag.* 419. *l.* 62. hunc periodum, *l.* hanc periodum. *pag.* 422. *l.* 20. creatori, *adde* reddidit. *pag.* 440. *l.* 20. ponentes, *l.* ponentis. *pag.* 449. *l.* 13. MCCCXXXVI. *l.* MCCCCXXXVI. *pag.* 459. *l.* 43. quam pater, *l.* quem pater. *pag.* 479. *l.* 2. levitatis, *l.* lenitatis. *pag.* 383. quomodo, *l.* quoquo modo. *pag.* 490. *l.* 58. juxa. *l.* juxta. *pag.* 551. *l.* 49. cedunt, *l.* cædunt. *pag.* 575. *l.* 21. circam, *l.* circa. *pag.* 623. *in margine*, Willelmus ducis, *l.* Willelmi ducis. *pag.* 626. *l.* 23. fruſtra. *l.* fruſta. *pag.* 641. *l.* 39. IV. *l.* I. V. *pag.* 701. *l.* 22. duodecimo, *l.* duodecim. *pag.* 723. *l.* 27, excuſando, *l.* accuſando. *pag.* 724. *l.* 11. cantens, *l.* canens. *pag.* 738. *l.* 54. obtinente, *l.* obnitente. *pag.* 741. *l.* 14. cœpta, *l.* capta. *pag.* 747. *l.* 18. & omnes, *l.* ut omnes. *pag.* 756. *l.* 28. inanimes, *l.* unanimes. *pag.* 757. *l.* 55. magna, *l.* magno. *pag.* 782. *l.* 42. littera, *l.* litto:a. *pag.* 791. *l.* 33. adverſione, *l.* advectione. *pag.* 860. *l.* 13. abſolviſſet, *l.* obſoleviſſet. *pag.* 870. l. 22. bandientis, *l.* blandientis. *pag.* 899. l. 22. aſſeverabo, *l.* aſſeverabant. *pag.* 941. *in margine*, 1070. *l.* 1076. *pag.* 983. *in margine*, Leodienſem, *l.* Lobienſem. *pag.* 987. *l.* 1. Cavenſis, *l.* Cimenſis. *pag.* 990. *l.* 57. & evocati, *l.* & evocatis. *pag.* 1001. *l.* 25. intus extra, *l.* intus & extra. *pag.* 1062. *l.* 7. æſtimabatur, *l.* æſtimabantur. *pag.* 1073. *l.* 57. rapidam, *l.* rabidam. *pag.* 1079. *l.* 31. MCXVIII. l. MXCVIII. *p.* 1094. *l.* 37. illi, *l.* illis. *pag.* 1095. *l.* 23. MCCCIII. *l.* MCCIII. *pag.* 1114. *l.* 2. & cum epiſcopus, *l.* & eum epiſcopus. *pag.* 1121. *l.* 7. non, *l.* niſi. *pag.* 1151. *l.* 33. veſtitum, *l.* veſtium. *pag.* 1188. *l.* 46. MCII. *l.* MCCII. *pag.* 1250. *in margine*, 1452. *l.* 1462. *pag.* 1255. *l.* 8. cæteros, *l.* certos. *pag.* 1266. *l.* 62. arreſtatur, *l.* arreſtarentur. *pag.* 1272. *l.* 38. obedientiam, *l.* obedientia. *pag.* 1294. *l.* 39. Leodienſes, *l.* Leodienſibus. *pag.* 1332. *l.* 5. *de Willem*, *l. de Velru. pag.* 1345. *l.* 36. qui, *l.* cui. *pag.* 1388. *in margine*, Franciæ, *l.* Burgundiæ. *pag.* 1389. *l.* 55. ſanguini, *l.* ſanguinis. *pag.* 1396. *l.* 49. ſonorum, *l.* ſororum. *pag.* 1403. *l.* 45. bruma, l. brumæ. *pag.* 1411. *l.* 7. taxtas, *l.* teſtas. *pag.* 1431. l. 46. *ſed non*, *l.* ſed nos. *pag.* 1440. *l.* 5. aut. *l.* at. *pag.* 1441. *l.* 35. *videantur me*, *l.* me videantur. *pag.* 1446. *l.* 30. ſic eſt, *l.* ſic es. *pag.* 1454. certur, *l.* certetur. *pag.* 1461. *l.* 5. ædere, *l.* cædere. *pag.* 1497. *l.* 33. adeſſe, *l.* adeſſet. *p.* 1499. *l.* 3. longa hæc, *l.* longa eſt.